BIBLIOTECA ANGELICA ROMA
B
IX
14

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E EPISCOPI CARDINALIS

OPERA OMNIA

IUSSU ET AUCTORITATE

R.mi P. ALOYSII A PARMA

TOTIUS ORDINIS MINORUM S. P. FRANCISCI MINISTRI GENERALIS

EDITA

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII A S. BONAVENTURA

AD PLURIMOS CODICES MSS. EMENDATA

ANECDOTIS AUCTA PROLEGOMENIS SCHOLIIS NOTISQUE ILLUSTRATA

TOMUS V.

Bibliotecca Angelica

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
MDCCCXCI

Digitized by Google

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

OPERA OMNIA

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISCOPI CARDINALIS

OPERA OMNIA

IUSSU ET AUCTORITATE

R.mi P. ALOYSII A PARMA

TOTIUS ORDINIS MINORUM S. P. FRANCISCI

MINISTRI GENERALIS

EDITA

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII A S. BONAVENTURA

AD PLURIMOS CODICES MSS. EMENDATA

ANECDOTIS AUCTA PROLEGOMENIS SCHOLIIS NOTISQUE ILLUSTRATA

TOMUS V.

Biblioteca Angelica

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCXCI

Digitized by Google

Propietas Litteraria.

Digitized by Google

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

OPUSCULA VARIA

THEOLOGICA

TOMUS V.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCXCI

Digitized by Google

OPUSCULA HUIUS TOMI.

1. Quaestiones disputatae de scientia Christi, de mysterio Ss. Trinitatis, de perfectione evangelica. . *pag.* 1
2. Breviloquium . . . . . » 199
3. Itinerarium mentis in Deum . . . . . » 293
4. Opusculum de reductione artium ad theologiam . » 317
5. Collationes in Hexaëmeron . . . . . » 327
6. Collationes de septem donis Spiritus sancti . . » 455
7. Collationes de decem praeceptis . . . . . » 505
8. Sermones selecti de rebus theologicis . . . . . » 532

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Postquam magnum seraphici Doctoris Commentarium in quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi absolvimus, in hoc quinto tomo ea omnia diversi generis opuscula collegimus, quae ad Bonaventurianam theologiam speculativam et scholasticam illustrandam plus minusve servire videbantur. Cum igitur omnia editionis nostrae opera in quinque partes seu classes dispertita nos edituros esse statuerimus (tom. I. praefatio generalis, pag. XXXVII), classis prima, quae opera ad theologiam speculativam seu scholasticam spectantia comprehendit, quaeque ambitu et rerum gravitate prae ceteris latius patet, Deo favente, feliciter adducta est ad finem.

Peritum rerum theologicarum existimatorem libenter putamus concessurum, pleraque quinti voluminis opuscula tum eminere mira doctrinae ingeniique excellentia, tum singulari modo exprimere indolem et spiritum seraphico Doctori proprium. Notissima ac summis laudibus elata opuscula *Breviloquii, Itinerarii mentis in Deum,* de *Reductione artium ad theologiam* hic apparent ad normam antiquissimorum codicum castigata et varie illustrata. Cetera huius tomi opuscula vel penitus hucusque ignota erant, vel edita in solo Supplemento P. Benedicti Bonelli parum divulgato, eademque ob defectum idonei codicis neo integre nec correcte, vel denique in praecedentibus editionibus legebantur ita vitiis, interpolationibus lacunisque deformata et obscurata, ut absterrerent a lectione et ob caliginem operi offusam seraphici auctoris vix certum vestigium agnosci posset.

Penitus oblivioni datae erant *Quaestiones disputatae,* a P. Fidele a Fanna b. m. detectae et integrae hic a nobis primo editae. His hucusque ineditis annumerandae sunt praeter duos sermones novem *Collationes de septem donis Spiritus sancti,* quarum Bonelli (Supplement. III. col. 419 seqq.) tantum *epitomen* quandam publicavit, in qua insuper una collatio desideratur.

Collationes in *Hexaëmeron* et de *decem praeceptis* iam a saeculo XV. saepius typis vulgatae sunt, sed intolerandis vitiis deformatae. Hoc dicendum est imprimis de Collationibus in *Hexaëmeron,* quae quasi nova forma induendae erant et magna ex parte rescribendae, ut ad normam antiquorum codicum corrigerentur. Et quia eaedem a S. Doctore non sunt scriptae, sed ab auditoribus ex ore dicentis imperfecte exceptae, insuper postea interpolatae et depravatae; magnam in reformando textu difficultatem experti sumus. Non tamen taedet nos laboris

Digitized by Google

in hoc opusculo emendando consumti, cum ipsum, a mille vitiis expurgatum et summariis, divisionibus et notis marginalibus auctum, legentibus nunc sit accessu non difficile. Refertum autem est copia gravissimarum sententiarum. Continet enim scientiarum, praesertim theologicarum, quandam encyclopaediam et methodologiam, ut recentiores loquuntur, quae tum ratione aetatis, qua scripta est, tum ratione altissimi et vere seraphici spiritus, qui eam dictavit, speciali attentione digna nobis videtur.

De rationibus, quare non receperimus alia quaedam opuscula in editione Vaticana S. Bonaventurae tributa, quae in hoc tomo tanquam suo loco ponenda videbantur, inter quae praevalet opus inscriptum *Centiloquium,* in Prolegomenis, c. 10. per singula agitur.

Dum grato animo agnoscimus indulgentiam et benignitatem, qua quatuor priora volumina nostrae editionis a viris doctis ubique recepta sunt; confidimus fore, ut hoc quintum ratione rerum quas continet gravissimarum nec sine improbo labore editarum speciali favore comprobetur, ad laudem et gloriam summi Regis, cui soli honor sit et gloria!

In Collegio S. Bonaventurae
ad Claras Aquas 29. Novembris 1890.

P. P. EDITORES.

Digitized by Google

PROLEGOMENA

IN QUINTUM TOMUM.

De singulis huius voluminis opusculis tractatus distinctis capitulis, ut benevolus lector sub uno conspectu habeat et facile ponderare possit omnia documenta, quae ad singulorum fidem et incorruptam auctoritatem atque ad nostrum in ipsis expurgandis et illustrandis laborem spectare videntur.

CAP. I.

Prolegomena in Quaestiones disputatas in universo, et speciatim in quaestiones de scientia Christi et de mysterio Ss. Trinitatis.

§ 1. **Tangitur inventio et praestantia praedictarum Quaestionum.** — P. Fidelis a Fanna b. m. in perscrutandis Europae bibliothecis detexit omnes codices earum quas publicamus quaestionum, quarum ipsa memoria ita data erat oblivioni, ut e tribus saeculis nemo doctissimorum virorum, qui de re litteraria et de ipsius Bonaventurae operibus tractaverunt, earum mentionem fecerit. Ne ipse quidem diligentissimus P. Benedictus Bonelli excipiendus est, licet ante oculos habuerit et imprimendum curaverit illum antiquum catalogum bibliothecae Tudertinae, § 2. relatum, qui has Quaestiones disertis verbis commemorat. Excipienda est solummodo quaestio de paupertate, quae separata ab aliis et non omnino integra a saeculo XV. saepius typis vulgata est.

Non vacat longius scrutari, quare acciderit, ut haec scripta penitus neglecta et quasi sepulta remanserint; manifestum tamen est, causam nullatenus repetendam esse ex eo, quod ipsa vel sint in se exigui pretii, vel temporum subsequentium usui et necessitati minus accommodata. Nemo enim, opinamur, qui, rerum theologicarum peritus arbiter, eadem attente legerit, infitiabitur, has Quaestiones omnes tanto Doctore dignissimas esse, immo plerasque, praesertim eas quae de mysterio Ss. Trinitatis modo prorsus singulari agunt, inter praestantissima eiusdem opera censendas esse. Et quis negabit, ut de aliis taceamus, magnum articulum illum sive tractatum de obedientia Summo Pontifici debita, sive de Romani Pontificis praerogativis (qui ultimum locum harum Quaestionum occupat), in acerrimis de iuribus Summi Pontificis controversiis per quatuor saecula agitatis potuisse opportunissime ad veram doctrinam catholicam defendendam impendi?

§ 2. **S. Bonaventura ipse scripsit complures Quaestiones disputatas.** — Aetate media magistri theologiae, ut apud omnes constat, de quibusdam doctrinae capitibus publice solebant disputare diffusius, quam fieri poterat in ordinario cursu, qui in exponendis Petri Lombardi sententiis ad incipientium discipulorum instructionem occupabatur. Multis argumentis pro utraque parte in medium prolatis, sententia disputantis magistri in conclusione proponebatur et confirmabatur, solutis deinde argumentis ad oppositum adductis. Inde nomen *quaestionis disputatae* hoc scholasticum exercitium accepit; et quando plures quaestiones ad libitum tractabantur, vocabantur *quodlibetum* vel *quodlibeta*, qui terminus, saltem posteriore aetate, communius de omnibus talibus quaestionibus usurpabatur. Praesumendum est, S. Bonaventuram, universitatis Parisiensis magistrum, non recessisse ab hac consuetudine, praesertim cum ipse auctor fuerit, ut in comitiis generalibus Ordinis Parisiis 1266 habitis et deinceps huiusmodi disputationes publice instituerentur (cfr. P. Benedictus Bonelli, Prodromus ad opera omnia S. Bonaventurae, Bassani 1767 col. 39 n. 6; Sbaralea, Supplementum ad scriptores Ord. Min. pag. 170, col. 2.).

Haec praesumtio fit res certa et explorata antiquissimo quodam catalogo bibliothecae, quae fuit Conventus S. Fortunati in civitate Tuderti, nunc autem spectat ad eiusdem municipium. Ut testatur liber *Inventario dei codici della comunale di Todi, compilato da Lorenzo Leonii*, pag. 62-64, et ante eum Bonelli (libr. cit. col. 678 seqq.), memoratus catalogus habetur ibi in cod. sign. 185. (et etiam in cod. sign. 187.) et inscribitur: « Inventarium librorum Conventus fratrum Minorum de Tuderto, et sunt ordinati et distincti secundum ordinem alphabeti ». — Ut aetas et auctoritas huius documenti appareat, observamus, quatuor in hoc codice haberi inventaria a quatuor manibus temporibus sibi succedentibus conscripta. De primo et antiquiore subinde loquemur. Fol. 33. incipit secundum his verbis: « Istud est inventarium novum, factum ex praecepto Benedicti Papae XII. per fratrem Thomam Todinelli de Tuderto, tempore fratris Matthaei, tunc guardiani Conventus Tudertini » etc. Deinde fol. 42. r. sequitur tertium inventarium, scriptum 15. Aprilis an. 1353; quartum

Digitized by Google

denique fol. 43. v. die 7. Madii [sic] an. 1364 (apud Leonii an. 1360). Primum autem inventarium, cui alterum, quod ibi dicitur novum, tempore Benedicti XII, qui fuit Papa ab an. 1334 usque ad an. 1342, subinctum est, testante ipsa scriptura, circa finem saeculi XIII. confectum est, probabilissime eo tempore, quo cardinalis Bentivenga de Bentivengis libros suos multos et pretiosos et supellectilem argenteam Conventui Tudertino S. Fortunati legato reliquit. Ipse enim primo fuit guardianus eiusdem Conventus, deinde an. 1276 electus episcopus Tudertinus, an. 1278 promotus ad dignitatem cardinalis Ecclesiae Romanae et an. 1290 (ita probabilius, non an. 1289, ut dicunt Bonelli et Leonii) mortuus et in ecclesia S. Fortunati sepultus est. In suo testamento 14. Iunii 1286 scripto, quod in libro Leonii pag. 78 impressum est, dicit ille cardinalis (ibid. pag. 81): « Item volumus, quod omnes libri, quos emimus, praeter decretales dentur Conventui fratrum Minorum de S. Fortunato Tuderti ». Quod hac occasione, sicut aliarum rerum, ita etiam tot librorum legatorum inventarium primum confectum sit, fere pro certo habendum est. Haec suppositio eo confirmatur, quod in isto catalogo non notantur auctores, nisi qui ante an. 1290 scripserunt, ut affirmat Bonelli (Prodromus, col. 479 seqq.), qui multos ex eodem transcripsit.

In hoc igitur tantae antiquitatis et auctoritatis catalogo praeter multos alios S. Bonaventurae libros notatae sunt etiam eiusdem *Quaestiones disputatae*. Inter opera enim theologica (ibi fol. 18.) legitur sub numero 18: « Item, questiones disputate fratris Guillelmi Baglionis, fratris Bonaventure, fratris Bartholomaei, fratris Guillelmi de Mara, fratris Gualterii, in uno volumine ». Etiam in secundo inventario (n. 36.) idem liber notatur, memorato explicite nomine S. Bonaventurae; in quarto vero ista collectio quaestionum a diversis scriptarum non notatur, sed sub n. 49. idem ipse cod. (nunc sign. 60) refertur, qui adhuc conservatur et quaestiones disputatas de scientia Christi et de mysterio Ss. Trinitatis continet. Codex iste miscellaneus et infra § 4. accuratius descriptus continet Commentarium S. Bonaventurae in Lucam, cui praefixum est opusculum ab alia manu saec. XIII. scriptum, quod incipit: *Queritur de scientia Christi*. Manifeste apparet, has Quaestiones prius exstitisse in alio volumine et deinde cum praedicto Commentario connectas et compaginatas esse. Et cum aliunde constet, ipsas habere auctorem S. Bonaventuram, valde est verisimile, eas non esse diversas ab illis quae in primo inventario simul cum aliorum auctorum quaestionibus memorantur ut Bonaventurianae et in uno volumine aliis connectae. Cum autem postea in aliud volumen translatae sint, factae sunt anonymae.

Ex praedicto igitur inventario iam satis apparet, S. Bonaventuram reapse scripsisse Quaestiones disputatas. Quod confirmatur non tantum illis documentis, quae in seq. § in medium proferuntur, sed etiam testimonio Fr. Bonifacii de Ceva, qui edidit magnum opus inscriptum *Firmamenta trium Ordinum* etc. Parisiis, Jean Petit, 1512. Ibi p. I. fol. XLII r. est indiculus operum S. Bonaventurae (vide infra c. 12.), qui ultimo loco habet: « Item, plurima quodlibeta ».

§ 3. **Quaestiones a nobis editae iure S. Bonaventurae vindicantur.** — Primo, *criteria intrinseca*, quae vocantur, scilicet doctrina, methodus, loquendi formulae, stilus harum Quaestionum, ita manifeste Bonaventuram testantur auctorem, ut qui attente legerit eiusdem Commentarium in Sententias Petri Lombardi vix de hoc possit dubitare, etiam deficientibus testimoniis historicis. Certe nos, examinantes illos codices, qui has quaestiones referebant similibus aliorum auctorum quaestionibus permixtas, solo interiorum notarum discrimine facile potuimus distinguere Bonaventurianas ab alienis.

Sed minime desunt certa testimonia pro legitimo earum auctore S. Bonaventura. In hoc capitulo afferimus ea tantum, quae spectant ad Quaestiones de scientia Christi et de mysterio Ss. Trinitatis.

Primum testimonium dat cod. Vaticanus, sign. 612. saec. XIII. infra § 4. accuratius descriptus et a nobis littera A distinctus. Ut hoc testimonium ab unoquoque propriis oculis possit examinari, duarum paginarum imaginem arte photographica fideliter expressam his prolegomenis subiunximus. In prima igitur harum paginarum, col. 2. ante medium, legitur tabula dictarum quaestionum his verbis:

« Utrum scientia Christi secundum quod Verbum se extendat ad infinita ».

« Utrum Deus cognoscat ea que cognoscit per rerum similitudines, vel per essentiam » etc. — Septimo loco est:

« Utrum divinum esse sit verum indubitabile ». — Sequuntur ceterae de Trinitate, quot in codice habentur, quarum ultima est:

« Utrum possint stare trinitas et summa immutabilitas ». Deinde: « Expliciunt tractatus [sic] capitula huius tractatus ».

« Expliciunt questiones **bone venture** de scientia Christi ».

« Queritur de scientia Christi secundum quod Verbum, utrum se extendat ad infinita » etc. (cfr. edit. nostra pag. 3 seqq.).

Nihil obstat, quod in aliis nostris codicibus eaedem quaestiones sunt anonymae. Hoc ipsum saepissime invenitur in tot quaestionibus disputatis, quae adhuc in bibliothecis ineditae conservantur. Non raro defectus nominis accidit vel propter eandem rationem, quam supra, loquentes de codice Tudertino (B), indicavimus, quia scilicet opuscula, ablata ex libro, cuius primitus pars erant, compaginata sunt postea aliis; vel ob hanc causam, quia plurium auctorum quaestiones de variis rebus in unum volumen postea collectae sunt. Utraque ratio, vel prima, vel secunda, manifeste observatur in octo codicibus a nobis adhibitis.

Secundum testimonium reddit auctor synchronus, famosus ille antesignanus zelatorum regulae S. Francisci, Petrus Ioannis Olivi, qui mortuus est 14 Martii 1298, ut probavit cl. P. Franc. Ehrle S. I. in eruditissimo suo tractatu de vita et scriptis Petri Ioannis Olivi (Archiv für Litteratur- und Kirchengeschichte des Mittelalters von P. H. Denifle O. P. und Fr. Ehrle S. I., Band III, Heft 3. 4. pag. 409-552). Praedictus Petrus theologiae studium complevit in universitate Parisiensi, factus ibidem bacchalarius, magistri lauream respuens, et, vivente adhuc S. Bonaventura, commoratus est Parisiis in eodem cum illo Conventu. Versatissimus fuit in operibus S. Doctoris, quae passim ita excerpsit et non raro quasi transcripsit, ut etiam viri eruditi (inter alios etiam P. Benedictus Bonelli) in errorem inciderint, plura eiusdem opera attribuentes seraphico nostro Doctori.

Idoneus igitur hic testis in quodam suo quodlibeto expressis verbis citat S. Bonaventuram ut auctorem harum quaestionum. In codice enim bibliothecae Burghesianae (Romae), sign. 54. (alias 250.) fol. 134. v. col. 1. allegatur primo locus ex Commentario S. Bonav. in I. Sent. d. 8, deinde sequitur: « Et idem vult Bonaventura in suis *Questionibus disputatis*, questione:

Digitized by Google

utrum Deum esse, sit verum indubitabile». Ita autem inscribitur articulus primus quaestionis 4. de mysterio Ss. Trinitatis (vide infra pag. 45). Eandem citationem vidimus in antiqua et rarissima horum Quodlibetorum aliorumque opusculorum eiusdem Olivi editione, de qua diffuse agit P. Ehrle (loc. cit. pag. 467 seqq.).

Attendendum est autem, quod hoc testimonium se extendit non tantum ad omnes quaestiones de Trinitate, quae manifeste inter se sunt connexae, sed etiam ad quaestiones de scientia Christi, quae in illis citantur. Nam de Trin. q. 3. a. 4. ad 14. in fine dicitur in omnibus codicibus: «Sicut melius patuit supra in questione de scientia Christi» (q. 2. seq.). Inde etiam colligitur, has de scientia Christi quaestiones prius esse compositas quam alteras.

Pro explorato igitur habendum est, memoratas Quaestiones attribuendas esse S. Bonaventurae.

§ 4. **Recensentur codices, quos in edendis quaestionibus de scientia Christi et de mysterio Ss. Trinitatis adhibuimus.**

1. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 612. membr. in fol. saec. XIII. — A fol. 7. r. col. 2. antiquae numerationis usque ad fol. 24. v. col. 1. complectitur omnes quaestiones de *scientia Christi* et de *mysterio Trinitatis* usque ad verba *summa immutabilitas*, q. 6. a. 2. in corp. Hoc enim loco, ut in nostra ed. pag. 104, nota 4. diximus, omnes codd. deficiunt, excepto D. — Item fol. 221. v. col. 1. habetur pars Quaestionum de *perfectione evangelica*, scilicet quaestionis de obedientia a. 1. et 2. Iam supra § 3. notavimus, solum hunc codicem prima manu nominare Bonaventuram, at in imagine infra descripta legi potest. Cod. satis mendose est scriptus. — Sign. A.

2. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca sancti Fortunati, cod. 60. membr. in fol. saec. XIII. — Continet sine titulo et nomine auctoris a fol. 1. r. col. 1. usque ad fol. 27. v. col. 1. post med. quaestiones omnes de *scientia Christi* et etiam de *mysterio Trinitatis*, et q. 6. a. 2. in medio corp. deficit sicut ceteri, excepto D, sed scriptor in membrana reliquit locum vacuum ad supplendum. Iam notavimus § 2, has quaestiones posterius compaginatas esse Commentario S. Bonaventurae in Lucam. — Sign. B.

3. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 16405, olim Sorbon. 847, membr. in fol. parvo, saec. XIII. — Habet tantum tres quaestiones de *scientia Christi*, scil. 2. 3. 4, sed alio ordine. Fol. 24. r. sic incipit: *Primo quaeritur, utrum quidquid scitur certitudinaliter* etc. Inserit primo quaestionem quartam, deinde secundam, tandem tertiam, quae desinit fol. 24. v. col. 2: *Et per hoc patet solutio quaestionum.* — Non pauca argumenta omittit, vel contracte et obscure refert, ut pluries in notis observavimus. — Sign. C.

4. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. D. IV. 27. membran. in fol. saec. XIII. exeuntis, qui solus habet omnes Bonaventurae Quaestiones a nobis editas, sed locis separatis, ut subinde dicetur. — In ipso unitae sunt duae partes. Prima pars est saec. XIV. et continet Commentarium in III. librum Sentent. Alexandri ab Alexandria Ord. Min. Secunda pars antiquior incipit cum nova foliorum numeratione et istas Quaestiones exhibet hoc ordine. Fol. 1. r. col. 1. absolute incipit: *Consequenter quaeritur, utrum possit stare trinitas cum summa necessitate*, quae est q. 7. de mysterio Trinitatis. Tunc sequitur q. 8. de eodem; deinde quaestiones de obedientia, sed hoc loco tantum a. 1. et 2. — Fol. 8. incipiunt quaestiones anonymae, fortasse Alexandri ab Alexandria, de creatione rerum et de anima humana usque ad fol. 17. v. col. 1. — Fol. 19. r. col. 1: *Questio est de scientia Christi*, de qua omnes exhibentur, quibus (fol. 28.) subiciuntur quaestiones de mysterio Trinitatis. — Sed notandum, quod etiam in hoc cod. ad illum locum q. 6. a. 2, ubi alii codd. deficiunt, scriptor reliquit locum vacuum pro continuatione; quam lacuna postea expleta est continuatione litteris scripta valde minoribus. Expliciunt quaestiones de Trinitate fol. 43. r. Deinde sequitur eodem fol. v. col. 1: *Questio est de paupertate, de qua duo queruntur*, et sequitur quaestionum de perfectione evangelica q. 2. a. 1. et 2. — Subiicitur earundem quaestio 4. a. 3. his verbis: *Ultimo queritur, utrum christiana religionis sit, ut omnes obediant uni.* — Fol. 51. habetur q. 1. de perfectione evangelica, scilicet de humilitate; fol. 54. q. 3. de continentia; fol. 57. q. 2. a. 3. de labore manuum. Sequitur indiculus eo ordine, quo quaestiones disponuntur in codice. — Sign. D.

5. *Ibidem*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXIX. dext. cod. 8. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Primo habet Quaestiones disputatas S. Thomae et quoddam scriptum S. Hieronymi. Deinde in minore forma pergameni et ab alia manu scriptae sequuntur quaestiones S. Bonaventurae. Fol. 96. r. in superiore margine ab alia, sed antiqua manu praemittitur: *De scientia Dei.* Haec eadem manus praemittit etiam in sequentibus respectivos titulos. Hinc col. 1: *Queritur de scientia Christi* etc. Quaestiones de mysterio Trinitatis deficiunt fol. 121. v. col. 2. et eodem loco quaestionis 6, sicut est in aliis codd., excepto D. Fol. 122. r. col. 1. incipiunt quaestiones de perfectione evangelica his verbis: *Volentes circa evangelicam perfectionem aliqua indagare, primo exordium inquisitionis nostre sumendum est ab humilitate. Et primo queramus de ipsa tanquam de perfectionis radice; secundo de paupertate; tertio de continentia; quarto de obedientia.* — Post quaest. de humilitate sequuntur fol. 124. r. col. 2. tres articuli de continentia, sed cum inscriptione: *Postquam habitum est de paupertate, restat nunc agere de continentia.* Omissis quaestionis 4. primis articulis, sequitur eiusdem a. 3: *Utrum omnes Christiani debeant obedire uni.* Denique fol. 131. habet 2. quaestionis articulos 2. et 3. — Sign. E.

6. *Lugduni Batavorum*, bibliotheca Publica, cod. membr. in 4. ser. latin. XVIII. 491. A, saec. XIII. — Hic cod. exhibet tantum omnes quaestiones de scientia Christi et de mysterio Trinitatis q. 1. a. 1. et 2, paucis omissis. Fol. 37. r. in superiore parte manus saec. XV. notavit: *Quodlibet sancti Thome de Akino. Nota, quod composuit unum aliud Quodlibet, quod magis dicitur Quodlibet eius quam istud.* Deinde col. 1. incipit: *Volentes circa mysterium trinitatis aliquid indagare.* Desinit parum ante finem q. 1. fol. 42. v. col. 1. *reparationem humanam, quae fuit* (in nostra edit. pag. 58, col. 2. in 1. corollario). Deinde sequuntur quaestiones de scientia Christi, quae completae exhibentur usque ad fol. 58. r. col. 2. circa medium. — Sign. F.

7. *Romae*, bibliotheca principum Burghesiorum, cod. 59. membr. in fol. saec. XIII. — Continet quaestiones editas a fratribus Minoribus; sed habet tantum quaestiones de scientia Christi et de mysterio Trinitatis. Fol. 117. r. col. 1. alia manus eiusdem saec. sub fine incipit absque ullo titulo: *Queritur de scientia Christi* etc. Sequuntur quaestiones de Trinitate usque ad fol. 139. r. col. 1. post medium. — Sign. G.

8. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, cod. membr. in fol. parvo, saec. XIII. exeunt. et partim XIV.

Digitized by Google

sign. 282. — Continet duas partes posterius compaginatas. In prima sunt quaestiones super libros Sententiarum, quarum initium: *Quia negantes, theologiam esse proprie scientiam.* Tunc sequuntur quaestiones contra Iudaeos, omnes anonymae. Secunda et antiquior pars, scripta saec. XIII. sub fine, exhibet quaestiones disputatas S. Bonaventurae de scientia Christi et de mysterio Trinitatis. Sed dolendum, quod omnes quaestiones de perfectione evangelica nunc desiderantur, quamvis in tabula, quam sublicimus, indicentur et primitus in codice scriptae essent. Dictae quaestiones incipiunt fol. 26. antiquae numerationis, absque ullo titulo; desinunt eodem loco, quo ceteri codd., excepto D, ut dictum est de praecedentibus. — Fol. 86. v. et fol. 87. r. exhibetur sequens tabula indicans qq. de perfectione evangelica. [Numeri in fine positi sunt secundum *antiquam* numerationem foliorum].

Utrum christiane perfectionis sit vilificare se ipsum pro Christo, (fol.) 1.

Utrum christiane perfectionis sit abrenuntiare omnibus in communi et in speciali pro Christo, 3.

Utrum christiane perfectionis sit mendicare pro Christo, 8.

Utrum pauperes validi et maxime religiosi teneantur ad opera manualia, 12.

Utrum continentia coniugalis sit secundum evangelium, 15.

Utrum continentia viduatis sit secundum evangelium, 16.

Utrum virginalis continentia sit secundum evangelium [omnibus praeferenda], 17.

Utrum sit consonum iuri naturali, quod homo obediendo subiaceat [homini], 18.

Utrum sit consonum evangelice perfectioni, quod unus voto se obliget ad obediendum alicui, 19.

Utrum christiane religionis sit, quod omnes obediant uni... — Deinde sequuntur in catalogo aliae quaestiones anonymae et fol. 26. quaestiones de mysterio Trinitatis.

Praenotati codd. omnes sunt antiqui, omnesque, excepto C, qui non pauca omittit vel contracte exprimit, in ipsa propositionum sententia, si praescindimus a manifestis librariorum negligentiis et verborum ob homoteleuton omissionibus, satis conveniunt. Nihilominus distinguere possumus duas familias. Prima et melior constituitur codd. A B E, qui eundem textum repraesentant, licet saepe incorrecte scripti sint. Magis emendatus est E, cui in quaestionibus de scientia Christi prope accedit B, qui in sequentibus de Trinitate magis est corruptus, praesertim omissionibus verborum. Huic familiae multum favet G, licet non raro habeat lectiones prorsus singulares, quae interdum valde bonae sunt. Alteram familiam repraesentant codd. D F H, quorum minoris pretii est F, saepe corruptus. Denique C, qui tantum tres quaestiones continet et non integras, nobis vix utilitatem praebuit. — Textus noster fere semper sequitur primam familiam, quando tres ipsius codices conveniunt; quandoque tamen ob graves rationes etiam ad alteram familiam recursum habuimus, ut notae nostrae testantur.

Dolendum sane erat, quod pars articuli 2. quaestionis 6. de Trinitate et tota q. 7. et 8. (in editione a pag. 104 usque ad 115) non sint conservatae nisi in cod. D hinc inde corrupto. Etiam has ultimas quaestiones esse genuinas, certum est, cum disertis verbis auctor se referat ad praecedentes quaestiones (q. 7. a. 2. ad 8; vide pag. 109, nota 6.). — Sola quaestio 4. de scientia Christi, adiunctis aliorum opusculis, primo edita est a nobis an. 1883 in opusculo *de Humanae cognitionis ratione.*

CAP. II.

In quaestiones de perfectione evangelica.

Incipiendum nobis est a tractanda quaestione de *paupertate*, quae ordine quidem est secunda, sed quadam ratione centrum et nodus, a quo aliarum quaestionum, quae ipsi connexae sunt, legitima auctoritas dependet. Ipsam autem esse S. Bonaventurae genuinum opus, hucusque nemini dubium fuit et certissimis documentis probatur, ut infra patebit. Insuper eadem habet suum locum inter documenta historica, quae illustrant celeberrimam illam controversiam, quae saeculo XIII. agitata est inter magistros universitatis Parisiensis et novos Ordines mendicantes, fratrum scilicet Praedicatorum et Minorum. Praedicta quaestio est primum opusculum, quod hac occasione scripsit S. Bonaventura ad veritatem principiorum tuendam et dictos Ordines a calumniis vindicandos. Respectu rei tractatae haec quaestio locum habere deberet in alia huius editionis classe, scilicet illa quae est de scriptis ad Ordinem Minorum spectantibus; sed graves rationes et ipsum auctoris exemplum suaserunt, ne a ceteris de perfectione evangelica quaestionibus separaretur.

§ 1. **Quaestio disputata de paupertate est genuinum S. Bonaventurae opusculum.** — Hoc affirmant omnes etiam severiores operum seraphici Doctoris censores; hoc attestantur antiquiores indiculi horum operum, praesertim Henrici Gandavensis, et clarius verba Ubertini a Casali, Trithemii aliorumque, ut videri potest ex his indiculis infra c. 10. relatis; hoc denique invicte probant inscriptiones codicum (infra § 2. et 5.) et tot editionum.

Nam, ut ab editionibus exordium faciamus, haec quaestio sine prologo aut verbis introductoriis impressa est in editione Coloniensi an. 1486 (cfr. infra c. 11.) et deinceps eodem modo in omnibus opusculorum et omnium operum collectionibus, excepta Brixiensi anni 1495, quae non habet nisi opera ascetica. In his et in Vat. inscribitur: « de paupertate *Christi* contra Magistrum Gulielmum »; sed restrictio per vocem *Christi* non convenit argumento nec cum codd.

Harum editionum longe melior est ea, quam P. Soldati O. P. publicavit Romae 1773, qui in vol. I. opuscula S. Thomae contra Gulielmum a S. Amore et in vol. II. S. Bonaventurae opuscula scripta de eadem re edenda curavit, in adiectis notis testimonia Scripturae et aliorum auctorum diligenter indicavit ac non paucos locos Vaticanae editionis emendavit. Sed cum non adhibuerit nisi paucas editiones antiquiores et unum codicem Collegii S. Isidori, ut ipse dicit, saec. XV. vel XVI, non potuit nec alia plurima menda ad normam plurium et antiquiorum codicum corrigere nec quasdam lacunas (in art. 3.) explere.

§ 2. **Eadem quaestio a S. Bonaventura primo in schelis Parisiensibus publice disputata et deinde scripto edita est.** — Dicenda sunt nonnulla de memorata controversia, quae auctori dedit occasionem de hac re et disputandi et scribendi. In hoc sequimur documenta, quae nuper diligentissime et eruditissime collegit et notis illustravit cl. P. Henr. Denifle O. P. in magnifico quod simul cum D. Aemilio Chatelain edidit opere: *Chartularium Universitatis Parisiensis*, tom. I, Parisiis, typis fratrum Delalain, 1889. — Controversia igitur illa inter magistros Parisienses et Ordines mendicantes incepit an. 1252, paulatim crevit

Digitized by Google

in acerrimam litem, ut Sedis apostolicae regisque Galliae provisionem provocaverit. Duobus prioribus annis lis illa principaliter contra fratres Praedicatores agebatur (Chartular. pag. 258, nota 14.), cum vix nominentur Minores, quia, ut videtur, B. Ioannes a Parma, Generalis Ordinis Minorum, sollicite pro pace conservanda laboraverat. Sed deinde controversia a personis insectandis insurrexit ad principia vitae evangelicae negandae et oppugnanda. Antesignanus magistrorum, Gulielmus e S. Amore, an. 1255 edidit perniciosum libellum inscriptum: *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*, qui incipit: « Ecce, videntes clamabunt foris ». Hunc tractatum refutarunt S. Thomas et auctor quidam Ord. Minorum in opusculo incipiente: « Manus, quae contra Omnipotentem erigitur », quod hucusque communiter attribuebatur Fr. Bertrando de Baiona, sed in cit. Chartulario (pag. 415, nota 1.) refertur ex quodam codice alia sententia, quae auctorem eiusdem nominat Fr. Thomam de Eboraco, qui Oxoniae an. 1253 in theologia incepit.

Tertius est S. Bonaventura, qui in hac de qua agimus quaestione disputata primo duobus articulis, tacito nomine Gulielmi, veram doctrinam defendit et positiones adversarii evertit, quibus postea tertium de labore manuum adiunxit. P. Benedictus Bonelli (Prodrom. l. c. 4. n. 5, c. 5. n. 5.), P. Gasp. de Monte Sancto (Gesta e dottrina del seraf. Dott. S. Bonaventura, c. 6.), P. Antonius Maria de Vicetia (Vita di S. Bonav. l. c. 14.), secuti Waddingum (ad an. 1257), dicunt, S. Bonaventuram Anagniae, ubi Alexander IV. praedictum tractatum examini subiecit, contra Gulielmum disputasse, immo, ut P. Antonius Maria dicit (pag. 70), « legisse suam apologiam, quae est opusculum notum sub titulo *de Paupertate Christi* ».

Sed haec assertio nititur fragili fundamento et male convenit cum factis aliunde certo probatis. Pro fundamento illi afferunt verba Thomae Cantimpratani O. P. (de Apibus, II. c. 10. n. 23.), qui narrat, Anagniae praeter Humbertum et B. Albertum adfuisse etiam Ministrum Generalem Ordinis Minorum (qui tunc erat B. Ioannes e Parma). In *editione* libri de Apibus legitur nomen *Bonaventurae* ante *minister generalis;* unde Bonelli (Prodromus, col. 23. nota e) observat: « non quod tunc esset talis, sed quia postea fuit »; cum Parisiis commorans electus sit Generalis in Capitulo Romano 2. Febr. 1257. Sed illi lectioni praefatae editionis (res, quae toties accidit in antiquis editionibus) contradicunt antiquiores codd. melioris notae, in quibus nomen *Bonaventurae* deest; pro quo cl. P. Denifle (Chartular. pag. 333, nota 6.) expresse allegat quinque codices; addit etiam, ipsum Gulielmum non venisse Anagniam nisi post libelli sui reprobationem. — Quod B. Albertus fuerit Anagniae, attestatur etiam antiquum Chronicon cuiusdam fratris Ordinis Praed., quod desinit ad an. 1276 et conservatur in bibliotheca *S. Pauli* in Carinthia (Ord. S. Benedicti). Codex hic est sign. Cod. Hospit. 124. Post med. est illud Chronicon, ubi inter notissima alia, quae ad memoratam controversiam spectant, dicitur, a Papa Alexandro IV. concessam esse audientiam « B. Alberto Ordinis Fratrum Praedicatorum eosdem errores principaliter expugnanti ». Sed quod Bonaventuram pro certo habendum est, quaestionem, de qua loquimur, non fuisse disputatam Anagniae, sed potius in scholis Parisiensibus.

Hoc confirmatur verbis, quae ipse Bonaventura in hac quaestione scripsit post a. 2. in princ. *replicationis* (pag. 149, col. 1.): « Iis autem, quae praedicta sunt, conatus est aliquis multipliciter adversari... Hoc autem facit respondendo cuidam quaestioni *minus sufficienter post collectae in scholis*, salva gratia colligentis, sicut melius potest apparere in praenominata quaestione ».

Quae sit haec quaestio *disputata in schola* (utique non Anagniae!) et ex ore dicentis *minus sufficienter collecta*, et quae sint *responsiones* adversarii eidem adiectae (quas Bonaventura postea addita sua quaestioni *replicatione* confutavit), haec omnia patefacit et demonstrat aliud documentum.

Fausto enim contigit, ut tum ipsa quaestio in forma illa *insufficienter reportata*, tum *censurae* adversarii argumentis S. Doctoris oppositae in duobus codicibus, quos P. Fidelis e Fanna invenit, ad nostram aetatem pervenerint.

Iunior istorum codicum conservatur *Cantabrigiae* in Anglia, bibliotheca Collegii Corporis Christi, sign. cod. 103., membr. saec. XV. incuntis. — Fol. 95. r. col. 1. a prima manu scriptum est: « Questio disputata a fratre Bonaventura super mendicitate, et obiectiones magistri Guillelmi de sancto Victore [sic], qua [continentur] eiusdem fratris solutiones et solutiones magistri Guillelmi ad eiusdem fratris obiectiones. Unde ubi invenies in margine: *Mag. Guill.*, scias, hoc a magistro Gudlelmo dictum esse; cetera sunt fratris. Hanc questionem nullus habet Parisius preter unum vel duos; circa huius acquisitionem multum laboravi. Questio est de mendicitate » etc. — Sequitur ipsa quaestio cum argumentis, conclusione et solutionibus, sed quoad formam verborum non parum differt a textu, ut est in editionibus; quaedam etiam omittuntur, sicut accidit etiam in altero codice. Desinit: « Et sic patet [solutio] totius questionis et argumentorum ostendentium, quod mendicare non sit de perfectione christiane religionis. Cetera conceduntur. Hanc questionem determinavit [L. addit ita] magister Bona ventura de Ordine fratrum Minorum, *secundum quod a quodam clerico potuit reportari* ». — Cl. P. Denifle, cuius auctoritas in hac re est gravissima, pro sua humanitate et in nos amicitia nobis communicavit, pro verbis *de sancto Victore* certissime substituendum esse *de sancto Amore*. Nullum enim illa aetate fuisse magistrum a *S. Victore*.

Alter cod. est Florentiae in bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXXVI. dext. cod. 12. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 123. habetur solus a. 2. de paupertate, scilicet de *mendicitate*, et similiter in forma diversa ab edita. Nam quaestio est a *quodam clerico reportata*, ut notatur in fine, cum hic eisdem fere verbis desinat, quae ex praecedente codice transcripsimus, additis verbis: « Deo gratias. Amen ».

Quia hos duos codices non potuimus inter se conferre, ex solo Florentino satis vitioso (quem signavimus littera L) plura specimina lectionis in notis exscripsimus. Ipsas animadversiones Gulielmi, quas Bonaventura ad certa capita reductas nervose in sua replicatione (pag. 149 seqq.) confutavit, reservavimus his Prolegomenis. Non ingratum fore putamus viris rerum gestarum studiosis, hoc documentum historicum hucusque, quod scimus, nullibi impressum integrum in seq. § exhiberi.

Ex praedictis constat, qua *occasione* et quo *loco* S. Bonaventura primo viva voce de hac re disputaverit et deinde suum opusculum scripto vulgaverit. Simul inde colligere possumus, quo *tempore* hoc evenerit. Cum in hac quaestione nulla, nec directa nec indirecta, mentio fiat, quod summus Pontifex tractatum Gulielmi reprobaverit, supponendum est, eam compositam esse ante 5. Oct. 1256, quo ista condemnatio accidit. Cum porro ante 1255 Ordo Minorum non ita esset impetitus, nec libellus

Digitized by Google

Gulielmi editus; sequitur, tempus, quo quaestio composita est, ponendum esse vel circa finem anni 1255, vel anno 1256 ante autumnum. Nec est improbabile, eandem exhibitam esse tribunali ecclesiastico, a quo tractatus Gulielmi examinabatur; et hoc sensu dici posset, S. Bonaventuram Anagniae disputasse contra Gulielmum.

Ex ipsa autem forma totius quaestionis apparet, primo scriptos esse duos priores eiusdem articulos, deinde replicationem, et postremo articulum 3. de labore manuum, ut pluribus rationibus probavimus pag. 156, nota 1.

§ 3. **Referuntur animadversiones magistri Gulielmi contra S. Bonaventurae quaestionem disputatam de mendicitate.** — Ut legens facilius intelligat verba censoris, non tantum locos ab illo oppugnatos S. Bonaventurae, sed etiam paucis verbis sensum eorundem indicavimus. Etiam auctoritates in his animadversionibus citatas accuratius indicavimus et hinc inde panca verba pro faciliore intelligentia adiunximus. Cum autem in codice animadversiones saepe et corruptae et non suo loco ad marginem positae essent; non sine quadam difficultate eas apposuimus locis, contra quos arguunt.

Ad 1. arg., quod mendicare secundum verbum Domini, Matth. 10, 9: *Nolite possidere aurum* etc., spectet ad evangelicam perfectionem. « Respondeo: Primum, [ei] qui habet potestatem ministrandi spiritualia, petere non est mendicitas, ut dicit Augustinus in libro de Opere monachorum [cfr. pag. 157, arg. 9.] et in Glossa II. Tim. 2. super illud: *Laborantem agricolam* » [cfr. pag. 147 ad 19.].

Ad 2. arg., quod Dominus Marc. 6, 8. *praecepit eis, ne quid tollerent in via* etc. « Respondeo: Praecipitur eis amovere impedientia praedicationis officium, quod est praelatorum. Unde praecipitur tanquam praelatis in statu Ecclesiae primitivae existentibus; adhuc etiam tenentur praelati amovere impedimenta suae praedicationis; ex hoc etiam sequitur, quod praelati visitantes et praedicationis officium exsequentes recipere debent procurationes; quod non possunt, quando non sunt praelati. Sed hoc non est mendicitas, sed potestas, ut dictum est supra » [ad 1.].

Ad 4. arg., quod ex verbo Domini, Luc. 9, 48, *puerum* i. e., ut Glossa dicit, pauperem, suscipere debemus. « Respondeo: Quodsi mendicare in casu licito, utpote quia non potest operari, et quia subito factus est pauper, maxime sine culpa sua, et nescit, aut non potest operari, nec potest aliunde habere victum suum sine peccato, sicut dicit Ambrosius in libro de Officiis [cfr. tt. c. 15. n. 69.]; tunc debet suscipi propter Christum, si petat in nomine Christi, alioquin debet repelli et corrigi, ut dicit Glossa super illud Matth. 5. [42.]: *Qui petit a te, da ei*, Glossa: « Si non quod petit, sed melius, cum iniuste petentem correxeris ».

Ad 6. arg., petitum ex Luc. 16, 9: *Facite vobis amicos de mammona* etc., scil. pauperes spiritu; responsio Gulielmi connecti videtur cum praecedente: « Et iterum est, si non potest operari et aliunde emere sine peccato, sed dum sic victum potest habere, non est pauper spiritu, si vult paupertatem esse lucrosam; et si est religiosus, exponit sanctitatem venalem. Et haec duo dicit Augustinus in libro de Opere monachorum [cfr. pag. 140 et 164]. Unde non est perfectus vir, sed peccator ».

Ad 8. arg., quod secundum Glossam super II. Cor. 8, 14. *vestra abundantia* terrenorum *supplent illorum*, qui divinis vacant, *inopiam*. « Respondeo: Poterit vacari divinis et nihilominus operari propter victum, et si non sufficit eorum opus ad victum, et non possunt aliunde victum habere; tunc dandum est eis pro Christo. Et hoc dicit Glossa super illud II. Thess. 3. [13.]: *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes;* Glossa: Pauperibus; quoniam, etsi operentur, possunt tamen nonnullis indigere ».

Ad 9. arg. petitum ex exemplo Christi, de quo intelligitur secundum Glossam illud Ps. 39, 18: *Ego autem mendicus sum et pauper*. « Respondeo: Christus dicitur mendicus, non quia mendicaret victum; hoc enim non legitur; sed propter humanas miserias assumtas indigebat auxilio Dei et petebat auxilium Dei, non tantum pro se, quantum pro membris suis. Unde aequivocatur hoc nomen *mendicus* ».

Ad 12. arg., ex Glossa super Luc. 19, 5: *Zachaee, festinans descende* etc.: « Non invitatus invitat ». « Respondeo per hoc quod sequitur: Quia, etiamsi nondum audierat vocem invitantis, audierat affectum [sunt verba Glossae ex Ambrosio]. Unde praevenit eum se ipsum invitando apud eum ex causa dilectionis ».

Ad 14. arg., in quo Glossa super Marc. 14, 14. dicit: « Si quis eum hospitio susciperet; tantae enim paupertatis fuit, ut in tanta urbe nullum hospitium inveniret »; respondetur: « Supple quod deest, scilicet: et ita nulli adulatus [in nostra ed. haec verba non desunt; legitur enim: tantae enim paupertatis fuit *et ita nulli adulatus*, ut in tanta etc.]. Quoniam igitur de facili invenerunt (?), videtur, quod sint adulatores ». — Huic instantiae Gulielmus alterum responsionem adiungit: « Respondeo: Christus, qui erat missus ad oves quae perierant domus Israel, potuisset petere, sed tamen noluit, ut aliis formam daret non petendi ».

Ad 13. et 14. argg., ubi ex verbis Domini, Ioan. 4, 7: *Da mihi bibere*, probatur, quod licita sit mendicitio, datur responsio: « Ridiculosum est dicere, quod petere aquam ad puteum et ad fontem sit mendicare, cum sit communis usus aquarum; et tamen secundum Glossam exigebat aquam spiritualem, id est fidem ». [Lyranus in hunc locum duas Glossas exhibet, quarum primo hic allegatur: « Iesus... petit a primitiva Ecclesia... potum fidei, qua in eum credatur, petit a natura potum rationis, qua Conditor et Redemptor investigetur ». Secunda, quam etiam S. Bonav. explicat, idem aliis verbis dicere videtur: « Licet Iesus post fatigationem sidere posset, tamen hunc potum non exigit, sed ut cor Ecclesiae gentium pro laboris eius cognitione potus ei efficiatur, desiderat »].

Ad 15. arg., quo arguebatur, quod Christus, tanquam pauper a Pharisaeis invitatus, comedebat cum eis, Gulielmus respondet: « Cum Christus petere potuisset tanquam potestatem habens, sed tamen non petebat, ut daret nobis formam; sed invitatus recipiebat, quod nullatenus est *mendicare* ».

Ad 16. arg., in quo pro exemplo Sanctorum adducitur Hebr. 11, 37: *Circumierunt in melotis* etc., responsio est: « Nulla [mulier] est magis egens, quam quae manducat filium, scilicet prae nimia egestate: ergo manducare filium est opus perfectionis ».

Ad 17. arg., quod proponit Eliam pastum a vidua Sareptana, respondetur: « Ridiculosa argumentatio; sciebat enim Elias, quod ex praecepto Domini mulier volebat et debebat pascere illum: ergo non mendicavit, sed debitum exegit ex praecepto Domini ».

Ad 18. arg., de exemplo discipulorum Ioannis Evangelistae, qui omnia dederunt egenis etc., datur haec responsio: « Fallacia consequentis, instantia sicut prius; et sicut cum *futuri se-*

Digitized by Google

quitur ad egestatem, sic *mendicare:* ergo *furari* est opus perfectionis ».

Ad 19. arg., de exemplo discipulorum Pauli, respondetur: » *Mendicare,* secundum [quod] sequi posset ex egestate, sicut *furari,* non tamen est opus bonum, sicut et *furari;* potest enim aliunde emere sine peccato «.

Ad 20. arg., de exemplo B. Benedicti. « Regula: Non quidquid facit perfectus, est perfectionis; nam comedit et egerit, et tamen haec non sunt opera perfectionis, sic nec mendicare ».

Ad 21. arg., de exemplo B. Alexii. « Probatur idem; exemplum unius non inducit in commune, quia forsan privato Dei consilio ducebatur, cum mendicare communiter sit contra doctrinam Apostoli ».

Ad 22. arg., in quo exemplum novi Sancti, scil. B. Dominici, affertur. » Respondeo: Non est credendum, quod Dominus [Papa?] pauperes mendicare praeciperet, cum hoc sit contra doctrinam Apostoli, « sed potius errare convinceretur, quod absit «, Causa XXV. q. 1. *Sunt quidam dicentes* [6, in quo dicitur: Si enim quod docuerunt Apostoli et Prophetae destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur]. — Quod aliter dicit, beatum Franciscum [vel Dominicum] hoc praecepisse, non valet ad propositum; nam, sicut dicit S. Cyprianus [in Serm. 5. de Lapsis], « mandant martyres aliqua fieri; sed si in lege scripta non sunt ea quae mandant, prius necesse est, ut ea se probent a Domino impetrasse, quae postulant sive mandant ».

Ad 23. arg., de B. Francisco, qui mendicationem etiam miraculis confirmavit. » Respondeo: Proba; sed esto, quod sit verum, dico, quod miracula non probant, hominem sanctum esse, quia multi mali miracula fecerunt, Causa I. q. 1. *Teneamus* [56, ubi legitur: Teneamus, fratres mei, unitatem. Praeter unitatem et qui facit miracula nihil est. In unitate enim erat populus Israel et non faciebat miracula; praeter unitatem erant magi Pharaonis et faciebant similia Moysi etc.]. Matth. 24. [24.]: *Surgent pseudoprophetae et dabunt signa et prodigia multa.* — Item de pane mendicato potest fieri miraculum, nec tamen sequitur, quod mendicitas sit bona; sicut de pane furato, nec tamen sequitur, quod furtum esset bonum [cfr. supra ad 18. arg.]. — Vel potest dici, quod Franciscus in aliquo casu licito mendicavit; unde non est trahendum ad consequentiam [de hac regula iuris cfr. pag. 150, nota 5.], maxime cum sciamus, fratres eius ab initio vixisse de labore manuum suarum ».

Ad 25. arg., quod secundum Hieronymum melius est de eleemosynis vivere quam eleemosynas dare. « Respondeo: *Fallacia consequentis* et *accidentis:* Egere est bonum: ergo mendicare est bonum, quod sequitur ad egere; si enim necessario sequitur, contingeret ex hoc » [cfr. supra ad 19. arg.].

Ad 27. arg., in quo affertur, quod mendicare non prohibetur lege naturae nec lege Scripturae nec lege gratiae. « Respondeo *per interemptionem:* quia prohibitum est ab Apostolo I. Thess. 4, [11.]: *Operamini manibus, sicut praecepi vobis, ut nullius aliquid desideretis;* Glossa: « Nolum rogetis » [cfr. pag. 134, arg. 7.]. Item prohibitum est [lege] de mendicantibus validis [cfr. pag. 135, arg. 13.]; et ita » etc.

Ad 28. arg., quod Ecclesia imponit poenitentiam mendicationis. « Respondeo: Falsum est; nam Ecclesia hoc praecipiendo erraret » [cfr. supra ad 22. arg.].

Ad 29. arg., secundum quod mendicare pro Christo est perfectionis, quia includit contemptum sui ipsius; respondendum: « Item falsum est; mendicare enim est cura sui, non contemptus, et appellat Augustinus mendicare sui curiosam egestatem, de Opere monachorum [videntur respici verba c. 28. n. 36, quibus monachos otiosos et vagos describit: Omnes petunt, omnes exigunt aut *sumtus lucrosae egestatis,* aut simultane pretium sanctitatis; cfr. pag. 140]. Item non quaelibet vilificatio sui est bona, sed potest esse peccatum, sicut apparet in muliere meretrici, quae *tanquam stercus in via* ab omnibus *conculcatur* » [Eccli. 9, 10.].

Ad arg. 30. [Hoc in Alexandri Hal. Summa (q. 31. in ult. arg. pro conclusione) rectius legitur, quam edd. et codd. nobis exhibuerunt, scilicet sic: Praeterea plus placet Deo paupertas voluntaria quam involuntaria: ergo et mendicatio ex illa paupertate procedens magis est Deo placita; sed *secundo* [ed. *prima*] potest esse Deo laudabilis et licita: ergo multo magis et *prima*]. « Respondeo: Immo credendum est, quod voluntaria; aliter enim non esset meritoria eius [Lazari, quem Gutiel. supra nominavit] paupertas; sed mendicitas eius erat coacta, quia *ulceribus plenus,* unde licebat ei mendicare ».

Ad 31. arg., quod sicut servus sustentatur a domino temporali eiusque ministris, sic etiam servus Dei sustineri debet a Deo et fidelibus. » Respondeo: Falsum est; quia *petere* praelatis a subdito, cui ministrant spiritualiter, non est mendicitas, sed potestas, ut dicit quaedam Glossa et Augustinus de Opere monachorum [cfr. supra ad 1. et 2.]; sed petere a non suo subdito, cui non licet ministrare spiritualia, est *mendicitas,* et qui hoc facit ministrando spiritualia pseudo est ».

Ad 34. arg., secundum quod illi qui deserviunt populo christiano spiritualibus insistendo, sustentationem petere possunt ab ipso, respondetur: « Secundum hanc ridiculosam rationem possunt omnes de mundo mendicare, cum omnes possint orare; sed secundum Augustinum intermittendo sunt spiritualia pro vitae necessariis acquirendis, ut dicit in libro de Opere monachorum [c. 17. n. 20. seq.]. illos enim, qui possunt operari, pascit Deus ut *homines,* adiciendo illis necessaria, quae promisit per laborem eorum qui eis dedit, ut laborare possint; illos autem, qui laborare non possunt, pascit ut *aves,* ut dicitur in eodem libro » [c. 27. n. 35].

Ad 35. arg., quod si licet ecclesiasticis recipere maius, v. g. possessiones et multos reditus, multo fortius licet viris propter Christum pauperibus recipere victualia. » Respondeo: Deberet concludere de *petendo,* et concludit de *recipiendo;* recipere enim eleemosynam, si offeratur Ecclesiae, non est peccatum, cum res ecclesiasticae sint pauperum, Causa XVI. q. 1. *Quoniam quidquid* [68, in quo dicitur: Quoniam quidquid habent clerici, pauperum est etc.]; sed [si qui] sub praetextu paupertatis petunt indebitum, est mendicitas, quae ab Apostolo prohibetur II. Thess. 3. [10.]: *Si quis non vult operari, non manducet;* Glossa: » Vult Apostolus, servos Christi corporaliter laborare, [ut habeant] unde vivant, ne compellantur egestate necessaria petere » [cfr. pag. 135, arg. 9.].

Ad 32. arg., quod qui dat maiora i. e. spiritualia, potest recipere minora i. e. temporalia. « Respondeo: Verum est de illo qui habet potestatem ministrandi spiritualia, sed de aliis non est verum, immo, si ministrarent, pseudo essent » [cfr. supra ad 31.].

Ad 33. arg., quod sicut praedicans ex auctoritate potest recipere sumtus *potestative,* sic praedicans ex subauctoritate

Digitized by Google

sive demandatione potest petere *supplicative*. « Respondeo: Ista verba: qui habet subauctoritatem praedicandi potest sumere sumtus supplicative, non sunt verba Scripturae, sed inventa *ad excusandum excusationes in peccatis* [Ps. 140, 4.]. Nam habere subauctoritatem aut est habere potestatem, aut non; si non: ergo sumere sumtus non debet secundum Apostolum et Augustinum [cfr. supra ad 4.]. Si subauctoritas dicit potestatem, aut dicit potestatem propriam, aut alienam; si dicit potestatem propriam, sic sumere sumtus potest tanquam plebanus; si dicit potestatem alienam, tunc sumtus potest petere non a plebe, sed a mittente; Extra. de Officio iudicis ordinarii [lib. I. tit. 31.], *Inter cetera* [15, ubi episcopis, qui per se non possunt, praecipitur, ut assumant idoneos, qui suppleant loco suo quoad praedicationes, visitationes et confessionum auditiones, « quibus ipsi, cum indiguerint, congrue necessaria subministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto »].

In *responsione* ad quaestionem propositam S. Bonav. triplicem modum mendicationis distinguit et pro secundo modo [qui est *ex otio fovendo* etc.] reprobando addicit verba Augustini de Opere monachorum [cfr. pag. 140, col. I.]. Contra hoc insurgit Gulielmus dicens: « Quod dicit Augustinus, loquens contra illos qui mendicant pro otio fovendo, vel lucro captando, dicit [S. Bonav.], quod principaliter loquitur contra illos qui forte tales erant; quod tamen non habetur ex capitulo [isto]; nihilominus tamen loquitur contra omnes mendicare volentes, cum possint captando [operando?] quaerere victum, vel aliunde sine peccato habere, sed [licet?] sint sicut intenti operibus spiritualibus. Unde dicit, quod sicut intermittenda sunt opera spiritualia [sequantur quaedam verba non legibilia]... ita omittenda sunt ad tempus, ut victum operando quaeramus [cfr. supra ad 34. arg.]. Et rationem subiungit, videlicet ne quis Christianus mendicare compulsus vendat paupertatem christianae perfectionis [cfr. supra ad arg. 6.], videlicet ut fiat adulator, vel detractor et cadat in aliud peccatum et videatur suam simulatam vendere sanctitatem ».

Quoad tertium mendicandi modum [cfr. pag. 140, col. II.], qui secundum S. Bonav. triplex est, Gulielmus exhibet tantum primum [mendicare pro *Christo imitando*] et secundum [pro *Christo evangelizando*]. Ad commendationem primi membri haec datur responsio: « Hic respondeo, quod fieri pauper pro Christo opus est perfectionis, sed pauperem mendicare, cum posset operando victum acquirere et aliunde sine peccato emere, non est opus perfectionis, sed opus peccati, quia contra doctrinam Apostoli [cfr. supra ad argg. 27. et 35.]; nec Christus unquam mendicavit, nec hoc legitur in Scriptura; sed bene sequitur, quod pauper fuit, sed non mendicans victum corporaliter, licet *mendicus* dicatur aliquo modo, ut dictum est supra » [ad arg. 9.]. — Ad finem huius membri, ubi de contemptu divitiarum, respondetur: « Hic dico, quod contemnere divitias est contemnere mundum; sed mendicare non est contemnere, sicut nec manducare, immo est curam habere sui » [cfr. supra ad arg. 29.]. His verbis responderi videtur etiam ad primam rationem [ratione eius *quod praedicatur*, quia praedicamus mundi contemptum] secundi membri, scil. pro *Christo evangelizando;* ad cuius secundam rationem: « *A pluribus etiam praedicatur* », haec subiungitur responsio: « Hic dico, quod praedicare non debent nisi missi, et si permissi praedicant, debet eis a mittentibus provideri; Extra. de Officio iudicis ordinarii, *Inter cetera* » [cfr. supra ad arg. 33.]. — Probationem huius rationis, quae in nostra ed. paucis verbis exhibetur [si praedicantes vivunt de Evangelio etc.], Gulielmus prolixius proponit ipsamque concludit his verbis: « Et ideo isti Ordines duo, scilicet Praedicatorum et Minorum, missi fuerunt eleemosynas petentes, quia pro eleemosynis petendis nomine Christi ibant multi, qui non lvissent, praebendis minoribus vel etiam forte maioribus habitis, immo citius in suis partibus morarentur ». Ad hoc invenitur haec responsio: « Hic dico, quod qui recipit praebendam nomine praebendae mercedem praebendae recipit; sed tamen istam praebendam [recipiens?], si non habet potestatem, a Deo potest damnari et damnatur ».

Ad conclusionem, scilicet quod mendicare pro Christo imitando etc. non solum sit bonum, sed etiam perfectionis evangelicae, datur responsio: « Haec conclusio supponit falsum, dicendo Christum imitandum mendicando; quia Christus sic non mendicavit; vel si etiam Christus mendicasset, non esset tradendum ad consequentiam, cum hoc prohibeat Apostolus, in quo loquebatur Christus ».

Subinde auctor infringere studet solutiones obiectionum a S. Bonav. datas. In solutione tertiae obiectionis illa distinctio mendicitatis [in *voluntariam* et *coactam*] Gulielmo non placet; ait enim: « Contra; licet paupertas debeat esse voluntaria, quia aliter non esset meritoria, tamen mendicitas non debet esse voluntaria; quia, si mendicet quis, nisi egestate compulsus, peccat fraudando pauperes, quibus eleemosynae debentur. Unde Augustinus, de Verbis Domini, Causa XIV. q. 5. *Immolans* [2.]: « Panis egentium vita est pauperis. Qui defraudat eum homo est sanguinis ». Et: « Qui de bonis suis sustentari possunt, si quod est pauperum accipiunt, sacrilegium profecto incurrunt et per abusionem at aliud [textus originalis pro *et aliud* substituit *talium*] iudicium sibi manducant et bibunt ». Causa XVI. q. 1. *Quoniam quidquid* [68.].

Ad solutionem 5. obiectionis de Act. 20, 35: *Beatius est magis dare quam accipere* etc., haec a Gulielmo adiiciuntur: « Istud non facit ad propositum; quia bene concedimus, quod melius est omnia pro Christo relinquere quam aliquid retinere; sed ex hoc non sequitur, quod oportet mendicare; sed debet operando victum quaerere, ut dicit Glossa praeallegata [cfr. pag. 134, arg. 6.]. Luc. 12: « Ut, omnibus semel pro Christo spretis, postea operemini manibus vestris, unde vivatis ». Vel debet inter communem vitam degentes de bonis ecclesiae sustentari ». Subinde additur: « Hic dico, quod non sunt spiritualia omnino dimittenda, sed secundum Augustinum propter quaerendum victum sunt spiritualia interponenda ».

Ad solutionem 9. obiectionis de Glossa in II. Thess. 3, 10, in qua S. Bonav. urget haec verba: « ut non compellanter egestate necessaria petere », utpote quae non verificentur de mendicatione *voluntaria*, respondetur: « Ridiculosa solutio et contra dictum [Glossae]; quia, si petunt non compulsi egestate, peccant, ut dictum est supra [ad arg. 35. et in principio respons. corp. quaest.]. Ad primam partem huius solutionis, in qua S. Bonav. proponit, quod per verba Glossae: « Vult Apostolus, servos Dei corporaliter operari » etc., non praeceptum, sed admonitio inculcetur, ille respondet: « Hic falsum dicit, immo praecipit hoc Apostolus I. Thess. 4, 11: *Operamini manibus vestris, sicut praecepimus vobis;* sed certe non potest non mentiri qui vult sustinere falsum contra sacram Scripturam ». — S. Bonav. proposuerat tertium membrum, scil. quod si verba Glossae continerent praeceptum, hoc se non extenderet ad illos qui ma-

Digitized by Google

iora, utpote spiritualia, agere possunt; pro qua affertur Glossa Ambrosii [cfr. pag. 144, col. 2.]. Guilelmus respondet: « Sic loquitur Ambrosius de illis qui a Domino sunt missi ».

Ad solutionem 10. obiectionis, in qua tenetur, quod secundum Glossam qui *oto est deditus* ad alienam mensam accedens necesse habeat adulari, respondetur: « Hic dico, quod quantumcumque pro Christo spreverint bona sua, nihilominus tamen homo sic peccare potest et adversari [adulari?], vel detrahere, quando compellit egestas ». Verba Chrysostomi pro confirmatione adducta ipsi nihil probant; nam « hic dico, quod loquitur Chrysostomus de divitibus et de pauperibus sibi sufficientibus, de quibus Apostolus II. Cor. 9. [8.]: *Ut in omnibus super omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Glossa [*interlinearis* apud Lyranum]: « Qui solam sufficientiam eligit poterit in omne opus bonum abundare » [Lyranus: in Dei opere ambulare vel abundare].

Ad solutionem 8. obiectionis, secundum quam pauper evangelicus, qui mendicat ex supererogatione iustitiae, non respicitur in verbo Glossae I. Thess. 5, 12: « Egestas, dum saturari cupit, a iustitia declinat », talter respondetur: « Hic dico, quod qui elegerunt egere pro Christo, nihilominus tamen, quando esuriunt, satiari quaerunt; adhuc enim animales sunt, id est alimonia egentes ».

Ad solutionem 7. obiectionis de Glossa I. Thess. 4, 12, quod scilicet nullus est aliquid desiderandum nec petendum, respectu cujus adhibetur distinctio inter petitionem propter desiderium *alienae rei* et propter desiderium *alienae salutis* sive propter salvationem animarum, a Guilelmo sic respondetur: « Hic vide, qualiter dicit apertissime contra Glossam; dicit enim, quod Glossa prohibet petere ex cupiditate; constat, quod hoc [*petere* ex cupiditate] est peius quam primum [*desiderare*; cfr. pag. 134, arg. 7.]. Sed tamen non hic prohibetur petere ex cupiditate, sed prohibetur petere ex egestatis necessitate. — Sed quod dicit: mendicare licet propter salvationem animarum, nihil est; quia mendicare non salvat mendicantem, immo potius damnat, cum sit prohibitum, nisi in casu, nec salvat eos quibus praedicat homo mendicans, licet eius praedicatio per occasionem salvare possit; sed in hac argumentatione: praedicator mendicans salvat: ergo mendicitas salvat; est fallacia accidentis ».

Ad solutionem 6. obiectionis de Glossa super Luc. 12, 33: *Vendite quae possidetis etc.*, « ut, omnibus pro Deo semel spretis, postea labore manuum operemini unde vivatis, vel eleemosynam faciatis », respectu cuius S. Bonav. hanc distinctionem induxit, quod *primum*, scil. vendite quae possidetis, est consilium; *secundum*, scil. operari et eleemosynam facere, est de *bene esse* consilii, haec datur responsio: « Vide mirabilem distinctionem et sophisticam, et ideo odibilem, videlicet quod pars Glossae est de integritate consilii, pars vero est supererogationis, cum omne consilium sit supererogationis; et tota Glossa unus est textus, et pendet etiam constructio et sententia illius usque in finem. Et quod dicit [S. Bonav. hoc adducens pro confirmatione suae sententiae], quod alii Apostoli a Paulo non sint operati manibus, falsum est, sicut sequitur Ioan. 21. [4. seqq.], quod ad piscationem piscium redierunt, « cum unde viverent non haberent », ut dicit Glossa ibidem. Et tamen poterant non operari et vivere de Evangelio, cum ad hoc missi essent, ut probat Apostolus I. Cor. 9. [3. seqq.] ». — Duplex Glossa huic solutioni a cod. L. subiungitur, quae in nostra ed. alibi ponitur; prima habetur pag. 125, arg. 5. super Luc. 12, 24: *Respicite corvos* etc.: « Sancti merito avibus comparantur, qui nihil in manda agentes nec laborantes » etc.; altera invenitur pag. 136, arg. 5. super Luc. 10, 4: *Nolite portare sacculum* etc.: « Tanta debet praedicatori esse fiducia in Deo, ut praesentis vitae summa, etsi non praevideat, sibi tamen non defecturos certissime sciat » etc. Ad primam datur haec responsio: « Hic dico, quod loquitur de Sanctis communem vitam degentibus, qui, etsi non operantur corporaliter, tamen vivunt de bonis Ecclesiae communibus, ut Act. 4. [32. seqq.], Causa XII. q. 1. *Videntes* [16.]; et bona [similiter?] de illis qui laborare non possunt, quia tales pascit Dominus, ut dicit Augustinus de Opere monachorum [cfr. supra ad arg. 34.]. — Ad secundam respondetur: « Hic dico, quod loquitur de praedicatoribus missis a Deo, quibus licet vivere de Evangelio, et hoc expresse dicit Glossa ».

Ad solutionem 11. obiectionis de decreto Urbani [quod episcopi omnibus communi vita vivere volentibus ministrare cuncta necessaria debent etc.], quod ob triplicem defectum non fiens contra mendicantes allegatur, tum quia datur episcopis abundantibus ad sustentationem pauperum clericorum, eorum potissime, qui *non egent voluntarie*, sed compulsi; tum quia inducitur ad probandum, quod clerici non debent habere proprium: ergo non contra mendicantes, sed pro ipsis est; tum quia, sicut habere proprietatem in communi approbatum est auctoritate Urbani, sic modus vivendi in altissima paupertate approbatus est auctoritate Innocentii, Honorii et Gregorii: ergo decretum Urbani praeiudicare non potest decreto Innocentii etc.; respondet ille primum defectum negando: « Vide, quomodo dicit contrarium veritati! immo [decretum] loquitur de illis qui, omnibus relictis, vitam communem degere elegerunt, scilicet in collegiis ». — Respectu tertii defectus proponitur haec responsio: « Vide, quod non attendit verba decreti; Urbanus enim ex proprio motu nihil ibi statuit, sed recitat non bene contentum Act. 4. [32. et 34.]: *Erant illis omnia communia, et nullus erat egens inter eos*; illud statutum Apostolorum declarat [Urbanus]; unde non est statutum Urbani, sed Apostolorum, contra quod statutum nec Papa scienter faceret, ne errare convinceretur, Causa XXV. q. 1. *Sunt quidam dicentes* » [6; cfr. supra ad arg. 22.]. — Solutioni huius obiectionis in cod. L. subiunguntur quae in nostra ed. habentur sub solutione 20. obiectionis, scilicet quod, quia paupertas est fundamentum et quasi complementum evangelicae perfectionis, ideo vigeat in Ecclesiae primordio, et congruum est, ut vigeat circa Ecclesiae statum finalem; pro qua sententia allegantur verba Hieronymi. Respondet Guilelmus: « Vide periculosum verbum, et suspicione non carere, quod dicit, Ecclesiam redituram in quibusdam Ordinibus ad pristinam paupertatem; hoc enim sapit sententiam Ioachim, qui ponit imperium Petri et Ecclesiae Romanae Imperium babylonicum, eo quod dilata est Ecclesia et Imperium Romanum habere meruit. Nec credendum est, quod decretum Urbani, immo Apostolorum, fuerit temporale, cum in fine dicat: « Si quis extiterit modernis aut futuris temporibus, qui haec avellere tentaverit, tam dicta damnatione feriatur ».

Ad solutionem 13. obiectionis, secundum quam lex civilis inhibens mendicationem facta est contra quosdam, qui tempore famis pauperum eleemosynas usurpabant etc.; ille respondit his verbis: « Vide, qualiter imponit rabiem legi [dicendo, quod] facta fuit tempore famis, cum de hoc lex non faciat

Digitized by Google

mentionem, nec apparatus [i. e. notae et commentarium] eius. Sed esto, quod ita; cum scilicet famis tempore impediente facta fuerit, nihilominus tamen lex perpetua est et generalis et continet ius commune, quia cessante causa impulsiva conflationis, non tamen cessat conflatio, sicut apparet de Calphurnia, quae dedit causam edicto, de Macedone improbo, non tamen cessat lex de postulando, facta propter eius improbitatem, scil. de postulaod. L. 1. ff. § secundo ».

Ad solutionem 14. obiectionis, scil. quod licet mendicare in se non sit perfectionis sive indifferens, praesupposita tamen universali abrenuntiatione propter Christum, opus est perfectionis, respondetur: « Hic dico, quod mendicare non est opus indifferens, immo opus prohibitum, nisi in casu; unde propter circumstantiam non fit bonum vel meritorium, sed propter circumstantiam excusari potest ».

Ad solutionem 15. obiectionis, secundum quam obligatio veniens ex reatu culpae est refugienda, sed veniens ex affectu caritatis perfectae est acceptanda, et hac obligatur mendicans sive eleemosynam recipiens, scil. ad orandum pro benefactore etc.; haec proponitur responsio: « Vide, quid dicit, scilicet quod qui recipit eleemosynas obligatur ex caritate. Sed si non habet caritatem, numquam obligatur? Constat, quod sic: ergo periculosum est recipere; cum non semper possit solvere, nec est necesse, quod omnes, qui relinquunt omnia pro Christo, semper sint in caritate ».

Ad solutionem 16. obiectionis, qua dicitur, quod qui mendicant ex professione, hoc non faciunt, quia pauperes etc., sed quia pauperes Christi imitatores et evangelizatores; Gulielmus instat: « Sed contra: si non possunt mendicare, quia pauperes, nec quia praedicatores: ergo nec quia pauperes praedicatores ».

Ad solutionem 17. obiectionis, in qua mendicantes praedicatores, quia sustentationem tantum quaerunt sicut viam ordinatam ad Evangelium praedicandum, defendunturn a peccato simoniae, haec datur responsio: » Sed contra stat, quod Eliseus non gerebat in animo, quando sanavit Naaman, quod aliquid ab eo acciperet; sed pone, quod postea mandaverit peti ab eo, vel ratam habuerit petitionem pueri sui, nonne simoniam committeret? Constat, quod sic, sicut Giezi, qui ex postfacto petiit a Naaman, eo quod vidit, exenium [i. e. munus seu oblationem] Domino suo praesentari. Ergo et iste qui post praedicationem permittit, suos petere ab illis quibus praedicavit, si prohibere possit, videtur committere simoniam. Praeterea, etsi iste qui praedicavit, non committit simoniam, quia non petit nec mandat peti, nec placet ei quod petatur; tamen puer suus et socius suus, qui petit, videtur committere simoniam ».

Ad solutionem 18. obiectionis, in qua dicitur, quod praedicatores perfecti, etiamsi petant temporalia, se abstinent a specie mali; respondetur: » Contra: mendicare est simpliciter malum, nisi aliquatenus excusetur, quia est contra doctrinam Apostoli; sed quod est simpliciter peccatum fieri non potest bonum propter Christum, quia ipse peccatis nostris non eget [cfr. tom. IV. pag. 539, nota 7. verba Gregorii]: ergo mendicare non potest esse opus perfectionis » [cfr. supra ad solut. 14. obiect.].

Ad solutionem 19. obiectionis, quod praedicatores mendicantes possunt petere ex subauctoritate, et quod maioris humilitatis est, si petunt ex gratia; dicitur: » Contra hoc dictum est supra [ad arg. 33.], scilicet quod subauctoritas aut dat potestatem sumendi, aut non. Si dat potestatem; ergo non mendicat, quia potestas non est mendicitas, ut dicit Glossa II. Tim. 2. [6; hanc Glossam allegat etiam S. Bonav. in hac solut.]; si vero non dat potestatem: ergo non potest potestatem sumere, quin mendicet, quod est contra Apostolum et Augustinum ». — His Gulielmus innitens contra alteram rationem, scil. quod maioris humilitatis sit, si petunt ex gratia, haec dicit: « Hoc est contra Glossam praedictam, quia potestatem habens non potest mendicare id quod ex potestate sibi debetur ».

Ultima (20.) obiectio et solutio ipsius in cod. L alio modo quam in nostra ed. [cfr. supra ad solut. 11. obiect.] exhibetur. Obiectio talis est: « Item, persona praedicatoris debet esse discreta et nobilis sive honorabilis, non vilis; sed nulla vilior persona quam persona mendicantis: ergo persona mendicantis ut praedicatoris non debet esse mendicans; et sic mendicare praedicantibus non est opus perfectionis christianae ». — Solutio haec est: » Ad ultimum, quod persona praedicatoris etc., dicendum, quod si aliquis se vilificat pro Christo, non tamen vilis est persona, immo honorabilis; quia vilificare se pro Christo est de perfectione christianae religionis, cuius exemplum in David invenitur II. Reg. 6. [22.]: *Ita ludam, inquit, et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis* » etc. — Ad hanc solutionem sequens datur responsio: » Bene concedo, quod se vilificare pro Christo ex humilitate bonum est, dum tamen ista vilitas non sit contra voluntatem Christi in Apostolo loquentis II. Cor. 13. [3.]: *An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur, Christus?* et ideo talis vilificatio non est bona, sed potius est peccatum ».

Hucusque adversarius. Omnia eius argumenta Bonaventura reducit ad quinque classes et in sua replicatione convellit.

§ 4. Articuli duo, scilicet de abrenuntiatione et de mendicitate, fere integri recepti sunt in Summam Alexandri Halensis p. IV. q. 30. et 31. — Ignoramus, utrum hoc quod hic asserimus, iam ante nos ab aliquo observatum sit. Unde primo ipsum *factum* confirmandum est.

In parte IV. praefatae Summae et q. 30, quae inscribitur *de distributione eleemosynae*, tractatur diffuse et per fere 13 paginas in folio (edit. Veneta 1575) nostrae quaestionis articulus 1. de abrenuntiatione. Membr. 1. inscribitur: « Utrum liceat omnia distribuere sive relinquere pro Deo »; m. 2: « Utrum omnia relinquere pro Deo et nudum sequi Christum sit actus perfectionis »; de quo in 1. art. quaeritur « generaliter, utrum relinquere omnia sit evangelicae perfectionis », et in 2. art. in speciali: » Utrum sic relinquere omnia, ut nihil retineatur, nec in communi nec in proprio, sit evangelicae perfectionis ».

Comparantes unicum de *abrenuntiatione* articulum S. Bonaventurae cum praedictis tribus, videmus, *conclusionem* eiusdem (in ed. nostra pag. 129 seq.) ad verbum in Summa (m. 2. a. 2.) exscriptam esse, exceptis paucis lectionibus variantibus, saepe bonis, ita ut editionem Summae simul cum nostris codicibus ad corrigendum textum quaestionis adhibere potuerimus (cfr. eadem pagina nota 1.). In m. 1. et membri 2. a. 1. Summae non est nisi brevissima *conclusio*, cum robur doctrinae reservetur ad conclusionem praedictam. — Ipsa autem Bonaventurae *argumenta* ad utramque partem sunt distributa ad tres partes 30. quaestionis, additis non paucis aliis. Ita *fundamenta* Bonaventurae 1. 3. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 15. 16, et 1. arg. ad opposit. cum sua solutione inveniuntur in 1. art. membri 2; sed fundamenta 24. 28. 29. 30. 31. 32. sunt in 2. art. Haec omnia plerumque expressa sunt iisdem verbis in utroque opere.

Digitized by Google

Secundus articulus de *mendicitate* in Summa (q. 31.) sic dividitur: Membr. 1: « Quaeritur, utrum licitum sit mendicare pro Christo et de quotidianis eleemosynis vivere «; m. 2: « Utrum, omnibus erogatis pro Christo, mendicare sit meritorium «; quod ita dividitur, ut in a. 1. quaeratur: « Utrum sit meritorium merito simplici »; in a. 2: « Utrum sit meritorium merito consummationis sive supererogationis ». Sequitur m. 3: « Utrum melius sive perfectius sit semel dare omnia pro Christo et postea victum suum mendicare, vel retinere sua ad suam et pauperum sustentationem particulatim sibi et pauperibus dispensanda ». De m. 4. subinde agemus.

Tota igitur articuli 2. conclusio Bonaventuriana ad verbum exprimitur in Summa (Ibid. m. 2. a. 2.), sed in ea parte, quae incipit: « Tertius autem modus », in Summa additur post primam divisionem plures auctoritates, post quas a verbis *De talibus Augustinus* etc., iterum continuatur textus Bonaventurae usque ad solutionem oppositorum. Aliarum partium conclusiones iterum sunt breves et exigui momenti. — Quoad argg. in m. 1. (utrum licitum sit etc.) inveniuntur in Summa *fundam.* Bonaventurae 3. 4. 1. 20. 21. 22. 23. 9. 10. 26. 27. 29, et argg. 2. 3. 1. 7. ad opposit. cum suis solutionibus. In m. 2. a. 1, qui non habet *fundamenta* nisi quaedam repetita et generaliter dicta, invenitur arg. ad opposit. 9. — In m. 2. a. 2. praeter totam *conclusionem* et locos plerosque Scripturae in argg. citatos conveniunt *solutiones* ad 4. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 15. 16. 18. 19, et grandis illa ad 20.

Sed prae aliis attentione dignum est m. 4, quis continet etiam illam *replicationem*, quam Bonaventura animadversionibus Gulielmi opposuit (pag. 149 seqq.). In Summa ibi sic legitur: « Sequitur de manifestatione veritatis, qua nituntur *adversarii veritatis* praedictis obviare. Obviant autem quibusdam tanquam *falsis*, quibusdam tanquam *inconvenientibus* [sic], quibusdam tanquam *dubiis*, quibusdam tanquam *doctrinae apostolicae controviis*. Et secundum haec sunt quatuor partes istius membri » (Bonaventura habet quinque partes replicationis).

« Primo igitur obviant tanquam *falso*, quod supra dictum est, scilicet quod Christus fuerit mendicus ». Post pauca verba sequitur eadem replicatio, quae est in nostra editione n. II. (pag. 150 seq.). — Porro legitur in Summa: « Adhuc adversarii veritatis obviant aliquibus praedictis tanquam *inconvenientibus* [sic]; unde dicunt » etc. Sequitur replicatio n. III. — Deinde: « Adhuc adversarii veritatis obviant aliquibus tanquam *dubiis* «; et opponitur Bonaventurae replicatio n. IV. — Denique: « Adhuc adversarii veritatis obviant quibusdam praedictis, immo multis tanquam *doctrinae apostolicae contrariis* « etc.; et refertur replicatio n. V. usque ad pag. 151, col. 1, ubi incipit obiectio de labore manuum.

Initium igitur replicationis Bonaventurianae omissum est, et praeterea, dum Bonav. constanter et modeste loquitur de *aliquo adversario suo* in singulari, Summa semper adhibet pluralem cum titulo *adversarii veritatis*. Hinc oriuntur etiam quaedam minus convenienter dicta, v. g. pag. 153, col. 1. In replicatione V. apud Bonaventuram legitur: « Dicit etiam, *me* fuisse mentitum et contra Scripturam et Apostolum defendisse falsum » etc. Sed in Summa hoc mutatum est sic: « Dicunt etiam, *illos* fuisse mentitos etiam contra Scripturam, qui dicunt « etc. Et paulo superius ante finem IV. replicationis Bonaventura ponit: « concludendum est ergo secundum *dictum huius hominis unius*, quod universalis Ecclesia tota erravit », sed Summa satis inepte habet: « constat ergo *secundum dictum*, quod universalis Ecclesia tota erravit » (!).

Post quaestiones 30. et 31. sequuntur in Summa Alexandri longi tractatus de aliis rebus oppugnatis illa aetate a magistris Parisiensibus, scilicet q. 32. in 3 membris de obligatione ad manualem laborem, et m. 4. a. 1. 2, utrum liceat religiosis praedicare, docere et confessiones audire; porro a. 3, utrum Summus Pontifex ista Mendicantibus possit committere. De his hoc loco non vacat plura dicere; sufficit nobis, quoad duos praefatos articulos confirmatum esse *factum*, quod maxima pars eorum ad verbum etiam expressa est in dicta Summa.

Cum autem tot documentis certum sit, Bonaventuram quaestionem de paupertate contra magistrum Gulielmum Parisiis disputasse; incidit quaestio necessario nobis solvenda, utrum Bonaventura suam quaestionem transcripserit ex Summa Alexandri, an potius a continuatoribus eiusdem Summae, adhibito scripto illius, insertae sint quaestiones 30. et 31.

Superfluum est urgere, quod nota plagiarii valde derogaret honori tanti Doctoris, cum iniico perspicuum sit unicuique, qui certissimis documentis historicis noluerit detrahere fidem, impossibile esse, Summam Alexandri, quam ipse moriens (scilicet an. 1245) *reliquit imperfectam*, fuisse fontem, unde Bonaventura hauserit sententias et verba suae quaestionis contra Gulielmum. Nulla, vivente Alexandro, lis erat contra Minores, nulla ergo occasio impugnandi adversarios. Quomodo igitur scribere potuisset Alexander contra « adversarios veritatis » et referre plurima argumenta Gulielmi, cuius primum de hac lite scriptum vulgatum fuit an. 1255? Porro, si ponamus, Alexandrum praeoccupasse miro modo istam controversiam et refellisse adversarios tribus longissimis tractatibus; quare non protulerunt fratres copiosissimam defensionem magistri venerandi et tantae in Universitate illa auctoritatis eamque opposuerunt adversariis? Quare potius antesignanum elegerunt iuvenem 34 annorum et nondum magistrali dignitate insignitum? Sed quod prorsus rem invicto decernit, est illa *replicatio* ad animadversiones magistri Gulielmi, quae, paucis minus apte mutatis, in Summam q. 31. m. 4. est recepta. Quis est, qui velit etiam hanc responsionem attribuere Alexandro?

Reiecta igitur hac suppositione, concludendum est, praedictas duas quaestiones post mortem Alexandri, et fervente illa controversia, quae fere ad viginti annos aliquo modo duravit, compositas esse secundum quaestionem a Bonaventura disputatam, easdemque tunc imperfectae Summae Alexandri insertas.

Haec positio nullius derogat honori et optime convenit rebus, quae aliunde quoad istam Summam notae et a nobis, adductis certis documentis, tum tom. I. Prolegom. pag. LVIII seqq. tum tom. III. Prolegom. pag. IV § 3. expositae sunt. Exploratum igitur est, Alexandrum (an. 1245 mortuum) suam Summam reliquisse imperfectam, et Alexandrum IV. an. 1256 ministro Provinciali Minorum in Gallia « in virtute obedientiae stricte praecepisse », ut per fratrem Gulielmum de Militona, adhibitis aliis fratribus idoneis, Summam illam perficiendam curaret. Waddingus (Scriptores Ordinis Min., voce *Gulielmus de Militona*) asserit, fratrem Gulielmum reapse Summam « imperfectam complevisse, polivisse eique ultimam manum adiecisse anno 1252 ». Falsa quidem est indicatio istius anni; sed per se est valde verisimile, illum fratrem, qui teste Waddingo vixit usque ad an. 1260, Summo Pontifici obedientem, opus iniunctum incepisse et per quatuor annos aliquid fecisse pro explendis

Digitized by Google

lacunis operis imperfecti. Sed Waddingo contradicit Sbaralea in Bullario tom. I. pag. 151 (cfr. eiusdem Supplem. p. 47 col. 2.) dicens: « At ego nihil ab eo [Gulielmo] factum esse contendo ». Pro qua assertione ille non affert nisi unum argumentum negativum et nullius valoris (cfr. tom. I. Prolegom. pag. LIX). Sane mirum est, hunc virum doctissimum ita hallucinantem esse, ut ex eadem quaestione (Sum. p. IV. q. 30. m. 2. a. 2.), quam nos adhibuimus, ut demonstraremus, Alexandrum hanc quaestionem *non scripsisse*, putaverit demonstrari posse, *totam* Summam, ut impressa est, ab Alexandro esse scriptam, et ipsi nihil post eius mortem additum esse, quia scilicet in cit. loco, ubi agitur de confirmatione regulae S. Francisci, non nominentur nisi tres Summi Pontifices eam confirmantes, omissis Innocentio IV. et Alexandro IV, qui omnis 1245 et 1256 et ipsi regulam illam confirmassent. Sed Sbaralea non animadvertit, totum illum locum legi eisdem verbis in quaestione Bonaventurae de paupertate, quam eiusdem opus genuinum esse ipse asserit; et tamen etiam hic scripsit post Innocentii IV. litteras (an. 1245), quin eas commemoraverit. Quoad litteras Alexandri IV. concedimus, eas datas esse, postquam Bonav. iam quaestionem suam scripsit.

Assertio igitur Sbaraleae, nihil post mortem Alexandri additum esse praedictae Summae, non potest sustineri, saltem quoad partis IV. qq. 30. et 31, et ut putamus, etiam quoad q. 32, quae de eadem controversia Parisiensi agit. Non est hic locus inquirendi et certo determinandi, utrum relata de completione Summae Alexandri opinio Waddingi extendenda sit etiam ad alias eiusdem partes. Pro hoc stat non levis praesumtio, variis firmata indiciis sumtis ex proprietatibus istius operis et ex verbis Rogerii Baconis a nobis tom. I. Prolegom. pag. LVIII col. 2. seq. relatis et diiudicatis. Haec autem ardua quaestio non potest solvi argumentis a priori excogitatis, sed, si tonquam solvi possit, praemittendae sunt accuratae perscrutationes inceditorum et in bibliothecarum manuscriptis latentium opusculorum illius aetatis, praesertim quae ab antiquis doctoribus Ord. Minorum scripta sunt; praeterea etiam examen subtile quaestionum totius Summae forent instituendum. Ad rem facit scripta quaedam communicatio, quam humanitati et amicitiae cl. P. Franc. Ehrle S. I. acceptam referimus, nempe quod in notis, quae Quaestionibus disputatis Gulielmi de Militona in quibusdam codicibus saeculi XIII. a prima manu apponuntur, indicetur, plures quaestiones de Sacramentis in IV. parte Summae sumtas esse ex nominato Gulielmo, et inter alias « duas quaestiones de contritione et attritione et alia do displicentia peccati »; porro ideo R. Pater scripsit nobis, alias videri acceptas esse ex quaestionibus Fr. Ioannis a Rupella et Fr. Odonis Rigaldi.

Ut igitur praedicta pauris complectamur, nihil dubii relinqui dicimus, quaestionem de paupertate esse genuinum et certum S. Bonaventurae scriptum.

§ 4. **Tres alias de perfectione evangelica quaestiones Bonaventuram habere auctorem, ex praedictis recte concludi potest.** — Omnes enim quatuor quaestiones inter se sunt connexae, ut ipsae inscriptiones omnium antiquorum codicum attestantur. Et quod mirum et valde notandum est, etiam illi codices, qui non habent *omnes* has quaestiones, nihilominus deficientes indicant, tanquam si eas revera descriptas haberent, et cod. D, qui omnes habet, sed inverso ordine sibi succedentes, indicat ut *praecedentes* eas quas posterius exhibet. Hoc non potest explicari nisi eo, quod hae indicationes ab ipso auctore originem trahant. Igitur infra pag. 147 in codd. D E I indicantur quatuor quaestiones: de humilitate, de paupertate, de continentia et de obedientia; pag. 166 antiqui codd. A D E habent: « Postquam habitum est de paupertate, restat nunc agere de continentia, circa quam secundum tres partes ipsius triplex quaestio inducetur » etc.; pag. 179 in codd. A D: « Postquam quaesitum est de humilitate et de paupertate et de continentia, restat nunc quarto quaerere de obedientia. Et circa obedientiam tria possunt quaeri » etc. Duobus istis codd. in 3. articulo, ubi deficit A, accedit E eisdem verbis ac D incipiens, scilicet: « Ultimo quaeritur, utrum christianae religionis sit, quod omnes obediant uel ». Haec enim est inscriptio magnae et ratione temporis, quo scripta est, singularis quaestionis de primatu Romani Pontificis.

Hoc testimonium antiquorum codicum, accedentibus criteriis ex ipsa indole quaestionum sumtis, certos nos faciunt, Bonaventuram esse earum auctorem.

Ad determinandam alteram quaestionem, utrum hae quatuor *Quaestiones disputatae* eodem tempore sint scriptae, vel saltem simul publicatae, deficiunt nobis testimonia historica. Quod memoratam *replicationem* et articulum de *labore manuali* scribere non fuerit a principio auctoris consilium, iam observavimus (supra § 2.). Ceterum non est verisimile, quaestionem de paupertate, ut in praecedentibus editionibus legitur, sine aliquo verbo introductorio prodiisse. Ex altera parte quatuor de perfectione evangelica quaestiones constituunt completum quoddam totum, aptissimum, ut multiplicibus adversariorum aggressionibus, praesertim illi tractatui de *periculis novissimorum temporum*, opponeretur. Incipit tractatio ab *humilitate*, ut fundamentum pro tota vita christiana et religiosa, sed speciali modo pro defendenda voluntaria *mendicitate* iaciatur. Finis et corona eiusdem est articulus de *obedientia Summo Pontifici debita*, sine cuius auctoritate illa controversia Parisiensis non potuit determinari. Unde probabile nobis esse videtur, S. Doctorem paulo post divulgatum tractatum magistri Gulielmi has quatuor quaestiones composuisse vel simul, vel saltem non interiecto longo tempore. Cum autem pugna principaliter circa *paupertatem* committeretur, haec quaestio, neglectis aliis, praecipue descripta et divulgata est. Hoc coniectando dicimus.

§ 5. **Recensentur codices, qui aliquam partem exhibent quatuor de perfectione evangelica Quaestionum disputatarum, et primo ii quos in formando texto adhibuimus.** — Primum locum tenent tres codices, qui etiam quaestiones de scientia Christi et de mysterio Ss. Trinitatis habent, scilicet A D E, de quibus supra c. I. § 4. locuti sumus.

4. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. membr. in fol. saec. XIII, distinctus numero 14557. — Plures et plurimorum continet quaestiones disputatas. Quodlibet. LXVI. exhibet duos primos articulos secundae quaestionis de perfectione evangelica, et sequitur de eadem quaestio I. sive de humilitate. Incipit fol. 78. r. et desinit fol. 88. v. — Sign. I.

5. *Romae*, bibliotheca Principum Burgheslorum, cod. 271. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 44. r. in superiore margine: *Questio prima*. Hinc sequitur ab eadem manu: *Questio est de paupertate;* desinit fol. 55. v.: *qui se perfectioni evangelice astrinxerunt*. Sunt primus et secundus articulus quaestionis 2. de perfectione evangelica. Sequuntur alia de eadem re, inter quae *tractatus pauperis* Io. Pechami, cui scriptor subiicit: *Explicit tractatus pauperis contra nonnullarum heresum*

Digitized by Google

conficiarum circa evangelicam perfectionem. — *Salvet scriptorem Iesus ob Genitricis amorem.* — *Scripsit Odo frater, eius miserere, pater.* — Sign. K.

6. *Claris Aquis* (Quarracchi), in hoc nostro Collegio, cod. chartac. in 4. saec. XV. incunt. — Continet tantum quaestionem 2. de perfectione evangelica, ut habetur in editionibus titulo: *De paupertate Christi* etc. Incipit fol. 26. r. in superiore parte scriptor codicis exaravit: *Bonaventura.* Inde prosequitur: *Questio est de paupertate, et queruntur duo.* Desinit fol. 52. v.: *qui se perfectioni evangelice astrinxerunt. Deo gratias in secula seculorum. Amen* etc. — Sign. M.

7. *Berolini*, bibliotheca Regia, Fol. 94. chartac. saec. XV. — Fol. 253. col. 2. alia manus, sed coaeva, praemisit haec verba: *Ista est questio Bonaventure secunda de mendicitate; primam, utrum renuntiare omnibus sit evangelice perfectionis, vide in libro, ubi est stimulus amoris, pulpito X. in fine.* Sequitur articulus 2. et 3. quaestionis 2. de perfectione evangelica. Desinit fol. 263. v. col. 2. Post articulum 3. adiungitur replicatio ad obiectiones antea factas, et pag. 149 huius voluminis concluditur: *et infernorum, et sic finis.* — Hic cod. continet integram q. 2. sive de paupertate, sed, ut notatum est, transponit *replicationem* ad animadversiones magistri Guilelmi a S. Amore, quae in aliis codd. est post articulum 2, in finem articuli 3. — Hunc codicem cum editis iam prius conferendum curavit P. Fidelis, sed quodam casu adverso notae factae non pervenerunt ad manus nostras, nisi finita impressione earum. Est valde incorrectus, tamen convenit plerumque cum codicibus, quorum fida multas correctiones in textu fecimus. Paucas habet lectiones speciales, quae vel in textum recipi, vel ad calcem notari potuissent. Notatu dignioores sequuntur.

Pag. 137, col. 1. addit 7. argumento conclusionem in aliis omissam: *ergo talibus pauperibus maxime competit de eleemosynis sustentari.* Pag. 148, col. 1. lin. 30. *modernos Sanctos antiquis* pro *modernos Sanctis antiquis.* Pag. 150, col. 2. lin. 18. post *Secundum hanc* bene addit *Glossam.* Pag. 152, col. 1. lin. 9. post *procurabat* addit *cibum.* Ibid. lin. 17. post *humillime* bene addit *propter modum, non propter actum.* Ibid. lin. 29. post *elegitur autem* bene prosequitur: *non quia carnis suae tantum curam gerat, sed quia fit cum humilitate summa.* Pag. 154, col. 1. lin. 42. post *repudiabant* addit *omnino.* Pag. 154, col. 2. lin. 31. *ut cuncta recolligamus* pro *ut cetera recolligamus.* Pag. 155, col. 1. lin. 23. confirmat lectionem cod. D *omnem* pro *communem.* Pag. 162, col. 1. lin. 4. *sufficienter ostendetur* pro *evidenter ostendetur.*

Sequuntur codices a nobis non collati.

8. *Dolae* in Gallia, cod. 68. membr. in fol. saec. XIV. incuntis. — Plurima continet Quodlibeta. Fol. 43. v. col. 1. incipit quodlibetum 31, quod complectitur 1. 2. et 3. articulum quaestionis 3. de perfectione evangelica. Desinit fol. 47. v. col. 1. Hic codex, a P. Fidele a Fanna inspectus, inventus est plurimum convenire cum cod. A supra descripto, n. 1.

9. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 3183. membr. in fol. saec. XIV. incuntis. — Fol. 147. v. in superiore parte, col. 1, legitur: *Queritur, utrum pauperes validi* etc.; est articulus 3. quaestionis 2. Desinit fol. 152. r. col. 1. verbis: *astrinxerunt. Amen. Explicit questio Bonaventure de labore manuum.* Sequitur articulus 1. eiusdem quaestionis, qui desinit fol. 154. v. col. 2: *Explicit prima questio Bonaventure de mendicitate.* Articulus 2. deest.

10. *Parmae*, bibliotheca Regia, cod. 112. chart. in 8. saec. XV. — A fol. 22. r. usque ad fol. 34. v. complectitur tres articulos quaestionis 2. de perfectione evangelica, quorum initium et finis ut in editis.

11. *Tarraconae* in Hispania, bibliotheca Publica, cod. 56. membr. in 8. saec. XIV. — Continet tres articulos de paupertate, ut praecedens, sed deficit pluribus in locis; est etiam mutilus in principio; incipit enim ab argumento 8: *manifestum est, quod fuit in summa paupertate.* Desinit fol. 29. v.: *Unde si bene explicentur precepta decalogi, in omnibus est labor bonus.*

12. *Wolfenbutae* (Wolfenbüttel) in Germania, bibliotheca Ducalis, cod. 560. Helmst. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 324. r. in initio: *Incipiunt questiones Bonaventure de perfectione mendicantium religiosorum. Questio est de paupertate, et queruntur duo* etc. Desinit fol. 332. r.: *et infernorum* etc. *Hec dominus Bonaventura.*

De duobus codicibus, qui articulum de mendicitate a *quodam clerico reportatum* cum censuris magistri Guilelmi continent, locuti sumus in § 3.

Inter codices, quos in quaestione de paupertate adhibuimus, eminet K (n. 3.), qui simul cum A D E plerumque lectiones a nobis eligendas determinavit.

Praeter primo notatos codices accurate cum editione contulimus quaestionem de paupertate impressam in quatuor antiquis editionibus diversorum opusculorum, quae infra c. 9. describuntur. Hae sunt 1. editio Coloniensis, an. 1486. — 2. Argentina, an. 1489. — 3. Brixiensis, an. 1497. — 4. Veneta, an. 1504. Sed parum ad propositum servire potuerunt, licet quoad textum propius accedant ad codices antiquos quam Vaticana. De quinta collata editione P. Soldati an. 1773 Romae impressa iam supra § 1. locuti sumus.

CAP. III.

In Breviloquium.

§ 1. **Pauca tangenda sunt de auctore et praestantia Breviloquii.** — Per sex saecula ita divulgata est fama et laus huius opusculi, mole quidem exigui, sed sententiarum gravitate ingentis, ut superfluum sit verba multa facere circa auctorem et praestantiam operis (videsis elenchum codicum et [c. 12.] antiquos indiculos). Non tamen praetermittendum esse censuimus encomium, licet satis notum, Gersonis Cancellarii Parisiensis, qui (in Tractatu de examinat. doctrin. p. I.) de hoc opusculo et de Itinerario mentis in Deum ita dicit: « Sicut apud grammaticos Donatus de partibus orationis, et apud logicos Summulae Petri Hispani traduntur ab initio novis discipulis ad memoriter recolendum; sic apud theologos discipulos *Breviloquium Bonaventurae*, quod incipit: *Flecto genua mea*, videretur salubriter imponendum, iuncto *Itinerario suo mentis in Deum*, quod incipit: *In principio primum principium.* Itaque laus omnis inferior est his duobus opusculis, quorum vim agnoscere etiam sola credulitate non parvus est profectus ». Idem in Epistola de libris legendis a Religiosis: « (Bonaventurae) opuscula duo tanto sunt arte compendii divinitus composita, ut supra ipse nihil, *Breviloquium* noto et *Itinerarium*, in quibus processum est duobus viis cognoscendi Deum. Primus namque horum duorum tractatuum procedit a primo principio, quod Deus est, usque

Digitized by Google

ad alias veritates sub fico creditas et habitas. Alius econtra progreditur a creaturis ad Creatorem per sex gradus scalares usque ad anagogicos excessus; qui licet sint difficiliores et rariores, debet tamen omnis Christianus ad illos aspirare, quoniam theologia talis mystica proprie est Christianorum... Confiteor itaque et ego in insipientia mea... quod a triginta annis et amplius circa volui habere familiares mihi praedictos tractatulos, saepe legendo, saepe ruminando etiam usque ad verba, nedum sententias. Et ecce, hac aetate, hoc otio velut ad votum vix perveni ad iaidum gustus eorum ».

Recentioris aetatis egregius theologus, quem ante duos annos scientiae theologicae ereptum dolemus, Dr. Joseph Scheeben, in suo egregio libro: Handbuch der katholischen Dogmatik Freiburg 1873, I. pag. 432, inter alia praeclara de *Breviloquio* dicti haec verba in Latinum versa, quod Breviloquium sit pretiosa quaedam theologica dactyliotheca, in qua unumquodque verbum magnam solvat quaestionem, et theologicae scientiae evolutio ex altissimis fidei principiis brevissimo et lucidissimo modo oculis mentis proponatur; ipsum esse quasi florem et medullam theologiae illius aetatis.

§ 2. **Recensentur editiones principales Breviloquii.** — Inter omnia nostri auctoris opera theologica nullum est, quod in tot codicibus nobis sit conservatum totque editionibus divulgatum, quot Breviloquium et Itinerarium mentis in Deum. — Primo recensemus illas editiones, quae continent vel solum Breviloquium, vel etiam adiuncto altero opusculo.

1. Antiquior omnium videtur esse editio *Nurimbergae* 1472, citata a Bonelli (Prodrom. col. 358 sub n. 39.) et descripta ab Hain (Repertor. bibliograph. I. o. 3472.), qui ipsam tribuit typographo Iosmi Sensenschmid. Eandem vidit P. Fidelis a Fanna in bibliotheca civitatis Goerlitz (in Silesia Borussica), compaginatam cum quodam cod. manusc. sign. A. B. 54. — Variantes lectiones ex ipsa colligendas curavit R.mus D. Hefele, nunc episc. Rottenburgensis, quas in sua edit. tertia Breviloquii, Tubingae 1861, annotavit.

2. Editio sine anno et loco, quam habuimus benigne commodatam a superioribus Conventus S. Bernardini Tridenti. In fine eiusdem P. I. Chrysost. Avoi die 6. Mail 1773 scripto attestatur, eam esse impressam Augustae Vindelicorum per Antonium Sorg. Consentit etiam Hain (ibid. n. 3470.). Sed idem Pater in fol. praecedente initium opusculi etiam annum impressionis indicat, scil. an. 1475. Inventum est enim in bibliotheca monasterii Griesensis apud Bulsanum (quod tunc erat Canonicorum Regularium Lateranensium) volumen, quod primo loco habebat Breviloquium, deinde tria opuscula S. Bernardi et « librum Augustini, qui vocatur Quinquaginta », qui in fine eiusdem typis habebat haec verba impressa: « Anno Dni MCCCCLXXV. circiter Kal. Februarii impressus est liber iste ad honorem Dei per Anthonium Sorg in Augusta ». Sextus voluminis liber erat « Tractatus magistri Ioannis de Turre Cremata Ord. Praed. de efficacia aquae benedictae, tempore Concilii Basileensis compilatus ». — Sed ista sex opuscula eisdem omnino typis expressa et in unum volumen collecta erant; unde concludi potest, quod etiam illa Breviloquii editio anno 1475 prodierit. — Ex ipsa lectiones variantes collectae sunt in cit. edit. Tubingensi et denuo in nostra.

3. Item, *Argentorati*, per Henricum Eggesteyn, sine anno (vide Hain n. 3469.). Etiam haec in cit. editione Tubing. adhibita est.

4. Breviloquium simul cum Biblia pauperum (falso Bonaventurae tributa), *Venetiis*, impensis Ioan. de Colonia sociique eius Ioan. « manthen de Gherretzem », anno Domini 1477 (apud Hain n. 3473.). Exstat in bibliotheca Communali Nicaea, in Nationali Neapoli, in Regia Monachii. Ipsa adhibita est in cit. editione Tubingensi.

5. Item, *Argentorati*, per Martinum Flach, an. 1479, adhibita in eadem editione.

6. 7. Ab eodem Hain editiones aliae duae nominantur, sed non describuntur (n. 3474. et 3474.), quarum una Nurimbergae sine anno, altera an. 1499 sine loco; de quibus nec nos quidquam asserere possumus.

8. Breviloquium simul cum Itinerario mentis in Deum impressum *Patavii* 1562. In sequentibus saeculis prodiit pluries alibi.

Inter separatas Breviloquii editiones recentioribus temporibus factas duae speciatim memoriam merentur.

9. Editio Dr. Caroli Iosephi Hefele, episc. Rottenburgensis, praesertim *tertia*, quae est locupletior, cum ei additum sit Itinerarium mentis in Deum, et emendatior; haec prodiit Tubingae 1861. In praefatione post brevem vitam S. Bonaventurae eiusque elogia R.mus episcopus ita prosequitur: « Ceterum et in Breviloquio et in Itinerario Romanam editionem anni 1596, ad cuius normam omnes praestantiores sunt exaratae, secuti, multis eam locis emendavimus, indicem et notas adiecimus, locos s. Scripturae et Patrum a S. Bonaventura laudatos accuratius indicavimus, et relecta veteri interpunctione inepta falsaque, membra orationis ita distinximus, ut sensus eo clarior appareret ». — Sequitur ibi elenchus codicum Monacensium et quarundam editionum, quos, rogatus ab editore, Custos et Praefectus bibliothecae Monacensis Krabinger cum editione Vaticana contulerat, quorum principales lectiones variantes ab editore in notis indicatae sunt. — Ex hoc elencho patet, novem codices et quinque antiquas editiones (quarum nonnullae ab ipso editore revisae erant) ad istam editionem adhibitos esse, ut loci mendosi corrigerentur. In locis non proprie vitiosis editor textum Vaticanae retinere solet, licet antiqui codices cum multis editionibus aliam exhibeant lectionem bonam, vel etiam meliorem.

10. Altera editio prodiit novis curis P. Antonii Mariae a Vicetia, Reform. Provinciae Venetae theologi h. m., primo quidem Venetiis ex typographia Aemiliana 1874, deinde altera Friburgi (Baden), apud Herder, 1881. Auctor huius editionis nitidae et correcte impressae multo studio et labore ex omnibus operibus seraphici Doctoris collegit illustrationes ad verbum transcriptas et non raro valde diffusas, et addidit in singula capita tabulas, hinc inde etiam appendices et in fine indicem rerum notabilium. Plerumque textum exhibet editionis tertiae Tubingensis, tamen ipse ex vetusta editione Breviloquii an. 1484 (sine loco impressionis) varias lectiones diligenter collegit et non tantum in notis indicavit, sed etiam, auctoritati huius editionis innixus, textum pluries reformavit, aliquoties quidem feliciter, ita ut vetustiores codices consentiant, sed pluries, refragantibus omnibus codicibus et antiquioribus editionibus, ut ex nostris notis observari potest. Illa enim editio anni 1484 est quidem impressa diligentius et correctius quam editio anni 1475, quae scatet erroribus typographicis; attamen quoad ipsum textum illa multo longius quam haec distat a communi lectione codicum saec. XIII.

11. Ultima editio nostris curis cum textu reformato prodit in 8.° ad Claras Aquas 1890, quae continet praeter Brevilo-

Digitized by Google

quium et Itinerarium etiam opusculum de Reductione artium ad theologiam.

Secundo, his separatis Breviloquii editionibus addendae sunt collectiones opusculorum relatae infra c. 11, quae fere omnes inter alia etiam Breviloquium continent. — Prima est an. 1484 sine loco, quam recensent Bonelli (col. 281) et Hain (n. 3463.), et hic eam attribuit typographo Coloniensi Barth. de Unckel. Suspicamur, praefatam editionem, qua usus est P. Antonius Maria, non esse nisi partem huius collectionis. Videmus enim, ordinem opusculorum in pluribus aliis antiquis collectionibus variari in diversis exemplaribus; quod indicat, unumquodque opusculum ita fuisse impressum, ut ab aliis posset separari. Excepta collectione Brixiae 1495 impressa, Breviloquium est in aliis posterioribus opusculorum editionibus, praesertim in altera Coloniensi Ioannis Coelhoff de Lubeck an. 1486 (apud Hain n. 3464.), in Argentina an. 1489 et 1495, in Brixiensi an. 1497 etc., ut videri potest infra c. 11.

§ 3. **Referuntur codices plurimi Breviloquium continentes, qui adhuc in bibliothecis publicis existant.** — In hoc elencho a nobis omissi sunt non pauci a P. Fidele annotati, scilicet ita mutili, ut huius opusculi tantum exiguam partem habeant. — Primo commemoramus quoddam additamentum, quod est in cod. 886. bibliothecae Capituli Posoniensis (Presburg in Austria). Codex iste est membr. saec. XIV. Prologo S. Bonaventurae praemittitur alius Prologus certe in ratione Prologi non genuinus, sed fortasse sumtus ex aliquo sermone. — Fol. 6. r. col. 1: « Prologus in Breviloquium. — *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam* [Ps. 138, 5.]. In hac auctoritate sex notantur, in quibus scientia sanctarum litterarum omnes excellit alias scientias. Primum est subiecti mirabilitas » etc. Desinit fol. 9. r. col. 1. Ad marginem est eiusdem Prologi schema: « In hac auctoritate sex notantur, in quibus s. Scriptura alias excellit.

Excellit:
- subiecti mirabilitas, cum dicit: mirabilis.
- acquisitionis eius auctoritas, cum dicit: facta est.
- certitudinis eius credulitas, cum dicit: scientia tua.
- ad intellectum nostrum applicabilitas, cum dicit: ex me.
- demonstrationis eius veritas, cum dicit: confortata est.
- supra intellectum nostrum altissima dignitas, cum dicit: non potero ad eam.

Dei sapientia innotescit in omnibus:
- in effectibus naturae per vestigium et imaginem.
- in operibus reparationis per gratiae similitudinem.
- in actibus beatitudinis per consummationem gloriae.

Quatuor ex causis dicitur: scientia tua i. e. Dei, quia eius est secundum causam
- formalem.
- efficientem.
- materialem.
- finalem.

Scientia theologiae est
- ab intellectu divino sicut ab efficiente.
- ex intellectu divino sicut a primo formali [exemplari].
- de ipso, prout est ars plena rationibus omnium, quae sunt.
- ad ipsum et propter ipsum sicut ad finem.

Post hunc Prologum sequitur immediate Prologus editus: *Flecto genua mea.* In inferiore vero margine sunt totius secundi Prologi schemata septem satis extensa et accurata.

I.

Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, codex membranaceus in folio parvo, saeculi XIV. ineuntis, signatus numero 23. — Incipit fol. 144. r. col. 1. sub titulo: *Breviloquium fratris Bonaventure;* et infra: *Flecto genua mea ad* etc. Desinit ut in editis: *Deus benedictus in secula seculorum. Amen. Finis Breviloquii.* — In hoc nostra editione signatur littera T.

2. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. membr. in 4. minore, saec. XIII. circa finem, sign. n. 4. — Praemittitur: *Breviloquium Bonaventure. Sancti Spiritus adsit nobis gratia.* Eadem antiqua manus prosequitur: *Incipit prologus. Flecto genua mea* etc., usque ad finem ut in editis. — Sign. U.

3. *Ibidem*, cod. 127. membr. in 4. saec. XIII. exeunt. — Fol. 1. r. praemittitur: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure in opere totius sacre scripture. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. ultimo codicis ut in editionibus. — Sign. V.

4. *Claris Aquis*, in archivo nostri Collegii, cod. membr. in 4. saec. XIV. circa med. — Praemittitur fol. 1. r.: *Incipit prologus fratris Bonaventure olbanensis episcopi in librum, qui dicitur Breviloquium de summa totius theologie. Flecto* etc., et prosequitur usque ad finem sicut ceteri; cui idem scriptor addidit: *Explicit Breviloquium secundum fratrem Bonaventuram, ministrum fratrum minorum. Egidius frater opus hoc sudando labore — Muro fratre Thoma scripsit rogitante decore — Supplico scribenti mihi quod pariterque legenti — Dentur summa Deo consumto dante tropheo.* — Sign. I.

5. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. B. VII. 1166. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. — Fol. 3. col. 1. legitur litteris rubris ab antiqua manu exaratis: *Incipit prologus in Breviloquium fratris Bonaventure ordinis minorum. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 30. v. col. 1. sic: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.* — Sign. O.

6. *Ibidem*, in bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Pluteus XXVII. Dext. 9. cod. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — In superiore margine primi folii litteris rubris praemittitur: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure.* Hinc col. 1: *Flecto genua mea* etc. Desin. fol. 50. r. col. 2; additur: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.* — Sign. P.

7. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, Plut. XXVII. Dext. 7. cod. membr. in fol. saec. XIV. — Breviloquium incipit fol. 1. col. 1. sub nomine auctoris, desinit fol. 37. v. ut in editis. — Sign. Q.

8. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. lat. 22273. membr. in fol. minor. saec. XIII. exeunt. — Fol. 1. a manu eiusdem aevi praemittitur hic titulus: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure. Flecto genua* etc. Desinit fol. 40. r. col. 2; additur: *Explicit Breviloquium.* — Sign. A.

9. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 16067. membr. in 4. saec. XIII. sub fine. — Fol. 1: *Incipit prologus super Breviloquium.* Desinit fol. 54. v. ut in editis. Deinde scriptor adiungit: *Finito libro sit laus et gloria Christo* — Sign. B.

10. *Ibidem*, cod. 5950. chart. in 4. saec. XIV. exeunt. — Fol. 44. r.: *Incipit prologus in Breviloquium;* hoc praemisit scriptor absque nomine auctoris, deinde prosequitur: *Flecto genua*

Digitized by Google

mea etc. Desinit fol. 192. r., cui additur simpliciter: *Bonaventura.* — Sign. C.

11. *Ibidem*, cod. 2633. membr. in 8. saec. XIV. ante medietatem. — Fol. 1. r. in superiore parte praemittitur: *Incipit Breviloquium pauperum de necessariis theologie. Prologus.* Hinc col. 1: *Flecto genua* etc. Desinit fol. 49. v. ut editi. Scriptor iterum addit: *Explicit Breviloquium pauperum de intelligentia sacre scripture et fidei christiane. Amen. Qui scripsit scripta, manus eius sit benedicta.* — Sign. D.

12. *Ibidem*, cod. 2649. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Praemittitur fol. 74. r. pro titulo: *Incipit Breviloquii prologus theologice veritatis. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 145. r. — Sign. E.

13. *Ibidem*, cod. 2657. membr. in fol. saec. XIV. — Incipit fol. 145. r. col. 1. sub titulo: *Breviloquium pauperum.* Desinit fol. 207. r. col. 1. in fine. — Sign. F.

14. *Ibidem*, cod. 14827. membr. in fol. saec. XIV. incunt. — Incipit absque titulo fol. 221. r. col. 1. et desinit fol. 275. v. col. 2. ut editi; additur: *Explicit.* — Sign. G.

15. *Ibidem*, cod. 13102. membr. in 4. saec. XIV. exeunt. — Fol. 114. r. col. 2. legitur: *Incipit prologus in Breviloquium.* Et iterum post tabulam capitulorum: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure ordinis minorum, cardinalis romane ecclesie et episcopi albanensis.* Prima et aliae litterae initiales sunt omnes minio et auro decoratae ac ornatae. Desinit fol. 166. r., addito: *Explicit Breviloquium. Deo gratias.* — Sign. H.

16. *Ibidem*, cod. 17836. chart. in fol. saec. XV. (olim Steingaleni 36.). — Fol. 3. r. legitur: *Bone venture ordinis minorum. Incipit Breviloquium pauperis in scriptura. Flecto genua mea* etc. Folio 51. r. post finem alia manus addit: *Finit Breviloquium Hugonis, quem alium esse Bonam venturam quidam dicunt, moti forsan, quia prescriptio, tacens de nomine, dicit in rubrica: Incipit Breviloquium pauperis in scriptura, et quia Bonaventura fuit ordinis minorum et vite pauperis Francisci planctatoris descriptor pereleganus, astruunt eum huius operis editorem.* — Sign. N.

17. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. G. VII. 35. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. — Fol. 4. r. in parte superiore habetur: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti incipit Breviloquium fratris Bonaventure de ordine beati Francisci. Flecto genua mea* etc. Desinit ut in editis. — Sign. W.

18. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. F. VII. 37. membr. in 8. saec. XIII. sub fine. — Praemittitur titulus: *Breviloquium magistri Bone venture de ordine fratrum minorum.* In fine additur: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane. Amen.* — Sign. Z.

19. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 16199. membr. in 4. saec. XIII. post medietatem. — Breviloquium incipit fol. 129. r. col. 1. verbis: *In principio intelligendum est.* Desin. fol. 138. v. Additur: *Explicit Breviloquium.* — Sign. R.

20. *Trecis* in Gallia, cod. 1894. membr. in 8 miscellanea s. — Fol. 292. r. habet a prima manu: *Breviloquium Bonaventure de intelligentia sacre scripture.* Sequitur prologus, tabula capitulorum, et desinit fol. 326. r. prope finem; tandem addit eadem antiqua manus: *Expliciit Breviloquium fratris Bone venture de ordine minorum ad intelligentiam sacre scripture et fidei christiane. Anno Domini MCCLVII.* — Sign. S.

21. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca sancti Fortunati, cod. 137. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Incipit fol. 5. r., in quo alia manus eiusdem aevi praemisit: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum.* Desinit fol. 80. r. ut in editis. De hoc codice vide quae diximus tom. I. pag. LXIX n. 45. — Sign. K.

22. *Ibidem*, cod. 164. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Fol. 1. r. eadem manus exaravit: *Breviloquium editum a fratre Bonaventura de intelligentia fidei et sacra scriptura.* Desinit fol. 122. r. col. 2. per verba: *Expliciit. Deo gratias.* — Sign. L.

23. *Ibidem*, cod. 113. membr. in 8. parvo, saec. XIII. post medietatem, Bonaventurae conservus. — Posterior manus saec. XIV. praemisit: *Incipit Breviloquium Bone venture. Prologus in Breviloquium.* Deinde manus prima prosequitur: *Flecto genua mea* etc. Desin. fol. 294. v. inde eadem manus, quae titulum posuit, additavit in fine: *Explicit liber Breviloqui. Qui hunc explicit et incepit in eternum cum domino valeat permanere.* — Sign. M.

Inter relatos codices antiquitate et auctoritate primatum tenet cod. Trecensis (S), cum scriptus sit eodem anno, quo S. Doctor electus est Generalis Ordinis Minorum. Huic aetate et bonitate prope accedit cod. Tuderinus (M), qui tamen in quibusdam rebus minutis videtur pauca interdum mutasse pro faciliore intelligentia; et deinde sequuntur alii codices saec. XIII, praesertim Neapolitanus (W) et duo Monacenses (A B). Etiam E, licet sit recentior saepe convenit cum S. Ab hac familia magis recedunt I K O Q U V. Cod. P magis favet primae familiae, habet tamen sua speciatim et nonnulla omittit, sicut etiam L.

Textus huius opusculi, praesertim in duabus ultimis editionibus, prae ceteris nostri auctoris operibus fuit satis correctus; unde, exceptis paucis locis, errores vel lacunae magni momenti non occurrebant. Attamen res minutas, quae spectant ad electionem terminorum magis propriorum, praesertim quoad particulas orationis, ad positionem verborum et ad eliminationem quorundam verborum per modum glossae insertorum, v. g. *scilicet*, in omni pagina pluries mutavimus. Porro theses a probatione earum typographice distinximus, locos multos ipsius auctoris et aliorum ad calcem indicavimus et adiectis notis marginalibus uberrimam materiam brevissime expressam uno contuitu facilius intuendam curavimus.

In textu reformando has regulas secuti sumus. Quando codices saec. XIII. conveniebant contra recentiores codices, quod plerumque evenit, lectio illorum praeferenda erat, nisi aliunde aliqua ratio obstaret. Si soli duo antiquiores codices (S M) *meliorem* lectionem praebebant quam alii, etiam in hoc casu eam receptimus. Dissentientibus autem antiquioribus, elegimus lectiones, quae nobis probabiliores videbantur, vel verba in editionibus tradita retinuimus.

Ceterum vix credibile videri posset, quantam minutarum differentiarum farraginem ex codicum collatione collegerimus. Praesertim recentiores codices et inter se et ab antiquis codicibus et ab editionibus fere in omni linea in talibus dissidebant. In solo loco S. Anselmi (pag. 290, col. 2. et pag. 291) ultra 140 lectiones variantes habemus collectas, quarum tantum paucae a nobis receptae, vel ad calcem notatae sunt.

In fine c. 4. partis II. inventum est in cod. A et duobus aliis additamentum satis grande, quod, quia spurium nobis videbatur, ad calcem posuimus (cfr. pag. 222, nota 2.).

Ex codice Trecensi (n. 20.) scripto an. 1257 confirmatur praesumptio per se verisimilis, quod S. Doctor Breviloquium scripserit ante ipsius promotionem ad supremum Ordinis ministerium.

Digitized by Google

II.

Codices a nobis non collati.

24. *Admontis* (Admont) in Austria, bibliotheca Monasterii ordinis sancti Benedicti, cod. 207. chart. saec. XV. sine foliorum numeratione. — Circa medietatem codicis habetur: *Breviloquium theologye, quod confecit egregius doctor Bonaventura, cuius merces sit Deo. Flecto genua mea* etc. Ad calcem additur: *Et hec finis sit in laude Patris luminis eiusque Filii benedicti cum Virgine virginum eius genitrice, salva correctione non invidiosa etc. Finitum per Chorradum Erst.*

25. *Ibidem*, cod. 253. membr. in fol. saec. XIV. — Incipit fol. 5. r. sine ullo titulo; in fine additur: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane.*

26. *Ibidem*, cod. 671. membr. saec. XIV. ante med. — Incipit fol. 1. r. In hoc etiam codice reperitur additamentum quoddam ad cap. 4. partis II, de quo loquimur infra pag. 222, nota 2. In fine huius Breviloquii nonnulla deficiunt.

27. *Ibidem*, cod. 657. chart. in 4. saec. XV. incunt. — Initio nullus praemittitur titulus, sed ad calcem additur: *Explicit Breviloquium Bonaventure.*

28. *Assisi* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, cod. membr. in 8. sign. n. 25, mutilus; ex Breviloquio supersunt prologus et capitula nonnulla primae partis, cetera sunt avulsa.

29. *Atrebatis* (Arras) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 522. membr. in 8. saec. XIV. — Alia manus posterior primo notavit: *Bibliotheca Monasterii sancti Vedasti atrabatensis.* Deinde col. 4. prosequitur antiqua manus: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure;* hinc fol. 54. v. col. 2. addit: *Explicit Breviloquium;* alia manus prosequitur: *vel compendium theologie. Sit tibi laus Christe, quia conditus est liber iste, a te scribenti da gaudia Deus petenti.*

30. *Ibidem*, cod. 1015. membr. in 4. saec. XIV. — Antiquo titulo: *Breviloquium pauperis in scriptura sacra*, recenter additum est nomen auctoris. Codex est mutilus, desunt enim partes sexta et septima.

31. *Ibidem*, cod. 544. membr. in 8. saec. XIV. — Initio praemittitur titulus sicut in cod. praecedente sine nomine auctoris, et titulus repetitur in fine verbis: *Explicit Breviloquium pauperis.*

32. *Bambergae*, bibliotheca Civitatis, cod. B. V. 31. chart. in 4. saec. XV. — Est titulus: *Breviloquium Bonaventure in sacra scriptura.* Desinit fol. 104. v. ut in editis.

33. *Basileae*, bibliotheca Publica, cod. B. IX. 26. membr. in 8. saec. XIII. — Praemittitur: *Incipit Breviloquium pauperis;* scriptor saec. XV. addit: *Bonaventure.* Et in fine: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure generalis ministri fratrum minorum.*

34. *Ibidem*, cod. B. X. 27. membr. in 4. parvo, saec. XIV. incunt. — Post opus Hugonis de Claustro animae: *Incipit Breviloquium Bonaventure. Flecto* etc.; prosequitur ut in editionibus.

35. *Ibidem*, cod. B. IX. 7. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Fol. 3. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in sacra scriptura.* In calce adicitur simpliciter: *Explicit Breviloquium pauperis.*

36. *Ibidem*, cod. A. V. 46. chart. in fol. saec. XV. — Habet titulum in superiore parte folii: *Incipit Breviloquium super theologia editum per reverendum dominum cardinalem Bonaventuram ordinis fratrum minorum.* Eadem leguntur ad calcem operis.

37. *Ibidem*, cod. A. II. 22. chart. in fol. saec. XV. — Praemittuntur initio verba: *Breviloquium Bone venture*, et subiiciuntur fini: *Explicit Breviloquium fratris Bone venture.*

38. *Ibidem*, cod. A. VI. 32. chart. saec. XV. — Incipit ut praecedens, in fine: *Explicit Breviloquium pauperis Bone venture.*

39. *Bernae* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. 271. in fol. membr. saec. XIV. — Continet fragmenta et excerpta ex Breviloquio; inscribitur: *Viridarium consolationis.* Habet initium: *Quoniam omne peccatum.*

40. *Berolini*, bibliotheca Regia, cod. theol. lat. 84. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Inscribitur sine auctoris nomine: *Breviloquium pauperis in scriptura.* Desunt capitula septimae partis praeter primum.

41. *Ibidem*, cod. fol. lat. 79. membr. saec. XIV. — Recens manus inscripsit *sancto Bonaventurae*, sed antiqua exaravit: *Libellus, qui dicitur Breviloquium scientiarum.* Desinit: *in secula. Amen.*

42. *Ibidem*, cod. fol. lat. 172. chart. — Est titulus: *Breviloquium Bonaventure.* Additur ad calcem: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane, cuius maior pars per Io. Tollemer, et finis per me L. Konugnepeters Embrice scriptus est anno 1446. aetatis 33. feria secunda post Dominicam Iubilate.*

43. *Brugis* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 293. membr. saec. XIII. sub fine. — Scriptor parum antiquo posterior posuit pro titulo: *Breviloquium Bonaventure.* Desin. fol. 81. v. col. 2.

44. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 708. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 202. v. sub titulo: *Breviloquium Bone fortune super sententias magistri Petri.* Desinit fol. 232. v.: *in secula seculorum benedictus. Amen.*

45. *Ibidem*, cod. 2793. membr. saec. XIV. — Breviloquio praemittitur: *Incipit tractatus pauperis in divina pagina;* et fini subiicitur: *Explicit liber de intelligencia divine scripture.* Alia manus subiungit: *Explicit Breviloquium Bonaventure de intelligencia sacre scripture, quod etiam non immerito dici potest compendium rationum theologie, propter pulcras et efficaces sacre theologie rationes in eo ubique positas.*

46. *Ibidem*, cod. 3728. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 101. r. sub titulo: *Breviloquium*, ab alia manu additur: *Bonaventure.* Sed fini prima manus adiecit: *Explicit Breviloquium domini Bonaventure.*

47. *Budapestini*, bibliotheca Musaei Nationalis Hungarici, dicta Szechenyiana, cod. lat. 73. membr. in 8. saec. XIV. — Post opus Centiloquii sub nomine sancti Bonaventurae sequitur Breviloquium eidem inscriptum.

48. *Campolilii* (Lilienfeld) in Austria, bibliotheca Monasterii Cisterciensium, cod. 106. chart. in fol. — Scriptor Breviloquio praemisit hanc rubricam fol. 166. v.: *Continentia Breviloquii Bonaventure. Misterium Deitatis contemplare fidelis — Cerne creaturam mundi, mirare creantem — Spirituum casum, lapsum meditare parentum — Verbum carnatum, genus humanum reparatum — Gratia, virtutes, quae sint precepta, petenda — Sacramenta nove legis ceu vasa salutis — Gloria celestis et qualis pena perhennis.* Etiam fini placuit pio scriptori addere haec alia: *O dulcis Christe, me tecum flagito siste,*

Digitized by Google

quo nihil est trute, quoniam liber explicit iste. 1436. Explicit Breviloquium Bonaventure de ordine mundi (sic).

49. *Ibidem*, cod. 139. membr. in fol. saec. XIV. — Initio praemittitur tantum: *Incipit prologus in Breviloquium*. Desinit ut in editis, deinde additur: *Explicit opusculum fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum, qui fuit magister Parisius; et dicitur opus istud Breviloquium extractum de summa, quam fecit super sententias. Gratias Christo agamus, qui perficit in nobis esse bonum opus. Qui scripsit scribat, semper cum Domino vivat. B.* (in marg. Berahardus) *nuncupatur, a Christo benedicatur.*

50. *Cantabrigiae* in Anglia, bibliotheca Universitatis, cod. Li. VI. 15. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 23. r. incipit absque ullo titulo: *Flecto genua mea* etc. Desin. fol. 104. v., cui additur: *Explicit Breviloquium Bonaventure.*

51. *Ibidem*, cod. Dd. IV. 50. chart. saec. XV. — Fol. 52. seq. complectitur capita nonnulla II. partis Breviloquii.

52. *Ibidem*, cod. Ff. I. 18. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 124. col. 2: *Incipit quoddam opusculum de Trinitate Dei et de creatore mundi* etc. Desinit fol. 182. *e.* ut editi.

53. *Ibidem*, cod. Ff. VI. 51. membr. in 8. saec. XIV. — Continet rubricas capitum et partium Breviloquii.

54. *Ibidem*, bibliotheca Collegii Corporis Christi, cod. LXXIII. membr. in fol. saec. XIV. non numer. — Post finem Itinerarii mentis in Deum sequitur: *Incipit prohemium in librum, qui dicitur Breviarium magistri Bone fortune ordinis minorum ministri generalis.*

55. *Ibidem*, cod. 477. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. habet: *Incipit Breviloquium pauperis in sacra scriptura.* Eadem repetit in fine sub verbo: *Explicit*, absque ullo nomine auctoris.

56. *Ibidem*, in Aula Pembrochiana, cod. B. II. membr. in 8. saec. XIV. — Est sub nomine: *Breviloquium Bonaventure.* Iterum in fine: *Explicit Breviloquium.*

57. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sanctissimae Trinitatis, cod. B. I. 44. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit sine ullo titulo, desinit ut in editis; hinc scriptor addit: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.*

58. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Emmanuelis, cod. I. 3. 22. membr. in 4. saec. XV. — In capite primi fol. legitur: *Incipit Breviloquium pauperis in sacra scriptura fratris Bonaventure.* Eadem repetuntur in fine, ubi nomini Bonaventurae additur: *Ordinis minorum et cardinalis albanensis.*

59. *Cesenae* in Italia, bibliotheca Malatestiana, Plut. XIII. cod. II. membr. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 1. r. sine titulo, desinit fol. 64. v. Post finem additur: *Explicit tractatus introductorius* [in] *intelligentiam sacre scripture et fidei christiane. Iste liber editus est a reverendo patre fratre Bonaventura de ordine minorum sedis apostolice cardinali. Et est compendium theologie et fidei christiane.*

60. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis, cod. 1248. A. A. VI. 2. chart. in fol. saec. XV. exeunt. — Breviloquium incipit pag. 1 et desinit pag. 210 ut in editionibus.

61. *Ibidem*, cod. D. D. XII. 20. chart. in 8. — Incipit fol. 7. *e.*: *Flecto genua mea... plenitudinem Dei.* Interponitur: *Nodus triplex theologie*, ut sequitur: *Magnus doctor* etc. Post finem additur: *Explicit Breviloquium Bone venture, Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo.*

62. *Cremsani* (Kremsmünster) in Austria, bibliotheca Patrum ordinis S. Benedicti, cod. 113. chart. in 4. saec. XIV. — Incipit Breviloquium fol. 61. *e.* col. 1. sine titulo, desinit fol. 130. col. 2; additur: *Explicit Breviloquium Bonaventure.*

63. *Ibidem*, cod. 117. chart. in 4. saec. XV. — Breviloquium est fol. 119. r. sub titulo: *Incipit tractatus introductorius in intelligenciam sacre scripture et fidei christiane.* Desinit fol. 189. r. Post *amen* scriptor prosequitur: *Finitus est libellus iste anno domini MCCCC.XLVIII. undecima die mensis septembris. Explicit liber bonus et optimus.*

64. *Cusae* apud Castellum Tabernarum (Bernkastel) in Borussia, bibliotheca Hospitalis, cod. D. 46. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Fol. 1. r. col. 1: *Incipit Breviloquium magistri Iohannis Bone aventure. Prima pars, de Trinitate Dei, habet capitula novem. In principio* etc., protenditur usque ad cap. 2. septimae partis, reliqua avulsa sunt.

65. *Ibidem*, cod. D. 59. membr. in 6. saec. XIII. exeunt. — In initio habet: *Incipit Breviloquium Bonaventure.* Mutilus est in fine sicut praecedens.

66. *Darmstadii* in Germania, bibliotheca Ducalis, cod. 696. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 101. *e.*: *Incipit compendium sacre scripture Bonaventure.* Desinit fol. 168. *e.* post initium.

67. *Ibidem*, cod. 1004. membr. in 8. saec. XIV. exeunt. — Praemittitur: *Breviloquium Bone venture in sacram scripturam.* Explicit fol. ultimo codicis parte versa.

68. *Ibidem*, cod. 706. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Post verba: *Flecto genua mea* intra columnam scribitur: *compendium Bone venture.* Desinit fol. 89. ut in editis.

69. *Donaueschingen* ad fontes Danubii in Baden, biblioth. Principis Fürstenberg, cod. 223. membr. in 4. saec. XIV. incunt. — Operi praemittitur: *Incipit Breviloquium pauperis in sacra scriptura.* Alia manus notavit: *primus liber est Breviloquium magistri Bonaventure in theologia.*

70. *Dresdae* in Saxonia, cod. A. 55. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 204. alia manus inscripsit: *Breviloquium sancti Bonaventure*, et fol. 205. post finem adiecit: *Deo gratias. Explicit Breviloquium Bone venture, finitum in die Oswaldi etc. LX. anno* (1460).

71. *Ibidem*, cod. A. 191. membr. in 4. saec. XIII. — In parte superiore 1. fol. manus posterior exaravit: *Fratris Bonaventure ordinis fratrum minorum et cardinalis.* Hinc prima manus: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure.* Desinit folio 65. *e.* ut in editis.

72. *Einsiedeln* in Helvetia, bibliotheca Monasterii, cod. 276. membr. in 8. saec. XIV. — Manus posterior exaravit pro titulo: *Bonaventure theologia.* Continet Breviloquium a pag. 1. ad 223.

73. *Erfordiae* in Borussia, bibliotheca Regia, collectio Amplonianа, cod. 103. membr. in fol. — Breviloquio subiicitur: *Explicit Breviloquium Bonaventure cardinalis, scriptum de anno MCCCLX. XXIII. martii.*

74. *Ibidem*, cod. 35. chart. in 6. saec. XV. — Habet in initio: *Incipit Breviloquium in tota sacra pagina*, et subiicitur fini: *Explicit Breviloquium sacre theologie Bonaventure scriptum et completum per me Engelbertum Toglant.*

75. *Ibidem*, cod. 12. membr. in 4. saec. XIV. incunt. — Fol. 48. v. in summa parte legitur: *Incipit Breviloquium*, et fol. 131. v. post finem additur: *Dextera scriptoris benedicta sit omnibus horis.*

76. *Ibidem*, cod. 20. membr. in 4. saec. XIV. — Est titulus: *De ortu, progressu et statu sacre scripture.* Breviloquium passim abbreviatum et incompletum.

Digitized by Google

77. *Ibidem*, cod. saec. XV. inscriptus: *Isti sunt libri, quos ego Amplonius Ratynck de Berka habeo;* sub n. 133. recenset: *volumen bonum, sed parvum, in quo sunt Breviloquium Bonaventure quatuor sententiis correspondens* etc.

78. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. chart. in fol. exaratus anno 1457. — Fol. 299. legitur: *Sequitur Breviloquium Bonaventure.* Desinit fol. ultimo codicis verbis: *Et sic est finis Breviloquii Bonaventure venerabilis magistri.*

79. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 26. (olim Conventus Ss. Annunciatae 1345.) membr. in 8. saec. XV. circa medium. — Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 81. r. col. 2. ut in editis.

80. *Ibidem*, cod. Leopold. CVIII. membr. in fol. saec. XV. — Titulus est fol. 112. r. col. 1. per verba: *Incipit Breviloquium in sacra scriptura, liber magistri Bone fortune.* Desinit fol. 158. col. 1. ut in editis. Dein grandioribus litteris: *Explicit Breviloquium in sacra scriptura.*

81. *Friburgi* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. 3. L. membr. in fol. saec. XIV. — Breviloquium est mutilum in principio; incipit enim fol. 57. r.: *De sacramento eucharistie hoc tenendum* etc. Desinit: *ardentissime transferantur. Explicit.*

82. *Gedani* (Danzig) in Borussia, bibliotheca Ecclesiae S. Mariae, scrin. 70. cod. 2. membr. in 8. saec. XIV. — incipit folio 1. r. sine titulo et desinit fol. 51. r. ut editi. Additur: *Explicit Breviloquium pauperis hominis in scriptura.*

83. *Genevae* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. 23. partim membr. in fol. saec. XV. — Fol. 112. r. prima manus exaravit: *Incipit compendium fratris Bonaventure.* Ad calcem altero, sed coeva manus notavit: *Liber iste totus correctus ad exemplaria, prout se dedit opportunitas, ut maiori animo ipsum conspicientes studium adhibeant, preces fundite pro his qui operam libro dederunt.* — Alia iterum manus sic Breviloquium commendat: *Si libro predicto volueris cum omni diligentia laborare ac studiose in animo recondere quas in ipso descripta sunt, ex omnibus his quae Magister sententiarum in suo libro conscripsit, intellectum capies ac in theologia fructum magnum presentiae, quemadmodum poterit experientia docere.*

84. *Giessae* in Hassia, cod. 673. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 243. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura*, et fol. 295. r. legitur: *Explicit Breviarium Bone venture.*

85. *Gottingae* in Hannovera, bibliotheca Universitatis, cod. th. Luneb. 33. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 1. r. sine titulo. Desinit verbis: *Explicit tractatus, qui dicitur Breviloquium, editus a Bonaventura ordinis fratrum minorum.*

86. *Gottwicae* (Göttweig) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 254. chart. in fol. saec. XV. — Continet inter alia Breviloquium sub rubrica: *Incipit tractatus introductorius ad intelligentiam sacre scripture et fidei christiane, de illis septem de quibus est theologia.* Desinit: *Et sic est finis Breviloquii Bone venture egregii doctoris super sacram paginam. Anno domini MCCCCLVII. feria 4. post festum s. Galli, die XIX mensis octobris, hora vesperarum in sacro Basileensi concilio pronunciatum.*

87. *Gratianopoli* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 772. membr. in 8. saec. XIV. exeunt. — Fol. 6. r. inscribitur: *Incipit prologus in Breviloquium a fratre Bonaventura ordinis minorum compositum.* Ad calcem additur: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.*

88. *Hafniae* urbis princeps in Dania, bibliotheca Regia, cod. 1381. chart. in 4. — Circa medietatem voluminis fol. r. sine numero notatur: *Incipit Breviloquium Bone venture.* Desinit: *nobis prestet omnipotens Deus. Amen. Explicit Breviloquium Bone venture communiter nominatum. Anno Domini 1444. in profesto vincula Petri* (sic).

89. *Hagae comitum* in Hollandia, cod. 206. membr. in 8. saec. XIV. — Breviloquium incipit et desinit absolute sine ullo titulo; quae ipsum praecedunt et sequuntur exarata sunt saec. XV.

90. *Heidelbergae*, bibliotheca Universitatis, cod. 358. 44. chart. in 4. saec. XV. — Habet in principio: *Incipit prologus Breviloquii Bone venture.* Desinit ut in editis.

91. *Herbipoli* in Bavaria, bibliotheca Conventus S. Crucis Minorum Conventualium, cod. C. I. 2. chart. in fol. saec. XV. — Incipit sine ullo titulo; ad finem vero haec subiciuntur: *Domini Bonaventure doctoris devoti Breviloquium. Littavie fideliter scriptum summaque diligentia correctum explicit feliciter. Anno incarnationis Domini MCCCCLXXII.*

92. *Hilarmi* (Wilhering) in Austria, bibliotheca Monasterii Patrum Cisterciensium, cod. 136. m. in 4. saec. XIII. exeunt. — Breviloquium incipit circa medietatem codicis, prosequitur usque ad cap. 6. quintae partis, cetera desiderantur.

93. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. B. B. Tab. 145. n. 17. membr. in 4. saec. XIII. — Fol. 66. r. alia manus saec. XIV. praemisit: *Incipit Breviloquium Bonaventure;* sed prima manus exaraverat ad calcem huius folii: *Breviloquium pauperis in scriptura sacra.* Desinit fol. 98. r. ut editi, addito *Explicit.*

94. *Insulis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. numero vacat (olim 22.), chart. in fol. saec. XV. — Fol. 46. r. est titulus: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure de ordine minorum.* Desinit fol. 88. v. col. 2; additur: *Finitur hic Breviloquium fratris Bonaventure de ordine minorum.*

95. *Lambacii* in Austria superiore, bibliotheca Monasterii patrum ord. S. Benedicti, cod. 142. membr. in 4. saec. XIV. incunt. — Post finem operis prima manus adiecit: *Explicit Breviloquium theologye magistri Bonaventure.* In hoc etiam cod. est additamentum ad cap. 4. partis II. ut supra n. 26.

96. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 342. chart. in 4. — Fol. 2. r. in parte superiore praemittitur: *Incipit Breviloquium eximii doctoris Bonaventure super quatuor libros sententiarum.* Eadem repetuntur post *Explicit* cum hac additione: *Finito libro sit laus et gloria Christo: et iste libellus est finitus anno Domini MCCCC55. in octava sancti Kiliani martyris Patroni nostri et Monasterii Lambacensis.*

97. *Leodii* in Belgio, bibliotheca maioris Seminarii, cod. H. 1. chart. in 8. saec. XV. — Est sub nomine auctoris in principio et fine hoc modo: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure de intelligentia sacre scripture. Laus Deo trino et uno in eternum.*

98. *Lipsiae*, bibliotheca Paulina, cod. 426. chart. in fol. saec. XV. — Initio et fine post *Explicit* titulatur: *Breviloquium Bonaventure*, simpliciter.

99. *Ibidem*, cod. 667. in fol. saec. XIV. — Praemittitur: *Incipit prologus in Breviloquium fratris Bonaventure*, additur in fine: *Explicit Breviloquium fratris Bone venture introductorius totius sacre scripture.*

100. *Ibidem*, cod. 662. membr. in 8. miscellaneus. — Breviloquium est saec. XIV. incunt. sub titulo: *magistri Bonaventure*

Digitized by Google

Breviloquium pauperis in sacra scriptura. Incipit fol. 163. r. et desinit fol. 196. v. col. 2. ut in editis.

101. *Londini* in Anglia, collectio Arundeliana, cod. 336. membr. in 8. saec. XIV. — Breviloquium incipit fol. 4. r. col. 1. a tabula capitulorum, deest prologus; est mutilum etiam in fine, desinit enim cap. ultimo partis VII. verbis: *quanto differt Creator a creatura.*

102. *Ibidem*, collectio Regia, cod. 8. D. 66. membr. in 4. saec. XIV. — Ad calcem 4. fol. scriptor posuit titulum operis: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura.* E regione vero: *Summa Bonaventure.* Desinit fol. 49. v. col. 1. ut editi.

103. *Ibidem*, collectio Lambethana, cod. 455. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Breviloquium incipit fol. 127. r. et desinit fol. 203; manus posterior adiecit: *Explicit compendium theologie fratris Bonaventure.*

104. *Ibidem*, collectio Harleiana, cod. 3811. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 8. praemittitur: *In nomine D. N. J. C. incipit Breviloquium Bone venture*, et desinit fol. 152. v. ut in editis.

105. *Ibidem*, cod. 3995. membr. in 4. saec. XV. — Est titulus fol. 1. r.: *Incipit Breviloquium de veritate theologie fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum.* Desinit fol. 42. v., adiungitur: *Facto fine, laudetur ergo Maria. Amen.*

106. *Ibidem*, cod. 1801. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 9. r. in superiore parte legitur: *Titulus huius opusculi est Breviloquium pauperis de VII partibus theologie.* Etiam in fine, qui est fol. 63. v., post *Explicit* scripsit prima manus, quae opus exaravit: *Summa fratris Bonaventure de septem partibus theologie.*

107. *Ibidem*, collectio Regia, C. 10. XII. cod. membr. in fol. saec. XIV. incunt. — Breviloquium incipit fol. 2. r., cui alia, sed antiqua manus hanc rubricam praefixit: *Summa Bonaventure, cuius intentio patet per rubricas verso folio conscriptas.* De hoc codice locuti sumus etiam tom. III. pag. VIII n. 43. et tom. IV. pag. VI n. 45.

108. *Ibidem*, collectio Arundeliana, cod. 332. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 162. r. in margine superioris partis exaratus ruberis litteris est titulus: *Summa Bonaventure.* Desinit fol. 230. ut in editis.

109. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. 8. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. est titulus sic inscriptus a manu prima: *Incipit prologus in Breviloquium fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum.* Desinit fol. 95. v. in fine sine ullo additamento.

110. *Ibidem*, cod. 152. chart. in 4. saec. XV. — In principio voluminis notatur: *Liber Henrici de Merevack pastoris in Arssig* (Arsen?), deinde eadem manus: *Contenta in hoc volumine. Breviloquium Bonaventure de sacra theologia per rationes sumtas a primo principio.* Antiqua manus notavit tantum: *Incipit Breviloquium in prologus* (sic) *pauperis in scriptura sacra.* Incipit fol. 2. r. et desinit fol. 82. v. col. 2. verbis: *in secula seculorum. Amen.*

111. *Ibidem*, cod. 168. membr. in 8. saec. XV. — A fol. 60. r. usque ad fol. 90. r. complectitur Breviloquium in compendium redactum, cui praemittitur hoc elogium: *Incipiunt veritates theologie, quas Bonaventura in septem partes distinctas in Breviloquio suo posuit, singulis singulas subnotans rationes non tam pulcherrimas quam verissimas, hic brevitatis gratia praetermissas.* Additur in fine: *Expliciunt veritates theologie.*

112. *Lucernae* in Helvetia, bibliotheca Cantonalis, cod. 45. membr. in fol. saec. XV. — Est sub titulo: *Incipit Breviloquium fratris Bone venture.* Opus detruncatum; prosequitur enim usque ad partem III. tantum.

113. *Lugduni* in Gallia, cod. 162. membr. in 4. — Initio praemittuntur haec verba: *Incipit Breviloquium fratris Bone adventure episcopi cardinalis ad explanationem totius theologie in sex* (sic) *partes distinctum. Prologus.* Eadem repetuntur ad calcem, quibus additur: *Laus Deo. 4. 449.*

114. *Mantuae* in Italia, bibliotheca Publica, cod. 292. C. I. 30. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Titulus: *Breviloquium Bonaventure ordinis minorum de doctrina sacre scripture.* Incipit et desinit ut editi.

115. *Ibidem*, cod. 885. H. I. 11. membr. in 8. saec. XIII. sub fine. — Breviloquium est anonymum et sine ullo titulo.

116. *Matriti*, bibliotheca Universitatis, vulgo *del Noviciado*, cod. 118-6. chart. in 8. saec. XIV. — Est sine nomine auctoris et desinit fol. 75. v.

117. *Medelci* in Austria, bibliotheca Monasterii ord. S. Benedicti, cod. C. 22. chart. in fol. — Fol. 64. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura.* Ad finem fol. 107. additur: *Explicit Breviloquium Bonaventure secunda feria ante nativitatem virginis Marie, anno 1463.*

118. *Mediolani* in Italia, bibliotheca Universitatis *Brera*, cod. A. F. XIII. 35. chart. in fol. saec. XV. ante medium. — Fol. 1. r. habetur: *Incipit prologus super summam compilatam a fratre Bonaventura de ordine minorum de veritate theologie et dicitur Breviloquium eiusdem.* Desinit fol. 24. v. in secundo capitulo sextae partis. Reliqua desiderantur.

119. *Ibidem*, cod. A. D. IX. 40. membr. in fol. saec. XV. — Praemittitur Breviloquio tantum hoc verbum: *Proemium.* Ad calcem non scriptor, sed forsan corrector codicis haec notavit: *D. Ios. Dominichus de Pegis fecit hoc die ultimo Iulii, MD.XXXIII.*

120. *Meiningen* in Germania, bibliotheca Principis, cod. 41. lat. I. progress. 208. chart. saec. XV. — Incipit sine titulo fol. 218. v. et desinit fol. 250. ut in editis.

121. *Ibidem*, 41. lat. I. progress. 2. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Incipit fol. 1. r. et desinit fol. 52. Prima manus addit: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure generalis ministri fratrum minorum.*

122. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. 363. membr. in 4. saec. XIV. — Initio et fini additur titulus operis et nomen auctoris.

123. *Ibidem*, cod. 476. membr. in 8. saec. XIV. — Ad calcem tantum notatur: *Explicit liber quem fecit frater Bonaventura de ordine fratrum minorum.*

124. *Ibidem*, cod. 518. membr. in 8. saec. XIV. — In initio solum notantur: *Breviloquium theologie.* Desinit fol. ultimo codicis ut in editis.

125. *Ibidem*, cod. 628. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Ante ponitur: *Incipit Breviloquium hominis pauperis Bone venture.*

126. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 7711. chart. in 4. saec. XV. — Nominatur: *Compendium vite eterne fratris Bonaventure.* Etiam in fine additur: *Explicit Bonaventure qui dicitur liber vite eterne.*

127. *Ibidem*, cod. 11430. chart. in fol. saec. XV. — In fine cum titulo ponitur nomen auctoris hoc modo: *Explicit*

Digitized by Google

Breviloquium Bone venture. Deo gratias, 1450, per Iohannem de Manffelt.

128. *Ibidem*, cod. 8868. chart. in fol. saec. XV. — Praemittitur fol. 179. r.: *Incipit Breviloquium in scriptura.* Desinit fol. 229. r. sine nomine auctoris.

129. *Ibidem*, cod. 8496. chart. in 4. saec. XV. — Ad finem operis scriptor addit: *Explicit Breviloquium Bone venture. Deo gratias.*

130. *Ibidem*, cod. 9659. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Praemittitur initio: *Incipit Breviloquium quod fecit Bonaventura.* Desinit folio 74. v. ut editi.

131. *Ibidem*, cod. 9066. chart. in 8. saec. XV. exeunt. — Nomen auctoris et operis praemittitur in principio, et iterum in fine his verbis: *Finis Breviloqui sancti Bonaventure doctoris seraphici ordinis sacri minorum. Ad gloriam Dei et scriptoris.*

132. *Ibidem*, cod. 8826. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 134. incipit cum indicatione operis et auctoris. Desinit fol. 170. r. per haec verba: *Explicit Breviloquium scripture fratris Bonaventure doctoris ordinis minorum, quem sanctus Franciscus in pueriti etate de fauce mortis liberavit, qui postea factus fuit magister et doctor gloriosus theologus et totius ordinis generalis minister et cardinalis.*

133. *Ibidem*, cod. 2694. membr. in 8. saec. XIV. — In principio et fine inscribitur: *Breviloquium Bone fortune.*

134. *Ibidem*, cod. 7885. chart. in fol. saec. XV. — Initio praemittitur: *Compendium fratris Bone venture cardinalis de ord. minorum*, et fini additur: *Explicit Bonaventure qui dicitur liber vite eterne.*

135. *Ibidem*, cod. 9805. chart. in 4. saec. XV. — Breviloquium incipit fol. 135. r. et desinit fol. 187. r.: *in secula seculorum. Amen.*

136. *Ibidem*, cod. 18632. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 23. r.: *Prologus in Breviloquium domini Bonaventure albanensis episcopi fratris de ordine minorum.* Etiam in fine fol. 149. v. additur: *Explicit Breviloquium domini fratris Bonaventure.*

137. *Montiscassini*, bibliotheca Monasterii, cod. 184. membr. saec. XIV. incunt. — Incipit fol. 103. sub titulo: *Summa theologie fratris Bonaventure.* Desinit fol. 119: *Explicit opusculum fratris Bonaventure Breviloquium in scriptura. Ioannes scripsit qui benedicatur.*

138. *Montis Hannoniae* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 213. membr. in fol. saec. XV. — In initio et fine praenotatur: *Breviloquium pauperis*, sine nomine auctoris.

139. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. D. VII. 41. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. r.: *Incipit Breviloquium pauperis.* Desinit fol. 74. ut in editionibus.

140. *Neoburgi* (Klosterneuburg) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 581. chart. in fol. saec. XV. — Breviloquium incipit et editum, sed deficit in cap. 4. partis III. verbis: *deficiendo a vero.*

141. *Ibidem*, cod. 937. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit et desinit absque ullo titulo operis vel auctoris.

142. *Niceae ad mare*, cod. II. XXI. H. 8. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Alia, sed coaeva manus initio praemisit: *Breviloquium doctoris seraphici d. Bonaventure, seu compendium theologie, opus insigne et pretiosissimum. Flecto genua* etc. Prosequitur usque ad finem.

143. *Norimbergae*, bibliotheca Civitatis, cod. VI. 48. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Praemittitur fol. 4. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura;* in fine: *Explicit Breviloquium.*

144. *Oeniponte*, bibliotheca Universitatis, cod. 620. chart. in 4. saec. XV. — Incipit sine titulo, sed fini additur: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane Bonaventure cardinalis et doctoris eximii, ordinis fratrum minorum. Deo gratias.*

145. *Ibidem*, cod. 696. membr. in 8. saec. XV. — A fol. 4. r. prosequitur usque ad fol. 132. Post finem leguntur fere eadem, quae in praecedente notavimus.

146. *Olomucii* in Moravia, bibliotheca Regia, cod. II. h. 23. membr. in 8. saec. XIV. — Alia manus posuit titulum et nomen auctoris tam in principio quam in fine.

147. *Ibidem*, cod. II. d. 8. chart. in fol. saec. XV. — Sine ullo titulo praeter haec verba addita ad finem Breviloquii: *Laus tibi sit Christe, quia liber explicit iste.*

148. *Olyssipone* in Portugallia, bibliotheca Academiae scientiarum, cod. Gab. 5. Est. 19. n. 3. membr. saec. XIII. exeunt. — Breviloquio praemittitur: *Incipit liber theologie.* Prosequitur ut editi usque ad cap. 1. partis VII. ad verba: *in quo scripta sunt omnia.* Cetera desiderantur.

149. *Oxoniae* in Anglia, cod. canonic. 284. membr. in 4. saec. XIV, codex mutilus. — In principio ad finem prologi profertur titulus his verbis: *Incipit Breviloquium cuiusdam pauperculi minoris de sacra scriptura.* Eadem repetuntur post *Explicit liber septimus.*

150. *Ibidem*, cod. 265. membr. in 4. parvo, saec. XIV. exeunt. — Fol. 4. r. legitur: *Incipit prologus in librum qui dicitur Breviloquium f. B.* Desinit fol. 141. ut in editis.

151. *Ibidem*, bibliotheca Bodleiana, cod. C. 16. membr. in 8. saec. XIV. — Antiqua manus omisit nomen auctoris et operis, sed recens tantum in principio scripsit: *Breviloquium S. Bonaventure.*

152. *Ibidem*, cod. Collegii S. Ioannis Baptistae, 189. membr. in 8. saec. XIV. — Idem scriptor operis exaravit in fine: *Explicit summa fratris Bonaventure.*

153. *Ibidem*, cod. 190. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Fol. 66. r. habetur: *Incipit prohemium in librum fratris Bonaventure*, et fol. 116. v. desinit: *Completo qualicumque pauperis Breviloquio, ecce amantissime in termino mentis affectus.*

154. *Ibidem*, cod. Collegii Mertonensis, 4. 10. membr. saec. XIV. exeunt. — Prima manus notavit in fine: *Explicit fratris Bonaventure breviarium.*

155. *Ibidem*, cod. Collegii Novi, 96. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit fol. 20. et desinit 139. Additur a prima manu: *Explicit Breviloquium fratris Bone fortune.*

156. *Ibidem*, cod. 291. membr. in fol. — Breviloquio praemittitur: *Incipit summa que dicitur breviarium pauperis;* et additur in fine fol. 173. r.: *Explicit Breviloquium pauperis in sacra scriptura, compilatum a fratre Bonaventura de ordine minorum, scriptum anno 1452. inceptum 6. die septembris et finitum ultima die eiusdem. Deo gratias.*

157. *Ibidem*, cod. 88. membr. in fol. saec. XIV. incunt. — Incipit fol. 205. r. sub rubrica: *Prohemium in sequens opus*, sine alia indicatione. In fine, fol. 318. v. additur simpliciter *Explicit.*

Digitized by Google

158. *Ibidem*, bibliotheca Bodleiana, cod. B. 513. membr. in 4. saec. XV. — Continet Breviloquium translatum in lingua hibernica sub hac rubrica fol. 6. r.: *Translatio tractatus S. Bonaventure. Flecto genua.*

159. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15557. membr. in 4. saec. XIII. exeunt. — Incipit fol. 3. r., cui praemittitur: *Breviloquium pauperis in sacra scriptura.* In fine fol. 52. v. additur *Explicit.*

160. *Ibidem*, cod. 15829. membr. in fol. saec. XIII. — Sine ulla nota auctoris et mutilum ante finem ad verba: *Deum quam se et omnes*, cap. ultimo partis VII.

161. *Ibidem*, cod. 14891. membr. in 4. saec. XIV. incunt. — Breviloquium incipit fol. 104. r. et desinit fol. 170. r. his verbis: *Explicit Breviloquium pauperis fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum.*

162. *Ibidem*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 906. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit fol. 63. r. et desinit fol. 109. his verbis: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane.* Deest nomen auctoris, sed infra ponitur.

163. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 2042. membr. in fol. saec. XIV. incunt. — Incipit fol. 67. r. sub titulo: *Breviloquium pauperis in scriptura a fratre Bone aventure ordinis minorum.* Desinit fol. 84. verbis: *Explicit Breviloquium.*

164. *Ibidem*, cod. 2049. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 27. v.: *Incipit prohemium in librum qui dicitur breviarium magistri Bonaventure ministri generalis.* Eadem recurrunt fol. 63. post *Explicit.*

165. *Ibidem*, cod. 3682. membr. in 8. saec. XIV. — Incipit: *Flecto genua mea* etc., desinit fol. 118: *per amabilem consiliarium;* pauca, quae desunt, fuerunt avulsa.

166. *Ibidem*, cod. 3683. membr. in 8. saec. XIV. — Initio praemittitur: *Incipit Breviloquium pauperis.* Et post finem notatur: *Ex libris fr. Antonii Pagi ord. minorum Conventualium.*

167. *Ibidem*, cod. 16392. chart. in 4. saec. XIV. exeunt. — Habet initium fol. 1. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura sacra fratris Bonaventure ad explanationem totius theologie in septem partes distinctum.* Desinit fol. ultimo codicis.

168. *Patavii*, bibliotheca S. Antonii, cod. 109. A. 4. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit sub titulo recenter exarato, sed prima manus subiunxit in fine: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane*, alia manus coaeva sequitur: *Fratris Bonaventure ordinis minorum.*

169. *Pelplini*, bibliotheca Seminarii, cod. V. K. c. 6. membr. in fol. saec. XIV. incunt. — Incipit et desinit ut in editis; sequitur in fine: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.*

170. *Portu* in Portugallia, bibliotheca Municipalis, cod. 825. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — Incipit fol. 32. r. et desinit fol. 108. v. his verbis a prima manu exaratis: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture. Deo gratias.*

171. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. VIII. E. 14. membr. in 4. saec. XIV. incunt. — Incipit fol. 1. r. sub titulo: *Summa theologie fratris Bone venture.* Desinit fol. penult. ut editi.

172. *Ibidem*, cod. V. B. 21. chart. in fol. saec. XV. incunt. — In initio praemittitur: *Breviloquium magistri Bonaventure.* Desiderantur nonnulla ultimi capituli.

173. *Ibidem*, cod. V. C. 8. chart. in fol. — Ad calcem tantum additur: *Explicit Breviloquium magistri Bonaventure, sub anno Domini MCCCCXII.*

174. *Ibidem*, cod. IX. C. 3. chart. in fol. saec. XV. incunt. — Incipit post alia sine titulo. Desinit ut in editis; additur: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure de bayco* (sic) *regio, de ordine fratrum minorum. Deo gratias.*

175. *Ibidem*, bibliotheca Musaei Nationalis, cod. I. D. 11. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 152. r. alia manus exaravit: *Incipit Bonaventura super sententias magistri Petri in Breviloquium.* Desinit fol. 233. ut in editis. Deinde: *Iam tu frater cessa, quia manus est tibi fessa.*

176. *Ibidem*, bibliotheca Capituli, cod. B. LI. chart. in 4. saec. XV. — Circa medium voluminis est initium hoc titulo: *Incipit prologus in Breviloquium pauperis in scriptura.* Eadem repetuntur post *Explicit*, omisso auctoris nomine.

177. *Ibidem*, cod. C. XVII. chart. in fol. saec. XIV. exeunt. — Est titulus: *Ad honorem omnipotentis Dei incipit Breviloquium.* Desinit: *Explicit Breviloquium de articulis fidei et de intelligentia sacre scripture.*

178. *Ratisbonae*, bibliotheca Civitatis, cod. 29. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 199. r. sub titulo: *Breviloquium Bonaventure.* Desinit fol. 225. r. Post *amen* additur a prima manu: *Deo gratias, et sic est finis. Explicit Breviloquium Bone venture supra sacram scripturam, distinctum in septem libros sententiarum.*

179. *Regimontii* in Borussia, bibliotheca Regia, cod. theol. in fol. 1070. membr. saec. XIV. — Fol. 172. r.: *Incipit prohemium Breviloquii Bonaventure.* Desinit fol. 213. r. col. 2. ut in editionibus.

180. *Ibidem*, cod. 1699. membr. in fol. saec. XIV. incunt. — Notatur fol. 1. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura.* In decursu operis desunt nonnulla folia, et codex detruncatur etiam in fine.

181. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. urbin. 121. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 244. r. est titulus: *Breviloquium Bonaventure ordinis fratrum minorum feliciter incipit*, et fol. 284. v. eadem repetuntur post *Explicit.*

182. *Ibidem*, cod. 590. chart. saec. XV. incunt. — Praemittitur initio: *Incipit Breviloquium Bonaventure.* Prosequitur et desinit ut editio.

183. *Ibidem*, cod. Palat. 138. membr. in 4. saec. XIII. exeunt. — Habet pro titulo simpliciter: *Incipit Breviloquium in sacra scriptura.* Multas exhibet postillas tam in margine quam ad calcem foliorum, manu saeculi XV. exaratas, ut videtur.

184. *Ibidem*, cod. 919. — De hoc codice locuti sumus tom. I. pag. LXIX n. 39. Opus comprehenditur a fol. 1. usque ad 70; in principio notatur: *Incipit Breviloquium Bonaventure.*

185. *Ibidem*, cod. 221. membr. in 8. saec. XIV. — Ad finem tantum profertur nomen auctoris sic: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.*

186. *Ibidem*, cod. 920. membr. saec. XIV. — Inscribitur: *Breviloquium*, simpliciter. Manus aevi posterioris pluribus in locis opus correxit.

187. *Ibidem*, cod. 922. membr. in 8. saec. XIV. — Habet ab initio titulum: *Breviloquium*, sed omittitur nomen auctoris.

188. *Ibidem*, cod. Regin. 62. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 41. in parte superiore legitur: *Incipit prologus in Breviloquium fratris Bonaventure de ordine minorum;* et fol. 143. post finem additur: *Finito libro, referamus gratias Domino nostro Iesu Christo.*

Digitized by Google

189. *Ibidem*, bibliotheca Casanatensis, cod. A. V. 51. membr. saec. XIV. — In fine subiungitur: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure, magistri Parisius nec non et ministri generalis ordinis fratrum minorum, de intelligentia sacre scripture et fidei christiane.*

190. *Ibidem*, cod. A. VI. 16. membr. in 8. saec. XIV. — Est sub titulo *Breviloqui* et nomine *fratris Bonaventure.*

191. *Ibidem*, cod. B. VI. 30. membr. in 8. saec. XIV. — Incipit sine auctoris nomine, sed subditur fini: *Explicit Breviloquium beati domini Bonaventure ordinis fratrum minorum super theologia.*

192. *Ibidem*, cod. A. V. 43. membr. in 8. saec. XIII. — Legitur fol. 1. r.: *Incipit prologus in Breviloquium pauperis in scriptura.* Desinit ut in editis.

193. *Ibidem*, bibliotheca Angelica, cod. F. 6. 13. chart. saec. XV. exeunt., valde nitidus et pulcre depictus. — In initio et fine exhibetur nomen operis et auctoris sub titulo *sancti* et *Doctoris seraphici.*

194. *Rothomagi* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. A. 464. membr. in 4. saec. XIII. — Habet pro titulo: *Incipit Breviloquium pauperis de intelligentia sacre scripture et fidei christiane.* Desinit his verbis: *Explicit iste liber, scriptor sit crimine liber. Deo gratias.*

195. *Salisburgi*, archivum Monasterii S. Petri, cod. A. IV. 32. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Breviloquium nullum habet titulum, sed manus saec. XV. praemisit in initio: *Incipit tractatus Bone venture.*

196. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii ord. S. Benedicti, cod. Hospital. 118. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Codex est mutilus in principio; incipit n. § 1. Prologi. Deest nomen operis et auctoris.

197. *Schaffhusae* in Helvetia, bibliotheca Pastorum, cod. 70. membr. in 8. saec. XIII. — Fol. 1. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura.* Est sine ullo nomine auctoris. Reliqua ut in editis.

198. *Schlettstadii* in Alsatia, cod. 1153. chart. in fol. saec. XV. — Habet pro titulo: *Breviarium fratris Bone fortune.* Incipit et desinit ut in editis.

199. *Senis* in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. U. V. 8. membr. in 8. saec. XV. — Incipit: *Flecto genua mea etc.* Desinit fol. 74. v. ut in editionibus.

200. *Solodori* in Helvetia, bibliotheca Cathedralis, cod. 2. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 3. r. legitur in superiore parte: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure de sacra scriptura.* Eadem repetuntur in fine cum additione: *anno Domini MCCCCXXXVII. crastino sancti Cunradi hora tertia post meridiem.*

201. *Stuttgartiae*, bibliotheca Regia, cod. Dogmat. 27. membr. in 8. saec. XIII. — Habet pro titulo: *Breviloquium pauperum* tantum, et in fine: *Explicit compendium*, omisso nomine auctoris.

202. *Taurini*, bibliotheca Universitatis, cod. D. VI. 7. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 154. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura, sive compendium theologie fratris Bonaventure.* Desinit ut editi, fol. 196. v. col. 2. Scriptor lepide addit: *Penna gradum siste, quoniam liber explicit iste.*

203. *Ibidem*, cod. E. VI. 3. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Incipit fol. 1. r.: *Flecto genua mea* etc., ac desinit fol. 72. v. Additur: *Explicit Breviloquium*, tacito nomine auctoris.

204. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 364. membr. in 4. saec. XV. incunt. — Prima manus addidit post finem: *Explicit Breviloquium Bonaventure sacre scripture.* Haec eadem verba alia manus praemiserat in principio post *Incipit Breviloquium* etc.

205. *Trecis* in Gallia, cod. 1882. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Breviloquium saepe saepius est interpolatum, sed convenit in reliquis cum edito; tacetur nomen auctoris, et fini subiicitur: *Explicit liber de penitentia.*

206. *Ibidem*, cod. 1965. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Incipit fol. 1. r. hoc titulo: *Fratris Bone fortune Breviloquium in sacra scriptura.* Desinit ut in editis.

207. *Trevirus*, cod. 404. chart. in fol. — Incipit fol. 1. r. ut editum. Post finem additur haec nota: *Explicit Breviloquium sacre scripture editum et compilatum a Bonaventura cardinali, scriptum vero per me Petrum Copplyn de Lynes clericum Trevirensis diocesis sub anno Domini MCCCC quinquagesimo primo etc.*

208. *Ibidem*, cod. 686. chart. in 8. — Praemittitur: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure de intelligentia sacre scripture et fidei christiane.* In fine vero, repetitis his verbis, additur: *anno 1481 in die sancte Cecilie virginis.*

209. *Turonis* in Gallia, cod. 375. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Est sub titulo: *Breviloquium pauperis in scriptura.* Desinit fol. ultimo codicis cum additione: *Explicit liber qui Breviloquium dicitur*, omisso auctoris nomine.

210. *Vesuntione*, cod. 4. 49. membr. in 8. parvo, saec. XIII. exeunt. — Fol. 2. r.: *Incipit tractatus Breviloqui pauperis.* In fine etiam haec eadem verba repetuntur, quibus additur: *Deo gratias.*

211. *Vicii* (Vich) in Hispania, cod. XCIV. chart. in 4. saec. XIV. exeunt. — In initio praemittitur tantum: *Breviloquium pauperis in scriptura*, et nulla nota auctoris, cuius nomen tamen subnectitur aliis opusculis, quae Breviloquium praecedunt.

212. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1062. membr. in 4. saec. XIV. — Breviloquium incipit fol. 1. r. et desinit fol. 43. v. sine nota auctoris.

213. *Ibidem*, cod. 1578. membr. in 4. — Fol. 1. r. praemittitur: *Prologus in Breviloquium Bone venture;* et post finem additur: *Explicit liber Breviloquii Bone venture per manus duorum, qui dividitur in septem partes. Anno Domini MCCCLXXXXV.*

214. *Ibidem*, cod. 1713. membr. in 8. saec. XV. a diversis exaratus. — Breviloquium decurrit a fol. 1. r. ad 119. r. In principio et in fine apponitur titulus operis et nomen auctoris.

215. *Ibidem*, cod. 1333. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit Breviloquium;* alia manus addidit: *Bonaventura super sacram paginam distinctum in septem libros.* Desinit fol. 63. v. ut in editis.

216. *Ibidem*, cod. 362. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 110. v.: *Incipit Breviloquium Bonaventure.* Eadem iterum recurrunt fol. 175. v. post *Explicit.*

217. *Ibidem*, cod. 1849. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit fol. 1. r. et desinit fol. 30. r., vacat titulo et nomine auctoris.

218. *Ibidem*, cod. 263. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — A diversis manibus conscriptus, convenit cum Breviloquio edito et vacat omni titulo ut praecedens.

Digitized by Google

219. *Ibidem*, cod. 7938. membr. saec. XIV. prima pars codicis, alia chart. saec. XV. in 8. — Praeponitur titulus: *Incipit summula quae dicitur Breviloquium*, sine nomine auctoris.

220. *Wiesbaden*, cod. sine numero, cuius titulus: *Opus ascelicum*, chart. in fol. — Breviloquium incipit fol. 222. v. col. 2. et producitur usque ad fol. 236. v., sed abrumpitur partis VII. cap. 1: *secundum exigentiam meritorum*. Inde scriptor prosequitur: *Et tuata sint scripta de Breviloquio Bonaventure doctoris eximii, de quo Deus gloriosus sit benedictus in secula seculorum. Amen. 1474.*

221. *Wratislaviae*, cod. 1. cl. in fol. 310. chart. saec. XIV. — Breviloquium incipit fol. 158. r. sine ullo titulo et desinit fol. 164. r. in cap. 7. partis II; cetera sunt avulsa.

222. *Ibidem*, cod. 1. cl. in quarto 62, membr. et partim chart. saec. XIV. — Breviloquium alia manus eiusdem saeculi intitulavit: *Compendium theologie Iohannis de Bona ventura*. Desinit ut editum, fol. 70. v. in fine.

223. *Ibidem*, cod. 1. cl. in octavo 11, membr. saec. XIII. exeunt. — Est sub titulo: *Breviloquium pauperis in scriptura*, sine nomine auctoris. Continetur a folio 1. r. usque ad 65. verso.

224. *Ibidem*, cod. 1. cl. in fol. 157. — Incipit fol. 272. r. sub titulo *Breviloquii*, desinit fol. 346. r. sub conclusione: *Explicit Breviloquium domini Bonaventure cardinalis, fratris de ordine minorum*. Codex exaratus est anno 1459.

225. *Ibidem*, cod. 1. cl. in fol. 588. partim membr. saec. XIII. exeunt., partim chart. saec. XIV. exeunt. — Antiqua manus praemisit: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura*. Manus secunda post *Explicit* repetit eadem verba et addit: *Bonaventura minister minorum fecit.*

226. *Zwettel* in Austria, cod. 76. membr. in fol. saec. XIV. — Post alia opera, quae *Ulricus*, ut legitur, *scripsit*, *Hermannus quoque pinxit*, *Griffo coniunxit*, *libris alus sociavit anno ab incarnatione Domini MCCCXXI*, sed ab eodem manu est exaratum: *Breviloquium Bone venture. Flecto genua mea* etc. Desinit: *in secula seculorum. Amen.*

227. *Posonii* (Preslburg in Hungaria), bibliotheca Capituli, cod. 886. membr. saec. XIV. — Continet prologum quendam in Breviloquium, quem nullus alius exhibet codex; de quo vide quae supra diximus c. 3. § 3.

CAP. IV.

In Itinerarium mentis in Deum.

Hoc celeberrimum opusculum aa. 1259 circa initium Octobris et in monte Alvernae scriptum esse, testatur ipse Bonaventura in Prologo, n. 2. Nemo dubitare potest, quominus hoc Itinerarium sit opus genuinum, in quo quam maxime elucet Seraphici Doctoris ingenium et spiritus caelesti lumine adornatus. Pro Bonaventura auctore dant testimonium cum Henrico Gandavensi et Ubertino a Casali et tot codicibus alii per sex saecula quam plurimi testes. Quod Gersonius (supra c. III. § 1.) de excellentia eiusdem dixit, id multis aliorum sapientum virorum testimoniis confirmatur. Adiecimus in fine scholion, ut opusculum propter sublimitatem et brevitatem satis arduum facilius intelligatur.

§ 1. **Nonnulli de hoc opusculo tentarunt scribere explanationes.** — Saeculo XV. quidam Lector Ordinis Minorum ad explanandum hoc Itinerarium edidit opusculum inscriptum: *Liber de investigatione Creatoris per creaturas.* Invenitur hoc scriptum, cuius apographum habemus, in quatuor manuscriptis eiusdem saeculi:

1. In bibliotheca Publica civitatis *Hannover*, cod. 6. in 4. — Incipit fol. 128. r. et desinit fol. 177. v. his verbis: « Explicit liber de vestigio (sic) Creatoris per creaturas, quem composuit fr. *Bertoltus cule*, lector in ordine fratrum minorum ». — Sed in aliis tribus codicibus auctor vocatur *Bertramus* (Bertrannus) *de Alen*. In hoc codice interdum non pauca addunt, quae in aliis tribus desiderantur. Fortasse propter haec additamenta, licet sint exigui momenti, opusculum attribuitur alii auctori.

2. In bibliotheca civitatis *Magdeburg*, cod. sign. 12. — Fol. 154. incipit: « Liber de investigatione Creatoris per creaturas ». Desinit fol. 237. r. sic: « Explicit tractatus de investigatione Creatoris per creaturas ». In utroque loco deest nomen auctoris, sed in ipso tractatu (ante medium), ubi habetur: « Omnia predicta calculavi per me ipsum, radicibus sumptis a Ptolomeo Alfrago [in seq. cod. scribitur Alfragano] », per modum Glossae sequitur: « Hec frater Bertramnus de Alen doctor egregius ».

3. In bibliotheca civitatis *Erfurt*, cod. sign. 21. in fol. chart. — Fol. 102. r. incipit: « Liber doctoris eximii *Bertrami* de investigatione Creatoris per creaturas ».

4. In bibliotheca civitatis *Goerlitz*, cod. sign. 27. — Incipit fol. 195. v. et in fine legitur: « Explicit liber de investigatione Creatoris per creaturas cuiusdam lectoris fratrum minorum etc., nomine Bertramus de Alen doctoris eximii ».

Cum hic tractatus sit ignotus et de S. Bonaventurae Itinerario agat, nonnulla de eodem ex cod. Magdeburgensi, adhibitis aliis correcto, hic referenda esse videntur.

Incipit Prooemium: « Bonaventura, doctor devotus, septimus generalis Minister post beatum Franciscum, volens fratres suos docere, quomodo in Deum per contemplationem ascendereat; demonstravit septem itinera, per quae homo faciliter ad cognitionis divinae obiectum saltem in aenigmate in statu viae pertingere possit; dummodo Deus ad mentem lucem emittat, quae hominem ipsum deducat et adducat in montem sanctum suum et in tabernacula sua. Sed quia idem venerabilis Pater multum subtiliter et nimis obscure dicta itinera posuit, ita quod etiam viri multum in sacris Scripturis illuminati vix ipsum in sua doctrina capere possint; idcirco ego, volens me ipsum primo exercitare et post hoc simplicibus fratribus intentionem tam sancti viri declarare, verbis simplicibus et stilo communi dicta itinera, quae in principio sui primi capituli posuit de investigatione Creatoris per creaturas, coepi percurrere et inveni, quod per creaturarum *originem*, *multitudinem*, *pulcritudinem*, *plenitudinem*, *operationem* et *ordinem* ad notitiam divinam contemplando homo devotus lucide valeat pertingere et Deum in cunctis creaturis radiose contemplari. Tanto autem acutius Deum in creaturis videt, quanto per sedulam confessionem mentem magis purgat... Unde Bonaventura in suo Itinerario [c. 1. n. 8. et deinde n. 1.]: Qui vult in Deum ascendere » etc.

Primum cap. inscribitur: « De cognitione Dei, et quomodo homo lucide ipsum in creaturis cognoscat »; in quo multa extrahit ex Bonaventura, 1. Sent. d. 3. p. 1. q. 1. 2. et magnam partem capitis 5. Itinerarii transcribit. — Cap. 2. agit de octo radiis sive gradibus cognoscendi Deum secundum Bonaventuram aliosque auctores, et deinde novem capitulis de creaturarum *origine*, *conservatione*, *distinctione*, *plenitudine* (omnia plena formis), *multitudine*; de *daemonum multitudine*, *tenta-*

Digitized by Google

tione et casu, de *ordine rerum creatarum*, de *magnitudine caeli* (ubi auctor satis curiosas computationes *proprias* refert) et de *admirabili materia caeli empyrei*.

Sequuntur alia multa capitula de Angelis, de Sanctis, de B. Maria V., de humanitate Christi, de caelo Ss. Trinitatis, de influentia Dei in animas, de microcosmo (sive de homine), in quo relucet Dei potentia, sapientia et bonitas (haec compilata sunt ex Itinerario mentis in Deum), de mirabili sapientia Dei circa praedestinatos, de visione Dei, de contemplatione divinae bonitatis. — Conclusio opusculi transcripta est ex Itinerario, c. 1. n. 13.

Ex hoc prospectu satis apparet, hoc scriptum non esse proprie Commentarium in Itinerarium S. Bonaventurae. Auctor enim modo suo discurrit de rebus, quas Bonaventura tractat in cap. 1, et de aliquibus in c. 2. contentis. Tacet de c. 3. 4. 6. 7; et ad explicandos locos difficiles fere nihil affert. Argumenta, quae habet, tractat magis secundum rationem *scientiae naturalis* quam secundum rationem philosophiae vel theologiae mysticae. Praeter Bonaventuram citat S. Thomam, Scotum, Aegidium R., Brigidam, Hildegardem, Gilbertum, *Conradum in Summa collationum;* saepe etiam Hugonem a S. Vict., Augustinum, Gregorium, Boethium et Aristotelem. — Nihilominus opusculum non est male scriptum nec in genere suo spernendum.

Alia expositio Itinerarii recentior, quam non vidimus, scripta est a P. Martino Turnhout Ord. Min., Belga et Lectore s. theologiae in Conventu Lovaniensi, qui teste Waddingo mortuus est an. 1540. Titulus operis est: Declaratio Itinerarii mentis in Deum a sancto Bonaventura compositi per sermones distributa.

§ 2. **Itinerarium mentis in Deum plurimis editionibus est divulgatum et exstat adhuc in multis codicibus manuscriptis.** — Habetur ipsum in omnibus opusculorum et omnium operum collectionibus, etiam in prima, quae est sine anno et loco impressionis (cfr. infra c. 11.). Praeterea seorsum, vel cum Breviloquio coniunctum pluries editum est. — Versum est in plures linguas recentiores, praesertim post inventionem artis libros typis imprimendi. Inter versiones typis expressas nominamus *Italicam* per Albertinum de Litona Vercellensem, factam et an. 1502 in 4. Venetiis impressam, et alteram Caesaris Galletti Florentina an. 1582 in 12. editam. — In linguam *Germanicam* versum est a P. Ludovico Moser Ord. Carthus. (qui vixit Basileae «in sant Margretenthal»), simul cum septem aliis S. Bonaventurae opusculis unoque S. Thomae. Impressum est Basileae per Mich. Furter, an. 1506 in 12. Itinerarium ibi occupat octavum locum et incipit: Sant Bonaventura über den tractat genant der wegwiser oder wegfart. Exstat in bibliotheca Sangallensis monasterii, *Incunab.* 77. — Recentior Germanica versio edita est Monasterii Westphalorum ante fere 50 annos a religiosissimo professore philosophiae Dr. Christoph. Schlüter.

Cl. P. Henr. Denifle Ord. Praed. in sua egregia editione (Monachii 1876): Die Schriften des seligen Heinr. Seuse, Deutsche Schriften, II. pag. 261, nota 9, primus observavit, B. Henricum Susonem Ord. Praed. in suo opusculo *Exemplar* ex Itinerario S. Bonaventurae (c. 5. 6.) sumsisse fere totum suum c. 54. germanice expressum. Sed quod doctissimus vir (ibi pag. 263, nota 4.) insinuat, Bonaventuram confudisse *primum a mente cognitum* cum Deo, saepius quidem ab aliis viris doctis asserum est, sed falso. Nec nobis dubium est, quin clarissimus ille Pater nobisque amicitia coniunctus, instituto accuratiore Bonaventurianae sententiae examine, idem nobiscum de hoc sit sensurus. Nam totum c. 5. Itinerarii est de *esse*, quod est *supra nos*, quatenus contemplatur *oculo illuminato*, qui advertit, quod *esse subsistens* est *primum in Deo* (essentia metaphysica), ex quo omnia alia attributa fluunt, secundum nostrum modum intelligendi (cfr. scholion ad Itinerar. n. 9 et Hexaëm. collat. 5. n. 29-32. et 10. n. 10. 11.).

I.

Codices a nobis collati cum textu Vaticanae editionis.

1. *Cortonae* in Tuscia, bibliotheca Publica, cod. 209, chartaceus, in 4. saec. XV. exeuntis. — Folio 78. r. praemittitur titulus operis Itinerarii mentis in Deum his verbis: *Incipit liber domini Bonaventure de Balneoregio ordinis minorum, qui dicitur Itinerarium mentis in Deum. Incipit prologus. In principio primum principium* etc. Deinde: *Explicit prologus. Incipiunt gradus sive capitula sequentis operis.* Prosequitur sicut in editis. Finem claudunt haec verba: *Explicit liber, qui dicitur Itinerarium mentis in Deum.* — Signatur littera O.

2. *Magdeburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. XII. oct. 25. chart. exaratus anno 1477. — Itinerarium est sub nomine *patris Bonaventure* incipit fol. 98. r. et desinit fol. 120. r. ut in editis. — Sign. Q.

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 663. membranaceus, in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 200. r.: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 212. r.: *Dicat omnis populus: fiat, fiat. Amen.* Tacetur nomen auctoris. — Sign. B.

4. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 8439. chart. in fol. saec. XV. — In fol. 158. v. est haec rubrica: *Incipit proemium. Prologus. Opus consequens dicitur Itinerarius de ascensu mentis in Deum. Quem Itinerarium composuit frater Bonaventura, olim generalis minister ordinis fratrum minorum, postea dominus cardinalis et episcopus albanensis. In principio* etc. Desinit fol. 166. r. sine ullo additamento. — Sign. C.

5. *Ibidem*, cod. 17837. chart. in fol. saec. XV. — Operi praemittitur titulus: *Prologus Itinerarii mentis in Deum, compilati a fratre Bonaventura, ordinis fratrum minorum generali ministro. In nomine Domini incipit.* Prosequitur usque ad fol. 270. r., ubi concludit: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.* — Sign. D.

6. *Ibidem*, cod. 21232. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 73. v. est rubrica: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 84. v. ut in editis, omisso nomine auctoris. — Sign. E.

7. *Ibidem*, cod. 23449. membr. in 8. saec. XIV. — Itinerarium incipit fol. 134. v., dicitur: *compilatus de fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro.* Desinit fol. 149. r. verbis: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.* — Sign. F.

8. *Ibidem*, cod. 2033, de quo vide supra pag. XVIII n. 11. — Fol. 97. v.: *Incipit Itinerarius mentis in Deum fratris Bonaventure.* Eadem verba repetuntur in fine fol. 108. r. post *Explicit.* — Sign. H.

9. *Ibidem*, cod. 13102, de quo vide supra pag. XVIII n. 15. — Ante initium Itinerarii, quod est fol. 167. r., nullus est titulus, sed tantum antiqua manus notavit stilo lapideo: *Bonaventure.* Post prologum vero subditur: *Incipit Itinerarius mentis in Deum fratris Bonaventure cardinalis romane ecclesie et*

Digitized by Google

episcopi albanensis, septimi generalis ordinis fratrum minorum, de gradibus ascensionis in Deum et de speculatione ipsius per vestigia eius in universo. Desinit fol. 176. v. ut in editis. — Sign. I.

10. *Ibidem*, cod. 2657, de quo vide supra pag. XVIII n. 13. — Praemittitur fol. 207. v.: *Incipit Itinerarius a fratre Bonaventure compositus mentis in Deum. In principio* etc. Explicit fol. 220. r. ut editi. — Sign. K.

11. *Ibidem*, cod. 2721. membr. saec. XIV. — Itinerarium incipit fol. 41. v. sub titulo iisdem verbis disposito ut in praecedente codice. Desinit fol. 73 v. ut in editione. — Sign. L.

12. *Ibidem*, cod. 23864. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 204. v. incipit: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura Ordinis fratrum minorum generali ministro. In nomine Domini incipit. — In principio* etc. Fol. 214.: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.* — Sign. M.

13. *Ibidem*, cod. 7974. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus Itinerarii mentis in Deum. In principio* etc. Desinit fol. 11. r. verbis: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.* — Sign. N.

14. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 14807. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Itinerarium incipit sine titulo fol. 155. r.: *In principio* etc. In tabula contentorum codici annexa notatur hoc modo: *Itinerarium mentis iture in Deum, editum a domino Bonaventura, cuius sunt septem capitula.* In fine operis leguntur verba: *Explicit Itinerarium mentis in Deum fratris Bonaventure.* — Sign. A.

15. *Tuderti* in Umbria, cod. 182. membr. in 8. saec. XIV. incuntis. — Fol. 90. r. legitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum.* Post prologum subiciuntur capitula, ut moris est codicum; deinde additur: *Incipit speculatio pauperis in deserto; primum capitulum de gradibus ascensionis in Deum et de speculatione ipsius et vestigio eius de universo. Beatus vir* etc. Desinit fol. 100. r.: *et dicet omnis populus: fiat, fiat. Amen.* — Sign. P.

Cod. Monacensis M iam anno 1877 a quodam nostro collaboratore bene collatus est; postea vero ab alio colluboratore hoc nesciente iterum variantes eiusdem codicis collectae sunt. Quando pro huius tomi editione diversorum codicum lectiones in unum componebantur, non animadvertimus illum errorem, sed alterum lectionum scriptum distinximus littera G. Duae illae collationes bene conveniunt, non excepto illo loco (pag. 310, nota 9.), in quo erroneae positae sunt duae lectiones. Litterae igitur G et M non repraesentant nisi unum codicem.

Editiones huius opusculi inter se et cum codicibus in rebus alicuius momenti rarius dissidebant, quam in aliis operibus observavimus. Tamen ope codicum meliorem textum exhibemus emendatiorem, collecto magno numero variarum lectionum, in quarum electione habuimus rationem tum interioris praestantiae tum antiquioris aetatis, quam habebant codices. Antiquitas non raro coniungitur cum multis defectibus; ita cod. Parisiensis A pluribus librarii erroribus foedatus est, tamen saepe confirmavit electas ex aliis codicibus lectiones.

II.

Codices a nobis non collati.

16. *Admontis* in Austria, bibliotheca Monasterii ord. S. Benedicti, cod. 657, de quo vide supra pag. XIX n. 27. Post Breviloquium legitur: *Incipit prologus fratris Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Deinde fol. seq. sine numero: *In principio* etc. Desinit fol. 2. ante ultimum: *fiat, fiat. Amen.*

17. *Atrebatis*, bibliotheca Civitatis, cod. 772. chart. in 4. saec. XIV. — Fol. 138. r. habetur: *Incipit prologus in libro, qui dicitur Itinerarium mentis in Deum, edito a fratre Bonaventura theologo et viro sancto.* In fine fol. 161. r. additur: *Explicit Itinerarium Bonaventure. Laus Deo in eternum.*

18. *Basileae*, bibliotheca Publica, cod. VIII. B. 29. membr. in 8. saec. XIV. incuntis. — Foliorum series non est numerata. Post tractatum Hugonis: «Quo studio et quo affectu orandus est Deus»: *Incipit prologus* (manus saec. XV. intercluisit: *fratris Bonaventure*) *in Itinerarium mentis in Deum.* Secunda manus etiam in fine addit: *Explicit Itinerarium mentis in Deum fratris Bonaventure ordinis fratrum minorum.*

19. *Ibidem*, cod. B. IX. 7. membr. in 8. plurium aetatum. Itinerarium est saec. XV. — In initio et fine additur cum titulo nomen simpliciter: *Bonaventure.* Hic codex relatus est supra pag. XIX n. 35.

20. *Ibidem*, cod. 4. A. 20. chart. in fol. scriptus anno 1445, ut legitur in fine. — Itinerarium habet titulum in principio et in fine, et hoc postremo loco additur *fratris Bonaventure.*

21. *Ibidem*, cod. V. E. 50. chart. miscellan. — Itinerario praemittitur: *Prologus Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Et additur ad calcem: *Finit Itinerarium mentis in Deum beati Bonaventure 1495.*

22. *Bonnae*, bibliotheca Universitatis, cod. S. 313. inter theolog. chart. in 8 saec. XV. — Post medium voluminis: *Incipit tractatus Bonaventure cardinalis et septimi post beatum Franciscum ministri ordinis minorum, de gradibus ascensionis. Beatus vir* etc. Deficit in cap. 7. n. 5. ad verba: *silentio caliginem obscurissimo.*

23. *Brugis* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 137. membr. in 8. saec. XIV. — Abest prologus et fol. v. legitur: *Incipiunt capitula Itinerarii mentis in Deum fratris Bone fortune.* Desinit: *Defecit caro mea et cor meum etc. Explicit Itinerarium mentis in Deum.*

24. *Campodali* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 137. membr. in fol. saec. XIV. ante medium. — Fol. 278. 2: *Incipit liber, qui dicitur Itinerarius de ascensu mentis in Deum, quem edidit frater Bonaventura olim generalis minister ordinis fratrum minorum.* Ad finem fol. 285. v. additur: *Explicit Itinerarius Bonaventure.*

25. *Cantabrigiae*, bibliotheca Universitatis, cod. I. h. 34. membr. in 4. saec. XV. — Itinerarium incipit pag. 186: *In principio* etc., et desinit pag. 201: *Fiat, fiat*, sine ullo titulo nec nomine auctoris. Desunt etiam omnes rubricae, pro quibus scriptor conveniens in unoquoque loco reliquit spatium.

26. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sanctissimae Trinitatis, cod. B. 1. 44, de quo vide supra pag. XX n. 37. — Fol. 80. r. est titulus a secunda manu exaratus: *Itinerarium bone mentis in Deum*; et tertia manus scripsit inferius: *Bonaventura.* Sequitur et desinit ut in editis, fol. 85. v. verbis: *Explicit Itinerarium mentis in Deum.*

27. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Emmanuelis, cod. 1. 3. 12. membr. in 4. saec. XV. incuntis. — Praemittitur tantum in principio titulus: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum*, sine nomine auctoris. Desinit ut editi: *Fiat, fiat. Amen.*

28. *Colmariae* in Alsatia, bibliotheca Civitatis, cod. (olim

Digitized by Google

Monasterii Parisiensis) membr. in 8. saec. XV. — Fol. 130. r. est titulus: *Incipit Itinerarius mentis in Deum. In principio* etc. Desinit fol. 150. v. solis verbis additis: *Explicit Itinerarius.*

29. *Coloniae*, bibliotheca Ecclesiae Metropolitanae, cod. XXXIX. (olim liber Monasterii Canonicorum Regularium urbis Aquensis) chart. in 8. exaratus anno 1426. — Fol. v. in initio habetur: *Incipit prologus Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Hic titulus additur etiam in fine, omisso nomine Bonaventurae.

30. *Confluentiae*, bibliotheca Gymnasii Civitatis, cod. 45. membr. in 8. saec. XIV. incuntis. — Itinerario altera manus eiusdem saeculi praefixit titulum et etiam in fine addidit: *Explicit Itinerarius mentis in Deum Bone venture.*

31. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis, cod. 1570. A. A. II. 29. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Itinerarium incipit pag. 300, col. 1. sine titulo et omisso prologo; desinit pag. 318 sic: *Dicet omnis populus: Amen. Explicit liber Bone venture de septem gradibus ascensionis in Deum. Amen.*

32. *Cremisani*, bibliotheca Monasterii ord. S. Benedicti, cod. 280. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 336. r. legitur: *Incipit prologus operis sequentis*, sed ad calcem eiusdem habetur: *Explicit prologus. Incipit Itinerarius mentis iture in Deum fratris Bonaventure cardinalis romanae ecclesiae, episcopi albanensis septimi generalis ordinis fratrum minorum, de gradibus ascensionis in Deum. Beatus vir* etc. Post *Amen* pius scriptor addit: *Quicumque hec legis memento Phylippi peccatoris.*

33. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 896. membr. in 8. saec. XV. incuntis. — Itinerarium incipit fol. 169. r. sine ullo titulo: *In principio* etc. Desinit fol. 183. r., additur tantum: *Explicit Itinerarius in Deum.* De hoc codice locuti sumus etiam supra pag. XX n. 68.

34. *Ibidem*, cod. 706, de quo vide supra pag. XX n. 68. — Itinerarium incipit sub titulo, sed absque nota auctoris fol. 90. r. et desinit fol. 97. v. ut editi.

35. *Ibidem*, cod. 2662. chart. in 8. saec. XIV. exeunt. — Fol. 41. r.: *Incipit Itinerarius mentis iture in Deum magistri Bone venture.* Etiam in fine fol. 68. v. additur: *Explicit Itinerarius in Deum Bone venture.* Sequitur explicatio quorundam terminorum capituli quarti, quae recurrit etiam in codice hic notato sub n. 33.

36. *Duaci* in Gallia, cod. 449. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 170. r. operi praemittitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura compositum.* Desinit fol. 177. r. hoc modo: *Fiat, fiat. Amen. Et quia vidi dominum et hec dixit mihi: salus tua ego sum.*

37. *Dusseldorpi* ad Rhenum, cod. sine nota, chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. legitur: Liber Cruciferorum in Düsseldorp; fol. 2. r.: *Incipit prologus Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 18. v. ut in editis; additur: *Finit Itinerarius mentis in Deum beati Bonaventure.*

38. *Erfordiae* in Borussia, bibliotheca Regia, cod. 21. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 111. r.: *Prologus in Itinerarium mentis in Deum Bonaventure.* Desinit fol. 122. v. ut in editis, hinc: *Explicit Itinerarius in Deum Bonaventure, qui alias Eustachius appellatur, cardinalis de ordine fratrum minorum.*

39. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. VIII. B. 1817. membr. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 9. r. praemittitur: *Itinerarium mentis in Deum beate* (sic) *Bonaventure.* Desinit fol. 17. ut in editionibus.

40. *Ibidem*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 27. Conventus sanctissimae Annuntiatae, membr. in 8. saec. XIV. incuntis. — Itinerarium incipit fol. 87. r. sine ulla nota auctoris vel operis et desinit simili modo fol. 97. v. ut in editis.

41. *Ibidem*, bibliotheca Riccardiana, cod. 2104. chart. in 8. saec. XV. a pluribus scriptoribus exaratus. — Fol. 112. r. praemittitur a prima manu: *Prologus opusculi qui* (sic) *intitulatur Itinerarium de septem itineribus eternitatis, editi a beato Bonaventura cardinali de ordine minorum.* Postrema vero manus haec addidit in fine fol. 127. r.: *Explicit Itinerarium mentis in Deum, quem fecit frater Bonaventura ordinis fratrum minorum. Deo gratias. Amen.*

42. *Gandavi* in Belgio, cod. 291. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. prima manus praemisit: *In nomine Domini. Amen. Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum compilatum. In principio* etc. Eadem repetuntur fol. 14. r., ubi desinit.

43. *Gedani*, bibliotheca sanctae Mariae, Scrin. 55. cod. progress. 10. membr. in fol. saec. XV. — Itinerarium habet initium fol. 198. v. et finem fol. 206. r. Omittitur omnino titulus et nomen auctoris.

44. *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. 678. chart. in fol. saec. XV. — Itinerarium incipit fol. 153. r. sub hac rubrica: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura.* Desinit fol. 164. r. ut ceteri, sine alia indicatione.

45. *Ibidem*, cod. 725. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 61. v. in initio tanc habet rubricam: *De graditus ascensionis in Deum et de speculatione ipsius per vestigia eius in universo sanctus Bonaventura in suo Itinerario mentis in Deum*, c. I. *Sex sunt gradus...* Vide edit. cap. 1. n. 6. Desinit ad finem capituli primi: *possessione tua.*

46. *Gottwicii* (Göttweih), bibliotheca Monasterii, cod. 285. chart. in 4. saec. XV. — Folio 1. r.: *Incipit prologus Itinerarii mentis in Deum.* Desinit fol. 26. r. et additur: *Explicit Itinerarius mentis in Deum domini Bonaventure cardinalis ordinis minorum generalis ministri.*

47. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, cod. 910. chart. in 4. saec. XV. exeunt. — Scriptor posterior praemisit Itinerario: *Incipit Itinerarium in Deum sancti Bonaventure.* Desinit: *Fiat, fiat. Amen*, ut in editis.

48. *Gratianopoli* in Gallia, cod. 772. membr. in 8, de quo vide supra pag. XXI n. 87. — Fol. 114. r. in parte superiore legitur: *In nomine Domini incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro compositum.* Desinit fol. 137. r.: *Fiat, fiat, Amen.* Opus exaratum saec. XIV. exeunte.

49. *Hallae*, bibliotheca Universitatis, cod. theol. in fol. y. c. 2. chart. saec. XIV. exeunt. — Itinerarium incipit fol. 3. r. col. 1. et desinit fol. 14. v. ut in editis, sine ulla indicatione operis vel auctoris.

50. *Hamburgi*, bibliotheca Wolfiana, cod. 8. chart. in 4. saec. XV. — In superiore parte pag. 215 legitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum Bone venture 1442.* Pagina 256: *Explicit Itinerarius in Deum Bone venture.*

51. *Hilarini*, bibliotheca Monasterii, cod. 103. chart. in 4. saec. XV. ante medium. — Itinerarium incipit et desinit ut in editis, sine ulla indicatione auctoris vel operis.

52. *Hildesiae* (Hildesheim), bibliotheca Gymnasii episcopalis,

Digitized by Google

cod. 27. membr. in 4. saec. XV. — Itinerario praemittitur in principio et additur in fine titulus et nomen auctoris.

53. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. B. B. Tab. 145. num. 17, de quo locuti sumus supra pag. XXI n. 93. — A folio 106. v. ad 109 r. complectitur quaedam ex initio prologi Itinerarii, nempe n. 1. et 2. sub hoc titulo: *Incipit de contemplatione Bone fortune.*

54. *Laudani*, cod. 146. membr. in 4. — Post alia praemittitur Itinerario rubrica haec: *Prologus in Itinerarium mentis in Deum. In principio* etc. Et subiicitur: *Explicit Itinerarium mentis in Deum venerabilis fratris Bonaventure, scriptum et expletum hac VII.ª martii, anno Domini millesimo IIII.° LXXIIII.*

55. *Leodii*, bibliotheca Seminarii maioris, cod. 6. N. 2. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 2. r. est rubrica: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum Bonaventure.* Haec eadem repetuntur post *Explicit*, sed omisso nomine Bonaventurae.

56. *Londini*, collect. Harleana, cod. 3811, de quo vide supra pag. XXII n. 104. — Itinerarium incipit fol. 162. v. sub hoc titulo. *Tractatus domine* (sic) *Bonaventure, de VII gradibus ascensuum in Deum et de speculatione ipsius. In principio* etc. Desinit fol. 173. verso.

57. *Ibidem*, cod. 4728. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. Itinerarium incipit absolute: *In principio* etc. Desinit fol. 10. r., cui additur: *Explicunt meditationes Bonaventure magistri.*

58. *Ibidem*, collect. Regia, cod. 6. E. III. membr. in fol. saec. XV. — Itinerario deest prologus, incipit fol. 38. v. ut desinit fol. 44. r.; notatur in fine: *Explicit Itinerarium mentis in Deum, compilato* (sic) *a fratre Bonaventura.*

59. *Lugduni*, cod. 162. de quo vide supra pag. XXII n. 113. — Praemittitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum fratris Bone adventure episcopi cardinalis.* Sequitur et desinit ut in editis. Codex pulcre exaratus, litteras initiales habet auro et minio ornatas.

60. *Mantuae* in Italia, bibliotheca Regia, cod. 463. B. I. 18. membr. in 8. — Post alia opuscula complectitur Itinerarium mentis in Deum sub nomine auctoris. Incipit et desinit ut in editis.

61. *Massiliae*, bibliotheca Civitatis, cod. E. b. 191. membr. in 4. saec. XV. — Itinerario praemittitur titulus et nomen auctoris ab alia manu, clauditur inde: *Explicit compendium contemplationis ardue Bonaventure doctoris eximii.*

62. *Madrili*, bibliotheca Escorialis, cod. J. II. 25. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 147. r. ab alia manu notatur a regione: *Incipit itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura.* Decurrit usque ad verba: *nisi scum vel cogitem*, quae sunt cap. 3. n. 4. nostrae editionis.

63. *Mechliniae*, bibliotheca Seminarii maioris, cod. num. vacat chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r. prima manus exaravit: *Incipit itinerarium mentis in Deum editum a fratre Bonaventura generali ministro et servo ordinis fratrum minorum, de ascensione mentis in Deum.* Desinit fol. 21. v.: *Fiat, fiat. Explicit hic liber, scriptor sit termune* (sic) *liber. Si vis esse cenobita* etc.

64. *Medelcii*, bibliotheca Monasterii, cod. B. 23. chart. in 8. — Pagina 1 est titulus sic: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro.* Haec eadem repetuntur in fine operis, quibus scriptor addidit: *Finivi in die sancti Benedicti abbatis, anno Domini 1432.*

65. *Ibidem*, cod. II. 42. chart. in 8. saec. XV. — Opus incipit fol. 86. v. sub hoc titulo: *Itinerarii mentis in Deum Bonaventure prologus. In principio* etc. Desinit fol. 104. r. ut in editis.

66. *Ibidem*, cod. N. 7. membr. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 1. r. hac rubrica: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro.* Desinit fol. 12. r. his verbis: *Explicit Itinerarius.*

67. *Metis* in Gallia, cod. 625. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 4. r. praemittitur operi: *Incipit Itinerarium mentis in Deum Bonaventure.* Desinit: *Fiat, fiat. Amen.*

68. *Moguntiae*, cod. chart. 556. progress. 301. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Itinerarium incipit fol. 1. r. sub titulo, sed omisso nomine auctoris; desinit fol. 37. r. sine alia indicatione.

69. *Ibidem*, cod. chart. 563. progress. 317. chart. in 8. saec. XV. — Post alia fol. 31. r. legitur: *Incipit modo Itinerarium mentis in Deum, et primo prologus.* Desinit fol. 58. v. ut in editis.

70. *Ibidem*, cod. chart. 186. progress. 553. membr. in 4. saec. XV. — Circa mediietatem voluminis ipsum opus praemittitur prologo hoc modo: *Incipit Itinerarius Bonaventure iture mentis in Deum. Beatus vir* etc. Prosequitur usque ad finem ut editi; hinc: *Explicit parvum bonum Bonaventure cardinalis ordinis fratrum minorum;* ut postea: *Incipit prologus in tractatum precedentem, scilicet Itinerarium mentis in Deum Bonaventure. In principio* etc.

71. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 14152. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 397. r. legitur: *Prologus sancti Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Et fol. 420. v.: *Explicit Itinerarius.*

72. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 5014. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 20. r.: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro. In nomine Domini.* Desinit fol. 57. r.: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.*

73. *Ibidem*, cod 7505. chart. in fol. saec. XV. — Itinerario praemittuntur in principio et subiiciuntur in fine eadem verba, quae leguntur in codice praecedente. Incipit fol. 223. r. et desinit fol. 231. recto.

74. *Ibidem*, cod. 7666. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 187. r. est titulus: *Incipit Itinerarium Bonaventure.* Desinit fol. 206. v. ut in editis.

75. *Ibidem*, cod. 18651. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 136. r. sub titulo Itinerarii et nomine Bonaventurae. Fol. 154. r. clauditur his verbis: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.*

76. *Ibidem*, cod. 11430, de quo vide supra pag. XXII n. 127. Est titulus fol. 257. r. post prologum: *Incipit Itinerarius mentis in Deum fratris Bonaventure cardinalis romane ecclesie et episcopi albanensis, septimi generalis ordinis fratrum minorum, de gradibus ascensionis in Deum. Beatus vir* etc. Desinit fol. 269. r.: *Fiat, fiat. Amen.*

77. *Ibidem*, cod. 9066, de quo vide supra pag. XXIII n. 131. — Fol. 174. r. habetur: *Prologus Bone venture in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 196. r. Pars postrema ultimi cap. ab alia manu eiusdem aevi fuit exarata.

Digitized by Google

78. *Ibidem*, cod. 3238. chart. in 8. saec. XV. — Post alia opera fol. 50. r. sequitur: *Itinerarius mentis in Deum*. Desinit fol. 73. r. sub additione: *Explicit Itinerarium mentis in Deum*, sine ulla nota auctoris.

79. *Ibidem*, cod. 4425. membr. in 8. saec. XIV. exeunt. — Est rubrica fol. 1. r. sic: *Incipit Itinerarius mentis in Deum venerabilis magistri Richardi. In principio* etc. Desinit fol. 25. v. ut in editis.

80. *Ibidem*, cod. 18882. chart. in 8. — Est titulus fol. 123. v.: *Prologus Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum*. Deinde fol. 150. r.: *Finit Itinerarius mentis in Deum beati Bonaventure. Anno Domini MCCCC. nonagesimo.*

81. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 3. chart. in 8. saec. XV. exeunt. — Fol. 27. r.: *Incipit tractatus venerabilis domini Bonaventure qui intitulatur Itinerarium mentis in Deum. In principio* etc. Desinit fol. 38. v.: *Finl. fiat. Amen.*

82. *Montis Angelorum* in Helvetia, bibliotheca Monasterii ordinis sancti Benedicti, cod. V. 18. chart. in 8. saec. XIV. exeunt. — Itinerarium incipit fol. 17. v. et desinit fol. 31. r.: *Fiat, fiat. Explicit Itinerarium mentis in Deum fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum.*

83. *Ibidem*, cod. VI. 29. chart. in 8. saec. XV. — Post alia et aliorum opera fol. 283. r.: *Incipit Prologus in Itinerarium mentis in Deum Bonaventure*. Eadem verba recurrunt fol. 205. v. post *Explicit*.

84. *Ibidem*, cod. V. 14. chart. saec. XIV. circa med. — Itinerarium incipit fol. 62. v. et desinit fol. 89. r., cui additur: *Explicit Itinerarium mentis in Deum fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum, ut octava prius exerceatur, postea contemplativa.* Haec ultima verba leguntur etiam in codice praecedente sub n. 82.

85. *Nurmbergae*, Centur. I. 53. cod. membr. in fol. saec. XIV. exeunt. — A fol. 199. r. ad 207. v. complectitur Itinerarium sine ullo titulo et nomine auctoris.

86. *Oeniponte*, bibliotheca Universitatis, cod. 698. chart. in 8. saec. XV. — Incipit Itinerarium fol. 1. r. sine ullo titulo: *In principio* etc. Desinit fol. 31. r. ut in editis, et inde nihil aliud sequitur.

87. *Olomucii* in Moravia, bibliotheca Regia, cod. II. g. 30. chart. in 4. saec. XV. — Incipit Itinerarium fol. 169. r. sub hac rubrica: *Speculationes fratris Bonaventure. In principio* etc. Desinit fol. 184. v. cum additione: *Expliciunt speculationes pauperis in deserto. Amen.*

88. *Oxoniae* in Anglia, bibliotheca Collegii sancti Ioannis Baptistae, cod. 190, de quo vide supra pag. XXIII n. 153. — Fol. 117. r. in parte superiore praemittitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum*. Et fol. 123. v. additur: *Explicit contemplatio fratris Bonaventure.*

89. *Ibidem*, cod. 284, de quo vide supra pag. XXIII n. 149. — Fol. 83. v. legitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum editum a fratre Bonaventura. In principio* etc. Desinit fol. 93. v. ut in editis.

90. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 9615. chart. in fol. saec. XVI. — Aperit codicem sequens *Epistola fratris Iohannis Lardarelli, sacri ordinis Cluniacensis professoris ad carissimum fratrem T. B. eiusdem ordinis professorem, in Itinerarium beati Bonaventure doctoris eximii.* Ex hac igitur epistola quaedam tantum hic subiicimus. « Quocirca libellum hunc a D. Bonaventura compositum, iam quasi antiqua vetustate deletum, ad te mittere studui.... Sed quoniam vir desideriorum es, pregnanti more, cibos, quibus boni operis fructus in mente tua ab inspiratione divina concepti perfectum incrementum accipiant, a primeva etate desiderare te novi, ac mundorum animalium more, diutius in cordis palato ruminare. Codicem autem bipartitum invenies. Primo nempe, quo pacto mens humana gradatim per se ipsam conscendens sui ipsius cognitionem possit acquirere, tractatur. Postremo vero, qualiter ipsa mens ad sui Creatoris cognitionem valeat pertingere, superabunde declaratur. Ibi invenies manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit; invenies insuper et cibum, in cuius fortitudine ambulabis usque ad montem Dei, in quo videntur ipse Deus deorum in Syon. Accipiat itaque caritas tua aliene, absit ut dicam alienate caritatis munus; immo ut verius fatear, accipiat caritas tua quod iure sibi debetur. Non excutias oro manus tuas ab hoc munere; non enim ligat quos iam vinculo professionis ligatos invenit; sed tantum orationum tuarum fructum postulat, quarum assiduitas me ad illum in quem desiderant Angeli prospicere feliciter perducat. Vale in parta Virgineo ». Hinc subiungitur rubrica fol. 4. v.: *Incipit Itinerarium d. Bonaventure doctoris eximii ordinis minorum floris redolentissimi in duos tractatus divisum, prout facilius patet intuenti. Alius tractatus est: Itinerarium mentis in se quoad Deum.* Alia sequuntur ab eodem exarata, qui fol. 70. v. sic terminat: *Deo auspice finem huic operi imposuit dominus Iohannes Lardarelli immerentis (?) Cluniacensis ordinis professor, anno reconciliationis humane 1522, die vero mensis septembris octava.*

91. *Ibidem*, cod. 2049. membr. in fol. saec. XV. — Incipit Itinerarium fol. 20. r.: *In principio* etc., sine titulo, et desinit fol. 27. v.: *Fiat, fiat. Amen. Explicit contemplatio fratris Bonaventure ministri generalis fratrum ordinis minorum.*

92. *Posonii* (Presburg) in Hungaria, bibliotheca Capituli, cod. 1649. chart. in 8. saec. XVI. exeunt. — In prima parte voluminis fol. non numerato habetur: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro. In principio* etc. Desinit ut in editis, sine alia indicatione.

93. *Pragae*, bibliotheca Capituli, cod. N. LVI. chart. in 4. saec. XV. — Incipit Itinerarium fol. 138. r. hoc modo: *In principio primum invenimus.* Desinit fol. 146. v., additur: *Finitur Itinerarium mentis in Deum pro contemplatione.*

94. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. IX. C. 3, de quo vide supra pag. XXIV n. 174. — Fol. 21. v. praemittitur in superiore parte: *Incipit prologus fratris Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 29. v., post *amen* additur: *Et sic est finis.*

95. *Ibidem*, cod. I. G. 42. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 66. r. est titulus: *Incipit liber qui dicitur opus contemplationis.* Desinit fol. 78. v. ut in editis, vacat nomine auctoris.

96. *Ibidem*, bibliotheca Capituli, N. LV. chart. in 4. saec. XV. — Itinerarium habet initium fol. 145. r., sine ullo titulo et nota auctoris, explicit fol. 160. r. ut in editis.

97. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 1041. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 204. r. in parte superiore habetur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura compositum.* Prosequitur ut in editis.

98. *Ibidem*, cod. Regin. 82. membr. in 4, de quo vide supra pag. XXIV n. 188. — Itinerarium incipit fol. 143. r.: *In*

Digitized by Google

principio etc. Desinit fol. 163. r.: *Fiat, fiat. Amen.* Deest titulus et nomen auctoris.

99. *Ibidem*, bibliotheca Principum Barberinorum, cod. XL 53. membr. in fol. XIV. exeunt. — Praemittitur titulus sine nomine auctoris fol. 6. v. his verbis: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 14. v., sine alia indicatione.

100. *Ibidem*, bibliotheca Principum Chisianorum, cod. A. IV. 111. chart. saec. XV. — Itinerarium incipit fol. 1. r. et desinit fol. 38. cum additione: *Explicit Itinerarium mentis in Deum fratris Bonaventure cardinalis ordinis seraphici Francisci.*

101. *Ibidem*, bibliotheca Principum Corsinorum, cod. Col. 40. E. 29. chart. saec. XV. — Itinerarium est sub titulo et nomine Sancti *Bonaventure cardinalis.* Desinit ut in editis: *Fiat, fiat. Finis.*

102. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. A. II. 23. chart. in 8. saec. XV. — Itinerarium incipit fol. 98. r. sub hoc titulo: *Bonaventura de contemplatione.* Desinit fol. 131. v. ut editi.

103. *Sancti Floriani*, bibliotheca Monasterii Canonic. regular. cod. XI. 96. chart. in fol. saec. XV. incunt. — Itinerarium incipit fol. 85. v. sine titulo; desinit fol. 94. v. ad haec verba cap. 7. n. 5: *ab omnibus absolutus ascendas. Explicit tractatus utilis et profundus et multum ad devotionem provocans, editus a fratre et domino Bonaventura Cardinali.*

104. *Ibidem*, cod. XI. 160. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 113. r. in initio: *In nomine Domini. Incipit prologus Itinerarii mentis in Deum, compilati a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro.* Desinit fol. 133. ut in editis.

105. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, cod. 142. chart. in 4. — Pagina 119 legitur: *Itinerarius eternitatis Bonaventure. In principio* etc. Hinc pag. 235 post verba: *Fiat, fiat*, additur: *Explicit Itinerarius Bonaventure per me Mathiam cappellanum in Memmingen, anno 1477. in vigilia Adelhaidis, secunda die post festum Lucie virginis.*

106. *Sancti Trudonis* in Belgio, bibliotheca Conventus Recollectorum, cod. chart. — Pagina 74 est pro titulo: *Incipit magnum bonum Bonaventure, alias Itinerarius mentis in Deum, alias speculatio pauperis in deserto. Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum, factum a Bonaventura. In nomine Domini ac preclare genitricis sue felix progrediatur exordium, utile sustentetur medium, finis debitum sortiatur effectum. In principio* etc. Pagina 125 post verba: *Fiat, fiat*, se prodit scriptor: *G. Scots scripsit. Explicit manus bonum Bonaventura anno 1479.*

107. *Senis* in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. V. F. 20. membr. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 39. v. hac rubrica: *Hoc est Itinerarium mentis in Deum secundum fratrem Bonaventuram ordinis fratrum minorum.* Desinit verbis: *pax mea, Deus in eternum. Amen.*

108. *Ibidem*, cod. V. II. 6. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 81. v. habetur: *Itinerarium mentis in Deum Bonaventure. In principio* etc. Desinit ut in editis, fol. 92. verso.

109. *Suessionibus* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 118. membr. in 4. saec. XV. — Incipit Itinerarium, praemisso titulo, fol. 27. r. et desinit fol. 39. v. Post *Amen* additur: *Explicit Itinerarium venerabilis patris fratris Bone venture.*

110. *Taurini*, bibliotheca Universitatis, cod. I. VI. 13. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Itinerarium incipit fol. 74. r. sine ulla indicatione: *In principio* etc. et desinit, seu potius deficit fol. 77. v. ad verba cap. 4. n. 3: *secundum illas tres ordinationes, quae fiunt in Canticis canticorum.*

111. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 161. chart. in 4. — Circa finem voluminis continetur Itinerarium mentis in Deum exaratum anno 1474. Manus saec. posterioris titulo addidit nomen *Bonaventure.*

112. *Ibidem*, cod. 62. chart. in 8. saec. XV. — Inter alia et aliorum opera locum penultimum habet Itinerarium mentis in Deum, cui alia, sed coeva manus praemisit titulum et nomen auctoris et in fine addidit: *Explicit Itinerarius domini Bonaventure.*

113. *Ibidem*, cod. 366. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 84. r. ad calcem scriptor exaravit: *Incipit libellum Bone venture fratris minoris Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 98. v. ut in editis. Sequitur explicatio nonnullorum terminorum quarti capituli.

114. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Publica, cod. 668. progress. 775. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r.: *In nomine domini incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum o fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum compositum. In principio* etc. Eadem recurrunt fol. 13. post *Explicit*; et verbo *compositum* additur: *Cuius anima requiescat in gaudium sempiternum. amen.*

115. *Ibidem*, cod. 584. progress. 600. miscell. in 4. saec. XV. incuntis. — Fol. 30. r.: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum. In principio* etc. Desinit fol. 41. v. sine alia indicatione.

116. *Ibidem*, cod. 686. progress. 777, de quo vide supra pag. XXV s. 208. — Itinerarium incipit cum titulo operis et auctoris fol. 1. r. et desinit ut in editis; additur: *Explicit Itinerarius Bonaventure, 1479.*

117. *Ibidem*, cod. 853. progress. 580. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 187. r.: *Incipit Itinerarius mentis in Deum per egregium doctorem Bonaventuram compilatus, et primo premittitur prologus. In principio* etc. Desinit sine alio fol. 217.

118. *Ibidem*, cod. 373. progress. 713. chart. in fol. saec. XV. — Est titulus fol. 84. r. his verbis: *Incipiunt capitula in Itinerarium mentis in Deum Bonaventure.* Sequitur tabula capitulorum de gradibus ascensionis in Deum, hinc: *Prohemium sive prologus Bonaventure. In principio* etc. Et in fine, fol. 91. r.: *Explicit Bonaventura de gradibus ascensionis in Deum.*

119. *Ibidem*, cod. 889. progress. 1057. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Itinerarium est quintum inter opera in hoc codice habita. Incipit sine titulo: *In principio* etc. Post prologum et tabulam capitulorum subiicitur: *Incipit speculatio pauperis in deserto.* Desinit: *Fiat, fiat. Amen. Explicit contemplatio pauperis.*

120. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca sancti Fortunati, cod. 174. membr. in 8. saec. XIV. incuntis. — Ad calcem fol. 83. v. scriptor exaravit: *Incipit liber Itinerarii mentis in Deum.* Desinit fol. 96. r.: *Fiat, fiat. Amen.*

121. *Turonis* in Gallia, cod. 519. in 8. saec. XV. — Fol. 3. r. praemittitur itinerario titulus et nomen auctoris. Desinit fol. 20. r.: *Fiat, fiat amen, amen, amen. Explicit Itinerarium mentis ad Deum fratris Bonaventure, scriptum per manum fratris Iohannis de la Bauduaria.*

122. *Ulyssipone*, bibliotheca Academiae scientiarum, cod. Gab. 5. Est. 10. n. 17. membr. in 8. saec. XV. — Itinerarium

Digitized by Google

habet initium fol. 107. r. sub nomine Bonaventurae et finem fol. 141. v., cui additur: *Deo gratias*. Inde alia manus prosequitur: *Explicit Itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura ordinis minorum generali ministro compositum in Monte alverne, ubi beatus Franciscus recepit sacra domini nostri Iesu Xpi stimata; et scriptum manu...* Ceteru ibi desiderantur.

123. *Vici* (Vich), bibliotheca Capituli, cod. XCIV, de quo vide supra pag. XXV n. 211. — Titulus operis est fol. 11. r., addito auctoris nomine. Desinit fol. 23. v.: *Fiat, fiat. Amen, amen. Qui dedit alpha et omega, sit laus et gloria Xpo — Finis adest operi, quem scriptor gaudet haberi. — Xpo laus detur, scriptus liber esse videtur — Plurima miranda gerit hic liber et recitanda. Explicit Itinerarium mentis in Deum compositum a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro.*

124. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3655. chart. in 8. — Itinerarium incipit fol. 129. r. his verbis: *Bonaventura de sex alis contemplatione* [sic]. *In principio* etc. Desinit fol. 162. v.: *Fiat, fiat. Hec Bonaventura, 1503.*

125. *Ibidem*, cod. 5086. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 76. r. parte laterali legitur: *Incipit prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura. In principio* etc. Desinit fol. 93. ut in editis.

126. *Ibidem*, cod. 1062, de quo vide supra pag. XXV n. 212. — Fol. 49. r.: *Incipit prologus Itinerarii mentis in Deum*, et fol. 57. v. dicitur: *Explicit speculatio pauperis in deserto. Deo gratias. Amen*, tacito auctoris nomine.

127. *Ibidem*, cod. 1713, de quo vide supra pag. XXV n. 214. — Itinerario praemittitur titulus et nomen auctoris fol. 129. v.; quae repetuntur fol. 144. v. hoc modo: *Finit Itinerarius doctoris seraphici sancti Bonaventure.*

128. *Ibidem*, cod. 2511. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 107. r. est rubrica: *Incipit prohemium. Prologus. Opus consequens dicitur Itinerarius de ascensu mentis in Deum, quem Itinerarium composuit frater Bonaventura olim generalis minister ordinis fratrum minorum, postea dominus cardinalis episcopus albanensis.* Explicit ut in editis, fol. 116. verso.

129. *Ibidem*, cod. 3939. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 260. r. Itinerario praemittitur haec rubrica: *Incipiunt septem gradus contemplationis seraphici ac magnifici viri domini Bonaventure doctoris eximii de ordine fratrum minorum, postea cardinalis sancte romane ecclesie factus. Intitulatur etiam Itinerarius eiusdem. In principio* etc. Desinit fol. 273. v. sine alia additione.

130. *Prope Viennam*, bibliotheca Monasterii sanctae Crucis ordinis Cisterciensium, cod. 290. chart. in 4. saec. XIV. exeunt. — Itinerarium incipit fol. 149. r., praemisso titulo, et desinit fol. 162. v. cum hac additione: *Explicit Itinerarius mentis in Deum domini Bonaventure cardinalis ordinis minorum generalis ministri.*

131. *Ibidem*, cod. 263, de quo vide supra pag. XXV n. 218. — Itinerarium incipit fol. 92. r. sine ullo titulo et desinit fol. 99. v.: *dicet omnis populus: Fiat, fiat.*

132. *Prope Viennam*, bibliotheca Canonicorum Claustri-Neoburgensis, cod. chart. in fol. saec. XIV. exeunt. — Itinerarium incipit sine titulo fol. 146. v. et desinit fol. 153. v. cap. 7. n. 5. ad verba: *ab omnibus absolutus ascendas. Explicit tractatus utilis et profundus ac multum ad devotionem excitans, editus a fratre et domino Bonaventura cardinali* etc.

133. *Ibidem*, cod. 825. membr. in 4. saec. XIV. — Est titulus fol. 15. v. expressus his verbis: *Itinerarium mentis in Deum Bone venture.* Desinit fol. 27. r. ut in editis.

134. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. 452. Helm. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 110. r. praemittitur nomen *Bonaventura*, et hinc: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum. In principio* etc. Desinit ut in editione, fol. 120. recto.

135. *Ibidem*, cod. 550. Helm., de quo vide supra pag. XV n. 12. — Fol. 358. r.: *Incipit opusculum Bonaventure generalis ministri ordinis minorum, quod dicitur Itinerarius mentis in Deum.* Desinit sine alia indicatione fol. 370. v. in fine.

136. *Ibidem*, cod. 19. 29. August. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 173. r. est rubrica: *Opusculum fratris Bonaventure domini albanensis cardinalis ordinis fratrum minorum. Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum. Amen. In principio* etc. Desinit fol. 92. r.: *Fiat, fiat. Amen. Deo gratias.* Alia manus coeva addit: *Explicit scala contemplationis.*

137. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. I cl. in fol. 234. chart. saec. XV. — Fol. 227. v.: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum doctoris decoti domini Bone venture.* Desinit incompletum fol. 234. r. ad verba cap. 3. n. 4.: *retinet etiam simplicia.*

138. *Zwettell* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 391. membr. in 8. saec. XIV. — Itinerarium incipit sine ullo titulo operis et sine nomine auctoris, sic similiter explicit; convenit cum editis.

CAP. V.

In opusculum de Reductione artium ad theologiam.

§ 1. **Primo agendum nobis est de inscriptione seu titulo huius opusculi.** — Retinuimus inscriptionem usu receptam *de Reductione artium ad theologiam*, sed haec nec satis conveniens nec ab auctore orta esse videtur. Iam Sbaraleа (Supplement. pag. 116, col. 2. seq.) observat de eadem: « Posset vel debet appellari *de Illuminationibus*, agit enim de sex illuminationibus huius vitae ». Etiam codices et indiculi non conveniunt in inscribendo eodem libello. Ut ex codicibus § 3. descriptis apparet, non pauci inscribunt: *Sermo fratris Bonaventure*, vel *Sermo bonus et utilis* (Monacensis bibliotheca, cod. 2701.), vel *Sermo fratris Bonaventure de opere superiori* (Monacens. cod. 2721. et 2657.), vel *Sermo Bonaventure de septem artibus mechanicis* (Monacens. cod. 7798.). Et revera videtur fuisse primitus *sermo* ore prolatus, et deinceps paulatim mutatus. — In cod. I (olim Assisiensi) inscriptio est: *Incipit tractatus de decimane scientiarum*; etiam in tabula eiusdem scripta saec. XIII. opusculum sic inscribitur et S. Bonaventurae tribuitur. Fere idem est in H et L. In cod. Cortonensi legitur sic: *Incipit liber domini Bonaventure de Balneoregio ordinis minorum de luminibus sive de orta scientiarum. Incipit prologus.*

Quoad titulum *de orta scientiarum* observandum est, Waddingum (Scriptores Ord. Min. pag. 47, col. 1. edit. Roman. 1806) putasse, S. Bonaventuram scripsisse aliud opus speciale *de Orta scientiarum*, quod manuscriptum conservaretur in bibliotheca Florentina Patrum Conventualium. Sed iam Sbaraleа

Digitized by Google

(Supplem. pag. 166, col. 2.) observavit, hoc opus (inscriptum etiam *de Divisione scientiarum*) a gravibus scriptoribus attribui Roberto Kilwardby Ord. Praed. et archiepiscopo Cantuariensi (cfr. Echard, Scriptores etc. I. pag. 376, col. 2.). P. Fidelis a Fanna refert duos codices Parisienses (Sorbon. cod. 15449, olim 520, et 16390, olim 1622.), in quibus illi Roberto tribuitur opusculum, quod incipit: « Scientiarum alia est divina, alia humana », et inscribitur: *Magistri Roberti de ortu scientiarum.*

§ 2. **Certum est, hoc opusculum auctorem habere S. Bonaventuram.** — Oudinus (Comment. de Scriptoribus ecclesiast. tom. III. col. 373, Dissert. singularis c. 10. n. 1.) de hoc dubitare visus, licet fateatur, libellum non esse indignum S. Bonaventura. Sola et vere futilis ratio eiusdem est, quod (n. 5. in fine) Richardo et Hugoni a S. Victore « praestantiora munera attribuantur ». Unde suspicatur, quondam Canonicum Victorinum hoc scripsisse. Oudino penitus assentiunt editores Veneti in Diatriba tom. I. praemissa, pag. 88, qui insuper addunt: « Id ut ei abiudicemus, simplex inconditusque monet sermo ». In hoc ipsi insistunt vestigiis Oudini, qui plerumque ex hac praecipue ratione relicit multa opuscula ut spuria, quin habent terminos Ciceroni quidem inusitatos, sed media aetate communissimos, barbarum enim et indoctum indicat esse scriptorem, qui terminis utitur interdictis ab humanistis. Attamen in applicanda hac regula Oudinus mira levitate procedit. Nam solummodo propter quaedam vocabula barbara aliquod opus pronuntiat Bonaventura indignum, idemque aliud, quod eadem barbara vocabula continet, censet esse ipso dignum, ut Bonelli in suo Prodromo, diligenti examine praemisso, toties abunde ostendit. — Ceterum editores Veneti concludunt: « An non fallamur, eruditorum esto iudicium ».

Sed praeter indiculos non paucos (praecipue Trithemii) atque editiones et codices a nobis relatos ipsa interna criteria pro Bonaventura suffragium ferunt. Citationes a nobis ad calcem positae, quibus aliae sumtae ex Collationibus in Hexaëmeron facile addi possent, plane ostendunt, quam conformis sit tutius libelli tum doctrina tum modus loquendi illi qui in certis Bonaventurianis scriptis inventur.

Primo impressum est opusculum in collectione Coloniensi (per Coelhoff de Lubeck) an. 1486, deinde in Argentina an. 1493 et in multis aliis post eam (vide infra c. 11.). — De eodem scripsit, teste Sbaralea (loc. cit. pag. 147, col. 1.), Petrus Zaccarellus Meldulensis Min. Convent. librum inscriptum *Academia seraphica*, hoc est centum *tabulae* interpretantes hunc libellum, Montefalisco an. 1730, in fol. typis Seminarii.

§ 3. **Etiam codices attestantur, opusculum esse genuinum.** — Plurimi eorum, etiam antiqui, ipsum attribuunt S. Bonaventurae, ut ex sequente elencho apparet.

I.

Codices a nobis collati cum textu Vaticanae editionis.

1. *Cortonae* in Tuscia, bibliotheca Publica, cod. 209, de quo vide supra pag. XXVII n. 1. — Post alia opera fol. 44. habetur rubrica his verbis efformata: *Incipit liber domini Bonaventure de Balneoregio ordinis minorum de luminibus sive de ortu scientiarum. Incipit prologus. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 52. his verbis: *veritatem. Cui cum Patre et eodem Spiritu sancto ut honor et gloria in secula seculorum. Amen.* Vide infra n. 34. — In hac nostra editione signatur littera K.

2. *Florentiae*, bibliotheca Riccardiana, cod. CCCXLIX. chart. in 8. saec. XIV. exeunt. et XV. ineunt. Scriptum de Reductione artium etc. est saec. XV. — Incipit fol. 75. r., cui eadem manus praemisit: *Bonaventura de divisione scientiarum. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 79. r.: *qui docet nos omnem veritatem. Explicit de divisione scientiarum secundum dominum Bonaventuram. Deo gratias.* — Sign. L.

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 2721, de quo vide supra pag. XXVIII n. 14. — Fol. 73. v. praefertur titulus his verbis: *Sermo fratris Bone venture de opere superiori. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 85. r. hoc modo: *omnem veritatem. Amen. Explicit sermo de opere superiori.* — Sign. A.

4. *Ibidem*, cod. 2657, de quo vide supra pag. XXVIII n. 10. — Est titulus huius operis fol. 220. r. sic expressus: *Sermo fratris Bone venture de opere superiori. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 224. v. ut in editis. — Sign. B.

5. *Ibidem*, cod. 7798. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Incipit fol. 174. r. hoc titulo: *Sermo Bonaventure de septem artibus mechanicis et unione Dei et anime et aliis multis. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 176. v.: *docet nos omnem veritatem. Amen.* — Sign. C.

6. *Ibidem*, cod. 7974, de quo vide supra pag. XXVIII n. 13. — Fol. 11. r. post Itinerarium mentis in Deum (sine nomine auctoris) sequitur: *Item sermo eiusdem. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 15. r.: *docet nos omnem veritatem.* — Sign. D.

7. *Ibidem*, cod. 23449, de quo vide supra pag. XXVII n. 7. — Fol. 149. r. huic operi praemittitur simpliciter: *Sermo.* Desinit fol. 154. r.: *omnem veritatem*, quin aliud addatur. — Sign. E.

8. *Ibidem*, cod. 23861, de quo vide supra pag. XXVIII n. 12. — Est titulus fol. 214. v. sic efformatus: *Incipit tractatus bonus trium graduum, quibus perducitur ad verum sapientiam. Omne datum* etc. Desinit fol. 219. v.: *docet nos omnem veritatem.* — Sign. F.

9. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. G. VII. 35, de quo vide supra pag. XVIII n. 17. — Opus de Reductione artium incipit fol. 86. r. sine titulo et sine nomine auctoris; desinit: *docet nos omnem veritatem. Amen.* — Sign. G.

10. *Romae*, bibliotheca Principum Burghesiorum, cod. 30. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 35. r. sine ullo titulo praemittitur quaedam Introductio anonyma, quam omittendam esse putavimus. Desinit fol. 37. r.: *docet nos omnem veritatem, qui cum Patre et Filio regnat Deus. Amen. Explicit tractatus fratris B. de divisione scientiarum.* — Sign. H.

11. *Ibidem*, cod. apud D. Spithever asservatus, olim Assisiensis, membr. in fol. saec. XIII. — Post alia et aliorum opera habetur opus Reductionis artium ad theologiam fol. 104. sub hac rubrica: *Incipit tractatus de divisione scientiarum. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 105. v. ad verba: *et verbum incarnatum. Rationes vero* (nostrae editionis n. 20.). In tabula praefixa opusculum attribuitur S. Bonaventurae. — Sign. I.

II.

Codices a nobis non collati.

12. *Basileae* in Helvetia, bibliotheca Publica, cod. B. VIII. 29, de quo vide supra pag. XXVIII n. 18. — Post opus Itine-

Digitized by Google

rarii sub nomine *fratris Bonaventure* etc. sequitur fol. non numerato r.: *Incipit tractatus eiusdem de divisione artium et scientiarum* nuncupatus. *Omne datum optimum* etc. Desinit verbis: *docet nos omnem veritatem.*

13. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 3052. chart. in 8. saec. XVI. incuntis. — Fol. 19. r.: *Incipit libellus sancti Bonaventure de reductione artium ad theologiam.* Desinit fol. 25. r. verbis: *docet nos omnem veritatem, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.*

14. *Darmstadii* in Germania, bibliotheca Ducalis, cod. 696, de quo vide supra pag. XX n. 66. — Post alia opuscula habet hanc rubricam fol. 84. r.: *Sequitur eiusdem venerabilis doctoris devoti Bonaventure libellus de reductione artium ad theologiam.* Desinit fol. 90. r. ut in editione.

15. *Düsseldorpii*, bibliotheca Civitatis, cod. sine nota, chart. in 8. saec. XV. — Ilicitur in initio: *Liber Cruciferorum in Düsseldorp, scriptus a fratre Iordano. Requescat in pace. Amen.* Incipit fol. 2. r. verbis: *abstrahibilium secundum rationes intelligibiles* (in nostra edit. n. 4.); praecedentia desiderantur. Desinit fol. 18. v. et claudilur: *Explicit libellus sancti Bonaventure ordinis fratrum minorum de reductione artium ad theologiam.*

16. *Giessae* in Hassia, bibliotheca Universitatis, cod. 678, de quo vide supra pag. XXIX n. 11. — Opus de Reductione artium incipit fol. 161. v. col. 1. sine titulo et nota auctoris. Desinit fol. 167. v.: *docet nos omnem veritatem. Explicit.*

17. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Colombina, cod. B. B. Tab. 145. n. 17, de quo vide supra pag. XXI n. 93. — Incipit fol. 101. r. absolute: *Omne datum optimum* etc., et desinit fol. 106. r.: *docet nos omnem veritatem*, sine alia additione.

18. *Medelei*, cod. N. 7, de quo vide supra pag. XXX n. 67. — Post itinerarium sub nomine *Bonaventure* sequitur fol. 12. r. haec rubrica: *Sermo eiusdem.* Desinit fol. 16. r. ut in editis.

19. *Moguntiae*, cod. chart. 421. progress. 232., qui est in 4. saec. XV. incuntis. — Fol. 31. r. in superiore margine haec habet: *Incipit tractatus, qui dicitur Itinerarius mentis in Deum de triplici via;* sed immediate post scriptor se corrigit hoc modo: *Vel aliter, incipit parvum bonum fratris Bonaventure;* et iterum: *Vel incipit tractatus de divisione scientiarum et reductione ad sacram scripturam. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 37. v.: *docet nos omnem veritatem.*

20. *Ibidem*, cod. chart. 545. progress. 306. in 8. saec. XV. incuntis. — Ante medietatem voluminis, cuius folia numeris vacant, legitur fol. r.: *Incipit tractatus de divisione scientiarum et reductione ad sacram scripturam, editus a fratre Bonaventura.* Incipit et desinit ut in editis.

21. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 7503, de quo vide supra pag. XXX n. 73. — Opus de Reductione artium incipit fol. 234. r. et desinit fol. 238. r.: *docet nos omnem veritatem etc.*

22. *Ibidem*, cod. 18651, de quo vide supra pag. XXX n. 75. — Expleto opusculo Itinerarii Bonaventurae tributo, sequitur fol. 154. r.: *Incipit alius sermo eiusdem.* Desinit ut in editis, fol. 160. verso.

23. *Ibidem*, cod. 2701. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 30. r. legitur: *Sermo bonus et utilis. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 35. r.: *docet nos omnem veritatem.*

21. *Ibidem*, cod. 17837, de quo vide supra pag. XXVII n. 5. — Fol. 270. r. post *Explicit Itinerarius* etc., sequitur sine ulla nota opus de Reductione artium, cuius initium: *Omne datum optimum* etc. Desinit ut in editis, fol. 274. recto.

25. *Ibidem*, cod. 21232, de quo vide supra pag. XXVII n. 6. — Opusculum de Reductione artium incipit sine nomine auctoris sub hoc titulo fol. 173. v.: *De illuminatione artium*, decurrit usque ad verba: *lumen philosophie rationalis, lumen philosophie* (n. 6.). Cetera desiderantur, quia folia sunt deperdita.

26. *Ibidem*, cod. 5014, de quo vide supra pag. XXX n. 72. — Expleto Itinerario mentis in Deum fol. 57. r. sub nomine Bonaventurae, sequitur parte versa: *Sermo eiusdem. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 70. v. ut in editis.

27. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 3, de quo vide supra pag. XXXI n. 81. — Praemittitur titulus fol. 53. v. his verbis: *Tractatus domini Bonaventure de quadruplici lumine, reducens in theologiam omnes artes et scientias.* Desinit fol. 58. r. cum hac additione: *Explicit tractatus venerabilis domini Bonaventure.*

28. *Oxonii* in Anglia, cod. canonic. 284, de quo vide supra pag. XXIII n. 149. — Fol. 77. v. col. 2. est rubrica his verbis expressa: *Incipit tractatus fratris B. de divisione scientiarum. Omne datum optimum* etc. Desinit ut editi, fol. 81. v. col. 2. cum additamento: *Explicit tractatus de divisione scientiarum.*

29. *Sancti Florioni* in Austria, bibliotheca Monasterii Canonicorum Regular., cod. XI. 160, de quo vide supra pag. XXXII n. 104. — Opus de Reductione artium est fol. 133. sub sequente titulo: *Incipit luminarius Bonaventure.* Hinc idem repetitur fol. 139. post *Explicit*, ubi manus posterior ante nomen *Bonaventure* suffecit *sancti.*

30. *Suessionibus* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. 148, de quo vide supra pag. XXXII n. 109. — Fol. 13. r. praemittitur haec rubrica a prima manu exarata: *Incipit tractatus de divisione scientiarum.* Desinit fol. 18. r.: *docet nos omnem veritatem. Explicit tractatus de divisione scientiarum Bone adventure.*

31. *Trevirii*, cod. 584, de quo vide supra pag. XXXII n. 115. — Opusculum de Reductione artium incipit sine titulo et nota auctoris fol. 41. v. col. 1; deficit ibidem col. 2. in fine verbis: *Denominatur autem ab unius parte solum* (in edit. n. 2.). Sequentia folia codicis fuerunt abstracta.

32. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 5086, de quo vide supra pag. XXXIII n. 125. — Reductio artium incipit sine ulla inscriptione fol. 66. r. et desinit ut in editis fol. 71. r. similiter sine ulla additione.

33. *Voravii* (Vorau) in Stiria, bibliotheca Canonicae, cod. CLXXIII. membr. in 8. saec. XIV. — Post alia opuscula fol. non numerato incipit opus de Reductione artium sub titulo: *De quadruplici illuminatione. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. v., sed incomplete.

34. *Zwoliae*, in archivo Civitatis, cod. IX. membr. in 4. — Opusculum de Reductione artium subiungitur Centiloquio nomine *Bonaventure* exarato; titulus fol. 105. sic est expressus: *Incipit tractatus eiusdem de quatuor luminibus, qui et prima pars Itinerarii dicitur. Omne datum optimum* etc. Hic codex habet cum codice K tabulam capitulorum seu luminum diversimode dispositam ab aliis codicibus post verba: *possumus tamen distinguere diversa lumina.*

Digitized by Google

De lumine artis mechanice. I. cap. Primum (in nostra editione n. 2.).

De lumine cognitionis sensitive. II. cap. Secundum (n. 3.).

De lumine cognitionis philosophice. III. cap. Tertium (n. 4.).

De lumine cognitionis philosophie rationalis. IV. cap. Et quoniam (n. 4.).

De lumine cognitionis philosophie naturalis. V. cap. Rursus (n. 4.).

De lumine cognitionis philosophie moralis. VI. cap. Postremo (n. 4.).

De lumine sacre scripture. VII. cap. Quartum (n. 5.).

Reductio illuminationis cognitionis sensitive ad lumen sacre scripture. VIII. cap. Videamus (n. 8.).

Reductio luminis artis mechanice ad lumen sacre scripture IX. cap. Secundo vid. (n. 11.).

Reductio luminis rationalis philosophie ad lumen sacre scripture. X. cap. Iuxta (n. 15.).

Reductio luminis naturalis philosophie ad lumen sacre scripture. XI. cap. Secundum etiam (n. 19.).

Reductio luminis moralis philosophie ad lumen sacre scripture. XII. cap. Penes modos (n. 23.).

Desinit cum hoc capitulo fol. 113. v. prope finem his verbis: *docet nos omnem veritatem. Ipsi soli cum Patre sit honor et gloria. Amen. Deo gratias. Explicit prima pars Itinerarii Bonaventure, anno Domini MCCCLXXX. feria secunda post dominicam palmarum.*

CAP. VI.

In Collationes in Hexaëmeron.

Praemittimus quaedam observationes circa has Collationes et duas, quae sequuntur, scilicet de septem donis Spiritus S. et de decem praeceptis.

Primo haec tria opuscula non sunt a S. Doctore scripto edita, sed ex ore dicentis ab auditoribus excepta, sive, ut illa aetate dicebatur, *reportata* aliisque communicata. Ipsa orationis forma hinc inde imperfecta et in ordine sententiarum abrupta hoc satis indicat et qui stili Bonaventuriani gnarus est. Stilus enim eius, licet compendiosus et sententiis singulari modo refertus, stringenti ordine logico procedit. Insuper non desunt documenta historica, quae nostram assertionem quoad singula confirmant.

Secundo, hoc primum opusculum forte corruptum et interpolatum locusque prodierat; hinc lectiones variantes etiam magni momenti e codicibus a nobis collectae ita modum excesserunt, ut sine taedio lectoris non potuissemus hic observare morem nostrum, locus editionis Vaticanae correctos ad calcem notandi. Raro et solummodo propter speciales rationes traditum textum et discrepantes codicum lectiones ad calcem posuimus. Idem dicendum de Collationibus de decem praeceptis.

Tertio, pro inscriptione *Sermones* in Hexaëmeron secundum monitum P. Bonelli (Prodrom. col. 628) substituimus *Collationes* in Hexaëmeron, quem terminum, utpote rei consentaneum, etiam quoad duo alia opuscula retinuimus, licet his nomen *sermonum* satis bene conveniat et reapse in nonnullis manuscriptis antiquis tribuatur. *Collationes* enim ea aetate vocabantur discursus ab magis familiares, qui per modum conferentiarum et saepe in loco non sacro, ut in refectorio ad collationem vel in aulis scholarum, recitabantur, praesertim, quando de eadem re plures discursus habebantur. Ipse Bonaventura utitur nomine *collationum* quoad Hexaemeron et opusculum de septem donis Spiritus sancti (Collat. 2. n. 1, 3. n. 1. et 16. n. 6.), et etiam S. Bernardinus infra § 1. citatus nominat ipsas *collationes* in Hexaëmeron, non *sermones*. — Quarto, haec tria opuscula Parisiis recitata sunt hoc ordine temporis: primo Collationes de decem praeceptis in Quadragesima an. 1267, vel, ut alius cod. habet, an. 1268; deinde iterum in Quadragesima Collationes de septem donis Spiritus S., quae (collat. 1. n. 2.) praecedentes de decem praeceptis commemorant his verbis: « Alias dixi vobis de lege decalogi, et modo dico vobis de gratia », ipsae autem ut antea habitae commemorantur in Hexaem. collat. 2. n. 1. et 3. n. 4. Satis etiam certum est, ultimas habitas esse Parisiis 1273 post Pascha.

§ 1. **Collationes in Hexaëmeron ex ore S. Bonaventurae ab auditoribus exceptae sunt.** — Inscriptio operis certe nec est a Bonaventura nec rem tractatam bene exprimit nec in ipsis collatis a nobis codicibus invenitur, quorum solus B titulum habet, sed a praefecto diversum (vide infra pag. 329, nota 1.). Cod. Senensis inscribit opus sic: « incipiunt illuminationes Bonaventure de operibus VII dierum Parisiis edite » in prima editione (Argentina an. 1495) inscribitur: « Liber.... qui *Lumenaria Ecclesiae* intitulatur *sive Illuminationes* sive de quinque visionibus »; in Vaticana: « Liber inscriptus *Illuminationes Ecclesiae in Hexaemeron* »; quae insuper opusculum inepte ponit inter opera exegetica. Neutra inscriptio est nec potest esse secundum mentem S. Bonaventurae. — Rei tractatae magis conveniret titulus: Collationes de septem visionibus sive illuminationibus. Propositum enim auctoris fuit exponere in his collationibus septem gradatim ascendentes illuminationes, quas vocat *visiones*, quarum tantum quatuor reapse tractavit. Quod has illuminationes comparet operi sex vel septem dierum in Genesi, et ex hoc libro in principio collationum sumat textum Scripturae, est res, ut ita dicam, accidentalis. Sed ne mutando titulum operis iam frequentati usu receptum confusioni occasionem daremus, retinuimus verba *in Hexaemeron*, addentes sive *Illuminationes Ecclesiae*.

Ipsa forma orationis non satis perfecta insinuat, ut iam diximus, verba S. Doctoris ab aliis esse *reportata*. Hoc manifeste probant etiam plures formulae dicendi, quibus scribentes indicant, se non referre ipsa dicentis verba, sed breviter tantum sensum, ut pag. 356, n. 13: *Et dicebat*, scil. Bonaventura; pag. 390, n. 14: *Et dixit hic;* pag. 405, n. 15: *Et dixit, quod ium venerat... Et frequentissime inculcabat* etc. In seqq. collationibus passim idem occurrit; et mirum est, quod editores Vaticanae in istis locis frustra quaesierint alium horum verborum auctorem.

Non desunt testimonia historica, quae praedicta confirmant. Anonymus auctor illorum Chronicorum, quae vocantur XXIV Generalium, scribit (in cod. Assisiensi fol. 100. r. col. 2.): « Tunc enim vernali tempore Generalis [Bonav.] Parisius existens legit et exposuit primum capitulum libri Genesis, multis hinc inde quasi innumerabilibus ad lectionem confluentibus, et inde reportatus est et confectus libellus, qui de VII visionibus vel luminibus intitulatur. Sed antequam quintam visionem seu expositionem quinti diei complevisset, ad dictam praelationem [i. e. secundum auctorem ad archiepiscopatum Eboracensem] electus, dictum librum dimisit ». — Recte monet Bonelli (Prodrom. col. 221), *dictam praelationem* referendam esse non ad illum

Digitized by Google

archiepiscopatum, quem Clemens IV. an. 1265 Bonaventurae obtulit, sed ad electionem eiusdem ad cardinalatum, a Gregorio X. die 3. Iunii an. 1273 factam. Nam illa Clementis IV. electio non acceptata nequivisset impedire, quominus S. Doctor sequentibus octo annis opus complevisset. Insuper ex codicibus nostris supra citatis constat, Collationes de septem donis non esse habitas ante annum 1268, vel 1269; et cum in collat. 2. et 3. in Hexaëmeron illae citentur, patet, easdem diu post mortem Clementis IV. recitatas esse. Eadem Chronica (fol. 107. v. col. 1.) de altera promotione habent: « Anno vero Domini MCCLXXIIII [est error, fuit 1273] tempore vernali idem generalis Minister Parisius existens vocatus fuit a domino Gregorio praedicto, qui ipsum recipere cardinalatum et episcopatum Albanensem coegit. Et tunc fuit in Lugduno generale Concilium celebratum in mense maio inchoatum ».

Promotionem memoratam ad cardinalatem dignitatem ransam fuisse interrumpendi inceptas collationes, clare indicat illud cuiusdam anonymi additamentum a nobis ad calcem positum (pag. 449), quod habetur in omnibus quidem editionibus, sed tantum in duobus codicibus non rollatis. Anonymus hic deplorat, quod « superveniente statu excelsiori et vitae exitu [1274] domini et magistri, huius operis prosecutionem prosecuturi non acceperint ». Deinde affirmat, se cum duobus sociis notasse quae « de ore loquentis rapere poterant in quaterno »; se exemplar suum correxisse, et ipsum doctorem operis et quamplures alios de suo exemplari rescripsisse. Porro, quod notandum est, dicit, « se elapsis multis diebus », *favente et libros ministrante* fratre « Thoma, ministro Alemanniae superioris » sive Provinciae Argentinae, iterum respexisse quod veloci manu scripsisset et denuo *ex memoria* emendasse, nihil tamen se apposuisse, quod orator non dixisset, nisi quosdam auctoritates. In fine asserit, praesentes istis collationibus astitisse aliquos magistros et baccalarios theologiae et 160 fratres.

Quaeritur igitur, utrum hoc additamentum sit genuinum, sive utrum qui hoc scripsit sit unus idemque cum eo qui Bonaventuram praedicantem audivit et eius verba scripto, quantum poterat, excepit, an vero alius anonymus, qui, cum aliunde has Collationes accepisset, mentitus sit, se ex *memoria* eas in quibusdam rebus mutasse. — Waddingus, Bonelli aliique affirmant vel supponunt, illud esse genuinum. Ut nostram sententiam de hoc dicamus, opinamur, quod cum iam exploratum sit, has Collationes, ut sunt editae, praesertim tres priores, fuisse ab aliquo postea interpolatas et mutatas, parum intersit quoad ipsam rem, utrum hoc factum sit ab illo primo scriptore anonymo, an ab alio, vel accedente etiam tertio. In ipsis enim verbis additamenti habemus confessionem, quod « elapsis multis diebus », alia manus, adhibitis etiam aliorum auctorum libris, laboraverit pro textu in scriptis tradito corrigendo et aliquatenus mutando. Quicunque igitur sit scriptor anonymus huius additamenti, confessio ipsius sufficit ad explicandam differentiam inter textum editarum Collationum et eum quem habent codices.

Pro eo, quod hoc additamentum sit suppositicium, afferri posset primo illa error, quem habet circa annum, cum scribatur in omnibus editionibus antiquis ac Vaticana et etiam in codice Senensi, hoc opusculum lectum esse Parisiis an. MCCLXXIV (quem errorem manifestum in nostra editione correximus), cum certissimum sit, S. Bonaventuram anno 1273 electum esse cardinalem et a Parisiis recessisse. Sed cum nihil frequentius sit in codicibus quam error in numeris scribendis, haec ratio parum urget. Maioris momenti est alia res, quod scilicet, cum nominetur quidam « frater *Thomas*, minister Alemanniae superioris », in catalogo Provincialium Provinciae Argentinae nullus inveniatur Pater huius nominis, qui ipsi praefuerit, ut videri potest ex isto catalogo, quem accuratissime publicavit cl. P. Conradus Eubel Min. Conv. in libro: Geschichte der oberdeutschen Minoriten-Provinz, Würzburg 1886, tom. I. pag. 157 seqq. Sed neque hic error rem reddit prorsus exploratam.

Hanc igitur quaestionem de uno, vel pluribus anonymis relinquentes integram, certissimum esse contendimus, S. Bonaventuram esse *auctorem*, non autem scriptorem et editorem harum Collationum. Praeter tot editiones et plures codices pro Bonaventura auctore testantur Chronicon XXIV Generalium; Bartholomaeus Pisanus (l. Conformit. fract. 8. p. 2.), qui opusculo tribuit titulum: Librum de operibus sex dierum; anonymus Stronconiensis, eandem habens inscriptionem; S. Bernardinus Senensis, qui in Operum suorum tom. II. pag. 28, col. 1. scribit: « Hoc sentit Bonaventura in suis illuminationibus, visione prima et collat. 2. »; Robertus de Licio « super Genesim opus, quod intitulatur de Septem Visionibus; Trithemius dicens: « *Illuminationum* insigne opus, liber unus », aliique posteriores multi (vide infra c. 12.).

De multitudine et pondere gravissimarum sententiarum, quibus refertum est hoc opusculum, et earum concordia perfectissima cum doctrina Bonaventuriana multa verba facere coram illis qui nostram editionem et subnexum scholion examinare voluerint, superfluum esse videtur. Iam Sixtus Senensis Ord. Praed. (*Bibliotheca sancta*, S. Pio V. dedicata, et nitimè edita Neapoli 1742 tom. I. pag. 316) haec de his Collationibus scripsit: « Hic inter multa plissima opera, quae verbis ardentissimis et altissimis sensibus ad illuminandos animos et inflammandas voluntates legentium divino accensus amore composuit, nobile quoque opus in Hexaëmeron scholastico dictionis genere dictavit, cui de *Luminaribus Ecclesiae* sive de *Illuminationibus* sive de *quinque* [sic] *Visionibus* ideirco titulus est, quia in eo potissimum exponuntur quinque illae visiones Dei, comprehensae in ea sententia Moysi: *Vidit Deus, quod esset bonum* etc., quinquies in principio Geneseos repetita. Initium operis est: *In medio Ecclesiae aperuit os eius* etc. Dividitur autem universum opus in sermones viginti tres, tropologicis sensibus, flagrantibus sententiis et abstrusis scholasticae mysticaeque theologiae arcanis refertissimos ». — Plura de praestantia doctrinae in his Collationibus contentae et eiusdem convenientia cum Bonaventuriana in aliis operibus expressae habet Bonelli (Prodrom. col. 621 seqq.). Idem apparet ex nostris notis et adiecto scholio.

§ 2. **Restat dilucere rationes, quibus Casimirus Oudinus, editores Veneti et Sbaralea inducti sunt, ut hoc opus Bonaventurae abiudicarent.** — Venia danda est praedictis, quod taedio corruptarum editionum affecti et in verborum superficie haerentes, ipsum opus leviter et negligenter examinaverint. Audiamus, quid opponant praedicti, praesertim Sbaralea; qui post alios duos scripsit et maioris in hac re diiudicandus est auctoritatis.

Oudinus et Veneti editores ut signum suppositionis irridentes afferunt vocem *trifurcatur*, quae legebatur in antiquis editionibus (collat. 2. et in edit. Vat. pag. 43, col. 1.). Sed hic locus est interpolatus et sumtus ex collat. 1. n. 15. opusculi de septem donis Spiritus S., et ibi vox illa non inventur, nec in ullo codice nec in nostra editione; praeterea, Sbaralea ostendit, vocem *bifurcare* usurpatam esse ab alio auctore saec. XIII.

Digitized by Google

Hoc profecto editores Veneti nesciebant, cum scripserunt: « Indocti sumus, si Arabicam vocem *trifurcatur* tribuere vellimus scriptoribus saeculi XIII ». — Secundo iidem urgent iam notatum errorem circa numerum anni 1274 pro anno 1273, et Veneti accusant Waddingum, quod corrigens errorem, contra editiones posuerit annum 1273; deinde concludunt: « Id si ita est, vel nobis tarentibus, facile quisque perspicit, nihil hac epocha validius, quo suppositum Bonaventurae opus esse dicamus ». Sed e contrario facile quisque perspiciet, nihil hoc argumento esse infirmius. Nam non Bonaventura, sed quidam anonymus scripsit hoc additamentum, et dubium remanet, utrum error numeri imputandus sit auctori additamenti, vel alii librario. Deinde, etiamsi totum illud additamentum (quod deest in omnibus antiquis codicibus) sit spurium, nihil per hoc praeiudicatur auctoritati harum Collationum, quae non tam illo additamento quam aliunde certis monumentis probatur.

Sbaralea (Supplem. etc. pag. 256) primo opponit locum in collat. 22. n. 18. et putat, quod ibi auctor ita historiae ignarum se ostendat, ut S. Ambrosium faciat consiliarium Constantini, nec distinguat *Saracenum* a catechumeno. Sed quoad primum Sbaralea falso intellexit illum locum. Nam ibi sermo est tum de malis et bonis principibus, tum de malis et bonis consiliariis principum. Pro exemplo *boni principis* adducitur Constantinus, pro exemplo *boni consiliarii* S. Ambrosius; sed nullatenus asseritur, Ambrosium fuisse consiliarium *Constantini*. Quod attinet vocem *Saracenus*, cod. noster A in margine addit *seu paganus*, et vox *catechumenus* non intelligenda est, ut exprimat eundem sensum ac *Saracenus*, sed ut addat novam proprietatem. Cum autem illa aetate in Europa vix alii pagani noti essent praeter Saracenos, ille terminus in lingua vulgari accipere poterat sensum genericum. — Denique idem scandalizatur eo quod sequitur: « Sed modo principes sunt socii furum et consiliarii in munere consulunt » (Isai. 1. 23.), et dicit: « Quis ferat [Ecclesiae Doctorem] tam pravis moribus [!], ut universis principibus detraheret ». Sed ista applicatio verborum propheticorum non est detractio *universorum* principum, et auditores saeculi illius assueti erant liberiore reprehensione vitiorum, qua praedicatores nec magnis principibus nec praelatis publice peccantibus parcere solebant. — Idem vituperat ut minus prudenter dictum locum in collat. 5. n. 21: « Similiter logici cum suis sophismatibus et suis falsis positionibus fecerunt mundum insanire »; et addit: « Quasi Bonaventura, Thomas aliique doctissimi ac pissimi viri in ea facultate non se exercuerint » etc. Sed mira est hallucinatio doctissimi viri. Postquam Bonaventura in collat. 4. et 5. de novem bonis scientiis locutus est et eorum *bonam usum* commendavit, in hoc n. 21. paucis verbis singularum *abusum* commemorat: « Sed in his omnibus luxuriata est ratio: luxuriata est *metaphysica* » etc. Num soli *logici* bona sua scientia turpiter aunquam abusi sunt? Quid sentit egregius auctor ille de usu logicae, quem fecerunt non pauci inde a sophistis Graecis et dialecticis tempore Abaelardi usque ad Buridanum, immo usque ad dies nostros? Et praecise eo tempore, quo Bonaventura haec dixit, Stephanus Tempier, episc. Parisiensis, condemnavit 219 theses, quarum multae et insanissimae a logicis inventae erant (cfr. Chartul. Univers. Parisiens. pag. 486 et 543 seqq.). — Subinde obicit, quod « auctor sectatur fabulas », quia in collat. 5. n. 19. narrat, quod Romani per artem diaboli elegissent Diocletianum. Sit fabula haec narratio, ut multae aliae res historicae illa aetate communiter creditae. Sed referre unam talem narratiunculam ab aliis auctoribus acceptam pro *exemplo* in sermone, minime est *sectari* fabulas.

Ultima censura est, quod « verbosior est, quam oporteat, et quam soleat decentque doctorem gravem et seraphicum ». Mira censura! Verius diceretur: est nimis brevis, et scriptum ita immensis sententiis est repletum, ut hinc inde lector plura verba vel sententias debeat supplere. Sufficit legere nostra summaria vel etiam additum scholion, ut quisque facile sibi persuadeat, vix alium invenirì posse librum, in quo tot argumenta et sententiae profundae in paucis paginis sint coarctatae.

Bonelli (Prodrom. col. 627) his addit aliam obiectionem sumtam ex collat. 2. (edit. Vat. pag. 15, col. 1.), qui locus interpolatus reapse sumtus est ex opusculo de septem donis Spiritus S., collat. 1. n. 12, ubi legitur: « *Gratis accepistis, gratis date.* O sol, quare non vendis lumen tuum? Et tu, *Rhene* [sic habet Vat.], quare non vendis guttas tuas »? Unde obicitur, hunc locum indicare non Parisiis, sed potius ad ripam Rheni praedicantem. Superflua sunt verba P. Bonelli hoc refellere conantis. Nam codices et nostra editio habent hanc lectionem: « Et tu, *Sequana* » etc.

Omnes igitur rationes praedictae vel penitus non tangunt verum textum opusculi, vel nullius sunt roboris. — Accedit, quod ratio habenda est modi imperfecti, quo verba S. Doctoris per alios nobis tradita sunt. Si igitur legens incidat in propositiones imperfecte, obscure vel ambigue expressas, culpa non est subito attribuenda auctori, sed potius audita imperfecte scribentibus. Unde etiam sequitur, ut verba scripti non sunt premenda, sed potius in obscuris locis benigna interpretatio adhibenda.

§ 3. **Nunc dicendum est, quomodo se habuerit textus harum Collationum in praecedentibus editionibus, et quo ratione eum emendaverimus ope septem codicum.** — Typis primo impressum est hoc opusculum in collectione opusculorum Argentina an. 1495; in sequentibus editionibus, si praescindimus a paucis et exigui momenti lectionibus variis et a vitiis typographicis, idem textus reimpressus est. Cum locus primae editionis ad *Rhenum* positus sit, facile explicatur, quod nomen *Sequana* mutatum sit in *Rhenum*. Habita autem ratione saepius memorati additamenti, etiam si sit posteriore tempore scriptum; verisimile videtur, interpolationem et mutationem textus a quodam fratre Ordinis Minorum Provinciae Argentinae originem habere. Quando hoc acciderit, et quis hoc fecerit, non determinare possumus, et parum refert hoc scire.

Conferentes codices infra relatos cum editione Vaticana, vidimus, in tribus prioribus collationibus, esse magnas interpolationes, scilicet in n. 33. collationis primae et in n. 1. collationis 2. et 3. (vide ibi notas). invenimus autem, in 2. collat. interpolata sumta esse ex collat. 1. et 9. de septem donis Spiritus S., in seq. vero ex collat. 8. Textus harum interpolationum paulo brevior et multo corruptior est, quam ille quem in hoc tomo publicamus, sed diffusior, quam qui legitur in Supplemento P. Bonelli.

Praeterea, in aliis partibus 2. et 3. collationis tanta differentia in ordine et in verbis sententiarum se offerebat, ut paginas integras codicum transcribere debuerimus. In sequentibus collationibus non sunt ita longae interpolationes nec transpositiones vel omissiones sententiarum tanti momenti; nihilominus farrago variarum et non levium lectionum ita abundabat, ut scriptae implerent 361 paginas in quarto.

Luce clarius apparuit, textum antiquorum codicum, licet repraesentet formam sermonis ex ore dicentis non perfecte ex-

Digitized by Google

cepti, praestantia multo superare hucusque editum. Relictis igitur editionibus, in reformando textu standum erat auctoritati codicum meliorum.

I.

Codices a nobis collati cum textu Vaticanae editionis.

1. *Brunopoli* (Braunschweig) in Germania, bibliotheca Civitatis, codex 44. chartaceus in folio, saeculi XV. circa medietatem. — Inter alia continet duo opera notata, in chartula asseri exteriori affixa, hac rubrica: *Ternarius et luminaria Bonaventure*. Hinc fol. 45. r. col. 1. incipit sine alio titulo: *In medio ecclesie aperuit* etc. Desinit fol. 72. v. sic: *et descendere ad inferiora. Expliciunt luminaria Bonaventure ordinis fratrum minorum.* — In hac nostra editione signatur littera F.

2. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. XXVII. dext. cod. 9, de quo vide etiam supra pag. XVII n. 6. — Pars codicis, quae complectitur Collationes in Hexaëmeron, est saec. XIV. ineuntis; incipit pag. 123, col. 1. sine titulo: *In medio ecclesie* etc. Desinit pag. 200, col. 2. verbis: *et descendere ad inferiora.* — Sign. A.

3. *Ibidem*, cod. (olim Conventus sanctissimae Annuntiatae, ordinis Servorum B. M. V. 192.) nunc 25. super portam membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Folia 1. et 2. continent tabulam Collationum ab alia manu eiusdem aevi exarata; fol. 3. r. est inscriptio haec: *Incipiunt visiones fratris Bonaventure ordinis fratrum minorum. In medio ecclesie* etc. Desinit fol. 89. v.: *et descendere ad inferiora. Explicit. Benedictus Deus. Amen. Amen. Amen.* — Sign. B.

4. *Giessae* in Hassia, cod. 573, de quo vide supra pag. XXI n. 84. — Collationes incipiunt fol. 169. r. sine ulla rubrica: *In medio ecclesie*, et decurrunt usque ad fol. 240. v.: *et descendere ad inferiora. Expliciunt luminaria Bone venture. Deo gratias.* — Sign. G.

5. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 18653. chart. saec. XV. — Fol. 1. r. manus posterior notavit: *Liber sancti Bonaventure de sex generibus visionum intelligentie, sive liber illuminationum. In medio ecclesie* etc. Desinit fol. 130. v.: *descendere ad inferiora et ad superiora ascendere. Amen. Deo gratias.* — Sign. E.

6. *Regimontii*, bibliotheca Regia, cod. 1200. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Incipit fol. 1. r. sine titulo: *In medio ecclesie* etc. Desinit ut praecedens, fol. 90. r. Post *Amen* additur: *Finis adest scripto, sit laus et gloria Christo. Anima scriptoris pinguescat pneumate roris.* — Sign. D.

7. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 923. membr. in 8. saec. XV. — Folio 1. r. legitur: *Incipiunt illuminationes sancti Bonaventure cardinalis ordinis fratrum minorum. In medio ecclesie* etc. Desinit folio 112: *Per hunc enim ascenditur ad superiora et descenditur ad inferiora. Expliciunt illuminationes venerabilis inceptoris Bonaventure. Deo gratias. Amen.* — Sign. C.

Antiquiores codices constituunt unam familiam distinctam ab altera, scilicet a codd. B C. In prima familia maioris auctoritatis, licet non maioris correctionis, est A, qui ad marginem habet paucas correctiones, quae tantum respiciunt errata librarii. Correctior, saltem in prima parte, est D, qui plerumque convenit cum A; tamen in locis obscuris et depravatis ostendit interdum conatum non semper felicem, coniectando textum corrigendi. Manifestius et frequentius hoc observatur in E, minus in G, qui saepe est corruptus, et F, qui passim vitiis scatet. Praedicti tamen codices ex eodem primario fonte fluxerunt.

Ab his distinguuntur B et C, qui ita conveniunt, ut alter alterius apographum esse possit; unde ubi citatur B, quem in corrigendo opusculo habuimus ad manus, etiam C addi potest, exceptis duobus vel tribus locis. Hi a prima vero familia in multis differunt, ita ut P. Fidelis a Fanna suspicaretur, hos repraesentare textum ab alio scriptore reportatum. Sed instituto accurato examine, invenimus esse fere certum, quod aliquis anonymus conatus sit, traditum textum mutando reddere facilius intelligibilem et magis politum. Primo enim in tot locis, ubi sunt membra divisionis, haec scribit per modum cuiusdam schematis, et ad hunc finem constanter immutat vel omittit aliqua verba vel etiam integram propositionem. Hoc certe non convenit scriptori, qui audita velociter rapit, sed iam scripta revisenti et examinanti. — Secundo, ubi propositiones non erant inter se bene connexae, sed quasi abruptae, ille addit aliquam particulam orationis, ut *igitur*, *autem*, *praeterea*, praesertim vocalem *enim*, aliaque verba addit vel mutat, et non raro satis infeliciter. — Tertio, difficiliores et obscuros locos saepe prorsus omittit; ubi vero oratio bene currit, rarissime a prima familia recedit, exceptis illis locis, quos primo notavimus.

His consideratis, praescripta nobis erat via in emendando textu tenenda. Duo antiquiores codd. A D, se invicem corrigentes et interdum supplentes, fere totum textum nostrum exhibent, tribus aliis eius familiae ipsum confirmantibus. In locis corruptis aliquoties ex E nonnulla verba supplevimus. Particulas illas orationis partes connectentes, ut *et*, *igitur*, *autem*, *enim*, *vero*, *est*, non raro ex B C, rarissime, urgente congruitate sermonis, ex nostra sententia supplevimus. In locis plane corruptis bis vel ter ex Vaticana unum alterumve verbum transtulimus. Paucissimi remanserunt loci, quae nos coegerunt invitos ad coniecturam confugere, de qua in notis rationem reddidimus. Operoso labore hoc assecutos nos esse opinamur, ut qui magis sententiarum gravitatem quam loquendi artem in his Collationibus respiciat, sine offensa eas percurrere et salutaris doctrinae fructus percipere possit.

II.

Codices a nobis non collati.

8. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 11871; qui non integras Collationes continet, sed potius excerpta ex eisdem.

9. *Monachii*, bibliotheca Universitatis, cod. 31; qui est recentioris aetatis, scilicet saec. XV. exeuntis. — In fine habetur illud *additamentum*, quod non est nisi in editionibus et etiam in sequente codice Senensi.

10. *Senis*, bibliotheca Civitatis, cod. U. V. 6. in 8. saec. XV. exeuntis. — Collationes in ipso sunt contractae, et etiam forma orationis passim mutata.

Antiquitus hoc opusculum fuit etiam in bibliotheca Conventus fratrum Minorum *Luneburgi* (nunc Civitatis) in Germania, ut testatur fragmentum exiguum 1. collat. in cod. theol. 9. in 4. parvo. Fol. 83. v. in margine superiore legitur: *Sermo primus*, et col. 1: *In medio ecclesie* etc. — Item, *Assisii* in bibliotheca s. Conventus, teste Sbaralea (Supplem. pag. 156,

Digitized by Google

col. 1.), et quidem disertis verbis ibi Bonaventurae tribuebatur (cfr. de hoc valde antiquo codice infra c. VII. § 2.).

CAP. VII.

In Collationes de septem donis Spiritus sancti.

§ 1. **Primo agendum est de quodam libro idem argumentum tractante, qui falso tributus est Bonaventurae.** — In collectione opusculorum Argentina an. 1494 primo prodit opusculum in posteriores collectiones communiter receptum, quod inscribitur: *de Septem Donis Spiritus S.* et incipit: *Omne datum optimum.* Editiones illae et (quod sane mirandum) etiam editores Veneti illud opusculum attribuunt S. Bonaventurae, Oudino vero est *dubium.* Sed Sbaralea (Supplem. pag. 157 seq. et 641) ac Bonelli (Prodrom. col. 693 et 706) recte dicunt, illud esse certo *spurium* et habere eundem auctorem cum alio opusculo, quod inscribitur: *de Septem Itineribus aeternitatis*, qui fuit *Fr. Rodolphus de Bibraco* sive Biberaco (Bibaco, Biberach), oppido quodam vicino civitati Ulm, illius Provinciae fratrum Minorum Argentinae. Hic floruisse dicitur circa annum 1360. Etiam Oudinus et Veneti editores confitentur, alterum eiusdem opus falso Bonaventurae attribui. Sed auctor opusculi primi sive de Septem Donis c. 3. allegat ut suum opus praedictum librum de Septem Itineribus aeternitatis his verbis: « De his sensibus spiritualibus plenius dicitur in tractatu de Itineribus aeternitatis c. 6 ». — Praeterea iidem opponunt, quod nec stilus conveniat Bonaventurae nec, ut dicit Bonelli, doctrina quoad timorem *servilem.* Nam ille auctor (c. 1.) negat, istum timorem esse donum Spiritus S., dum S. Bonaventura (III. Sent. d. 34. p. II. a. 1. q. 1.) docet: « Absque dubio timor servilis est donum Spiritus sancti ». Insuper urgent, quod citata sumta sint ex scriptoribus Bonaventurae coaevis, v. g. ex abbate Vercellensi, ex Lincoliensi et ex ipso Ioan. Pechamo, discipulo S. Doctoris, quem ille citasse videtur sub nomine *Cantuariensis* super Cantica.

Confirmatur hoc iudicium a P. Fidele a Fanna, qui 18 codices vidit et annotavit, quorum nullus ante medium saec. XIV. scriptus est, et tantum sex illo saeculo post medium, reliqui saeculo XV. Omnes hi sunt anonymi praeter tres. Horum antiquior invenitur *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. III. scriptus an. 1379 cum titulo: *Tractatus de septem donis S. S. magistri Iohannis R. de bibaco.* — Alius saeculi XV. est *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. 1. class. 4. 6. chart., qui in fine habet: « *Explicit tractatus Huberti de septem donis* ». — Nomen Bonaventurae solus habet eiusdem saeculi codex Parisiensis, bibliotheca Nationalis, cod. 17276. chart., qui sic explicit: *Tractatus editus a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum.*

Obiter notamus, quod *Berolini*, bibliotheca Regia, Ms. Germ. 164. in 4. saec. XV. est codex, qui praeter aliorum auctorum opuscula germanice translata habet etiam versionem plurium librorum asceticorum S. Bonaventurae, in specie cuiusdam Tractatus de donis Spiritus S. Sed ex praefixis verbis translatoris apparet, hunc tractatum excerptum esse ex nostri Doctoris Commentario in III. librum Sententiarum.

Animadvertendum est etiam, codices illos de donis Spiritus S. fere omnes inveniri in bibliothecis Germaniae et Austriae, exceptis quatuor, scilicet dicto *Parisiensi*; altero *Hagae Comitum* in Hollandia, cod. 283. chart. saec. XV; tertio *Traiecti* ad Rhenum, cod. 362. membr. saec. XV; quarto *Oxoniae*, Canonic. 52. membr. saec. XIV. Hoc non leve indicium est, auctorem in Germania librum istum composuisse.

§ 2. **Collationes de septem donis Spiritus S. genuinas esse, probatur testimoniis ipsius S. Bonaventurae et antiquorum codicum.** — Superfluum est recurrere ad indiculos Trithemii aliorumque auctorum saeculi XV. et XVI, quorum aliqui non satis indicant, *quale* opusculum de donis Spiritus S. significare voluerint. Nam ipse S. Bonav., Collat. in Hexaëmeron, in collat. 2. n. 1. et 3. n. 1, clare indicat tres harum Collationum et rem, de qua tractant. — Has Collationes, sed non integras, primus edidit Bonelli (Supplem. III. col. 418 seqq.). Idem (Prodrom. col. 740) easdem Bonaventurae feliciter vindicavit. Ad edendas eas usus est exemplari, quod ei communicaverunt PP. Conventuales sacri Conventus Assisiensis, transcriptum ex cod. membr. in 4. n. 102, qui, iudice P. Sbaralea, fuit saec. XIII. In ipso inter alia opera scripta et Bonaventurae tributa erant quatuor opuscula in hoc V. tomo a nobis edita. Primum inscribitur: « Decem praecepta praedicata Parisius a fratre Bonaventura. Incipit: *Si vis ingredi in vitam* ». In fine: « Expliciunt decem praecepta praedicata Parisius a fratre Bonaventura ». Secundum est: « De operibus sex dierum ». Incipit: « *In medio Ecclesiae aperuit os eius* ». Finis: « descendere ad inferiora et ascendere ad superiora ». Tertium: « Septem dona Spiritus sancti praedicata a fratre Bonaventura ». In characteribus rubris: *Hortatour vos* (hoc est scriptum, quod primus edidit Bonelli). Quartum: « Expositio parabolarum evangelicarum de regno caelorum ». Incipit: « *Simile factum est* », de quo sermone infra c. 9. agitur.

Iam monuimus, opusculum ex isto codice sumtum non exhibere integras has Collationes, sed fere ad dimidiam partem contractas. Desiderantur exordia, et etiam integer sermo secundus de fortitudine. Nos easdem exhibemus, ut habentur in tribus codicibus saec. XIII. Etiam hae Collationes non sunt scriptae ab auctore, sed *reportatae* ab auditoribus. — P. Bonelli bene observat, tres harum Collationum, sed paulo diffusius legi iam in Hexaëmeron; ast deficientibus ei codicibus, non intellexit, eas ibi esse positas *per interpolationem*, sed putavit, S. Bonaventuram bis easdem res extensas fere eisdem verbis tractasse, quod incredibile est. Quo motus est, ut assumeret innocuum laborem per auctoritatem illarum partium Hexaëmeron probandi, etiam has de donis Spiritus S. Collationes esse genuinas. — Textus Collationum apud Bonelli et illarum trium in Vaticana editione Hexaëmeron a nobis consultus est, sed non servivit nisi ad confirmationem quarundam lectionum, exceptis paucissimis locis, quos in notis notavimus.

De hoc opusculo et de duobus codicibus principalibus P. Fidelis a Fanna tractavit in suo libro: Ratio novae collectionis operum omnium S. Bonaventurae, Taurini, 1874, p. II. c. 8, ibique pag. 194-198 ad latus cuiusdam fragmenti editionis a Bonelli factae ponit respondens fragmentum codicis Parisiensis, ut uno intuitu conspici possit, quae sit differentia inter utrumque textum. Hi codices antiqui nomen Bonaventurae a prima manu scriptum habent et sunt testes idonei pro vero auctore.

§ 3. **Recensentur codices, quae habent Collationes de septem donis Spiritus sancti.**

1. *Oxoniae* in Anglia, bibliotheca Bodleiana (Astroloemus), cod. 757. membranaceus in 4. saeculi XIII. — Folio 188. r.

Digitized by Google

col. 1. prima manus exaravit hunc titulum: *Incipiunt sermones fratris Bonaventure de donis Spiritus sancti.* Inde prosequitur: *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus, Deus tuus in eternum. Verbum secundo propositum* etc. — Desinit fol. 194. v. col. 2: *det nobis dona Spiritus sancti, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat* etc.

Collatio secunda incipit ibidem sub hac rubrica: *Sermo Bonaventure de dono timoris Domini. Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Audi tacens et pro reverentia accedet tibi bona gratia. Verbum ultimum scribitur* etc. — Desinit seu prosequitur usque ad verba: *Quantum autem ad gratia ortum* (nostrae editionis n. 1.). Deinde interseruntur sermones plurimi usque ad folium 278, ubi haec eadem resumitur collatio a verbis: *Requiescet super eum spiritus* etc. (nostrae edit. n. 2.). — Explicit fol. 286. r. col. 1: *ad quam nos perducat qui cum Patre* etc.

Collatio tertia sequitur ibidem cum hoc titulo: *Sermo Bonaventure de dono pietatis. Exerce temetipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia valet, promissionem habens vite que nunc est et future. Verba ista sunt* etc. — Desinit fol. 290. v. col. 1: *quam nobis prestare dignetur qui cum Patre* etc.

Collatio quarta sequitur immediate, hac praemissa rubrica: *Sermo fratris Bone fortune de dono scientie Dei. Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientie claritatis Dei in facie Xpi Iesu. Qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam? Psalmus David* etc. — Desinit fol. 295. r. col. 1: *Istam scientiam nobis prestare dignetur qui cum Patre* etc.

Collatio quinta sequitur his verbis: *Sermo fratris Bone fortune de dono fortitudinis. Mulierem fortem quis inveniet?* usque: *manuum suarum. Sicut turris David* usque: *armatura fortium. Verbum ultimum scribitur* etc. — Desinit fol. 298. r. col. 1: *Rogabimus Dominum* etc.

Collatio sexta sequitur immediate: *Sermo fratris Bone fortune de dono fortitudinis. Mulierem fortem quis inveniet* etc. *Ora pro nobis, quia mulier sancta es. Verbum ultimum fuit* etc. — Desinit fol. 303. r. col. 1: *quam nobis prestare dignetur qui cum Patre* etc.

Collatio septima prosequitur ibidem hoc titulo: *Sermo de dono consilii fratris Bone fortune. Mulierem fortem quis invenit etc. Sapientia ubi invenitur, et quis est locus intelligentie? Nescit homo pretium eius, nec invenitur in terra suaviter viventium. Iob fecit questionem* etc. — Desinit fol. 306. v. col. 2: *ad quod nos perducat qui cum Patre* etc.

Collatio octava sequitur hac rubrica: *Sermo de dono intellectus fratris Bonaventure. Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. Audiens sapiens sapientior erit et intelligens gubernacula possidebit. In secundo verbo* etc. — Desinit fol. 310. r. col. 1: *Rogabimus Dominum* etc.

Collatio nona praecedenti immediate subiicitur hac formula: *Sermo de dono sapientie fratris Bone fortune. Si concurrerisis cum Xpo* usque *super terram. Fili concupiscens sapientiam, conserva iustitiam, et Deus prebebit illam tibi. Verba ultima* etc. — Desinit fol. 314. v.: *Que sursum sunt debemus desiderare, videre et facere, ut ad ea possimus pervenire; quod nobis prestare* etc. — In hac nostra editione signatur littera D.

2. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 970. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — In superiore parte fol. 1. r. recens manus exaravit *Bonaventura;* hinc sine alio titulo sequitur ab antiqua manu: *Hortamur vos ne in vacuum* etc., ut in praecedente codice. — Desinit collatio prima fol. 15. r.: *Incipiamus igitur ab ultimo, scilicet de timore.*

Deinde rubrica secundae collationis: *Sermo de timore Domini. Venite filii* etc. — Desinit fol. 33. v.: *ad benedictionem ad quam* etc.

Deinde rubrica tertiae collationis: *Sermo de dono pietatis. Exerce temetipsum* etc. — Desinit fol. 50. r.: *quam nobis* etc.

Deinde rubrica quartae collationis: *De dono scientie. Deus qui dixit de tenebris* etc. — Desinit fol. 68. v.: *Istam scientiam nobis prestare dignetur* etc.

Deinde sequitur rubrica collationis quintae: *De dono fortitudinis. Mulierem fortem* etc. — Desinit fol. 79. v. in fine: *Prestante ipso qui est trinus* etc.

Deinde rubrica collationis sextae fol. 80. r. in initio: *Sermo in nununtatione dominica. Mulierem fortem* etc. — Desinit fol. 98. r.: *Dabo tibi coronam* etc.

Deinde ibidem incipit septima *collatio de beata Maria. Mulierem fortem* etc. — Desinit fol. 101. verbo: *purgatorium* (nostrae edit. n. 18.). Cetera desunt.

Deinde sequitur rubrica collationis octavae: *De dono consilii. Quesivit lanam* etc. — Desinit fol. 112. v.: *gaudium in eternum; ad quod* etc.

Sequitur nona et ultima collatio: *De dono intellectus. Benedicam Dominum* etc. — Desinit fol. 124. v.: *longum esset dicere. Rogabimus* etc. — Sign. A.

3. *Trecis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 951. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Post alias collectiones sermonum habet a fol. 70. r. usque ad fol. 81. v. collationes de donis Spiritus sancti. Incipit ut alii codices et desinit in collatione 5. n. 13. verbis: *Tertio datur donum fortitudinis ad perferendas mundiales tribulationes.* Codex convenit cum Parisiensi, ex quo videtur esse exscriptus, unde collatio fuit inutilis.

4. *Venetiis*, ex bibliotheca adm. rev. Patris Morchio presbyteri Oratorii, cod. 44. alias 386. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 57. v. habet collationem 5. de fortitudine. Hoc codice usi sumus in corrigenda 5. collatione. — Sign. C.

5. *Rothomagi* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. A 534. $\frac{546.}{549.}$ membr. in 8. saec. XIV. — Post multos aliorum sermones fol. 87. v. tres habet collationes de donis Spiritus sancti, hac rubrica indicatas: *Sermo Bone fortune de dono Spiritus sancti. Hortamur vos* etc. — Desinit: *Sed incipiamus ab ultimo, scilicet a timore Domini.*

Fol. 91. est rubrica: *De dono timoris. Venite filii, audite me* etc. — Desinit: *benedictionem glorie, ad* etc.

Fol. 95. est rubrica: *Sermo de dono intellectus. Benedicam Dominum* etc. — Desinit fol. 97: *in omnibus hominibus. Rogemus.* — Non est a nobis collatus.

Fauste evenit, ut duo priores codices satis evidenter repraesentent scripta a duobus distinctis auditoribus excepta. In plerisque propositionibus conveniunt, sed passim, quando alter omittit aliquo verbo vel etiam integram propositionem, alter supplet omissa. In primis collationibus cod. Parisiensis (A) correctior et completior est, sed in octava et praecipue in nona collatione plura in ipso sunt contracte et confuse scripta. Semel in loco valde corrupto ex alio scripto S. Bonaventurae pauca verba supplevimus, ut planior fiat oratio. Generatim ex utroque codice tex-

Digitized by Google

tum ita ordinare potuimus, ut sensus facile intelligi possit, quia aliquid a nobis additum sit, nisi interdum quaedam particulae (ut *enim*, *igitur*, *autem*), quae propositiones inter se nectunt. In collatione quinta adhibuimus etiam tertium cod. (C), sed fere tantum ad confirmanda lectiones a nobis electas.

Collatio 6. tractat principaliter quidem de B. Virgine Maria, tamen non potuit separari a reliquis de septem donis Spiritus S., quia utraque collatio, scilicet quinta et sexta, intime sunt connexae, ut patet inspicienti.

Collationes istae dignissimae sunt seraphico Doctore et perfecte conformes doctrinae, quam alibi profitetur, ut satis ostendunt notae a nobis ad calcem positae. Sunt tamen faciliores intellectu quam aliae in Hexaëmeron, tum propter rem tractatam tum propter modum loquendi. Unde ipse auctor (collat. 4. n. 3. in fine) dicit: « Nolo dicere nisi planiori modo, quo potero, ut quilibet capere possit ». Referitur tamen sunt sententiis minime vulgaribus; unde praedicatoribus etiam nostrae aetatis passim subministrant apta pro sermonibus argumenta, sententias, divisiones et auctoritates Scripturae et sanctorum Patrum.

Ceterum habemus in hoc opusculo luculentum testimonium pro diligentissimo studio, quo S. Doctor, licet negotiis regimiis gravissimis distentus, praedicando verbo Dei incubuit. Tres sermones satis extensos fecit duobus diebus sibi succedentibus. Nam in collat. 5. n. 2. ait: « De dono fortitudinis dicemus nunc; de privilegio fecunditatis cras in mane, et de dono consilii cras in vero » (cfr. collat. 6. n. 2. et 7. n. 2.).

CAP. VIII.

In Collationes de decem praeceptis.

§ 1. **Hae collationes editae sunt in duplici forma.** — In illa forma, quam exhibent collectiones operum ante et post Vaticanam, editae sunt primo in collectione Coloniensi an. 1486, quae in calce annotat, eas praedicatas esse a S. Bonaventura *Parisius ad Clerum*. In codicibus Parisiensi et Trecensi infra descriptis etiam *tempus* indicatur, scilicet in Quadragesima anni 1268, vel, ut ultimus habet, anni 1267.

Praeter editiones plurimas huius opusculi in forma sermonum habemus eiusdem editionem in forma libelli, qui dividitur in 12 capitula et ex quodam codice Cortonensi publicatus est a P. Benedicto Bonelli (Supplem. III. col. 344 seqq.). Sed hic libellus breviter extractus est ex illis Collationibus, non addit ullam sententiam novam, omittit introductiones collationum et praeter alia etiam illa exempla, quae, ut videbimus, valde offenderunt Oudinum et editores Venetos. Bonelli opinatur, ipsum Bonaventuram, cui praedictus codex hanc opellam tribuit, sermones illos ita mutatos edidisse; non enim insolitum ipsi fuisse brevius perstringere ea, de quibus alias latius disseruerit. Pro qua assertione tria exempla adducit, scilicet *Breviloquium* respectu quatuor librorum Sententiarum, *Centiloquium* respectu Breviloquii, et *Legendam minorem* S. Francisci (ad usum in divino officio compilatam) respectu *Legendae maioris*. Sed superfluum est probare, quod haec exempla non sint ad propositum. Contra facile explicari potest, quod sermones sive collationes ab auctore non scriptae, sed ab aliis utcumque *reportatae*, occasionem dederint, ut aliqui imperfecte scriptis formam darent ipsorum usui magis convenientem. Ita factum est de Collationibus in Hexaëmeron, quarum extractum exstare in duobus codicibus observavimus supra c. 6. § 3.; item etiam de Collationibus de septem donis Spiritus S., quarum extractum ab ipso Bonelli editum est; ita erit etiam de his quae decem praecepta declarant. Nam praeter editionem memoratam invenitur in nostris codicibus infra referendis alterum extractum editione illa paulo diffusius et antiquis codicibus vicinius, quod eodem iure S. Doctori attribui posset. Inconveniens igitur est attribuere S. Bonaventurae duo de decem praeceptis opuscula.

§ 2. **Hoc opusculum certe attribuendum est S. Bonaventurae, non ut ab ipso scriptum, sed ut Parisiis viva voce praedicatum.** — Auctorem eius esse Bonaventuram, testantur coaevus Henricus Gandavensis, Trithemius aliique multi cum illo catalogo bibliothecae Assisiensis, scripto an. 1381, cuius mentionem fecimus supra c. 7. § 2. Sed rem prorsus conficiunt inscriptiones plurimorum codicum antiquorum. Collationes igitur hae pro concione dictae ad sensum popularem et communem intelligentiam sunt accommodatae, tamen minime indignae tanto Doctore, cuius ingenii et doctrinae vestigia non obscura passim apparent.

Iure igitur Sbaralea et Bonelli eas iudicant esse certum seraphici Doctoris opusculum. Contra Oudinus et editores Veneti illud opus proclamant esse spurium, immo Oudino est *opus propudiosum!* Tamen quoad rem in eo contentam nihil aliud producere possunt nisi duo *exempla* sive narrationes, quae pro more illius aetatis in sermonibus popularibus ad doctrinam illustrandam et memoriae imprimendam referuntur. Indignis verbis ea explodit Oudinus. Sed attendendum est, S. Bonaventuram ipsa non adinvenisse, sed aliunde sumsisse, ut in notis nostris indicavimus, et secutum esse in hoc consuetudinem praedicatorum suae aetatis, qui similes narrationculas recipiebant, ut eisdem quasi quibusdam parabolis *doctrinam* utiliter illustrarent et inculcarent. Concedendum est, quod nec praedicatores nec auditores illius aetatis fuerint quoad veritatem ipsius *facti miraculosi* scrutandam ita solliciti neque ita haesitantes, ut critici nostrae aetatis. Quicumque paululum novit mores, opiniones et scripta medii aevi, siaudque scriptorem aliquem iudicat ex conditionibus temporis, in quo vixit, mirabitur potius de imbecilli iudicio illorum criticorum, qui, nulla temporum habita ratione, ex proprio et vulgari conceptu tamquam ex tripode Pythiae sententias suas pronuntiant non raro ineptissimas. — Hoc accidit etiam in hac quaestione. Secuti Oudinum editores Veneti (Diatriba pag. 110) audacter pronuntiant de his sermonibus: « Auferendi sunt Bonaventurae et legitimo auctori Gotschalco Hollen, Geraldo, Eremitarum S. Augustini alumno, scriptori saeculi XV. restituendi » etc. Citant etiam huius operis editionem factam Coloniae an. 1481 apud Ioan. Guldenschaff. Revera hic liber incipit eisdem verbis Prologi: *Si vis ad vitam ingredi*, quae habet Bonaventura; etiam sequentem primam propositionem aliaque plura sumsit ex opusculo Bonaventurae, addens multa de suo, ita ut sit opus diversum, satis diffusum, ut fortasse volumen in 4. componat. Hoc testatur Bonelli, qui librum impressum vidit, inscriptum: « Praeceptorium Domini Gotschalci Hollen Heremitarum S. Augustini ». Exstant adhuc plures codices, qui hunc tractatum Gotschalci Hollen, plerumque unitum cum alio eiusdem de Sacramentis habent. P. Fidelis a Fanano illos codices examinans observavit, auctorem in secundo tractatu multa extraxisse ex Commentario S. Bonaventurae in IV. Sententiarum, sicut in primo tractatu in proprium usum multa sumserit ex Collationibus illis de decem praeceptis. Sed non iuvat verba perdere,

Digitized by Google

ut probemus, has collationes non esse istius, sed Bonaventurae, cum textum nostrae editionis sumserimus ex codicibus scriptis saec. XIII.

§ 3. **Manifestum tamen est, textum opusculi in Vaticana et praecedentibus editionibus esse nimis corruptum et vero foedatum.** — Scatet corruptelis, habet multas lacunas, et longior ille locus in collat. 3. n. 2-14. in illis editionibus inepte positus est in fine collat. 2. Ope codicum passim sententias omissas supplevimus et fere tot correctiones magni vel parvi momenti fecimus, quot sunt lineae in editione Vaticana, quam qui velit conferre cum nostra editione facile colligere poterit, quantum laborem in corrigendo hoc opusculo consumserimus.

I.

Codices a nobis collati cum textu Vaticanae editionis.

1. *In Collegio S. Bonaventurae*, nobis ad tempus a possessore benevole mutuatus, cod. membranaceus in folio parvo, saeculi XIV. incuntis. — Inter alia continet Collationes de decem praeceptis, quae incipiunt sine ullo titulo et auctoris nomine fol. 74. v.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth. Hec sunt verba Salvatoris nostri* etc. Desinunt fol. 91. r.: *ut perveniamus ad eternam refectionem, quam nobis prestare dignetur qui benedictus est in firmamento celi, laudabilis et gloriosus et superexaltatus in secula. Amen.* — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Bodleiana, collectio cod. Laudianorum 181. (quondam fratrum Montis sancti Michaelis prope Moguntiam ord. Carthusianorum 779.) membr. in 4. saec. XIV. circa medium. — Ponitur titulus fol. 142. r. col. 1. sic expressus: *Incipit liber vite Bona venture. Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinit fol. 154. v. col. 2: *ut perveniamus ad refectionem eternam. Quod nobis prestare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto. Amen.* — Sign. B.

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 8084. chart. in 4. — Collationes de decem praeceptis incipiunt fol. 70. v.: *Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinunt fol. 84. v.: *ut perveniamus ad eternam illam refectionem, ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Finiti in octava sancti Laurentii anno 1480.* — Sign. C.

4. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15034. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 93. r. in superiore parte a prima manu exaratum legitur: *Tractatus fratris Bonaventure de X preceptis legis. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Mat. XIX. Verba ista scripta sunt in Matthaeo et sunt* etc. Desinunt Collationes fol. 106. ut in editione. — Sign. D.

5. *Ibidem*, cod. 16499, de quo vide supra pag. XVIII n. 19. — Collationes incipiunt fol. 326. r. col. 1, quibus praemittitur simpliciter: *Ave Maria.* Hinc: *Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinunt fol. 330. r. col. 2. his verbis: *et cum Xpo perveniamus ad eternam illam refectionem, ad quam nos perducat qui vivit et regnat. Hic est verborum consumatio. Explicunt sermones de X preceptis. Anno Domini M.CC.LXVIII.* — Sign. E.

6. *Trecis* in Gallia, cod. 951, de quo vide supra pag. XLI n. 3. — Fol. 34. v. (sed notato numero 38.) incipiunt Collationes his verbis: *Assit principio sancta Maria meo. Si vis ad vitam ingredi* etc. Finem habent fol. 43. v.: *ut perveniamus ad eternam refectionem, quam nobis prestare dignetur* etc. Deinde grandioribus litteris eadem manus addit: *Explicit expositio decalogi secundum fratrem Bonaventure ministri generalis* (sic) *ordinis minorum, quam predicavit Parisius anno Domini M.CC.L.X. septimo in sacra quadragesima, prout potuit notari, dum ipse predicabat. Deo gratias. Amen.* — Sign. F.

Primatum inter hos tenet cod. A, qui est satis antiquus et bene correctus, quem plerumque secuti sumus, ipsi ut plurimum suffragantur Parisiensis D et Trecensis F, sed D interdum nonnulla mutavit. — Cod. E, licet sit recentior, convenit valde cum praecedentibus, sed in locis difficilioribus plerumque quaedam addit vel commutat substituendo saepe lectiones bonas; sed non desunt indicia, quod pleraeque ab aliquo correctore posteriore eo fine factae sint, ut orutio interdum male reportata efficeretur melior. Unde non facile recipiendae erant in textum, nisi urgente gravi ratione. — Cod. C magis convenit cum extracto a Bonelli publicato quam cum textu Vaticanae, dividit etiam opusculum in capitula, omittit introductiones sermonum et repetitiones praecedentium, vel eas et etiam exempla tantum paucis verbis indicat; habet tamen idem in principio capitulorum *alterum* textum Scripturae in editione Bonelli omissum. Praeterea, interdum aliquam propositionem vel pauca verba addit, quae nec in editis nec in aliis nostris codicibus inveniuntur. — Cod. E Collationes has non habet integras, sed contractas, alter tamen contractas, quam exhibent in editione Bonelli, cum textus sit diffusior et propius accedat ad nostram editionem. — Ex praedictis apparet, codd. C E nobis vix alicuius utilitatis fuisse, sed standum fuisse auctoritati codicum A B D F.

II.

Codices a nobis non collati.

7. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, cod. olim sign. XXX. A. 2. membr. in 8. saec. XIV. — Post medium volumen est sequens rubrica: *Sermo de decem preceptis Dei. Si vis ad vitam ingredi* etc. Collationes complectuntur duodecim folia, desinunt: *quam nobis prestare dignetur qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

8. *Ibidem.* — In collectione quadam pluriium fasciculorum, qui indigent compactore, inter alia continentur Collationes de decem praeceptis sancti Bonaventurae, in uno fasciculo membr. in 8. saec. XIV. lacunt. sine titulo et nomine auctoris. Incipiunt fol. signato numero 406 et desinunt ut in editis.

9. *Basileae* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. A IX. 9. chart. saec. XV. — Folia numeris vacant, collationi primae praemittitur hic titulus: *Incipit primum preceptum Dei. Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinit decimum praeceptum his verbis: *Assumpsit in generis humani redemptionem. Ipsi gloria et gratiarum actio in secula seculorum. Amen.*

10. *Berolini*, bibliotheca Regia, cod. Fol. 153. chart. saec. XV. — Collationes incipiunt fol. 172. r.: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Mat. 19. Ista sunt verba nostri Salvatoris, in quibus explicatur summa totius nostre salutis quantum ad duo* etc. Sunt ipsae eaedem Collationes sancti Bonaventurae, sed fusiores redditae a Gotschalco Hollen ordinis Eremitarum sancti Augustini, de quo vide supra § 2. huius

Digitized by Google

capituli. — Idem opus inventitur etiam *Hannoverae*, bibliotheca Civitatis, cod. 5. chart. in fol. saec. XV. sine nomine auctoris. — *Monasterii* in Westphalia, bibliotheca Paulina, cod. 109. chart. in fol. exaratus anno 1470. — Codex Berolinensis est in fine mutilus; collationes vero a Gotschalco auctae ita expliciunt in codice Hannoverano fol. 326: *Sic etiam debet separari a consortio bonarum mulierum eternaliter, a quo nos preservet ille qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

11. *Cantabrigii* in Anglia, bibliotheca Collegii sancti Ioannis Baptistae, cod. B. 17. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. v. non numerato legitur: *Incipit tractatus Bonaventure de decem mandatis.* Desinit: *Debemus modo celebrare pascha et proficisci cum Christo sepulto, et sic tandem perveniamus ad perfectionem* (sic) *eternam, quod nobis prestare dignetur qui cum Patre* etc. *Explicit tractatus Bonaventure de decem mandatis.*

12. *Ibidem*, bibliotheca Aulae Pembrochianae, cod. II. 12. membr. in fol. parvo, saec. XIII. exeunt. — In parte superiore 4. fol. r. prima manus exaravit hunc titulum: *Sermones Bonaventure super precepta decalogi.* Desinit: *ad eternam refectionem; quod nobis prestare dignetur* etc. *Hec est consummatio verborum.*

13. *Ibidem*, bibliotheca Collegii Cail, cod. 408. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit fol. 191. a collatione secunda (n. 9.) verbis: *Per hoc quod dicit: Deus, insinuat sapientiam Filii* etc. Advertendum tamen, in hoc codice sermones falso ordine esse dispositos; folio enim 197. ipse scriptor miuit lectorem ad fol. 210, deinde videtur reversus ad fol. 198, ubi finem facit his verbis: *viri gravius punendi sunt quam mulieres.*

14. *Cisae* (Zeitz in Saxonia), bibliotheca Gymnasii, cod. 37. chart. in fol. saec. XV. — Est rubrica fol. 290. r.: *Sermones Bonaventure de mandatis.* Desinit ut in editione, fol. 319. verso.

16. *Erfordiae*, bibl. Reg. collectio Ampleniana, cod. 94. membr. in 4. saec. XIV. inaud. — Opus de decem praeceptis incipit post medietatem voluminis sine titulo: *Si vis ingredi ad vitam* etc. Desinit in collatione quarta (n. 12.) ad verba: *potiendo et sacrificium offerendo et divinam.*

16. *Ibidem*, cod. 51. membr. in 8. saec. XIV. — Collationes incipiunt fol. 37. r. sub hoc titulo: *Epilogicum de decem preceptis editum. Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinunt verbis: *ut perveniamus ad eternam refectionem, quod nobis prestare dignetur qui plus habet quam sibi detur.*

17. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 343. chart. in 4. fol. exaratus anno 1404. — Collationibus praemittitur titulus: *Tractatus de decem preceptis. Si vis ingredi ad vitam* etc. Collationes in hoc codice aliae breviores exhibentur quam editae, aliae fusiores. Est finis fol. r. non numerato sub rubrica: *De decem plagis* ad verba: *unde Ioseph, qui caste vixit in Egypto, factus est princeps fratrum suorum* (collat. 7. n. 14.). — Collationes de decem praeceptis, simili modo abbreviatae, inveniuntur etiam *Monachii* in bibliotheca Regia, cod. 11430. chart. in fol. saec. XV, de quo iam locuti sumus supra pag. XXII n. 127. — *Ferrariae*, cod. 212. N. B. 1. membr. in 8. saec. XIV. — *Tuderti*, cod. 145. membr. in 8. saec. XIV. inscriptis.

18. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, cod. 1015. membr. in 4. saec. XIV. exeunti. — Collationes incipiunt fol. 23. r. sine ullo titulo, decurrunt usque ad verba: *De tribus negaticis dictum est. Sequitur modo de aliis* (collat. 7. n. 3.). Cetera desiderantur.

19. *Hamburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. theol. II. pag. 61. p. 5. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 142. v. est rubrica sic efformata: *Sermones sancti Bonaventure de decem preceptis.* Incipiunt et desinunt (fol. 178. v.) ut in editis.

20. *Heidelbergae*, bibliotheca Universitatis, cod. Schrank IX. n. 17. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Titulus Collationum notatur fol. 117. v. his verbis: *De decem preceptis;* et finis est fol. 124. r.: *In cuius signum manducatur pascha, ita quod nunc in presenti reficiamur in Xpo et cum Xpo perveniamus ad eternam illam refectionem, ad quam nos perducat* etc. *Expliciunt decem precepta a fratre Bonaventura.*

21. *Lipsiae*, bibliotheca Paulina, cod. 167. membr. in fol. saec. XIV. — Collationes habent initium fol. 104. r. sine ullo titulo et finem fol. 111. r. ut in editione. Post *Amen* additur: *Hec est consumatio verborum.*

22. *Londini*, bibliotheca Regia, collectio Cottoniana, cod. Nero A. 13. chart. in 8. saec. XVI. — Fol. 237. r. complectitur tantum partem primae collationis, a numero scilicet 2: *Notandum, quod quatuor sunt que debent nos movere ad observanda mandata Dei.*

23. *Luxemburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. 96. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Collationibus praemittitur rubrica ab alia manu: *De preceptis decalogi secundum fratrem Bonum fortunam.* Inde prima manus: *Si vis ad vitam ingredi* etc. Finis exprimitur his verbis: *Sicut agnus paschalis illos Egypto liberavit, sic nos per agnum paschalem assumimur ad vitam eternam per mare huius mundi sicut in clipeo per mare rubrum adducit. Rogemus dominum ut det nobis istum agnum sumere sine macula transgressionis maiestatis Dei, ut possimus pervenire ad eternam patriam, quam nobis et vobis prestare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit de preceptis fratris Bonaventure.*

24. *Moguntiae*, cod. chart. 230. progress. CXL. in 4. — Circa medietatem voluminis foliis non numeratis incipiunt Collationes de decem praeceptis sine titulo: *Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinunt his verbis (collat. 6. n. 19.): *Ex isto patet quod homo debet proximum suum precavere a damno quantumcumque potest. Et sic est finis huius* [operis?] *in X preceptis. Anno Domini MCCCC.XIV.*

25. *Oxonii*, bibliotheca Bodleiana, collectio Rawlinsoniana, class. A cod. 123. membr. in 4. saec. XV. — Opus de decem praeceptis incipit fol. 45. r. verbis: *Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinit in collatione 2. n. 2. Post enumerationem decem praeceptorum additur: *Qui vitare necem vult hanc quae fine carebit — Hic precepta decem semper servare studebit.*

26. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 3149. chart. exaratus anno 1460. — Opus in principio est mutilum, incipit enim verbis: *Mandata Dei per rationem ostensivam, quia* etc. (collat. 1. n. 13.). Desinit: *ut sic tandem perveniamus ad eternam refectionem* etc.

27. *Turonis* in Gallia, cod. 403. miscell. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Collationum initium est fol. 166. v. sub titulo: *Bonaventura super decem precepta decalogi.* In collatione 7. n. 9. post verba: *se negare potest*, subiicitur haec rubrica: *Explicit liber de mandatis compositus per fratrem Bonaventura* (sic). Hinc additur: *Et sequitur de decem plagis. Modo*

Digitized by Google

videte quod homines etc. Desinit fol. 189. r.: *quod nobis prestare dignetur*, ut in editione. Post *Amen* iterum rubrica: *Explicit de decem plagis Bonaventure.*

28. *Vindobonne*, bibliotheca Palatina, cod. 1026. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 134. r. est exaratus titulus his verbis: *Tractatus de decem preceptis.* Desinit fol. 142. r. ut in editis sine alia additione nec nota auctoris.

29. *Ibidem*, cod. 486. membr. in 4. saec. XIV. — Collationes incipiunt fol. 1. r. ut in editis, sed sine ullo titulo. Desinunt fol. 20. v.: *Qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Hic codex exhibet transpositionem quandam inter partes secundae et tertiae collationis, sed textus sequitur editionem.

CAP. IX.

In Sermones selectos de rebus theologicis.

Praeter sermones in editione Vaticana editos, quorum non pauci sunt spurii, magnus ineditorum et genuinorum numerus in codicibus exstat, de quibus P. Fidelis a Fanna (in cit. libro *Ratio novae collectionis* etc., pag. 81-160 et pag. 290-312) non paucas notitias ignotas publicavit. Ex illis selegimus quinque sermones, qui aliquo modo ad hunc tomum pertinere videbantur secundum rationem in praefatione nostra expositam, scilicet vel quia ipsa res in eis tractata eidem prorsus convenit, vel quia ad alia quinti voluminis opuscula specialem relationem habent. Sermo igitur secundus *de regno Dei* et tertius *de Ss. Corpore Christi* adeo doctrinae copia abundant et ingenium auctoris manifestant, ut de loco ipsis hic concedendo nulla poterit oriri haesitatio. Sermo quartus de *Christo uno omnium magistro* tum quaestioni disputatae 4. de scientia Christi perfecte respondet et eam aliquantenus complet, tum ipsum spiritum seraphici Doctoris ita exprimit, ut non inepte quasi quoddam exordium poni potuisset in capite totius voluminis. Sermo primus *de triplici testimonio Ss. Trinitatis* connectitur cum quaestione disputata 2. *de mysterio Ss. Trinitatis* (cfr. infra pag. 535, nota 4.). Ultimum opusculum *de plantatione paradisi*, quod est minoris momenti, sententias suas fere omnes ex Collationibus in Hexaëmeron habet depromptas, sed aliter applicatas.

Pro auctoritate sincera uniuscuiusque harum sermonum documenta singillatim afferenda sunt. — Praenotamus tamen arduam quaestionem de sermonibus Bonaventurianis sive recipiendis, sive respuendis non posse hoc loco pro dignitate tractari, sed hunc laborem ultimae parti editionis reservamus, quando de tot sermonibus editis et ineditis ex proposito examen instituetur. In recentioribus enim codicibus non raro multi sermones falso Bonaventurae tribuuntur, et plurimi genuini sunt anonymi, quorum auctor tamen ex aliis documentis probari potest. Sed requiritur, ut plurimi codices descripti aliaeque notitiae a P. Fidele collectae inter se conferantur.

SERMO I.

Hic sermo primus est de *triplici testimonio Ss. Trinitatis*, hucusque inditus, quem sumsimus ex duobus antiquis codicibus.

Primus est cod. *Tudertinus*, olim Conventus S. Fortunati, qui habet sermones certo genuinos S. Bonaventurae, membr. saec. XIV. incuntis, de quo vide supra pag. XXVIII n. 15. Incipit fol. 258. v. col. 2, desinit 260. r. col. 1. — Sign. A et seq. B.

Secundus est *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. Lat. Ms. 7776. (olim Monasterii Indersdorfensis 376.), membr. in 4. saec. XIII. exeuntis et XIV. incuntis. Ligatura est recentioris temporis; in dorso legitur: *Sermones de tempore et de Sanctis.* Post duo folia vacua sequitur indiculus Sermonum, scriptus a manu posteriore an. 1487; continet 249 folia numerata, quae, exceptis foliis paucis, ab una eademque manu exarata sunt. Continet sermones plurium auctorum, praesertim Bonaventurae. Fol. 1. in inferiore margine legitur: *Sermones festivi et feriales Luce Butuntini* (ultimum verbum est a manu recentiore). — Sermo noster primus habetur fol. 227. v. col. 2. sine titulo et nomine auctoris; incipit: *Tres sunt* etc.; desinit fol. 229. r. col. 4. — In eodem est sermo 2. *de regno Dei*, fol. 234. v. col. 4: *Simile est regnum celorum* etc., et sermo 4: *Unus est magister vester Christus*, qui incipit fol. 119. v. col. 2. et desinit fol. 221. v. col. 2. ut in editione. Hic sermo ibi est anonymus; sed omnia *criteria interna*, scilicet doctrina, stilus et methodus huius sermonis, attestantur, ipsum attribuendum esse Bonaventurae.

SERMO II.

Hic agit de *regno Dei descripto in parabolis evangelicis*, et primo editus est a P. Bonelli (Supplem. I. col. 375-415) sub titulo *Sermo de Seminante* seu expositio parabolarum evangelicarum de regno caelorum. Pro primo titulo parum conveniente substituimus nostram inscriptionem. — Bonelli usus est duobus codicibus. Primus adhuc exstat *Florentiae*, bibliotheca Laurentiana, infra (n. 6.) a nobis descriptus, cuius apographum triplex habuit (cfr. Prodrom. col. 414), in quo et in altero (n. 7.) sermo tribuitur Bonaventurae. Alter fuit Assisiensis n. 102, qui plura Bonaventurae opera continebat, de quo iam locuti sumus c. 7. § 2. et c. 8. § 2.

Adhibitis aliis quinque codicibus, multos defectus et errores primae editionis potuimus emendare. Inter sequentes codices duo meliores sunt A C, qui inter se plerumque conveniunt, et quorum paulo correctior est C. Cod. B vero fere semper convenit cum codice Florentino (n. 6.), cuius apographo usus est Bonelli.

I. Codices a nobis collati cum Supplemento a Bonelli edito.

1. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca sancti Fortunati, cod. 182, de quo vide supra pag. XXVIII n. 15. — Sermo de regno Dei incipit folio 112. r. sine titulo et nomine auctoris: *Simile est regnum celorum* etc. *Detinebant illum ne* etc. Desinit fol. 117. r.: *Hec breviter de parabolis dicta sufficiant.* (n. 42. nostrae editionis, vide ibi pag. 551, nota 8.). — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XVII. sin. cod. 8. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — Sermo ille incipit fol. 30. v.: *Simile est regnum celorum* etc. Desinit fol. 35. r. ut in editione. — Sign. B.

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regis, Latin. Ms. 7776, de quo vide supra in hoc cap. — Initium sermonis est fol. 234. v. sine titulo: *Simile est regnum celorum* etc. Desinit fol. 237. v. verbis: *Hec autem breviter de parabolis dicta sufficiant.* Cetera desiderantur ut in codice A. — Sign. C.

4. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. E. VI. 1017. membr. in fol. saec. XIV. incunt. — Incipit fol. 64. v., ubi in summitate folii prima manus parvis litteris exaravit: *Dominica*

Digitized by Google

V. post epyphaniam. Deinde col. 2: *Simile est regnum celorum* etc. *Quia nulle rerum similitudines* etc., ut legitur in nostra editione n. 3; nam verba antecedentia omittuntur. Desinit fol. 65. v. in fine verbis: *Concupiscentia sapientie deducet ad regnum perpetuum* (in nostra editione n. 35.). Cetera fuerunt avulsa. — Sign. D.

5. *Trecis* in Gallia, cod. 2052. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Sermo de regno Dei incipit fol. 23. v.: *Simile est regnum celorum* etc. *Quia nulle similitudines rerum*, ut cod. praecedens. Desinit fol. 29. r.: *Minimum quantitate et maximum virtute. Rogemus ergo* etc. (in nostra editione n. 42.). — Sign. E.

II. Codices a nobis non collati.

6. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XX. cod. 26. membr. in 8. saec. XIII. — Folio 200. r. col. 1. est rubrica: *Sermo fratris Bonaventure. Simile est* etc. Desinit fol. 207. r. Hoc codice usus est P. Benedictus Bonelli in editione huius sermonis, ut supra innuimus.

7. *Oxoniae*, bibliotheca Bodleiana, cod. Canonic. 284, quem supra descripsimus pag. XXIII n. 149. — Folio 93. v. est rubrica: *Sermo fratris Bonaventure. Simile est regnum.... Deliberabant illum* etc. Desinit fol. 98. r.: *nos liberatos perducat Filius Dei ad regnum celorum. Quod nobis prestare dignetur etc.*

8. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, 1. class. cod. 217. chart. in fol. saec. XV. — Sermo de regno Dei incipit fol. 310. r. ut in editione, et desinit fol. 317. r. verbis: *quod nobis prestare dignetur* etc.

Sermo III.

Hic agit *de Ss. Corpore Christi.* Hunc Bonelli (Supplem. III. col. 952-984) primus publicavit, usus apographo ex quodam codice saec. XV. sumto, quod ei communicavit P. Urbanus Schaukegl, Prior Monasterii Gottvicensis in Austria. Codex est chart. sign. D 6. Ad calcem apographi ita subscripsit: « Ita cum codice manuscripto ex integro concordare, attestor Gottvici die 8 Iulii 1765 P. Urbanus Schaukegl, Prior Gottvicensis manu propria ». Sed cum ante plures annos idem cod. cum editione P. Benedicti Bonelli a quodam nostro collaboratore conferretur, inventi sunt saltem 200 loci, in quibus codex ab editione discedit. Pluries cod. habet unam vel duas lineas, semel integrum divisionis membrum, quae desiderantur in editione aliasque lectiones variantes magni momenti, quae conveniunt cum nostra editione, non cum illa prima. Hi defectus certe non sunt attribuendi diligentissimo P. Bonelli, sed potius ei qui fecit apographum. Hinc non est mirum, quod prima editio sit valde imperfecta. In catalogo Trithemii (infra c. 12.) invenitur (n. 17.) ut opus Bonaventurae *de Excellentia eucharistiae*, lib. 1. Non possumus determinare, num ille hunc sermonem significare voluerit.

I. Codices a nobis collati cum Supplemento a Bonelli edito.

1. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 9612. membranaceus in 8. saeculi XIV. incuntis. — Sermo de sacratissimo Corpore Christi est fol. 182. r. sub hac rubrica: *Incipit sermo de corpore Xpi. Confiteantur Domino misericordie eius* etc. usque: *et umbra mortis. Istud verbum scribit David* etc. Desinit fol. 191. r. verbis relatis pag. 566, nota 1. — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, cod. 9598. membr. in 8. saec. XIV. — Hic sermo incipit fol. 4. r., cui manus saec. XV. incuntis praemisit haec verba: *Nota diligenter de sacratissimo corpore Xpi sermonem pulcherrimum.* Deinde: *Confiteantur* etc. Desinit fol. 10. v. his verbis: *Et sic impletur in sacramento quod in figura dicitur de mannate, quod in omni transfigurata omnium virtuti gratie deserviebat ad voluntatem eorum qui adeo desiderati sunt.* Hic finis est in hac nostra editione n. 40, ut innuimus pag. 565, nota 11. — Sign. B.

3. *Ibidem*, cod. 2657, de quo vide supra pag. XVIII n. 13. — Fol. 229. v. est titulus: *Incipit sermo de corpore Xpi. Confiteantur* etc. Desinit fol. 236. r. ut cod. A, sed hic post *Amen* subiicitur: *Explicit.* — Sign. C.

4. *Ibidem*, cod. 7012. chart. in fol. — Fol. 94. r. in summitate legitur: *Sermo bonus de corpore Xpi. Sex legales figure.* Hinc: *Confiteantur Domino* etc. Desinit fol. 99. r. his verbis: *Quod nobis prestare dignetur qui est trinus et unus in secula Deus. Explicit sermo de corpore Xpi. Anno Domini M.CCC.LXXXV.* — Sign. D.

5. *Ibidem*, cod. 9617. membr. in 8. saec. XIV. — Sermo de sacratissimo corpore Christi incipit fol. 171. r. sine titulo et desinit fol. 176. r. verbis infra relatis pag. 566, nota 6. huius nostrae editionis. Fini additur simpliciter: *Explicit.* — Sign. E.

Codices A et C sunt magis completi et multo meliores quam cod. Gottwicensis. Ipsi fere semper inter se conveniunt, et ubi differentes lectiones habent, ordinarie C praeferendus est. Cod. E omittit duas figuras, sed in quatuor, quas habet, communiter confirmat lectiones illorum. Ultimi duo numeri sermonis non habentur nisi in D E (cfr. pag. 566, nota 1.). Sed etiam B D fuerunt plerumque nostro textui, licet non raro quaedam a posteriore manu mutata, vel contracta esse videantur.

II. Codices a nobis non collati.

6. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 177. membr. in 6. saec. XIV. — Fol. 139. r. habetur titulus sic expressus: *De corpore Christi.* Desinit fol. 143. r. cum cod. E: *contra cor ferreum id est obstinatum. Rogemus ergo Dominum* etc. in hac bibliotheca asservatur sub n. 258. etiam codex, quo usus est P. Bonelli, de quo, quia iam locuti sumus supra col. praecedente hic alia addere non refert.

7. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. chart. 74. progress. XLVII, in fol. saec. XV. — Fol. 97. r. est rubrica: *Sermo pulcherrimus de sacramento. Confiteantur* etc. Desinit fol. 104. v. in fine ad haec verba: *venerunt in Marat ad potum amarissimum, quem cum pre amaritudine* (in nostra editione n. 41.). Cetera desunt, quia sequens fol. fuit decisum.

8. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 18642. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r. praemittitur: *Sermo domini Bonaventure de corpore Christi. Confiteantur Domino* etc. Desinit fol. 12. v. ut in editione.

9. *Ibidem*, cod. 16248. chart. in fol. saec. XV. — Titulus est fol. 263. r. his verbis: *Sermo de corpore Xpi Bone venture. Confiteantur Domino* etc. Desinit fol. 269. v.: *Sub figura mannatis quam ipse prestare dignetur.*

10. *Ibidem*, cod. 7684. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 61. r.

Digitized by Google

legitur: *Sermo de corpore Xpi Bone venture*. Desinit fol. 71. r. ut praecedens.

41. *Ibidem*, cod. 3737. chart. in fol. saec. XV. post medietatem. — Post sermones de Sacramento eucharistiae fol. 103. r. legitur haec rubrica: *Sermo domini Bonaventure de corpore Xpi*. Deinde fol. 104. in principio: *Confitentur* etc. Desinit fol. 108. r. ut in editione.

42. *Ibidem*, cod. 21232, de quo vide supra pag. XXVII n. 6. — Sermo de sacratissimo Corpore Christi incipit fol. 164. v. sub hoc titulo: *De efficacia communionis et qualiter se debeat homo preparare, ut utiliter communicet. Confitentur Domino* etc. Explicit fol. 169. r.: *Quere tuam mellificationem in hoc sacramento sub figura manne, quod nobis prestare* etc.

43. *Claustro-Neoburgi*, bibliotheca Monasterii, cod. 251. chart. in fol. exaratus anno 1378. — Fol. 64. r. est rubrica: *Incipit sermo bonus de corpore Xpi. Confitentur Domino* etc. Desinit fol. 66. r.: *Si in umbra mortis incentem, quere reconciliationem agni paschalis* etc.

44. *Ibidem*, cod. 1437. membr. in 9. saec. XIII. — Fol. 47. v. est sequens rubrica: *De corpore Domini in cena Domini. Confitentur Domino* etc. Desinit fol. 25. r.: *Quarto sub figura mannatis, et hoc ad medicinam mollificacionis contra cor ferreum, id est obstinatum, quia homo vinctus erat ferro, id est corde obstinato. Rogemus ergo Dominum*. Cfr. codd. sub n. 5. et 6.

45. *Oeniponte*, cod. 504. membr. in 4. saec. XIV. — Sermo de sacratissimo Corpore Christi incipit fol. 148. v. ut in editis, sine ullo titulo, et desinit fol. 150. r. verbis: *quod nobis prestare dignetur* etc.

46. *Sancti Galli*, cod. 329. chart. in fol. — Pag. 221. est sequens rubrica: *Sermo bonus et utilis de sacramento corporis Xpi. Confitentur Domino* etc. Desinit fol. 228. (n. 51. nostrae editionis): *Egyptum spiritualiter exeat, opera tenebrarum abiicat et cum gratiarum actione sumat. Amen. Scriptum per me fratrem Eccristum* (?) .... *anno Domini 1453 in die decem millium militum*.

[Sermo IV.]

Egregius sermo de *Christo uno omnium magistro* a nobis descriptus est ex eodem codice Monacensi, qui primum illum sermonem habet et quem distinximus littera B, et editus est in opusculo *de Humanae cognitionis ratione anecdota quaedam* etc. Ad Claras Aquas 1883 pag. 72-84. — Quod ibi in Prolegomenis (pag. XIII) diximus iuvet hic repetere: « Hunc (sermonem) transcripsimus ex codice Regiae bibliothecae *Monachii*, sign. Lat. Ma. 7776. (olim Monasterii Indersdorfensis n. 276.), membr. in 4. fol. 249. In catalogo huius insignis bibliothecae codex tribuitur saec. XIV; P. Fidelis a Fanna vero iudicavit, ipsum esse potius saec. XIII. In eo continetur magna collectio sermonum, inter quos multi, tacito nomine auctoris, sunt S. Bonaventurae, ut ex aliis certis documentis probari potest. Etiam sermo, de quo agimus, est anonymus, et nondum habemus in promptu alios codices, quorum testimonio probare possimus, auctorem eius esse S. Bonaventuram. Attamen tanta est conformitas tum doctrinae, tum stili, tum methodi in sermonibus a S. Doctore usurpatae cum aliis genuinis eius operibus, et totus sermo ita sapit excelsum et profundum spiritum seraphici Doctoris, ut nullatenus de eius authenticitate dubitandum sit. Ita iudicavit P. Fidelis a Fanna, cuius iudicium eo maioris est faciendum, quia speciali studio et diligentia et per multos annos *Sermones* S. Bonaventurae perscrutatus est. Poterit quidem aliquis in doctrina S. Bonaventurae multum versatus ex eius operibus varia fragmenta doctrinae colligere et copulare; sed minime probabile est, quod compilator, qui aliena mutuatur, vastissimam materiam modo tam apto et sublimi componat, ut cernitur in isto sermone; nec quod qui tantum in componendo capacitatem manifestat, indigeat ex alio auctore divisiones et etiam verba depromere ».

Novam nostram editionem locupletavimus summario et pluribus notis, ut magis appareat, totam doctrinam esse Bonaventurianam.

Tractatus ultimus.

Ultimum locum reservavimus tractatulo *de plantatione paradisi*, qui primo editus est a Bonelli (Supplem. I. col. 1-22). Idem (Prodrom. col. 726) eum genuinum esse, pluribus probare nititur. Invenitur scriptus in cod. Tudertino Conventus S. Fortunati supra pag. XXXII n. 120. notato. Codex est membr. saec. XIV. incuntis et praeter alia quatuor opuscula Bonaventurae quarto loco et fol. 118. r. habet hunc tractatulum sine titulo. In primo non exarato folio est indiculus contentorum, scriptus saec. XV., qui quarto loco habet: *Eiusdem* [Bonaventurae] *tractatus qui incipit: Plantaverat autem dominus Deus paradisum*.

Opusculum hoc quoad totam doctrinam est sumptum ex operibus S. Bonaventurae, praecipue ex Collationibus in Hexaëmeron et Itinerario, ut notae nostrae ostendunt. Nihilominus haesimus aliquantulum, utrum recipiendum esset ut genuinum, quia inveniuntur plures propositiones, quarum stilus a consueto dicendi modo S. Doctoris recedere videtur. Sincere confitemur, non esse improbabile, anonymum quendam ex eiusdem S. Doctoris sermone sententias extraxisse et hoc opusculum composuisse, simili modo, quo ex Collationibus de donis Spiritus S. et de decem praeceptis tractatus contracti et a Bonelli publicati sunt, ut suo loco ostendimus. Sed licet hanc suppositionem nolimus reprobare, tamen opusculum eodem iure visum est esse recipiendum, quo illae *reportatae* Collationes. Sententiae enim opusculi omnes et etiam pleraeque loquendi formulae sunt Bonaventurianae, unde hoc sensu tractatulus ostro auctori non potest abiudicari. Cum autem antiquus codex insignis bibliothecae Tudertinae, quae bonis codicibus multorum operum S. Doctoris abundat, tractatulum expressis verbis eidem attribuat, et iam impressus sub ipsius nomine quoddam ius possessionis acquisiverit, putavimus, ipsi competere locum habere in hoc tomo, sed ultimum.

CAP. X.

De quibusdam opusculis non genuinis.

Exclusimus ab hoc tomo plura alia opuscula, quae in editionibus ut genuina Bonaventurae opera impressa sunt, quibus argumenta tractata locum hic vindicare videntur. Huius exclusionis ratio quoad singula reddenda est.

Praemittimus observationem non inutilem. Postquam magni illi magistri saeculi XIII, Scoto non excluso, praeclara sua opera

Digitized by Google

scripserunt, incepit aetas *compendiorum*. Extrahebantur sententiae primorum auctorum, additis hinc inde novis opinionibus. Ex quatuor libris Commentarii Bonaventurae in Sententias quot libelli extracti sint et *Bonaventurae* plerumque inscripti, videri potest ex Prolegomenis nostris ad tom. I. pag. LXIV seqq. Idem evenit etiam respectu aliorum operum. Hinc facile accidere potuit, ut postea ipsa compendia, licet facta sint ab aliis saepe anonymis, tribuerentur auctori, qui opus originale composuit. Reapse hoc accidit respectu *Centiloquii* et libelli *Declaratio terminorum theologiae*.

§. 4. **Centiloquium, quod communiter ut genuinum et Bonaventura dignum opus receptum est, ab ipso non est compositum.** — Impressum est sine indicatione anni Zwollis in Hollandia. In fine legitur: *Explicit Domini Bonaventurae Centiloquium. Opus perutile, Zwollis impressum. Deo gratias.* Hanc editionem vidit P. Fidelis in bibliotheca Camberiaci, edit. n. 6621. Invenitur libellus etiam in prima collectione opusculorum S. Bonaventurae (sine loco et anno), deinde in sequente anni 1484 et aliis posterioribus. Inde a saeculo XV. communiter et tributum est, praesertim a duobus insignibus viris, scilicet S. Bernardino Senensi et Trithemio (cfr. infra c. 12.), qui sine ullo dubio habuerunt codices, qui opus Bonaventurae inscripserant. Quomodo hoc facile fieri potuerit, et non sine aliqua ratione, subinde dicetur. — Prologus incipit: *Ecce, descripsi eam tripliciter.*

Oudinus, editores Veneti, Sbaralea et Bonelli in hoc conveniunt, ut ipsum opusculum *certo* Bonaventurae tribuendum esse putent, sed cum quadam restrictione. Primo enim dubitant de Prologo nimis insulse scripto. In ipso enim legantur haec: « In adminiculum itaque parvulorum rudis rogatus a rudibus rudem tractatum rudibus compilavi, in quo rudium ruditas circa generalia theologiae saltem ruditer poterit erudiri et ex lacte infantiae ad cibum solidum, penevia Dei gratia, cum sensus industria praeparari ». Ad haec recte dicunt editores Veneti (Distribo, pag. 70): « Ab hoc certe rudi scribendi genere prorsus abhorruit Bonaventura ». Et cum Trithemius, hunc Prologum omittens, tractatum incipere indicet verbis: *Mihum consulerare occurrit;* Bonelli (Prodrom. 531. n. 7. 87.) suspicatur, S. Doctorem edidisse opus sine Prologo; postea vero hic et fortasse quandam alia additamenta accessisse opera « fratris Marchesini de Regio, Lectoris sacrae theologiae », quippe cui tribuitur hoc scriptum in quodam codice bibliothecae Casanatensis (Romae) sign. G VI, qui, teste Bonelli (Prodrom. col. 462), incipit ibi fol. 85. verbis Prologi: *Ecce, descripsi eam tibi tripliciter*, et post indicem capitulorum et quandam orationem S. Ambrosii habet: *Incipit Centiloquium* [litteris rubris] *fratris Marchesini de Regio, Lectoris sacrae theologiae.* In fine: *Explicit Centiloquium F. Marchesini. Amen.* — Secundo, idem Bonelli dicit (col. 531 n. 6.), non convenire doctrinam Centiloquii cum Bonaventuriana quoad duo, scilicet quoad institutionem Sacramentorum (Centiloq. p. III. sect. 47, et IV. Sent. d. 23. a. 1. q. 2.) et usum matrimonii, utrum sit veniale, si praecise fiat vitandae fornicationis causa (Centiloq. p. I. sect. 32, et IV. Sent. d. 31. a. 2. q. 2.). Sed haec differentia doctrinae ex citatis locis non potest concludi. Quoad institutionem Sacramentorum nihil dicitur, nisi quod communissime et etiam a S. Bonaventura receptum est; quoad alteram rem locus nimis brevis facile in sensu Bonaventurae intelligi potest.

Verumtamen, instituto diligenti totius opusculi examine, prorsus persuasi sumus, S. Doctorem minime hoc opus composuisse et edidisse, simulque animadvertimus rationem, quare aliquo modo eidem potuerit attribui.

Longe enim maior pars eiusdem (ita ut vix *quarta* vel *quinta* pars aliunde sumta sit) excerpta est ex operibus S. Bonaventurae, ita quidem, ut *ipsa verba et loquendi modi* originalia in brevi excerpto retineantur, quantum fieri potuit, interiectis tantum illis verbis, quae propositiones conlungunt, et interdum mutato ordine sententiarum. — Reliqua pars eodem modo *ad verbum* extracta est ex scriptis aliorum quinque doctorum illius aetatis. Unde si praescindimus ab eo, quod in Prologo et in p. III. sect. 18. de quarto Angelo *Uriel* habetur, difficile erit, vel unum sententiam ostendere, quae non sit transcripta. Remanserunt vix tres paginae opusculi, doctrinam vulgarissimam continentes, quarum primum auctorem non invenimus; sed secundum regulam inductionis etiam has transcriptas esse praesumendum est.

Verum igitur est quod auctor in Prooemio huius opusculi dicit: « Collegi autem hoc ex dictis *proborum*, quae hinc inde decerpens in unius opusculi angustiam coarctavi ». Nam praeter *Bonaventuram* invenimus *Petrum Lombardum* (Magist. Sentent.), *Gulielmum Antissiodorensem*, *Alexandrum Halensem*, *Ioannem de Rupella* et *Gulielmum Peraldum*, quorum dicta in huius opusculi angustiam coarctantur.

1. Longe maior pars, ut diximus, est S. Bonaventurae, ita quod regula videatur fuisse compilatoris, doctrinam Doctoris seraphici excerpere et tantum iis in locis, in quibus ipse deficit, ex aliis praeceptis magistris defectum supplere. Sententiae S. Bonaventurae, quas compilator proponit, habentur in duobus operibus ipsius, scil. in Commentario super IV libros Sententiarum et in Breviloquio; et hae sententiae fere semper ad verbum allegantur. Superfluum nobis videbatur, hic in specie ponere omnes locos ex Bonav. sumtos, quos plurimos notavimus, cum facile in ipso inveniri possint, adhibito indice rerum.

2. Illas partes opusculi, quae ex operibus S. Bonaventurae *non sunt sumtae*, indicemus in sequentibus.

a) Quae in I. parte Centiloquii de peccatis in *speciali* sive de specialibus peccatis dicuntur, fere omnia sumta sunt ex *Alex. Halensis* Summa p. II. q. 112. seqq. Excipiuntur ea quae a sectione 14-16 habentur; haec siquidem sunt ex Bonav., II. Sent. d. 42. a. 1. q. 1, dub. 3. et 4., ex quo etiam quae in sect. 27. 28. et 33. de excommunicatione et de passionibus peccatorum exhibentur. — In sect. 18. et 19. compilator, tractans de opposito inanis gloriae et invidiae, a doctrina Alex. Halensis aliquatenus divergit, quia non ipsum, sed *Gulielmum Antissiodorensem*, S. p. II. tr. 20. c. 1. q. 3. et tr. 21. c. 2, sequitur; sic v. g. ultimo loco cit. Antissiodorensis ait, quod invidia sit contraria pietati « mediante caritate, quae misericordiam, quae est in largitione bonorum, generat, sicut dicitur, quod timor est contrarius superbiae, scilicet mediante humilitate, quam generat ». Compilator Centiloquii (p. I. sect. 19.) refert: « Opponitur autem timor Domini superbiae ratione humilitatis, quam generat; et pietas invidiae ratione caritatis, ex qua generatur ». — Notatu etiam dignum est illud quod sect. 32. ponitur de quinque modis, quibus coitus coniugalis indicatur peccatum mortale; idem siquidem occurrit etiam in Compendio theologicae veritatis, lib. III. c. 21; communis vero fons est Alex. Halensis, S. p. II. q. 148. m. 2, ubi in initio de hac re quinque modi recensentur, qui eisdem verbis in utroque opusculo transcripti sunt.

Digitized by Google

b) Quae in p. III. sect. 18. de quadruplici defectu ab hominibus per custodiam Angelorum excludendo et de quarto Angelo (Uriel) dicuntur, non invenimus in alio auctore. — Ibid. sect. 19-23. agitur de definitionibus animae et de divisione potentiarum ipsius; sect. 19. 21. et 23. sumtae sunt ex *Iohn. de Rupella*, Summa de Anima (cfr. Alex. Hal. Sum. p. II. q. 59. seqq.), et quidem sect. 19. ex p. I. c. 2, sect. 21. ex p. II. c. 16. seqq., sect. 23. ex p. II. c. 4. et 25. — Demum definitiones virtutum cardinalium (sect. 41-44.) sumsit compilator ex *Gulielmo Peraldo*, Summa virtutum ac vitiorum, tom. I. fol. 144. seqq. et sect. 53, proponens septiforme exemplum Christi pro septem ordinibus sequitur Petr. Lombard. IV. Sent. d. XXIV. c. 3. seqq.

3. Duo ex praedictis colligi possunt: primo, quo sensu Bonaventurae hoc opusculum tribui possit. Cum accidens sequatur principale, et cum longe maior pars (incipiendo a p. I. sect. 1, extracta ex Bonav. II. d. 37. a. 2. q. 1. in corp., d. 34. a. 1, d. 35. a. 1, usque ad ultimam sectionem sumtam ex IV. Sent. d. 49. p. I. q. 5.) quasi ad verbum ab ipso sit mutuata; opus Bonaventurianum dici potest quoad res in eo contentas. Hinc explicatur etiam, cur non pauci codices nomen Bonaventurae opusculo inscripserint, et docti viri eidem ipsum tribuerint. — Secundo patet, auctorem huius scripti esse *compilatorem* secundum strictum verbi sensum, quem determinat S. Bonaventura (I. Sent. Prooem. q. 4.): « Aliquis scribit aliena, addendo, sed non de suo, et iste *compilator* dicitur ». — Verum est, quod humilitas et modestia ipsi suggesserunt haec verba: « Hoc enim sentio et fateor, quod sum pauper et tenuis compilator » (II. Sent. Praelocutio, in principio); sed econtra omnia ipsius opera genuina luculenter testantur, quod ipse magnus fuerit doctor evangelicus, *qui profert de thesauro suo nova et vetera* (Matth. 13, 32.). Si quis nihilominus insistere voluerit inveteratae opinioni, quod ipse compilaverit hunc librum; viderit, num consulat honori tanti Doctoris, cum faciat eum revera « pauperem et tenuem compilatorem » et coevorum auctorum transcriptorem.

Sed videamus testimonia codicum. Praeter illum codicem bibliothecae Casanatensis et alterum *Mantuanum* in Conventu Minorum Conventualium et tertium *Murbici* in Alsatia Bonelli allegat ex quodam catalogo codicem *Collegii Lovaniensis*, qui habent *Centiloquium* Bonaventurae tributum. Sed P. Fidelis (*Ratio* etc. pag. 57), qui codicem vidit, attestatur, ibi non haberi *Centiloquium*, sed *Incendium amoris*, cuius Prologus incipit eisdem verbis: *Ecce descripsi* etc. — Ipse P. Fidelis notavit et descripsit alios 18 codices, qui hoc opusculum habent. Horum sunt *quindecim* scripti saec. XV. et tantum *tres* in fine saeculi XIV., nullus primo saeculo post mortem Bonaventurae. Unus solus antiquiorum tribuit opus Bonaventurae, qui est *Budapestini* in Hungaria, bibliotheca Szechenyiana sign. cod. 73, qui inscribitur: *Centiloquium angelici viri Bonaventure*. Alii duo sunt *anonymi*, scilicet *Cortonae*, bibliotheca Civitatis, cod. 33. membr. saec. XIV. exeuntis, et *Venetiis*, bibliotheca Seminarii Patriarch., cod. N. III. 11. membr. in 8. eiusdem aetatis. Sed codices saeculi XV. habent nomen *Bonaventurae*. Notandum est etiam, communiter eundem Prologum inveniri in codicibus, quem Bonelli attribuere vult fratri Marchesino.

Hoc igitur testimonium recentiorum codicum et editionum, deficientibus omnino testibus primi saeculi post mortem S. Doctoris, non probat efficaciter, ipsum Bonaventuram excerpta Centiloquii fecisse et publicasse, cum, habita ratione rerum excerptarum, facile explicari possit, cur libellus tributus sit Bonaventurae.

Bonelli (Prodrom. col. 532. n. 8.) suspicionem, quod Fr. Marchesinus a Regio scripserit Prologum et quaedam additamenta Centiloquii, alia argumento fulcit, quod scilicet iste Prologus non levem affinitatem habeat cum Prologo operis, quod ab isto fratre editum est et in editione Veneta Petri de Quarengiis an. 1511, quam ad manus habemus, inscribitur *Mamotrectus* [alias Mammotrepton vel Mammotrectus] *super Biblium*, et in fine: « Explicunt expositiones et correctiones vocabulorum libri, qui appellatur *Mamotrectus* ». Prima editio prodit Moguntiae an. 1470 per Petrum Schoiffer in folio, et praeter hanc aliae 12 editiones ante an. 1500 factae referuntur a Sbaralea (Supplem. pag. 509). Prologus incipit: « Impatiens propriae imperitiae ac ruditati compatiens pauperum clericorum » etc.; porro dicit: « velim insinuare lectori pauperculo, secundum quod pro capta intelligentia *colligere potero ex laboribus aliorum* », et concludit: « Et quia morem geret talis decursus pedagogi, *Mamotrectus* poterit appellari ». Reapse uterque Prologus sapit eundem stilum et idem ingenium scriptoris.

Nec negligendum nobis videtur aliud indicium non leve, quod facit pro Marchesino. *Tuderti*, bibliotheca S. Fortunati, est cod. 129 membr. in 8. parvo, folior. 250, saec. XIV. ante vel circa medium, in quo fol. 1. r. est rubrica: *Sermones fratris Marchesini super omnes festa nostri Kalendarii, id est Ordinis fratrum Minorum*. — Fol. 154. r. *Sermo de Angelis*, ubi legitur: « In signum huius inflammationis et ferventis dilectionis tam ad proximum quam ad Deum unum Angelum proprio nomine explicamus, scilicet *Uriel*, de quo habetur in quarto apocrifo et non alibi inveniunt. Interpretatur autem *Uriel* lucens Deo vel ignis Dei ad inmendum, quod per angelicum beneficium ardemus in Deum, per fervidam dilectionem et lucemus Deo, id est ad honorem Dei per placidam proximi edificationem. Amen ». Cum igitur Angelus Uriel, quod scimus, a nullo antiquo Scholastico ita explicetur nisi in Centiloquio (p. III. sect. 18.) et in isto sermone Marchesini, confirmantur praefata indicia, quae ipsum esse compilatorem Centiloquii insinuant. De eiusdem scriptis vide Sbaralea loc. cit., qui contra alios recte asserit, eum scripsisse in principio saec. XIV. Meminit eiusdem etiam Bartholomaeus Pisanus, Conformit. XI. p. II.

§ 2. **Opusculum de Ecclesiastica Hierarchia** primo impressum est in collectione opusculorum *Argentinae* an. 1495. Primus omnium testis, qui illud Bonaventurae attribuit, est Marianus Florentinus in suis Chronicis saeque tunus certis, qui dicitur obiisse an. 1523 die 20. Iulii (Prodrom. col. 267). Nihilominus Oudinus, editores Veneti, Sbaralea et Bonelli censent, hunc libellum esse *certum* S. Bonaventurae scriptum. Principalem illorum rationem Oudinus (Comment. de scriptor. ecclesiast. III. dissert. singular. c. 13. col. 424.) ita profert: « Opusculum certum eiusdem, cum sub operis initium allegat alia a se scripta, quae reperiuntur in opusculis *Breviloquii* et *Centiloquii* absque dubio ad S. Bonaventuram spectantibus. Praeterea istud opusculum ex lectione grave simul et eruditum est » etc. — In Prologo autem opusculi legitur: « Huius rei gratia praesens opusculum, etsi laboriosum mihi, tamen et aliis parvulis in Christo hic potentibus, ut spero, non infructuosum, offero ad aedificationem domus Domini... In quo agitur de proprietatibus rerum naturalium, quas secundum parvitatem meam nunc tropologice,

Digitized by Google

aunc allegorice, nec non quandoque anagogice rebus spiritualibus comparavi... Et cum rerum naturalium proprietates ipsarum sequantur substantiam, secundum ipsarum distinctionem substantiarum et ordinem erit distinctio et ordo proprietatum, quas *in alio opusculo per se positas et distinctas poteris per ordinem reperire* ». — Auctores Vaticanae editionis in praefixa operi animadversione illud *aliud opusculum* intelligunt esse *Breviloquium*, vel alium tractatum historia temporum non exstantem; sed cum tribus aliis viris supra memoratis Bonelli (loc. cit. col. 533) contendit, illud esse *Centiloquium*, cuius partem III. sect. 13-18. ad hoc probandum allegat. Pro similitudine doctrinae ostendenda recurrit etiam ad Itinerarium mentis in Deum et de Reductione artium ad theologiam, ut sic opuscolum vindicet Bonaventurae.

Nobis autem minime certum esse videtur, quod per illam tam generalem et ad aliorum auctorum opera applicabilem allegationem reapse indicetur *Centiloquium*. Sed quidquid sit de hoc, aliud inde concludi potest pro istorum sententia, quod libellus sit Bonaventurianus. Nam si reapse citatio illa referitur ad *Centiloquium*, ut unus utriusque operis sit auctor; cum Bonaventura non sit proprie auctor *Centiloqui*, per consequens nec libellum istum scripsit. Si vero verba illa indicant alium librum ignotum, tum evacuatur argumentum principale, quo illi pro sua opinione innituntur.

Bonelli pro eadem opinione affert etiam duos codices opusculi, qui illud Bonaventurae inscribunt. Primo ex catalogis Oxonii an. 1697 in Theatro Sheldoniano impressis transcribit haec (ibi pag. 78): « Bonaventura de triplici Hierarchia, cod. 1630. inter libros Kenelmi Digbei ». — Secundo nominat codicem bibliothecae Monasterii Salem in Suevia Ord. Cisterc., qui habeat opusculum inscriptum: « De triplici actu hierarchico »; quia tamen nomen auctoris aliaque a Bonelli adiuntur, ut iudicari possit, num illud opusculum sit idem cum illo edito, et num Bonaventurae inscribatur. Eadem fere inscriptio habetur etiam in catalogo iudicii XXV. infra c. 12. impresso.

Primum vero codicem, qui adhuc exstat *Oxonii*, bibliotheca Bodleiana, accuratius descripsit et examinavit P. Fidelis a Fanna. Est enim ibi S. cod. 33. (olim equitis Kenelmi Digby) in 8. membr. folior. 127, miscellaa., a diversis manibus saec. XIV. et XV. scriptus. — Fol. non numerato quarto est indiculus contentorum ab alia manu saec. XV. scriptus, qui incipit: « In isto volumine continentur: primo Bonaventura *de triplici hierarchia*. Item, sermo scholasticus » etc. Fol. numerato 1. r. in superiore linea grandioribus litteris: « *Bonaventura de triplici hierarchia. Nunquid nosti ordinem celi et pones rationem eius in terra?* (Iob 38.). Secundum beatum Dionysium ecclesiastica hierarchia ordinata est ad instar et similitudinem angelice hierarchie ». Desinit fol. 46. r.: « Tertie hierarchie, scilicet ecclesiastice, correspondere ternarius penultimus... et ipsi soli ab illis sacramentaliter absolvuntur ». — Fol. 9. v. legitur: « ideo secundum doctorem fratrem Thomam de Aquino in secunda secunde [q.] 188. [a. 6. 7. 8.] Religio aliqua tanto est perfectior » etc.

Ex his patet, nec titulum opusculi in codice contenti, nec materiam ad tractandum assignatam, nec initium nec finem convenire cum edito. Titulus de *triplici hierarchia* indicare videtur, quod auctor agere velit non tantum de *ecclesiastica* (ut libellus editus), sed etiam de *angelica* et *divina* hierarchia. Editus liber incipit: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt* etc.; codex vero a loco ex Iob, qui invenitur in editione Vaticana inferius circa finem c. 1. — Porro citatur in codice locus ultimi et non perfecti operis Angelici Doctoris; quo iam satis indicatur, libellum non esse Bonaventurae, ut bene ibi annotat P. Fidelis. Praeter hunc codicem Oxoniensem, *simile* quoddam opusculum habentem, *nullus alius codex* in tot bibliothecis ab eodem Patre diligentissime perscrutatis inveniri potuit.

Evacuatis igitur argumentis his, non remanet pro opinione a nobis reiecta nisi testimonium nullius fere auctoritatis, quod ferunt editio Argentina an. 1495 et posteriora Chronica Mariani Florentini, qui, ut infra (c. 12.) dicemus, post hanc editionem et etiam Venetam an. 1505 vivens, probabiliter ex eisdem editionibus suam opinionem hausit.

Nec *interna criteria* favent praedictae opinioni. Opus in se quidem non esset indignum Bonaventura et passim habet sententias, quae aliquatenus conveniunt cum ultimis collationibus in Hexaëmeron. Sed desiderantur particularia Bonaventuriani ingenii et stili vestigia, quae in genuinis eius operibus se offerunt, et interdum aliquae propositiones ei minus convenire videntur.

Omnibus his consideratis, non potuimus hoc opusculum ponere inter genuina S. Bonaventurae opera.

§ 3. **Opusculum de quatuor virtutibus cardinalibus.** — Hoc perexiguum scriptum, quod in editione Vaticana non implet nisi unam paginam et medium, primo impressum fuit in illa collectione Argentina an. 1495, nec memoratur nisi in duobus catalogis saec. XVI, scilicet Mariani Florentini et anonymi Pistoriensis. Oudinus putat, illud non esse Bonaventura indignum, editores Veneti vero, esse dubium, Sbaralea, esse spurium, Bonelli, esse verisimile.

Plane assentiamur Sbaraleae illud respuenti. Est enim *mera compilatio*. Quae de virtutibus his in *genere* dicuntur, leguntur etiam in *Compendio theologicae veritatis*, lib. V. c. 33, posita tamen ordine diverso, exceptis paucis propositionibus ex Senecae et Gregorio sumtis. — Exigui momenti sunt sententiae de ipsis *in specie*; et quae de qualibet virtute, prout est *politica*, *purgatoria*, *purgati animi* et *exemplaris*, habentur sunt verba Macrobii, ex quibus quadruplex gradus cuiuslibet virtutis statuitur, adiuncta quadam sententia Senecae. Definiuntur primae tres virtutes cum enumeratione incompleta partium *integralium*, ita ut *prudentiae* partes cum *definitionibus* et *actibus* recensentur, quae quoad tres alias omittuntur. — Insuper maior pars opusculi invenitur in Collat. in Hexaëmeron, collat. 6. n. 27-33, ut in nota ad calcem dictum est. — Accedit, quod ne unus quidem codex, qui scriptum hoc habeat, a P. Fidele potuerit inveniri, quod etiam de sequenti opusculo dicendum est.

§ 4. **Declaratio terminorum theologiae.** — Etiam haec brevissima opella trium paginarum primo impressa est in eadem Argentina collectione; ipsi, ut praecedenti, suffragantur eodem praedicti duo testes parum idonei saec. XVI. Oudinus et editores Veneti libellum Bonaventurae abiudicant, ast rationibus levibus ducti; Sbaralea et Bonelli illud iudicant esse genuinum, pro quo Bonelli affert etiam testimonium cuiusdam codicis, qui illo tempore fuit in Conventu Minorum Observ. S. Mariae Gratiarum prope Mantuam (cfr. Prodrom. col. 430). — Titulus libelli parum rei respondet, cuio non declarentur *termini* theologici, sed potius *doctrina theologica* compendiosissime ex Breviloquio Bonaventurae et aliis eius libris extracta sit, fere semper eisdem verbis. Unde iustiore iure quam *Centiloquium* quoad *rem con-*

Digitized by Google

tentam tribui potest Bonaventurae. Sed cum quilibet alius theologus modice eruditus talem opellam extrahere et aliquo iure Bonaventurae inscribere potuisset, nec ullus testis pro Bonaventura auctore inveniatur ante finem saec. XV; non videmus rationem, quam afferre potuerint Sbaralea et Bonelli, ut *certum* hoc opusculum seraphici Doctoris esse decernerent.

Restat loqui de quibusdam opusculis, quae primo in Supplemento Bonelli edita et Bonaventurae tributa sunt.

§ V. **Sermones trigiata duo de eucharistia**, editi in Supplem. III. col. 756-951, qui incipiunt his verbis: « De sacrosancto Corporis Domini loculuri Sacramento » etc. Post indiculum de re in quolibet sermone tractanda sequitur sermo 1. incipiens: *Venite, comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis* [Prov. 25, 9.].

Bonelli scivit, in codicibus et antiquis editionibus hoc opusculum tribui non raro S. Thomae de Aquino, vel B. Alberto. Cum autem Echardus (Scriptores etc., pag. 340 col. 2.) illud S. Thomae abiudicandum esse censeat, et B. Alberto tribuendum, et hoc Oudinus neget; Bonelli hos Sermones potius Bonaventurae tribuendos esse opinatur. Ad hoc probandum affert (Prodrom. col. 674 et 427) unum codicem Monasterii Lunaelaci in Austria, qui habet hos 32 Sermones, sign. Z. n. 298. membr. in 8. Sermones ipsi sunt ibi anonymi, sed in exteriore operimento ligneo scriptum est a manu saec. XV: *Sermones sancti Bonaventure.* Idem hoc confirmare utitur pluribus indiciis levissimi momenti, in notis autem ad calcem opusculi saepius citat S. Bonaventuram, ut ostendat concordiam doctrinae cum Bonaventuriana. Sed revera illi loci sunt fere omnes nimis communes. Nobis autem videtur, illos Sermones, licet sint boni, parum sapere indolem S. Bonaventurae.

Auctoritas autem *codicum* minime favet opinioni praedicti Patris, sed valde S. Thomae. Inter 102 codices hos sermones habentes (quorum 42 sunt saec. XIV, reliqui saec. XV.) quos P. Fidelis vidit et descripsit, 61 inscripti sunt S. Thomae, plerumque prima manu; B. *Alberto* inscripti sunt tres saec. XV. prima manu, et quartus secunda manu, dum prima manus nominet S. *Thomam.* Unus cod. (*Wratislaviae*, bibliotheca Regia, collect. P. Bernard. XII. E. 4. membr. saec. XIV. exeunt.) nominat (a secunda manu) magistrum *Aegidium;* alter (*Treviris*, cod. 694. saec. XV.) habet a secunda manu *Bertrandi ord. Minor. sive secundum alias Alberti.* Unus (*Vindobonae*, bibliotheca Palat., cod. 1707. membr. in 8. saec. XIV.) habet in exteriore operimento a manu posteriore nomen *Bonaventure;* et hic videtur esse ille Lunaelacensis, quem supra Bonelli ut testem citavit. In ceteris codicibus opusculum est anonymum, et numerus sermonum in nonnullis non excedit 28.

Et notandum, quod nomen S. *Thomae* invenitur saltem in 13 codicibus saeculi XIV. a prima manu et duobus eiusdem saeculi a secunda manu; hi omnes tamen scripti sunt post medium saec. XIV. Tres alii codices his sunt antiquiores, sed anonymi. — Ceterum patet, Oudinum errasse, dum contendit, auctorem opusculi fuisse saeculi XV.

Quaestionem de vero auctore horum sermonum determinare non spectat ad nos, cum indubitatum sit, eos non posse tribui S. Bonaventurae. Iam saec. XV. auctor ignorabatur, ut patet ex quodam scripto Bartholomae Clarthusiani, quod in codice Moguntino chart. n. 74. (progressivo XLVII.) supra pag. XLVI n. 7. descripto sequitur sermonem Bonaventurae de corpore Christi. Ibi fol. 105. r. legitur: « Incipit tractatus optimus de Sacramento altaris — Quarundam religiosarum personarum » etc. Incipit fere eisdem verbis ut Prologus illorum Sermonum: « Locuturus de divinissimo eucharistie Sacramento, a causis institutionis eius exordium institui. Sunt autem duodecim rationes institutionis ». — Opusculum dividitur in 15 capitula; refellit argumenta Hussitarum, citat *Albertum*, *Thomam*, *Petrum de Palude* et hos sermones de Sacramento, « quem [librum] aliqui Alberto, aliqui S. Thomae attribuunt » (fol. 116. r.), et etiam *Albertum de Padua in sermone de cena Domini*, « *Doctorem solemnem Zachariam Chrysopolitanum* » et *Cancellarium in libro de Sacramentis.* Desinit fol. 130. v.: « Explicit tractatus utilis et bonus de Sacramento, compilatus per fr. magistrum fr. Bartholomeum Carthusianum priorem et magne litterature ».

§ 6. **Tractatus de studio divinarum litterarum. — Vocate et videte, quoniam ego sum Deus.** — Hic tractatus quoad sententias magna ex parte sumtus est ex collat. 19. in Hexaëmeron. Editus est a Bonelli (Supplem. I. col. 24-48), qui usus est duobus codicibus. Primus fuit tunc *Venetiis* in Conventu fratrum Minorum Reform. et describitur ab eodem (Prodrom. col. 488. seq.). Inscriptio erat: *S. Bonaventura de intelligentia sacre Scripture;* erat chart. et saec. XV. — Alter est adhuc in bibliotheca *Vaticana*, cod. 918. membr. miscellan., qui primo habet postillam Bonaventurae in *Ecclesiasten* cum nomine auctoris scriptam a manu, quae est, ut videtur, saec. XIV. et antiquior quam ea quae scripsit cetera, et quidem in membrana minoris formae; quod indicat, hanc partem postea compaginatam fuisse recentioribus, qui habent Commentarium in *Cantica* (Petri Ioannis Olivi), *quinque opuscula* eadem, quae habuit codex Venetus, et Commentarium in *Apocalypsim.* Quinque illa opuscula ibi sunt anonyma, et nomen *Bonaventurae* in primo illo Commentario scriptum sine ratione attribuitur partibus posterioribus.

Ex his igitur codicibus edidit Bonelli tum primum Tractatum *de studio divinarum litterarum* (Supplem. I. col 24-48), tum quatuor alios, scilicet: a. in illud Apocalypsis 5: *Vidi in dextera sedentis* etc. (ibid. II. col. 1053-1113). — b. in illud Apocalypsis 4: *Quatuor animalia, singula eorum habebant* etc. (ibid. II. col. 1038-1052). — c. in illud Ezechielis 1: *Cum essem in medio capticorum* etc. (ibid. I. col. 282-347). — d. in illud Ezechielis 10: *Ingredere in medio rotarum* etc. (ibid. I. col. 348-374).

Eadem opuscula habentur etiam Parisiis, bibliotheca Nationalis, cod. 15588, membr. in folio (olim Sorbon. 120.). — Fol. 1. r. in superiore margine admodum parvis litteris ab altera mana saec. XIV. circa medium legitur: *Postilla Ioan. Petri, et huius postille tabula questionum 71 de Lemovicis bancha ad volumen 9.* — Fol. 184. v. habetur a manu saec. XIII: *Iste liber est pauperum magistrorum de Sorbona ex legato Magistri Petri de Lemovicis, quondam socii domus huius, in quo continentur postille super Matthaeum et super epistolam ad Romanos et super Cantica. Pretium X librarum. Cathenabitur.* Et antea fol. 179. v. est praedicta tabula alphabetica a manu saec. XIV. scripta. — Memoratus Petrus mortuus est an. 1306 (Recueil des Historiens des Gaules et de la France, Paris 1855, pag. 756). Monet P. Fidelis, concludi inde posse, aetatem codicis ascendere ad saec. XIII. — Praeter praedicta quinque opuscula in illo codice habentur Petri Ioannis Olivi Comment. in Matthaeum, in Epistolas Pauli et in Cantica. Omnia ista

Digitized by Google

opuscula esse reapse huius Petri Ioannis Olivi, P. Fidelis ibi annotavit.

Hoc iudicium approbat et magis confirmat cl. P. Fr. Ehrle S. I. (Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte etc., Band III. pag. 495) loquens de praedictis quinque opusculis. Certum argumentum ab eo sumitur ex catalogo bibliothecae pontificiae scripto 1369 sub Urbano V, in quo (n. 381.) illa quinque opuscula, inscripta *Principia generalia super sacra Scriptura*, attribuuntur Fr. Petro Ioannis Olivi.

CAP. XI

De variis editionibus opusculorum S. Bonaventurae.

Non raro extantes sunt antiquiores collectiones *opusculorum* S. Bonaventurae, quae factae sunt ante Vaticanam *omnium operum* collectionem, quorum conspectus habetur tom. I. Praefat. pag. XIII-XXI. Hinc praedictae collectiones, quae omittunt Commentarios in Lombardum et Scripturam, secundum ordinem aetatis hoc loco describendae videntur.

I. Editio, a Bonelli vocata anonyma, et secundum eius descriptionem 15 opuscula complectens, sub oculos nostros non venit.

II. Prima edit. Coloniensis an. 1484, quae secundum L. Hain ex officina Barthel de Unckel prodiit, ab eodem L. Hain describitur sub n. 3163. Collectionis tabulam, 16 opuscula indicantem, Bonelli affert absque nota loci et nomine typographi. Nostrum exemplar, ad Conventum fratrum Recoll. Rietbergae in Westphalia spectans, est mutilum, exhibens 5 tantum opuscula, quae cum 42 opusculis 2. edit. Colon. an. 1486 et cum Ambrosii libro Hexaemeron colligata sunt.

III. Secunda edit. Coloniensis an. 1486, cuius tabulam Bonelli profert sine nomine typographi, qui fuit Ioannes Coelhoff de Lubeck, Coloniae civis, continet 23 opuscula. Describitur a L. Hain sub n. 3164. In exemplari, quod prae manibus habemus, et quod est Conventus fratrum Reform. Bulsani, 11 opuscula bis producuntur.

IV. Prima edit. Argentina an. 1489, quae debetur curis et praelis Martini Flach, 22 opuscula exhibet. Describitur a L. Hain sub n. 3165. Exemplar nostrum, quod ad Conventum S. Bernardini Tridenti pertinet, quoad numerum et qualitatem opusculorum prorsus respondet tabulae, a Bonelli absque nomine typographi prolatae.

V. Secunda collectio Argentina an. 1495, sine nomine typographi in lucem edita, 71 opuscula habet in duas partes et duo volumina divisa, quorum tabulam Bonelli profert. Secundi tantum voluminis exemplar inspicere potuimus, cuius argumentum cum tabula Bonelli plane concordabat. Recensetur a L. Hain sub n. 3168. Ut ex infra posita tabula generali videri potest, haec collectio praecedentibus addidit 48 opuscula. Nihil dicitur in praefatione, unde haec opuscula sumta sint, nec qui vir doctus curam editionis habuerit. Constat autem, horum 48 opusculorum saltem 20 esse spuria vel dubia. Hinc respectu huius editionis non a vero aberrant editores Veneti (Diatriba pag. 51) asserentes, quod multa opuscula « absque delectu et solo typographorum iudicio Bonaventurae adscripta sint ». Haec opuscula nihilominus in posteriores collectiones recepta sunt.

VI. Brixiana prima collectio opusculorum iuxta Bonelli et Hain impressa est per Bernardinum de Misintis an. 1495, complectens 10 opuscula, quorum tabulam Bonelli exscripsit. Nos invenimus hanc primam editionem sine nota loci et anni et nomine typographi colligatam cum opusculis secundae editionis Brixien., sed in nostro exemplari, quod est Conventus fratrum Reform. Ecclesiae Novae Assisii, desunt tria ultima opuscula apud Bonelli nec non in ipsa editionis tabula indicata. Post finitum 7. opusculum (de Quatuor mentalibus Exercitiis) legitur: Finis. Deinde cum novis titulis sequuntur opuscula 2. edit. an. 1497, quae non sunt numero 6, ut ex tabula Bonelli colligi posset, cuius exemplar mutilum fuit, sed numero 20, uno minus quam quae tabula collectioni praefixa exhibet. Deest enim opusculum *Vigintiquinque passus*, quod ut pars secunda additum est primo opusculo (de informatione Novitiorum) editionis primae. L. Hain primam editionem recenset sub n. 3167, secundam sub n. 3166.

VII. Editionis Parisiensis an. 1499 tabulam Bonelli affert, adiungens, volumen in 12. impressum esse per magistrum Petrum Le Dru pro Ioanne Petit anno Dni 1499 die XI. Novembris. Non recensetur a L. Hain.

VIII. Non vidimus nisi primum volumen 1. edit. Venetae, in 2 vol. divisae, quod inscribitur: Seraphici doctoris sancti Bonaventure de balneo regio episcopi albanensis, sacrosancte romane ecclesie Cardinalis ex ordine minorum assumpti: parvorum opusculorum Pars prima. In fine voluminis in fol. (fol. CCXIX): Finiunt tractatus quamplurimi sancti Bonaventure de volumine prime partis. Impressi Venetiis anno Domini MCCCCCIIII. — Continet eadem opuscula ac edit. 2. Argentina, ut ex tabula apud Bonelli videri potest. — L. Hain hanc editionem, quae 74 opuscula exhibet, quia est succ. XVI, non describit. Impressa est per magistrum Iacobum de Leuco, impensis Lucae Antonii de Giunta Florentini.

IX. Altera quoque edit. Veneta, an. 1564 per Dominicum Nicolinum iussu R. P. Fr. Zanonae, Ord. Min. generalis Ministri publicata, a L. Hain non recensetur. Exhibet 77 opuscula, in duos tomos distributa, quorum tabulam dat Bonelli.

Ordo opusculorum diversus est in diversis editionibus. In sequenti tabula sub uno conspectu posuimus opuscula parva, quae in singulis collectionibus habentur, et ordinem ipsorum numero arabico indicavimus. Numerus II significat alterum tomum.

Digitized by Google

CONSPECTUS OPUSCULORUM ANTIQUARUM EDITIONUM.

	EDITIO VATICANA	Anonyma	Coloniens. 1484	Coloniens. 1496	Argentina 1480	Argentina 1495	Brixiens. 1495	Brixiens. 1497	Parisiens. 1499	Venata 1504	Venata 1564
1	Principium sacrae Scripturae					1				1	1
2	Illuminationes Ecclesiae					2				2	2
3	Expositio in cap. VI. Matthaei (Pater noster).	13	14	5	22	6 (II)		19	6	6 (II)	15 (II)
4	De reductione artium ad theologiam. .	11		19	6	5		4		5	5
5	Breviloquium.		1	1	1	6		1	4	6	6
6	Centiloquium.	4	5	2	8	7		6	9	7	7
7	Pharetra			7	9	12		7		12	12
8	Declaratio terminorum theologiae. . .					41 (II)				41 (II)	48 (II)
9	Compendiosum principium in libros Sententiarum					3				3	3
10	Sententiae sententiarum carmine digestae.					4				4	4
11	De quatuor virtutibus cardinalibus . .					21 (II)				21 (II)	30 (II)
12	De septem donis Spiritus sancti . . .					13				13	13
13	De resurrectione a peccato ad gratiam.								2		11 (II)
14	De tribus ternariis peccatorum infamibus.	12	13	20	17	8		15		8	8
15	Diaeta salutis.								1		10 (II)
16	Meditationes vitae Christi					32 (II)				32 (II)	42 (II)
17	Lignum vitae		4	8	4	46 (II)	2		5	46 (II)	52 (II)
18	De quinque festivitatibus pueri Iesu. .			6	11	30 (II)		2		30 (II)	40 (II)
19	Officium de passione dominica					12 (II)				12 (II)	21 (II)
20	Opus contemplationis.					33 (II)				33 (II)	43 (II)
21	Laudismus de sancta cruce.	15	16	23		16 (II)			7	16 (II)	25 (II)
22	Philomena.					35 (II)				35 (II)	45 (II)
23	De septem verbis Domini in cruce . .					34 (II)				34 (II)	44 (II)
24	Speculum B. M. Virginis					7 (II)				7 (II)	16 (II)
25	Officium de compassione B. M. Virginis.					13 (II)				13 (II)	22 (II)
26	Corona B. M. Virginis					11 (II)				11 (II)	20 (II)
27	Carmina super canticum Salve Regina.					14 (II)				14 (II)	23 (II)
28	Laus B. M. Virginis					39 (II)				39 (II)	46 (II)
29	Psalterium minus B. M. Virginis . . .					40 (II)				40 (II)	47 (II)
30	Psalterium malus B. M. Virginis . . .					10 (II)				10 (II)	12 (II)
31	Sermones de decem praeceptis . . .			22	20	44 (II)		17		44 (II)	51 (II)
32	Epistola viginti quinque memorabilium.	9	6	17	5	2 (II)		3		2 (II)	12 (II)
33	De regimine animae			12	12	4 (II)		16		4 (II)	13 (II)
34	Formula aurea de gradibus virtutum .					2				2	9
35	De pugna spirituali					28 (II)				28 (II)	38 (II)
36	Speculum animae						10				9 (II)
37	Confessionale.					10				10	10
38	De praeparatione ad Missam					8 (II)				8 (II)	17 (II)
39	De instructione sacerdotis ad se praeparandum ad celebrandam Missam . .					9 (II)				2 (II)	18 (II)
40	Expositio Missae					15 (II)				15 (II)	24 (II)
41	De sex alis Seraphim.					48 (II)				48 (II)	54 (II)
42	Collatio de contemptu saeculi					22				22	22
43	De septem gradibus contemplationis. .	14	15	21	18	29 (II)		16		29 (II)	39 (II)
44	Exercitia quaedam spiritualia					23				23	23
45	Fascicularii { p. I.					26 (II)				26 (II)	36 (II)
	Fascicularii { p. II. *Passio Christi breviter collecta*					27 (II)				27 (II)	37 (II)

Digitized by Google

	EDITIO VATICANA	Anonym.	Coloniens. 1484	Coloniens. 1490	Argentin. 1489	Argentin. 1495	Brixiens. 1495	Brixiens. 1497	Parisiens. 1509	Venetis 1504	Venetis 1564
46	Soliloquium	3	7	14	2	17 (II)	7		10	17 (II)	26 (II)
47	Itinerarium mentis in Deum	4	3	3	3	18 (II)		2	8	18 (II)	27 (II)
48	De septem itineribus aeternitatis					20 (II)				20 (II)	29 (II)
49	Incendium amoris	2	2	4	7	19 (II)	6	5		19 (II)	28 (II)
50	Stimulus amoris						8				6 (II)
51	Amatorium					43 (II)				43 (II)	50 (II)
52	De ecclesiastica Hierarchia					31 (II)				31 (II)	44 (II)
53	Legenda S. Francisci										
54	Expositio in regulam fratrum Minorum					14				14	14
55	Determinationes quaestionum circa regulam S. Francisci					18				15	15
56	Quare fratres Minores praedicent et confessiones audiant					49				46	46
57	Libellus apologeticus in eos qui Ordini fratrum Minorum adversantur					45 (II)				45 (II)	32 (II)
58	De tribus quaestionibus ad magistrum innominatum	6	9	13	13	5 (II)		14		5 (II)	14 (II)
59	De paupertate Christi contra magistrum Gulielmum			9	10	15		8		17	17
60	Quod Christus et Apostoli et discipuli eius discalceati incesserunt, sive de sandaliis Apostolorum	7	10	11	14	16		12		18	18
61	Apologia pauperum	5	8	10	21	17		18		19	19
62	Epistola ad quendam provincialem Ministrum	8	11 (?)	15	15	20		13		20	20
63	Epistola ad Ministros provinciales et Custodes			16	16	21		14		21	21
64	Biblia pauperum										
65	Alphabeta religiosorum					23 (II)				23 (II)	33 (II)
66	Alphabeta religiosorum incipientium					24 (II)				24 (II)	34 (II)
67	Collationes octo					22 (II)					34 (II)
68	Speculum disciplinae ad Novitios					1 (II)	5			1 (II)	
69	De profectu religiosorum liber primus						2		11		4 (II)
70	De profectu religiosorum liber secundus. (*De processu Religionis*)						3				5 (II)
71	De institutione Novitiorum { p. I.						4				2 (II)
	{ p. II. *Viginti passus*	10	12	18	19	3 (II)				3 (II)	
72	Regula Novitiorum						4				3 (II)
73	Remedium defectuum religiosi					37 (II)				37 (II)	9 (II)
74	De perfectione vitae ad sorores					38 (II)				38 (II)	7 (II)
75	Summa de essentia et invisibilitate et immensitate Dei					42 (II)				42 (II)	49 (II)
76	De sex alis Cherubim					17 (II)				47 (II)	53 (II)
77	De modo confitendi et de puritate conscientiae					11				11	11
78	Mystica theologia					25 (II)				25 (II)	35 (II)
79	Compendium theologicae veritatis										

Absunt ab edit. Vaticana, sed inveniuntur in nonnullis aliis editionibus:

1	De vitiis et eorum remediis					36 (II)				36 (II)	
2	Meditatio de nativitate D. N. I. Chr.								3		

Digitized by Google

CAP. XII.

Antiquiores indiculi et catalogi operum S. Bonaventurae.

Cum in Prolegomenis huius et etiam sequentium tomorum saepe ad auctoritatem antiquorum indiculorum et catalogorum recurrendum sit, opere pretium esse duximus, principales hoc loco quam brevissime referre. Usi sumus opere facto a P. Benedicto Bonelli (Prodrom. col. 214-278), qui collegit 35 indiculos et 7 catalogos, eosque copiosis notis commentatus est. Omisimus eorum plures, qui fere nullius pretii sunt, sed tres alios ultimo loco adiecimus. Brevitatis studiosi omisimus etiam adiectas notas, quae indicant locos, unde indiculi collecti sunt, et opera Bonaventurae, quae diversis titulis apud diversos auctores significantur. Ipsae enim inscriptiones tot codicum Bonelli ignotorum, quas referimus, plerumque illos indiculos satis explicant, vel etiam supervacaneos atque inutiles reddunt. Ubi in casu speciali explanatio requiritur, illam reservamus illis locis, ubi de singulis opusculis agitur.

INDICULUS I.

Ex Chronicis Fr. Salimbene Parmensis, scriptis an. 1282.

1. Legenda B. Francisci.
2. Lectura super totum Evangelium Lucae.
3. Super Sententias quatuor libri.
4. Sermones, quos habuit ad Clerum.
5. Conciones Bononiae habitae ad Fratres.
6. Constitutiones generales ordinatae.
7. Alii multi libri, qui habentur a multis.

II.

Ex Henrici Gandavensis († 1293) libro de Scriptoribus Eccl.

1. Scripsit in quatuor libros *Sententiarum* Magistri Petri.
2. Opusculum magnae subtilitatis, quod sic incipit: *Flecto genua mea* etc.
3. Scripsit etiam aliud, quod vocatur *Itinerarium mentis in Deum.*
4. Scripsit *de decem praeceptis.*
5. Respondit etiam breviter calumniis magistri Wilhelmi de Sancto Amore.

III.

Ex Ptolomaei Lucensis († 1327) lib. 23. Eccl. Hist. Novae, cap. 2.

1. Fecit scripta super Sententias.
2. Et postillavit aliquos libros Bibliae,
3. Sicut libros Salomonis,
4. Iob,
5. Et Epistolas Pauli.

IV.

Ex Ubertini de Casali Arbore vitae crucifixae script. an. 1305.

1. Lignum vitae, sive Arbor Crucifixi.
2. Itinerarium mentis in Deum.
3. Breviloquium.
4. De regimine animae.
5. Sermo de S. Francisco.
6. De paupertate Christi contra Guilelmum de sancto Amore etc.
7. Apologia Pauperum contra quendam Girardum, illius discipulum.
8. Legenda B. Francisci.

V.

Ex Chronicis XXIV Generalium Ministrorum (usque ad an. 1368), cod. Assis. (Sacri Convaatus a. 29. membr. in fol.).

1. Eodem anno (scil. 1259)... in monte Alvernae libellum, qui *Itinerarium mentis in Deum* dicitur, idem Generalis devotissimus compilavit (fol. 99. r. col. 1.).
2. Et post fecit alium, quem *Itinerarium mentis in se ipsum* vocavit.
3. Iste frater Bonaventura, antequam esset Generalis, dum teneret Parisius cathedram, veritatem evangelicam clarissime disputationibus et determinationibus defensavit.
4. Existens vero Generalis, libellum perniciosissimum, qui creditur fuisse Magistri Geraldi de Abbatis Villa, per Apologiam tam eleganter quam subtiliter confutavit.
5. Anno Domini 1260 idem Generalis Constitutionibus Ordinis formam et ordinem dedit (fol. 99. v. col. 1.).
6. Anno Domini 1261 idem Generalis Vitam B. Francisci stilo mirabili compilavit ipsamque diffusam ad compendiosiorem formam reducens, taxatis pro die qualibet novem lectionibus, per octavas eiusdem Sancti legendam ordinavit, in qua nihil posuit nisi certum et probatum testibus fide dignis.
7. Hic Generalis ad instantiam domini ac sancti Ludovici, regis Franciae, Officium devotissimum de Cruce composuit (fol. 100. r. col. 1.).
8. Tunc enim vernali tempore Parisius existens, legit et exposuit primum capitulum libri Genesis, multis hinc inde quasi innumerabilibus ad lectionem confluentibus; et inde reportatus est et confectus libellus, qui de *VII Visionibus* vel Luminibus intitulatur. Sed antequam quintam Visionem seu Expositionem quinti diei complevisset, ad praelationem electus dictum librum incompletum dimisit etc. (fol. 100. r. col. 2.).
9. Intellectus ipsius perspicaciam omnia opuscula eius redolent his qui in ipsis divinam scientiam requirentes, hanc libentius quam vanitatem Aristotelicam veneranatur (fol. 98. v. col. 2.).

VI.

Ex Martini monachi Fuldensis Chronico perducto ad an. 1379. apud Ioan. Georg. Eccardum in Corp. Historico medii aevi tom. 1. col. 1711 sqq.

1. Hic (Bonaventura) multos libros fecit.
2. Multos libros Bibliae postillavit,

Digitized by Google

3. Sicut libros Salomonis,
4. Et Iob,
5. Et Epistolas Pauli,
6. Et alia multa.
7. Cuius scriptum super sententias a doctoribus sacrae Paginae multum approbatur et quasi pro authentico reputatur.

VII.

Ex Bartholomaei Pisani opere Quadraginta Conformitatum complete an. 1390.

1. Scripsit luculenter super quatuor libros Sententiarum.
2. Postillavit excellenter Evangelium B. Lucae.
3. Scripsit Apologiam Pauperum,
4. Librum de Operibus sex dierum,
5. Librum de Contemplatione,
6. Librum de sex Alis Seraphim.
7. Regulam Novitiorum.
8. Legendam B. Francisci maiorem et minorem ipse composuit.
9. Et multa alia, quibus sua doctrina, quam lata fuerit et alta, apparet.

VIII.

Ex cod. membr. bibl. Stroconiensis S. Francisci, a P. Theodoro de Gavatio an. 1765 recensito.

Frater Bonaventura de Balneo Regio, qui postea fuit Cardinalis primus Ordinis et Episcopus Albanensis,
1. Scripsit luculenter super quatuor libros Sententiarum.
2. Postillavit excellenter Evangelium B. Lucae.
3. Scripsit Apologiam Pauperum.
4. Librum de Operibus sex dierum.
5. Librum de Contemplatione.
6. Librum de sex Alis Seraphim.
7. Librum Pharetrae.
8. Legendam maiorem et minorem B. Francisci.
9. Et multa alia, quibus sua doctrina quam lata fuerit et alta, apparet... Hic fuit Magister in theologia clarissimus, XVI annis Generalis Minister Ordinis.

IX.

Ex Ioanne Gersone (claruit saec. XIV. exeunte et XV. ineunte).

1. Super quatuor Sententiarum libros.
2. Lectura grandior.
3. Breviloquium.
4. Itinerarium mentis in Deum.
5. Stimulus amoris.
6. De modo confitendi et de puritate conscientiae,
7. Et alii Tractatus,
8. Et Opera.

X.

Ex S. Bernardino Senensi († 1444).

1. In quatuor libros Sententiarum.
2. Breviloquium.
3. Centiloquium.
4. Illuminationes.
5. Legenda maior.
6. Legenda minor.
7. Concio habita in Capitulo generali Parisiensi de S. Francisco.

XI.

Ex S. Antonini archiepiscopi Florentini († 2. Maii 1459) parte III. Historiarum tit. 24. cap. 8. ac 9.

1. Scriptum notabile et devotum edidit super quatuor Sententiarum.
2. Anno 1259 idem Fr. Bonaventura Generalis in monte Alverniae libellum, qui *Itinerarium mentis in Deum* dicitur, devotissimum compilavit.
3. Et post fecit alium, quem *Itinerarium mentis in se ipsum* vocavit.
4. Anno Domini 1260 idem Generalis Narbonae Capitulum generale celebravit, in quo Constitutionibus Ordinis formam et ordinem dedit, et Breviario sunt aliquae rubricae additae sub Urbano IV.
5. Sequenti anno idem stilo mirabili *Vitam B. Francisci* compilavit ipsamque diffusam ad compendiosiorem formam reduxit, in qua nihil posuit nisi certum et probatum testibus fide dignis.
6. Hic libellum pernciosissimum, qui traditur fuisse magistri Gerardi, contra Religiosos pauperes laurantem, per Apologiam tam eloquenter quam subtiliter confutavit.

XII.

Ex Guilelmo Verrilongo († 1464).

1. In quatuor libros Sententiarum.
2. Expositiones mirificae in textum Biblliae.
3. De Alis Seraphicis.
4. Itinerarium mentis.
5. Innumerabiles codices in speculativa et practica.
6. Legenda minor B. Francisci.
7. Compendium de adventu antichristi.

XIII.

Ex Iacobi Oddonis sive Oddi Perusini Speculo Minorum, cod. mss. a Waddingo recensito.

1. Scripsit super quatuor libros Sententiarum luculenter.
2. Postillam super Evangelium S. Lucae.
3. Apologiam Pauperum.
4. De Opere sex dierum.
5. De Contemplatione.
6. De sex Alis Seraphim.
7. Regula Novitiorum.
8. Legendam S. Francisci maiorem et minorem.
9. Officium devotum S. Crucis, rogante S. Ludovico rege Galliarum.
10. Et alia multa.

Digitized by Google

XIV.

Francisci Samsonis, Ordinis Minor. generalis Ministri (1475-1499), qui hanc indiculum apostolicae Sedi exhibuit pro obtinenda S. Bonaventurae canonizatione. Exscriptus est ex authentico tomo I. memorati processus, custodito in archivo sacri Conventus Assisii.

Opera seu libri per B. Bonaventuram compositi, de quibus in praesenti scitur:

1. In primis scriptum super primo Sententiarum.
2. Item scriptum super secundo Sententiarum.
3. Item scriptum super tertio Sententiarum.
4. Item scriptum super quarto Sententiarum.
5. Item scriptum metrice super libris Sententiarum.
6. Item scriptum super Evangelio Ioannis.
7. Item scriptum super Evangelio Matthaei.
8. Item elegantissime scriptum super Evangelio Lucae.
9. Item scriptum super Evangelio Matthaei (fortasse super oratione dominica?).
10. Item Compendium veritatis sacrae Scripturae.
11. Itinerarium mentis in Deum.
12. Itinerarium mentis in se ipsum.
13. Vita Domini nostri Iesu Christi, sive Arbor Crucis.
14. Item de septem Visionibus seu diebus super principio Genesis.
15. Item de sex Alis Seraphim.
16. Item Defensorium Ordinis pro pauperibus Christi adversus librum erroneum Geraldi de Abbatis Villa.
17. Legenda B. Francisci maior.
18. Alia Legenda eiusdem B. Francisci brevius reducta.
19. Officium B. Francisci, quod legitur in Ecclesia.
20. Officium Corporis Christi, licet illud quod in Ecclesia communiter legitur, fuerit B. Thomae de Aquino.
21. Officium sanctae Crucis ad instantiam regis Franciae.
22. Ordinationes Novitiorum.
23. De stimulo amoris.
24. Pharetra in auctoritatibus principalioribus Doctorum Ecclesiae secundum alphabetum in sacra Scriptura.

XV.

Octaviani de Martinis, in oratione coram Sixto IV. P. M. ac frequentissimo Patrum senatu habita quarto Idus Aprilis 1482.

1. In Capitulo generali, quod primum Narbonae tenuit, regulam B. Francisci reformavit atque exposuit.
2. Libellum contra Minores perniciosissimum, a Magistro Giraldo de Abbatis Villa (ut putant) editum, per Apologiam non minus eloquenter quam subtiliter confutavit.
3. Cum Parisiis legisset primum librum Genesis, nobile opus, quod *de septem Visionibus Bonaventurae* intitulatur, editum est.
4. In libros Sententiarum celebria Commentaria edidit, secundum et quartum praesertim.
5. Quos etiam metrice exstitit prosecutus, et incipiunt: *O fons splendoris, vas dulcoris et amoris.* Quibus ob sublime ingenium auctoris ibi insperum *Sententiae Sententiarum Bonaventurae* titulus inditus est.
6. Super Evangeliis copiose et utiliter scripsit, Lucae praesertim, cancellarii piae Matris Iesu, quam pectori impressam assidua meditatione semper exstitit veneratus.
7. Rursus pro contemplatione S. Ludovici, regis Franciae, Officium de Cruce devotissimum edidit, quod ab Ecclesia, nullo immutato, receptum, in ea solemnitate ubique legitur.
8. Composuit et solemne Officium in honorem B. Francisci.
9. Et de Ipsius Vita historiam seriosa tractatu primum et secundo reductorie annotavit.
10. Composuit et libellum de sex Alis Seraphim.
11. In monte Alvernae duo nobilia opuscula edidit, pulcrimas contemplationes fragrantia, quorum alterum *Itinerarium mentis in Deum*, et alterum *in se ipsum* appellata sunt.
12. Composuit et libellum approbatorium Religionis Mendicantium, quod *Defensorium* appellant.
13. Composuit et libellum de Vita Christi, sive Meditationum passionum ipsius, quem *Arborem Crucis* nominant.
14. Composuit et Breviloquia.
15. Item et sermones dominicales super Evangelia et Epistolas per totum anni circulum.
16. Item Compendium veritatis sacrae Scripturae.
17. Item libellum Ordinationis sive Institutionis Novitiorum.
18. Item et libellum de Stimulo amoris.
19. Libellum, quem appellant *Pharetram* in auctoritatibus principalibus Doctorum approbatorum, quem per alphabetum exstitit prosecutus.
20. Et alia plura opuscula usque ad tricenarium numerum, quae in partibus Galliarum frequentius habentur in manibus.

XVI.

Roberti de Licio Ord. Minorum, episcopi Aquilae Marsorum († 1495), in sermone, quem habuit de Laudibus S. Bonaventurae.

Multa scripsit laude digna et legentibus grata. Nam

1. Scripsit libellum Apologiae contra Giraldum de Abbatis Villa, qui multa falsa de Religiosis et Religionis statu disserebat; qui Giraldus tandem leprosus mortuus est.
2. Scripsit libellum de sex Alis Seraphim.
3. Et super Genesim opus, quod intitulatur *de septem Visionibus*,
4. Et Defensorium Religionis,
5. Et Regulam Novitiorum,
6. Et super quatuor libros Sententiarum,
7. Et expositionem Regulae FF. Minorum,
8. Et Breviloquium,
9. Et sermones dominicales per anni circulum,
10. Et super quatuor Evangelia, praecipue super Lucam,
11. Et de Arbore Vitae crucifixae.
12. Et plura alia opuscula edidit;
13. Inter quae omnia singularis fuit Legenda B. Francisci.

XVII.

Ex Alexandro Ariosto Ord. Min., qui floruit tempore Sixti IV, a quo nuntius ad Marsitas missus est an. 1475.

1. Scripsit super quatuor libros Sententiarum suavi et erudito sermone.

Digitized by Google

2. Super Evangeliis compendiosa Commentaria, prolixius vero super Lucam, quia prae ceteris Evangelistis secretiora multa gloriosissimae Virginis Mariae, cuius hic vir Sanctus (Bonaventura) devotissimus erat, veluti eius scriba praeciperus accuratius perscripsit.

3. Super libro Genesis Commentaria, quae *de septem Visionibus* inscribuntur.

4. Insignem quoque libellum, qui *de sex Alis Seraphim* praenotatur.

5. Egregium opus de Vita Christi.

6. Breviloquia.

7. Et sermones dominicales super Evangeliis et Epistolis totius anni.

8. Compendium veritatis Scripturae sacrae, quod mirificum opus est.

9. Librum de tripliei statu Religiosorum.

10. Libellum, qui *Stimulus amoris* dicitur, igneis pene verbis atque caelestibus.

11. Itinerarium mentis in se ipsum.

12. Et Itinerarium mentis in Deum.

13. Opusculum aureum de Arbore vitae Christi.

14. Apologiae librum peregregium adversus Gerardum de Abbatisvilla, qui contra mendicantes Religiosos impudentissima audacia invebere et insectari temerarie praesumserat, qui non modò viri sancti Apologia ab infandis calumniis et obtrectationibus coercitus est, sed etiam divina censura multatus, paralysi lepraque percussus interiit.

15. Rogatu quoque regis Franciae devotissimum Crucis opus, quod etiam a Romana Ecclesia, nihil immutato, susceptum est.

16. Et B. Francisci vitam sermone compendioso descripsit, quae et Breviario inserta passim legitur in Ecclesia.

17. Aliam quoque eiusdem Sancti prolixiori sermone litteris demandavit.

18. Expositionem sive declarationem regulae Fratrum Minorum.

19. Opusculum, quod incipit: *Religio munda et immaculata.*

20. Epistolam toti Ordini missam.

21. Epistolam aliam, quam de consensu et definitione Capituli generalis misit per totum Ordinem etc.

XVIII.

Ex Ludovici Pruteni Ord. Min. Trilogio animae, impressa Norimbergae per Ant. Koberger an. 1498 (cfr. Analectis Francisc. II. Praef. pag. VI seqq.).

1. In quatuor libros Sententiarum.
2. Breviloquium.
3. Centiloquium.
4. Itinerarium mentis in Deum.
5. De Incendio amoris.
6. Libellus de Reductione artium ad theologiam.
7. Soliloquium.
8. Lignum Vitae.
9. De septem gradibus Contemplationis.
10. De Expositione orationis dominicae.
11. Legenda maior.
12. Legenda minor.
13. Laudatorium.
14. Diversa opuscula.

XIX.

Ex Bernardini de Bustis Rosario, edito Venetiis an. 1498.

1. In quatuor Sententiarum libros.
2. Libellus de tripliei statu Religiosorum.
3. Liber de Imitatione Christi (?).
4. Declaratio orationis dominicae.
5. Expositio Regulae nostrae.
6. Legenda maior.

XIX.

Ioannis Trithemii, abbatis Spanheimiensis, qui complevit suum catalogum an. 1494.

1. Super Sententias, lib. 4.
2. Breviloquium, lib. 7.
3. Itinerarii mentis in Deum, lib. 1.
4. Lignum vitae, lib. 1.
5. Exhortatorius ad Fratrem, lib. 1.
6. De reductione artium etc., lib. 1.
7. Regimen conscientiae, id est Parvum bonum, lib. 1.
8. Itinerarii mentis in se ipsum, lib. 1.
9. Compendium Scripturarum, lib. 1.
10. De institutione Novitiorum, lib. 1.
11. Centiloquium, lib. 1.
12. Pharetra sive Scintillarium, lib. 1.
13. De paupertate Christi, contra Guil., lib. 1.
14. De quinque festis infantiae Christi, lib. 1.
15. De septem donis Spiritus S., lib. 1.
16. De excellentia eucharistiae, lib. 1.
17. De sex Alis Seraphim, lib. 1.
18. Ad Blemum dicissam, lib. 1.
19. Illuminationum insigne opus, lib. 1.
20. De tribus ternariis peccatorum, lib. 1.
21. De septem gradibus contemplationis, lib. 1.
22. De profectu Religiosorum, lib. 1.
23. De decem praeceptis, lib. 1.
24. Apologia Pauperum, lib. 1.
25. Super oratione dominica, lib. 1.
26. Legenda S. Francisci, lib. 1.
27. Constitutiones sui Ordinis, lib. 1.
28. In Genesim VII Visionum, lib. 1.
29. In Evangelium Ioannis, lib. 1.
30. In Evangelium Lucae, lib. 1.
31. De tribus quaestionibus, lib. 1. *Innominato Magistro.*
32. De sandaliis Apostolorum, lib. 1.
33. De passione Domini, lib. 3.
34. Sermones per annum, lib. 2.
35. Epistolae plures ad diversos.
36. Alia insuper nonnulla edidit, quae ad notitiam meam non venerunt.

Digitized by Google

XX.

Ex Benifacii de Cova Ord. Min. opere: Firmamenta trium Ordinum beatissimi Patris nostri Francisci, impress. Parisiis an. 1512.

1. Scripsit super quatuor Sententiarum libros valde egregie, praesertim super secundum.
2. Scripsit etiam pulcras Postillas super Lucam.
3. Item aliam egregiam super Iohannem.
4. Scripsit etiam Sermones super Evangelia et Epistolis dominicalibus per totum annum.
5. Scripsit et super Genesim.
6. Item super Ecclesiasten.
7. Item Compendium theologiae.
8. Item plurima Quodlibeta.
9. Praeter haec autem scripsit circa trecenta parva opuscula, quae simul iuncta quasi quatuor volumina mediocriter magna efficerent.

XXI.

Gulielmi Eysengrenii, Canonici Spirensis. Impressus fuit catalogus an. 1565.

1. Scripsit graviter et copiose in primum, secundum, tertium et quartum Sententiarum.
2. Breviloquium.
3. Soliloquium.
4. De ligno vitae.
5. Centiloquium.
6. De passione Domini.
7. De illuminationibus.
8. De quinque festis infantiae Christi.
9. De septem donis Spiritus S.
10. De excellentia eucharistiae ad Fratres.
11. Compendium Scripturarum.
12. De septem gradibus contemplationis.
13. De decem praeceptis.
14. De sandaliis Apostolorum.
15. In Evangelium Lucae.
16. In Evangelium Ioannis.
17. In Genesim Commentarios.
18. Visionum libros septem.
19. Alioque plura ingenii sui monumenta Ecclesiae Dei profuturo reliquit.

XXII.

Ioannis Francisci de Pavinis.

Habetur in eius Relatione ad Sixtum IV. circa canonizationem B. Bonaventurae, part. I. art. 2.

1. Super libros Sententiarum.
2. Super quatuor Evangelia.
3. Compendium theologiae.
4. Libellus instructionis Novitiorum minor.
5. Libellus maioris introductorii Novitiorum.
6. Apologia.
7. Arbor vitae.
8. Ad Fratrem innominatum.
9. De partibus domus religiosae. Incip. *Religio munda.*
10. Dialogus (Soliloquium).
11. Centiloquium.
12. De vita Christi.
13. De passione Christi.
14. Epistola ad Michaelem Imperatorem (?).
15. Ad suam sororem de Philomena.
16. Aliud Compendium passionis Christi.
17. Epistola ad Sororem S. Clarae (De perfectione vitae ad Sorores).
18. De consideratione (Fasciculus?).
19. De meditatione.
20. Enchiridion seu Cumulus Orationum.
21. De divisione rerum universi.
22. De quatuor operibus Religiosorum.
23. Sermones.
24. Sophismata.
25. De decem praeceptis.
26. Super Ecclesiasten.
27. Super Lucam.
28. Itinerarius mentis in Deum et in se ipsum.
29. Pharetra.
30. De stimulo amoris.
31. Defensorium Ordinis Mendicantium.
32. Legendae.
33. Officia.
34. Arbor Crucis.
35. De septem visionibus.
36. De sex alis Seraphim.
37. Et quam plurima alia.

XXIII.

Ex Mariani Florentini († 1523) Fasciculo Chronicorum Ordinis Minorum, lib. II. cap. 25.

1. Legenda maior et minor S. Francisci.
2. Itinerarium mentis in Deum.
3. Itinerarium mentis in se ipsam.
4. Expositiones pulcrae in regulam Fratrum Minorum.
5. Apologia Pauperum adversus magistrum Giraldum de Abbatis Villa, Paristensem doctorem.
6. Tractatus per modum Epistolae ad innominatum Magistrum super articulos Regulae. Incip. *Proponis, carissime.*
7. Libellus, in quo determinat 27 quaestiones super Regulam. Incip. *Cum inter alios Ordines.*
8. Tractatus determinans, quare fratres Minores praedicent et confessiones audiant.
9. Alius de paupertate Christi contra magistrum Gulielmum de Sancto Amore.
10. Quaestio, utrum Christus et Apostoli incesserint discalceati.
11. Commentarii super quatuor libros Sententiarum, quos luculenter exposuit, praesertim secundum et quartum.
12. Compendium metricum super eosdem libros Sententiarum.
13. Expositio copiosa et utilis super Evangelia, Lucae praesertim.

Digitized by Google

14. Principium in libros sacrae Scripturae.

15. Liber Illuminationum seu Visionum.

16. Optimum Principium in libros Sententiarum. Incip. *Gyrum caeli circuivi.*

17. Liber de reductione artium ad theologiam.

18. Declaratio terminorum theologiae.

19. Summa de essentia Dei.

20. Sermones dominicales super Evangelia et Epistolas totius anni.

21. Tractatus super salutationem angelicam.

22. Tractatus de nobilitate Sacramenti eucharistiae, et digna praeparatione ad eius susceptionem.

23. Tractatus de expositione Missae.

24. Tractatus de septem donis Spiritus S.

25. Meditationes vitae Christi.

26. Meditationes de septem verbis Domini.

27. Libellus de quinque festivitatibus pueri Iesu.

28. Cursus de Passione Domini.

29. Expositio orationis dominicae.

30. Laudismus Crucis.

31. Libellus de septem itineribus aeternitatis.

32. Mystica theologia.

33. Compendium veritatis sacrae Scripturae.

34. Libellus de stimulo amoris.

35. Breviloquium.

36. Centiloquium.

37. Soliloquium.

38. De sex alis Seraphim.

39. De sex alis Cherubim.

40. De septem gradibus contemplationis.

41. Fascicularius myrrhae.

42. Tractatus de quatuor virtutibus cardinalibus.

43. Libellus de gradibus virtutum.

44. De vitiis et eorum remediis.

45. De tribus ternariis infamibus.

46. De puritate conscientiae.

47. Speculum disciplinae.

48. Viginti quinque memoriales.

49. De viginti passibus bonorum Religiosorum.

50. De perfectione vitae. Incip. *Beatus homo.*

51. Remedium defectuum Religiosi.

52. Libellus apologeticus.

53. Libellus, cui titulus: *Lignum vitae.*

54. Alius, qui vocatur *Parvum bonum.*

55. Alius appellatus *Pharetra.*

56. Psalterium B. M. V.

57. Psalterium minus sive tres quinquagenae.

58. Laudes B. Virginis.

59. Corona B. Virginis.

60. Speculum B. Virginis.

61. Cursus de compassione B. Virginis.

62. Canticum Ss. Ambrosii et Augustini *Te Deum laudamus* adaptavit laudi B. Virginis.

63. Canticum nuncupatum *Philomena.*

64. Libellus de ecclesiastica Hierarchia.

65. Opus contemplationis metricum: *Iesus ineffabilis.*

66. Opus nuncupatum *Amatorium.*

67. Collationes. Incip. *Vide anima mea.*

68. Alphabetum Religiosorum. Incip. *Viae tuae, Domine.*

69. De regimine animae ad Blancam, Hispaniae reginam.

70. Multa praeterea opuscula usque ad numerum 300.

71. Et Epistolae multae eiusdem S. Doctoris inveniuntur.

72. Et officium de Cruce devotissime composuit ad contemplationem S. Ludovici, regis Franciae.

Praedictis addimus tres alios catalogos, quorum primum composuimus ex eis quae Bonelli (Prodrom. col. 378-388) de codicibus sacri Conventus Assisiensis diffusius refert. Duos sequentes catalogos sumsimus ex infra notatis codicibus.

XXIV.

In catalogo ms. antiqui tabularii sacri Conventus Assisii, confecto an. 1381, haec S. Bonaventurae enumerantur scripta et ad istam librariam spectantia:

1. Arbor Crucis ac

2. Breviloquium Fr. Bonaventurae Ord. Minor.

3. Multi tractatus devoti Fratris Bonaventurae.

4. Itinerarium Bonaventurae.

5. Postillae super Evangelium Lucae Fratris Bonaventurae.

6. Apologia magistri Fratris Bonaventurae.

7. Ars sermocinandi Bonavent. et Breviloquium eiusdem.

8. Tractatus de Ligno vitae, sive de Christi Cruce, Fratris Bonaventurae et

9. Vita minor et maior B. Francisci.

10. Arbor Crucis Fratris Bonaventurae (bis).

11. Tractatus Logicae Fratris Bonaventurae

12. Liber stimuli amoris et Breviloquium Bonaventurae.

13. Breviloquium Bonaventurae (bis).

In ipsis codicibus istius librariae haec inveniebantur S. Bonaventurae opuscula in editiones recepta.

a) In Cod. n. 102, membr. in 4. saec. XIII: 1. Decem praecepta praedicata Parisiis a Fratre Bonaventura. — 2. De Operibus sex dierum. — 3. Septem dona Spiritus S. praedicata a Fratre Bonaventura. — 4. Expositio parabolarum Evangelicarum de regno caelorum, sive Sermo de Seminante. — 5. Tractatus de Cruce Fratris Bonaventurae. — 6. Itinerarium Fratris Bonaventurae. — 7. Meditatio, quam scripsit Fr. Bonaventura cuidam devotae dominae. — 8. Meditationes Fratris Bonaventurae. Incip. *Ecce descripsi eam* etc. — 9. Breviloquium. — 10. De septem gradibus contemplationis.

b) Cod. n. 2. chart. in fol.: Expositio in Cantica D. Bonaventurae.

c) Cod. n. 19. membr. in 4: Biblia Pauperum.

d) Cod. n. 4. membr. in 8: 1. Lignum vitae, seu Crucis, Bonaventurae. — 2. Stimulus amoris. — 3. Vita B. P. Francisci. — 4. Breviloquium.

e) Cod. n. 76. membr. in 8: Liber Fr. Bonaventurae de Veritate theologiae.

f) Cod. n. 80. membr. in grandiori 8: 1. Ars Fratris Bonaventurae. Incip. Omnis *tractatio Scripturarum.* — 2. Breviloquium.

g) Cod. n. 84. membr. in 12: Pharetra D. Bonaventurae adscripta.

h) Cod. n. 93. membr. in 8: Breviloquium.

Digitized by Google

i) Cod. n. 96. membr.: Pharetra.

k) Cod. n. 104. membr. in 8: Tractatus Fratris Bonaventurae super Arborem de compassione Christi.

l) Cod. absque num. membr. in 8: Lignum vitae.

m) Cod. absque num. membr. in 8: Breviloquium Fr. Bonaventurae in opera sacrae Scripturae.

n) Cod. absque num. chart. in 4. script. an. 1496: Fr. Bonaventura de mentali exercitatione. Incip. *Flecto genua mea.*

o) Cod. chart. absque num. et auctoris nomine: Liber meditationis vitae Christi.

p) Cod. absque auctoris nomine: Diaeta salutis.

q) Cod. absque num. partim membr. partim chart. in 16. script. an. 1406: 1. De instructione sacerdotis ad se praeparandum ad celebrandam Missam. — 2. Speculum fratrum Minorum, verum etiam omnium Religiosorum (Epist. XXV. Memor.).

r) Cod. n. 5. membr. in fol. saec. XIII: 1. Legenda maior et — 2. Legenda minor beati Francisci.

s) Cod. n. 24. membr. in 4. probabiliter saec. XIII: Legenda maior et Legenda minor.

t) Cod. n. 149. membr. in 4. saec. XIII: Legenda minor.

u) In pluribus codicibus mss.: Vita S. Clarae.

v) Cod. absque num. chart. in 4: Sermones festivi et feriales et quaedam miracula.

w) Cod. membr. in 4. absque numero et nomine auctoris; videtur divo Bonaventurae esse coaevus: Sermones de Tempore, de B. V. Maria, de Angelis, de Sanctis.

x) Exstabant quondam in illa libraria etiam: 1. Postilla super Lucam. — 2. Commentarii D. Bonav. in Meteora Aristotelis, et — 3. Quaestiones super quatuor libros Topicorum, tractatuum Logicae allaque; cfr. Prodrom. col. 387.

XXV.

Catalogus antiquus bibliothecae monasterii Mellicensis, sign. H. 38. chart. in 12. saec. XV. exeunt., haec indicat S. Bonaventurae opera:

1. Super libros sentenciarum 1. 2. 3. 4. cum textu.
2. Excerpta ex sentenciis eius.
3. Breviloquium.
4. De Arbore crucis.
5. Questiones super primo et secundo sentenciarum per modum conclusionum.
6. Tabula per modum registri super 3. sentenciarum, super verbo: ego sum vitis.
7. Stimulus amoris.
8. Super 1. 2. 3. 4. cum textu.
9. De septem gradibus.
10. Super primo sentenciarum.
11. Itinerarius mentis in Deum.
12. De triplici actu ierarchico.
13. De quinque festivitatibus infancie Christi.
14. De corpore Christi.
15. Sermo: *Confitemur.*
16. Pater noster.
17. De institucione noviciorum.
18. De informacione noviciorum, profectu vite religiose.
19. Apologia contra calumpniatorem evang. paupertatis.
20. De humilitate.
21. De laude mellifluri nominis Iesu.
22. Imago vite.
23. Preparacio Misse.
24. Sermo: Omne datum optimum.
25. Epistola eiusdem. Sacramentis.
26. Utilis contemplac.
27. Penitens etin.
28. Planctus animae.
29. De caritate.
30. De gradibus ad sapientiam et informacione iuvenum.

XXVI.

In cod. spectante ad bibliothecam Marcianam Venetiis, sign. Classe XXII. n. 130. saec. XIV. in 4. folior. 178, inter alia leguntur haec (fol. 155. v.):

« Hic Papa [Gregorius X.] fecit duos magistros in theologia cardinales; unus fuit de Ordine fratrum Predicatorum, scil. fr. Petrus de Tarantasia... Alius fuit pater Bona ventura vir bone vita et fecit scripta super IIII libros Sententiarum et fuit minister generalis Minorum et postea cardinalis Albanensis et postillavit aliquos libros biblie, sicut libros Salomonis et Iob et epistolas Pauli ».

Et fol. 159. r., loquens de scriptis S. Bonaventurae, auctor dicit: « Item multa alia que per modum reportationis, dum legeret, fuerunt habita, ut sunt postille super omnes epistolas preter epistolam ad Romanos, quam ipse (!) propria manu scripsit, et postillam super Iohannem, super quinque capitula, sed totum aliud fuit reportatio ».

Supposita veritate huius notitiae, certum esset, quod non tantum sermones, sed etiam postillae sive explicationes librorum s. Scripturae ex ore dicentis ab auditoribus scripto exceptae sint. Ita facile intelligeretur, quod Sanctus pro suo in s. Scripturam amore, quem toties in Collationibus in Hexaëmeron testatur, plures libros eiusdem explicaverit viva voce, quam scriptis suis, et quod reapse suis fratribus explicaverit omnes illos libros Scripturae, quos antiqui testes referunt, nempe *viva voce*, aliis scripto excipientibus. Haec scripta, utpote ab auctore non edita, paucis innotescebant et postea plerumque oblita sunt. Porro, si etiam opuscula *reportata* eiusdem ipsi tribuuntur, non est incredibile id quod plures indiculi tradunt, qui ei tribuunt opuscula usque ad numerum 300. Soli sermones genuini, plerumque *reportati*, multo excedant illum numerum.

Sed scrupulum iniicit, quod ab antiquis scriptoribus, ut refert Echard (Script. Ord. Praed. I. pag. 325 col. 2.), eadem dicuntur de Postilla S. Thomae in Ioannem, praesertim a Ptolomaeo (lib. XXIII. c. 15.): « Item, Postillam super Ioannem, de qua ipse super quinque capitula proprio stilo notavit; totum aliud reportatum fuit, sed correctum fuit per ipsum ».

Digitized by Google

TABULAE

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM

OMNIUM OPUSCULORUM QUINTI TOMI [1].

I. *Adhibiti pro Quaestionibus disputatis.*

A Cod. Romanus I. (bibliotheca Vaticana) 612. (n. 9.).
B » Tudertinus (bibl. S. Fortunati) 60. (n. 2.).
C » Parisiensis I. (bibl. Nationalis) 16405. (n. 3.).
D » Florentinus I. (bibl. Nationalis) D. IV. 27. (n. 4.).
E » Florentinus II. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXIX. dext. 8. (n. 5.).
F » Lugdunensis Batav. lat. XVIII. 191. A. (n. 6.).
G » Romanus II. (bibl. Burghesiana) 59. (n. 7.).
H » Assisiensis (bibl. sacri Conventus) 282. (n. 8.).
I » Parisiensis II. (bibl. Nationalis) 14557. (vide c. 2. § 5. n. 4.).
K » Romanus III. (bibl. Burghesiana) 271. (ibid. n. 5.).
L » Florentinus III. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXXVI. dext. 12. (pag. VII. col. 2.).
M » Collegii S. Bonaventurae (c. 2. § 5. n. 6.).

EDITIONES QUAESTIONIS DE PAUPERTATE.

1. Coloniensis an. 1486.
2. Argentina an. 1489.
3. Brixiensis an. 1497.
4. Veneta an. 1504.
5. Romana an. 1773.

II. *Pro Breviloquio.*

A Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 22273. (n. 8.).
B » Monacensis II. (bibl. Regia) 16067. (n. 9.).
C » Monacensis III. (bibl. Regia) 5950. (n. 10.).
D » Monacensis IV. (bibl. Regia) 2633. (n. 11.).
E » Monacensis V. (bibl. Regia) 2649. (n. 12.).
F » Monacensis VI. (bibl. Regia) 2657. (n. 13.).
G » Monacensis VII. (bibl. Regia) 14827. (n. 14.).
H » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 13102. (n. 15.).
I » Collegii S. Bonaventurae (n. 4.).
K » Tudertinus I. 137. (n. 21.).
L » Tudertinus II. 164. (n. 22.).
M » Tudertinus III. 113. (n. 23.).
N » Monacensis IX. (bibl. Regia) 17836. (n. 16.).
O » Florentinus I. (bibl. Nationalis) VII. B. 1166. (n. 5.).
P » Florentinus II. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVII. dext. 9. (n. 6.).
Q » Florentinus III. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVII. dext. 7. (n. 7.).
R » Parisiensis (bibl. Nationalis) 16499. (n. 19.).
S » Trecensis 1891. (n. 20.).

---

[1] Numeri parenthesi interclusi indicant numerum, quem in descriptione codicum supra (c. 1-9.) facta singuli habent.

Digitized by Google

T Cod. Assisiensis I. (bibl. sacri Conventus) 23. (n. 1.).
U » Assisiensis II. (bibl. sacri Conventus) 4. (n. 2.).
V » Assisiensis III. (bibl. sacri Conventus) 127. (n. 3.).
W » Neapolitanus I. (bibl. Nationalis) G. VII. 35. (n. 17.).
Z » Neapolitanus II. (bibl. Nationalis) F. VII. 37. (n. 18.).

EDITIONES.

1. P. Antonii Mariae a Vicetia, Friburgi, Herder an. 1881.
2. Augustae Vindelicorum, an. 1476.
3. Hefele, Tubingae, an. 1861.

III. *Pro Itinerario mentis in Deum.*

A Cod. Parisiensis (bibliotheca Nationalis) 14807. (n. 14.).
B » Monacensis I. (bibl. Regia) 665. (n. 3.).
C » Monacensis II. (bibl. Regia) 8439. (n. 4.).
D » Monacensis III. (bibl. Regia) 17837. (n. 5.).
E » Monacensis IV. (bibl. Regia) 21232. (n. 6.).
F » Monacensis V. (bibl. Regia) 23449. (n. 7.).
H » Monacensis VI. (bibl. Regia) 2633. (n. 8.).
I » Monacensis VII. (bibl. Regia) 13102. (n. 9.).
K » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 2657. (n. 10.).
L » Monacensis IX. (bibl. Regia) 2721. (n. 11.).
M » Monacensis X. (bibl. Regia) 23861. (n. 12.).
N » Monacensis XI. (bibl. Regia) 7971. (n. 13.).
O » Cortonensis (bibl. Communalis) 72. (n. 1.).
P » Tudertinus (bibl. S. Fortunati) 182. (n. 15.).
Q » Magdeburgensis XII. oct. 25. (n. 2.).

EDITIONES.

1. An. 1484, sine loco.
2. » 1486, Coloniae (Ioan. Coelhoff).
3. » 1489, Argentinae per Martinum Flach. (alia est ibid. an. 1495).
4. » 1495, Brixiae (Bernardi de Misintis).

IV. *Pro Opusculo de reductione artium ad theologiam.*

A Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 2721. (n. 3.).
B » Monacensis II. (bibl. Regia) 2657. (n. 4.).
C » Monacensis III. (bibl. Regia) 7798. (n. 5.).
D » Monacensis IV. (bibl. Regia) 7971. (n. 6.).
E » Monacensis V. (bibl. Regia) 23449. (n. 7.).
F » Monacensis VI. (bibl. Regia) 23861. (n. 8.).
G » Neapolitanus (bibl. Nationalis) G. VII. 35. (n. 9.).
H » Romanus I. (bibl. Burghesiana) 30. (n. 10.).
I » Romanus II. (dom. Spithoever) (n. 11.).
K » Cortonensis (bibl. Communalis) 209. (n. 1.).
L » Florentinus (bibl. Riccardiana) 349. (n. 2.).

EDITIONES.

1. An. 1484, sine loco.
2. » 1486, Coloniae.
3. » 1489, Argentinae.

Digitized by Google

V. *Pro Collationibus in Hexaëmeron.*

A Cod. Florentinus I. (bibliotheca Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVII. dext. 9. (n. 2.).
B » Florentinus II. (bibl. Mediceo-Laurentiana) 25. super portam (n. 3.).
C » Vaticanus 923. (n. 7.).
D » Regimontanus (bibl. Regia) 1200. (n. 6.).
E » Monacensis (bibl. Regia) 18653. (n. 5.).
F » Brunopolitanus (bibl. Civitatis) 44. (n. 1.).
G » Giessensis (bibl. Universitatis) 673. (n. 4.).

VI. *Pro Collationibus de septem donis Spiritus S.*

A Cod. Parisiensis (bibliotheca Mazzarinea) 970. (n. 2.).
B » Oxoniensis (bibl. Bodleiana) 757. (n. 1.).
C » Venetus (bibl. P. Morchio) 14. (n. 4.).

VII. *Pro Collationibus de decem praeceptis.*

A Cod. in Collegio S. Bonaventurae (n. 1.).
B » Oxoniensis (bibliotheca Bodleiana) 181. (n. 2.).
C » Monacensis (bibl. Regia) 8084. (n. 3.).
D » Parisiensis I. (bibl. Nationalis) 15034. (n. 4.).
E » Parisiensis II. (bibl. Nationalis) 16499. (n. 5.).
F » Trecensis (bibl. Civitatis) 951. (n. 6.).

VIII. *Pro Sermonibus selectis de rebus theologicis.*

1. Pro I. Sermone de triplici testimonio Ss. Trinitatis.

A Cod. Tudertinus (bibliotheca S. Fortunati) 182. (n. 1.).
B » Monacensis (bibl. Regia) 7776. (n. 2.).

2. Pro II. Sermone de regno Dei descripto in parabolis evangelicis.

A Cod. Tudertinus (bibliotheca S. Fortunati) 182. (n. 1.).
B » Florentinus I. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XVII. sin. 8. (n. 2.).
C » Monacensis (bibl. Regia) 7776. (n. 3.).
D » Florentinus II. (bibl. Nationalis) E. VI. 1017. (n. 4.).
E » Trecensis (bibl. Civitatis) 2052. (n. 5.).

3. Pro III. Sermone de Ss. Corpore Christi.

A Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 9612. (n. 1.).
B » » II. » » 9398. (n. 2.).
C » » III. » » 2657. (n. 3.).
D » » IV. » » 7012. (n. 4.).
E » » V. » » 9617. (n. 5.).

4. Pro IV. Sermone de Christo uno omnium magistro.

Cod. Monacensis (bibliotheca Regia) 7776.

5. Pro Tractatu de plantatione paradisi.

Cod. Tudertinus (bibliotheca S. Fortunati) 174.

Nota. — De seq. Fac-simile vide supra pag. IV. col. 2.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

nullus sunt hic i actu a aliq; q; dicit neq; actu neq; potest
in pri i cibo q; intellec humani. quia est ab ipsum. q; nisi ver dic
qn pla pollet. g. q; intellec sui actu e i pla q; intellec humanus
malit se quidem ad pla q; ipsum. Et p; posit q; de nu ta
ter finem ei oi finem pte ad mai congruunt. aliq; magis
pollet cognoscere sua pte. q; q; pte g. a c. Et q; finem tamen ei
posit. d. nisi tamen ei si. q; q; qui mutatum esse ei tota. q;
q; pte d. tamen q; pte adstante q; d. de nesciat e dicit. g. a c. d.
tamen nu ei q; fuit a q; pollet q; ei arteriter esse cognos
sualiter pte tunc a nisi tamen aliq; tamen ho. p; lat dii q; ipse
ffin a ipsum. g. a c. Cum esse [illegible] nu. et non et
g. q; ipsum fuit finis. ipsum fuit certi. q; quia ipsum
esse. Et ferit de tam mdicar q; ferit; mdicat rata fuit the
mdicat a tam ferit; q; de mdicat acepit ne ipsum. g. ferit;
cognoscere fuit finem. q; nu dicat q; ulcer. q; e finem ad.
g. e finem q; tale mag; sic ale e aptidu mdicat. g. dicit
q; e finem de nect e q; fuit finem simpli. Et ac ipsum
e ipsum ei ab ipsum. q; a finito. q; q; a ferit; ulcere ac
cepet ciui. g. cor finem q; ferit; dni intellec cognoscit aptiui
dir a pollit. g. q; ipsum fuit ipsum ibla ipsum fuit cogno
scibla. Et ferit de fuit cognoscat mdicatur cognoscat
q; ferit; de fugant mter ipsum q; mdicat q; ipsum fuit
finem. g. ferit; cognoscit ado fuit finem. Et oit mit ni
e pur ni pur. g. ferit; mdicat ado mdicat mio pari ul m
pri q; oit mit dumtabil i duo cipha. Sic q; oit mit a ipsum ul
mter illum oit i ul mit e finit. g. q; de mdicat ferit; fuit
nect e q; illa mter mdo finem. g. fuit finem. g. a c. Et
ferit; de fuit ordinat fuit. q; ferit; e ado i e ro pnu a mdi
q; e ro finem q; g. mdi e ro ado e ro finem a de illi no
mit q; ado. q; mdi fuit iordinat ipse dni ipsum fuit
Et q; de fuit ipsum ni ipsum tibi ni nob. ni i fe. q; q;
mem nob. q; q; e magni dic. q; q; illa fuit finem simpli. q;
q; ferit; ipsum dicu. q; cognoscit dic ab illa. g. q; de fuit ip
sum q; cognoscit ipsum q; finem q; ipsum q; ipsum
q; q; e alia. e dicit q; q; q; e dicit e mutatio. g. fuit
ver aliquas immutatio ipsum. q; e fuit finem ipsum q;
q; e a ipsum gabile q; ipsum i fe dicum. Et q; de fuit ip
sum ni finem i. ni ni ipsum gnie. q; ipsum ni. q; ad q;
e i ni e ipsum. g. ferit; cognoscit ne i ni cognoscit q; mod q;
mit. q; ipsum actu a quia gnie q; ni ipsum actu a ipsum
gnie e finem q; g. finem q; ipsum q; e dni ipsum fuit.
Et ni fuit ipsum. g. q; ipsum. q; fuit ipsum. q; ni fuit q; dni q; q; fuit
finem g. q; q; ipsum. q; fuit ipsum. Et ni fuit q;
finem. q; q; cognoscit i dic a nisi. ipsum a q; finem
de q; finem finem ni q; q; cognoscit cognoscit q; finem
actu. ni q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q;
ne a finem fe q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q;
ad finem. q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q;
intelligunt e nil. q; q; dicunt mutat capitum dni fuit in
finem q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q;
e a tog ni. q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q;
tu. q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q;
fuit q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q;
q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q;

nonir cor dpr ei ipsum cordium e qui i ferit; mio finit
pondes pnunic id qd q; q; duo uno addun angi e finis; fit
magni. a ferit; igitur magnudiet; ul mimudiet; cornet i ipsi
nunc aliq; fuit mier; q; q; q; q; q; q; q; q; q;
i q; fuit dsp; mier q; q; q; q; q; q; q; q; q;
q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q;
q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q; q;
q; q; q; q;

Digitized by Google

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

QUAESTIONES DISPUTATAE

DE SCIENTIA CHRISTI, DE MYSTERIO SS. TRINITATIS, DE PERFECTIONE EVANGELICA

Digitized by Google

QUAESTIONES DISPUTATAE

DE SCIENTIA CHRISTI

QUAESTIO I.

Utrum scientia Christi, secundum quod est Verbum, actu se extendat ad infinita.

Quaeritur de scientia Christi, secundum quod Verbum, utrum actu se extendat ad infinita [1]. Et quod sic, ostenditur:

1. Primo *auctoritate* Augustini, duodecimo de Civitate Dei, decimo octavo capitulo: « Infinitas numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei cuius *intelligentiae non est numerus* ».

Fundamenta.

2. Item, idem undecimo de Civitate Dei, decimo capitulo [2], loquens de sapientia Dei, ait sic: « Neque multae, sed una est sapientia, in qua sunt infinita quaedam eique finiti thesauri rerum intelligibilium » etc.

3. Item, per *rationem* ostenditur sic. Quanto substantia simplicior, tanto plurium est cognoscitiva [3]: ergo substantia, quae in infinitum magis simplex est quam aliqua substantia creata, in infinitum plura scit quam aliqua creatura: ergo etc.

4. Item, Deus comprehendit actualiter et suam essentiam et suam potentiam; sed Deus potest infinita: ergo si actualiter cognoscit totum suum *posse*, actualiter comprehendit infinita: ergo etc.

5. Item, nobilitatis est in creatura cognoscere multa, et maioris nobilitatis adhuc scire plura [4]: ergo scientia, quae est infinitae nobilitatis, ad infinita se extendit: ergo etc.

6. Item, Deus scit plura, quam possit, quia scit mala culpae, quae non potest facere; sed potest infinita: ergo et scit plura infinitis.

7. Item, qui cognoscit punctum secundum suam substantiam et virtutem cognoscit illum non solum in se, sed etiam illa quae possunt ab eo emanare; sed infinitae lineae possunt emanare ab uno puncto: ergo si in qualibet linea sunt infinita puncta, et a qualibet puncto infinitae possunt exire lineae, et Deus *posse* omnis creaturae [5] comprehendit: ergo non tantum scit infinita, sed etiam infinities infinita.

8. Item, quidquid intellectus humanus intelligit in potentia vel habet in potentia, intellectus divinus habet in actu et amplius, quia creatum nec actu nec potentia aequari potest increato: sed intellectus humanus possibilis est ad infinita, quia nunquam tot scit, quin plura possit scire: ergo si intellectus divinus actu est in plura quam intellectus humanus, actualiter se extendit ad plura [6] quam infinita.

9. Item, *per impossibile*: quia, si Deus tantum sciret finita, cum omni finito possit aliquid maius excogitari, aliquid posset cogitari maius divina scientia [7]; sed non potest: ergo etc.

10. Item, si finita sciret, aut *posset* aliquid ultra scire, aut *non*. Si *non*; ergo limitata esset eius scientia; si *sic*; sed qui potest aliquid scire, quod nescit, potest addiscere; quod de Deo nefas est dicere: ergo [8] etc.

11. Item, si sciret tantum ea quae sunt [9], et non ea quae possunt fieri; cum artifex creatus cognoscat multa, quae potest facere et nunquam fa-

---

[1] De scientia Christi in genere cfr. III. Sent. d. 14; de hac vero quaestione I. Sent. d. 35. q. 5, d. 39. a. 1. q. 1-3, d. 43. q. 1-4, et infra Quaest. disp. de Trin. q. 6. a. 1. — Haec quaestio deest in cod. C.

[2] Num. 3, ubi textus originalis *immensi quidam atque infiniti* pro *infinita quaedam eique finiti*. Idem locus occurrit infra q. 2. in corp., ubi nostri reddi. fere omnes idem reperiunt. Eadem lectio a Mauritiis in nota adiecta refertur.

[3] Cfr. tom. III. pag. 314, nota 4. — Infra pro *in infinitum* D E H bis *infinita*, et pro *creatura* G *substantia creata*.

[4] Secundum Aristot., I. Metaph. c. 2, sapientis est *omnia*, ut possibile est, scire.

[5] D H *omnis creati plenorie*.

[6] Pro *ad plura* F *ergo scit plura actu*. Superius pro *ergo si intellectus divinus* B *ergo intellectus divinus, qui*. Fortasse post *intellectus humanus* excidit *potentia*.

[7] F *sapientia* (Ps. 146, 5: Sapientiae eius non est numerus).

[8] D H *potest addiscere: ergo Deus posset addiscere; quod falsum est*.

[9] D H *quae sunt*. Inferius pro *sed* F *quoda*.

Digitized by Google

ciet, aliquid sciret homo, quod lateret Deum; sed hoc est falsum et impossibile: ergo etc.

Ad oppositum.

CONTRA: 1. Omne scitum verum, omne verum ens[1]: ergo si infinita sunt scita, infinita sunt entia; sed consequens est impossibile: ergo et antecedens.

2. Item, quaecumque Deus scit iudicat; sed quaecumque iudicat talia sunt, qualia iudicat, et tot; quaecumque autem Deus iudicat accipit ut finita: ergo quaecumque cognoscit sunt finita. — *Si tu dicas*, quod non sequitur: quia est finitum Deo, ergo est finitum; *contra:* tale est unumquodque in se, quale est apud iudicium veritatis: ergo si aliquid est finitum Deo, necesse est, quod sit finitum simpliciter.

3. Item, omne infinitum est impertransibile tam ab infinito quam a finito[2], quia a quocumque pertransiretur acciperet terminum: ergo esset finitum; sed quaecumque divinus intellectus cognoscit comprehendit et pertransit: ergo si infinita sunt impertransibilia, infinita sunt incognoscibilia.

4. Item, quaecumque Deus cognoscit distincte cognoscit; sed quaecumque distinguit numerat, quaecumque autem numerantur mensurantur, et omnia talia sunt finita[3]: ergo quaecumque cognoscuntur a Deo sunt finita.

5. Item, omnis numerus aut est par, aut impar: ergo quaecumque numerantur a Deo numerantur numero pari, vel impari; sed omnis numerus par est divisibilis in duo aequalia, similiter et omnis numerus impar, unitate sublata; omnis autem talis numerus est finitus: ergo si Deus numerat quaecumque scit, necesse est, quod illa numeret numero finito: ergo sunt finita: ergo etc.

6. Item, quaecumque Deus scit ordinate scit; sed ubicumque est ordo, ibi est ratio primi et ultimi[4], quae est ratio finiti: si ergo ubicumque est ratio ordinis est ratio finitatis, et Deus nulla novit sine ordine, quia nulla scit inordinate; impossibile est, Deum infinita scire.

7. Item, si Deus scit infinita, aut infinita *sibi*, aut *nobis*, aut *in se*. Si infinita *nobis*, hoc non est magnum quid dicere, quia illa sunt finita simpliciter. Si *sibi*; sed quaecumque sunt infinita alicui non sunt ab illo cognoscibilia nec ab illo comprehendunt: ergo si Deus scit infinita, non comprehendit infinita. Si infinita *in se;* sed res alia a Deo, hoc ipso quod est alia, est creatura, et hoc ipso quod creatura, est limitata[5]: ergo scire res alias infinitas, hoc est scire finita infinita; quod falsum est et non intelligibile, quia implicat in se contradictionem.

8. Item, si Deus scit infinita, aut infinita in *causa*, aut in *proprio genere*. Si infinita in *causa;* sed omne, quod est in causa, est unum[6]: ergo quaecumque cognoscit ut in causa cognoscit per modum unius, non ergo per modum infinitorum. Si infinita *actu* et in *proprio genere;* sed esse infinita actu in proprio genere est falsum et impossibile: ergo falsum est et impossibile, Deum infinita scire.

9. Item, omne scibile a Deo appelletur *A;* tunc quaero sic: *A* aut est *Deus*, aut *aliud* a Deo. Si est *Deus:* ergo scitum a Deo est Deus: ergo asinus est Deus. Si *aliud* a Deo; omne tale est actu finitum: ergo *A* est actu finitum; et *A* nominat omnia scibilia: ergo omnia scibilia sunt finita: ergo etc.

10. Item, *A* aut est *aequale* Deo, aut est *minus*, aut *maius*. Si *minus* Deo: ergo finitum; si *aequale*, vel *maius;* ergo est Deus: ergo si Deus scit infinita, Deus non scit nisi Deum; et si non scit nisi Deum, non scit infinita: ergo si scit infinita, non scit infinita.

11. Item, cum sit potentia faciendi et potentia cognoscendi in Deo, et utraque infinita, et potentia faciendi semper faciat[7] finita; videtur, quod potentia cognoscendi semper cognoscat finita actu; aut si non, quare non? Hoc est quaerere, cum in Deo sit *velle*, *scire* et *facere*, et *velle* et *facere* non se extendant ad infinita; quomodo *scire* se extendat ad infinita, cum medium non excedat extrema.

CONCLUSIO.

Deus scientia simplicis intelligentiae scit et comprehendit infinita.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod secundum doctores antiquos compelluur ponere, Deum scire infinita, Propheta David dicente in Psalmo[8]: *Magnus Dominus noster et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus;* et Augustino non solum istud asserente, verum etiam probante duodecimo de Civitate Dei, decimo octavo capitulo, ubi ait sic: «Illud ergo, quod dicunt quidam, scilicet philosophi, nec Dei scientia posse infinita comprehendi; restat eis, ut dicere audeant atque huic[9] se voraginì impietatis immergant, Conclusio 1.

---

[1] Vide tom. I. pag. 685, nota 7. et pag. 690, nota 2. verba August. et Aristot.

[2] Cfr. tom. II. pag. 21, nota 6. — Interius pro *esset finitum* F *esse finitum*, et pro *sunt incognoscibilia* substituit *non sunt cognoscibilia*.

[3] Secundum Aristot., V. Phys. text. 24. (c. 3.), et X. Metaph. text. 2-5. (IX. c. 1.). — D pro *distinguit* habet *distincte cognoscit*, deinde legit *et quaecumque mensurantur sunt finita*.

[4] Vide tom. II. pag. 21, nota 3. — Immediate post pro *quae* D H *sed ubi est hoc, ibi*.

[5] F addit *et hoc ipso est finita*, et mox vocibus *finita infinita* H H interserunt *et*.

[6] Cfr. Lib. de Causis, propos. 12. — Immediate post pro *ergo quaecumque* D H *ergo qu.* Subinde post *sed esse infinita actu* G addit *et*.

[7] D H suppleunt *actu*.

[8] Psalm. 146, 5.

[9] Pro *atque huic* A B I. G *aut huic*. Interius pro *ponendum* textus originalis *faciendum*, et *quamlibet* pro *quantumlibet*. Voci *multitudinem* A B I. F praeligunt *magnitudinem* vel. In fine textus post *Quis hoc* B G habent *non* pro *vel*.

Digitized by Google

quod non omnes numeros Deus noverit. Eos quippe infinitos esse, certissimum est, quoniam in quocumque numero finem ponendum putaveris, idem ipse, non dico, uno addito augeri, sed quantumlibet sit magnus et quamlibet ingentem multitudinem continens, in ipsa ratione atque scientia numerorum non solum duplicari, verum etiam multiplicari potest. Ita vero suis quisque numerus proprietatibus terminatur, ut nullus eorum par esse cuiquam alteri possit: ergo et dispares inter se atque diversi sunt, et singuli quique finiti sunt, et omnes infiniti sunt. Itane numerus propter infinitatem nescit Deus omnes, et usque ad quandam summam numerorum scientia Dei pervenit et ceteros ignorat? Quis hoc vel dementissimus dixerit »? Et parum infra: « Infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei cuius *intelligentiae non est numerus* [1]. Quapropter, si quidquid scientia comprehenditur scientis comprehensione finitur; profecto et omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiae ipsius incomprehensibilis non est. Quare si infinitas numerorum scientiae Dei, qua comprehenditur, esse non potest infinita; qui tandem nos summi hominculi, qui eius scientiae figere limitem praesumamus »? — His ergo, tanquam certissimis testibus compellimur dicere vel ponere, Deum scire infinita.

Modus istius positionis assignatur [2] per doctores modernores, qui dixerunt, quod triplex est modus divinae cognitionis, non propter diversitatem divinae scientiae *in se*, sed *in connotatione*. Est enim in Deo cognitio *approbationis*, *visionis* et *intelligentiae*. Cognitio *approbationis* est bonorum tantum et finitorum. Cognitio *visionis* est malorum et bonorum, sed finitorum, pro eo quod concernit tempus; est enim eorum solum, quae fuerunt, sunt et futura sunt. Cognitio vero *intelligentiae* est infinitorum, pro eo quod Deus intelligit non tantum futura, verum etiam possibilia; possibilia autem Deo non sunt finita, sed infinita [3]. Modus triplex cognitionis. Conclusio 2.

Ratio autem huius positionis, quare videlicet ponimus, Deum *scire* infinita et non *facere* vel *velle* vel *disponere*, est, quia *divinum scire* secundum tertium modum accipiendi est actus Dei *intrinsecus*. *Intrinsecum* autem dicit non tantum, quia fit *ab intrinseco*, sed etiam, quia est *ad intrinsecum* et *per intrinsecum* et *secundum modum intrinsecum*. *Ad intrinsecum*, inquam, est, quia divinus aspectus in cognoscendo non desilit extra se, sed aspiciendo se ut veritatem cognoscit omnem veritatem. — *Per intrinsecum*, quia per rationes aeternas, quae sunt idem quod ipse, cognoscit quaecumque cognoscit [4]. — *Secundum modum intrinsecum*, quia divinum *scire* non solum abstrahit a ratione *causae actualis*, sed etiam *causae simpliciter*. Scit enim *mala*, quorum non est causa; scit etiam *futura*, quae nondum facit; scit etiam *possibilia*, quae nunquam faciet. Et ideo, quia ipsum *scire* non concernit neque connotat aliquid actuale exterius, ideo dicit ibi actum *per modum habitus*, actum, inquam, ipsi potentiae adaequatum — quidquid enim Deus potest scire scit — *actum* etiam dicit *in nullo coarctatum* nec quantum *ad se* nec quantum *ad connotatum*, ideo *universalem* quantum ad *loca*, quantum ad *tempora* et quantum ad *obiecta*. Quidquid enim alicubi scivit ubique novit, et quidquid semel scit semper scit, et sicut unum novit, ita omnia scibilia novit [5]. Unde quia scibilia non tantummodo sunt entia *actu*, sed etiam *in potentia*; cum non sit inconveniens ponere infinita *in potentia*, non est inconveniens ponere infinita actu a Deo scita. — Et per hoc patet responsio ad quaestionem et ad obiecta. Ratio pro sol. II arg. ad oppos. Explicatio. Notandum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur: omne scitum verum etc.; dicendum, quod duplex est scientia, scilicet *causans res* et *causata a rebus*. Scitum a scientia causata a rebus est verum in *se* et in *effectu*; scitum autem a scientia causante res est verum in *causa* et in *potentia*, et illud verum non infert ens actu, sed ens in potentia causae; et ideo ex hoc non sequitur, quodsi Deus scit infinita, quod infinita sunt entia, sed quod infinita Deo sunt possibilia. Solutio oppositorum. Scientia duplex.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Deus quaecumque scit indicat etc.: dicendum, quod Deus in cognoscendo infinita indicat illa *infinita simpliciter*, sed *finita sibi*; et hoc non est inconveniens. Sicut enim non sequitur, quodsi aliquid est infinitum *finito*, quod sit infinitum *simpliciter*; sic non sequitur, quodsi aliquid est finitum *infinito*, quod sit finitum *simpliciter*; et hoc est quod dicit Augustinus in praemissa auctoritate [6].

3. Ad illud quod obiicitur, quod omne infinitum est impertransibile etc.; dicendum, quod *pertransibile* dicitur duobus modis: uno modo per modum discursivum ab uno in aliud; et hoc modo habet veritatem verbum praemissum, et sic intelligit Philosophus in sexto Physicorum [7]; alio modo per universalem et plenarium contuitum eius quod cognoscitur ab intelligentia; et sic infinitum, cum non sit incomprehensibile infinito, non est ei impertransibile, sed finito tantum. Distinctio.

---

[1] Psalm. 146, 5. Pro *intelligentiae* H *scientiae*, Vulgata *sapientiae*. — Inferius pro *qui tandem* D E H *quid tandem*.

[2] D H *assignatus est*. Subinde pro *modernores* A H *modernos*.

[3] Cfr. I. Sent. d. 39. a. 1. q. 3. et III. Sent. d. 14. a. 2. q. 3. in corp. — Ante *Deo* codd., exceptis D H, addunt *a*.

[4] Vide infra q. 2. De seqq. cfr. I. Sent. d. 35. q. 1.

[5] Cfr. I. Sent. d. 41. a. 2. q. 2. et d. 45. a. 1. q. 2. — Superius post *connotat* D legit *aliquid actuale exterius in Deo, dicit ibi* etc; D H omittunt primum *ideo*.

[6] In principio corp. — Cfr. August., 83 Qq. q. 15. et I. Sent. d. 35. q. 5. ad 1.

[7] Text. 19. seqq. et text. 60. seqq. (c. 2. et 7.).

Digitized by Google

4. Ad illud quod obicitur, quod quaecumque scit et cognoscit distincte cognoscit etc.; dicendum, quod illa consequentia deficit in hoc, quod dicit: quaecumque distinguit numerat; quia *distinguere* est in plus[1] quam *numerare*. — Vel dic, quod quaecumque distinguit numerat numero finito, vel infinito; sed tunc non sequitur, quod mensuret, quia mensura dicit quid finitum tantum. Alter.

5. Ad illud quod obicitur: si numerat, aut numero pari, vel impari etc.; dicendum, quod illa consequentia non tenet, pro eo quod numerus infinitus comprehendit utrumque; male sicut non tenet ista consequentia: homo et asinus sunt animalia, ergo rationalia, vel irrationalia; sic nec consequentia praedicta.

6. Ad illud quod obicitur, quod quaecumque Deus cognoscit ordinate cognoscit etc.: dicendum, quod divina cognitio habet comparationem et ad *cognoscentem* et ad *cognitum*; per comparationem ad *cognoscentem* quidquid cognoscit simul cognoscit, sicut simul et semel dicit quidquid dicit[2]; per comparationem autem ad *cognitum*, dico, quod *ordinate* cognoscit; sed sicut cognitum a Deo non tantum est praesens, sed etiam futurum et possibile; sic et *ordo* ille non est tantum ordo *actualis*, sed etiam *potentialis*, quia non tantum cognoscit res ordinate ordine, qui factus est, sed etiam ordine, quem potest facere. — Quod ergo dicit, quod omnis ordo habet primum et ultimum; verum est de ordine *actuali*, non de ordine *potentiali*; sicut patet in numeris, qui infinitatem habent, et tamen sunt ordinati; habent enim ordinem possibilem, sicut et infinitatem. Comparatio duplex. Notandum.

7. Ad illud quod obicitur: aut scit infinita nobis etc.; dicendum, quod scit infinita *in se*, non quidem *actu* infinita, sed *in potentia*; quae autem sunt in potentia sunt acta a Deo scita. Unde infinitas potentialis in cognitis sufficit ad infinitatem actualem divinae comprehensionis; sicut ergo infinitas *in potentia*[3] non repugnat finitati actuali in creatura, sic nec infinitas *actualis* cognitionis divinae repugnat finitati creaturae.

8. Ad illud quod obicitur: aut scit infinita in causa etc.; dicendum, quod utroque modo. — Et *si obicias*, quod in causa sunt unum; non valet, quia, licet sit una ars et potentia, tamen plures sunt rationes rerum cognoscendarum[4]. — Si *obicias*, quod in proprio genere sunt finita; verum est secundum *esse*, quod habent; sed tamen secundum *esse*, quod possunt habere, sunt saltem infinita *in potentia*, et sic infinita a Deo scita, quia, ut saepe dictum est, quae sunt *in potentia* sunt *acta* a Deo scita.

9. Ad illud quod obicitur: *A* aut est Deus, aut aliud a Deo etc.; dicendum, quod *scitum a Deo* aliquando nominat ipsam *rationem cognoscendi*, aliquando ipsum *cognitum extra*. Primo modo est Deus, quia, ut dicit Anselmus in Monologio[5], « creatura in Creatore est creatrix essentia ». Secundo autem modo est aliud a Deo; sed tunc non sequitur, quod sit infinitum actu, quia ad hoc, quod infinita sint *acta* scita a Deo, non oportet, quod sint *actu* infinita, sed sufficit, quod sint infinita *in potentia* in proprio genere. Distinctio.

10. Ad illud quod obicitur: aut *A* est aequale Deo etc.; dicendum secundum distinctionem praedictam, quod primo modo est idem quod Deus; secundo modo est aliud a Deo, pro eo quod, licet habeat infinitatem *in potentia*, non tamen habet infinitatem *actualem*; Deus autem habet actualem.

11. Ad illud quod obicitur ultimo de potentia faciendi et sciendi et de *velle* sicut et *facere*, patet responsio ex primaria solutione[6].

QUAESTIO II.

Utrum Deus res cognoscat per similitudines rerum, an per earum essentiam.

Supposito, quod Deus cognoscat infinita, quaeritur, utrum cognoscat illa quae cognoscit per *similitudines* rerum, an per earum essentiam[7]. Et quod per *similitudines*, videtur:

1. Primo auctoritate Scripturae. Ioannis primo[8]: *Quod factum est in ipso vita erat*; ergo omnia, quae facta sunt, prius erant in Deo cognoscente: ergo vel per similitudinem, vel per veritatem; sed non per veritatem, cum nondum aliquid esset: ergo per similitudinem. Fundamenta.

2. Item, Augustinus sexto de Trinitate[9] dicit, quod « Filius est ars plena omnium rationum viven-

---

[1] De hac Aristot. dictione cfr. tom. I. pag. 318, nota 5. — Superius post *quod quaecumque* D supplet *Deus*.

[2] Psalm. 61, 12: semel locutus est Deus; cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 2. explicatio huius verbi.

[3] D H *infinitas potentialis*.

[4] Vide infra q. 3.

[5] Cap. 34. et 36. Verba vide tom. I. pag. 623, nota 3. — In fine solut. verbis *in proprio genere* B praemittit *vel*.

[6] Cfr. I. Sent. d. 45. a. 1. q. 2. in fine.

[7] De hac quaest. cfr. I. Sent. d. 35. q. 1. — Pro *earum essentiam* D *ipsas essentias*, F *eorum essentias*, C falso *essentiam suam*.

[8] Vers. 3. seq. — Inferius pro *aliquid esset* cod. F *aliquid essent*.

[9] Cap. 10. n. 11. — Inferius A B C F omittunt *et*.

Digitized by Google

tium incommutabilium »; sed rationes in arte nihil aliud sunt quam similitudines rerum artificiatarum et ab artifice cognitarum: ergo idem quod prius.

3. Item, Augustinus nono de Trinitate, capitolo undecimo [1], dicit: « Omnis secundum speciem notitia similis est ei rei, quam novit »; sed divina cognitio, cum non sit secundum privationem, est secundum speciem: ergo necesse est, quod sit similis ei rei, quam novit. Sed non esset similis, nisi haberet rei similitudinem: ergo etc.

4. Item, Philosophus [2] dicit, « quod intellectus quodam modo est omnia »; sed hoc non est ob aliud, nisi quia intelligens hoc ipso, quod intelligit, assimilatur intellecto: ergo si hoc est de generali ratione intelligendi; si Deus aliquid intelligit et cognoscit, necesse est, quod habeat similitudines rerum, quas cognoscit: ergo etc.

5. Item, ad hoc, quod aliquid perfecte cognoscatur, necesse est, esse adaequationem intellectus ad intelligibile [3]; sed res creata non potest adaequari intellectui creanti per propriam naturam, cum ille sit simplex, et ipsa composita: ergo necesse est, quod adaequetur ei per similitudinem aliquam simplicem et ab omni materia separatam: ergo etc.

6. Item, eodem modo cognoscit Deus res, postquam factae sunt, quo modo cognoscebat, antequam fierent, quia divina notitia non mutatur; sed antequam fierent, non poterat eas cognoscere per proprias essentias; et cognoscebat eas vel per similitudines earum, vel per essentias; et non per essentias: ergo per similitudines. Et eodem modo cognoscit nunc, quo tunc, ergo etc.

7. Item, Deus est *agens a proposito* [4]; sed omne agens a proposito praeconcipit illud quod facturum est; omne autem, quod praeconcipit aliquid, habet aliquo modo illud penes se vel per veritatem, vel per similitudinem: ergo si, antequam res fierent, non habebat eas Deus penes se quantum ad suas essentias, ergo quantum ad earum similitudines.

8. Item, Deus est *exemplar* vere et proprie, sicut vere et proprie est *efficiens* et *finis*; sed exemplar vere et proprie non est, nisi quod habet similitudines rerum exemplatarum, per quas illas cognoscit et facit: ergo sicut Deo competit ratio exemplaritatis, sic et ratio similitudinis [5].

9. Item, Deus vere [6] est *speculum* aeternum, ductivum in omne aliud cognoscibile cognoscendum; sed speculum non ducit in aliud cognoscendum, nisi eius habeat similitudinem; ergo idem quod prius.

10. Item, Deus vere et proprie est *verbum*; sed verbum est similitudo eius quod dicitur: ergo si Filius Dei est verbum, quo dicuntur omnia [7], necesse est, quod in ipso sint similitudines omnium dictorum.

11. Item, ad perfectionem cognitionis duo concurrunt, scilicet *lux* et *similitudo*; sed ratio perfectissimae lucis omnino salvatur in divina cognitione: ergo similiter et ratio expressivae similitudinis.

Contra: 1. Anselmus in Monologio, trigesimo primo capitulo: « Manifestum est, in Verbo, *per quod facta sunt omnia* [8], non esse ipsorum similitudinem, sed veram simplicemque essentiam »: ergo si Deus non cognoscit per aliquid extra se, non cognoscit per similitudinem, sed potius per essentiam. Ad oppositum.

2. Item, ubicumque est *similitudo*, ibi est *convenientia*, ubicumque autem est *convenientia*, ibi est *communicatio* alicuius unius a pluribus; sed Deus et creatura nihil unum communicant, quia tunc illud esset simplicius [9] Creatore; ergo impossibile est, quod aliqua sit similitudo in Creatore respectu creaturae, vel e converso.

3. Item, similitudo est relatio aequiparantiae [10]; sed inter Creatorem et creaturam nulla potest esse relatio aequiparantiae: ergo nec similitudo.

4. Item, sicut *aequalitas* causatur ab unitate in *quantitate*, sic *similitudo* causatur ab unitate in *qualitate* [11]; sed inter Creatorem et creaturam nullo modo reperitur *aequalitas*, nec vere nec transumptive: ergo nec *similitudo* consimili ratione; aut si ibi reperitur *similitudo* et non *aequalitas*, quaeritur, unde hoc sit.

5. Item, si aliqua est similitudo inter Creatorem et creaturam, minima est: ergo si similitudo est ratio cognoscendi, per se loquendo, ubi maior similitudo, ibi maior ratio cognoscendi, et ubi minima, minima: si ergo Deus cognoscit res per similitudines, sequitur ex hoc, quod minimam habeat rerum cognitionem; quod blasphemum est dicere.

6. Item, una creatura magis assimilatur Deo quam alia, sicut illa quae est, vivit et sentit, quam

---

[1] Ibid. n. 16, ubi verbis praedictis addit: Est enim alia notitia secundum *privationem*, quam cum improbamus, loquimur; et haec privationis improbatio speciem laudat, ideoque approbatur.

[2] Lib. III. de Anima, text. 37. (c. 8.). — Pro *intellectus* textus originalis *anima*, A *intelligens*.

[3] In qua adaequatione consistit *veritas*; cfr. tom. I. pag. 707, nota 5.

[4] De hac dictione cfr. tom. I. pag. 714, nota 3.

[5] Respicitur in hoc arg. definitio *ideae* l. c. exemplaris, ad quod respiciens artifex id quod proposuit effecit. Cfr. tom. I. pag. 600, nota 7.

[6] Ibid. D *vere et proprie*.

[7] Vide I. Sent. d. 27. p. II. q. 2. — In fine arg. D *cognitorum* pro *dictorum*.

[8] Ioan. I, 3: Omnia per ipsum facta sunt. — Verbo *Manifestum* D F praemittunt *Satis* (textus originalis *Satis itaque*).

[9] Quia universalius, sicut genus simplicius est speciebus; cfr. Aristot., XI. Metaph. c. 4. (X. c. 4.).

[10] Scilicet in qua sunt eiusdem rationis et eodem nomine denominantur extrema; cfr. tom. I. pag. 346, nota 8.

[11] Ut docet Aristot., V. Metaph. text. 20. (IV. c. 15.). — Inferius pro *transumtive* D F H *interpretative*.

Digitized by Google

illa quae tantum est: si ergo[1] maior similitudo est maior ratio cognoscendi, ergo Deus magis cognoscit unam creaturam quam aliam.

7. Item, si intellectus noster esset omnino in actu, non indigeret similitudine: ergo cum divinus intellectus omnino sit in actu[2] et lux respectu omnis cognoscibilis, videtur, quod ad Dei cognitionem nulla requiritur ratio similitudinis.

8. Item, similitudo est ratio ductiva in aliud, scilicet in illud cuius est similitudo; ubi autem est talis ductio, ibi est decursus et collatio ratiocinativa, hoc autem nullo modo competit divinae cognitioni: ergo nec ratio similitudinis.

9. Item, veritas est ratio cognoscendi, ergo in potissima cognitione potissime salvatur intentio veritatis; sed veritas magis salvatur in ipsa re quam in eius similitudine: ergo si divina cognitio est nobilissima, non cognoscit res per similitudines, sed per essentias.

10. Item, Philosophus, in tertio de Anima[3]: « In separatis a materia idem est *quod* intelligitur et *quo* »; sed Deus est omnino separatus a materia: ergo *quod* cognoscit et *quo* cognoscit est idem. Sed cognoscit res extra: ergo cognoscit eas per suas essentias, non per similitudines aliquas.

11. Item, ubicumque est immediata et indivisa coniunctio cognoscentis et cognoscibilis, non est opus similitudine: sed Deus est intimus cuilibet rei creatae: ergo ad eius cognitionem non indiget aliqua similitudine.

12. Item, nobilior est modus cognoscendi per essentiam quam per similitudinem; quod patet, quia iste modus cognoscendi spectat ad tertium caelum, sicut dicit Augustinus duodecimo super Genesim ad litteram[4]: ergo si nobilior sunt Deo tribuenda, videtur, quod magis conveniens sit ponere, quod Deus cognoscat res per essentias quam per similitudines.

13. Item, quanto cognitio est nobilior, tanto immediatior est coniunctio et unio cognoscentis ad cognoscibile; sed divina cognitio habet omnimodam nobilitatem: ergo et perfectissimam unionem. Sed immediatior est coniunctio[5] et unio, quando cognoscens unitur cognoscibili quantum ad eius essentiam, quam quantum ad eius similitudinem: ergo etc.

CONCLUSIO.

Deus cognoscit res per rationes aeternas, quae sunt rerum similitudines exemplares et perfectissime repraesentativae ac expressivae atque idem essentialiter, quod est ipse Deus.

Respondeo: Dicendum, quod secundum beatum Dionysium et secundum beatum Augustinum in pluribus locis, Deus cognoscit res per rationes aeternas. Conclusio 1.
Ait enim beatus Dionysius in libro de Divinis Nominibus, capitulo quinto[6]: « *Exemplaria* dicimus esse in Deo existentium rationes substantificatas et singulariter praeexistentes, quas theologia *praedefinitiones* vocat, et divinas et bonas voluntates existentium determinativas et effectivas, secundum quas supersubstantialis existentia omnia praeseliniivit et produxit ». Item, Augustinus in primo Confessionum, circa principium, ad Deum loquens, ait sic: « Deus et dominus omnium quae creasti, et apud te rerum omnium instabilium stant causae, et rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, et omnium irrationabilium et temporalium sempiternae vivunt rationes ». Item, in undecimo de Civitate Dei, capitulo decimo[7], ait idem: « Non multae, sed una sapientia est, in qua sunt inclusa quaedam eaque finiti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium, quae per ipsam factae sunt, quoniam Deus non aliquid nescens fecit » etc.

Hae autem sempiternae rationes non sunt rerum Conclusio 2.
essentiae veraeque qualitates, cum non sint aliud a Creatore; creatura autem et Creator necessario habent essentias differentes: et ideo necesse est, quod sint formae exemplares, ac per hoc ipsarum rerum similitudines repraesentativae: et ideo cognoscendi rationes sunt, quia cognitio, hoc ipso quod cognitio, assimilationem dicit et expressionem inter cognoscentem et cognoscibile. Et ideo ponendum est, secundum quod Sancti dicunt et rationes ostendunt, Deum cognoscere res per earum similitudines.

Ad intelligentiam autem ipsius quaestionis et obiectorum notandum est, quod *similitudo* dupliciter Similitudo duplex.
dicitur: uno modo per convenientiam duorum in ter-

---

[1] C addit *similitudo in Deo est ratio cognoscendi*, et in fine arg. subiungit *sed hoc est falsum: ergo etc.*

[2] D E H *sit actus.*

[3] Text. 15. (c. 4.), ubi dicit, in substantiis immaterialibus idem esse intelligens ac intelligibile, et sic idem a se et per se intelligi. — In fine arg. pro *aliquas* F *suas.*

[4] Cap. 6. n. 15. seqq., ubi distinguit triplicem visionem, scil. corporalem (per corporis sensus), spiritualem et intellectualem; ultima respondet *tertio caelo*, in quod raptus est Apostolus Paulus (II. Cor. 12, 2.).

[5] Ita H, in aliis *cognito.*

[6] Paragr. 8. — D H haec verba Dionysii omittunt et verborum August., l. Confess. c. 6. n. 9, principium sic exhibent: Tu Domine, qui et semper vivis, et nihil moritur in te, quoniam ante primordia saeculorum et ante omne, quod vel ante diei potest, tu es et Deus es etc.

[7] Num. 3. Post *Non*, pro quo H cum textu originali *Neque*, E H, textu originali approbante, addunt *enim.* Subinde post *in qua sunt* textus originalis prosequitur *immensa quaedam atque infinita thesauri* (Col. 2, 3.); de hoc loco cfr. supra pag. 1, nota 2.

Digitized by Google

tio, per quem modum dicitur esse « similitudo rerum differentium eadem qualitas[1] ». Alio modo dicitur *similitudo*, quia unum est similitudo alterius; et hoc est dupliciter: quaedam est similitudo *imitativa*, et sic creatura est similitudo Creatoris; quaedam autem est similitudo *exemplativa*, et sic in Creatore ratio exemplaris est similitudo creaturae. Utroque autem modo dicta similitudo, videlicet *imitativa* et *exemplativa*, est *exprimens et expressiva*[2]; et haec est similitudo, quae requiritur ad rerum notitiam habendam. — Sed *notitia* quaedam est *causans res*, quaedam est *causata a rebus*. Ad notitiam *causatam a rebus* requiritur similitudo *imitativa*[3]; et haec similitudo est ab extra, et ideo aliquam compositionem et additionem ponit circa intellectum cognoscentem; et inde est, quod attestatur imperfectioni. — Ad notitiam autem *causantem res* requiritur similitudo *exemplativa*, et haec quidem non est ab extra nec inducit aliquam compositionem nec attestatur alicui imperfectioni, sed omnimodae perfectioni. Quia enim ipse intellectus divinus est summa lux et veritas plena et actus purus; sicut divina virtus in causando res sufficiens est se ipsa omnia producere, sic divina lux et veritas omnia exprimere; et quia *exprimere* est actus intrinsecus, ideo aeternus; et quia expressio est quaedam assimilatio, ideo divinus intellectus, sua summa veritate omnia aeternaliter exprimens, habet aeternaliter omnium rerum similitudines exemplares, quae non sunt *aliud* ab ipso, sed sunt quod est essentialiter[4]. — *Rursus*, quia exprimit in quantum summa lux et actus purus, ideo exprimit lucidissime, expressissime, perfectissime, ac per hoc aequaliter et secundum intentionem similitudinis in omnia diminutae; et hinc est, quod omnia cognoscit perfectissime, distinctissime et integerrime. — His visis, facile est ad obiecta respondere.

Subdistinctio. — Notitia duplex. — De prima. — De secunda. — Notandum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur de Anselmo, dicendum, quod Anselmus loquitur ibi de similitudine, quae est causata a rei veritate; unde accipit ibi *similitudinem*, secundum quod exprimit sub ratione imitationis potius quam exemplaritatis; et hoc modo ponitur in producto respectu *producentis*, et non e converso, sicut subdit[5]; alio vero modo nihil impedit poni in producente respectu *producti*.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur: ubicumque est similitudo, ibi est convenientia etc.; dicendum, quod similitudo, quae est convenientia duorum in tertio, non ponitur in Deo respectu creaturae; sed similitudinem, qua aliquid dicitur esse *imitativum* alicuius, bene contingit ponere in *creatura* respectu Creatoris, et similitudinem, qua aliquid dicitur esse *exemplativum* alicuius, in *Creatore* respectu creaturae. Ad hanc enim similitudinem non requiritur convenientia per participationem alicuius *communis*, sed sufficit convenientia *ordinis* secundum rationem causantis et causati, exprimentis et expressi.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod similitudo est relatio aequiparantiae etc.; dicendum, quod verum est de illa similitudine, quae causatur per convenientiam unius tertii participati; et hoc modo non ponimus eam hic. — Et per hoc patet responsio ad illud quod obiicitur de aequalitate. — Quod tamen quaeritur: cur non est aliquo modo aequalitas, sicut similitudo? dicendum, quod *aequalitas* includit in se commensurationem, quae nullo modo potest esse inter finitum et infinitum; *similitudo* autem dicit expressionem, et haec bene potest esse inter Creatorem et creaturam. Unde sicut non sequitur: hoc non aequatur illi, ergo non imitatur illud, vel non exemplatur ab illo; sic intelligendum est in proposito. — Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod si aliqua est similitudo inter Creatorem et creaturam, minima est etc.; iam patet responsio: quia similitudo per *participationem* non solum minima est, verum etiam nulla; similitudo vero per *imitationem* est maior et minor in creatura, secundum quod ipsa plus vel minus accedit ad bonitatem divinam; similitudo autem per *exemplationem* et *expressionem* summa est in Creatore respectu omnis creaturae, quia ipsa veritas, cum sit summa lux, summe exprimit omnia; et ideo non sequitur, quod magis cognoscat unam creaturam quam aliam. — Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod una creatura magis assimilatur Deo quam alia etc.; iam similiter patet responsio: hoc enim verum est de similitudine *imitativa* ex parte creaturae; sed haec non est ratio cognoscendi, sed altera, videlicet *exemplativa*, quae summe[6] et aequaliter exprimit omnia.

7. Ad illud quod obiicitur, quod si intellectus noster esset omnino in actu, non indigeret similitudine etc.; dicendum, quod verum est, quod non indigeret similitudine accepta vel recepta *ab extra*, sed nihilominus ipse uteretur *se* ut similitudine ad cognoscendum alia; et hoc modo, non alio, ponimus similitudinem in cognitione divina.

8. Ad illud quod obiicitur, quod similitudo est ratio ductiva in aliud etc.; dicendum, quod verum est de similitudine, quae dependet a re *extra*; de

---

[1] Ut ait Boeth. III. de Differentiis topic. Cfr. tom. IV. pag. 139, nota 5. — De duplici hac similitudine cfr. I. Sent. d. 35. q. 1. in corp. et ad 2, ubi refertur similitudo *innovationis* (duorum in tertio), *imitationis* et *expressionis*.

[2] Scilicet quatenus intellectui facit obiecta cognoscere; cfr. I. Sent. d. 35. q. 4. in corp., et Hexaem. Serm. 12. et etiam solut. ad 9.

[3] Ita recte A G, alii *exemplativa*.

[4] Ita B E G (ti supplet *id* ante *quod*), qui tamen perperam omittunt *aliud* ante *ab ipso*, refragantibus aliis codd., sed hi deinde corrupte varia exhibent.

[5] Loc. cit.; in factis vero non esse simplicem absolutamque essentiam, sed veraci illius essentiae vix aliquam imitationem. Unde necesse est, non idem Verbum secundum rerum creatarum similitudinem magis vel minus esse verum, sed omnem creatam naturam eo altiori gradu essentiae dignitatisque consistere, quo magis illi propinquare valeat.

[6] C. *summe similiter*, F *similiter*.

Digitized by Google

alia autem similitudine non est verum, quod per modum decursus et viae, sed solum per modum lucis perfecte exprimentis et quietantis ipsum[1] cognoscentem.

9. Ad illud quod obiicitur, quod veritas est ratio cognoscendi etc.; dicendum, quod veritas dupliciter dicitur: uno modo *veritas* idem est quod *rei entitas*, secundum quod dicit Augustinus in Soliloquis[2], quod « verum est id quod est ». Alio modo veritas est *lux expressiva in cognitione intellectuali*, secundum quod dicit Anselmus in libro de Veritate[3], quod « veritas est rectitudo sola mente perceptibilis ». Primo modo *veritas* est ratio cognoscendi, sed remota; secundo modo est ratio cognoscendi proxima et immediata. Cum ergo dicitur, quod veritas magis salvatur in ipsa rei entitate quam in similitudine; verum est de veritate primo modo, non secundo. Sed veritas illa, quae est ratio cognoscendi proxima et immediata, illa magis salvatur in similitudine, quae est apud intellectum, maxime et potissime in illa similitudine, quae est *exemplativa* rerum; illa enim similitudo exemplaris perfectius exprimit rem, quam ipsa res causata exprimat se ipsam. Et propter hoc Deus perfectius cognoscit res per similitudines illas, quam cognosceret per suas essentias; et Angeli perfectius cognoscunt in Verbo quam in proprio genere. Propter quod et Augustinus frequenter dicit[4], quod cognitio in Verbo assimilatur luci diei, cognitio autem in proprio genere assimilatur vesperi, propter hoc quod omnis creatura tenebra est respectu divinae lucis.

Veritas duplex. Notandum.

10. Ad illud autem quod obiicitur, quod in separatis a materia non differt etc.; dicendum, quod verbum illud non tantum intelligitur de separatis a materia a parte intelligentium[5], verum etiam intelligibilium, utpote quando separatum a materia intelligit separatum a materia, tunc idem erit *quod intelligit* et *quo intelligitur*; et hoc non semper, sed quando intellectus convertitur in se ipsum. Et hoc locum habet, quando Deus intelligit se; non autem habet locum in ipso respectu creaturae, quia, licet Deus sit separatus a materia, non tamen res intellectae.

11. Ad illud autem quod obiicitur, quod ubi est immediatio cognoscentis et cognoscibilis etc.: dicendum, quod unio cognoscentis et cognoscibilis dupliciter potest esse: aut secundum rationem *essendi* et *conservandi* et *causandi*; aut secundum rationem *cognoscendi*. Tunc autem est immediata connectio secundum rationem *causandi*, quando causa immediate producit et causat et tenet effectum; tunc autem est immediata connectio secundum rationem *cognoscendi*, quando cognoscens cognoscit cognoscibile vel per essentiam cognoscentis, vel per essentiam cogniti; et tunc non est opus similitudine intermedia, quae differat ab utroque extremorum. Nihilominus tamen ipsa essentia, in quantum est ratio cognoscendi, tenet rationem similitudinis: et hoc modo ponimus similitudinem circa divinam cognitionem, quae non est aliud quam ipsa essentia cognoscentis.

Unio duplex.

12. Ad illud quod obiicitur, quod nobilior est cognitio per essentiam quam per similitudinem etc.; dicendum, quod verum est de illa similitudine, quae est abstracta et causata ab ipsa rei essentia, cuiusmodi requiritur similitudo ad cognitionem causatam; sed non est verum de similitudine, quae est idem quod essentia cognoscentis. Perfectior enim est cognitio, qua cognoscens utitur se ipso ut similitudine ad cognoscendum aliquid, quam cognitio, qua cognoscens recipit aliquid ex parte cognati[6].

Notandum.

13. Ad illud autem quod obiicitur, quod quanto cognitio est nobilior, tanto immediatior est connectio et unio cognoscentis ad cognoscibile etc.; iam patet responsio: quia similitudo, quae non est aliud quam ipsum cognoscens, non ponit distantiam aliquam secundum rem nec etiam secundum rationem, quia cognoscens in quantum cognoscens dicit rationem similitudinis; et ubi similitudo, quae est ratio[7] cognoscendi, in nullo egreditur extra rationem cognoscentis et cognoscibilis.

QUAESTIO III.

Utrum Deus res cognoscat per similitudines realiter differentes.

Supposito, quod Deus cognoscat res per similitudines exemplares, quaeritur, utrum per similitudines realiter differentes. Et quod sic, videtur:

1. *Auctoritate.* Augustinus, Octoginta trium Quaestionum, quaestione de ideis[8]: « Si dici recte aut credi non potest, Deum condidisse omnia irrationa-

Ad oppositum.

---

[1] F *spiritum*.

[2] Libr. II. c. 5. n. 8: Verum mihi videtur esse id quod est.

[3] Sive in Dialogo de veritate, c. 11.

[4] Cfr. II. Sent. d. 4. a. 3. q. 2. ubi diversi loci August. in nota 5. allegati sunt. — Superius verbis *quam cognosceret* D II interserunt *si*, et post *cognoscunt* A supplet *res*.

[5] A II *intellectus*. Interius post *hoc* F prosequitur *enim idem intelligit se, non autem habet* etc. Pro *quod intelligit* D II *quod intelligitur*.

[6] Vide I. Sent. d. 35. q. 1. ad 3.

[7] F *medium*.

[8] Quaest. 46. n. 2. — Cfr. I. Sent. d. 35. q. 2. seqq., ubi eadem quaestio solvitur.

Digitized by Google

bilitter; restat, ut omnia sint ratione condita, nec eadem ratione homo, qua equus; hoc enim absurdum est existimare: singula igitur propriis sunt creata rationibus».

2. Item, ibidem[1]: «Ideae sunt formae incommutabiles, quae divina intelligentia continentur»; sed omnis forma res: ergo si plures sunt formae, plures sunt res. Si ergo ideae sunt plures, necesse est, eas realiter esse differentes.

3. Item, Dionysius, de Divinis Nominibus, capitulo quinto[2]: «Exemplaria in Deo esse dicimus existentium rationes substantificas et singulariter praeexistentes, quas Theologia *praedefinitiones* vocat»; sed diversarum rerum diversae sunt rationes substantificae: ergo cum res creatae realiter sint diversae, necesse est, rationes illas substantificas esse realiter distinctas.

4. Item, Philosophus, septimo Metaphysicae[3]: «Omne agens per exemplar in fine operationis est forma rei factae»; sed Deus est agens ad exemplar: ergo si formae completivae rerum factarum habent differentiam realem, necesse est, rationes illas exemplares habere diversitatem realem.

5. Item, hoc ipsum videtur *rationi*. Deus est agens a proposito[4]; sed agens a proposito non producit res, nisi habeat eas penes se: ergo si producit rerum diversitatem, necesse est, quod penes se habeat ipsas sub ratione diversitatis. Sed non habet eas nisi per earum rationes: ergo necesse est, rerum rationes realiter diversificari.

6. Item, quidquid res habent accipiunt a Deo; ergo cum habeant diversitatem ad invicem, recipiunt illam ab illa notissima arte: ergo si illam inde accipiunt, necesse est, illam ibi reperiri. Sed non est ibi nisi in rationibus exemplaribus: ergo necesse est, illas realiter distingui.

7. Item, oppositorum effectuum oppositae sunt causae proximae et immediate et uniformiter agentes[5]; sed rationes exemplares rerum sunt causae proximae et immediate et uniformiter agentes: ergo cum sint causae rerum non tantum diversarum, verum etiam oppositarum; necesse est, quod non tantum distinguantur realiter, verum etiam ad invicem opponantur.

8. Item, «numerus, ut dicit Boethius[6], fuit maximum in animo Conditoris exemplar»; et Augustinus in secundo de Libero Arbitrio dicit, quod idem est numerus et sapientia; et constans est, quod non reperitur in Deo numerus exemplaris nisi quantum ad rationes exemplares. Si ergo numerus veram ponit pluralitatem, et in illis rationibus vere et proprie ponitur ratio numeri: vere ergo et proprie ponitur diversitas realis.

9. Item, ad perfectionem cognitionis facit distincte cognoscere: ergo perfectissima cognitio[7] distinctissime cognoscit; sed Deus non cognoscit res nisi eo modo, quo eas penes se habet: ergo necesse est, quod eas penes se habeat distinctissime. Sed non habet eas nisi per rationes suas: ergo necesse est, eas esse distinctissimas: ergo non tantum est ibi distinctio secundum rationem, verum etiam secundum rem.

10. Item, Deus non aliter cognoscit res intra se et extra se, immo uniformiter; sed extra cognoscit eas sub reali distinctione: ergo et intra. Sed eo modo cognoscit, quo habet: ergo penes se habet eas ut realiter distinctas.

11. Item, simile simili cognoscitur; haec est per se vera, cum dicat Augustinus nono de Trinitate[8]: «Omnis secundum speciem notitia similis est ei rei, quae cognoscitur»: ergo *ab oppositis*, dissimile dissimili cognoscitur; sed dissimilia sunt cognita realiter[9]: ergo et rationes cognoscendi sunt realiter dissimiles, ergo et realiter differentes.

12. Item, quod est simile uni oppositorum in quantum tale est dissimile eius opposito: ergo si idea albi est similis albo, est dissimilis nigro, pari ratione et idea nigri dissimilis est albo: ergo necesse est, ideas albi et nigri esse dissimiles a se invicem: ergo et realiter differentes.

13. Item, idea est similitudo; aut ergo secundum *totum*, aut secundum *partem*. Si secundum *partem*: ergo unaquam per eam totaliter res cognoscitur. Si secundum *totum*; sed quaecumque sunt similia secundum totum alicui uni, secundum totum[10] in nullo sunt dissimilia: ergo si una esset similitudo creaturarum secundum rem, impossibile esset, eas realiter esse differentes. Sed constat, quod realiter differunt: ergo necesse est, quod eis correspondeat realis differentia similitudinum exemplarium.

14. Item, ratio exemplaris est similitudo rei cognitae; aut ergo similitudo *communis*, aut *pro-*

---

[1] Textus originalis: Sunt namque ideae principales formae quaedam vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quae ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae ac semper eodem modo sese habentes, quae in divina intelligentia continentur.

[2] Paragr. 8.

[3] Text. 23. (VI. c. 7.), ubi ostendit, quomodo fiunt ea quae fiunt ab arte [i. e. quorum forma est in anima], scil. ex sanitate v. g. et ex domo in anima existente fieri sanitatem et domum in materia.

[4] Vide supra pag. 7, nota 4.

[5] Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 56. (c. 10.) et IV. Meteor. text. 41. (c. 7.): Contrariae contrariorum causae.

[6] Libr. I. Arithmet. c. 2: Hoc enim fuit principale in animo Conditoris exemplar. — Sententia August. habetur II. de Lib. Arb. c. 11. n. 30. seqq. Cfr. Glossa *ordinaria* (ex Hrabano) in Sap. 11, 21: Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti. — Finem arg. D exhibet sic: *videtur, quod vere et proprie poneretur ratio diversitatis realis.*

[7] C *perfectissime cognoscens*, qui in fine arg. legit *ergo habet eas distinctissimas; quare non tantum distinguuntur secundum rationem, verum etiam secundum rem.*

[8] Cap. 11. n. 16: Sed omnis... ei rei, quam novit.

[9] Supple: dissimilia.

[10] D G omittunt *secundum totum*, C addit *ipsa inter se.*

Digitized by Google

pria. Si *communis:* ergo per eam non cognoscuntur proprietates rerum; si *propria;* sed similitudines propriae multiplicantur secundum pluralitatem rerum: si igitur res creatae sunt realiter diversae, necesse est, et earum similitudines realiter differre ad invicem.

15. Item, appelletur *A* ratio, qua factus est homo; *B* ratio, qua factus est asinus; constans est, quod *A* non est *B*: si ergo illa quorum unum de altero non praedicatur in divinis differunt realiter, et non solum secundum rationem; videtur, quod illa sint realiter diversa. *Minor* manifesta est, quia licet bonitas, sapientia et potentia sint differentia ratione, nihilominus tamen praedicantur de se invicem.

16. Item, *A* non est similitudo asini, nec *B* similitudo hominis: ergo *A* aliquo modo plus accedit ad hominem quam ad asinum; sed hoc non esset, nisi aliquo modo plus conveniret cum homine[1] *A* quam *B*; hoc autem esse non posset, nisi aliquo modo haberet differentiam realem: ergo etc.

17. Item, si rationes illae ideales pluralicantur ratione, aut rationi respondet *aliquid*, aut *nihil*. Si *nihil:* ergo vana est; si *aliquid:* ergo necesse est aliquo modo, quod in illis rationibus sit differentia realis.

18. Item, rationes illae aut differunt ratione *connotati*, aut ratione *sui*. Si ratione *connotati:* ergo cum illud sit temporale, erit[2] causa aeterni; si ratione *sui;* sed quae se ipsis distinguuntur, realiter differunt: ergo rationes illae realiter diversificantur.

19. Item, si differunt ratione *connotati:* ergo cum verbum magis connotet effectum quam ratio vel idea — quia, ut dicitur Octoginta trium Quaestionibus[3], «Verbum dicit operativam potentiam» — videtur ergo, quod si hoc esset causa, plura in divinis dicerentur esse verba; sed constat, quod hoc est falsum: ergo ad hoc, quod plures rationes dicantur, non sufficit differentia *connotatorum*.

20. Item, res causatae sunt a rationibus et non e converso: ergo et pluralitas rationum est prior pluralitate rerum connotatarum: ergo si pluralicantur, hoc non facit differentia *connotatorum;* necesse est ergo, quod se ipsis realiter distinguantur.

21. Item, pluralitas personarum minor est quam pluralitas specierum vel rationum; sed divinae simplicitati non repugnat realis differentia personarum[4]: ergo nec pluralitas realis rationum idealium. Si ergo Sancti dicunt, eas esse plures; videtur, quod fatendum sit, eas esse realiter differentes.

SED CONTRA: 1. Dionysius capitulo quinto[5] de Divinis Nominibus, loquens de Deo dicit sic: «Omnia quidem in se praehabet secundum unam simplicitatis excellentiam, omnem duplicitatem renuens». Si ergo Deus praehabet in se res per rerum rationes; et illae refugiunt omnem duplicitatem: ergo nullam habent realem diversitatem. fundamenta.

2. Item, ibidem[6]: «Multorum participantium unus sol causas in se ipso uniformiter praeacipit; multo fortius in causa ipsius et omnium praeexistere existentium omnium exemplaria secundum supersubstantialem unionem est concedendum»; sed hoc non esset, si rationes illae essent realiter distinctae: ergo nullam habent realem diversitatem.

3. Item, Augustinus, sexto de Trinitate, decimo capitulo[7]: «Filius est ars omnipotentis plena omnium rationum viventium, et omnia in ipso unum sunt»; sed hoc non esset, si rationes illae essent realiter diversae: ergo necessario sunt realiter indistinctae.

4. Item, hoc ipsum ostendit Dionysius, de Divinis Nominibus, quinto capitulo[8], tali ratione: omnes lineae originaliter sunt in puncto, et omnes numeri in unitate; et tamen ex hoc non ponitur in puncto et in unitate realis diversitas in creatura: ergo nec in causa suprema.

5. Item, non est status nisi in uno; sed in quolibet genere causae necesse est ponere statum[9]: ergo si Deus est causa exemplaris, in qua est status omnium causarum formalium; necesse est ergo, quod habeat omnimodam unitatem secundum rem.

6. Item, quod est perfectius Deo est attribuendum; sed perfectius est uno cognoscere plura, quam pluribus plura: ergo etc.

7. Item, divina cognitio est infinita, ergo nullo modo est arctata nec limitata: ergo nec ratio cognoscendi in Deo aliquo modo limitatur; sed si ad plures res cognoscendas requirerentur plures rationes realiter differentes, tunc esset aliquo modo limitata et arctata[10]: ergo si hoc est impossibile ponere, impossibile est, quod rationes illae sint realiter diversae.

8. Item, ratio cognoscendi in divinis nominat quid essentiale, quia commune tribus personis; sed

---

[1] H G addunt *quam cum asino, vel plus*. Inferius pro *haberet* H G H *haberent*.

[2] G supplet *temporale*.

[3] Quaest. 63: Sed hoc loco nechus *verbum* interpretamur, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quae per Verbum facta sunt operativa potentia; *ratio* autem, etsi nihil per illam fit, recte ratio dicitur. — Pro *ut dicitur* G *ut dicit Augustinus*. Infra pro *plures* F *pluralitatis;* fortasse legendum: *si hoc esset causa pluralitatis, plura in divinis* etc.

[4] Vide infra Quaest. de Trin. q. 3. a. 2.

[5] Paragr. 9. Pro *renuens* (ἀπαναινομένη) Scotus Erigena et alibi Vercellensis utuntur voce *respuens*.

[6] Paragr. 8.

[7] Num. 11: Ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei plena omnium rationum viventium incommutabilium, et omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum. — H G lacuna arg. sic exhibent: *ergo nullam habent realem diversitatem*.

[8] Paragr. 6. Nonnulli codd. allegant etiam *c. 2*, ubi § 3. de *lineis* agitur. — Inferius pro *realis* A B E C D *realiter*.

[9] Ut ostendit Aristot. II. Metaph. text. 5. seqq. (l. brevior, c. 2.). — Superius pro *in uno* D G H *in summo*. Aristot., II. de Caelo et mundo, text. 22. (c. 4.): Prius natura in unoquoque genere est *unum* multis et simplex composito. Cfr. com. II. pag. 26, nota 11, pag. 99, nota 3. et pag. 455, nota 3.

[10] A B E perperam *tunc essent... limitatae et arctatae*.

Digitized by Google

quae essentialia sunt in divinis, nullo modo pluriificantur secundum rem, quia, si realiter pluriificarentur, essent in divinis[1] plures essentiae; sed hoc est impossibile: ergo impossibile est, rationes illas realiter differre.

9. Item, quaecumque distinguuntur realiter aut distinguuntur *origine*, aut *qualitate*, sicut dicit Richardus[2]; sed rationes illae non possunt distingui *qualitate*, quia talis distinctio non cadit in divinis; nec *origine*, quia una non manat ab alia: ergo impossibile est, eas esse realiter diversas.

10. Item, rationes illae aeternae sunt rerum productivae; aut ergo *producentes tantum*, aut *producentes et productae*. Si *producentes et productae*; ergo cum producens et productum distinguantur realiter, rationes illae realiter a Deo distinguerentur, cum non sit dare aliquid aliud, a quo producantur: ergo non essent ipse Deus, nec Deus se ipso cognosceret res; quod est impossibile. Si sunt *producentes tantum*: ergo tenent rationem principii solius; sed principium tale est principium primum, et principium primum non est nisi unice unum: ergo impossibile est, quod rationes illae realiter distinguantur.

11. Item, ratio exemplaris nominat illud, per quod res cognoscitur; sed illud quo res cognoscitur non est nisi forma: ergo si Deus cognosceret res per rationes exemplares realiter differentes, necesse esset, ipsum divinum *esse* esse multiforme. Sed hoc est omnino impossibile: ergo et primum.

12. Item, si realiter distinguuntur; cum sint res, quibus est fruendum, et res, quibus est fruendum, faciunt nos beatos[3]; nullus esset beatus, nisi cognosceret omnes rationes exemplares, sicut nullus est beatus, cui deest notitia alicuius trium personarum. Sed hoc est falsum et absurdum: ergo et primum.

13. Item, ratio idealis in Deo non dicit quid inhaerens, sed magis per se stans, quemadmodum et Verbum: ergo si plures essent rationes realiter differentes; quot sunt ibi rationes, tot essent substantiae per se stantes: ergo tot essent divinae personae, vel essentiae, quot sunt ideae. Sed hoc est falsum et contra fidem: ergo erroneum[4] est dicere, eas realiter differre.

14. Item, si realiter differunt, aut sicut *res absolutae*, aut sicut *respectus*; sed non sicut *respectus*, quia nullus respectus censetur nomine eius, ad quod refertur, maxime in relatione superpositionis[5]; sed *ratio hominis* dicitur ipse homo: in Deo ergo ratio idealis non est imposita a respectu reali. Si igitur pluriificantur realiter, pluriificantur sicut *formae absolutae*; ergo si hoc est impossibile, impossibile est, rationes illas realiter differre.

15. Item, si distinguuntur realiter sicut diversi *respectus reales*; cum in respectu reali relativa sint simul natura[6], simul natura essent idea et ideatum, ergo Creator et creatura; sed hoc est omnino absurdum: ergo impossibile est, quod rationes illae diversifirentur sicut diversi *respectus reales*; nec sicut diversae *res absolutae*; hoc constat: ergo nullam habent realem diversitatem.

16. Item, omnis realis diversitas aut facit aliud et aliud, aut alium et alium, aut alterum et alterum[7]; sed nullus istorum modorum est ponere circa illas aeternas rationes, quia nec est ibi essentialis diversitas nec personalis nec accidentalis: ergo nullo modo est distinctio vel differentia realis.

CONCLUSIO.

Deus res cognoscit se ipso ut similitudine expressiva omnium, ita ut rationes ideales non pluriificentur in Deo secundum rem, sed tantum secundum rationem.

Respondeo: Ad praeductorum intelligentiam est notandum, quod absque dubio Deus res cognoscit; et quod se ipso cognoscit; et quod cognoscit se ipso ut similitudine; et quod similitudo illa, quo cognoscit, non est accepta similitudo ab extra nec similitudo per convenientiam in aliqua tertia natura, sed similitudo illa nihil aliud est quam veritas expressiva, sicut ostensum fuit in quaestione praemissa. Dicere ergo, quod Deus cognoscit res se ipso ut similitudine, non est aliud quam dicere, quod Deus cognoscat res se ipso ut veritate sive ut summa luce res reteras[8] exprimente. Et quoniam divina veritas potentissima est ad res omnes totaliter exprimendas, sicut divina virtus ad res omnes totaliter faciendas; ideo Deus cognoscit se ipso ut veritate exprimente res multimodas et totaliter. Potens est autem divina veritas, quamvis sit una, omnia exprimere per modum similitudinis exemplaris, quia ipsa est omnino *extra genus* et ad nihil correlata; ipsa etiam est actus purus, cetera autem respectu eius sunt materialia et possibilia. Quoniam ergo unum secundum formam potest assimilari pluribus secundum materiam, sicut

Conclusio I

Notandum.

---

[1] C *alias in divinis essent*, DG *quam sic essent in Deo*.

[2] Scil. a S. Victore, IV. de Trin. c. 13. seq. Cfr. tom. II. pag. 101, nota 6. et pag. 104, nota 5.

[3] Secundum August., I. de Docir. christiana, c. 31. n. 34.

[4] B *haereticum*.

[5] Relatio praedicamentalis dividitur in relationem *aequiparantiae* (v. g. similitudinis) et relationem *disparantiae*; posterior sub se continet relationes *superpositionis* v. g. relationes patris, domini, causae, producentis etc., et relationes *suppositionis* v. g. filii, servi, effectus, producti etc.

[6] Vide Arist., de Praedicam. c. *de his quae ad aliquid*.

[7] Cfr. Porphyr., de Praedicab. c. *de Differentiis*. — Hoc arg. desideratur in EDG. — Inferius ex EH posuimus *accidentalis*, in aliis *actualis*.

[8] Pro *ceteras*, quod G omittit, AH *creatas*, D *omnes res terrenas*.

Digitized by Google

patet de albedine in homine et lapide; cum ipsa veritas indifferenter se habeat ad omnia, et cetera sint sibi materialia, ipsa ut actus purus esse potest similitudo expressiva omnium. Conclusio 2.

In hac autem expressione est tria intelligere, scilicet ipsam *veritatem*, ipsam *expressionem* et ipsam *rem*. *Veritas* exprimens una sola est et re et ratione; ipsae autem *res*, quae exprimuntur, habent multiformitatem vel actualem, vel possibilem; *expressio* vero, secundum id *quod* est, nihil aliud est quam ipsa veritas; sed secundum id *ad quod* est, tenet se ex parte rerum, quae exprimuntur. Unde expressio unius rei et alterius rei *in* divina, vel *a* divina veritate, secundum id *quod* est, non est aliud et aliud; sed secundum id *ad quod* est, pluralicari dicitur; quia exprimere hominem non est exprimere asinum, sicut praedestinare Petrum non est praedestinare Paulum, nec creare hominem est creare Angelum, licet artus divinus sit unus. Quoniam ergo rationes ideales nominant ipsas expressiones divinae veritatis respectu rerum, ideo plurificari dicuntur non secundum id *quod significant*, sed secundum id *quod connotant*, non secundum id *quod* sunt, sed secundum id *ad quod* sunt sive ad quod comparantur. Et quia ad illud sunt non secundum *realem respectum*, qui est in Deo, quia Deus ad nihil extrinsecum realiter refertur, sed solum secundum *rationem intelligendi*, cui correspondet realis respectus in actu vel aptitudine ex parte rerum[4]; ideo dicendum, quod rationes ideales in Deo plurificantur non secundum *rem*, sed secundum *rationem*, quae quidem ratio non tantum est ex parte intelligentis, sed etiam ex parte rei intellectae. Tria in hac expressione. Conclusio 3. Conclusio 4.

Huius autem simile non perfecte reperitur in creatura; sed si intelligeretur per impossibile, quod lux esset sua illuminatio et irradiatio; dicere possumus, quod eiusdem lucis et luminis essent plures irradiationes, propter hoc quod irradiatio dicit diametralem sive orthogonalem[5] ipsius luminis directionem; propter quod diversorum illuminatorum plures dicerentur irradiationes, in una tamen luce et in uno lumine. Sic et in proposito intelligendum est, quia ipsa divina veritas est lux, et ipsius expressiones respectu rerum sunt quasi luminosae irradiationes, licet intrinsecae, quae determinate ducunt et dirigunt in id quod exprimitur. Et hoc est quod dicit Dionysius septimo capitulo[3] de Divinis Nominibus: « Non ex entibus entia dicens novit divinus intellectus, sed ex se ipso et in ipso secundum omnium causam, notitiam et scientiam et substantiam praehabet et praeconcipit, non secundum ideam singulis se immittens; hoc est, non secundum ideas realiter differentes, sed secundum unam causae excellentiam omnia noscens et continens, sicut et lux secundum causam in se notitiam tenebrarum praeaccepit et non aliunde cognoscens tenebras quam a lucis defectu. Sese igitur divina sapientia agnoscens, cognoscit omnia materialia immateriaiter, et indivisim divisibilia, et singulariter multa, ipso uno omnia cognoscens et producens ». In quo manifeste ostendit Dionysius, quod in ratione cognoscendi non cadit realis pluralitas, quia hoc derogaret perfectioni cognitionis divinae; et hoc ipsum perfectius ostendit in quinto capitulo, sicut supra[4] allegatum est. Et ideo concedendae sunt rationes, quae factae sunt ad partem istam. Simile imperfectum. Notandum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium de Augustino, quod alia ratione conditus est homo, alia equus etc.; dicendum, quod *alietas* ibi non dicit eadem differentiam, sed tantum secundum rationem. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod idea est forma et res etc.; dicendum, quod idea et dicit *rem* et dicit *modum rei* — dicit enim formam comparatam ad illud quod exprimitur — nec plurificatur, in quantum dicit *rem*, sed in quantum dicit *modum rei*; et ideo, cum procedit a pluralitate idearum ad pluralitatem rerum in divinis, procedit a pluralitate *modi* ad pluralitatem *rei*; et ideo peccat secundum *accidens*, vel secundum *figuram dictionis*[5].

3. Ad illud quod obiicitur, quod secundum Dionysium ideae sunt rationes substantificae; dicendum, quod *substantificae* dicuntur, vel quia in se subsistunt, vel quia substantias[6] rerum efficiunt, vel substantias rerum exprimunt, non quia sint substantiae vel essentiae ipsarum rerum. Licet autem essentiae ipsarum rerum in rebus multiplicentur, quia ipsis rebus intrinsecae sunt; non tamen oportet de illis rationibus exemplaribus, quia constitutionem rerum non ingrediuntur. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod agens ad exemplar est forma rei operatae; dicendum, quod illud intelligitur de agente ad exemplar, quod ab ipso exemplari dirigitur et regulatur, sicut est agens creatum; nec de illo adhuc intelligitur *propcie*, quod secundum veritatem sit forma rei productae, sed aliquid penes se habet, quod tenet rei producendae similitudinem, sicut medicus in curando prius sanitatem habet in mente et arte, quam postea facit in opere; et ita ex duplici parte deficit ratio introducta. Notandum.

---

[3] Cfr. l. Sent. d. 30. q. 3. — Inferius pro *intelligentis* A B *intellectus*.

[5] Sive rectangularem. — Superius ex D F G posuimus *eiusdem lucis et eiusdem luminis*; in aliis *eiusdem lucis et illuminationis*.

[6] Paragr. 2. Cfr. tom. I. pag. 600, nota 5; quae ibidem dicta sunt de vocibus *se immittens* valent etiam hic [loc. cit. pro *apud Scotum Erigenum* substituendum: in versione antiqua apud S. Thomam], scil. quod codd. omittunt *se*. A B C E F H omittunt *omnium*, textus originalis omittit *hoc est non secundum ideas realiter differentes*, ex quo substituimus *praeaccepit* (προείληφεν) pro lectione codicum *percepit*.

[4] Fundam. I. 2. 4, et quaest. praeced. in corp.

[5] Cfr. Aristot., l. Elench. c. 3. (c. 4.), ex quo tom. I. pag. 58, nota 5, pag. 375, nota 9. et pag. 740, nota 6, plura retulimus.

[6] B addit *ipsas*, E H *ipsarum*.

Digitized by Google

5. Ad illud quod obiicitur, quod agens a proposito non producit res, nisi eas habeat penes se; dicendum, quod non oportet, quod eas habeat per veritatem, sed per similitudinem, quam quidem similitudinem non est necesse per omnia esse conformem his quorum est similitudo; sicut patet, quia materialium est ratio vel idea immaterialis, corruptibilium incorruptibilis, ar per hoc et multorum potest esse uniformis et differentium indivisa; et ideo non sequitur, quodsi pluralitas repraesentatur ab ipsis rationibus exemplaribus, quod ipsae sint realiter plures; sicut non sequitur, quod materialium sint materiales. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod quidquid res habent accipiunt a Deo: dicendum, quod accipiunt ab eo, sicut ab eo qui de nihilo potest aliquid facere, non quia accipiant aliquid, quod sit suae substantiae; et ideo non sequitur, quodsi creatura habeat aliquid in proprio genere, quod propter hoc necesse sit illud reperire in dante[1] *actu;* sed sufficit, quod solum reperiatur secundum *potentiam efficientem*, vel *exemplaritatem repraesentantem*.

7. Ad illud quod obiicitur, quod oppositorum effectuum oppositae sunt causae proximae et immediate etc.; dicendum, quod illud habet veritatem in *causis coarctatis*, quae non producunt multa nisi per multa, ideo nec opposita nisi per opposita; non autem in *causa causarum*, quae nullam coarctationem seu limitationem habet, sed omnimodam libertatem respectu effectuum producendorum, quantumcumque differentium[2].

8. Ad illud quod obiicitur, quod numerus fuit maximum exemplar in animo Conditoris; dicendum, quod hoc dicitur, non quia in Deo proprie sit numerus, cum ille sit ex aggregatione diversarum unitatum[3], sed quia Deus ipse cognoscit numerum, secundum quem omnes proportiones rerum creandarum attenduntur. — Vel si dicatur alicubi, quod in Deo sit numerus idearum, ille distrahit a ratione numeri *proprie* dicti, sicut et numerus personarum, qui non est per plurificationem unitatum, sed per replicationem eiusdem unitatis circa diversas hypostases[4]; sic et numerus idearum vel rationum non dicit plurificationem unitatum aeternarum, cum illa sit tantum una, sed comparationem ipsius ad plures res exprimendas. Alia solutio.

9. Ad illud quod obiicitur, quod ad perfectionem cognitionis facit distincte cognoscere etc.; dicendum, quod actus cognoscendi respicit ipsum cognoscentem et ipsum cognitum: unde *distincte cognoscere* potest dupliciter accipi: vel ex parte ipsius *cognoscentis*, vel ex parte *cogniti*. Licet autem distincte cognoscere ex parte *rei cognitae* faciat ad perfectionem cognitionis, non tamen ex parte *cognoscentis*, quia perfectius est uno multa cognoscere quam multis. — Aliter potest dici, quod *distincte cognoscere* dupliciter est: vel ita, quod dicat distinctionem secundum *diversitatem*[5] *essentialem*, vel ita, quod dicat *expressionem exemplarem* sive cognoscitivam. Primo modo facit ad perfectionem cognitionis ex parte *rei cognitae;* secundo modo ex parte *cognoscentis;* et hoc modo Deus distinctissime cognoscit, quia veritas aeterna, licet una, varias tamen res distinctissime exprimit, nulla in se ex hoc reperta distinctione. Distinctio. Alia solutio cum distinctione.

10. Ad illud quod obiicitur, quod uniformiter Deus cognoscit res intra et extra etc.; dicendum, quod si ita intelligatur, quod non habet cognitionem rerum *ab extra*, sed solum *ab intra;* sic sermo praemissus habet veritatem. Si autem intelligatur, quod cognoscit, res eodem modo se habere *intra* et *extra;* habet falsitatem: quia *intra se* habet eas sub omnimoda indifferentia reali, et sic scit, se habere eas; *extra* vero scit eas habere esse sub differentia multiformi. Distinctas.

11. Ad illud quod obiicitur, quod simile simili cognoscitur; dicendum, quod illa illatio tenet in similitudine coarctata, quae est in genere; et ideo non habet locum in proposito. — Vel dicendum, quod haec non est similitudo secundum *convenientiam*, sed solum secundum *expressivam exemplativam;* et haec similitudo sive dissimilitudo non ponit differentiam rationis ad rationem, sive similitudinem ad similitudinem, sed secundum id quod connotat et exprimit *extra se* ipsam. Alia solutio.

12. Ad illud quod obiicitur, quod simile uni oppositi est dissimile eius opposito; dicendum, quod illud habet locum in similitudine, quae est per participationem naturae communis, vel per limitatam expressionem, sicut illa, quae est accepta a re extra.

13. Ad illud quod obiicitur: aut similitudo illa est secundum totum, aut secundum partem; dicendum, quod secundum *totum*, quia dicitur similitudo; in quantum exprimens et totum exprimit. — Et *si obiciat*, quod nulla diversa possunt secundum totum eidem assimilari; dicendum, quod verum est de illa similitudine, quae est per *communicationem*, non per

---

[1] G *Creatore*.

[2] Cfr. I. sent. d. 45. a. 2. q. 2. in corp.

[3] Averroes, Epitom. metaph. tr. I, agens de uno sit: Numerus [est] aggregatio unitatum. Cfr. tom. I. pag. 363, nota 11. In Dialogo Qq. 65 August. ad Orosium (inter opera August.), q. 39: Numerus et mensura et pondus ipse Deus est, ipse est numerus sine numero, a quo est omnis numerus etc. — Inferius pro *creandarum* G *creatarum*, A L H *causandarum*.

[4] Vide infra Quaest. de Trin. q. 2. a. 2. ad 16. verba Boethii. Cfr. etiam I. Sent. d. 19. p. II. q. 4. ad 1. seqq.

[5] Ita B C E., in aliis *diversificationem*.

Digitized by Google

expressionem. — Et *si quaerat*, qualiter possit illud intelligi; dicendum, sicut dictum fuit supra [1], quod hoc est, quia illa similitudo est extra genus et actus purus, et cetera sunt materialia respectu illius.

14. Ad illud quod obiicitur, quod aut est similitudo communis, aut propria; dicendum, quod Deo attribuendum est quidquid est completionis in creatura; et ideo quodam modo *communis* [2], quia omnia communiter exprimit; et quodam modo *propria*, quia perfecte et integre exprimit unumquodque. Notandum.

15. Ad illud quod obiicitur, quod *A* non est *B*; dicendum, quod in divinis ad hoc, ut unum vere negetur de altero, non oportet, quod sit ibi realis distinctio secundum id quod *sunt*, sed secundum id quod *connotant;* sicut patet, quod praedestinatio non est reprobatio, et hoc est, quia, licet utrinsque *significatum* sit idem, scilicet divina essentia vel voluntas, *connotatum* tamen est alterum et alterum, scilicet gloria et poena [3].

16. Ad illud quod obiicitur, quod similitudo hominis non est similitudo asini etc.; patet responsio: hoc enim non est ratione divinae veritatis, quae aequaliter se habet ad hominem exprimendum et asinum, sed ratione connotati; sicut dicimus, quod creare hominem non est creare Angelum [4].

17. Ad illud quod obiicitur, quod si est ibi pluralitas secundum rationem, aut aliquid respondet ei in re, aut nihil; dicendum, quod aliquid respondet. — *Si autem quaeratur*, quid sit illud; dico, quod ex parte *veritatis divinae* non respondet nisi unum, quod tamen est potentius in repraesentando multa quam aliqua multiformitas creata, quia, licet illa veritas sit simplex, est tamen infinita. Ex parte vero *connotatorum* respondet pluralitas vel actualis, vel potentialis. Plura enim possibilia sunt plura actu *scita*, licet actu non *sint* in natura propria [5]. Notandum.

18. Ad illud quod obiicitur, quod si differunt ratione connotati, tunc temporale est causa aeterni; dicendum, quod dupliciter est loqui de connotato: aut quantum ad *esse proprium*, aut in quantum *connotatur*. Quantum ad *esse proprium* verum est, quod temporale est; verumtamen aeternaliter connotatur, quia quod est temporale in *esse proprio* aeternaliter scitur a Deo. Distinctio.

19. Ad illud quod obiicitur, quod tunc Verbum debet similiter pluralicari, si ratio pluralicatur ratione connotati; dicendum, quod non est simile: quia *Verbum* dicit ipsam divinam virtutem [6] operativam vel expressivam, quae secundum *rem et rationem intelligendi* magis se tenet ex parte *Dei. Idea* autem vel ratio dicit expressionem vel similitudinem, quae, licet secundum *rem* plus se teneat ex parte Dei cognoscentis, secundum tamen *modum intelligendi* plus se tenet ex parte *cogniti;* et ideo, licet habeant unitatem *re*, ut possint plures ideae dici *una veritas* et *unum Verbum*, non tamen possunt habere unitatem *ratione*, ut possint dici *plures ideae* vel rationes una idea vel una ratio. Notandum.

20. Ad illud quod obiicitur, quod res sunt causatae a rationibus, ergo et pluralitas etc.; dicendum, quod pluralitas *rerum* in proprio genere est a pluralitate *rationum;* sed pluralitas *rationum* nihil aliud est quam ipsae res, ut sunt existentes in causa. Unde quamvis pluralitas idearum vel rationum aliquo modo habeat sibi correspondentem pluralitatem rerum, non tamen ab illa *causatur*, quia non ideo Deus scit plura, vel divina veritas exprimit plura, quia plura futura sunt; sed magis e converso, quia plura scit, ideo plura fiunt, sicut dicit Augustinus undecimo de Civitate Dei [7]: « Iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset ». Notandum.

21. Ad illud quod obiicitur, quod pluralitas personarum maior est quam pluralitas sperierum; dicendum, quod non est simile hinc inde: quia pluralitas personarum est propter originem et propter respectum mutuum personae ad personam et intrinsecum; idea autem vel ratio una non oritur ab altera, nec habent respectum mutuum vel intrinsecum, nec respectum eidem ad aliquid extra habere possunt, quia *habere respectum* [8] ad extrinsecum aliquo modo importat dependentiam nec permittit, illud, circa quod ponitur, esse summe simplex et absolutum. Et ideo realis pluralitas idearum nullo modo competit divino *esse*, quod est simplicissimum et absolutissimum. Si ergo ponitur ibi pluralitas, ponenda est secundum rationem intelligendi, sicut prius dictum est, et antiqui doctores communiter senserunt. — Et per hoc patet solutio obiectorum. Notandum.

---

[1] Hic in corp. et quaest. praeced. — Inferius post *extra genus* F *id est actus purus, cetera omnia sunt* etc.

[2] C supplet *est illa similitudo.*

[3] Cfr. I. Sent. d. 40. a. 1. q. 1. — Superius ex II posuimus *utrinsque significatum*, A B E *utrumque significatum*, alii *utrinsque significatio.*

[4] D F G *asinum.*

[5] C aliam, saltem verbis, solutionem addit: *vel potest dici, quod sunt actu in Deo sicut in arte, licet sint in potentia quantum ad esse, quod est in proprio genere.*

[6] Ita B E, alii *veritatem.* Quare *virtus* appropriatur Filio, docetur I. Sent. d. 32. a. 2. q. 2. ad 4. et d. 34. dub. 7. — C finem solut. sic exhibet: *et ideo, licet, ut habent unitatem re, possunt dici plures ideae una unitas, unum verbum, non tamen ut plures sunt ratione, sed dicuntur plures ideae; sic et verbum, cum non habent pluralitatem rationis, sed unitatem re, tamen [tantum?] dicitur verbum unum, non plura in Deo.*

[7] Cap. 10. n. 3. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. XXXVIII. c. 1, et Comment. a. 1. q. 2. fundam. 1. — In principio solut. post *a rationibus* C addit *aeternis.*

[8] Pro *habere respectum* A B E H *respectus.* Inferius pro *Si ergo ponitur* C *Praeterea idea ad scientiam pertinet, quae essentialis est, non personalis, et ideo si ponitur.*

Digitized by Google

QUAESTIO IV.

Utrum quidquid a nobis certitudinaliter cognoscitur cognoscatur in ipsis rationibus aeternis.

Supposito, quod rationes aeternae sint realiter indistinctae in divina arte sive cognitione, quaeritur, utrum sint rationes cognoscendi in omni certitudinali cognitione; hoc est quaerere, utrum quidquid certitudinaliter cognoscitur a nobis cognoscatur in ipsis rationibus aeternis [1]. Et quod sic, videtur *auctoritate* multiplici.

Fundamenta. Auctoritas Augustini.

1. Augustinus, de Magistro [2]: « De universis, quae intelligimus, non loquentem, qui personat foris, sed intus ipsi menti praesidentem consulimus veritatem. Ille autem, qui consulitur, docet, qui in interiore homine habitare dictus est, Christus, incommutabilis Dei virtus et sapientia sempiterna, quam quidem omnis rationalis anima consulit ».

2. Item, idem de Vera Religione [3]: « Apparet, supra mentem nostram legem esse, quae *veritas* dicitur; nec iam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quae supra mentem humanam est, Deum esse. Nam haec est illa incommutabilis veritas, quae lex omnium artium recte dicitur et ars omnipotentis artificis ».

3. Item, Augustinus, in secundo libro de Libero Arbitrio [4]: « Illa pulcritudo sapientiae et veritatis nec peragitur tempore nec migrat locis nec nocte intercipitur nec umbra interciudit nec sensibus corporis subiacet; de toto mundo ad se conversis, qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna, nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet. Nullus de illa iudicat, nullus sine illa iudicat bene; ac per hoc manifestum est, eam mentibus nostris, quae *ab* ipsa ma liunt singulae sapientes et non *de* ipsa, sed *per* ipsam de ceteris iudicant, sine dubitatione esse potiorem ». — *Si tu dicas*, quod ex hoc non sequitur, quod *in* veritate vel *in* rationibus, sed quod *a* rationibus videamus; *contra:* Augustinus duodecimo Confessionum [5]: « Si ambo videmus, verum esse quod dicis, et ambo videmus, verum esse quod dico; ubi, quaeso, id videmus? Nec ego in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa quae supra mentes nostras est incommutabili veritate ».

4. Item, octavo de Civitate Dei [6] loquens de philosophis dicit: « Hi quos merito omnibus antepono lumen mentium esse dixerunt ad discenda omnia eundem ipsum Deum, a quo facta sunt omnia ».

5. Item, octavo de Trinitate, capitulo tertio [7]: « Cum animus nobis placet, ut cum omni luci corporeae praeferamus, non in se ipso nobis placet, sed in illa arte, qua factus est. Inde enim approbatur factus, unde videtur fuisse faciendus; haec est veritas et simplex bonum ».

6. Item, nono de Trinitate, capitulo sexto [8]: « Alius omnino regulis, supra mentem nostram incommutabiliter manentibus, vel approbare, vel improbare convincimur, cum recte aliquid approbamus, vel improbamus ».

7. Item, eodem, capitulo septimo [9]: « In illa aeterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam, secundum quam sumus et secundum quam vel in nobis vel in corporibus vera et recta ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus ».

8. Item, libro decimoquarto de Trinitate, capitulo decimoquinto [10]: « Cum impii regulas vident, secundum quas quisque vivere debeat, ubi eas vident? Non in sua natura, cum constet, mentes eorum esse mutabiles, has vero regulas immutabiles; nec in habitu suae mentis, cum illae regulae sint institiae.

---

[1] Haec quaestio, adiecto maiore lectionum variantium numero, primum a nobis edita est in opusculo *de Humanae Cognitionis ratione anecdota quaedam*, ad Claras Aquas 1883, pag. 50 seqq., ubi in dissertatione praefixa ipsa haec sententia explicatur et plurimi auctorum loci citantur. Iterato codicum examine, paucas quasdam lectiones, sed minoris momenti, mutandas esse putavimus. Constantius nunc secuti sumus eam codicum familiam, quae constituitur codicibus A B E, cui etiam G saepe favet. — Pro *cognoscitur* C D F G H *scitur*, in qua lectione superfluum est *certitudinaliter*, cum scientia proprie dicta sit cognitio certa et evidens per causas. Cfr. Aristot., I. Poster. c. 2.

[2] Cap. 14. n. 38. Post *veritatem* textus originalis addit *verbis fortasse ut consulamus admonuit* et *id est* post *Christus*.

[3] Cap. 30. seq. n. 56. seq.: Satis apparet... naturam, quae supra rationalem animam sit, Deum esse, et ibi esse primam vitam et primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam haec etc.

[4] Cap. 14: At illa veritatis et sapientiae pulcritudo, tantum adest perseverans voluntas fruendi, nec multitudine audientium constipata secludit venientes nec peragitur... intus docet, cernentes se commutat omnes in melius, a nullo in deterius commutatur. Nullus de illa... de ceteris iudices, sine dubitatione esse potiorem.

[5] Cap. 25. n. 35. — Paulo superius pro *videamus* A *videmus*.

[6] Cap. 7: Hi vero, quos merito ceteris antepونimus, discreverunt ea quae mente conspiciuntur ab iis quae sensibus attinguntur, nec sensibus admentes quod possunt, nec eis dantes ultra quam possunt. Lumen autem mentium etc.

[7] Num. 5: Cum [animus] ita nobis placet, ut cum omni etiam luci corporeae, cum bene intelligimus, praeferamus... Inde enim approbatur factus, ubi videtur etc.

[8] Num. 10. Post *approbare* textus originalis addit *apud nosmetipsos*. — D G allegant *VI. Musicae*.

[9] Num. 12.

[10] Num. 24; sed pluribus a S. Bonav. omissis.

Digitized by Google

Ubi cernit, habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptae sunt, nisi in libro lucis illius, quae *veritas* dicitur, unde omnis lex iusta describitur »? — *Si dicas*, quod retractavit; *contra:* Augustinus, libro primo Retractationum [1]: « Credibile est, de quibusdam disciplinis vera respondere etiam imperitos earum, quando capere possunt lumen rationis aeternum, ubi haec incommutabilia vera conspicinnt, non quia prius scierunt et post obliti sunt, sicut Platoni visum est ». — Item [2]: « Natura intellectualis non solum connectitur intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebus, eo ordine facta, ut, cum se ad eas movet, quibus connexa est, vel ad se ipsam, in quantum eas videt, in tantum de eis vera respondeat ».

Ex his auctoritatibus Augustini manifeste patet, quod omnia sciuntur in rationibus aeternis.

Auctoritates aliorum.

9. Item, Ambrosius [3]: « Per me ipsum nihil video nisi vana, fluxa et caduca »: ergo si aliquid certitudinaliter video, video per aliquid, quod est supra me.

10. Item, Gregorius super illud Ioannis decimoquarto: *Ille vos docebit omnia*, dicit [4]: « Nisi idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris; nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia, nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat ».

11. Item, idem ibidem [5]: « Ecce unum loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen sensum auditae vocis omnes aequaliter perpenditis. Cum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia per hoc, quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet »? Sed si intellectus noster sufficeret sibi ad intelligendum per lumen veritatis creatae, non indigeret superno doctore: cum igitur indigeat, patet etc.

12. Item, Anselmus in Proslogio, decimoquarto capitulo: « Quanta lux est, de qua micat omne verum, quod rationali menti lucet! Quam ampla est ista veritas, in qua est omne quod verum est, et extra quam non nisi nihil et falsum est »! Ergo si verum non videtur, nisi ubi est, nullum videtur nisi in veritate aeterna.

13. Item, Origenes [6]: « Humana natura, etsi non peccasset, suis propriis viribus lucere non posset ». Sed intelligere est quoddam lucere: ergo etiam si non peccasset, propriis viribus non posset intelligere, ergo indiget superiori agente.

14. Item, super illud Psalmi [7]: *Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me, da mihi intellectum;* Glossa: « Solus Deus dat intellectum; Deus enim per se ipsum, qui *lux est*, illuminat pias mentes ».

15. Item, Isaac, tractans illud Psalmi: *In lumine tuo videbimus lumen*, dicit [8]: « Sicut de sole exit unde sol videri possit, et tamen solem non deserit quod solem ostendit; ita in Deo lux, quae exit a Deo, mentem irradiat, ut prius ipsam coruscationem, sine qua non videret, videat et in ipsa cetera videat »: ergo omnia secundum hoc videntur in luce divina.

16. Item, Philosophus, sexto Ethicorum, capitulo tertio, secundum novam translationem [9]: « Omnes suspicamur, quod scimus non contingere aliter se habere; contingentia autem aliter, cum extra speculari fiant, latent si sint, vel non. Ex necessitate ergo est scibile aeternum; ex necessitate enim entia

---

[1] Cap. 4. n. 4: Credibilius est enim, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis etiam imperitos earum, quando bene interrogantur, quia praesens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis aeternae, ubi haec etc.

[2] Libr. I. Retract. c. 8. n. 2: Fieri enim potest... ut hoc [ad interrogata respondere vera] fieri possit, quia natura intelligibilis est et connectitur... ut, cum se ad eas res movet... in tantum de his vera respondeat.

[3] Verba haec nunc non in operibus Ambrosii, sed Augustini inveniuntur, scil. in Soliloq., capitulo ultimo, e tenebris eruto a Ioan. Trombelli (ed. Migne, Patrol. Lat. tom. 47. col. 1458 C.): Per me enim non video nisi vana, fluxa et caduca, nec video nisi falsa et corporea plasmata; per me nihil sum nisi mors et abyssus tenebrosa et imperfecta.

[4] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 3. (Pro *in vacuum* F G H in *vanum*). — Verba Scripturae sunt loc. cit. v. 26.

[5] Loco in praeced. nota allegato: Ecce unum... auditis, nec tamen pariter sensum auditae vocis perciptis. Cum *ergo* etc. — Pro *aequaliter* A D E *aequanimiter* et post *loquentis* D F G H addunt *exterius*. Subinde pro *Sed si* D F G *Ergo si*.

[6] In antiquis edd. operum Origenis v. g. Parisiensis, impressa a Ioan. Parvo (circa annum 1512) tom. III, habentur novem *Homiliae in diversos*, quae in Patrol. Graeco-Latina a Migne edita attribuuntur *Scoto Erigenae* sub titulo *Homilia in Prolog. s. Evang. Ioannis* (Patrol. Lat. tom. 122. col. 283 seqq.). In dicta ed. operum Origenis textus, de quo agitur, invenitur in homilia 2. (fol. 118 H), in ed. operum Scoti Erigenae in praenotata homilia in Prolog. s. Evang. Ioannis (1, 3. col. 290 C): Physica vero horum verborum [*lux in tenebris lucet*] theoria talis est: humana natura, etsi non peccaret, suis propriis viribus lucere non posset. Non enim naturaliter lux est, sed participes lucis etc.

[7] Psalm. 118, 73. — Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum est ex August., Enarrat. in hunc loc. serm. 18. n. 4. Cfr. tom. III. pag. 895, nota 1. Respicitur I. Ioan. 1, 5.

[8] Isaac, abbas conventus Cisterciensium de Stella in dioecesi Pictaviensi, unde et cognomen *Stellensis* accepit, floruit ab an. 1147-1169 (cfr. Hist. lit. de France, XII. 678), scripsit episodium *de Anima*, in qua iuxta ed. Migne (Patrol. Lat. tom. 194. col. 1880) sic habetur: *In lumine*, inquit Propheta (Ps. 35, 10.), *tuo videbimus lumen*. Quare, sicut de sole exit, unde videri possit, nec tamen solem deserit, sed in illo manet quod de ipso exiens illum ostendit; ita manens in Deo lux, quae exit ab eo, mentem irradiat, ut primum ipsam coruscationem lucis, sine qua nihil videtur, videat et in ipsa cetera videat.

[9] Cum hac nova translatione plurimum convenit illa quae exstat in ed. oper. S. Thomae (tom. 21. pag. 199, ed. a P. Fiaccadori, Parmae 1866): Omnes enim suspicamur... latent, vel si sint, vel non sint. Ex necessitate ergo scibile, aeternum ergo. Ex necessitate enim etc. (Pro *latent* codd. D F G, qui hoc arg. inferius post n. 30. ponunt, *incertum est*). — Verba *cum extra speculari fiant* (ὅταν ἔξω τοῦ θεωρεῖν γίνηται) in ed. Firmin Didot (tom. 2. pag. 68) ita exhibentur *ea quotes a conspectu remota sunt*.

Digitized by Google

simpliciter omnia aeterna; aeterna autem ingenita et incorruptibilia »: ergo nullo modo potest esse cognitio certitudinalis, quin cadat ibi ratio aeternae veritatis. Hoc autem non est nisi in rationibus aeternis: ergo etc.

Item, hoc idem ostenditur *rationibus*, et primo rationibus sumtis ex verbis Augustini, secundo vero ex aliis rationibus. Innuit enim Augustinus in secundo libro de Libero Arbitrio[1] et de Vera Religione et de Magistro, sexto Musicae et octavo de Trinitate huiusmodi rationes.

Rationes ex Augustino.

17. Omne incommutabile est superius mutabili[2]; sed illud quo certitudinaliter cognoscitur est immutabile, quia verum necessarium: sed mens nostra est mutabilis: ergo illud quo cognoscimus est supra mentes nostras. Sed quod est supra mentes nostras non est nisi Deus et veritas aeterna: ergo illud quo est cognitio est divina veritas et ratio sempiterna.

18. Item, omne iudicabile est superius iudicabili; sed lex, qua iudicamus, est iudicabilis, mens autem nostra est iudicabilis: ergo illud quo cognoscimus et iudicamus est supra mentem nostram. Hoc autem non est nisi veritas et ratio sempiterna: ergo etc.

19. Item, omne infallibile est superius fallibili; sed lux et veritas, qua cognoscimus certitudinaliter, est infallibilis, mens autem nostra falli potest: ergo lux illa et veritas est supra mentem nostram. Sed haec est lux et veritas aeterna: ergo etc.

20. Item, omne lumen certitudinale est incoarctabile, quia universis se ostendit et exhibet cognoscibile sub eadem certitudine; lumen autem incoarctabile necessario non est lumen creatum, sed increatum, quia omne creatum est limitatum et limitum et in diversis multiplicatur: ergo hoc lumen necesse est esse increatum. Sed hoc lumine certitudinaliter cognoscimus: ergo etc.

21. Item, omne necessarium est interminabile, quia nullo modo potest nec poterit[3] aliter se habere; sed illud quo certitudinaliter scimus est verum necessarium: ergo interminabile. Sed omne tale est supra omne creatum, cum omnis creatura probetur de *non-esse* ad *esse*, et quantum est de se, sit verabilis in *non-esse*: ergo illud quo cognoscimus excedit omne verum creatum, ergo est verum increatum.

22. Item, omne creatum, quantum est de se, est comprehensibile; sed leges numerorum, figurarum et demonstrationum, cum augeantur in infinitum, secundum Philosophum[4] sunt incomprehensibiles ab intellectu humano: ergo huiusmodi leges, cum ab humano intellectu videntur, necesse est quod videantur in aliquo, quod excedit omne creatum. Huiusmodi autem non est nisi Deus et ratio sempiterna: ergo etc.

23. Item, cum impius homo cognoscit iustitiam, aut cognoscit eam per sui *praesentiam*, aut per *similitudinem acceptam ab extra*, aut per *aliquid, quod est supra*; sed non per eius *praesentiam*, cum illa non sit praesens ei; non per *speciem acceptam ab extra*, cum non habeat similitudinem abstrahibilem per sensum: ergo necesse est, quod cognoscat illam per *aliquid aliud*, quod est supra intellectum suum; pari ratione et omnia alia cognoscibilia spiritualia, quae cognoscit. Ergo si impius cognoscit in rationibus aeternis, multo fortius alii. — *Si dicas*, quod cognoscit eam per effectum; *obiicitur* contra hoc[5]: quia quod nullo modo cognoscitur, nescitur, quid ab eo efficiatur — si enim nescio, quid sit homo, nunquam scio, quid fiat ab homine — ergo si prius non habetur notitia de iustitia, nonquam scietur, quod hoc vel illud fiat ab illa. Restat ergo, quod cognoscatur in ratione aeterna. — Similiter potest argui de qualibet forma intelligibili substantiali[6], ac per hoc de omni cognitione certitudinali.

24. Item, sicut Deus est causa essendi, ita est ratio intelligendi et ordo vivendi[7]; sed Deus sic est causa essendi, quod nihil potest ab aliqua causa effici, quin ipse se ipsum et sua aeterna virtute moveat operantem: ergo nihil potest intelligi, quin ipse sua aeterna veritate immediate illustret intelligentem.

25. Item, nullum ens defectivum, quantum est de se, cognoscitur nisi per ens perfectum[8]; sed omne

---

[1] Praesertim c. 9-15. n. 25-39. — De Vera Relig. c. 30. seq. n. 54-59. — De Magistro, c. 11. seqq. n. 38. — De Musica, VI. c. 12. n. 35. seq. — De Trin. VIII. c. 3. n. 4. seq. et c. 6. n. 9.

[2] D F G *omni mutabili.*

[3] D F G H *potuit.*

[4] Libr. I. Phys. text. 35. (c. 4.) Aristot. docet, infinitum, secundum quod infinitum est, esse ignotum. Ibid. III. text. 68. (c. 7.) affirmat, *numerum* augeri posse in infinitum. Lib. de Sensu et sens. c. 4 asserit, *figuras* esse innumeras. Lib. I. Elench. c. 8. (c. 9.) insinuat, quod sicut fortasse infinitae sunt scientiae, sic et *demonstrationes*. Cfr. August., II. de Lib. Arb. c. 8. n. 20. seqq.; de Vera Relig. c. 30. n. 56; XI. de Trin. c. 8. n. 12. seqq., nec non supra q. 1.

[5] A B E addunt *Augustinus*, qui revera hoc arg. VIII. Trin. c. 6. n. 9. proponit et hanc obiectionem cum solutione sic exhibet: Ubi ergo novit, quid sit iustus, qui nondum est, atque ut sit, diligit iustum? An signa quaedam [sive effectus] per motum corporis emicant, quibus ille aut ille homo esse iustus apparet? sed unde novit, illa signa esse animi iusti, *nesciens, quod omnino sit iustus?* Novit ergo.

[6] Ita A B, pro qua lectione adduci potest Aristot., VII. (VI.) Metaph. per totum, ubi *substantiae* principatus vindicatur in scientia sive certitudinali cognitione. D E F G *intelligibili sive substantiali*, in qua lectione, si a praenotata discedat, vox *substantiali* largiore sensu sumi posset, scil. pro *essentiali* sive quidditativa forma cuiuscumque rei, etiam accidentium (abstracte acceptorum), eo quod et ipsa accidentia habeant essentiam sive quidditatem, quae est obiectum intellectus et *intelligibile* vocatur.

[7] Secundum August., VIII. de Civ. Dei, c. 4, Plato posuit, quod in Deo « inveniatur et causa subsistendi et ratio intelligendi et ordo vivendi. Quorum trium unum ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem partem intelligitur pertinere ». — De *minori* cfr. II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1.

[8] Cfr. tom. II. pag. 14, nota 4. verba Boethii.

Digitized by Google

verum creatum, quantum est de se, est tenebra et defectus: ergo nihil in intellectu cadit nisi per illud summum verum.

26. Item, nihil recte et certitudinaliter cognoscitur, nisi applicetur ad regulam, quae nullo modo potest obliquari; haec autem regula non est nisi illa [1], quae est essentialiter ipsa rectitudo, et haec non est nisi veritas et ratio aeterna: ergo nihil certitudinaliter cognoscitur, nisi applicetur ad regulam aeternam.

27. Item, cum duplex sit portio animae, *superior* et *inferior*, ratio inferior ortum habet a superiori, et non e converso; sed ratio *superior* dicitur, in quantum convertitur ad leges aeternas; *inferior* vero, in quantum versatur circa temporalia [2]: ergo per prius et naturaliter inest animae cognitio aeternalium quam temporalium: ergo impossibile est, quod aliquid ab ipsa cognoscatur certitudinaliter, nisi ab illis aeternis rationibus adiuvetur.

Hae omnes rationes praedictae ex verbis Augustini elicuntur in diversis voluminibus.

Rationes aliae.

Item, hoc idem videtur et *aliis rationibus*.

28. Cognitio eiusdem sensibilis a diversis simul et semel non potest haberi nisi per aliquod commune [3], et pari ratione cognitio eiusdem intelligibilis; sed aliquod unum verum nullo modo multiplicatum a diversis potest intelligi, sicut et cognitari: ergo necesse est, quod per aliquod unum nullo modo multiplicatum intelligatur. Sed unum in diversis nullo modo multiplicatum non potest esse nisi Deus: ergo ratio intelligendi unumquodque est ipsa veritas, quae est Deus.

29. Item, sicut affectus se habet ad bonum, ita intellectus se habet ad verum, et sicut omne bonum a summa bonitate, ita omne verum a summa veritate; sed impossibile est, quod affectus noster directe feratur in bonum, quin aliquo modo attingat summam bonitatem: ergo impossibile est, quod intellectus noster certitudinaliter cognoscat aliquod verum, quin attingat aliquo modo summam veritatem [4].

30. Item, verum non cognoscitur nisi veritate [5], et non quacumque, sed veritate nota, et illa potissimum veritate, quae est maxime nota; sed haec veritas est illa quae non potest cogitari non esse; sed talis non est veritas creata, sed increata: ergo quidquid certitudinaliter cognoscitur scitur in veritate et ratione aeterna.

31. Item, anima nata est converti super intelligibile, quod est *extra*, et super intelligibile, quod est *intra*, et super intelligibile, quod est *supra*. Conversio autem ad intelligibile, quod est *extra*, est minime simplex; ad intelligibile vero, quod est *intra*, est magis simplex; ad intelligibile, quod est *supra*, est maxime simplex, quia illud est ei magis intimum quam ipsa sibi. Sed quanto aliquid simplicius, tanto prius [6]: ergo naturaliter est prior conversio animae super ipsam veritatem sibi intimam, quam super se ipsam vel vera extrinseca: ergo impossibile est, quod aliquid cognoscat, nisi illa summa veritate praecognita.

32. Item, omne ens in potentia reducitur ad actum per aliquid actu existens in illo genere [7]; sed intellectus noster est in potentia, ut intellectus in puero: ergo ad hoc, quod fiat in actu intelligens, necesse est, quod per eum fiat, qui est actu omnia sciens. Sed hoc non est nisi aeterna sapientia: ergo etc. — *Si tu dicas*, quod ille est agens intellectus; *tunc quaero:* aut intellectus agens actu *intelligebat* illud quod iste addiscit, aut *non*; si *non:* ergo per illum non poterat fieri actu intelligens; si *sic:* ergo vel iste qui addiscit simul idem intelligit et ignorat, vel intellectus agens non est aliquid animae, sed supra animam: restat igitur, quod quidquid anima intelligens apprehendit per aliquid, quod est supra animam, apprehendat. Sed supra animam non est nisi Deus: ergo etc. — *Si dicas*, quod intellectus agens non dicitur *agens*, quia actu intelligit, sed quia intelligere facit [8]; *contra:* omne intelligens est superius et melius non intelligente: ergo si intellectus agens non est intelligens; cum non possit facere aliquid melius et superius supra se, nunquam faciet se vel alium actu intelligentem: ergo si tu actu intelligens, necesse est, quod fiat per aliquid, quod est supra se. Hoc autem non est dare aliud quam aeternam rationem et veritatem: ergo etc.

33. Item, destructis omnibus creaturis, remanente solo spiritu rationali, remanet apud eum [9] cognitio disciplinarum, utpote numerorum et figurarum; sed hoc non est propter *verum esse*, quod habeant apud ipsum, nec apud universum: ergo necesse est, quod propter *esse*, quod habent apud summum artificem.

34. Item, secundum omnes Sanctos Deus dicitur *esse* [10] *doctor omnis scientiae*; aut igitur quia *generaliter cooperatur* omni intellectui, sicut et aliis creaturis, aut quia *donum gratiae infundit*, aut

---

[1] D F G H *sed talis est regula sola*. Inferius vocibus *nisi veritas* F intercessit *ipsa*.

[2] Secundum August.; vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXIV. c. 5, et ibid. Comment. p. I. a. 2. q. 2. — Mox pro *per prius* C *principaliter*, D F G H *principaliter*, e quibus F G voci *quam* praemittunt *magis*. Inferius post *ab ipsa* C addit *ratione eiusdem inferioris*.

[3] Cfr. August., II. de Lib. Arb. c. 7. n. 15. seqq. — In fine arg. pro *Deus* A B E *Christus Deus*.

[4] De hoc arg. quoad *bonitatem* cfr. August., VIII. de Trin. c. 3. n. 4. seq., quoad *veritatem* Anselm., Dialog. de veritate, c. 10. et 13.

[5] Nam, ut ait August. 83 Qq. q. 1, omne verum a veritate verum est. Cfr. ibid. q. 23.

[6] Cfr. Aristot., XI. Metaph. c. 4. (X. c. 4.).

[7] Vide Aristot., IX. Metaph. text. 13. (VIII. c. 8.); cfr. ibid. II. text. 4. (I. brevior. c. 1.). — Mox fide F posuimus *ut intellectus* pro *intelligens*. Subinde pro *in actu intelligens* D F G H *actu sciens*.

[8] Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 4. — Inferius pro *necesse est* D F G H *oportet*.

[9] A B E hic *animam*, et inferius *ipsam* pro *ipsum*.

[10] Pro *dicitur esse* A *est*, et mox pro *omni intellectui* F G *cum intellectu*.

Digitized by Google

quia intellectus in cognoscendo *ipsum attingit*. Si quia *generaliter cooperatur*: ergo ita diceretur docere sensum, sicut intellectum; quod absurdum est. Si quia *donum gratiae infundit*: ergo omnis cognitio erit gratuita vel infusa, nulla ergo acquisita, vel innata; quod absurdissimum est. Restat ergo, quod hoc dicitur, quia intellectus noster *ad ipsum attingit* tanquam ad lumen mentium et rationem cognoscendi omne verum.

Ad oppositum.

Sed contra hoc obiicitur[1] primo *auctoritate*, deinde *ratione*; *auctoritate* sic.

Auctoritates.

1. Primae ad Timotheum ultimo[2] dicitur de Deo: *Qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Sed omne illud, quo vel in quo cognoscimus, est cognoscenti accessibile: ergo illud, quo vel in quo cognoscimus, non potest esse lux rationis vel veritatis aeternae.

2. Item, Augustinus, primo de Trinitate[3]: « Mentis humanae acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur ». Ergo si lux veritatis aeternae esset ratio cognoscendi omnia vera, nulla anima verum cognosceret nisi purgata et sancta. Sed hoc est falsum: ergo et illud, ex quo sequitur.

3. Item, nono de Trinitate[4]: « Mens ergo ipsa, sicut corporearum rerum notitiam per sensus corporis colligit, sic incorporearum per semetipsam »: ergo videtur, quod in cognoscendo non sit necesse, quod quidquid cognoscit cognoscat per rationes aeternas.

4. Item, Augustinus, duodecimo de Trinitate[5]: « Credendum est, mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente Conditore, subiecta, sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt quae in hac corporea luce circumiacent ». Ergo videtur, quod sicut ad cognoscendum sensibilia sufficit lux naturae corporeae creata, similiter ad intelligibilia sufficiat lux spiritualis creata eiusdem generis cum potentia cognitiva.

5. Item, Gregorius in Moralibus[6]: « Cum mens in contemplatione suspenditur, quidquid perfecte videt Deus non est »; sed ratio cognoscendi perfecte conspicitur in cognitione certitudinali: ergo huiusmodi ratio non est Deus nec aliquid in Deo: ergo etc.

6. Item, Dionysius, in Epistola ad Caium[7]: « Si quis Deum videns intellexit quod vidit, non ipsum vidit, sed quiddam eorum quae sunt entium et cognitorum; ipse autem est supra intellectum et substantiam stabilitus ». Ergo in cognoscendo mens nostra in praesenti vita non attingit verum increatum.

7. Item, Philosophus in tertio de Anima[8] dicit, quod « nostrum intelligere est cum continuo et tempore »; sed rationes illae aeternae omnino sunt supra tempus: ergo in intelligendo intellectus noster nullatenus ad illas rationes pertingit.

8. Item, ibidem[9] dicit: « Sicut in omni natura est aliquid, quo est omnia facere, et aliquid, quo est omnia fieri; ita et circa intellectum intelligere oportet, quod est intellectus agens et intellectus possibilis »; sed haec sufficiunt ad perfectam cognitionem: ergo non est opus adminiculo rationis aeternae.

Rationes.

9. Item, experientia docet, quod « ex multis sensibus una fit memoria, ex multis memoriis unum experimentum, ex multis experimentis unum universale, quod est principium artis et scientiae[10] », quia, amittentes unum sensum, amittimus scientiam illorum quae sunt circa illum sensum. Ergo cognitio certitudinalis in statu viae venit ab inferiori, cognitio autem in rationibus aeternis venit a superiori: ergo quandiu sumus in statu viatorum, non competit nobis cognitio per lumen aeternarum rationum.

10. Item, cognitio imaginativa non indiget lumine superiori, immo sola virtus potentiae imaginativae sufficit ad aliquid imaginandum: ergo si intellectus[11] est potentior quam imaginatio, multo fortius per se sufficiet sine superiori lumine ad aliquid certitudinaliter cognoscendum.

11. Item, certitudinalis cognitio potest esse in sensu absque certitudine rationis sempiternae: ergo si potentior est intellectus quam sensus, multo fortius absque illo lumine poterit certitudinaliter cognoscere et intelligere.

12. Item, ad integram cognitionem non plus requiritur nisi *cognoscens* et *cognoscibile* abstractum et *conversio* huius super hoc; sed hoc totum potest esse per potentiam intellectus nostri sine ratione aeterna: ergo etc.

13. Item, in quaecumque potentia aliqua libere potest, non indiget adminiculo alieno; sed « intelligimus, quando volumus[12] »: ergo ad hoc, ut aliquid

---

[1] D F G H *arguitur*, C legit *Sed contrarium ostenditur et arguitur*.

[2] Vers. 16. Pro *habitat* Vulgata *inhabitat*.

[3] Cap. 2. n. 4, ubi pro *emundetur* textus originalis *nutrita vegetetur*; cfr. tamen I. Sent. lit. Magistri, d. II. c. 1. — Inferius pro *nulla* B *nullum*.

[4] Cap. 3. n. 3.

[5] Cap. 15. n. 24, ubi textus originalis *subiuncta* pro *subiecta* et *circumadiacent* pro *circumiacent*.

[6] Libr. V. c. 36. (alias 26.) n. 66: Mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte conspicere praevalet Deus non est.

[7] Epist. I. Verba haec satis conveniunt cum versione Scoti Erigenae: Et si quis... non ipsum contemplatus est, sed quid eorum ab ipso existentium et cognitorum. Ipse autem super animum et essentiam supercollocatus.

[8] Text. 22-24. (c. 6.) hoc insinuatur; verba autem ipsa potius habentur in libro de Memoria et reminisc. c. 1: Non contingit intelligere aliquid sine continuo neque sine tempore etc.

[9] Text. 17. seq. (c. 5.).

[10] Secundum Aristot., II. Poster. c. 18. (c. 15.) et I. Metaph. c. 1. — Ratio addita *quia*, *amittentes* etc. est ex eiusdem I. Poster. c. 14. (c. 18.).

[11] G H *intellectus noster*. Idem recurrit in seq. arg.

[12] Aristot., II. de Anima, text. 60. (c. 5.). — Mox pro *ut* B E *quod*.

certitudinaliter cognoscamus, non indigemus lumine aeternarum rationum.

14. Item, eadem sunt principia essendi et cognoscendi [1]: ergo si principia essendi propria et intrinseca ipsarum creaturarum non sunt nisi creata, quidquid cognoscitur scitur per rationes creatas: non ergo per rationes et lumina sempiterna.

15. Item, unicuique cognoscibili respondet propria ratio cognoscendi ad hoc, ut de ipso habeatur cognitio certitudinalis; sed rationes illae cognoscendi non percipiuntur distincte ab aliquo intellectu viatoris: ergo nihil in illis habet proprie et determinate cognosci.

16. Item, si quidquid certitudinaliter cognoscitur cognoscitur in ratione aeterna; sed « propter quod unumquodque, et illud magis [2] » : ergo et rationes illae aeternae sunt nobis magis notae; quod manifeste falsum est, cum sint nobis maxime occultae.

17. Item, impossibile est aliquid videre in speculo, quin ipsum speculum videatur: ergo si quidquid certitudinaliter cognoscitur in illis rationibus aeternis videtur, necesse est, quod primum lumen et aeterna ratio videatur. Sed hoc est falsum et absurdum: ergo et primum.

18. Item, si rationibus illis aeternis cognoscitur quidquid certitudinaliter cognoscitur; sed rationes illae sunt aeque certae respectu contingentium, sicut respectu necessariorum, et respectu futurorum, sicut respectu praesentium: ergo ita haberemus certitudinalem cognitionem de contingentibus, sicut de necessariis, ita de futuris, sicut de praesentibus; quod falsum est: ergo et primum.

19. Item, si in rationibus aeternis cognoscimus; sed rationes aeternae sunt causae altissimae; sapientia autem est cognitio causarum altissimarum [3]: ergo quicumque aliquid certitudinaliter cognoscit est sapiens. Sed hoc est falsum: ergo etc.

20. Item, si cognitio patriae est cognitio per rationes aeternas, in quibus Beati vident quidquid vident: ergo si omnis cognitio certitudinalis esset per illas rationes aeternas, omnes certitudinaliter cognoscentes essent beati, et soli Beati certitudinaliter cognoscerent; sed hoc est falsum.

21. Item, si quidquid cognoscitur videtur in rationibus aeternis; cum speculum aeternarum rationum sit voluntarium, et quod cognoscitur in speculo voluntario cognoscitur per revelationem: ergo quidquid cognoscitur secundum hoc cognoscitur modo prophetico vel revelatione [4].

22. Item, si quidquid cognoscitur cognoscitur rationibus aeternis; aut ergo *velate*, aut *sine velamine*. Si *velate:* ergo nihil clare cognoscitur; si *sine velamine:* ergo omnes vident Deum et exemplar aeternum absque omni aenigmate. Sed hoc est falsum secundum statum viae [5]: ergo etc.

Item obiicitur contra rationes *Augustini* sic: Contra rationes Augustini.

23. Quia, si omnis veritas incommutabilis est supra animam ac per hoc aeterna et Deus; cum omnis veritas principii demonstrativi sit incommutabilis [6], omnis talis veritas esset Deus: ergo nihil sciretur nisi Deus.

24. Item, si omnis veritas incommutabilis est veritas artis aeternae, et illa non est nisi una; omnis veritas incommutabilis non esset nisi una; sed circa quodlibet ens contingit [7] reperire aliquam veritatem incommutabilem — sicut patet; haec enim est veritas incommutabilis: si Socrates currit, Socrates movetur — ergo secundum hoc omnia entia essent unum.

25. Item, si omne, quod est Deus, est adorandum latria, et omnis veritas principii incommutabilis est Deus: ergo omnis talis veritas debet adorari: ergo veritas huius propositionis: duo et tria sunt quinque, debet adorari.

26. Item, si omnis veritas incommutabilis est Deus: ergo quicumque clare videt aliquam veritatem incommutabilem clare videt Deum; sed daemones et damnati clare videnti aliquas [8] veritates incommutabiles: ergo clare videnti Deum. Sed hoc est esse beatum: ergo damnati sunt beati; sed hoc nihil absurdius: ergo absurdissimum est, quod quidquid cognoscitur cognoscitur rationibus aeternis, si certitudinaliter cognoscitur.

CONCLUSIO.

Ad certitudinalem cognitionem intellectus etiam in viatore requiritur, ut aliquo modo attingatur ratio aeterna ut ratio regulans et motiva, non tamen ut sola et in sua claritate, sed simul cum propria ratione creata et ut in speculo et aenigmate cognita.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum dicitur, quod omne, quod cognoscitur certitudinaliter, cognoscitur in luce aeternarum rationum, hoc tripliciter potest intelligi: *uno modo*, ut intelligatur, quod ad certitudinalem cogni- Modus intelligendi I.

---

[1] Aristot., II. Metaph. text. 4. (I. brevior, c. 1.): Quare ut secundum *esse* unumquodque se habet, ita etiam secundum veritatem.

[2] Aristot., I. Poster. c. 2.

[3] Vide Aristot., I. Metaph. c. 1. seq.

[4] D F G *revelatorio.*

[5] Epist. I. Cor. 13, 12: Videmus nunc per speculum in aenigmate etc.

[6] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 4. — Superius post *animam* C addit *nostram.*

[7] A B *constat.*

[8] C D F G H *multas.* Subinde voci *damnati* C praemittit *ipsi daemones et.* Finem arg. C D F G H ita exhibent: *quod quaecumque cognoscuntur certitudinaliter cognoscuntur in luce aeternarum rationum.*

tionem concurrit lucis aeternae evidentia tanquam ratio cognoscendi *tota* et *sola*. — Et haec intelligentia est minus recta, pro eo quod secundum hoc nulla esset rerum cognitio nisi in Verbo; et tunc non differret cognitio viae a cognitione patriae, nec cognitio in Verbo a cognitione in proprio genere, nec cognitio scientiae a cognitione sapientiae, nec cognitio naturae a cognitione gratiae, nec cognitio rationis a cognitione revelationis; quae omnia cum sint falsa, nullo modo est ista via tenenda. — Ex hac enim sententia, quam quidam posuerunt, nihil certitudinaliter cognosci nisi in mundo archetypo et intelligibili, sicut fuerunt Academici *primi*, natus fuit error, ut dicit Augustinus contra Academicos libro secundo[1], quod nihil omnino contingeret scire, sicut posuerunt Academici *novi*, pro eo quod ille mundus intelligibilis est occultus mentibus humanis. Et ideo, volentes primam tenere sententiam et suam positionem, incidserunt in manifestum errorem; quia « modicus error in principio magnus est in fine[2] ».

Reprobatur. Corollarium falsum.

Alio modo, ut intelligatur, quod ad cognitionem certitudinalem necessario concurrit ratio aeterna quantum ad suam *influentiam*, ita quod cognoscens in cognoscendo non ipsam rationem aeternam attingit, sed influentiam eius solum[3]. — Et hic quidem modus dicendi est insufficiens secundum verba beati Augustini, qui verbis expressis et rationibus ostendit, quod mens in certitudinali cognitione per incommutabiles et aeternas regulas habeat regulari, non tanquam per *habitum suae mentis*, sed tanquam per eas quae sunt *supra se* in veritate aeterna. Et ideo dicere, quod mens nostra in cognoscendo non extendat se ultra influentiam lucis increatae, est dicere, Augustinum deceptum fuisse, cum auctoritates ipsius exponendo non sit facile ad istum sensum trahere; et hoc valde absurdum est dicere de tanto Patre et Doctore maxime authentico inter omnes expositores sacrae Scripturae.

Modus 2. Non sufficit. Ratio 1. Notandum.

Praeterea, illa lucis influentia aut est *generalis*, quantum Deus influit in omnibus creaturis, aut est *specialis*, sicut Deus influit per gratiam. Si est *generalis*: ergo Deus non magis debet dici dator sapientiae quam fecundator terrae, nec magis ab eo diceretur esse scientia quam pecunia[4]; si *specialis*, cuiusmodi est in gratia: ergo secundum hoc omnis cognitio est infusa, et nulla est *acquisita*, vel *innata*; quae omnia sunt absurda.

Ratio 2.

Et ideo est *tertius modus* intelligendi, quasi medium tenens inter utramque viam, scilicet quod ad certitudinalem cognitionem necessario requiritur ratio aeterna ut *regulans* et *ratio motiva*, non quidem ut *sola* et *in sua* omnimoda claritate, sed cum ratione creata, et ut *ex parte*[5] a nobis contuita secundum statum viae. Modus 3. et medius.

Et hoc est quod Augustinus insinuat decimo quarto de Trinitate, capitulo decimo quinto[6]: « Commemoratur impius, ut convertatur ad Dominum tanquam ad eam lucem, qua etiam, cum ab illo averteretur, quodam modo tangebatur. Nam hinc est, quod et impii cogitant aeternitatem et multa recte reprehendunt rectaque laudant in hominum moribus ». Ubi et subdit[7], quod hoc faciunt per regulas, quae « scriptae sunt in libro lucis illius, quae *veritas* dicitur ». — Quod autem mens nostra in certitudinali cognitione aliquo modo attingat illas regulas et incommutabiles rationes, requirit necessario *nobilitas cognitionis* et *dignitas cognoscentis*[8]. Confirmatur. Duplex ratio.

Nobilitas, inquam, *cognitionis*, quia cognitio certitudinalis esse non potest, nisi sit *ex parte scibilis immutabilitas*, et *infallibilitas ex parte scientis*. Veritas autem creata non est *immutabilis simpliciter*, sed ex suppositione[9]; similiter nec lux creaturae est *omnino infallibilis* ex propria virtute, cum utraque sit creata et prodierit *de non-esse* in *esse*. Si ergo ad plenam cognitionem lit recursus ad *veritatem* omnino immutabilem et stabilem et ad *lucem* omnino infallibilem; necesse est, quod in huiusmodi cognitione recurratur ad artem supernam ut ad *lucem* et *veritatem*: *lucem*, inquam, *dantem infallibilitatem scienti*, et *veritatem dantem immutabilitatem scibili*. Unde cum res habeant *esse* in *mente* et in *proprio genere* et in *aeterna arte*, non sufficit ipsi animae ad certitudinalem scientiam veritas rerum, secundum quod *esse* habent in se[10], vel Ratio 1. Notandum. Triplex esse rerum.

---

[1] Cap. 5. seqq. n. 11. seqq. Cfr. ibid. III. c. 17. seq. n. 37. seqq. et XV. de Trin. c. 12. n. 21.

[2] Insinuatur ab Aristot. I. de Caelo et Mundo, text. 33. (c. 5.), et quasi iisdem verbis exhibetur ab Averroe in suo Commentario in hunc loc. Cfr. tom. I. pag. 572, nota 8.

[3] *Influentia* in sensu *activo* accipitur apud Scholasticos de quacunque Dei actione *transeunte*. Unde S. Thom. (S. I. q. 89. a. 1. in corp.) dicit: « In omnibus substantiis spiritualibus inveniitur virtus intellectiva *per influentiam* divini luminis », et ad 3: « Deus est auctor non solum *influentiae* gratuiti luminis, sed etiam naturalis ». S. Bonav. hoc loco non de influentia activa *in se*, sed *de effectu* eiusdem creato (habitu mentis) loqui videtur; infra autem post *Praeterea* manifeste loquitur de *cooperatione* divina ad actus creaturae. Cfr. quaest. seq. in corp. — Inferius voci *regulas* F addit *vel rationes*, et C *rectificari et dirigi*, *et* post *regulari*. Subinde pro *extendat se ultra* C *attingat aliqualiter*, G *attendat aliter*.

[4] C D F G *potentia*. Superius pro *dator* G *doctor*. Inferius pro *est infusa*, *et nulla est* C D F G *erit infusa*, *et nulla erit*.

[5] Epist. I. Cor. 13, 12: Nunc cognosco ex parte. — Ex hoc loquendi modo iam sequitur secundum principia Seraphici Doctoris, hanc intuitionem non esse immediatam, cum doceat, per immediatam visionem Deum videri totum, licet non totaliter. Cfr. II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. et III. Sent. d. 14. a. 1. q. 2. seq. — Pro *contuita* C *cognita*.

[6] Num. 21.

[7] Ibidem; cfr. supra fundam. 8.

[8] Quae sequuntur in compendium redacta, sed fere iisdem verbis, repetuntur in quodam Sermone S. Bonaventurae iam edito (ed. Vaticana, tom. III. pag. 225 et seqq.), qui est primus sermo pro Dominica XXII. post Pentecosten, quem suo loco emendatum nos publicaturos esse speramus.

[9] C *conditione sive suppositione*. Inferius D F G H omittunt *immutabilem et*.

[10] Id est *in ipsa anima* sive mente.

Digitized by Google

secundum quod *esse* habeat in proprio genere, quia utrobique sunt mutabiles, nisi aliquo modo attingat eas, in quantum sunt in arte aeterna.

Ipsum etiam requirit *dignitas* ex parte *scientis*.

Ratio 2. Cum enim spiritus rationalis habeat superiorem portionem rationis et inferiorem; sicut ad plenum iudicium rationis deliberativum in agendis non sufficit portio inferior sine superiori, sic et ad plenum rationis iudicium in speculandis [1]. Huic autem portio superior est illa, in qua est imago Dei, quae et aeternis regulis inhaereseit et per eas quidquid definit certitudinaliter iudicat et definit; et hoc competit ei, in quantum est imago Dei.

Creatura triplicitur comparatur ad Deum.

Creatura enim comparatur ad Deum in ratione *vestigii*, *imaginis* et *similitudinis*. In quantum *vestigium*, comparatur ad Deum ut *ad principium*; in quantum *imago*, comparatur ad Deum ut *ad obiectum*; sed in quantum *similitudo*, comparatur ad Deum ut *ad donum infusum*. Et ideo omnis creatura est *vestigium*, quia est a Deo; omnis est *imago*, quae cognoscit Deum; omnis et sola est *similitudo*, in qua habitat Deus [2]. Et secundum istum triplicem gradum comparationis triplex est gradus *divinae cooperationis*.

Triplex gradus divinae cooperationis.

Explicatur.

In opere, quod est a creatura per modum *vestigii*, cooperatur Deus per modum *principii creativi*; in opere vero, quod est a creatura per modum *similitudinis*, sicut est opus meritorium et Dei praeritum, cooperatur Deus per modum *doni infusi*; in opere vero, quod est a creatura per modum *imaginis*, cooperatur Deus per modum *rationis moventis* [3]; et tale est opus certitudinalis cognitionis, quod quidem non est a ratione inferiori sine superiori.

Notandum.

Quoniam igitur certitudinalis cognitio competit spiritui rationali, in quantum est *imago* Dei, ideo in hac cognitione aeternas rationes attingit. Sed quia in statu viae non est adhuc plene deiformis, ideo non attingit eas clare et plene et distincte; sed secundum quod magis vel minus ad deiformitatem accedit, secundum hoc magis vel minus eas attingit, semper tamen aliquo modo, quia nunquam potest ab eo ratio imaginis separari. Unde quia in statu *innocentiae* erat imago sine deformitate culpae, nondum tamen habens plenam deiformitatem gloriae, ideo attingebat [4] *ex parte*, sed non *in aenigmate*. In statu vero *naturae lapsae* caret deformitate et habet deformitatem, ideo attingit eas *ex parte* et *in aenigmate*. In statu vero *gloriae* caret omni deformitate et habet plenam deformitatem, ideo attingit eas plene et perspicue.

Multi gradus in modo illas rationes attingendi.

Rursus, qua non ex se *tota* est anima imago, ideo cum his attingit [5] rerum similitudines abstractas a phantasmate tanquam *proprias* et *distinctas* cognoscendi rationes, sine quibus non sufficit sibi ad cognoscendum lumen rationis aeternae, quamdiu est in statu viae, nisi forte per specialem revelationem hunc statum transcenderet, sicut in his qui rapiuntur, et in aliquorum revelationibus Prophetarum.

Requiruntur simul rationes proprias et distinctas.

Epilogus.

Concludendum est igitur, sicut rationes ostendunt et Augustini auctoritates expresse asserunt, quod in omni certitudinali cognitione rationes illae cognoscendi a cognoscente attingunturur, liret aliter a *viatore* et aliter a *comprehendente*, aliter a *sciente* et aliter a *sapiente*, aliter a *prophetante* et aliter a *communiter intelligente*, sicut iam patuit et patebit in obiectorum solutionibus.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod lucem habitat inaccessibilem; dicendum, quod loquitur de illo accessu, qui est [6] ad illam lucem in suae claritatis plenitudine et fulgore, quo modo non accedunt ad ipsam per potentiam creaturae, sed per deformitatem gloriae.

2. Ad illud quod obiicitur, quod mentis humanae acies invalida in tam excellenti luce non figitur etc.; dicendum, quod ad hoc, quod cognoscat per aeternas rationes, non oportet, quod in illis figatur, nisi in quantum cognoscit *sapientialiter*. Aliter enim attingit illas rationes *sapiens*, et aliter *sciens*: sciens attingit illas ut *moventes*, sapiens vero ut *quietantes*; et ad hanc sapientiam nemo pervenit, «nisi primo per fidei institiam emundetur [7]».

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod meos incorporearum rerum per se ipsam habet notitiam; dicendum, quod sicut in operibus creaturae non excludit cooperatio Creatoris, sic in ratione cognoscendi creata non excludit ratio cognoscendi increata, sed potius includitur in eadem [8].

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod videt in luce sui generis; dici potest, quod large dicitur *lux sui generis* omnis lux incorporea, sive creata sive increata; vel si intelligatur de luce creata, per hoc non excluditur lux increata; nec sequitur, quod non cognoscamus in veritate aeterna, sed quod non in illa sola, verum etiam in lumine veritatis creatae; et hoc quidem verum est nec obviat positioni praedictae [9].

---

[1] Id est, quando cognoscit prima principia et universalia. — C addit *non sufficit se ipsa superior, nisi aspiciat illas superiores leges.*

[2] Vide I. Sent. d. 3. p. I. q. 2. in fine et Breviloq. p. II. c. 12.

[3] Ita C (cfr. q. seq.), ceteri codd. *movendi*. Inferius pro *et plene*, quod A B E omittunt, D H *et plenarie*, et pro *ad deiformitatem accedit* A B E *et cum deformitatem attingit vel accedit.*

[4] G supplet *eas*. C D F G H omittunt *plenam*. — Cfr. de his II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3.

[5] F addit *etiam*.

[6] Solus C habet *qui est*, et inferius *naturae* pro *creaturae*.

[7] Ut dicit August. in ipsa obiectione allegatus; cfr. I. Sent. d. 2. dub. 2. — Superius pro *in illis* A B *in illa*.

[8] C *sed potius in eadem supponitur.*

[9] C legit: *sed quod non in illa solum; mens enim in utraque luce intelligit. Et si obiicitur, quod oculo carnis sufficit lux sui generis corporea: ergo multo fortius menti sufficiet lux sui generis creata, cum mens sit potentior; dicendum,*

Digitized by Google

5. 6. Ad illud quod obiicitur de Gregorio et Dionysio, dicendum, quod uterque negat, quia illud lumen verum, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*[1], a nostris mentibus attingatur, sed quod in hac vita nondum plene videtur.

7. 8. 9. Ad illud quod obiicitur de Philosopho, quod intelligimus cum continuo et tempore, et quod habemus intellectum possibilem et agentem, et de experientia cognitionis humanae: dicendum, quod hoc ponit[2], ad nostram intelligentiam concurrere lumen et rationem veritatis creatae; sed tamen, ut in praecedentibus dictum est, non excluditur lux et ratio veritatis aeternae, quia possibile est, quod anima secundum inferiorem portionem attingat quae sunt infra, superiori mitioremque portione attingendo quae sunt supra. Notandum.

10. Ad illud quod obiicitur de cognitione imaginativa[3], dicendum, quod non est simile, quia illa non habet certitudinem, et ideo non recurrit ad immutabile.

11. Ad illud quod obiicitur de sensu, dicendum, quod non est simile de certitudine sensus et intellectus. Certitudo enim sensus venit ex alligatione potentiae operantis per modum naturae circa aliquod determinatae. Certitudo autem intellectus non potest venire ex hac parte, cum sit potentia libera ad intelligendum omnia[4]; et ideo oportet, quod veniat per aliquid non habens alligationem, sed libertatem sine defectibilitate mutabilitatis et fallibilitatis; et talis est lux et ratio sempiternae veritatis: et ideo ad illam recurritur sicut ad fontem omnis certitudinis. De certitudine.

12. Ad illud quod obiicitur, quod ad cognitionem nihil plus requiritur nisi cognoscens et cognoscibile et conversio huius super hoc; dicendum, quod haec conversio includit iudicium; iudicium autem certum non fit nisi per legem certam et immutabilem, secundum quod dicit Augustinus in libro de Vera Religione et in libro de Libero Arbitrio[5], quod «nullus de veritate iudicat, et sine veritate nullus bene iudicat»; et ideo hic includitur ratio et veritas aeterna.

13. Ad illud quod obiicitur, quod intelligimus, quando volumus, ergo non egemus adminiculo alicuio; dicendum, quod adminiculum alienum est duplex: Adminiculum duplex.

quoddam, quod semper est praesto, quoddam quod est absens et distans. Ratio illa non concludit de primo adminiculo, sed de secundo, sicut patet: quia, si lux corporalis semper esset praesens in oculo, sicut lux spiritualis est semper praesens in mente; valeremus, quando vellemus, sicut intelligimus, quando volumus.

14. Ad illud quod obiicitur, quod eadem sunt principia *essendi* et *cognoscendi*; dicendum, quod sicut principia *essendi* intrinseca non sufficiunt sine illo primo principio extra, quod est Deus, ad *esse*, sic nec ad *plenam cognoscere*[6]. Unde licet illa principia sint aliquo modo ratio cognoscendi, non propter hoc excludunt illam rationem cognoscendi primam a nostra cognitione, sicut nec excludunt in actu essendi a creatione. Notandum.

15. Ad illud quod obiicitur, quod unicuique cognoscibili respondet propria ratio cognoscendi; dicendum, quod quia non omnino distincte[7] videmus illas rationes in se, ideo non sunt tota ratio cognoscendi; sed requiritur cum illo lumen creatum principiorum et similitudines rerum cognitarum, ex quibus propria ratio cognoscendi habetur respectu cuiuslibet cogniti. Notandum.

16. Ad illud quod obiicitur, quod «propter quod unumquodque, et illud magis»; dicendum, quod, sicut eum patet, ratio aeterna *non sola* movet ad cognoscendum, sed cum veritate principiorum, *non speciaiiter* de *se*, sed *generaliter* in statu viae; et ideo non sequitur, quod ipsa sit nobis nota secundum se, sed prout relucet in suis[8] principiis et in sua generalitate; et sic quodam modo est nobis certissima, quia intellectus noster nullo modo potest cogitare, ipsam non esse; quod quidem non potest dici de aliqua veritate creata. Notandum.

17. Ad illud quod obiicitur de speculo, dicendum, quod illud verum est de speculo, quod habet rationem repraesentandi *proprie* et *distincte*, et quod cum ratione repraesentandi habet *rationem terminandi*; sicut patet in isto speculo materiali, quod speciem visibilem distincte et proprie repraesentat et terminat visum. Hae autem conditiones competunt speculo aeterno respectu *comprehensorum*, sicut patet ex his quae dicta sunt prius[9]. De speculo duplici.

---

quod non, quia mens est imago veritatis increatae, et ideo est ei aliquo modo proportionalis et nata illam imitari. Sensus autem hanc lucem non requirit tanquam sibi improportionalem propter suam ignobilitatem. Cfr. infra ad 11.

[1] Ioan. 1, 9.

[2] E *quod haec ponunt.*

[3] D E G *imaginaria.* Inferius pro *non recurrit* C *non respecit.*

[4] Cfr. Aristot., IX. Metaph. text. 3. et 10. (VIII. c. 2. et 5.); III. de Anima, text. 3. sequ. (c. 4.). — Inferius pro *defectibilitate* C D E G *deformitate.*

[5] Vide supra fundam. 2. et 3. — Superius verbis *quod conversio* cum G interseruimus *haec.*

[6] D E G H *scire.*

[7] F omnino *distincte*, qui enim subinde pro *tota* ponit *sufficiens.*

[8] Dicitur *suis*, quatenus principia intellectus immutabilia «radicantur in hac aeterna et ducunt in eam» (Hexaem. Serm. 2.).

[9] Concordat omnino S. Thom., S. I, q. 84. a. 5: «Aliquid in aliquo dicitur cognosci dupliciter. Uno modo sicut in obiecto cognito, *sicut aliquis videt in speculo* ea quorum imagines in speculo resultant; et hoc modo anima in statu praesentis vitae non potest videre omnia in rationibus aeternis; sed sic in rationibus aeternis cognoscunt omnia Beati, qui Deum vident et omnia in Ipso». — Quomodo se habeat cognitio per *speculum* ad alios duos cognoscendi modos, scil. per praesentiam *essentiae* rei cognitae et per praesentiam suae *similitudinis*,

BIBLIOTHECA ANGELICA

Digitized by Google

18. Ad illud quod obicitur, quod illae rationes sunt aeque certae respectu contingentium, sicut respectu necessariorum; dicendum, quod illa ratio bene concluderet, si rationes illae essent *tota ratio* cognoscendi, et si in illis videretur plenarie; nunc autem non est sic secundum statum praesentis temporis, quia cum illis indigemus similitudinibus propriis et rerum principiis determinate acceptis, quae quidem non reperiuntur in contingentibus, sed solum in necessariis [1].

19. Ad illud quod obicitur, quodsi in illis rationibus cognoscimus, quod omnis cognoscens est sapiens; dicendum, quod non sequitur, quia attingere rationes illas non facit sapientem, nisi quis in eis quiescat et sciat, se illas attingere, quod quidem spectat ad sapientem. Huiusmodi enim rationes attinguntur ab intellectibus *scientium* ut *ductivae*, sed ab intellectibus *sapientium* ut *reductivae* et quietativae. Et quia pauci sunt, qui isto modo illas attingant, ideo pauci sunt *sapientes*, licet multi *scientes*; pauci quidem sunt, qui illas rationes sciant se attingere; immo quod plus est, pauci sunt, qui velint hoc credere, quia difficile videtur intellectui ad aeterna contemplanda nondum elevato, quod ita habeat Deum praesentem et propinquum, cum tamen dicat Paulus Artnum decimo septimo [2], *quod non longe est ab unoquoque nostrum*.

Notandum. Pauci sapientes.

20. Ad illud quod obicitur de cognitione patriae, iam patet responsio, quia magna est differentia inter cognitionem, quae est *ex parte* et *in aenigmate*, ad eam, quae est *perfecte* [3] et *distincte*, ut supra tactum est.

21. Ad illud quod obicitur, quod speculum aeternarum rationum est voluntarium etc.; dicendum, quod, sicut dicit Apostolus ad Romanos primo [4], *quod notum est Dei manifestum est in illis:* licet Deus sit simplex et uniformis, tamen lux illa aeterna et exemplar illud quaeadam repraesentat quasi *exterius* et *aperte*, quaedam vero magis *profunde* et *occulte*. Prima sunt, quae fiunt secundum necessariam ordinationem artis divinae; secunda vero sunt, quae fiunt secundum dispositionem voluntatis occultae. Et quod dicitur speculum *voluntarium*, hoc non est respectu exemplatorum primo modo, sed secundo; et ideo in rationibus aeternis naturalia cognoscuntur naturali indicatorio rationis [5], supernaturalia vero et futura non nisi dono revelationis supernae; et ideo illa ratio non repugnat positioni praemissae.

De diuno speculo duplicitur repraesentante

22. Ad illud quod obicitur, quod quidquid cognoscitur in illis, aut *cum* velamine, aut *sine* velamine; dicendum, quod in statu viae non cognoscitur in rationibus illis aeternis *sine velamine et aenigmate* propter divinae imaginis obscurationem [6]. Ex hoc tamen non sequitur, quod nihil certitudinaliter cognoscatur et clare, pro eo quod principia creata, quae aliquo modo sunt media cognoscendi, licet non sine illis rationibus, possunt perspicue et sine velamine a nostra mente videri. — Si tamen diceretur, quod nihil in hac vita scitur *plenarie*, non esset magnum inconveniens.

Notandum. Alter.

23. 24. 25. 26. Ad illud quod obicitur contra rationes Augustini, quodsi veritas incommutabilis est Deus, quod tunc veritas principii demonstrativi esset Deus, et quod omnes veritates essent unum, et quod deberent adorari, et quod daemones viderent Deum; ad haec omnia dicendum, quod veritas incommutabilis dicitur dupliciter, scilicet *simpliciter* et *ex suppositione*. Cum autem dicitur, quod veritas incommutabilis est supra mentem et Deus, hoc intelligitur de veritate, quae est incommutabilis *simpliciter*. Cum autem dicitur de veritate principii demonstrativi, quod est incommutabilis; si veritas illa nominat quid creatum, constat, quod non est incommutabilis *simpliciter*, sed *ex suppositione*, quia omnis creatura incipit a *non-esse* et est vertibilis in *non-esse*. — Et *si obiciatur*, quod illa veritas est simpliciter certa ipsi animae per se ipsam; dicendum, quod licet principium demonstrativum, secundum quod dicit quid *complexum*, sit creatum; veritas tamen significata per illud potest significari vel secundum quod est in *materia*, vel secundum quod est in *unium*, vel secundum quod est in *arte divina*, vel certe *omnibus* his modis simul. Veritas enim in signo exteriori signum est veritatis, quae est *apud animam*, quia « voces sunt notae earum passionum, quae sunt in anima [7] »; anima autem secundum suum supremum habet respectum ad superiora, sicut secundum suum infimum ad haec inferiora, cum sit medium inter res creatas et Deum; et ideo veritas in anima habet respectum ad illam duplicem veritatem, sicut medium ad duo extrema, ita quod ab inferiori recipit certitudinem *secundum quid*, a superiori vero recipit certitudinem *simpliciter*. Et ideo huiusmodi

Rationes Augustini defendunt. Distinctio. Modi 4 significandi. Notandum. Duplex certitudo.

---

explicatur a S. Thoma S. I. q. 56. a. 3. Ites illustratur exemplo, quod affert Fr. Eustachius, discipulus S. Bonaventurae (De Illum. Cognitionis ratione pag. 186. 187): Per istas regulas vel irradiationes mentis directivas iudicat mens de omnibus, et tamen non videt illam veritatem increatam, cuius sunt expressae similitudines; sicut video faciem hominis in speculo, quam non video immediate praesentem, qua est retro me, sic istas regulas mens novit in se ipsa et cetera novit per ipsas, nec tamen Deum videt immediate etc. — Verbus *competunt speculo* C D F G H interserunt *ipsa*.

[1] Vide Aristot., I. Poster. c. 6. seqq. et 24. (c. 30. seqq.). — E F *quod quidem non reperitur in... necessariis.*

[2] Vers. 27.

[3] Ita A B E, alii *plenarie*.

[4] Vers. 19. — Inferius pro *dispositionem*, quod praebent A B E, alii *dispensationem*.

[5] Cfr. tom. II. pag. 401, nota 2.

[6] Vide II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3.

[7] Aristot., I. Periherm. c. 1.

veritas ut incommutabilis *simpliciter* supra animam est, secundum quod[1] ostendunt rationes Augustini. Rationes vero ad oppositum procedunt de veritate incommutabili *ex suppositione*, quam proprie considerat demonstrator, quae multiplicatur in diversis et non est adorabilis, et contribilis est a daemonibus et damnatis. Nam illa veritas simpliciter incommutabilis perspicue videri non potest, nisi ab illis qui intrare possunt ad intimum silentium mentis, ad quod nullus peccator pervenit, sed ille solus, qui est summus amator aeternitatis. Notandum.

QUAESTIO V.

Utrum anima Christi fuerit sapiens tantum sapientia increata, an etiam sapientia creata cum increata.

Postquam habitum est de sapientia Christi secundum quod Verbum, quaeritur de sapientia animae Christi. Et primo quaeritur, utrum anima Christi fuerit sapiens sapientia increata tantum, an etiam sapientia creata cum increata. Et quod sapiens fuerit sapientia *increata tantum*, videtur.

1. Ecclesiastici primo[2]: *Omnis sapientia a Domino Deo est et cum illo fuit semper et est ante aevum;* sed omne, quod est ante aevum, est aeternum: ergo omnis sapientia est aeterna: ergo si anima Christi non est sapiens nisi aliqua sapientia, non est sapiens nisi sapientia aeterna. — *Si dicas*, quod sapientia dicitur fuisse cum Deo sicut in causa: pari ratione potest dici de qualibet creatura, et hoc non multum reddit laudabilem sapientiam ipsam. — *Si dicas*, quod *omnis* sapientia, id est *perfecta* sapientia: cum hoc non concordat sequens littera[3], qua loquitur de illa sapientia, ad quam acquirendam invitat, sicut ex consequentibus manifeste colligitur. Ad oppositum.

2. Item, Augustinus, secundo de Libero Arbitrio[4]: « Veritate atque sapientia, quae communis est omnibus, omnes sapientes fiunt inhaerendo illi; beatitudine autem alterius non fit alter beatus, nec iustitia alterius fit alter iustus, sed eorundem omnium illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum, quae incommutabiliter vivunt in ipsa veritate sapientiaque communi ». Si ergo una est sapientia omnium sapientium, et non est una beatitudo omnium beatorum; cum, ratiunaliter loquendo, utrobique sit reperire mutabilem, necesse est ponere, quod formaliter et proprie una sit sapientia, qua omnes sunt sapientes; et haec non potest esse sapientia creata: ergo si anima Christi est sapiens, est sapiens sapientia increata.

3. Item, Augustinus, libro Octoginta trium Quaestionum, quaestione de modis habendi[5]: « Sapientia, cum accedit hominem, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit »; sed si sapientia diceret habitum creatum, tunc utique mutaretur, quia introduceretur de *non-esse* in *esse*; ergo dicit solum quod increatum: ergo idem quod prius.

4. Item, Hugo, in tractatu de Sapientia animae Christi[6]: « Una est sapientia, qua omnes sapiunt, nec tamen uno modo sapiunt; multo magis sapiunt hac sapientia illa anima, quae ipsi sapientiae unita fuit, quae non sorte participationis ex illa vigent, sed privilegio unitatis plenitudinem possedit »: ergo si plenitudo sapientiae non est nisi sapientia increata, videtur etc.

5. Item, Hugo arguit sic[7]: Si sapientia est accidens; cum sapientia sit ad quo sapientes fiunt beati, beatitudo nostra in accidente consistet: sed accidentia mutabilia sunt: ergo et beatitudo nostra erit maxime mutabilis.

6. Item, quod dat aliquid alicui aliquo modo illud habet[8]; sed sapientia dat sapere sapienti: ergo sapientia sapit. Sed si sapit, non alio quam se ipsa sapit: ergo omnis sapientia, qua sapiens sapit, est

---

[1] Pro *secundum quod* A B E *sicut*. Inferius pro *contribilis*, quod habent A B E, alii *commutabilis*, ubi E prosequitur *et daemonibus et damnatis communis. Nam* etc., G vero *et in omnibus damnatis. Nam* etc. — Doctrinam hanc de suprema humanae cognitionis ratione ad divinam veritatem reducenda in schedis notae S. Bonaventurae satis communem fuisse, eamque reputatam esse sinceram S. Augustini sententiam, multis testimoniis probatur, quae in opusculo supra pag. 17, nota 1, citato, praesertim in dissertatione praemissa exhibentur. Hoc confirmatur quadam epistola Fr. Iohannis Pecham O. Min., archiepiscopi Cantuariensis, scripta 1. Ian. 1285, quam cl. P. Ehrle S. I. iterum publicavit in periodico *Zeitschrift für katholische Theologie*, Innsbruck, 1889 fasc. I, pag. 186. Ibi enim auctor conqueritur, quod quadam novella doctrina, citra viginti annos introducta, oppugnetur « quidquid docet Augustinus de regulis aeternis et hac incommutabili, de potentiis animae, de rationibus seminalibus, indutis materiae et consimilibus innumeris » etc.

[2] Vers. 1. — Cfr. III. Sent. d. 14. a. 1. q. 1. et a. 3. q. 1, ubi eadem quaestio solvitur.

[3] Vers. 10. sequ. — Paulo superius pro *reddit laudabilem* H *redderet laudabilem*.

[4] Cap. 19. n. 52. Textus originalis verbis *sapientes fiunt* inserit *et beati*, post *alter beatus* addit plura et circa finem pro *incommutabiliter* ponit *incorruptibiliter*.

[5] Quaest. 74. a. 1: sapientia, cum accidit homini etc.

[6] Circa medium. Textus originalis post *uno modo sapiunt* addit *quia participando sapiunt. Omnes omnes hac sapentia sapiunt quicumque sapiunt*, et subinde pro *sapuit* substituit *sapit*, quod etiam F exhibet.

[7] Loc. cit., ubi etiam plura sequ. argg. insinuantur.

[8] Nihil dat quod non habet; cfr. Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 22.). — Pro *quod dat* H F G *qui dat*. Inferius pro *non alio quam* F *non ergo nisi*.

Digitized by Google

sapientia, quae se ipsa sapit. Sed talis sapientia non est nisi sapientia increata: ergo si anima Christi est sapiens tali sapientia, manifestum est etc.

7. Item, perfectio nobilior est perfectibili, et sapiens nobilius non sapiente, et intelligens non intelligente: ergo cum sapientia sit perfectio sapientis, et sapientia sapiens sapiat et intelligat; necesse est ergo, sapientiam sapere et intelligere. Sed non potest sapere nisi se ipsa, et talis est sapientia increata: ergo etc.

His rationibus et auctoritatibus ostenditur, quod anima Christi sit sapiens solum sapientia *increata*, et non solum ipsa, sed etiam quaelibet alia, quae habet sapientiam.

De anima Christi specialiter.

Sed *specialius* de anima Christi ostenditur sic.

8. Sapientia facit eum cui inest sapientem; sed sapientia increata inest animae Christi: ergo sapientia increata anima Christi fit sapiens. — *Si dicas*, quod non inest nisi mediante sapientia creata, quae disponat ipsam animam ad unionem; *contra:* dispositio intermedia est prior et immediatior et essentialior, quam illud, ad quod disponitur, quia tenet rationem medii introductivi; sed anima Christi prius et immediatius et essentialius comparatur ad hypostasim quam ad aliquod accidens, quod est in ipsa: ergo si Verbum aeternum et sapientia Dei est hypostasis et persona respectu divinae naturae et humanae, priorem et immediatiorem et essentialiorem comparationem habet anima Christi ad sapientiam increatam quam ad creatam: ergo etc.

9. Item, quanto sapientia maior est, tanto magis est cognoscibilis et facienS cognoscere; sed sapientia creata minor est quam sapientia increata et facit animam, cui praesens est, esse cognoscentem: ergo multo fortius sapientia increata. Sed talis sapientia erat animae Christi praesentissima: ergo etc.

10. Item, nihil plus requiritur ad cognitionem nisi sciens et scibile et ratio cognoscendi praesens; sed hoc totum erat in illa anima, in quantum erat Verbo aeterno unita: ergo sapiens erat sapientia increata, omni sapientia[1] creata circumscripta.

11. Item, «sicut anima est vita corporis, ita Deus est vita animae[2]», et multo excellentius; sed anima se ipsa potest vivificare corpus: ergo multo fortius ipse Deus se ipso vivificabit animam, et maxime illam, cui maxime est unitus; sed talis erat anima Christi: ergo etc.

12. Item, si Deus cognosceret per aliud a se, vilesceret eius cognitio, quia aut ratio cognoscendi esset nobilior, aut minus nobilis; quocumque autem horum dato, esset vilificata divina cognitio: ergo si anima Christi cognoscit per aliud a se creatum, vilificatur eius cognitio; quia illud aut est minus nobile, et sic perficitur ab ignobiliori; aut est magis nobile, et tunc anima Christi non est nobilissima omnium creaturarum: si ergo nobilissima est in fine totius nobilitatis creatae[3], impossibile est, quod cognoscat aliquid nisi per se, vel per sapientiam increatam.

13. Item, quanto aliquis intellectus immediatius accedit ad fontem sapientiae, tanto sapientior est; sed anima Christi est sapientissima: ergo immediatissime accedit ad sapientiam increatam: ergo omni alia sapientia circumscripta, est sapiens illa aeterna sapientia.

14. Item, anima Christi sic est unita aeternae maiestati, quod eodem honore est honoranda, quo honoratur aeterna maiestas[4]; ergo pari ratione sic est unita aeternae luci, quod eadem sapientia sapit, qua lux sempiterna; sed haec est sapientia increata tantum: ergo anima Christi est sapiens tantum sapientia increata.

15. Item, ubi est plenitudo sapientiae, superfluum est ponere quod est ex parte; sed in Christo est plenitudo sapientiae, *quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*, ad Colossenses primo[5]: ergo si omnis sapientia creata est ex parte, superfluum est ponere in Christo vel eius anima sapientiam creatam.

16. Item, natura non facit per plura quod potest facere per pauciora[6], et hoc spectat ad laudem naturae creatae: ergo si quidquid laudis attribuitur naturae creatae potest attribui naturae increatae; cum sapientia increata sit per se sufficientissima, qua ex omni parte completa et plena; ergo videtur, quod sapientia creata in Christo sit superflua. Sed nihil tale ponendum est in Christo: ergo etc.

17. Item, quandocumque[7] lumina materialia concurrunt ad idem medium, ita quod unum excedit reliquum, nunc offuscat aliud, non propter repugnantiam, sed propter superexcellentiam: ergo si multo plus superexcellit sapientia increata creatam, quam aliquod lumen materiale excedat reliquum quantumcumque modicum, sapientia increata offuscabit aliam. Sed non est ponere in Christo aliquam sapientiam offuscatam: ergo etc.

18. Item, plus distat cognitio creata ab increata, quam opinio a scientia, vel fides a visione aperta; sed in eodem non potest simul esse opinio et scientia, nec fides et visio aperta[8]: ergo nec sapientia creata cum increata.

---

[1] F *omni scientia sua sapientia.*

[2] Ut docet August. locis tom. II. pag. 643, nota 5. allatis.

[3] Vide eiusdem August. addictam III. Sent. d. 12. a. 2. q. 1. fundam. 1.

[4] Scil. honore latriae, cfr. III. Sent. d. 9. a. 1. q. 1.

[5] Vers. 19. — I. Cor. 13, 9: Ex parte enim cognoscimus etc. — Superius post *Item* F legit *ubicumque est posuere plenitudinem sapientiae* etc.; pro *in Christo* H *in anima Christi.*

[6] Vide tom. III. pag. 277, nota 4. locus ex Aristot. allegatus.

[7] F *licet* addit *diversa.*

[8] Cfr. I. Cor. 13, 9. sqq. et Aristot., I. Poster. c. 26. (c. 33.). — Superius voci *cognitio* B praemittit *sapientia.*

Digitized by Google

SED CONTRA: 1. *Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines*[1]; sed hoc non poterat esse per sapientiam increatam: ergo praeter illam habebat sapientiam creatam. Fundamenta

2. Item, Damascenus[2] dicit, quod in Christo propter duas naturas necesse est ponere, in eo duas fuisse voluntates: ergo pari ratione et duas cognitiones, ergo et duas scientias, ergo et duas sapientias.

3. Item, nullus est bonus nisi bonitate informante, ergo nullus est sapiens nisi sapientia informante; sed sapientia increata nullius creaturae potest esse informativa, sed tantum exemplativa: ergo si anima Christi est sapiens aliqua sapientia informante ipsam; necesse est, quod praeter sapientiam increatam habeat etiam creatam informantem ipsam.

4. Item, sapientia accidit sapienti creato, qui non est sapiens se ipso: sed sapientia increata, cum sit Deus, nulli potest accidere: ergo necesse est, quod praeter illam sapientiam ponatur in anima Christi sapientia aliqua creata, cum ea[3] non sit essentialis, sed accidat sapientia.

5. Item, est perfectio *esse* et *bene esse;* sed Deus nullius creaturae est forma perfectiva quantum ad *esse:* ergo nec quantum ad *bene esse.* Sed sapientia est forma perfectiva ipsius animae Christi sapientis quantum ad *bene esse*: ergo humanaeh sapientia non potest esse sapientia increata[4]: ergo etc.

6. Item, anima Christi non est sapiens per essentiam, cum sit sapiens per aliud a se: ergo si est sapiens, est sapiens per participationem: sed non capit partem aeternae sapientiae secundum essentiam, cum sit simplex: ergo necesse est, quod capiat secundum influentiam. Sed talis influentia est creata: ergo necesse est, quod anima Christi sit sapiens per sapientiam creatam.

7. Item, anima Christi est de natura aliarum animarum; sed nulla anima plene attingit ad fontem sapientiae aeternae, nisi sit deiformis: sed deiformis non potest esse nisi per aliquid sibi datum, quod eam informet et conformet Deo; tale autem est gratia et sapientia creata: ergo necesse est, quod anima Christi sit sapiens per sapientiam creatam.

8. Item, Deus, cum sit lux et sapientia, diversimode cognoscitur a diversis, et ab anima Christi excellentius quam ab aliis: aut ergo hoc est ratione ipsius *Dei cogniti*, aut ratione *potentiae cognoscentis*, aut ratione *alicuius disponentis*[5]. Non ratione ipsius *Dei*, cum ipse in se nullam habeat varietatem; nec ratione *potentiae cognoscentis* solum, quia tunc qui meliora haberent naturalia sapientiores et meliores essent; quod est falsum: ergo hoc erit ratione alicuius habitus *intermedii disponentis.* Sed talis habitus non est nisi sapientia creata: ergo etc.

9. Item, sapientia Dei increata per sui essentiam est omnibus intellectibus praesentissima: ergo si sola sui praesentia fuerit sapientes, quilibet intellectus esset sapiens; quod si manifeste falsum est, ergo ultra praesentiam ipsius necessario requiritur ipsius influentia. Ergo si anima Christi est sapiens, patet etc.

10. Item, Verbum Dei, quod est sapientia, est unitum uni, et tamen unitus non est sapiens: ergo ad hoc, quod anima sit sapiens, non sufficit ei unio in hypostasi: ergo necesse est, quod uniatur sicut cognoscens cognoscibili. Omnis autem talis unio est per assimilationem[6]; sed omnis assimilatio est secundum aliquam qualitatem: ergo necesse est, quod ipsi animae detur qualitas spiritualis creata, per quam sit ad cognoscendum idonea. Hanc autem vocamus sapientiam creatam: ergo etc.

CONCLUSIO.

Anima Christi, cum sit creatura, sapiens fuit utraque sapientia, creata scilicet et increata.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod, sicut ex quaestione praecedenti apparet, ad *certitudinalem cognitionem* non sufficit lucis aeternae influentia sine sui praesentia[7], pro eo quod nihil creatum potest animam perfecta certitudine stabilire, quousque pertingat ad veritatem immutabilem et indeficiibilem lucem. Sic est intelligendum, quod ad *sapientialem cognitionem* non sufficit illius lucis aeternae praesentia sine sui influentia, non propter defectum ex parte sui, sed propter defectum ex parte nostri, pro eo quod intelligentia creata non pertingit ad illam fontalem sapientiam, nisi sit deiformis effecta, ac per hoc *elevata* et *habilitata: elevata* supra se, et *habilitata* in se. Ideo necessarium est, quod detur aliquid ei venens desuper[8], quod tamen sit proportionale et ei inhaerens; hanc autem vocamus lucis aeternae influentiam; et quia animam ad sapientiam habilitat, vocatur *sapientia creata.* Quia tamen ipsa influentia non habilitat nec elevat, nisi continuetur cum luce aeterna tanquam cum *principio movente* et *ratione dirigente* et *fine quietante;* ideo non sortitur rationem

De sapientiale cognitione.

Quid sit sapientia creata.

Notandum.

---

[1] Luc. 2, 52.

[2] Libr. III. de Fide orthod. c. 13. seq. Cfr. III. Sent. d. 17. a. 1. q. 1.

[3] Pro *cum ei* F *quae;* idem F cum A pro *accidit* substituit *accidentalis.*

[4] D F H addunt *et est creata vel increata.*

[5] D F H *alicuius gratiae disponentis.*

[6] Cfr. supra pag. 7, nota 1. et 2. Aristot., VI. Ethic. c. 1: Si quidem ex similitudine quadam atque affinitate cognitio existit ipsis (potentiis animae).

[7] G addit *non propter defectum ex parte sui, sed propter defectum ex parte nostri.*

[8] Iac. 1, 17: Omne datum optimum... desursum est, descendens a Patre luminum etc. — Inferius pro *ad sapientiam* D F H *ad sapientiam.*

Digitized by Google

sapientiae ex se, sed ratione eius a quo fluit, secundum quod dirigit et ad quod ducit; et haec est *sapientia increata*. — Et ideo secundum illos sapientes, quibus datum est supra se ipsos ascendere, nomen *sapientiae* principaliter et *proprie* attribuitur soli sapientiae fontali et increatae[1]; sed secundum *communiter* loquendo et intelligendo non solum ei attribuitur, sed etiam suae *influentiae*, quae est habilitativa mentis humanae ad perfectam cognitionem. Et secundum hoc concedendum est, quod anima Christi, cum sit creatura, sapiens fuerit *utraque sapientia*, *creata* scilicet et *increata*: *increata* sicut principaliter *movente* et *regulante* et *quietante*; *creata* vero sicut *informante*, *habilitante* et *elevante*, ut ad illam increatam possit plene pertingere.

Sapientia increata. Corollarium. Conclusio.

Et quod *utraque* simul concurrat, patet per illud quod dicit Augustinus nono de Trinitate, capitulo septimo[2]: « In illa aeterna Veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam, secundum quam sumus et secundum quam vel in nobis vel in corporibus vera et recta ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus, atque inde concepta rerum veracem notitiam tanquam verbum apud nos habemus, et dicendo intus gignimus, nec a nobis nascendo discedit ». Ex quo apparet, quod ad sapientiam concurrit aeterna veritas et concepta apud nos veritatis notitia, quae quidem est ipsius animae nostrae informativa[3].

Confirmatur

1. Ad illud quod primo obiicitur, quod omnis sapientia a Domino Deo est; dicendum, quod *sapientia* ibi non accipitur pro *habitu*, quo informatur anima sapientis, et quo habilitatur ad cognoscendum, sed pro *ratione cognoscendi incommutabili*. Omnis autem talis ratio est in arte divina, pro eo quod est sempiterna, et sine illa non potest esse sapientia creata, sicut ostensum est supra[4]. Unde ex illa auctoritate non potest concludi, quod sapientia creata non debeat poni.

Solutio oppositorum.

2. 3. Ad illud quod obiicitur de duplici auctoritate Augustini, dicendum, quod utraque intelligenda est de *sapientia increata*, quae tamen, sicut ex praemissis patet, non excludit creatam. Verumtamen Augustinus, loquendo de sapientia, semper vel ut in pluribus fert intellectum suum ad illam sapientiam increatam, pro eo quod comparatione illius non reputat sapientiam creatam nomine *sapientiae* dignam; vel quia ad modum influentiae totaliter pendet ex illa, unde magis est *entis* quam *esse*[5], et magis effectus et irradiatio sapientiae quam sapientia immutanda. — Et *si tu quaeras*, quare non similiter de beatitudine potest dici, cum ipsa omnino fluat a beatitudine aeterna; dicendum, quod *beatitudo aeterna* dicit *affectionem* inhaerentem summo bono, *sapientia* vero dicit *cognitionem* contemplantem summum bonum; *affectio* autem dicit ut *ab anima*, *cognitio* vero ut *ad animam*[6]; et propterea, quia diversarum affectionum diversae sunt origines, ideo formaliter et originaliter diversae ponuntur *beatitudines*. Non sic autem est in *sapientia*, quae, quantum est de se, respicit originem unam, lumen scilicet sempiternum, a qua et secundum quam est omnis cognitio certa.

Aliter se habet beatitudo.

Augustini modus loquendi.

4. 5. Ad illud quod obiicitur de Hugone, dicendum, quod verba Hugonis concordant verbis Augustini, quia ipse tanquam bonum excedens[7] et sapiens intellectum summe fert potissime ad ipsam sapientiae fontem. — Unde et quod obiicit, quod in accidentibus non potest esse beatitudo nostra, non intelligit, quin per aliquod accidens ad beatitudinem disponamur, sed quod quidquid est accidens habet potius rationem viae reductivae[8] in alterum quam quietativi et consummativi. Et hoc modo ponimus sapientiam creatam in anima Christi et in alia quacumque anima, non sicut illud, in quo quiescat ilia beata anima, sed sicut illud, quo reducatur et disponatur ad sapientiam increatam, qua principaliter et potissime fit beata.

Notandum.

6. 7. Ad illud quod obiicitur, quod sapientia dat *sapere*, et quod sapientia nobilior est sapiente; dicendum, quod ipsa sapientia creata non dicitur proprie dare *sapere*, sed magis ipsa sapientia increata dat nobis *sapere* in se ipsa, disponendo nos per illam sapientiam creatam; et ideo non sequitur de illa sapientia creata, quod sit sapiens vel habeat actum sapiendi, pro eo quod non tenet rationem entis completi, sed potius rationem viae et cuiusdam modi dispositivi, sicut manifeste habetur ex praedictis.

8. Ad illud quod obiicitur, quod sapientia facit illum cui initur sapientem; dicendum, quod sapientia potest alicui inari multipliciter, vel sicut *hypostasis* initur naturae substantificatae in ipsa, vel sicut *ratio et lux cognoscendi* initur cognoscenti illuminato per ipsam. Primo modo non facit sapientem, quia tunc corpus Christi, cui initur sapientiae, esset sapiens, sed secundo modo. Hoc autem modo non initur animae Christi nisi mediante dono sapientiae creatae, quae est tanquam lux informativa ipsius animae, reddens eam deiformem et habilem ad contuendam lucem sapientiae increatae[9].

Distinctio.

9. Ad illud quod obiicitur, quod sapientia, quanto maior est, tanto magis est cognoscibilis et facienS cognoscere; dicendum, quod verum est per modum *influentis*; sed per modum *informantis* non est verum, nisi sit talis sapientia, quae sit nata informare

Notandum.

---

[1] Cfr. infra solut. ad 2-3.

[2] Vide l. Sent. d. 3. p. 1. q. 4. ad 5. et d. 17. p. 1. q. 4. — Verbum *veritatis notitia* V H E inserunt *vel mentis*.

[3] Hic in corp. et quaest. praeced.

[4] Sicut secundum Aristot., VII. Metaph. text. 2. (VI. c. 1.), accidentia non tam sunt entia, quam quid entis (substantiae).

[5] Nam. 12.

[6] Cfr. tom. I. pag. 562, nota 10. — In hac solut. pro *certa* vid. F *creata*.

[7] Sensus huius vocis explicatur infra q. 6. in corp., ubi agitur de cognitione *excessus*.

[8] Codd. VII *viae et conducere*.

[9] Cfr. III. Sent. d. 2. a. 3. q. 2. ad 3. et 4.

Digitized by Google

et perficere et uniri alteri per modum formae. Talis autem non est sapientia increata, sed creata, et ideo non concludit ratio illa.

10. Ad illud quod obiicitur, quod nihil plus requiritur nisi sciens et scibile et ratio cognoscendi; dicendum, quod *sciens* potest nominare *potentiam* cognoscendi, vel *potentiam cum habitu*. Si *potentiam cum habitu*; veritatem habet, et tunc includitur ibi scientia *creata*, quae est animae habitativa. Si autem nominet *potentiam tantum*; tunc illa est falsa, et respondendum est per *interruptionem*[1] ad rationem praemissam.

Distinctio.

11. Ad illud quod obiicitur, quod Deus est vita animae, sicut anima est vita corporis; dicendum, quod anima dicitur *vita corporis* dupliciter, scilicet vel per modum *informantis*, vel per modum *influentis*, quia anima comparatur ad corpus dupliciter, videlicet per modum *perfectionis* et per modum *motoris*[2]. Cum ergo ostendit, quod anima in vivificando assimilatur Deo; dicendum, quod ista intelligitur de ipsa, in quantum est *motor*, non in quantum est *perfectio*. Movet autem anima corpus mediante potentia et mediante dispositione corporis, quae reddit corpus idoneum ad animae influentiam; et hoc modo divina lux et amor movet et vivificat ipsam animam mediante gratia et sapientia sibi infusa.

Anima est duplicitor vita corporis.

12. Ad illud quod obiicitur, quodsi Deus cognoscit per aliud a se, quod videret eius cognitio; dicendum, quod non est simile: quia Deus, cum sit nobilissimus, nihil potest se ipso habere nobilius, nec *simpliciter* nec *secundum quid*, nec quantum ad *esse* nec quantum ad *bene esse*, quia ipsum *esse* est sibi *bene esse*; anima vero Christi licet sit nobilior ceteris creaturis ratione gratiae unionis, tamen differunt in ipsa *esse* et *bene esse*, *substantia* et *dispositio accidentalis*. Et quia per illam dispositionem aliquam acquirit completionem, ideo non repugnat nobilitati suae in genere creaturae, quod habeat aliquid nobilius se saltem *secundum quid*; nam ultima completio et perfectio, ad quam terminatur illius animae appetitus, est sapientia *increata*, et ad illam disponitur per creatam influentiam, sicut patet ex his quae supra dicta sunt.

Notandum.

13. Ad illud quod obiicitur de intellectu accedente ad fontem sapientiae immediate; dicendum, quod est medium *disponens* et est medium *deducens*[3]. Primum est *intrinsecum*, secundum *extrinsecum*; primum facit magis *approximare*, secundum vero facit *distare*. Praedicta autem propositio veritatem habet de medio *deducente*; sapientia autem creata, quae ponitur in Christo, tenet rationem medii *disponentis* ad hoc, quod perfecte et immediate hauriat de fonte sapientiae aeternalis. Et sic patet, quod illa ratio non procedit.

Duplex medium.

14. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi adoratur latria propter unionem cum maiestate etc.; dicendum, quod non est simile, quia *adoratio* est actus, qui debetur ipsi naturae ratione personae. Honor enim, qui exhibetur Christo, nec animae per se nec corpori exhibetur, sed personae, in qua illa duo subsistunt; *cognitio* autem est actus exiens a potentia ipsius animae. Et sicut natura divina et humana in Christo distinctae sunt, sic habent diversas virtutes et operationes, ac per hoc diversas sapientias et cognitiones, non sic diversos honores. Et ideo non est simile.

De adoratione.

15. Ad illud quod obiicitur, quod ubi est ponere plenitudinem sapientiae, superfluit ponere quod est ex parte; dicendum, quod verum est in eodem et secundum idem. Cum autem dicitur, quod Christus habuit plenitudinem sapientiae, hoc est secundum naturam *increatam*, si intelligatur de plenitudine *simpliciter et extra genus*; si vero intelligatur de plenitudine *in genere*, sic competere potest naturae creatae, et haec quodam modo est[4] *ex parte* respectu plenitudinis *simpliciter*; nec est superflua, quia magis proportionalis est ipsi animae, quia per se nudam capere non poterat illam sapientiae increatae immensitatem.

Duplex plenitudo sapientiae.

16. Ad illud quod obiicitur, quod natura non facit per plura etc.; dicendum, quod illud verum est, si aeque bene et ordinate per unum fiat, sicut per plura; sic autem non est hic, et hoc non est propter defectum ipsius sapientiae illustrantis, sed propter naturam ipsius animae suscipientis, sicut patet ex iis quae dicta sunt supra[5].

17. Ad illud quod obiicitur de luminibus materialibus, dicendum, quod non est simile: quia unum illorum luminum non disponit ad aliud, immo unumquodque per se habet proprium *esse* et distinctum; et idem operatio unius minus apparet quam operatio alterius, quae[6] pro sua excellentia sibi vindicat dominium. Non sic autem est in proposito, quia sapientia creata disponit ad increatam, nec creata fiet nisi per increatam, nec ad increatam attingitur, nisi disponente creata.

Notandum.

18. Ad illud quod obiicitur de distantia inter scientiam creatam et increatam, et opinionem et scientiam; dicendum, quod non est simile: quia *opinio* et *scientia* sunt in eodem et secundum idem et respectu eiusdem, habentes diversas et oppositas

---

[1] Sive per negationem; cfr. tom. I. pag. 87, nota 4. — Vide Aristot., II. de Anima, text. 55. seq. (c. 5.), ubi similis distinctio insinuatur.

[2] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 5. seqq., text. 13. seqq. et text. 36. seq. (c. 1. 2. et 4.). — Mox pro *ostendit* D F G *dicitur*. Inferius post *uta* G suppleat *assimilatur*. In nostra lectione post *uta* supple: propositio.

[3] Vide II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. ad 7. — Ita D, alii *adducens* (sive ut loc. cit. dicitur, *contemperans*).

[4] Codd., exceptis D H, omittunt *est*, et plerique habent *hoc* pro *haec*. Inferius pro *quia per se* D F H *quae per se*.

[5] Cfr. etiam III. Sent. d. 14. a. 3. q. 1. ad 3. Ibid. ad 4. et 5. insinuatur seq. et praeced. solutio.

[6] In codd. incongrue omittitur *quae*.

conditiones; *sapientia* autem creata et increata, licet differant in natura, non tamen secundum idem insunt, nec sic oppositas et incompossibiles habent conditiones, immo necessario concomitantes [1], quia nihil creatum subsistit nisi per increatum. Et sic patet responsio omnium obiectorum.

QUAESTIO VI.

Utrum anima Christi comprehendat ipsam sapientiam increatam.

Suppposito, quod anima Christi sit sapiens sapientia increata pariter et creata, quaeritur consequenter, utrum comprehendat ipsam sapientiam increatam. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Ioannis tertio [2]: *Non ad mensuram dat Deus spiritum*; Glossa: « Hominibus ad mensuram, Filio vero non ad mensuram; sed sicut totum ex se toto genuit, ita incarnato Filio totum Spiritum suum dedit, non partialiter et per subdivisiones, sed generaliter et universaliter »; sed iuxta mensuram spiritus dati mensura est in cognitione veri: ergo si anima Christi immenso modo accepit Spiritum sanctum, immenso modo cognoscit Deum; et hoc non est aliud quam comprehendere ipsam divinam sapientiam: ergo etc.

2. Item, Augustinus, decimo tertio de Trinitate, capitulo decimo nono [3]: « In Verbo intelligo verum Dei Filium, in carne verum hominis filium, utrumque in una persona Dei et hominis ineffabilis gratiae largitate connectum ». Gratia igitur unionis est ineffabilis, ergo immensa et incomprehensibilis; sed iuxta quantitatem gratiae est quantitas cognitionis: ergo si cognitione incomprehensibili infinitum est comprehensibile; quantacumque sit immensitatis, comprehendetur ab anima sibi unita.

3. Item, Hugo dicit de Sapientia Christi [4]: « Anima Christi habet omnia per gratiam, quae Deus habet per naturam »; sed Deus per naturam habet comprehensionem suae sapientiae: ergo anima Christi hoc habet per gratiam.

4. Item, totum vel plus est esse Deum quam comprehendere Deum; sed gratia unionis potest in hoc, ut faciat creaturam esse Deum: ergo multo fortius faciet creaturam comprehendere Deum. Sed non aliam quam Christi animam: ergo etc.

5. Item, Bernardus ad Eugenium [5] dicit, quod est unitas *nativa*, *dignativa* et *superdignativa*; illa unitas *dignativa* non est tanta, quanta est unitas Trinitatis, quae est *superdignativa*, et maior quam *nativa*; sed tam in unitate *nativa* quam in unitate *superdignativa* unum extremorum comprehenditur ab altero, et e converso: ergo pari ratione videtur et multo fortiori in unitate *dignativa*. Sed secundum hanc unitur anima Christi cum sapientia increata: ergo etc.

6. Item, Isidorus [6]: « Trinitas sibi soli nota est et homini assumto », et constat, quod hoc non intelligitur de quacumque notitia, sed de illa solum, in qua non communicat Trinitas cum creatura pura; sed ista non est nisi cognitio comprehensiva: ergo hanc habet creatura unita.

7. Item, Cassiodorus [7]: « Illam lucem inaccessibilem sanctae mentis super omnes claritates intelligit »; sed anima unita Verbo fuit sanctissima: ergo intelligebat illam super omnem aliam claritatem: ergo aut nullam aliam claritatem comprehendebat, aut si aliquam comprehendebat, et illam.

8. Item, gratia unionis excedit quantamcumque gratiam comprehensionis inproportionaliter: ergo inproportionaliter facit Deum cognosci clarius; sed hoc non est aliud quam comprehendere divinam sapientiam: ergo etc. Nihil enim inproportionaliter excedit omne finitum nisi infinitum [8].

9. Item, Augustinus nono de Trinitate [9] dicit, quod quia anima simplex est, ideo, cum se novit, totaliter se novit, non secundum partem: ergo cum

---

[1] A B G: *communicantes*.

[2] Vers. 34. — Glossa est *ordinaria* quod Strabum et Lyranum; cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 14. n. 10. seq., ex quo quaedam attulimus tom. III. pag. 278, nota 1. — Eadem quaestio solvitur III. Sent. d. 11. a. 1. q. 2.

[3] Sum. 24: In Verbo... et utrumque simul in unam personam Dei et hominis ineffabili gratiae largitate connectum.

[4] Completus: de Sapientia animae Christi, ubi circa finem haec verba etiam Ambrosio attribuuntur (cfr. tom. III. pag. 52. nota 2.). Ibid. Insuper seq. arg. insinuatur. — In *unori* post *superatae* F addit *quae est infinita*.

[5] Sive Libr. V. de Consderat. c. 8. et 9. n. 18-21, ubi inter novem modos unitatis (cfr. III. Sent. d. 6. a. 2. q. 2.) recenset unitatem *nativam*, i. e. qua anima et caro unus nascitur homo; unitatem *dignativam*, i. e. qua limus noster a Dei Verbo in unam assumptus est personam; et unitatem *Trinitatis* (superdignativam), i. e. qua tres personae una substantia sunt, et quae aevum tenet haec omnes unitates. De unitate *dignativa* subinde ostendit (n. 20.): quod « haec unitas dumtum [sed. Trinitatis et nativae], consistens media unitatum, alteri succumbere, alteri praecumbere cognoscitur; quantum superiore inferior, tantum inferiore superior ».

[6] Libr. I. Sent. c. 3. n. 1. Cfr. tom. III. pag. 299, nota 2. — Inferius pro *quacumque* A B E G: *quantacumque*.

[7] Libr. de Anima, c. 3, ubi ostendit, nos *immortales et lumen* dici *posse* propter *imaginem* Dei: Ipse enim Deus omnipotens *solus habet immortalitatem et lumen habitat inaccessibile* (I. Tim. 6, 16.), quod supra omnes claritates vel admirationes sanctae mentis intelligat, sed imago aliquam habet similitudinem. Ceterum haec lumen habere non potest quod veritas etc.

[8] Aristot., I. de Caelo et mundo, test. 52. et 64. (c. 6. et 7.): Ratio nuncia nulla est infiniti ad finitum.

[9] Cap. 4. n. 7; clarius ibid. X. c. 3. n. 6; cfr. VII. de Gen. ad lit. c. 21. n. 28.

Digitized by Google

sapientia aeterna sit simplex, si ab anima Christi cognoscitur, totaliter cognoscitur; sed rem totaliter cognoscere non est aliud quam comprehendere: ergo etc.

10. Item, haec est per se vera: simplex, cum attingitur, totum attingitur [1]; ergo simplicius totaliter attingitur, et simplicissimum totalissime attingitur; sed Verbum increatum habet summam simplicitatem: ergo totalissime attingitur. Sed hoc est ipsum perfectissime comprehendere: ergo perfectissime comprehenditur ab anima Christi.

11. Item, anima Christi in cognoscendo Verbum aut totum habet *patens*, aut aliquid Verbi habet *latens* et aliquid *patens*. Si omnino habet *patens*: ergo omnino comprehendit; si aliquid habet *latens* et aliquid *patens*: ergo in Verbo est aliquid et aliquid. Sed hoc est inconveniens, quia non esset summa simplicitas [2]: ergo etc.

12. Item, si aliquid latet, aut illud *est Deus*, aut *non*. Si *non*: ergo propter latentiam illius nihilominus comprehendit Deum. Si *est Deus*: ergo Deus latet animam Christi; sed nulla anima, quam Deus latet, est beata: ergo secundum hoc anima Christi non est [3] beata. Sed hoc est absurdum: ergo et illud, ex quo hoc sequitur.

13. Item, sicut est in Deo vere immensitas, ita vere est in Deo simplicitas; sed sicut immensitas est nunquam omnino capi, ita simplicitas est a quocumque capitur totaliter capi: ergo qua ratione dicitur *incomprehensibilis* ratione immensitatis, dicetur *comprehensibilis* ratione simplicitatis.

14. Item, si in puncto idem esset essentia et virtus, quod attingeret ipsum totaliter secundum essentiam attingeret ipsum totaliter secundum potentiam; sed in Deo idem est sua essentia et virtus sua, et quidquid est essentiale in ipso totum est idem et simplicissimum: aut ergo nihil Dei attingitur, aut si aliquid attingitur, totum et totaliter attingitur [4], ergo totum et totaliter comprehenditur: ergo non solum anima Christi Verbum comprehendit, sed omnis anima, quae qualitercumque Deum cognoscit.

15. Item, Beda [5] dicit, quod « animam nihil minus Deo implere potest »: sed si capacitas animae posset aliquo finito impleri, aliquod minus Deo ipsam repleret: ergo extendit se animae capacitas ad infinitum ut infinitum. Sed anima Christi comprehendit omne, ad quod se extendit sua capacitas, cum sit plene perfecta: ergo comprehendit infinitum.

16. Item, anima Christi diligit Deum, quantum debet diligi; sed debet diligi Deus sine modo et mensura [6]: ergo cum tantum cognoscat, quantum diligit, cognoscit ergo sine mensura: ergo etc.

17. Item, natura intellectus est, quod vigoratur in intelligendo summum intelligibile [7]: ergo quanto anima Christi clarius intelligit, tanto nata est ad clarius intelligendum: ergo vel nunquam habebit statum, vel totaliter comprehendet Verbum sibi natum.

18. Item, si aliquid esset, quod capiendo aliquid ampliaretur eius capacitas, aut nunquam impleretur per illud, aut infinitum apponeretur; sed capacitas animae Christi est talis: ergo vel remanet ex aliqua parte sui vacua, vel [8] comprehendit sapientiam infinitam.

19. Item, tantum distat finitum ab infinito, quantum distat creatum ab increato; sed distantia creati ab increato non impedit, quin intellectus elevet se ad cognoscendum increatum sub ratione increati: ergo pari ratione finitum poterit elevari ad cognoscendum infinitum sub ratione infiniti. Sed hoc non est dari in alio quam in anima Christi: ergo etc.

20. Item, quantum distat finitas ab infinitate, tantum distat simplicitas a compositione; sed intellectus animae Christi, licet habeat aliquam compositionem, tamen capit et cognoscit ipsum Verbum sub ratione simplicitatis summae: ergo similiter [9] sub ratione summae infinitatis. Sed hoc est comprehendere totam Verbi sapientiam: ergo anima Christi comprehendit sapientiam increatam.

CONTRA: 1. Damascenus, primo libro [10], capitulo quarto: « Infinitus est Deus et incomprehensibilis, et hoc substantiae eius comprehensibile infinitas et incomprehensibilitas eius »: ergo quod dicitur incomprehensibile, non est ratione sui, sed respectu naturae creatae: si ergo anima Christi est creatura, incomprehensibilis est ei sapientia increata. Fundamenta.

2. Item, Augustinus, duodecimo de Civitate Dei [11]: « Quidquid scitur scientis comprehensione finitur »; sed infinitum nullo modo potest esse finitum finito: ergo nullo modo comprehenditur a finito. Sed anima Christi est finita, cum sit creatura: ergo etc.

3. Item, omne cognoscens cognoscit secundum facultatem cognoscentis [12]; sed facultas cognoscentis

---

[1] Vide tom. III. pag. 299, nota 3. Verba Aristot.

[2] F *quia hoc non esset summae simplicitatis.*

[3] B *non esset.* Mox plures codd. *a qua* pro *ex quo*, B *ad quod.*

[4] F addit *sed non nihil.* Superius post *virtus sua* B F B legunt *quia quidquid est essentiale in ipso est omnino idem et simplicissimum.*

[5] Expos. in Act. 5, 3. Cfr. tom. II. pag. 209, nota 3, et pag. 226, nota 5.

[6] Bernard., de Diligendo Deo, c. 1, n. 1: Causa diligendi Deum Deus est; modus, sine modo diligere.

[7] Cfr. 1. Sent. d. 1, a. 3, q. 1, ad 2.

[8] F *tota, et nihil remanet ex aliqua sui parte vacuum; S. Bonav.* — Tom. V.

ergo. Idem F superius cum B verbis *aliquid ampliaretur* inserit *unitum*; subinde ante *infinitum* addit *in.*

[9] Ita B, alii omittunt *similiter.*

[10] Scil. de Fide orthod. Recentior versio (ed. Migne): Infinitus igitur est Deus et incomprehensibilis, atque hoc unum est, quod de eo perciqi possit et comprehendi (καὶ τοῦτο μόνον αὐτοῦ κατάληπτον, ἡ ἀπειρία καὶ ἀκαταληψία). — Subinde pro *dicatur incomprehensibile* A substituit *dicatur incomprehensibilis Deus.*

[11] Cap. 18.

[12] Secundum Boeth., V. de Consolat. prosa 4; verba vide tom. III. pag. 296, nota 4. et 5.

Digitized by Google

animae Christi finita est: ergo quidquid cognoscit cognoscit ut finitum et modo finito: ergo nullo modo comprehendit infinitum.

4. Item, omne, quod comprehendit aliquid, in se totaliter capit, ergo vel *maius* est illo, vel *aequale* illi; sed anima Christi non est *maior* Verbo aeterno nec *aequalis*: ergo nullo modo ipsum comprehendit.

5. Item, omni eo, quod anima comprehendit, potest aliquid maius cogitari, quia, cum fines eius attingat, adhuc ultra cogitatus eius potest protendi; sed sapientia Dei nihil maius cogitari potest: ergo necesse est, sapientiam Dei apprehendi ab anima Christi incomprehensibiliter.

6. Item, anima Christi, licet summe sit unita Verbo, non tamen retendit in se Verbum quantum ad existentiam, pro eo quod existit extra eam, et ubicumque est Verbum, ubi non est anima Christi sibi unita: ergo pari ratione nec intellectus animae Christi capiet in se totaliter divinam sapientiam: ergo non comprehendit ipsam.

7. Item, comprehendere aliquid est plene illud capere; plene autem capere infinitum non est nisi per actum infinitum; actus autem infinitus esse non potest, nisi sit virtus infinita; nec virtus potest esse infinita, nisi pariter et substantia infinita sit: si ergo anima Christi comprehenderet divinam sapientiam[1]; cum illa sit infinita, esset infinita quoad substantiam, virtutem et operationem. Sed hoc est falsum et impossibile: ergo etc.

8. Item, quod comprehendit aliquid secundum quantitatem *molis* coextenditur cum illo ad coaequalitatem extensionis: ergo quod comprehendit aliquid secundum excellentiam charitatis aequatur illi secundum charitatem; sed impossibile est, animam Christi aequari divinae sapientiae secundum charitatem, cum illa sit pura lux, et ipsa sit tenebra, in quantum creatura[2]: ergo impossibile est, aeternam Dei sapientiam comprehendi ab anima Christi.

9. Item, aeternitas comparatur ad aeviternitatem sicut circulus maior ad minorem; sed impossibile est, maiorem circulum a minori comprehendi: ergo impossibile est, substantiam aeternam comprehendi a substantia aeviterna. Sed sapientia Dei est aeterna, anima Christi non est aeterna, sed aeviterna[3]: ergo etc.

10. Item, quod comprehendit aliquid perfectissime cognoscit illud: ergo si anima Christi comprehendit aeternam sapientiam, necesse est, eam esse summe sapientem, ergo per consequens summe beatam: ergo est aequalis Deo in beatitudine et bonitate, caret ergo principio et fine: ergo non est creatura nec anima. Si ergo haec sunt inconvenientia, et multa alia, quae possunt ex hoc sequi; impossibile est, divinam sapientiam ab anima Christi comprehendi.

CONCLUSIO.

Anima Christi non potest proprie comprehendere sapientiam increatam.

RESPONDEO: Ad praehabitorum intelligentiam est notandum, quod, sicut habitum est ex quaestione praeambula, ad cognitionem cuiuscumque creaturae perfectam et certitudinalem concurrit non tantum lucis aeternae praesentia, sed etiam lucis aeternae influentia; non tantum Verbum increatum, verum etiam verbum intus conceptum; non tantum sapientia aeterna, verum etiam notitia animae impressa; non tantum veritas causans, verum etiam veritas informans. Cum igitur anima Christi et quaelibet anima, quae Deum cognoscit, cognoscat secundum mensuram *influentiae*[4] Verbi et *notitiae* intus informantis mentem; huiusmodi autem verbum et notitia, cum habeat *esse* creatum, ac per hoc et limitatum, non possit divinae sapientiae adaequari, cum ipsa sit per omnem modum infinita: fatendum est, quod sapientia increata comprehendi non potest ab anima sibi unita nec ab alia quacumque creatura, secundum quod *comprehendi* dicitur aliquid, quod comprehendens totum et totaliter secundum omnem modum capit in se ipso, iuxta quod dicit Augustinus ad Paulinam, de Videndo Deo[5]: « Plenitudinem Dei nullus non solum oculis corporis, sed nec ipsa mente aliquando comprehendit; aliud est enim *videre*, aliud videndo *totum comprehendere*, quamloquidem id *videtur*, quod praesens utcumque sentitur; totum autem *comprehenditur*, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possint ». Ad huiusmodi autem visionem necessario requiritur, ut comprehendens secundum actum, habitum et virtutem vel aequetur ipsi comprehenso, vel excedat; et hoc nullo modo potest esse in anima Christi, vel in aliqua creatura in comparatione ad sapientiam aeternam; cum illa sit infinita, haec autem finita, ideo illa improportionaliter excedit istam. Et hoc est quod dicit Augustinus nono de Trinitate, capitulo undecimo[6]: « In quantum Deum novimus, similes ei sumus, sed non ad aequalitatem similes, quia non tantum eum novimus, quantum ipse sese ». Et post:

Axiomata.

Conclusio.

Confirmatur.

---

[1] F prosequitur *oporteret illum infinitum esse quoad substantiam etc.*

[2] Secundum August., vide supra pag. 10, nota 4.

[3] Cfr. II. Sent. d. 2. p. 1. a. 1. q. 1.

[4] A *influentia*.

[5] Sive Epist. 147. (alias 112.); c. 9. n. 21: Non quia Dei plenitudinem quisquam non solum oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit etc. — A B E: *De plenitudine Dei nullus non solum* etc., B: *Plenitudinem Dei nullus non solum* etc.

[6] Num. 16. In secundo loco pro *fit aliqua Dei similitudo* aliqui codd. *fit aliqua Dei similitudine*, quam lectionem etiam tom. I. pag. 70, nota 2. notavimus.

Digitized by Google

« Cum Deum novimus, quamvis meliores efficiamur, quam eramus, antequam nossemus, maxime cum eadem notitia placita digneque amata verbum est; fit aliqua Dei similitudo illa notitia, tamen inferior est, quia in inferiore natura est; creatura quippe animus, Creator autem Deus ». Cum igitur anima Christi non possit in cognoscendo Verbum aeternum gignere verbum illi aequale, manifestum est, quod non potest illud comprehendere, proprie accepta comprehensione. — Unde concedendae sunt rationes ad istam partem.

Triplex via obiectorum.

Principium primum.

Principium secundum.

Principium tertium.

Modus 6 quibus fertur in infinitum.

Ad intelligentiam autem obiectorum in contrarium, quoniam ex triplici via procedunt, videlicet ex *immensitate* gratiae unionis, ex *simplicitate* Verbi et sapientiae Dei, ex *capacitate* et quietatione desiderii ipsius animae cognoscentis; intelligendum est, quod, licet divina natura et humana distent per finitum et infinitum, possunt tamen uniri, salva proprietate utriusque naturae in unitate hypostasis. Nunquam tamen ipsa divina natura fit finita, nec humana fit infinita. Unde licet Deus sit homo, et homo Deus propter unitatem personae et hypostasis, salvae tamen sunt operationes utrusque naturae et inconfusae, licet invicem praedicentur propter idiomatum communicationem [1].

Rursus, licet divinum Verbum sit simplex, est tamen nihilominus infinitum, non quantitate *molis*, sed quantitate *virtutis;* quia quanto aliquid simplicius, tanto eius virtus est magis unita; et « virtus magis unita magis est infinita quam virtus multiplicata [2] »: et ideo Verbum divinum, hoc ipso quod simplicissimum est, est et infinitissimum; et ideo, licet totum sit, ubicumque est, nunquam tamen circumscribitur nec ab aliquo creato comprehenditur.

Postremum, licet intellectus et affectus animae rationalis nunquam quiescat nisi in Deo et in bono infinito, hoc non est, quia illud comprehendat, sed quia nihil sufficit animae, nisi eius capacitatem excedat. Unde verum est, quod ipsius animae rationalis et affectus et intellectus feruntur in infinitum bonum et verum [3] et ut infinitum; sed *ferri in illud* hoc potest esse sex modis, scilicet *credendo, arguendo, admirando, contuendo, excedendo* et *comprehendendo*. Primus modus est imperfectionis et viae, ultimus modus est summae perfectionis et proprius est Trinitatis aeternae et infinitae; secundus et tertius modus pertinent ad progressum viae; quartus et quintus ad consummationem patriae. In via enim possumus divinam immensitatem contemplari *ratiocinando* et *admirando;* in patria vero *contuendo*, quando erimus deiformes effecti, et *excedendo*, quando erimus omnino inebriati; propter quam ebrietatem dicit Anselmus in fine Proslogii [4], quod magis intrabimus in gaudium divinum, quam divinum gaudium intret in cor nostrum. — Et quoniam anima illa Verbo unita et magis est deiformis effecta et magis inebriata propter gratiam non tantum sufficientem, sed etiam superexcellentem; ideo contuetur divinam sapientiam et contuendo excedit in ipsam, licet non comprehendat eam. Et pro hac causa admiratio non tantum habet locum in via, verum etiam in patria; non tantum in Angelis, verum etiam in anima assumta a Deo, ut dicat: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam* [5]; sicut Glossa exponit de homine assumto a Verbo, quod « non potest ei aequari in sapientia nec in aliquo alio ». — His visis, de facile respondetur ad obiecta.

De modo, quo fertur anima Christi in Deum.

Solutio obiectorum.

1. 2. 3. 4. Ad illud enim quod primo obiicitur de Glossa, quod gratia data est Christo non ad mensuram; et de auctoritate Augustini, quod gratia illa ineffabilis est; et de auctoritate Hugonis et de ratione illa, quam adducit, quod gratia illa facit, quod homo sit Deus [6]; ad haec omnia respondendum est, quod haec omnia vera sunt et intelligenda secundum concursum duarum naturarum in unam personam; ex quo fit, ut propter *immensitatem* illius personae et illa unionis gratia dicatur *immensa* et *ineffabilis*, et propter *unitatem* personae possit Deus et ea quae sunt Dei de homine praedicari; non tamen fit ex hoc, quod ipsa anima nec eius virtus et habitus nec actus perdat *esse* creatum, ac per hoc finitum et limitatum. Et ideo non sequitur, quod competat ei actus comprehensivus sapientiae aeternae, cum ille sit infinitus et ab infinita virtute.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur de verbo Bernardi de illa triplici unione vel unitate dicendum, quod non est simile: quia in unitate *nativa* et *superdignativa* extrema sunt proportionalia; utraque enim est unitas *connaturalis;* sed in unitate *dignativa* secus est, quia ista unitas est solius *condescensionis et gratiae;* et ideo non est necesse, ex hac parte mutuam esse comprehensionem.

6. Ad illud quod obiicitur de Isidoro, quod Trinitas sibi soli nota est etc.; dicendum, quod hoc non dicit nisi propter communicationem idiomatum, vel propter familiarissimum modum revelationis arcanorum suorum communicatorum illi animae sibi unitae, secundum quod melius patebit in sequenti quaestione [7].

---

[1] Vide tom. III, pag. 44, nota 3.

[2] Lib. de Causis, propos. 17. — De quantitate *molis* et *virtutis* cfr. August., de Quantitate animae, c. 3, n. 4.

[3] Cfr. IV. Sent. d. 49. p. 1. q. 4. seq.

[4] Cap. 26: Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium (cfr. Matth. 25, 21. et 23.). — Superius pro *ratiocinando* F *arguendo*. Inferius pro *anima illa* D F H *anima illi*, et pro *in ipsam* A B *in ipsa*.

[5] Psalm. 138, 6. — Glossa est secundum Cassiodor., in hunc loc., relata a Magistro, III. Sent. d. XIV. c. 1. — Mox pro *humae assumto* F *unioni assumto*.

[6] F *facit, creaturam esse Deum* etc. Inferius pro *ut propter* B *et propter*, quo denuo cum aliis habet *et illa*. Subinde pro *dicit... possit* F *dicretur.... posset*.

[7] Cfr. etiam III. Sent. d. 14. a. 1. q. 2. ad 3.

Digitized by Google

7. Ad illud quod obiicitur de Cassiodoro, de luce inaccessibili, quod a sua mente super omnes claritates intelligitur; dicendum, quod illud est verum, accipiendo *suavitatem* pro perfecta deiformitate. Sed ex hoc non sequitur, quod comprehendatur, pro eo quod aliae claritates sunt minores et comprehensibiles, illa vero maior; et ideo, licet limpidius ab anima cognoscatur quam aliae claritates, non tamen sequitur, quod comprehendatur.

8. Ad illud quod obiicitur, quod gratia unionis excedit omnem gratiam comprehensionis; dicendum, quod illud est verum; sed hoc non est, quia gratia unionis det ipsi animae Christi virtutem infinitam, cum ei non auferat *esse* creaturae, sed quia ponit eam in hypostasi infinita. Operatio autem egredienS a potentia attenditur secundum ipsius potentiae virtutem maiorem vel minorem; et ideo gratia unionis et comprehensionis non sunt eiusdem generis. Propter hoc, quamvis sint improportionales, non sequitur propter hoc, quod gratia unionis elicit ab anima actum infinitum; sicut non sequitur, quod linea sit actu infinita, licet improportionaliter excedat punctum. Notandum.

9. Ad illud quod obiicitur de Augustino, quod anima, quia simplex, ideo, cum se novit, totaliter etc.; dicendum, quod hoc est, quia anima habet simplicitatem *localitatis*, ad quam sequitur finitas et impartibilitas; et ideo, cum se novit, totam et totaliter se novit. Simplicitas autem divinae sapientiae, sicut prius ostensum est, connincta est *infinitati*; et ideo, licet possit a creatura attingi et apprehendi, nunquam tamen potest a creatura comprehendi vel circumscribi.

10. Ad illud quod obiicitur, quod haec est per se vera, quod simplex, cum attingitur, totum attingitur; dicendum, quod de simplici *finito* veritatem habet; de simplici vero *infinito* quodam modo habet veritatem, quodam modo non. Si sic intelligitur, quod attingitur totum, id est non secundum partem et partem, veritatem habet; si vero intelligatur, quod attingitur totum, id est secundum omnimodam suam plenitudinem et perfectionem, ita quod non excedat comprehendendum, falsitatem habet. Et ideo rationiter dictum est et ab antiquo, quod licet *totum* attingatur, non tamen *totaliter*; quia *totum*, cum sit *nomen*, dicit dispositionem a parte subiecti vel obiecti secundum *se*; *totaliter* vero, cum sit *adverbium*, dicit dispositionem verbi [4], ac per hoc ponit omnimodam perfectionem et aequalitatem in actu comprehendentis respectu comprehensi, quod non potest esse in tanto respectu infiniti. Distinctio. Notandum.

11. 12. Ad illud quod obiicitur: aut totum latet, aut totum patet etc.; iam patet responsio, quia totum *latet*, et totum *patet*. Totum enim *patet* apprehendenti, cum non apprehendat secundum partem et partem; totum etiam *latet* quantum ad comprehensionem, quia nihil Verbi comprehendi potest ab intellectu creato; totum enim est infinitum, et idem ipsum est simplex. Et ideo id ipsum, quod *apprehenditur*, non *comprehenditur*. Sicut Verbum aeternum idem et totum et secundum idem [3] est in aliqua creatura et est extra illam; sic capitur ab aliqua intelligentia, et tamen non comprehenditur ab illa, quia excedit illam. — Et per hoc patet responsio ad sequens, quod obiicitur, quod si aliquid lateret, non esset intellectus beatus; sicut enim iam dictum est, non dicitur *incomprehensibilis* propter latentiam alicuius partis, sed propter immensitatem suae simplicitatis. Notandum. Notandum.

13. Ad illud quod obiicitur, quod sicut est vere infinitum, ita vere simplex; dicendum, quod verum est. — Quod ultra obiicitur, quod sicut incomprehensibilitas infinito, ita comprehensibilitas simplici; dicendum, quod falsum est, quia *infinitum*, eo ipso quod infinitum est, dicit excessum improportionalem respectu cuiuslibet finiti; sed *simplex*, eo ipso quod simplex, non dicit adaequationem, vel limitationem, nec absolute in se nec in comparatione ad alterum; quia, sicut ostensum fuit prius, simplicissimum, eo quod simplicissimum, necesse est esse infinitum. Cum enim duplex sit quantitas, scilicet *molis* et *virtutis*, in quantitate *molis* simplex et infinitum super diversa fundantur, in quantitate vero *virtutis* super idem fundantur, quia magnitudo simplicitatis facit ad unitionem [5] et magnificationem virtutis; et ideo propter summam simplicitatem non communicatur comprehensibilitas, sed potius incomprehensibilitas et virtus immensa. Duplex quantitas.

14. Ad illud quod obiicitur de puncto, quodsi idem esset in eo essentia et virtus etc.; dicendum, quod Verbum aeternum non comprehenditur, nec secundum essentiam nec secundum potentiam, ab aliqua creatura, quia tam virtus quam essentia immensitatem habet in infinitum excedentem omnem virtutem creatam. Et ideo non est similis de puncto, cuius essentia est circumscripta.

15. Ad illud quod obiicitur, quod anima nihil minus Deo impere potest; dicendum, quod illud verum est, sicut factum est, quia anima non est contenta aliquo bono, quod capiat et comprehendat, quia nihil tale est summum; sed bono tali et tanto, quod *capiat* et apprehendat per aspectum et affectum, et a quo *capiatur* per superexcedentiam et excessum. Notandum.

16. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi tantum diligit, quantum debet; dicendum, quod verum est; sed tamen ex hoc non sequitur, quod tantum diligat Deum, quantum ipse Deus diligit se, quia

---

[4] Priscian., Xll. Grammat. c. 2: Adverbium [dicitur], quod verbo adiungitur (cfr. ibid. XV. c. 4.). — De ipso solut. vide III. Sent. d. 14. a. 1. q. 2. ad 4; ibid. ad 5. sed. solut. insinuatur.

[5] A *secundum totum*.

[6] F H *unionem*. Subinde pro *communicatur* A *concomitatur*.

amor, quo Deus se ipsum diligit, est aeternus et immensus et coaequalis amato; affectus autem, qua egreditur a Christi voluntate, non potest esse nisi finitus. — Et quod dicitur, quod modus diligendi Deum est sine modo diligere: hoc non est, quia amor ille careat finitate et mensura, cum illa sit coaequalis omni creaturae, sed quod affectus in amando non debet sibi ligere limitem et terminum coartantem, sed potius excessivo modo toto conatu mentis ferri in illam infinitissimam bonitatem [1]. Notandum.

17. 18. Ad illud quod obiicitur, quod intellectus vigoratur in intelligendo maximum intelligibile, et quod capacitas eius crescit in capiendo magis; dicendum, quod illud dupliciter potest intelligi: uno modo, quod ipsa ex hoc, quod intelligit summum intelligibile et capit illud, quod vigorosior est et potentior respectu eorum quae sunt infra illud; et hoc habet veritatem [2]. Alio modo, ut intelligatur, quod maioris adhuc lucis et veritatis capax sit, quam ceperit; et hoc habet falsitatem, quia capacitas animae attenditur secundum quantitatem suae virtutis, quae radicatur super substantiam finitam; et ideo ipsa finita est actu et sufficienter complebilis per deiformitatem finitam, quae, assimilando ipsam ad Deum secundum suam omnimodam possibilitatem, facit eam excedere in bonum infinitum, ac per hoc dat ei perfectionem et statum. Dupliciter intelligitur.

19. 20. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi attingit ad increatum et simplicissimum, licet sit creata et composita, ergo pari ratione ad infinitum, secundum quod infinitum, licet ipsa sit finita; dicendum, quod concedi potest conclusio, quod attingit ad infinitum sicut ad increatum et simplicissimum. Sicut enim ad infinitum non attingit [3] *comprehendendo*, sed *apprehendendo* et *excedendo*, sic nec ad increatum et simplicissimum. — Posset tamen dici, quod non est simile hinc et inde: quia *cognoscere simplex* ut simplex et *increatum* ut increatum non includit nisi *assimilationem* cognoscentis ad cognitum; *cognoscere* autem *infinitum* ut infinitum non tantum dicit *assimilationem*, sed etiam quandam *inaequationem* — infinitum enim ut infinitum nominat *quantum* — et ideo non sequitur ratio praedicta; sicut non sequitur, si creatura potest Deo *assimilari*, quod propter hoc possit Deo *aequari*. — Fatemur autem, animam Christi esse deformem, non tamen esse Deo aequalem; et ideo concedimus et tenemus, quod ipsam sapientiam sibi unitam, licet clare et perspicue apprehendat, non tamen totaliter comprehendit. Alia solutio. Epilogus.

QUAESTIO VII.

Utrum anima Christi comprehendat omnia, quae comprehendit sapientia increata.

Quaeritur, utrum anima Christi comprehendat omnia, quae comprehendit sapientia increata. Et videtur, quod sic.

1. Ad Romanos undecimo [4]: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius!* Ex quo colligitur, quod illa quae pertinent ad divinam sapientiam magis comprehensibilia sunt quam divina iudicia; sed Ioannis quinto dicitur, quod *Pater omne iudicium dedit Filio, quia Filius hominis est;* ex quo colligitur, quod anima Christi comprehendit divina iudicia: ergo si illa sunt minus comprehensibilia quam alia, multo fortius comprehendit omnia alia. Ad oppositum.

2. Item, Apocalypsis quinto [5]: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere sapientiam;* Glossa: « Cognitionem omnium, sicut Verbum sibi unitum »; sed Verbum unitum comprehendit quaecumque cognoscit: ergo et anima Christi.

3. Item, Damascenus, in tertio libro [6]: « Aimus, Christum hominem omnia scientem; *in Christo enim sunt omnes thesauri sapientiae* ». — *Si dicas*, quod intelligitur secundum divinam naturam; *contra:* nihil scit aliquis, quod anima eius ignorat: ergo si Christus omnia comprehendit, necesse est, quod et illud comprehendat eius anima.

4. Item, Gregorius, in Dialogis [7]: « Animae videnti Creatorem angusta est omnis creatura »: ergo si anima Christi perfecte videt Verbum sibi unitum, angusta est ergo sibi omnis creatura; sed ultra omnem creaturam nihil restat nisi immensitas eorum quae sunt Deo possibilia: ergo anima Christi comprehendit illa omnia.

5. Item, anima Christi perfectissime est unita Verbo, et secundum quod est Verbum et secundum quod est exemplar; sed si aliquid esset in Verbo vel in exemplari aeterno, quod animam Christi lateret, posset cogitari adhuc perfectius unita: si ergo unita

---

[1] Cfr. III. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. ad 1.

[2] Idem docet Aristot., III. de Anima, text. 7. (c. 1.); verba ipsius vide tom. I. pag. 39, nota 5.

[3] Ita *F*, alii *attingitur*. Aliquanto inferius vaci *adaequationem* ex A B E G praemisimus *quandam*.

[4] Vers. 33. Deinde citatur Ioan. 5, 22. et 27. — Codd. *magis incomprehensibilia*, sed in hac lectione deest argumentum. — Eadem quaestio solvitur III. Sent. d. 14. a. 2. q. 3.

[5] Vers. 12: Dignus... accipere virtutem et divinitatem et sapientiam. — Glossa Haymonis est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum: Cognitionem omnium rerum, sicut habet Verbum etc.

[6] De Fide orthod. c. 21. Locus Script. est Col. 2, 3: *In quo* etc.

[7] Libr. II. c. 35. Pro *angusta* D F *aguita* (idem recurrit inferius), pro qua lectione afferri possunt verba Gregor., IV. Dialog. c. 33: Quid est quod ibi nesciat, ubi scientem omnia sciunt? Cfr. tom. IV. pag. 953, nota 8.

Digitized by Google

est unione perfectissima, necesse est, quod comprehendat omnia.

6. Item, anima Christi cognoscit in Verbo; et quia uno cognoscit multa, ideo simul multa cognoscit, licet de naturali cognitione non habeat intelligere nisi unum[1]: ergo cum illud unum non tantum se extendat ad multa, verum etiam ad infinita; qua ratione simul multa cognoscit, eadem ratione infinita cognoscit.

7. Item, Verbum aeternum aeternaliter repraesentat quaecumque repraesentat, cum sit unum et uniforme: ergo non alia ratione[2] ducit in unum, et in quodlibet: ergo anima Christi aut nulla in Verbo videt, aut si aliqua videt, infinita videt.

8. Item, potentior est anima Christi ad cognoscendum per Verbum sibi unitum, quam aliqua anima per habitum sibi datum; sed anima habens habitum sapientiae comprehendit omnia, ad quae se extendit habitus ille[3]: ergo pari ratione anima Christi per Verbum aeternum comprehendit omnia, ad quae se extendit ipsum Verbum.

9. Item, anima Christi cognoscit ipsum Verbum totum, cum totum habeat sibi unitum; sed in Verbo idem sunt potentia et essentia: ergo comprehendit totam potentiam Verbi. Sed potentia Verbi se extendit ad infinita: ergo anima Christi comprehendit infinita.

10. Item, propinquior est anima Christi ipsis rebus, ut sunt in Verbo, quam secundum quod sunt in proprio genere; sed nulla res habet esse in proprio genere, quin cognoscatur ab anima Christi; sed enim omnia, quaecumque fiunt: ergo multo fortius scit omnia, quaecumque scimuntur a Verbo aeterno.

11. Item, aeque impossibile est contingentia certitudinaliter scire[4], sicut comprehendere infinita; sed anima Christi propter unionem sui ad Verbum certitudinaliter habet scientiam futurorum contingentium: ergo pari ratione et infinitorum.

12. Item, aeque difficile est cognoscere secreta, sicut cognoscere multa; sed anima Christi propter unionem sui ad Verbum scit secretissima cordium, quantumcumque sint intima: ergo pari ratione cognoscit quantumcumque multa: ergo infinita.

13. Item, anima Christi comprehendit omne comprehensibile a creatura; sed quaelibet species numeri est comprehensibilis a creatura: ergo comprehendit omnes species numeri. Sed species numeri, ut dicit Augustinus duodecimo de Civitate[5], sunt infinitae: ergo anima Christi comprehendit infinita.

14. Item, anima Christi comprehendit totum universum, ergo eius et omnes eius differentias: ergo non solum cognoscit differentias generales, verum etiam individuales, non solum ens actu, verum etiam ens in potentia; sed quaelibet species, quantum est de se, habet individua infinita in potentia[6]: ergo anima Christi comprehendit infinita.

15. Item, anima Christi comprehendit aliquod finitum, utpote lineam, ergo cognoscit principium lineae; sed principium lineae est punctus: ergo comprehendit punctum. Sed qui comprehendit aliquid novit illud secundum totum *posse* suum: ergo cum potentia puncti se extendat ad infinitas lineas, et anima Christi comprehendat totam puncti potentiam; necesse est, quod comprehendat infinita.

16. Item, anima Christi amat omne amabile, ergo pari ratione scit omne scibile; sed omne, quod scitur a Deo, est scibile: ergo anima Christi scit omne, quod scitur a Deo.

17. Item, anima Christi est omnino perfecta; sed in eo quod est omnino perfectum omne, quod est in potentia, est reductum ad actum; intellectus autem animae Christi est in potentia ad infinita, quia nunquam intelligit tot, quin plura possit intelligere: ergo cum intelligibilia in intelligente non se coangustent[7], ergo si tota ipsius potentia est ad actum reducta, necesse est, quod cognoscat infinita.

18. Item, si intellectus agens esset in plena actualitate respectu omnium, ad quae est possibilis in potentia; quilibet intelligeret infinita[8]: ergo cum in anima Christi Verbum sibi unitum sit in plena actualitate respectu omnium, respectu quorum est intellectus animae Christi in potentia: ergo anima Christi intelligit infinita.

19. Item, anima Christi aut potest *aliquid* addiscere, aut *nihil*. Si *aliquid* potest addiscere: ergo non est plene perfecta in scientia, pari ratione nec in gratia; si *nihil* potest addiscere: ergo tot scit, quod non potest plura scire: ergo necesse est, quod cognoscat infinita.

20. Item, anima Christi aut cognoscit *aliqua* eorum quae Deus potest facere et non faciet, aut *nihil*. Si *nihil* cognoscit eorum; quaero, quid impediat; aut enim hoc est, quia ipsa non potest ad illa se extendere, et illud est manifeste falsum; aut quia Deus non vult sibi revelare, et hoc est manifestum inconveniens, quia aufert illi animae summam familiaritatem ad Verbum sibi unitum. Si cognoscit *aliqua* eorum quae potest facere et non faciet; sed non est maior ratio, quare magis cognoscat hoc quam illud: ergo videtur, quod cognoscat omnia, quae sunt Dei possibilia: ergo infinita.

21. Item, anima Christi aut cognoscit *finita*, aut *infinita*. Si *finita* cognoscit; cum omnibus fini-

---

[1] Aristot., II. Topic. c. 4. (c. 10.): Contingit enim plura scire, intelligere autem non. Cfr. tom. III. pag. 114, nota 5.

[2] G *ergo ratione sua.*

[3] Cfr. supra pag. 3, nota 4.

[4] Vide Aristot., I. Perihermen. c. 7. (c. 9.) et I. Poster. c. 24. (c. 30.).

[5] Cap. 18. Vide supra q. 1. in corp.

[6] Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie:* Individua, quae sunt post specialissima [i. e. ultimam speciem], infinita sunt.

[7] Cfr. tom. III. pag. 313, nota 3.

[8] Vide II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 1. — F prosequitur *ergo cum anima Christi per Verbum* etc.

Digitized by Google

tis possint cogitari plura: ergo poterit aliqua anima plura cogitare, quam cognoscat anima Christi; sed hoc est inconveniens, quod aliqua anima in aliquo illam excedat: ergo necesse est ponere, quod cognoscat infinita.

Contra: 1. Psalmus [1]: *Mirabilis facta est scientia tua* etc.; Glossa: « Homo assumptus divinae substantiae non potest aequari in substantia nec in aliquo alio »: ergo anima Christi non comprehendit omnia, quae comprehenduntur a sapientia aeterna. Fundamenta.

2. Item, Augustinus, duodecimo de Civitate Dei [2]: « Infinitas numerorum scientiae Dei, quae comprehendit, non potest esse infinita »: ergo si anima Christi comprehendit infinita, infinita sunt ei finita; sed si infinita sunt ei finita, cum ipsa sit finita, non sunt infinita: ergo si comprehendit finita, non comprehendit infinita.

3. Item, Hugo, de Sapientia animae Christi [3]: « Hoc unum indubitanter affirmo, quod alia sapientia praeter divinam in anima Christi non fuit, aut si aliqua fuit, aequalis illi non fuit »; sed constans est, quod alia fuit, sicut ex praemissis apparet: ergo cum sapientia informativa et perfectiva animae et habilitativa non possit esse nisi creata, sapientia illa in Christo non se extendet ad comprehendenda omnia, quae comprehendit sapientia increata.

4. Item, omne creatum dispositum est in certo *pondere, numero et mensura* [4]: ergo anima Christi et eius sapientia habet certum numerum et mensuram; ergo non se extendit ad infinita.

5. Item, comprehendere infinita est actus pertransiens totaliter super immensitatem cognoscibilium; omnis autem talis actus est infinitus; actus autem infinitus non est nisi a virtute infinita, neque virtus infinita nisi in substantia infinita [5]: si ergo anima Christi finita est et limitata, cum sit creatura, impossibile est, quod infinita comprehendat.

6. Item, quanto substantia simplicior, tanto plurium est cognoscitiva [6]; sed anima Christi nec per naturam nec per gratiam sublimatur usque ad divinam simplicitatem: ergo non elevatur ad tot cognoscenda, quot cognoscit divina sapientia.

7. Item, sapientia Verbi est immensa limpiditate et numerositate; sed anima Christi numquam pervenit ad comprehendendum immensitatem lucis aeternae secundum omnimodam limpiditatem: ergo numquam pervenit ad cognoscendam omnimodam numerositatem.

8. Item, licet anima Christi uniatur essentiae Verbi, numquam tamen in tot existit rebus, in quot est ipsum Verbum; sed sicut se habet essentia ad essentiam, ita scientia ad scientiam: ergo numquam cognoscit omnia, quae cognoscit ipsum Verbum.

9. Item, scientia includit potentiam, quia *posse scire* *posse* aliquid est [7]; sed anima Christi non est capax potentiae infinitae, sicut potentiae creandi: ergo pari ratione nec scientiae se extendentis ad infinita.

10. Item, infinitas in creaturis attestatur imperfectionem [8]: si ergo sapientia animae Christi est perfectissima, ergo non admittit infinitatem nec ex parte cognoscentis nec ex parte cogniti nec ex parte modi cognoscendi.

11. Item, nullum creatum excedit aliud creatum in infinitum; sed si anima Christi cognosceret infinita; cum aliae animae non cognoscant nisi finita, excederet illas in infinitum: ergo exiret extra genus creatum. Sed hoc est manifeste falsum: ergo et illud, ex quo sequitur, scilicet quod anima Christi sit comprehensiva infinitorum.

12. Item, omne regulatum est in cognoscente [9]: ergo si anima Christi actu comprehenderet infinita, infinita actu essent in anima Christi; sed impossibile est ponere infinitum actu circa ens creatum: ergo impossibile est, quod anima Christi sit comprehensiva infinitorum.

CONCLUSIO.

Anima Christi in Verbo non comprehendit proprie infinita; quatenus tamen Verbum est exemplar factivum, *fertur in illud comprehendendo; sed quatenus est exemplar* expressivum, *in idem fertur non comprehendenda, sed excedendo.*

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod dupliciter contingit loqui de sapientia increata: aut secundum quod est exemplar *factivum et dispositivum*, aut secundum quod est exemplar *expressivum* sive repraesentativum. Primo Distinctio.

---

[1] Psalm. 138, 6. — Glossa est secundum Cassiod. in hunc loc. Cfr. supra pag. 35, nota 5.

[2] Cap. 18, ubi textus originalis *qua comprehenditur* pro *quae comprehendit*.

[3] In fine. Textus originalis: Hoc... quod *aut alia* [codd. *illa*] sapientia... aut si *alia* fuit, *qualis* illi non fuit. Cfr. tom. III. pag. 297, nota 4. — *Minor* ostensa est supra q. 5. — Inferius post *animae* F addit *Christi*.

[4] Sap. 11, 21: Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.

[5] Nam, ut communiter dicitur, *operari* sequitur *esse*; cfr. tom. I. pag. 81, nota 7.

[6] Cfr. Liber de Causis, propos. 10. et 17, nec non Aristot., III. de Anima. text. 3. seqq. (c. 4.).

[7] Richard. a S. Vict., VI. de Trin. c. 15: Potest esse multiplex potentia, ubi [v. g. in insensatis et brutis] nulla potest esse sapientia; e contra autem ubi nulla potentia est, nulla sapientia inesse potest. Nam posse sapere absque dubio est aliquid *posse*; dat igitur *esse posse* non sapientia potentiae, sed potentia sapientiae.

[8] Fit in *materia* secundum Aristot., III. Phys. text. 59-72. (c. 6. et 7.). Cfr. tom. I. pag. 360, nota 3. et pag. 765, nota 6.

[9] Cfr. tom. I. pag. 68, nota 2. — Inferius fide E F G eligimus lectionem *circa ens*, in aliis *esse ens*.

Digitized by Google

modo relucent in arte divinae sapientiae ea quae sunt, fuerunt et erunt; et haec sunt finita. Secundo modo relucent omnia, quae Deus potest facere et intelligere; et haec quidem sunt infinita, sicut in praecedentibus[1] monstratum fuit, et Augustinus expresse dicit duodecimo de Civitate Dei. — Anima igitur Conclusio 1. Christi utroque modo per cognitionem fertur in divinam sapientiam, sed differenter. In ipsam enim, Conclusio 2. secundum quod est *exemplar factivum*, fertur *comprehendendo*, quia illa quae in exemplari ut factivo et dispositivo continentur et repraesentantur finita sunt, ac per hoc et comprehensibilia. In exemplar Conclusio 3. vero, secundum quod est exemplar *expressivum* seu repraesentativum, fertur non *comprehendendo*, sed *excedendo;* quia, cum in ipso repraesententur infinita, incomprehensibilia sunt, scilicet a substantia finita. Et ideo anima Christi, cum sit creatura ac Conclusio 1. per hoc finita, quantumcumque sit unita Verbo, infinita non comprehendit, quia nec illis aequatur nec illa excedit; et ideo illa non omnimode *capit*, sed potius *capitur*, ac per hoc in illa non fertur per modum *comprehensionis*, sed potius per modum Quid sit modus excessus. *excessus*. *Excessivum* autem modum cognoscendi dico, non quo cognoscens excedat cognitum, sed quo cognoscens fertur in obiectum excedens excessivo quodam modo, erigendo se supra se ipsum. De quo cognoscendi modo Dionysius loquitur in libro de Mystica Theologia, et septimo capitulo de Divinis Nominibus[2] dicit sic: « Oportet agnoscere, nostrum intellectum quandam habere potentiam ad intelligendum, per quam videt intelligibilia, unionem vero excedentem intellectus naturam, per quam coniungitur ad ea quae sunt ultra se. Secundum hanc igitur divina intelligendo, non secundum nos, sed nos totos a nobis totis extra factos et totos deificatos; melius est enim Dei esse et non esse sui; sic enim erunt omnia credibilia iis Corollarium. qui sunt cum Deo ». — Hic autem modus cognoscendi per excessum est in via et in patria; sed in via ex parte, in patria vero est perfecte in Christo et in aliis comprehensoribus; sed in aliis est *caritate* tum ex parte mensuratae propriae gratiae, tum ex parte voluntatis divinae, quae non se cuilibet offert in omnimoda familiaritate; sed in anima Christi est *liberalissime*, tum quia ab ipsa habet gratiam ingidentem omnimode capacitatem suam, tum quia speculum aeternum praebet se ei manifestabile[3] secundum familiaritatem omnimodam.

Differt autem in Christo modus *comprehensionis* Differunt duo modi quadripaciter. et *excessus* multipliciter: primo, quia in comprehensivo cognoscens capit cognitum, in excessivo vero cognitum capit cognoscentem. — Secundo, quia in comprehensivo terminatur intelligentiae[4] aspectus, in excessivo vero intelligentiae appetitus. — Tertio, quia in comprehensivo fit actu considerans omnia praeterita, praesentia et futura; in excessu vero fit ad considerandum prompta. — Quarto, quia ex comprehensione percepta fit, ut nihil de novo addiscat; propter vero excessum fit, ut nihil addiscere possit[5]; et ideo, licet cognitio animae Christi per modum excessus quodam modo dici possit respectu infinitorum, cognitio tamen comprehensiva non est nisi respectu finitorum. Unde si secundum illam dicatur anima Christi cognoscere quaecumque Verbum cognoscit, hoc intelligitur de praeteritis, praesentibus et futuris, quae aliquo modo faciunt ad integritatem ipsius universi, quod plene et totaliter fuit ab instanti conceptionis descriptum in anima Christi Iesu. Et pro tanto dicitur anima illa habuisse omnem scientiam, non quia comprehendit omnia, quae cognoscit divina sapientia, cum illa sit infinita et comprehendi non possit a potentia finita, secundum quod ostensum est supra[6]. — Unde rationes, quae hoc ostendunt, sunt concedendae, quia irrefragabiliter verum concludunt. Conclusio 3.

1. 2. 3. Ad illud vero quod primo obiicitur in Solutio oppositorum. contrarium, quod anima Christi comprehendit omnia divina iudicia, et quod habet omnem scientiam, sicut habet Verbum sibi unitum; dici potest, quod illa dicuntur de homine assumpto propter communicationem idiomatum; vel certe dicuntur de iis quae sunt, fuerunt et erunt, quae quidem ab anima Christi comprehendi possunt: non autem est verum respectu omnium, quae intelligit divina sapientia, cum infinita cognoscat, sicut patet ex iis quae sunt praedeterminata. — Illud tamen quod obiicitur, quod nullus potest aliquid scire, quod anima eius ignorat; veritatem habet, cum aliquis nihil cognoscat nisi per animam, sicut est purus homo. In Christo autem, qui non tantum cognoscit per animam, sed etiam per divinam naturam, locum non habet propositio illa. Et per hoc patet responsio ad tres primo obiecta. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod animae videnti Deum angusta est omnis creatura; dicendum, quod illud est verum de creatura secundum *esse*, quod habet in proprio genere, non tamen secundum *esse*, quod habet in arte, qua ars illa nobilissima et perfectissima est, non angustiam habens, sed potius perfectionem. Unde si anima cognosceret totum universum secundum *esse*, quod habet in proprio genere; non tamen adhuc esset in perfecta cognitione et comprehensione, nisi et artem illam cognosceret, per Distinctio.

---

[1] Quaest. I, in cuius 4. fundam. atque in corp. allegatur etiam August., XII. de Civ. Dei, c. 18, et in 2. fundam. citatur XI. c. 10. n. 3.

[2] Paragr. 1, ex quo seqq. verba. De Mystica Theolog. cfr. c. 1. § 1. — Pro *intelligendo* versio Scoti Erig. *intelligendum* (νοητόν), pro *deificatos*, quod habet A, E F *defactos*, B *deificos* (θεοῦ γεγομένους). Finem verborum versio Scoti Erig. sic exhibet: Sic enim erunt divina data cum Deo futuris (τὰ θεῖα δοτὰ τοῖς μετὰ θεοῦ γεγομένοις).

[3] F minus bene *manifestissimae*.

[4] Codd. his *intelligentia*, sed videtur esse error.

[5] Cfr. infra solut. ad 19, 20, 21.

[6] Quaest. praeced. — Superius pro *omnem scientiam* A B *de omni scientiam*. Mox pro *illa sit... possit* F *illi sint... possint*.

Digitized by Google

quam universa fiunt. Et quia anima Christi omnia facta perfectissime comprehendit in illa arte, ideo in illa et per illam dicitur habere comprehensionem perfectam.

5. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi perfectissime est unita Verbo; dicendum, quod verum est, salva tamen limitatione naturae creatae, quam anima Christi non perdit, quia non desinit esse creatura; et quia infinita comprehendere repugnat limitationi creaturae: hoc est, quod non potest inferri ex unione illa, quantumcumque intelligatur perfecta.

6. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi simul cognoscit multa, quia cognoscit unu, quod pari ratione debeat cognoscere infinita; dicendum, quod non est simile: quia multitudo cum simultate non repugnat limitationi creaturae, infinitas autem cum actualitate et simultate omnimode repugnat; et ideo non est argumentum *a simili*, sed a valde dissimili. Notandum.

7. Ad illud quod obiicitur, quod Verbum aeternum aequaliter repraesentat; dici potest, quod illud habet falsitatem, quia *repraesentare* dicit actum ad alterum; Deus autem, etsi in se uniformis sit, tamen multiformiter illustrat et manifestat; et cum infinita cognoscat, quaedam ex eis approbat et quaedam reprobat, quaedam disponit facere, quaedam vero minime, quaedam voluntarie ostendit, quaedam occulte. Quid sit repraesentare. — Praeterea, esto quod quantum est de se, uniformiter omnia cognoscat, adhuc ratio non concludit, quia «omne receptum est in recipiente per modum recipientis et non per modum recepti[1]»; et ideo, cum virtus illa capiens finita sit, impossibile est, etsi totum sibi ultro offeratur, quod totum capiat et comprehendat, sed secundum quod competit sibi; sicut exemplo apparet, si totus Sequana[2] offert se afferenti amphoram, non tamen totus comprehenditur, sed quantum et quomodo capacitas amphorae se extendit. Alia ratio.

8. Ad illud quod obiicitur, quod potentior est anima Christi ad cognoscendum per Verbum sibi unitum, quam aliqua alia[3] anima per habitum sibi datum; dicendum, quod verum est, sed ex hoc non sequitur, quodsi anima comprehendit omnia, ad quae se extendit habitus, quod propter hoc cognoscat anima Christi omnia, quae cognoscit per ipsum Verbum: quia anima comprehendit ipsum habitum tanquam sibi proportionalem et in multo excelentem ipsius capacitatem; non sic anima Christi comprehendit Verbum sibi unitum, cum eius capacitatem excedat in infinitum. Notandum.

9. Ad illud quod obiicitur, quod totum cognoscit, ergo totam potentiam; dicendum, quod ratio illa non valet, quia *totum*, dictum de *Verbo*, dicit privationem partis et partis vel positionem omnimodae perfectionis; dictum autem de *potentia*, quia potentia dicit comparationem ad possibilia, dicit distributionem respectu omnium possibilium; et sic variatur eius acceptio, et ideo non procedit ratio illa. Totum duplicitur intelligitur.

10. Ad illud quod obiicitur, quod propinquior est anima Christi ipsis rebus, prout sunt in Verbo, quam prout sunt in proprio genere; dicendum, quod licet sit propinquior, non tamen est proportionalior. Comprehensio autem aliqua modo claudit in se rationem proportionalitatis, et quod finitum sit cognitum cognoscenti; et ideo, quia in proprio genere finitae sunt et proportionales illi animae, ideo comprehensibiles sunt, non autem prout sunt in illius artis immensitate, nisi forte intelligatur, secundum quod sunt in ipsa tanquam in exemplari *factivo*. Et hoc modo concedi potest, ipsas comprehendi ab anima Christi, alio vero modo non, propter immensitatem et improportionalitatem.

11. Ad illud quod obiicitur, quod aeque impossibile est contingentia certitudinaliter scire, sicut et infinita comprehendere; dicendum, quod illud non habet veritatem: quia, licet *contingentia certitudinaliter cognoscere* sit impossibile secundum cognitionem naturae; sit tamen possibile secundum illustrationem supra naturam, quae elevat animam ad cognoscendum res in arte aeterna, in qua immutabiliter sunt tam contingentia quam necessaria; sed *comprehendere actu infinita* non tantum est impossibile cognitione naturali, verum etiam cognitione gratuita, pro eo quod utraque est creata et limitata, ac per hoc non se extendit ad actu infinita. Notandum.

12. Ad illud quod obiicitur de comparatione secretorum et infinitorum, dicendum, quod non est simile, sicut ex dictis patet: quia perceptio secreti quantumcumque occulti non dicit aliquid incompossibile naturae ipsius intellectus creati. Non sic est de comprehensione infiniti, quae implicat infinitatem in actu, et per hoc in substantia et virtute; quod nullo modo admittit aliqua creatura, nec per gratiam nec per gloriam.

13. Ad illud quod obiicitur, quod quodlibet comprehensum est comprehensibile a creatura; dicendum, quod licet singillatim de qualibet re possit concedi, quod sit comprehensibilis a creatura, quia quaelibet est finita; omnes tamen insimul sunt infinitae, et ideo incomprehensibiles. Et ideo ratio illa non procedit, pro eo quod procedit a partibus divisis sumtis ad easdem, ut colligantur in unum. Unde sicut non valet illud argumentum: domus ista potest capere quemlibet hominem per se, ergo potest capere omnes homines; sic nec illud valet.

---

[1] Hoc communissimum Scholasticorum axioma ex Aristotele, II. de anima text. 24. (c. 2.), formavit Boetius, sed verbis aliquantum diversis; de quo cfr. tom. II. pag. 361, nota 3.

[2] Fluvius Galliae, qui vulgo dicitur *la Seine*; codd. scribunt *secane*, vel *secanu*, vel *feceu*.

[3] Ex F adiectum *alia*.

14. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi comprehendit omnes entis differentias, et quod potentia cuiuslibet speciei se extendit ad infinita individua; dicendum, quod dupliciter est intelligere potentiam ad infinita, scilicet potentiam *activam* et potentiam *passivam*. Potentia *activa* ad infinita non est nisi in creatrice essentia, quae est actu infinita. Si autem ponatur in creatura potentia respectu infinitorum, est potentia *passiva* tantum, quae radicatur super finitum, habet tamen respectum ad infinitum principium activum, secundum illud quod dicitur in Libro de Causis[1]: « Omnes virtutes infinitae pendentes sunt per unum infinitum principium, quod est virtus virtutum ». Secundum hoc dupliciter potest intelligi, cognosci sive comprehendi potentia infinita in creatura: vel quantum ad id, *supra quod radicatur* in creatura; et quia illud est actu finitum, ideo est comprehensibile; vel quantum ad *principium activum* extra, quod est actu infinitum. *Primo* modo anima Christi comprehendit omnes entis differentias, tam in generibus respectu specierum, quam in speciebus respectu individuorum; *secundo* modo, prout refertur ad activam potentiam infinitam, cognoscit utique, non tamen per modum cognitionis *comprehensivae*, sed *excessivae*, sicut supra monstratum est. Et per hoc patet responsio.

Duplex potentia.

Duplex modus intelligendi.

15. 16. Ad illud quod obiicitur de puncto et de amabili et scibili, dicendum, quod[2] verum est, quod comprehendit omne amabile et scibile secundum *esse*, quod habet in propria natura; secundum autem *esse*, quod habet in causa prima infinita, sic dicitur scibile et comprehensibile soli potentiae infinitae; quia, licet secundum *modum* videatur aliquid creatum dicere, tamen secundum *rem* nihil dicit nisi potentiam efficientis, quae, cum sit infinita, a nullo finito potest comprehendi.

Notandum.

17. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi est omnino perfecta, et quod nihil remansit in potentia, quod non sit reductum ad actum; dicendum, quod verum est de potentia, quae est reducibilis ad actum omnino; potentia autem ad infinita nunquam ad actum reduci potest secundum totum[3] nisi secundum partem. Unde impossibile est, quod Deus faciat, quod continuum sit omnino divisum in omnia, in quae potest dividi; hoc enim repugnat perfectioni potentiae ipsius agentis et completioni creaturae, quae tota est esse in finitate[4]; et talis est potentia intellectus possibilis.

Notandum.

18. Ad illud vero quod obiicitur, quodsi intellectus agens esset in actu respectu omnium, ad quae possibilis est in potentia, quod tunc anima intelligeret infinita etc.; dicendum, quod non est simile: quia, si intellectus agens esset actu respectu infinitorum, secundum quod est potentia animae; tunc anima propria sua virtute se extenderet ad infinita. Non sic autem est in anima unita sapientiae aeternae: quia sapientia illa, etsi se extendat ad infinita, non est aliquid ipsius animae, sed supra animam; et ideo non oportet propter hoc, quod competat ipsi animae scire infinita. *Praeterea*, *possibilis* intellectus est proportionalis *agenti*, non sic sapientia increata ipsi animae intelligenti.

Notandum.

19. 20. 21. Ad illud quod obiicitur de anima Christi, utrum possit aliquid addiscere, et utrum cognoscat aliqua eorum quae Deus facturus non est et facere potest, et utrum cognoscat finita tantum, vel etiam infinita; patet responsio per distinctionem superius habitam: quia, cum anima Christi cognitionem *comprehensivam* habeat respectu omnium, quaecumque in universo fiunt, et *excessivam* respectu omnium, quae in divina arte continentur, et *excessus* ille sit in totalitate virtutis cognoscentis, et in summa familiaritate respectu speculi repraesentantis; oportet[5], quod anima Christi etsi non omnia *comprehendat*, quae divina sapientia comprehendit, quia tamen in omnia illa *excellit*, ideo totus eius *appetitus* est terminatus; ut, sicut nihil ultra adhici possit eius *gratiae*, sic nihil ultra adhici possit eius *sapientiae*, quia tantum datum est ei, quantum conceli potest alicui creaturae.

Epilogus omnium huius tractatus quaestionum.

Ex his igitur quae dicta sunt et praeleterminata de sapientia Christi et quantum ad *divinam* naturam et quantum ad *humanam*, apparere potest modus cognoscendi tam in cognitione Creatoris quam in cognitione creaturae, non solum in statu *patriae*, verum etiam in statu *viae*. Ut enim sit ad unum dicere, fatendum est, Deum scire infinita, scire, inquam, se ipso, non similitudine; et similitudine non accepta, sed ipsa veritate exprimente et exemplativa rerum universarum, respectu quarum multae dicuntur similitudines et expressiones, non propter multitudinem et distinctionem secundum se[6], sed secundum intelligendi rationem; hae autem similitudines sive rationes aeternae sunt, a quibus manat omnis certitudo cognitionis creatae, tam in anima Christi quam in aliis spiritibus creatis; nec ipsae solae sunt rationes cognoscendi, sed cum his etiam similitudines acceptae ab extra; secundum statum viae et secundum statum patriae non solum requiritur lucis aeternae praesentia, sed etiam lucis aeternae influentia, non tantum Verbum increatum, sed etiam verbum interius concreatum; quod cum sit finitum, nec anima Christi nec aliqua alia anima potest esse *comprehensiva* Verbi aeterni nec scibilium infinitorum,

---

[1] Propos. 16: Omnes virtutes, quibus non est finis, pendentes sunt per infinitum primum, quod est etc.

[2] Ponimus cum F *dicendum, quod*, per quo alii tantum *quod*, et inferius cum eodem *prima infinita* pro *potentia infinita*.

[3] Videtur excidisse *sed non* post *totum*.

[4] Vide l. Sent. d. 43. q. 3. ad 6.

[5] Ita F, in aliis omittitur *oportet*.

[6] DF *secundum rem*.

Digitized by Google

licet in ea ferri habeat *per excessum;* qui quidem excessus est ultimus modus cognoscendi et nobilissimus, quem in omnibus libris suis laudat Dionysius, et maxime in libro de Mystica Theologia. De quo etiam mystice quasi est tota Scriptura divina, et de quo Apocalypsis secundo [1]: *Dabo ei calculum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit;* quia istum cognoscendi modum vix aut nunquam intelligit nisi expertus, nec expertus, nisi qui est *in caritate radicatus et fundatus, ut possit comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo, latitudo* etc.; in quo etiam experimentalis et vera consistit sapientia, quae inchoatur in via et consummatur in patria; ad cuius circumloquutionem magis sunt idoneae negationes quam affirmationes, et superpositiones quam positivae praedicationes; ad cuius experientiam plus valet internum silentium quam exterius verbum. Et ideo hic finis verbi habendus est, et orandus Dominus, ut experiri [2] det quod loquimur [3].

---

[1] Vers. 17: Vincenti dabo manna absconditum et dabo illi calculum candidum et in calculo etc. — Alter textus est Epist. 3, 17: In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere etc. — Inferius pro *experimentalis*, quod habet A, alii *experibilis;* deinde pro *et* A B E G *est*, alii *in*, denique substituimus *quae* pro *aut*.

[2] A B E addunt *vos*. — Cfr. Dionys., de Mystica Theolog. c. 1. seqq.

[3] In hac quaestione solvendi S. Doctor aliquatenus recedit a via (vel saltem a modo loquendi), quam secutus est in III. Sent., d. 14. a. 2. q. 2. 3, ut ibi (in scholio ad q. 3.) iam observavimus, ubi simul recensuimus diversas de hac re opiniones antiquorum magistrorum, praesertim S. Thomae, qui diffuse de hoc disputat (de Veritate q. 20. a. 4. 5.). Attamen S. Bonaventura in utroque loco firmiter tenet, quod anima Christi, cum sit finita, non possit *actu cognoscere* sive *considerare* infinita, et quod hoc sensu nequeat omnia cognoscere, quae aeterno actu cognoscit ipsum Verbum. Nihilominus idem in utroque loco « propter auctoritates Sanctorum... et pro reverentia Christi » (hoc. cit. q. 3. in fine) nititur animae Christi hanc dignitatem vindicare, quod aliquo alio sensa et modo cognoscat omnia, quae eo ipso scit Verbum ipsi unitum. Hinc in Commentario suo ultimae distinctione inter cognitionem *actualem* et *habitualem*, atque huic habituali, quae quoad obiectum primarium semper est *in actu*, simul attribuit *infinitatem respectuum* ad obiecta secundaria, ita ut *eodem habitu* et *vi eiusdem actus* obiectum principale resplendentis facie et pro libitu etiam secundaria possint considerari. Unde illa « habitualis cognitio non ponit infinitatem actualem in ipso *habitu*, vel in *potentia* cognoscente, sed solum in *ratione cognoscendi*, vel in *comparatione* habitus cognoscendi *ad ipsa cognoscibilia* » (ibid.). Nulla autem ibidem III mentio distinctionis inter cognitionem per *modum comprehensionis* et per modum *excessuum*, qua S. Doctor hic nitur ad eundem finem obtinendum. Ceterum neque hoc loco meminit illius distinctionis, quam ponit in Commentario. — Consideratis omnibus, nobis nunc videtur, tum quod hi duo modi rem explicandi non se excludant, sed potius invicem magis declarent, tum quod incertum sit, quae via tempore prius a S. Doctore sit excogitata.

Digitized by Google

Digitized by Google

QUAESTIONES DISPUTATAE

DE MYSTERIO TRINITATIS

Volentes circa mysterium Trinitatis aliquid indagare, divina praevia gratia, duo praemittimus tamquam praeambula; quorum primum est fundamentum omnis cognitionis certitudinalis; secundum est fundamentum omnis cognitionis fidelis.

Primum est, utrum Deum esse sit verum indubitabile.

Secundum est, utrum Deum esse trinum sit verum credibile.

QUAESTIO I.

De certitudine, qua existentia Dei cognoscitur, et de fide, qua eiusdem Trinitas creditur.

ARTICULUS I.

Utrum Deum esse sit verum indubitabile.

Quaeritur ergo primo, utrum Deum esse sit verum indubitabile? Et quod sic, ostenditur triplici via. Prima est ista: omne verum omnibus mentibus impressum est verum indubitabile. — Secunda est ista: omne verum, quod omnis creatura proclamat, est verum indubitabile. — Tertia est ista: omne verum in se ipso certissimum et evidentissimum est verum indubitabile[1].

Tripla via.

Circa igitur *primam viam* sic proceditur et ostenditur tam *auctoritatibus* quam *rationibus*, quod Deum esse sit omnibus mentibus rationalibus impressum.

Via prima.

1. Damascenus, in libro primo[2], capitulo tertio: « Cognitio existendi Deum naturaliter nobis inserta est ».

Fundamentatio.

2. Item, Hugo[3]: « Deus sic notitiam suam in homine temperavit, ut sicut nusquam *quid esset* totum poterat comprehendi, ita nusquam *quia esset* prorsus posset ignorari ».

3. Item, Boethius[4]: « Inserta est mentibus hominum veri bonique cupiditas »; sed affectio veri boni praesupponit cognitionem eiusdem: ergo mentibus hominum impressa est cognitio veri boni et cupiditas maxime desiderabilis. Hoc autem bonum Deus est: ergo etc.

4. Item, Augustinus de Trinitate in pluribus locis[5] dicit, quod imago consistit in mente, notitia et amore, et quod ratio imaginis attenditur in anima per comparationem ad Deum: si ergo impressum est animae a natura esse imaginem Dei; habet ergo naturaliter sibi insertam notitiam Dei. Sed primum cognoscibile de Deo est, Deum esse: ergo illud naturaliter insertum est menti humanae.

5. Item, Philosophus[6] dicit, quod « inconveniens esset, nos habere nobilissimos habitus, et illos latere nos »: ergo cum Deum esse sit verum nobilissimum, nobis praesentissimum, inconveniens est, illud verum latere intellectum humanum.

---

[1] Similis quaestio solvitur I. Sent. d. 8. p. I. a. 1. q. 2.

[2] De Fide orthod. Cfr. ibid. c. 1.

[3] Libr. I. de Sacram. p. III. c. 1: Deus enim sic ab initio notitiam sui ab homine etc.

[4] Libr. III. de Consol. prosa 2: Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas. — De *maiori* Cfr. August., X. de Trin. c. 4. et 2. n. 4-4.

[5] Libr. IX. c. 2. n. 2. seqq.; XII. c. 5. n. 5. seqq.; XIV. c. 8. n. 11. seqq. Cfr. I. Sent. d. 3. p. II. a. 1.

[6] Libr. II. Poster. c. 18. (c. 15.).

Digitized by Google

6. Item, insertus est mentibus hominum *appetitus sapientiae*, quia dicit Philosophus[1]: « Omnes homines natura scire desiderant »; sed sapientia maxime appetibilis est sapientia aeterna: ergo illius sapientiae potissime insertus est appetitus menti humanae. Sed non est amor, ut dictum est prius, nisi aliquo modo cogniti; ergo oportet, quod illius summae sapientiae notitia qualiscumque sit menti humanae impressa. Sed hoc est primo scire, ipsum Deum vel sapientiam esse: ergo etc.

7. Item, *appetitus beatitudinis* adeo est nobis insertus, ut nullus possit dubitare de altero, utrum velit esse beatus, ut in pluribus locis dicit Augustinus[2]; sed beatitudo consistit in summo bono, quod Deus est: ergo si talis appetitus sine aliquali notitia esse non potest, necesse est, quod notitia, qua scitur, summum bonum sive Deum esse, sit inserta ipsi animae.

8. Item, insertus est ipsi animae *appetitus pacis*, et adeo insertus, ut quaeratur per summa contrarium, nec etiam ipse appetitus auferri potest ab ipsis damnatis et daemonibus, secundum quod ostenditur decimo nono de Civitate Dei[3]. Si ergo pax mentis rationalis non est nisi in ente immutabili et aeterno, et appetitus praesupponit notionem vel notitiam; notitia entis immutabilis et aeterni inserta est spiritui rationali.

9. Item, insertum est animae *odium falsi*; sed omne odium habet ortum ex amore: ergo multo fortius insertus est animae *amor veri*, et illius potissime, ad quod iam anima facta est. Si ergo illud est verum primum, necessario sequitur, quod notitia primi veri sit inserta menti rationali. — Quod autem odium falsi sit insertum menti humanae, apparet per hoc, quod nullus vult falli, sicut dicit Augustinus decimo Confessionum[4]. — Quod *iterum* odium causetur ex amore, ostendit Augustinus decimo quarto de Civitate Dei; nullus enim odit aliquid, nisi quia amat eius oppositum.

10. Item, inserta est animae rationali *notitia sui*, eo quod anima sibi praesens est et se ipsa cognoscibilis[5]; sed Deus praesentissimus est ipsi animae et se ipso cognoscibilis: ergo inserta est ipsi animae notitia Dei sui. *Si dicas*, quod non est simile, quia anima est sibi proportionalis, non sic Deus proportionalis animae; *contra:* nulla est instantia: quia, si ad cognitionem necessario requireretur proportionalitas, anima nunquam ad Dei notitiam perveniret, quia proportionari ei non potest, nec per naturam nec per gratiam nec per gloriam.

His igitur rationibus ostenditur, quod Deum esse sit menti humanae indubitabile, tanquam sibi naturaliter insertum; nullus enim dubitat nisi de eo, de quo non habet certam notitiam. Conclusio viae 1.

Item ostenditur hoc ipsum secunda via sic: omne verum, quod clamat omnis creatura, est verum indubitabile; sed Deum esse clamat omnis creatura: ergo etc. — Quod autem omnis creatura clamet, Deum esse, ostenditur ex decem conditionibus et suppositionibus per se notis. Via secunda. Suppositio 10.

11. Prima est ista: si est *ens posterius*, est et *ens prius*, quia posterius non est nisi a priori[6]: si ergo est universitas posteriorum, necesse est, esse ens primum. Si ergo necesse est ponere, aliquid esse prius et posterius in creaturis; necesse est, universitatem creaturarum inferre et clamare primum principium.

12. Item, si est *ens ab alio*, est *ens non ab alio:* quia nihil educit se ipsum de *non-esse* in *esse*[7]: ergo prima ratio educendi necesse est, quod sit in ente primo, quod ab alio non educitur. Si ergo *ens ab alio* dicitur ens *creatum*, et *ens non ab alio* dicitur ens *increatum*, quod Deus est; omnes entis differentiae inferunt, Deum esse.

13. Item, si est *ens possibile*, est *ens necessarium:* quia *possibile* dicit indifferentiam ad *esse* et *non-esse;* nihil autem indifferens ad *esse* et *non-esse* potest esse nisi per aliquid, quod est omnino determinatum ad *esse*[8]. Si ergo ens necessarium, nihil habens omnino de possibilitate ad *non-esse* non est nisi Deus, omne autem aliud habet aliquid de possibilitate, quaelibet eius differentia infert, Deum esse.

14. Item, si est *ens respectivum*, est *ens absolutum:* quia respectivum nunquam terminatur nisi ad absolutum[9]; sed ens absolutum a nullo dependens non potest esse nisi quod nihil recipit aliunde; hoc autem est ens primum, omne autem aliud ens est habens aliquid de dependentia: ergo necesse est, quod quaelibet entis differentia inferat, Deum esse.

15. Item, si est *ens diminutum* sive *secundum quid*, est *ens simpliciter:* quia ens *secundum quid* nec esse nec intelligi potest, nisi intelligatur per *ens*

---

[1] Libr. I. Metaph. c. 1. — Quod amor supponat cognitionem, docet August. (supra pag. 45, nota 4.) pro *minori* 3. arg.

[2] Praeter locos citt. IV. Sent. d. 49. p. 1. q. 2. cfr. XIII. de Trin. c. 3. n. 3. et c. 4. n. 7. (in fine) seqq. et c. 20. n. 23.

[3] Cap. 13. n. 1. seq. Cfr. ibid. c. 11. et 12, ubi August. ostendit, parem in rebus terrenis esse bonum gratissimum, et ad illud obtinendum geri bella. — Superius post *quaeratur* F supplet *pax* et post *ipse appetitus* addit *pacis*.

[4] Cap. 23. n. 33. seq. — Seq. sententia habetur XIV. de Civ. Dei, c. 7. n. 2. — Superius possimus cum F H *odium falsi*, in aliis *odium mali*.

[5] Ut ostendit August. IX. de Trin. c. 3. n. 3. seqq. et X. c. 3. n. 5. seqq. — Aliquanto inferius voci *nunquam* cum F praemisimus *anima*.

[6] Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 7. (c. 1.), II. Metaph. text. 10. (l. brevior c. 2.) et V. text. 16. (IV. c. 11.). — Mox pro *posteriorum* A B *posterior*.

[7] Aristot., II. de Anima, text. 47. (c. 4.): Generat autem nihil ipsum se ipsum. Cfr. August., I. de Trin. c. 1. n. 1.

[8] Vide Avicennam, Metaph. tr. 1. c. 7.

[9] Aristot., I. Ethic. 6: Quod vero *per se* est et substantia prius eo natura est, quod est *ad aliquid* [i. e. relativum]; *esse* enim hoc appendix quaedam videtur atque accidens eius quod est.

Digitized by Google

simpliciter, nec *ens diminutum* nisi per *ens perfectum*, sicut privatio non intelligitur nisi per habitum[1]. Si ergo omne ens creatum est *ens secundum partem*, solum autem ens increatum est *ens simpliciter* et perfectum; necesse est, quod quaelibet entis differentia inferat et concludat, Deum esse.

16. Item, si est *ens propter aliud*, est *ens propter se ipsum*, alioquin nihil esset bonum[2]; sed *ens propter se ipsum* non est nisi ens illud, quo nihil est melius, quod quidem est ipse Deus: ergo cum universitas aliorum entium sit ordinata ad illud; universitas entium infert Deum et secundum *esse* et secundum *intellectum*.

17. Item, si est *ens per participationem*, est *ens per essentiam*: quia *participatio* non dicitur nisi respectu alicuius *essentialiter* habiti ab aliquo, cum omne *per accidens* reducatur ad *per se*[3]; sed quodlibet ens aliud a primo ente, quod Deus est, habet *esse per participationem*, illud autem solum habet *esse per essentiam*: ergo etc.

18. Item, si est *ens in potentia*, est *ens in actu*: quia nunquam potentia est reducibilis ad actum nisi per ens in actu, nec esset potentia, nisi esset reducibilis ad actum[4]: si ergo ens, quod est actus purus, nihil habens de possibilitate, non est nisi Deus; necesse est, quod omne aliud a primo ente inferat, Deum esse.

19. Item, si est *ens compositum*, est *ens simplex*: quia compositum non habet *esse* a se[5], ergo necesse est, quod a simplici recipiat originem; sed ens simplicissimum, nihil de compositione habens non est nisi ens primum: ergo omne aliud ens infert Deum.

20. Item, si est *ens mutabile*, est *ens immutabile*: quia, secundum quod probat Philosophus[6], motus est ab ente quieto et propter ens quietum: si ergo ens omnino immutabile non est nisi illud ens primum, quod Deus est, cetera autem creata, eo ipso quod creata, sunt mutabilia; necesse est, quod Deum esse inferatur a qualibet entis differentia.

Ex his igitur decem suppositionibus necessariis
Conclusio viae 2. et manifestis infertur, quod omnes entis differentiae sive partes inferunt et clamant, Deum esse. Si ergo omne tale verum est verum indubitabile: ergo necesse est, quod Deum esse sit indubitabile verum.

Hoc idem monstratur tertia via sic. Omne ve- Via tertia.
rum, quod est adeo certum, quod non potest cogitari non esse, est verum indubitabile; sed Deum esse est huiusmodi: ergo etc. *Prima* per se nota est, *secunda* ostenditur multipliciter.

21. Nam Anselmus, Proslogii capitulo quarto: « Bone Domine, gratias tibi, quia quod credidi prius, te donante, iam sic intelligo, te illustrante, ut si nolim te esse credere, non possim non intelligere ».

22. Item, hoc ipsum probat Anselmus[7] sic: Deus est quo nihil maius cogitari potest; sed quod sic est, quod non potest cogitari non esse, verius est, quam quod cogitari potest non esse: ergo si Deus est quo nihil maius cogitari potest, Deus non poterit cogitari non esse.

23. Item, ens, quo nihil maius potest cogitari, est talis naturae, quod non potest cogitari, nisi sit in re: quia, si est in cogitatione sola, iam ergo non est ens, quo nihil maius cogitari possit: ergo si tale ens cogitatur esse, necesse est, quod tale ens sit in re, quod non posset cogitari non esse[8].

24. Item, Anselmus[9]: « Tu solus es quidquid esse melius est quam non esse »; sed omne verum indubitabile melius est quam omne verum dubitabile; ergo Deo magis est attribuendum esse indubitabiliter quam dubitabiliter.

25. Item, Augustinus dicit in Soliloquiis[10], quod nulla veritas videri potest nisi per primam veritatem; sed verum, per quod omne aliud verum videtur, est verum maxime indubitabile; ergo Deum esse, est verum non solum indubitabile, sed etiam quo nihil indubitabilius cogitari potest: ergo est tale verum, quod non potest cogitari non esse.

26. Item, hoc ipsum sic probat[11]: quidquid contingit cogitare contingit enuntiare; sed nullo modo contingit enuntiare, Deum non esse, quin cum hoc enuntietur, Deum esse. Et hoc patet sic: quia, si nulla veritas est, verum est, nullam veritatem esse; et si hoc est verum, aliquid est verum; et si aliquid est verum, primum verum est: ergo si non potest enuntiari, Deum non esse, nec cogitari.

---

[1] Cfr. tom. III. pag. 802, nota 8. Vide etiam supra pag. 19, nota 8.

[2] Vide Boeth., de Hebdomadibus, sive Quomodo substantiae in eo, quod sint, bonae sint etc.; Aristot., XII. Metaph. text. 52. (XI. c. 10.). — Mox post *nisi* F prosequitur *illud bonum, quo nihil est neque excogitari potest melius etc.*

[3] Aristot., II. Phys. text. 66. (c. 6.): Nihil autem *secundum accidens* est prius iis quae *per se* sunt. IV. Metaph. text. 18. (III. c. 4.) sit: Si igitur quod magis est propinquius est, profecto erit aliquid verum, cui propinquius est quod magis verum est.

[4] Cfr. Aristot., IX. Metaph. text. 13. (VIII. c. 8.).

[5] Vide Lib. de Causis, propos. 21. seq., et Richard. a S. Vict., V. de Trin. c. 4, ex quo tom. II. pag. 867, nota 1. quaedam allata sunt. — Interius post *nisi* F addit *Deus quod est*. In fine arg. G supplet *esse*, H legit *infert primum vel Deum*.

[6] Libr. VIII. Phys. text. 33. seqq. (c. 5.). et XII. Metaph. text. 35. seqq. (XI. c. 7.). Cfr. Lib. de Causis, propos. 18.

[7] Proslog. c. 3. 4. et 15. Libro contra insipientem etc. c. 4. seqq. His locis insinuatur etiam seq. arg.

[8] F *ergo si tale ens est Deus, necesse est, quod ipsum non possit cogitari non esse.*

[9] Proslog. c. 5: Tu es itaque iustus, verax, beatus et quidquid melius est esse quam non esse. Cfr. Ibid. c. 11. in fine.

[10] Libr. I. c. 8. n. 15. Cfr. tom. I. pag. 153, nota 5.

[11] Libr. I. Soliloq. c. 15. n. 27. seqq. et II. c. 2. n. 2. c. 15. n. 28. Cfr. Anselm., Monolog. c. 18. in fine. — In fine arg. pro *ergo si* G *ergo sic.*

Digitized by Google

27. Item, quanto veritas est prior et universalior, tanto notior[1]; sed haec veritas, qua dicitur primum ens esse, est prima omnium veritatum et secundum rem et secundum rationem intelligendi: ergo necesse est, ipsam esse certissimam et evidentissimam. Sed veritates dignitatum seu communium animi conceptionum adeo sunt evidentes propter suam prioritatem, quod non possunt cogitari non esse: ergo nullus intellectus potest ipsam primam veritatem cogitare non esse, seu de ipsa dubitare.

28. Item, « nulla propositio est verior illa, in qua idem de se praedicatur[2] »; sed cum dico, Deum *esse*, *esse* dictum de Deo est idem omnino quod Deus, quia Deus est ipsum *esse* suum: ergo nulla verior et evidentior est illa, qua dicitur, Deum esse; ergo nullus potest cogitare, ipsam esse falsam, sive de ipsa dubitare.

29. Item, nullus potest ignorare, hanc esse veram: optimum est optimum, seu cogitare, ipsam esse falsam; sed optimum est ens completissimum, omne autem ens completissimum hoc ipso est ens actu: ergo si optimum est optimum, optimum *est*. — Similiter argui potest: si Deus est Deus, Deus *est;* sed antecedens est adeo verum, quod non potest cogitari non esse; ergo Deum esse est verum indubitabile[3].

Sed e contrario ostenditur, quod Deum esse *possit cogitari* non esse et quod sit verum *dubitabile*. Quod enim *possit cogitari* non esse, ostenditur sic.

1. Psalmus[4]: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus;* sed *dicere in corde* est cogitare: ergo Deum non esse potest cogitari, saltem ab insipiente. Ad oppositum.

2. Item, Damascenus, in primo libro[5], capitulo tertio: « In tantum praevaluit perniciosa malitia humanae naturae, ut quosdam in irrationabilissimum et omnium malorum pessimum perditionis deduceret barathrum, ut dicant, Deum non esse »: ergo saltem a malignis hominibus cogitari potest, Deum non esse.

3. Item, *idolum nihil est*, sicut dicitur primae ad Corinthios octavo[6]: ergo idem est cogitare, Deum esse idolum, et Deum non esse; sed cogitabile est et aliquando cogitatur, Deum esse idolum: ergo cogitabile est, Deum nihil esse.

4. Item, quod contingit *significare* contingit et *cogitare;* sed contingit *significare*, Deum non esse, ut per hanc orationem: Deus non est: ergo contingit illud *cogitare*.

3. Item, obiicitur contra rationem Augustini, quando probat, quod per hanc propositionem: nulla veritas est, infertur, aliquam veritatem esse. Si enim est haec propositio vera: aliqua veritas est, habet ergo contradictoriam; sed nulla contradictoria infert vel ponit, immo potius privat suam contradictoriam; ergo per hoc quod est, nullam veritatem esse, non concluditur, aliquam veritatem esse.

6. Item, obiicitur contra rationem Anselmi, qua probat, Deum esse, per hoc, quod ens, quo nihil maius cogitari potest, est in cogitatione; quia pari ratione cogitari potest, si aliquis cogitet insulam, qua nihil maius cogitari potest, quod illa insula sit in re[7]: ergo si illa ratio nulla est, nulla igitur est ratio, quam fecit Anselmus.

7. Item, quaeritur: pro quanto dicitur, quod Deum esse non potest cogitari non esse? Si quia *nullo modo* potest cadere in cogitatione, illud est manifeste falsum: si quia non potest *vere* cogitari, pari ratione et omne verum necessarium erit tale verum.

Item, ostenditur, quod Deum esse sit verum *dubitabile*.

8. Richardus de Sancto Victore[8]: « Nihil certius tenemus, quam quod fide apprehendimus »; sed de his quae fide apprehendimus potest esse dubitatio: ergo multo fortius de omni alio cognito.

9. Item, quod maxime latet maxime admittit dubitationem: sed Deus est maxime latens, cum *habitet lucem inaccessibilem*[9]: ergo de ipso et circa ipsum maxime contingit dubitare: ergo si de aliis contingit dubitare, utrum *sint*, multo fortius de Deo.

10. Item, contingit dubitare de his quae sunt infra animam et iuxta animam; sed haec sunt animae magis accessibilia, quam illa quae sunt supra animam: si ergo Deum esse est verum, quod est supra intellectum humanum; videtur, quod de ipso maxime contingit dubitare.

11. Item, idem est Deo *Deum esse* et *iustum esse;* sed contingit de Deo dubitare, an *sit iustus:* ergo pari ratione contingit dubitare, an *sit*.

12. Item, frustra nititur quis probare illud, circa quod non potest incidere dubitatio[10]: si ergo Deum esse a nullo potest dubitari, frustra nititur quis illud ostendere: si ergo non frustra conati sunt Sancti et doctores illud ostendentes, constat, quod de ipso contingit dubitare.

---

[1] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 2. et I. Phys. text. 3. seqq.

[2] Secundum Boeth., in II. Periherm. Aristot. c. 4. (c. 14.); cfr. tom. I. pag. 390, nota 5.

[3] Il brevius *ergo et consequens*. Deinde addit hoc arg.: Item nullus potest cogitare, quando hoc, postquam fuit, non fuisse; ergo si in Deo idem *esse, fuisse* et *fore*, nullus potest cogitare, Deum non esse; si ergo omne, quod non potest cogitari non esse, est verum indubitabile, et Deum esse, ut patet, non potest cogitari non esse: ergo etc.

[4] Psalm. 13, 1.

[5] De Fide orthod. Cfr. tom. I. pag. 153, nota 9.

[6] Vers. 4: Nihil est idolum in mundo etc.

[7] Hoc exemplum (de insula perdita) indicit Gaunilo in libro « Pro insipiente » adversus Anselmi ratiocinationem in Proologio.

[8] Libr. I. de Trin. c. 2.

[9] Epist. I. Tim. 6, 16: Lucem inhabitat inaccessibilem.

[10] Sicut sunt prima principia, quae non possunt demonstrari, ut probat Aristot. I. Poster. c. 3. — Infra pro *ostendentes* G *ostendere*.

Digitized by Google

13. Item, nullus scit hoc principium: omne totum est maius sua parte, nisi cognoscat, quid sit totum[1]: ergo nullus scit, Deum esse, nisi sciat, quid sit Deus: si ergo dubitabile est, *quid sit* Deus, dubitabile est igitur, *an sit*.

14. Item, si non posset esse de hoc vero, quod est, Deum esse, aliqua dubitatio, nullum esset meritum illud credere; sed hoc est principium omnis meriti, credere Deum esse, quia dicitur ad Hebraeos undecimo[2]: *Accedentem oportet credere, quia est* etc.: si ergo hoc radit sub merito, et radere poterit sub dubitatione.

CONCLUSIO.

Non est dubitabile, Deum esse, si dubitabile intelligitur aliquod verum, cui deficit ratio evidentiae sive in se, sive in comparatione ad medium probans, sive in comparatione ad intellectum apprehensivum. Dubitari tamen de eo potest ex parte cognoscentis, scilicet ob defectum in actibus vel apprehendendi, vel conferendi, vel resolvendi.

Responsio: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod indubitabile dicitur per privationem dubitabilis; dubitabile autem dupliciter dicitur: vel per rationis *decursum*, vel per rationis *defectum*. Primo modo dicit aliquid ex parte *cognoscibilis* et *cognoscentis;* secundo modo solum ex parte *cognoscentis*. Primo modo dubitabile dicitur aliquod verum, quia deficit ei ratio evidentiae sive *in se*, sive in *comparatione ad medium probans*, sive *in comparatione ad intellectum apprehensivum*. Nullo autem istorum modorum deest certitudo isti vero, quod est, Deum esse.

Dubitabile duplex.

De primo modo dubitabilis.

Conclusio 1.

Est enim certum ipsi *comprehendenti*, quia cognitio huius veri *innata* est menti rationali, in quantum tenet *rationem imaginis*, ratione cuius insertus[3] est sibi naturalis appetitus et notitia et memoria illius, ad cuius imaginem facta est, in quem naturaliter tendit, ut in illo possit beatificari.

Ratio certitudinis ex parte intellectus apprehensivi.

Est etiam magis verum in comparatione ad *rationem probantem*. Omnes enim creaturae, sive considerentur secundum proprietates *completivas*, sive secundum *defectivas*, fortissimis et altissimis vocibus clamant, Deum esse, quo indigent propter suum *defectum* et a quo suscipiunt *complementum*. Unde secundum maiorem et minorem completionem, quam habent, quaedam magnis, quaedam maioribus, quaedam maximis vocibus clamant, Deum esse.

Item ex parte medii probantis.

Est etiam illud verum certissimum *secundum se*, pro eo quod est verum primum et immediatissimum, in quo non tantum causa praedicati clauditur in subiecto, sed id ipsum est omnino *esse*[4], quod praediratur, et subiectum, quod subiicitur. Unde sicut omnio summe distantium est omnino repugnans nostro intellectui, quia nullus intellectus potest cogitare, aliquid unum simul esse et non esse; sic divisio omnino unius et indivisi est omnino repugnans eidem, ac per hoc sicut *idem esse* et *non esse*, simul[5] *summe esse* et *nullo modo esse* est evidentissimum in sua falsitate; sic *primum et summum ens esse* est evidentissimum in sua veritate. — Et ideo, si accipitur indubitabile, prout privat dubitationem per rationis decursum; Deum esse est verum indubitabile, quia sive intellectus ingrediatur intra se, sive egrediatur extra se, sive aspiciat supra se; si rationabiliter decurrit, certitudinaliter et indubitanter Deum esse cognoscit.

Item ex parte cognoscibilis in se.

Si autem dicatur *indubitabile* secundo modo, secundum quod privat dubitationem, quae est per *rationis defectum;* sic concedi potest, quod propter defectum hominum dubitari ab aliquo potest, an Deus sit, et hoc secundum triplicem defectum intellectus cognoscentis[6]: vel quantum ad actum *apprehendendi*, vel quantum ad actum *conferendi*, vel quantum ad actum *resolvendi*. — Quantum ad actum *apprehendendi* incidit dubitatio, quando non recte et plene accipitur significatum huius nominis *Deus*, sed solum secundum *aliquam sui conditionem;* sicut gentiles Deum cogitabant quidquid supra hominem erat et futurum aliquod praevidere poterat; et ideo idola deos esse credebant et illa tanquam deos adorabant, quia aliqua responsa de futuris vera dabant. — Quantum ad actum *conferendi* dubitatio incidit, quando *ex parte* fit collatio, utpote cum insipiens videt, non manifestam fieri iustitiam de impio; infert ex hoc, quod non est regimen in universo, ac per hoc, quod in ipso non sit rector primus et summus, qui est Deus excelsus et gloriosus. — Similiter quantum ad defectum in actu *resolvendi* incidit dubitatio, quando intellectus carnalis nescit resolvere nisi usque ad ea quae patent sensibus, sicut sunt ista corporalia; ex qua ratione putaverunt aliqui, solem istum visibilem, qui obtinet principatum inter creaturas corporales, esse Deum, quia nescierunt resolvere usque ad substantiam incorpoream nec usque ad rerum prima principia. — Et hoc modo circa hoc quod est, Deum esse, dubitatio potest incidere ex defectu ipsius intellectus *apprehendentis*, vel *conferentis*, vel *resolventis;* et secundum istum intellectum rogitari po-

De secundo modo.

Conclusio 2.

Triplex defectus rationis.

De 1. defectu.

De 2. defectu.

De 3. defectu.

---

[1] Aristot., I. Poster. c. 3: Principium scientiae esse quoddam dicimus, in quantum *terminos* cognoscimus. — F addit *et pars*.

[2] Vers. 6: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est etc.

[3] Ita G, in aliis *insertum*.

[4] Ita H, A B D E F *et omnino esse*, G *et* [i. e. etiam] *est omnino esse*. — Fortasse legendum *et omnino idem est* pro lectione *et omnino esse*.

[5] F *vel*, H *similiter*. Paulo superius pro *divisio* F *differentia*. A pro *decursum* constanter substituit *discursum*.

[6] D E *cogitantis*. Subinde pro *conferendi* F hic et inferius *inferendi*.

Digitized by Google

test ab aliquo[1] intellectu, Deum non esse, quia non sufficienter et integre accipitur ab illo significatum huius nominis *Deus*. — Sed ab eo intellectu, qui plene apprehendit significatum huius nominis *Deus*, cogitando, Deum esse, quo nihil maius cogitari potest, non solum non *dubitari*, ac Deus sit, sed etiam nullo modo potest *cogitari*, Deum non esse. Unde et rationes concedendae sunt hoc probantes.

Corollarium.

1. 2. 3. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium de Psalmo et de Damasceno, iam patet responsio: quia procedit de dubitatione, quae venit ex rationis defectu, cuiusmodi est in intellectu insipiente, qui sua caligine obscuratus nec sufficienter *resolvit* nec recte *confert* nec integre *apprehendit* significatum huius nominis *Deus*. Ipse enim intellectus intra se habet lumen sufficiens ex propria conditione[2], per quod posset dubitationem istam longius propulsare et se ab insipientia eripere. Unde in hac defectiva consideratione insipientis intellectus potius *voluntarie* deficit quam *coacte*, non propter defectum ex parte *cogniti*, sed propter defectum ex parte *sui*.

Solutio oppositorum.

Notandum.

Et per hoc patet responsio ad illud quod obiicitur de idolo. Ideo enim gentilis cogitat, Deum esse idolum, quia ipsius apprehensio de Deo est defectiva; non enim apprehendit ipsum ut summum et optimum, sed ut aliquid potens, quod homo non potest; et hinc venit in eo error deceptionis et mutatio dubitationis, in quem errorem ipse se propria pertinacia praecipitat, ut prorsus inexcusabilis fiat[3]; nec tamen ipse omnino privatus est a cognitione Dei, quia, quamvis ex sua perversitate velit colere idolum, instinctum tamen naturalem habet ad colendum Deum, contra quem pugnat se praecipitando in errorem voluntarium.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur: quod contingit significare contingit et cogitare; dicendum, quod cogitari potest aliquid dupliciter: vel cogitatione *nuda*, vel cogitatione *cum assensu*. *Nuda* cogitatione potest cogitari ita falsum, sicut verum, et manifeste falsum, sicut manifeste verum. Cogitatione *cum assensu* non cogitatur nisi verum vel aliquid simile vero. Prima cogitatio se extendit ad quaecumque se extendit sermo; secunda vero cogitatio non ad tot se extendit; et de hac cogitatione intelligit tam Anselmus quam Augustinus, et de hac cogitatione dicitur, quod Deus non potest cogitari non esse.

Cogitatio duplex.

5. Ad illud quod obiicitur contra rationem Augustini, quod contradictoria non infert suam contradictoriam; dicendum, quod verum est secundum quod *contradictoria*; sed intelligendum est, quod propositio affirmativa duplicem habet affirmationem: unam, qua asserit praedicatum de subiecto; aliam, qua asserit, se esse veram. In prima distinguitur a propositione negativa, quae removet praedicatum a subiecto; in secunda vero communicat cum illa, quia tam propositio negativa quam affirmativa asserit, se esse veram. Quantum ad primam attenditur contradictio, non quantum ad secundam. Cum vero dicitur: nulla veritas est, haec propositio, in quantum negat praedicatum a subiecto, non infert suam oppositam, quae est, aliquam veritatem esse. In quantum autem asserit, se esse veram, infert, aliquam veritatem esse; nec mirum, quia, sicut omne malum praesupponit bonum, sic falsum infert verum. Et ideo hoc falsum, quod est, nullam veritatem esse — cum propter *remotionem* praedicati a subiecto destruat omne verum, et propter *assertionem*[4], qua asserit, se esse veram, ponat, aliquam veritatem esse — includit utramque partem contradictionis; ideo utraque ex illa potest inferri, et ipsum in se esse falsum et inintelligibile ab intellectu recte apprehendente. Et hoc est quod vult dicere Augustinus.

Duplex affirmatio in propositione affirmativa.

In negativa clauditur affirmatio.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur de ratione Anselmi de insula, qua nulla melior vel maior cogitari potest; dicendum, quod non est simile: quia, cum dico ens, quo nihil maius cogitari potest, hic nulla est repugnantia inter subiectum et implicationem; et ideo rationabiliter potest cogitari. Sed cum dico insulam, qua nulla potest melior cogitari; hic est repugnantia inter subiectum et implicationem. Insula enim dicit ens defectivum, implicatio vero est entis perfectissimi; et ideo, quia ibi est « oppositio in adiecto[5] », irrationabiliter cogitatur, et intellectus sibi ipsi in cogitando repugnat: et ideo non est mirum, si non potest inferri, quod istud quod cogitatur sit extra in re. Secus autem est in ente vel in Deo, cui non repugnat talis implicatio[6].

De ratione Anselmi.

7. Ad illud quod quaeritur: pro quanto dicitur, quod Deum esse non possit cogitari non esse? iam patet responsio: non quia non possit cogitari, « quid est quod per nomen dicitur[7] », sive significatum huius orationis: Deus non est; sed quia ipsum adeo est evidens in se et certum cognoscenti, quod si recte considerare velit, non est aliquid, per quod possit ab hac veritate avelli. Est enim verum evidentissimum et praesentissimum, quod nulli deest loco, nulli tempori, nulli rei, nulli cogitationi; nec sic est de aliis veris creatis.

8. Ad illud quod obiicitur, quod nihil certius tenemus, quam quod fide comprehendimus; dicen-

---

[1] Pro *aliquo*, quod F omittit, E *illo*.

[2] Psalm. 4, 7: Signatum est super nos lumen etc. — H *Ipse lumen intellectus... lumen sibi sufficiens* etc. Inferius pro *insipientis* F (H primus) *insipiens*.

[3] Rom. 1, 20: Ita ut sint inexcusabiles. — Pro *pertinacia* D *pervicacia*, F *praecitate*.

[4] F *affirmationem*.

[5] Qua dictione utitur Aristot. II. Periherm. c. 2. (c. 11.). De ipsa solut. cfr. Anselm., contra Insipientem, c. 3.

[6] De arg. Anselmi cfr. I. Sent. d. 8. p. I. a. 1. q. 2. scholion.

[7] His verbis Aristot., II. Poster. c. 7. et 10. (c. 9.), describit vim *definitionis nominalis*.

Digitized by Google

Certitudo duplex. dum, quod illud est verum de certitudine *adhaerentiae*, non de certitudine *intelligentiae*, sicut manifeste consideranti apparet[1].

9. Ad illud quod obiicitur, quod illud est verum latens, ergo maxime dubitabile; dicendum, quod licet Deus sit simplex et uniformiter in se, tamen quodam modo *latet* et quodam modo *patet*, sicut insinuat Apostolus ad Romanos primo[2]: *Quod notum* Notandum. *est Dei manifestum est in illis*. Aliquibus enim manifesta est *trinitas appropriatorum*, quibus non est manifesta *trinitas personarum*; et alicui manifesta est *unitas essentiae*, cui non est manifesta *trinitas appropriatorum*; et alicui manifesta est ipsa *Dei trinitas*, cui non est manifesta ipsa *essentiae unitas*. Hoc autem est, quod primo manifestum est de Deo, scilicet ipsius entitas, et quantum ad hoc non *latet*, sed *patet*; et ideo non est dubitabile, sed indubitabile.

10. Ad illud quod obiicitur, quod anima dubitans de iis infra se et iuxta etc.; dicendum, quod Notandum. non valet: quia, licet Deum esse sit *supra* animam secundum *naturam*, est tamen *intra* animam secundum *notitiam* et *extra* secundum *repraesentationem* et persuasionem, quam sibi facit omnis creatura, quia haec veritas est in omni veritate clausa et intellecta.

11. Ad illud quod obiicitur, quod idem est Deo esse et iustum esse; dicendum, quod non sequitur: quia, licet sit idem *in se* et *secundum se*, non tamen est idem *secundum rationem apprehendentem* et *secundum effectum repraesentantem*; et ideo possibile est, unum patere, altero non patente.

12. Ad illud quod obiicitur, quod frustra quis nititur probare illud, de quo nemo dubitat; dicendum, quod, sicut iam patet, hoc verum non indiget probatione propter defectum evidentiae ex parte sua, sed propter defectum considerationis ex parte Notandum. nostra. Unde huiusmodi ratiocinationes potius sunt quaedam exercitationes[3] intellectus, quam rationes dantes evidentiam et manifestantes ipsum verum probatum.

13. Ad illud quod obiicitur, quod nullus cognoscit principia, nisi cognoscat terminos; dicendum, quod verum est; sed quorundam terminorum notitia est *occulta*, quorundam vero *manifesta*. Et rursus, de significato termini potest haberi notitia plena, plenior et plenissima. Secundum hoc intelligendum, quod potest sciri, quid est Deus, *perfecte* et *plene* et *per modum comprehensivum*, et sic non cognoscitur *nisi* a solo Deo; vel *clare* et *perspicue*, et sic cognoscitur a Beatis; vel *ex parte* et *in aenigmate*[4], et sic cognoscitur, quod Deus est primum et summum principium omnium mundanorum; et istud, quantum est de se, potest esse omnibus manifestum: quia, cum quilibet sciat, se non semper fuisse, scit, se habuisse principium, pari ratione et de aliis; et quia haec notitia omnibus se offert, et hac cognita, scitur, Deum esse: ideo est indubitabile omnibus, quantum est de se. Tres gradus in notitia.

14. Ad illud quod obiicitur, quod credere indubitabile non est meritorium; dici potest, quod De ratione meritoria in fide Dei. credere, Deum esse, quantum est de se, non est meritorium *nisi* per hoc, quod substernitur ei quod est, Deum esse trinum, vel aliis articulis fidei, cum supra istum fundantur; et ratione illorum potest fieri meritorium, quia, si per se nude credatur, non est efficax ad merendum. Apostolus autem loquitur de hoc quod est, Deum esse, prout est substramentum aliorum credibilium; et hoc substramentum est homini a natura insitum, ne, si intellectus humanus de natura propria nihil de Deo cognosceret, excusare se posset per ignorantiam. Et hoc est quod dicit Magister Hugo[5]: « Propterea Deus a principio naturae nec totus conscientiae humanae voluit esse manifestus, nec totus absconditus, ne, si totus manifestus esset, meritum fides non haberet, nec infidelitas locum; infidelitas enim de manifesto convinceretur, et fides de occulto non exerceretur. Si vero absconditus totus esset, fides a scientia non iuvaretur, et infidelitas de ignorantia excusaretur. Quocirca oportuit, ut proderet se occultum Deus, ne, si totus celaretur, prorsus nesciretur, et rursum ad aliquid proditum se et agnitum occultaret, ne totus manifestaretur; ut aliquid esset, quod ingenium hominis enutriret cognitum, et rursum aliquid, quod absconditum provocaret ».

ARTICULUS II.

Utrum Deum esse trinum sit verum credibile.

Supposito, quod Deum esse sit verum indubitabile, quaeritur consequenter, utrum Deum esse trinum sit verum *credibile*. *Credibile* autem voco De debito credendi. quod est *congruum* et *debitum* credi. Et quod sit *debitum* credi, ostenditur.

1. Matthaei ultimo[6]: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* in *nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*. His verbis additur Marci ultimo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero* Fundamenta. *non crediderit condemnabitur*. Sed illud verum, sine

---

[1] Cfr. III. Sent. d. 23. a. 1. q. 4.

[2] Vers. 19. — De sequ. cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 4, ubi docetur, philosophos cognoscere posse trinitatem appropriatorum, scil. unitatis, veritatis, bonitatis.

[3] F *determinationes*.

[4] Respicitur I. Cor. 13, 9. sequ.

[5] Libr. I. de Sacram. p. III. c. 2, ubi textus originalis *fides quidem ad scientiam non adiuvaretur* pro *fides a scientia non iuvaretur* et *cor* pro *ingenium*.

[6] Vers. 19: Euntes ergo docete etc. — Seq. locus est Marc. 16, 16.

cuius credulitate non potest esse salus, est verum maxime credibile; sed Deum esse trinum est huiusmodi: ergo etc.

2. Item, Athanasius in Symbolo: « Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in trinitate et trinitatem in unitate veneremur »; et paulo ante praemittitur: « Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit »: ergo si sine hac fide non potest esse salus, sequitur idem quod prius.

3. Item, Augustinus, primo de Trinitate, capitulo tertio [1]: « Cum quaeritur unitas Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, nusquam periculosius erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid inventur »; sed omne tale est maxime credibile, in quo est periculum in errando et salus in recte sentiendo: cum ergo Deum esse trinum sit huiusmodi verum, redit idem quod prius.

4. Item, Augustinus, Hypognosticon libro primo, capitulo tertio [2] dicit, quod « nullus potest salvari sine fide Mediatoris »: ergo necessarium est ad salutem credere Mediatorem; sed Mediator cognosci non potest, nisi cognoscatur distinctio personarum; ergo credere personarum distinctionem est necessarium ad salutem. Sed haec personarum distinctio est in Trinitate: ergo Deum esse trinum est verum, quod necessarium est credere ad salutem.

5. Item, nullus potest salvari, in quo non habitat Trinitas; tota enim Trinitas inhabitat simul in homine per gratiam; sed Trinitas non inhabitat nisi in eo qui credit: ergo nullus salvari potest, nisi in eo quod credit beatissimam Trinitatem. *Maior* manifesta est; *minor* probatur sic per illud quod dicitur Ioannis decimo quarto [3], quod *Spiritum veritatis mundus non potest accipere, quia non videt eum neque scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.*

6. Item, impossibile est, aliquem salvari, qui non sit membrum Christi; sed membrum esse non potest, nisi sit connexum; connexum autem esse non potest nisi per fidem, spem et caritatem: ergo nullus potest salvari sine fide Christi. Sed fides Christi includit fidem aeternae generationis, et secundum illam attenditur distinctio Trinitatis: ergo sine fide Trinitatis impossibile est, aliquem salvari.

7. Item, impossibile est, aliquem salvari, qui non credit, Deum esse principium creativum; nisi enim hoc de Deo credatur, nullo modo Deus ab homine recte colitur et veneratur [4]; sed nobilius est esse principium generativum quam creativum, quia nobilior est proles genita quam creatura facta: ergo nullus potest salvari, qui non credit, Deum esse principium generativum, pari ratione et spirativum, ac per hoc, nisi credat, Deum esse trinum.

8. Item, impossibile est, aliquem salvari, qui non amat et honorat eum qui est summe amandus et honorandus; sed Filius et Spiritus sanctus est summe amandus et honorandus, sicut Pater, secundum illud quod dicitur Ioannis quinto [5]: *Qui non honorificat Filium non honorificat Patrem, qui misit illum:* ergo nullus salvari potest, qui non amat et honorat Filium et Spiritum sanctum, sicut Patrem. Sed nullus amat et honorat, nisi aliquo modo cognoscat et credat: ergo etc. — Ex his manifeste ostenditur, quod ad salutem est *necessarium* et *debitum* credere, Deum esse trinum.

Item, quod sit *congruum*, ostenditur. De congruitate credendi.

9. Affectus rectus plus adhaeret summae bonitati quam sibi: ergo et intellectus rectus plus assentit summae veritati quam sibi. Si ergo intellectus noster credendo rectificatur, necesse est, quod sibi proponatur aliquod verum, quod excedat eius iudicium [6]; sed primum inter vera et credibilia propositum est, Deum esse trinum et unum: ergo quamvis lateat intellectum humanum, recte et congrue est propositum ad credendum.

10. Item, sicut caritas captivat affectum in obsequium Christi, sic fides captivat intellectum [7]; sed non captivaret, nisi faceret assentire alicui vero, quod excedit eius iudicium: ergo congruum est, quod primum inter credibilia propositum excedat intellectum humanum.

11. Item, « quod videtur omnibus, vel pluribus, vel sapientibus hoc ipso, quod videtur, efficitur probabile [8] »: ergo quod creditur a pluribus, vel sapientibus hoc ipso, quod creditur, efficitur credibile; sed Deum esse trinum est creditum a pluribus et sapientibus: ergo congruum est credere, ipsum esse trinum.

12. Item, irrationabilius est ponere, quod innumera multitudo credat incredibile, quam ponere, creditum a multitudine esse credibile; sed certissimum est, quod Deum esse trinum est creditum a multitudine: ergo rationabile est sic credere.

13. Item, sicut intelligere debetur rationi, sic credere debetur auctoritati [9]; sed nihil est magis au-

---

[1] Num. 5.

[2] Num. 4. Ubi docet auctor huius libri (inter opera August.), quod ut moriantur homines, poena peccati sit; ut convertantur ad vitam, Domini miserantis et sanguine Christi sanctificantis. Clarius habetur ibid. III. c. 14. et 15. n. 31-33. Cfr. III. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. et ibid. pag. 236, nota 10.

[3] Vers. 17.

[4] Cfr. Hugo a S. Vict., de Sacram. legis naturalis et scriptae (circa finem); I. de Sacram. p. X. c. 5.

[5] Vers. 23.

[6] Cfr. III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1.

[7] Epist. II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. — Post *fides* A D E addunt *Christi.*

[8] Secundum Aristot., I. Topic. c. 1. Cfr. tom. III. pag. 520, nota 5.

[9] August., de Utilitate credendi, c. 11. n. 25: Quod intelligimus igitur debemus rationi; quod credimus, auctoritati; quod opinamur, errori.

Digitized by Google

thenticum, quam sit sacra Scriptura, quae non tantum assertione veritatis et sua antiquitate, sed etiam miraculis et prophetiis stabilitatem habet: si ergo hoc verum testantur communiter divinae Scripturae, congruum est et rationabile illud verum credere, scilicet Deum esse unum in trinitate.

14. Item, cum sit triplex genus credibilis secundum Augustinum[1]: « Quaedam enim creduntur *simul* et intelliguntur, quaedam *prius* creduntur et *postea* intelliguntur, quaedam creduntur et *nunquam* intelliguntur, sicut est historia humana gesta percurrens »; magis est credibile quod sic creditur, quod potest intelligi per rationem, quam illud quod non potest; sed Deum esse trinum est huiusmodi: ergo cum aliqua facta historica narrata a Scriptura authentica sunt credibilia — non enim est incredibile, quod « Abraham genuit Isaac », immo est valde credibile; sic etiam de aliis consimilibus — ergo credibile est, Deum esse trinum et unum.

Ad oppositum. Quod non sit congruum hoc credere.

Sed contra: 1. Omne illud, cuius contrarium dictat omnis ratio, est incredibile rationi; sed contrarium huius quod est, unum esse realiter trinum, dictat omnis ratio: ergo est incredibile rationi.

2. Item: Omne illud, cuius contrarium natura creata praetendit, est rationi incredibile; sed contrarium huius quod est, unum in forma non multiplicata multiplicari in suppositis, praetendit omnis natura creata; in qualibet enim natura creata, supposito multiplicato, multiplicatur forma: ergo si intellectus noster manuducitur per creaturas ad cognoscendum Deum *si est*, sicut dicitur primae ad Corinthios decimo tertio[2]: *Videmus nunc per speculum in aenigmate;* cum omnis natura creata contrarium habeat dictamen ad hoc verum, quod est, Deum esse trinum: necesse est, illud esse verum incredibile.

3. Item, omne quod creditur, aut creditur *per* rationem, aut *praeter* rationem: si ergo Deum esse trinum est verum credibile; aut ergo *ex ratione*, aut *praeter rationem;* sed si *ex ratione*, iam non est meritorium, quia « fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum[3] ». Si *praeter rationem;* sed quod creditur ab habente usum rationis praeter rationem irrationabiliter creditur et non est verum credibile: ergo creditur irrationabiliter, ergo Deum esse trinum est verum incredibile.

4. Item, omne, quod creditur, aut creditur *propter se*, aut *propter aliud:* si ergo Deum esse trinum est verum credibile, aut isto modo, aut illo. Si *propter aliud:* ergo non est ipsius rectae fidei obiectum; si *propter se;* sed nihil est propter se *amabile*, nisi quod per se sufficit affectui: ergo nihil est propter se *credibile*, nisi quod per se patet intellectui. Sed Deum esse trinum non patet intellectui per se: ergo non est verum credibile.

5. Item, virtus consonat naturae, quia, ut dicit Tullius[4], et approbat Augustinus, « virtus est habitus in modum naturae rationi consentaneus »: ergo quod est incredibile virtuti naturali est incredibile virtuti fidei; sed Deum esse trinum non est credibile ab ipsa natura: ergo nec est credibile a virtute superaddita naturae.

6. Item, gratia est perfectio naturae[5], et perfectio non repugnat perfectibili, sed concordat: si ergo Deum esse trinum non est credibile per naturam, ergo nec per gratiam superadditam.

7. Item, « Conditor naturae nihil facit contra naturam cooperantem[6] »: ergo doctor et inspirator naturae nihil facit contra naturale rationis dictamen: si ergo Deum esse trinum non est credibile per naturale rationis dictamen, ergo non est credibile per superadditam inspirationem.

8. Item, principium cognitionis scientialis debet esse facillimum ad sciendum, sicut patet in principiis demonstrationum, quae per se ipsa sunt nota intellectui[7]: ergo principium cognitionis fidelis debet esse facillimum ad credendum; sed Deum esse trinum non est facillimum ad credendum, immo valde difficile, sicut patet in iis qui nondum habent fidem: ergo non est inter credibilia primum; nec medium est nec postremum, sicut apparet: ergo nullo modo est credibile. — His rationibus videtur posse ostendi, quod Deum esse trinum non sit credibile tanquam *congruum* credi.

Quod non sit debitum.

Item, ostenditur, quod non sit credibile tanquam *debitum* credi.

9. Nullus tenetur ad id quod non potest, quia dicit Hieronymus[8]: « Anathema sit qui dicit, Deum praecepisse impossibile »; sed credere, Deum esse trinum, non est in nostra potestate, quia donum Dei est habere fidem: ergo si nullus obligatur ad id quod non est in potestate sua, nullus obligatur ad illud credendum.

10. Item, si ad hoc credendum obligamur, aut secundum legem *naturae*, aut *Scripturae*, aut *gra-*

---

[1] Libr. 83 Qq. q. 48, ubi tamen textus originalis alio ordine haec tria enumerat et plura interserit. Cfr. III. Sent. d. 24. dub. 3. — Circa finem arg. allegatur Matth. 1, 2. Cfr. Gen. 21, 3.

[2] Vers. 12. — In *maiori* vocibus *natura creata* D G H praemittunt *omnis*, et pro *praetendit* B *dictat*.

[3] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1.

[4] Libr. II. Rhet. c. 54: Virtus est animi habitus, naturae modo, rationi consentaneus (cfr. tom. II. pag. 671, nota 10.). — Eandem definitionem ponit August., 83 Qq. q. 31. n. 1. — Finem arg. D H sic exhibent: *non est (verum* addit D) *credibile per naturam, ergo nec per gratiam superadditam.*

[5] Ambros., Expos. in Ps. 118. serm. 14. n. 42: Dedit [Christus] gratiam, reformavit naturam.

[6] August., XXVI. contra Faustum, c. 3.

[7] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 2. et IV. Metaph. text. 8. (III. c. 3.).

[8] Expos. Symboli ad Damasum (inter opera Hieron.); cfr. tom. I. pag. 846, nota 2, ubi allegavimus etiam Hieron. Comment. in Matth. 5, 44. — Inferius respicitur regula iuris 6. in VI: Nemo potest ad impossibile obligari.

Digitized by Google

tiae. Non secundum legem *naturae*, quia illa est in corde hominum impressa et omnibus est notissima [1]; hoc autem est verum occultum et latens humanam industriam. Non secundum legem *Scripturae*, quia ante fuit ista veritas credibilis, quam Scriptura inciperet; *rursus*, si solum esset credibile propter Scripturam, non respiceret omne tempus nec omnes personas. Non etiam secundum legem *gratiae*, quia ante fuit fides ista, quam lex gratiae inciperet; et *praeterea*, lex gratiae est lex non onerosa: si ergo hoc credere est difficile, non obligamur ad illud secundum legem *gratiae*; nec secundum legem *naturae* nec *Scripturae*, ut ostensum est: ergo nullo modo astringimur ad credendum illud.

11. Item, si astringimur ad illud credendum [2], aut quia *verum*, aut quia *verum cadens sub praecepto*. Non quia *verum*, quia tunc pari ratione astringeremur ad *omne verum* credendum; si quia *cadens sub praecepto*, aut ergo *morali*, aut *sacramentali*; non quia sub *sacramentali*, illud constat; nec quia sub *morali*, quoniam omnia moralia reducuntur ad decem praecepta decalogi, in quorum nullo praecipitur credere Deum trinum: ergo nullo modo ad illud astringimur.

12. Item, si astringimur, aut quia verum *visum*, aut quia verum *auditum*, aut quia verum *inspiratum*. Non quia *visum*, quia nullus viator hoc vidit; non quia *auditum*, quia tunc nullus astringeretur ad illud credendum, nisi qui audisset; si quia *inspiratum*; sed omnis, cui inspiratur, credit: ergo nullus astringitur, nisi qui credit. Sed hoc falsum est: ergo et primum.

13. Item, quaero, quid moveat Christianum ad credendum illud verum. *Si tu dicas*, quod movet te divina *Scriptura*: ergo si divina Scriptura hoc non doceret [3], hoc tu non crederes; *sed contra*: esto quod tota Scriptura esset combusta, adhuc a fide Trinitatis non recederet Ecclesia nec anima christiana: ergo ex parte Scripturae non residet principalis ratio movens nos ad istam credulitatem. — Item, *si tu dicas*, quod *miracula*; *contra*: « Fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum [4] »; et talis fides, quae est ex miraculis, potius est extorta quam voluntaria: ergo huiusmodi credulitas non esset meritoria. — *Si dicas*, quod *gratia*; *contra*: nemo scit, utrum habeat gratiam, ergo nemo scit, utrum illud verum credere debeat; sed de credibili, ad quod credendum astringimur, certi sumus, quod debemus illud credere: ergo ad hoc credendum non movemur ratione gratiae. — *Si dicas*, quod ad hoc credendum moveat ipsa *veritas aeterna*; *sed contra*: veritas ad nihil credendum movet, nisi quia est veritas visa: ergo cum haec veritas non sit visa ab anima, videtur, quod aliunde moveatur ad credendum quam ab ipsa veritate aeterna.

Est ergo quaestio: si illud est verum credibile, per quid movemur ad istud credendum, et per quid astringimur, ut illud credamus? Quaestio indendens de motivo et dignitate fidei.

CONCLUSIO.

Deum esse trinum est verum credibile, quia hoc credere est congruum, debitum et dignum.

Respondeo: Dicendum, quod Deum esse trinum est verum credibile tanquam *congruum* et *debitum* et *dignum* credi. Conclusio.

Ad cuius intelligentiam notandum, quod cum illud verum credibile sit fundamentum totius fidei christianae, ad hoc [5], ut illud fundamentum maneat inconcussum, triplex habet testimonium, per quod ad istud credendum *manuducimur*, *astringimur* et *levamur*. Hoc autem triplex testimonium attenditur secundum triplicem librum, qui est *liber creaturae*, *liber Scripturae* et *liber vitae*. Primus liber dat testimonium *efficax*, secundus dat testimonium *efficacius*, tertius vero *efficacissimum*. — Primus namque liber, qui est *liber creaturae*, quem ideo dico *primum*, quia primo sensibus nostris ostenditur, dat testimonium duplex, ut *in ore duorum testium stet omne verbum* [6]. Omnis enim creatura vel est ad Dei *vestigium* tantum, sicut est natura corporalis, vel est ad Dei *imaginem*, sicut est creatura intellectualis. Utraque istarum testificatur Trinitatem, sed illa, quae tenet rationem *vestigii*, quasi *de longinquo*. Habet enim omnis creatura modum, speciem et ordinem, sive unitatem, veritatem et bonitatem, sive mensuram, numerum et pondus; quae per appropriationem correspondent trinitati personarum et per quae testificatur, Deum esse trinum. Et hoc est quod dicit Augustinus in libro Octoginta trium Quaestionum [7]: « Omne quod est, aliud est, quo *constat*, aliud, quo *discernitur*, aliud, quo *congruit*. Universa Triplex testimonium et liber. Primi libri est testimonium duplex. Primum.

[1] Cfr. Rom. 2, 14. seq. — Inferius respicitur illud Matth. 11, 30: Iugum enim meum suave est et onus meum leve. — Vocibus *humanam industriam* D G H interserunt *intelligentiam vel*.

[2] F addit *hoc est*.

[3] A B F *diceret*, et post *tota* B E addunt *divina*.

[4] Gregor. supra pag. 53, nota 3. allatus. — Inferius respicitur Eccle. 9, 1: Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. — Subinde pro *moveatur* A G *moveamur*, E F *movemur*.

[5] A B E G incongrue adiciunt *autem*.

[6] Deut. 19, 15: In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Cfr. Matth. 18, 16; II. Cor. 13, 1.

[7] Quaest. 18: Omne quod est... Universa igitur creatura, si et est quoquo modo, et ab eo quod omnino nihil est plurimum distat, et suis partibus sibimet congruit, causam quoque eius trinam esse oportet, qui sit... Creaturae autem causam, id est auctorem, Deum dicimus etc. — Superius respicitur Sap. 11, 21: Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti. — Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. dub. 3.

Digitized by Google

igitur creatura causam eius trinam ostendit, qua *sit*, et qua *hoc sit*, et qua *sibi amica sit;* creaturae autem causam, hoc est auctorem, Deum dirimus. Oportet ergo Trinitatem esse, qua nihil praestantius, intelligentius et beatius perfecta ratio invenire potest». Ex hoc ostendit Augustinus, quod creatura tenet rationem *vestigii*, quae testatur, Deum esse trinum.

Secundum. Illa vero creatura, quae tenet rationem *imaginis*, utpote intellectualis, Deum esse trinum testatur quasi *de propinquo*, quia *imago* est expressa similitudo. Habet enim creatura intellectualis *memoriam*, *intelligentiam* et *voluntatem*, seu *mentem*, *notitiam* et *amorem: mentem* ad modum parentis, *notitiam* ad modum prolis, *amorem* ad modum nexus ab utroque procedentis et utrumque connectentis; non enim potest mens non amare verbum, quod generat. In iis autem non tantum attenditur *origo* et emanatio, per quam est in eis distinctio, verum etiam *aequalitas*[1] et *consubstantialitas* et *inseparabilitas*, ex quibus expresso testimonio clamatur, Deum esse trinum. Cum enim sit spiritus et intellectus, non potest carere verbo genito et amore processivo, in quibus sit distinctio ratione originis et emanationis unius ab altero, sive etiam cum hoc *aequalitas* et *consubstantialitas* et *inseparabilitas*. Et hoc est, quod intendit Augustinus astruere in nono libro de Trinitate usque in finem, qualiter videlicet per imaginem creatam testimonium redditur Trini-
Corollarium. tati aeternae[2]. — Hoc autem geminum testimonium *libri naturae* efficax erat in statu naturae conditae, quando nec liber iste obscurus erat, nec oculus hominis caligaverat. Cum vero per peccatum hominis oculus caligavit, speculum illud factum est aenigmaticum et obscurum, et auris intelligentiae interioris obsurduit ad illud testimonium audiendum. Et ideo divina providentia dispensative providit testimonium
Liber secundus. alterius libri, scilicet *libri Scripturae*, qui quidem editus est secundum divinam revelationem, quae nunquam defuit nec deerit a principio mundi usque in finem.

Hic autem liber testatur dupliciter, Trinitatem
Eiusdem testimonium duplex. esse, secundum duplicem sui partem: in *veteri* quidem testamento testatur *implicite*, sed in *novo* te-
Primum. stamento testatur *explicite*. — Testimonium namque datur in *veteri* testamento de Trinitate tam in *figuris* quam in *verbis*. Inter *figuras* autem illa fuit authentica maxime, quae fuit ostensa *patri fidei nostrae Abraham;* de quo dicitur Genesis decimo octavo[3], quod tribus viris sibi apparentibus, tres quidem vidit, sed unum adoravit, unde tribus loquebatur, sicut uni, in hoc intelligens in se et insinuans aliis mysterium Trinitatis. — In *verbis* autem illud videtur maxime efficax ad testificandum, quod dixit David eximius Prophetarum in Psalmo[4]: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, ubi simul insinuatur trinitas personarum, ita quod duae personae *explicite* in nomine *Spiritus* et *Verbi*, et una *implicite* nomine *Domini*. In pluribus autem locis, immo fere in omnibus veteris testamenti, licet implicite, figuris tamen et verbis testimonium redditur Trinitati aeternae.

Per hunc etiam modum in *novo* testamento te- Secundum.
stimonium datur, sed *explicite*, tam in Sacramentis quam in documentis expressis. Nam primum Sacramentorum, quod est baptismus, secundum quod scribitur ultimo Matthaei[5], fieri habet in invocatione expressa divinae Trinitatis. Ibi enim dicitur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti;* propter quod in illo Sacramento fundamentali character imprimitur Trinitatis. Hoc ipsum testantur et verba, inter quae, cum multa sint, illud unicum est expressum, quod scripsit amicus sponsi primae Ioannis quinto[6]: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* Hoc autem te- Notandum.
stimonium est adeo efficax et expressum, quod non solum praedictum verum facit credibile, id est *congruum* credi, verum etiam *debitum*, dum astringit nos et arctat ad illud credendum.

Sed quia *non omnes obediunt Evangelio*[7], et verum illud supra rationem est; ideo providit divina sapientia aeternum testimonium, quod quidem est Liber tertius.
liber vitae. Hic autem liber vitae per se et in se explicite et expresse testimonium dat irrefragabile Dupliciter testatur.
Trinitati aeternae his qui *revelata facie*[8] in *patria* Deum vident, in *via* autem testimonium secundum influentiam lucis, cuius capax est anima in statu viae; ut enim dicitur Ioannis primo: *Vita erat lux hominum*, quia liber iste vitae est *lux vera*, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Illuminat autem dupliciter, scilicet per *lumen* Lumen duplex.
inditum et per *lumen infusum*, ex quorum luminum concursu habitus fidei tanquam argumentum elicitur ad credendum, Deum esse trinum, et consequenter omne verum, quod pertinet ad christianae religionis cultum.

Et hoc patet sic. Per lumen enim naturaliter Explicatur hoc testimonium.
homini a Deo inditum et signatum tanquam lumen divini vultus[9] unicuique dictat ratio propria, quod de primo principio sentiendum est *altissime* et *piis-*

---

[1] Codd. male *causalitas*, sed infra *aequalitas*.

[2] Cfr. I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. et 2. — Superius pro *sit distinctio* F *fit distinctio*.

[3] Vers. 2. seq.: Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset cucurrit... et adoravit in terram et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis etc.

[4] Psalm. 32, 6. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. II. c. 4.

[5] Vers. 19. Cfr. IV. Sent. d. 3. p. I. a. 2. q. 2.

[6] Vers. 7.

[7] Rom. 10, 16.

[8] Epist. II. Cor. 3, 18. — Seq. textus est Ioan. 1, 4. et 9.

[9] Psalm. 4, 7: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.

Digitized by Google

sime: altissime, quia a nullo; *piissime*, quia cetera ab ipso. Et in hoc concordant Christiani, Iudaei et Saraceni et etiam haeretici. Quod autem Deus possit et velit sibi producere aequalem et consubstantialem, ut aeternalem habeat *dilectum* et *condilectum* [1]; et quod hoc quidem de ipso Deo sentire sit sentire *altissime* et *piissime* — quia, si sentitur, quod hoc non *possit*, non sentitur de Deo *altissime*; si sentitur, quod *possit* et *non velit*, non sentitur de Deo *piissime* — quod, inquam, ita sit et ita sentiatur, hoc non dictat *lumen inditum* per se, sed *lumen infusum*, ex quo cum *lumine indito* colligitur, quod de Deo sentiendum est, quod generet et spiret sibi coaequalem et consubstantialem, ut sentiatur de Deo *altissime* et *piissime*; et hoc de Deo sentire est Deum maxime honorificare, venerari et colere. Et ex hoc apparet, quomodo fides Trinitatis et fundamentum et radix est divini *cultus* et totius *christianae religionis*.

Consequentia 1.

Ex hac autem radice, qua credimus, de Deo esse sentiendum *altissime* et *piissime*, ac per hoc ipsum esse trinum et unum, consequenter elicitur, quod credendum est, Deum esse *creatorem* omnium, *punitorem* malorum, *retributorem* bonorum et *relevatorem* miserorum. Quia enim *altissimus*, ideo decet eius dignitatem facere *magna* et *iusta*. Quia vero *piissimus*, decet eius dignitatem *respicere humilia* [2] et *relevare prolapsa*. Et hinc est, quod credimus eum *incarnatum* et *passum* pro summa pietate, *iudicaturum* tandem orbem terrarum pro summa altitudine et aequitate.

Consequentia 2.

Quatuor credenda.

Ex dictis igitur colligitur, quae sit *radix* fidei christianae, quae sint eius *testimonia*, et quae etiam sint ab ipsa *credibilia*, et quod *principium et primum* omnium credibilium, quae faciunt ad divinum cultum, est credere, Deum esse trinum et unum. — Et quia summus et maximus cultor omnium fuit Iesus Christus, ideo ipse primo iussit, hoc verum fide et aperte praedicari per totum mundum, per hoc astringens universos ad illud credendum. Unde cum ante eius adventum non tenerentur ad credendum Trinitatem nisi *implicite*, iam nunc post novi testamenti vulgationem tenentur omnes ad illam explicite credendum, ut iam non tantum sit illud credibile, quia *dignum* credi, vel *congruum* ex testimonio creaturae, verum etiam *debitum* per divulgationem veritatis evangelicae, cuius vulgatio principium habuit a Salvatore, sicut dicitur ad Hebraeos secundo [3], ubi loquens Apostolus de fide christiana ait sic: *Cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.*

Epilogus.

Corollarium.

Si ergo quaeritur: quid movet ad illud credendum, utrum videlicet *Scriptura*, vel *miracula*, vel *gratia*, sive ipsa *veritas aeterna*? dicendum, quod *principaliter movens* ad hoc est *ipsa illuminatio*, quae inchoatur in *lumine indito* et consummatur in *lumine infuso*, quae quidem facit, nos non solum *alte*, verum etiam *pie* sentire de Deo; et hoc, quia illuminatio procedit ab ipso lumine aeterno, in cuius *obsequium nostrum captivat intellectum* [4], et captivando, dum ipsum subiicit Deo, colit et veneratur et reddit habilem ad credendum quaecumque ad divinum honorem et cultum spectant, etsi sint supra rationem nostram. Hoc patet per experientiam, si quis recurrat ad suae mentis arcana. — *Moventia* autem sicut *adminiculantia* et quodam modo inducentia plurima sunt: quia movent Scripturae testimonia authentica, movent Sanctorum exempla et martyria, movent Doctorum argumenta et ipsius universalis Ecclesiae sententia, movent et ipsa miracula irrefragabilia. Unde Richardus, in primo libro de Trinitate, capitulo secundo: « Nihil constantius tenemus, quam quod fide apprehendimus; sunt namque Patribus caelitus revelata et tam multis quam magnis, tam miris signis vel prodigiis divinitus confirmata, ut gravis videatur esse dementiae in his vel aliquantulum dubitare. Innumera itaque miracula et alia, quae non nisi divinitus fieri possunt, in huiusmodi fidem faciunt et dubitare non sinunt. Utimur itaque in eorum attestatione seu etiam confirmatione signis pro argumentis, prodigiis pro experimentis. Utinam attenderent Iudaei, attenderent pagani, cum quanta conscientiae securitate pro hac parte ad divinum iudicium poterimus accedere! Nonne cum omni fiducia Deo dicere possumus: Domine, si error est, a te decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae non nisi per te fieri possunt. Certe a summae sanctitatis viris sunt nobis tradita et cum summa et authentica attestatione probata, te ipso *cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* [5] ». — Et per hoc patet responsio ad illa quatuor, quae ultimo quaerebantur: quid est illud quod fidelem movet ad credendum, Deum esse trinum et unum?

Quaestio incid. solvitur.

Ratio movens principaliter.

Rationes minus principaliter moventes.

Ad arg. II. circa quaestionem incid.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur: omne illud, cuius contrarium dictat omnis ratio etc.; dicen-

Solutio oppositorum.

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 2. q. 4, Breviloq. I. c. 4.

[2] Psalm. 137, 6: Quoniam excelsus Dominus et humilia respicit et alta a longe cognoscit. — Pro *dignitatem* A B G *dignationem*, qui etiam aliquanto inferius substituunt *promulgationem* pro *vulgationem*.

[3] Vers. 3. seq. Vulgata voci *signis* praemittit *contestante Deo*.

[4] Respicitur II. Cor. 10, 5; cfr. supra pag. 52, nota 7. Supra pro *hoc, quia* A B G H *hoc, quod*, D *haec, quod*. Inferius pro *sicut* A B E *sive*.

[5] Marc. 16, 20. — In verbis Richardi textus originalis *genus* pro *gravis* (ita F et B a secunda manu, alii *gravius*), *utinam animadverterent pagani* pro *attenderent pagani* et *confidentia Deo dicere poterimus* pro *fiducia Deo dicere possumus*. Pro *confirmatione* D E H *affirmatione*, F *confirmatione vel affirmatione*.

Digitized by Google

Ratio triplex. dum, quod est tripliciter loqui de ratione: aut de ratione *defectiva*, aut *status*, aut *elevata*. Cum ergo dicitur, quod omne illud, cuius contrarium dictat omnis ratio, est incredibile; si intelligatur particulariter de ratione *defectiva*, falsum est, quia potest esse aliquid repugnans rationi defectivae, quod tamen consonat rationi *status*, vel *elevatae*. Si vero intelligitur *universaliter* de ratione secundum triplicem statum, tunc primo propositio est vera et concedenda; sed *minor* est falsa et interimenda [1]: quia, quamvis ratio defectiva dictet contrarium eius quod est, Deum esse trinum et unum, ratio tamen *status* dictat aliquid, quod hunc est consonum; *elevata* vero dictat id ipsum, ut patet ex his quae dicta sunt. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod omne illud, cuius contrarium omnis natura creata praetendit, est incredibile; dicendum, quod natura creata potest aliquid praetendere dupliciter: vel in *se ipsa*, vel in *causa* sua. Natura enim creata praetendit, *se* esse *temporalem* et *mutabilem* et *compositam*; *causam* vero suam *aeternam* et *immutabilem* et *simplicissimam*. Per hunc etiam modum, licet in *creatura* non possit stare unitas formae cum trinitate suppositorum, cum suppositi in creatura distinguantur per materiam et formam ipsi materiae appropriatam [2]; in *Creatore*, in quo nulla prorsus est materia et vero fecunditas, manente una forma et substantia, est distinctio in suppositis ratione originis. Quia igitur creatura non praetendit universaliter *contrarium* huius quod est, Deum esse trinum, immo recte *conformiter* praetendit id ipsum; ideo est magis credibile quam incredibile. Distinctio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omne, quod creditur, aut creditur ex ratione, aut praeter rationem; dicendum, quod credere aliquid *ex ratione* est dupliciter: vel ex ratione *mera*, vel ex ratione *adiuta*. Quamvis ergo Deum esse trinum non sit credibile ex ratione *mera*, est tamen credibile ex ratione *adiuta* per gratiam et lucem desuper infusam. Et quod sic est credibile non irrationabiliter creditur, quia gratia et lux desuper infusa potius rationem dirigit, quam pervertat. Distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omne, quod creditur, creditur aut propter se, aut propter aliud; dicendum, quod Deum esse trinum creditur propter se ipsum, quia summum et primum verum spectans ad cultum divinum. — Et quod obiicitur, quod omne tale credibile per se patet credenti; dicendum, quod illud verum est de credente, qui non habet obicem, sed potius dispositionem habilitantem ad assentiendum ipsi veritati increatae; et sic se habet in proposito, quia verus Christianus credit hoc verum sibi propositum sine aliquo persuasionis superaddito. Notandum.

5. 6. Ad illud quod obiicitur, quod virtus consonat naturae; dicendum, quod illud intelligitur de virtute *politica* [3]; vel si illud intelligitur de virtute *gratuita*, non habet veritatem, quod consonet naturae, in quantum *lapsa* est, sed in quantum *reformata* et *elevata*, quod fit per gratiam divinam, desuper infusam. — Et per hoc patet responsio ad illud quod consequenter obiicitur de gratia, quod gratia est perfectio naturae. Est enim gratia perfectio naturae non tantum *habilitans*, verum etiam *reformans* et *elevans*. *Reformando* autem et *elevando* non destruit ipsam naturam, nec aliquid, quod sit de ipsa natura, sed defectum circa naturam. Notandum. Gratia facit ista.

7. Ad illud quod obiicitur, quod Conditor naturae nihil facit contra naturam; dicendum, quod *natura* dicitur dupliciter: vel naturalis *cursus*, vel naturalis *obedientia creaturae*. Secundo modo nihil facit, primo autem modo frequenter facit, ut in operibus, quae sunt supra naturam, vel contra, ut opera miraculosa [4]. Per hunc etiam modum intelligendum est de naturali intelligentia, quod dupliciter est de ipsa loqui: vel in quantum nata est *ratiocinari secundum lucem propriam*, vel in quantum nata est *se subiicere sub luce aeterna*. Hoc ultimo modo nihil dictat contra intelligendum; primo autem modo dictat aliquid, quod etsi videatur esse contrarium, post lumen infusum fit consonum: quia quod prius videbatur rationi impossibile sive difficile ad credendum, postea fit ad credendum facillimum, adeo ut verus credens dicat ipsi aeterno Doctori: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* [5]. Natura multiplicitur. Item intelligentia.

8. Ad illud quod obiicitur, quod principium cognitionis scientialis est facillimum ad sciendum etc.; dicendum, quod cognitio secundum fidem est cognitio *secundum pietatem*, sicut dicitur ad Titum primo [6]. Et licet intellectui praesenti secundum ariditatem speculationis videatur illud difficillimum credere, quod est, Deum esse trinum et unum; intellectui tamen pietate pleno facillimum est illud sentire de summo Patre, quod Unigenitum habeat, quem sicut se ipsum diligat, quem etiam pro salute hominum tradat [7]. Notandum.

9. Ad illud quod obiicitur, quod nullus tenetur ad illud quod non potest; dicendum, quod licet homo ex se non sufficienter possit, potest tamen divino adminiculo, quod sibi praestitum est, si faciat quod in se est; et quia potest facere illud, quo facto possit

---

[1] Sive neganda; cfr. tom. I. pag. 87, nota 4. — De subst. vide III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. ad 4. — Mox pro *aliquid* B *aliquando*.

[2] Cfr. II. Sent. d. 3. p. I. a. 2. q. 1-3.

[3] Vide tom. II. pag. 901, nota 5, et tom. III. pag. 730, nota 5, ubi ex Macrobio divisionem virtutum et definitionem earum analimus.

[4] Cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. ad 5.

[5] Psalm. 92, 5. — Vocibus *post tamen* F praemittit *tamen*, et pro *ipsa aeterno* substituit *Christo aeterno*.

[6] Vers. 1: Paulus... secundum fidem electorum Dei et agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est.

[7] Ex. Joan. 3, 16.

Digitized by Google

credere: ideo prn potente indicatur, et ad illud debet astringi, maxime quando nec interior nec exterior communitio deest; quod quidem est tempore gratiae revelatae[1].

10. Ad illud quod obiicitur: aut astringimur secundum legem naturae, aut Scripturae, aut gratiae; dicendum, quod proprie secundum *legem gratiae*, in qua obligamur et astringimur ad illud credendum distincte. Nihilominus et in *lege naturae* et in *lege Scripturae* erat obligatio ad credendum, saltem *implicite*. Omni enim tempore qui pertinaciter negaret, Deum esse trinum, reputaretur alienus a veritate et divino cultu; sed nunc potissime tempore *gratiae*, quando haec virtus revelata est et praedicata et approbata multipliciter et expresse. — Et *si obiicias*, quod hoc non deberet, quia lex gratiae facilis debet esse; dicendum, quod sicut amare inimicum non est facile cuicumque, sed habenti caritatem; sic credere Deum trinum, quamvis infideli videatur difficile, facile tamen est habenti fidem[2]. Notandum.

12. Ad illud quod obiicitur, quod aut tenemur ad illud credendum, quia verum visum, aut quia auditum, aut quia inspiratum: dicendum, quod ad illud tenemur, quia est verum maxime spectans ad divinum cultum et publice praedicatum; et ideo non excusatur homo per defectum auditus, nec per defectum lucis interioris, quia potest facere, quo facto inspiratur sibi.

11. Ad illud quod obiicitur, quod si astringimur ad illud credendum, aut quia verum, aut quia verum cadens sub praecepto. — Et *si quaeris*: sub quo praecepto? dico, quod sub primo, in quo quidem dicitur[3]: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est. Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* In hoc quidem praecepto obligamur *expresse* ad credendum, Deum esse unum, sed *implicite* ad credendum, Deum esse trinum. Et hoc patet sic: quia hoc praecepto astringimur ad colendum Deum cultu latriae, quae illi vocatur *servitus*. *Colere* autem in spiritualibus est secundum transmutationem a materialibus; in materialibus autem *colere agrum* est manifestare pullulationes originaliter ex ipsa terra procedentes. Per hunc etiam modum *colere Deum* est corde et ore et opere profiteri, ipsum esse principium, ita quod non perfecte coltur, nisi confiteamur, ipsum esse principium principians non tantum *effectivum* in creatione, sed etiam *refectivum* in redemptione et *perfectivum* in glorificatione; nec adhuc perfecte[4], si creditur esse principium ex *tempore*, nisi creditur principium principians ex *aeternitate*; nec adhuc, nisi creditur principium principians *aeternaliter principiantem*; quod credimus, dum credimus, Patrem aeternaliter generare Filium, spirantem cum ipso Spiritum sanctum, ut aeternaliter sit in Deo principium de principio, et principium non de principio. Quaestio incid. solvitur. De latria. Notandum.

Ad perfectam igitur Dei culturam necessario est sentire et credere, ipsum esse principium *aeternaliter principians principiantem*, ut sic fiat manifestatio *aeternarum* pullulationum; necessarium etiam est credere, ipsum esse principium *creativum* et *recreativum* et *retributivum*, ut sic fiat manifestatio *temporalium* pullulationum; et qui in aliquo horum deficit non est perfectus Dei cultor. Et quoniam tempore gratiae revelatur non qualitercumque, sed perfecte; ideo omnia ista oportet *explicite* credere, si in numero divinorum cultorum volumus computari; et ad hoc astringimur per ipsum[5] praeceptum divinae legis; quod quidem ante Christi adventum astringebat *implicite*, nunc autem *explicite*, quia est tempus colendi Deum perfecte. Duae pullulationes.

Ex his patet, quare sacrificia plurierunt Deo tempore legis scriptae, et spectabant ad cultum divinum, pro eo quod omnia erant *signa profitentia* et *praefigurantia* reparationem humanam, quae fuit per oblationem agni immaculati et effusionem sanguinis Iesu Christi[6]. — Patet etiam, quare in statu legis *gratiae* non offertur sacrificium *figurale*, sed ipse Iesus Christus in sua carne et sanguine, pro eo quod est tempus colendi Deum veraciter et perfecte; et ideo oportet, quod sacrificium verissimum et perfectissimum offeratur, quod quidem est unicum et solum, ipse scilicet Iesus Christus[7]. — Patet etiam, quare iuste condemnentur infideles. Si enim valde inhonorat regem terrenum qui aufert ei unam regni particulam, et per hoc merito dignus efficitur, ut expellatur a regno; multo magis qui negat, Deum esse principium principians ex tempore universa, vel aeternaliter principians intra, inhonorat maiestatem aeternam et dignus est non tantum expelli a regno Dei, sed etiam praecipitari in internale supplicium cum diabolo et angelis eius. — Patet etiam, quare *fide Deum colimus*. Nam hoc modo sentiendo de Deo, quo fides christiana sentit, sentimus de ipso, quod ipsum est principium *altissimum* et *piissimum*; et ideo *timendum* est et *amandum*, ex quibus duobus revocatur homo a malo et inflammatur ad omne bonum; et haec est perfecta iustitia, quam qui habet dignus est hereditate aeterna. Corollaria quatuor. De sacrificiis Legis. De sacrificio N. T. De damnatione infidelium. De cultu Dei per fidem.

---

[1] Vide III. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. ad 6; d. 20. q. 1. ad 2.

[2] Cfr. III. Sent. d. 40. q. 3. — Nota inversionem ordinis argg.

[3] Deut. 6, 4. et 13. (decem praecepta recitantur Exod. 20, 2. seqq. et Deut. 5, 6. seqq.) Pro *Deus tuus Deus unus est* Vulgata *Deus noster Dominus unus est*. — De latria vide III. Sent. d. 9. a. 2. q. 1.

[4] G addit *completur* (conditionur?).

[5] H F II *primum*. — Cfr. III. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. et 3.

[6] I. Epist. I. Petr. 1, 19: Sed [redempti estis] pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati.

[7] Cfr. IV. Sent. d. 1. p. II. a. 1. q. 3. et d. 8. p. I. a. 1. q. 4. seqq. — Mox pro *quare* A H *quam*.

Digitized by Google

QUAESTIO II.

Utrum possit simul stare trinitas personarum cum naturae unitate.

Supposito, quod Deum esse trinum sit verum credibile, quaeritur consequenter, utrum simul possit stare trinitas personarum cum naturae unitate [1]. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primum est, utrum divinum *esse* sit summe unum.

Secundo quaeritur, utrum summa unitas naturae possit esse cum trinitate personarum.

ARTICULUS I.

Utrum divinum esse sit summe unum.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod divinum *esse* sit summe unum. Et quod ita sit, satis intonat *fides* et *Scriptura divina*, Exodi vigesimo [2]:

Probatur Scriptura.

Deus tuus, Deus unus est; et Deuteronomii tricesimo secundo: *Videte ergo, quod ego sum solus, et non sit alius Deus praeter me;* et David in Psalmo: *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum;* et hoc satis praedicat Scriptura divina. — Et

Item rationibus.

hoc ipsum intentatum est *rationibus* demonstrare. Omnium enim mens ratione utentium supponit, Deum esse, quo maius et melius nihil excogitari possit,

Dei proprietates 6.

ac per hoc excellentissimum *natura* et *potestate*, *sapientia* et *bonitate*, *influentia* et *causalitate*. Si enim in aliquo bonum pateretur defectum, iam non esset summus, ac per hoc non esset Deus. Supponantur ergo ista sex sicut vera et certissima.

Fundamenta.

1. Ex parte *sublimitatis naturae* arguitur sic. Sublimius est quod omnibus superfertur, quam quod non; ergo si omnibus superferri non potest competere nisi uni [3], impossibile est, Deum esse nisi unum, immo etiam nec intelligere. Nam si plures intelliguntur, ponitur ex hoc, quod idem ipse superferatur alii, et e converso; ergo si utrique est Deus, neuter est Deus: aut ergo Deus non est, aut si est, unus est.

2. Ex parte *omnipotentiae* sic. Omnipotens vere est non solum qui omnia potest, sed etiam a quo est omne *posse;* sed omnia posse et omnem potentiam causare non potest nisi uni soli competere — si enim pluribus competeret, neutri conveniret — si ergo omnipotentia convenit Deo, impossibile est, Deum esse nisi unum, immo etiam nec intelligere: quia, si utrique est omnipotens, utrique potest facere, ut nihil possit unus aliud *posse:* ergo si utrique est omnipotens, neuter est omnipotens [4].

3. Ex parte *summae sapientiae* arguitur sic. Summae sapientis est omnia nosse [5]: si ergo plures essent dii, aut utrique alterum *ignoraret*, et ita neuter esset summe sapiens, immo vere insipiens; aut *nosset*, et hoc vel per *speciem*, vel per *essentiam* vel per *se ipsum*. Sed si per *speciem* vel per *essentiam*, aliquid recideret ab alio et informaretur; si per *se ipsum*, esset illius principium, ac per hoc aut ipse, aut ille non esset Deus. Ergo summa sapientia non permittit, plures deos esse, immo etiam nec aestimare, quia, si plures cogitantur, aut habent *eandem* sapientiam, aut *diversas*. Si *diversas;* ergo vel altera superfluit, vel utraque imperfecta est; si *eandem:* cum unaquaeque sit summa sapientia, ergo non habebunt iam diversam naturam: ergo iam non sunt duo.

4. Ex parte *summae bonitatis* sic. Summum bonum est summe amandum et propter se: si ergo plura sunt summe bona, ergo aut unum *amat* alterum propter *se;* aut *non*. Si *non:* ergo neutrum est bonum; si *sic:* ergo unum beatificat alterum: ergo

---

[1] Septem quaestionibus, quae sequuntur atque copiosissime et sapientissime de muris ss. Trinitatis mysteriis tractant, probatur et exponitur quod paucis verbis auctor dicit in suo Breviloquio (p. I. c. 2.): Trinitas personarum non excludit ab essentia divina summam *unitatem*, *simplicitatem*, *immensitatem*, *aeternitatem*, *incommutabilitatem*, *necessitatem* et etiam *primitatem;* quin potius includit summam *fecunditatem*, *caritatem*, *libertatem*, *aequalitatem*, *germanitatem*, *conformitatem* et *inseparabilitatem*; quae omnia sana fides intelligit esse in beata Trinitate.

[2] Vers. 2. seq.: Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coram me. Verba sunta sunt ex Deut. 6, 4: Dominus Deus noster, Dominus unus est. — Seq. locus est Deut. 32, 39; tertius vero Ps. 80, 10. — Cfr. de hac quaest. I. Sent. d. 2. q. 1.

[3] Aristot., V. Topic. c. 3. (c. 5.): Quod per superabundantiam alicitur uni soli convenit. Cfr. ibid. VII. c. 1. — De ipso arg. cfr. Damasc., I. de Fide orthod. c. 5, et Richard. a S. Vict., II. de Trin. c. 6.

[4] Cfr. Richard. a S. Vict., I. de Trin. c. 23. et II. c. 15. — Superius ex AB posuimus *omnem potentiam*, dum alii habent *omnipotentiam*.

[5] Aristot., I. Metaph. c. 2: Opinamur, sapientem maxime omnia, ut possibile est, scire.

Digitized by Google

neutrum est summum: ergo impossibile est, quod sit summum bonum multiplicatum; immo etiam hoc est contra intellectum, quia utrumque aut est *maius* bonum, aut *non;* si *non:* ergo alterum superfluit; si *sic:* ergo neutrum est summum. Ergo si intelliguntur esse plura summe bona, intelliguntur non esse summe bona [1].

5. Ex parte *influentiae* arguitur sic. Deus influit in omnes res perfectissime: ergo dat *totum esse*, non partem [2]; sed si essent plures dii, aut unus *nihil* daret, et ita non esset Deus; aut uterque *partem*, aut *nihil* daret, et ita neuter esset Deus; aut uterque *idem* daret, et tunc uterque simul esset in eodem per essentiam et potentiam et praesentiam; et quia hoc sequitur ad summam influentiam: ergo vel unus esset in altero, vel uterque circumscriptus, et ita neuter esset Deus.

6. Ex parte *summae causalitatis* arguitur sic. Deus est causa prima, ultima et perfectissima, ac per hoc causa, in qua status est per omnem modum, et secundum rationem *efficiendi*, *exemplandi* et *finiendi* [3]: ergo si plures dii essent, uterque ad alterum reduceretur: ergo neuter esset primus, ultimus et perfectissimus, ac per hoc neuter esset Deus.

7. Ex parte *omnium praedictorum* sic arguitur: quia, si plures dii essent, aut *omnino convenirent* in omnibus conditionibus praedictis, aut *omnino differrent*, aut *partim convenirent* et *partim differrent*. Si *omnino convenirent:* ergo non essent plures dii; si *omnino differrent:* ergo si unus esset Deus, alter non esset Deus; si vero *partim sic* et *partim non:* ergo in quolibet esset aliquid et aliquid: ergo neuter simplex, ac per hoc neuter Deus. — Ex his arguitur, quod divinum *esse* non potest multiplicari nec *re* nec *aestimatione*.

Ad oppositum arguitur primo contra rationes praedictas:

Ad oppositum. Primo.

1. Quoniam non videntur *verum* concludere. Cum enim Deum esse unum sit articulus, in quo erraverunt pagani, idololatrae et infideles et haeretici, qui omnes habent usum rationis; non solum potest cogitari, sed etiam aestimari et credi, quod plures sint dii; aut si non potest contrarium aestimari, non est articulus fidei.

2. Item, non videntur *necessario* concludere: quoniam eisdem rationibus potest probari, quod non sint in divino *esse* plures personae, sicut patet pertractanti, sive ex parte *sublimitatis naturae*, sive *potentiae*, sive *sapientiae*, sive *bonitatis*, sive *influentiae*, sive *causalitatis*. Quodsi rationes procedant ex eisdem mediis ad concludendum falsum, non ergo necessario concludunt.

3. Item, si ex praedictis rationibus necessario convincitur et probatur, Deum esse unum; cum « fides non habeat meritum, cui humana ratio praebet experimentum [4] »: ergo meritum fidei evacuari videtur: ergo aut erunt fragiles, aut inutiles.

Ex se ipsis obiicitur contra ipsas: Secundo.

4. Et primo ex *sublimitate*. Maioris sublimitatis est superferri rebus similis naturae quam dissimilis, et rebus magnis quam parvis: si ergo creatura non est consimilis naturae cum Deo et comparatione Dei quasi nihil est, non intelligitur Deus *summus* et *excellentissimus*, si superfertur solum *esse* creato. Ad divinam igitur videtur spectare excellentiam, ponere plures naturas increatas, et iterum unam supra ceteras.

5. Ex parte *omnipotentiae* sic. « Perfectae potestatis est, ut dicit Hilarius [5], id naturam posse facientis, quod potest significare sermo dicentis »; et rursum, ratio dictat, quod tanta virtus in tantum, et maior in maius, et maxima in maximum; sed Deus omnipotentissimus est: ergo cum nos possimus significare, plures deos esse, potest Deus facere, quod sint; et cum possit minus facere esse, potest maius et maximum: ergo potest facere aliud a se tantum, quantus est ipse: consonat ergo omnipotentiae, plures deos esse.

6. Ex parte *sapientiae* sic: quia competit summae sapientiae aliud a se nosse, et tanto perfectior est sapientia, quanto perfectius est cognoscibile: si ergo nihil est perfectum omnino nisi [6] ens, quod est Deus, et divina sapientia novit aeternaliter aliud a se, et hoc cognitione perfectissima; videtur, quod aeternaliter fuerit aliud a Deo, quod tamen esset Deus: ergo divina sapientia non privat, sed ponit plures divinas essentias.

7. Ex parte *bonitatis* arguitur sic. « Bonum est maxime diffusivum », et « plura bona paucioribus sunt eligenda [7] »; utraque harum est per se vera; sed summa diffusio divini *esse* non potest esse in creatura: est ergo in aliam naturam increatam, qua posita, melior est tota divina essentia, propter hoc quod erunt plura bona. Ergo si unus melius est Deo attribuendum ratione summae bonitatis, videtur, quod summa bonitas non excludat, sed exigat plures divinas naturas.

8. Ex parte *influentiae summae* sic. Perfectio influentiae exigit necessario, quod influentia non sit

---

[1] Cfr. Richard. a S. Vict., II. de Trin. c. 19.

[2] Vide Libr. de Causis, propos. 4. — De modos essendi per *essentiam* etc. cfr. I. Sent. d. 37. p. I. a. 3. q. 2.

[3] Probat Aristot. II. Metaph. text. 5. sepp. (I. brevior, c. 2.), in omni genere causarum debere esse statum.

[4] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 4.

[5] Libr. V. de Trin. n. 5. Textus originalis *possit* pro *potest*. — De seq. propos. cfr. Aristot., VII. Phys. text. 35. sepp. (c. 5.) et VIII. text. 79. sepp. (c. 10.). — Circa finem arg. vocibus *facere aliud* A B E G interserunt *quod*, et pro *quantus* A *quantum*, B *quantum vel quantus*.

[6] Ita E G; alii *sicut*.

[7] Prima propos. est secundum Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 4. § 1. et de Div. Nom. c. 4. § 1. seq.; secunda summa est ex Aristot., III. Topic. c. 2. — Pro *eligenda* legendum esse videtur *praeeligenda*, vel *magis eligenda*.

Digitized by Google

sine divina essentia, praesentia et potentia: ergo pari ratione multiplicari non potest sine multiplicatione essentiae et potentiae et praesentiae: ergo cum sint multae influentiae divinae, multae sunt et essentiae.

9. Ex parte *causalitatis* sic. Causa prima est perfectissima, est prima et immediata, ergo et propria; sed multiplicato effectu, necesse est, multiplicari causam proximam et propriam[1]: ergo necesse est, quod multiplicatio ponatur in causa prima, cum multitudo ponatur et sit in effectibus causatis ab ipsa.

10. Item, ex omnibus oblicitur contra omnes: quia perfectissima sublimitas in natura et potentia, sapientia et bonitate, influentia et causalitate est ratio ponendi multitudinem in effectibus causatis: ergo si idem non est causa oppositorum[2], videtur, quod potius ducant ad ponendam multitudinem quam unitatem ex parte efficientis, et sic potius esse ad oppositum quam ad propositum.

CONCLUSIO.

Deum esse unum est verum non tantum credibile, sed etiam intelligibile.

Responsio: Dicendum, quod hoc verum, Deum esse unum, est verum non tantum *credibile*, verum etiam *intelligibile;* quoniam est necessarium et certum non solum ex *testimonio Scripturae* et *illustratione gratiae*, quod reperitur in fide; sed etiam certum est *ex se* et ex *testimonio creaturae*[3]. — *Ex se* ergo: quoniam divinum *esse* propter singularem sublimitatem et sublimem singularitatem omnimodam habet unitatem. Cum enim Deus omnem perfectionem in se habeat, et hoc in summo termino et excellentissimo, non solum ex *sublimitate naturae* et *sapientiae, potestatis* et *bonitatis* et *influentiae* et *causalitatis* convincitur esse unus, immo ex *omnibus suis conditionibus* et proprietatibus nobilibus, quae sibi attribuuntur in summo. Unde omnes conditiones attestantur unitati essentiae summae.

Ex *testimonio* etiam *creaturae:* quoniam omnis creatura, sicut habet naturalem *bonitatem*, sic et convincitur habere *unitatem*. « Nihil enim potest esse, nisi sit unum », ut dicit Boetius[4] et Augustinus, et docet sensus et intellectus. Sicut ergo omnis creatura per suam *bonitatem* clamat, in Deo esse verum bonitatem et summam; sic per suam *unitatem* clamat, omnium causam esse in se unam. — Nec huic testimonio obviat rerum *diversitas*. Omnis enim rerum diversitas intra unam universitatem est comprehensa, quae in se quidem est limita et limitata et perfecta[5]. Hoc autem non esset, nisi illa pluralitas reduceretur ad aliquid, in quo esset status; ac per hoc necessarium est, omnia reduci ad unum finem ultimum et unum principium primum, alioquin esset abire in infinitum. Testificatur igitur ipsa rerum universitas, Deum esse unum; unde, sicut unus circumferentiae impossibile est esse nec rationabiliter excogitare nisi unum centrum, a quo fluunt lineae et ad quod reducuntur sicut ad terminum; sic in uno universo non est ponere nec intelligere nisi unum Deum et solum.

Est igitur hoc necessarium et notum, et adeo notum, quod nullus dubitat de hoc habens rationis usum, si sciat, « quid est quod per nomen dicitur[6] ». Si enim per hoc nomen *Deus* significatur omnium rerum principium primum et summum; cum in hoc clamatur universitas omnis, qui hoc intelligit per consequens dicit, Deum esse unum. Unde sicut principia sunt per se nota, quia statim scindur per terminorum notitiam[7]; sic omni intelligenti terminorum significatum indubitanter verum est, Deum esse unum.

Multi tamen erraverunt circa deorum numerum; ignorantia enim significati peperit deceptionem circa suppositum, et hoc introduxit haeresim de pluralitate deorum. Quia enim homines sunt opinati, illud esse Deum, quod superexcedit hominum *posse*, aut hominum *scire*, et hoc valerunt posse daemones; ideo crediderunt, eos esse deos; et erraverunt et exaecati sunt et incurvati ad idolorum cultum; quod quidem est absurdissimum, nec mirum, quia « parvus error in principio magnus est in fine[8] ». Ab hoc errore eripit philosophia, sed multo melius fides christiana; quae communiter in hoc concurrunt, quod divinum *esse* sit summe unum. — Unde concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt, quia verum concludunt et per medium necessarium.

1. Ad illud quod obicitur de conclusionis falsitate, per hoc quod plures sunt opinati, plures esse

Conclusio.

Duplex ratio.

Ratio sumta ex ipsa natura Dei.

Ratio ex testimonio creaturae.

Difficultati obviatur.

Simile.

Confirmatur.

Origo erroris contrarii.

Notandum.

Solutio oppositorum.

---

[1] Quia sunt relativa, quae sunt simul natura. Cfr. supra pag. 13, nota 5. 6. — In fine arg. post *effectibus* cum 104 II omissus *et*, quod alii habent.

[2] Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 56. (c. 10.): Idem enim et similiter se habens semper idem natum est facere... contrariorum enim contrariae causae.

[3] Codd. contra contextum *Scripturae* (cfr. paulo inferius).

[4] Libr. III. de Consol. prosa 11. et lib. de Unitate et uno. — August., II. de Moribus Manich. c. 6. n. 8. (cfr. 83 Qq. q. 18.).

[5] Vide August., Enchirid. c. 10. n. 3, ubi docet, a Deo uno et trino creata esse « omnia, et nec summe nec aequaliter nec immutabiliter bona, sed tamen bona etiam singula, simul vero universa *valde bona* [Gen. 1, 31.]; quia ex omnibus consistit universitas admirabilis pulchritudo ». Aristot., XII. Metaph. text. 52-56. (XI. c. 10.), ubi tractat de ordine universi et docet, quomodo omnia ordinantur in Deum tanquam in ultimum finalem causam, principium omnium et optimum simpliciter: « Ad unum namque coordinata sunt omnia (text. 52.)... Entia nolunt male gubernari; non est bonum pluralitas principatuum: unus ergo princeps » (text. 56.). — Aliquanto inferius pro *universitas* BG *diversitas*.

[6] Cfr. supra pag. 50, nota 7. — Inferius secuti sumus E, alii additum *dicit* ante *intelligit* et ponunt *duplicter* pro *dicit*.

[7] Secundum Aristot., I. Poster. c. 3: Principium scientiae esse quodlibet dicimus, in quantum terminos cognoscimus.

[8] Vide supra pag. 23, nota 2.

Digitized by Google

deos; iam patet responsio: quia aliter utuntur suppositi et significato huius termini *Deus*, quam habet eius institutio; et ideo non est ibi contradictio. Unde sicut hoc nomen *Deus* secundum propriam institutionem non habet plurale, licet habeat, secundum quod accipitur mancipative [1]; sic et in proposito intelligendum est; et quia propter mentis exaeratationem falsum frequenter accipiebatur pro vero, ideo fuit necessaria fidei illuminatio. — Posset tamen dici, quod Deum esse unum habet probari per rationem, in quantum eius unitas consideratur *absolute;* sed necessaria est fidei illuminatio, in quantum comparatur ad personarum pluralitatem.

2. Ad illud quod obiicitur, quod similiter possent concludere de personis; dicendum, quod non est simile: quia in omnibus personis una est natura et potentia et sapientia et bonitas et influentia et causalitas; non sic autem esset, si essent diversae naturae divinae; et ideo nihil repugnat iis plures personae. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod evacuatur fidei meritum; dicendum, quod hoc verum esset, si solum propter rationes huic vero assentiretur; nunc autem, dum non assentitur propter rationes principaliter, sed propter ipsam veritatem, ideo potest habere meritum propter fidelem assensum. Nihil enim prohibet, secundum aliam et aliam respectum et considerationem idem esse scitum et creditum [2].

4. Ad illud quod obiicitur de sublimitate respectu magnorum et consimilium; dicendum, quod illud haberet locum, si divinae sublimitati accresceret aliquid ex aliorum subiectione; hoc autem non habet veritatem, quia ita sublimis est Deus in se ipso et solus existens, sicut si dominaretur omnibus mundis. — *Praeterea*, hoc non esset ei ad sublimitatem, si aliquid consimilis naturae haberet conditionem servilem; unde etsi talis sublimitas aliquo modo videatur facere ad exaltationem, tamen secundum veritatem facit ad depressionem.

5. Ad illud quod obiicitur de potestate, dicendum, quod utrumque verbum potest intelligi de eo quod quidem *posse* est potentiae. Nam quodlibet *posse* potius est infirmitatis quam sublimitatis; posse namque habere naturam aequalem a se differentem, hoc dignitatis est potentiae *limitatae*, ac per hoc repugnat omnipotentiae; ideo, licet possit sermone dici, non tamen Deo attribui; nec secundum quantitatem huius possibilis attenditur quantitas divinae virtutis, sed secundum dignitatem actus proprii, qui est immensus, secundum quod potentia est immensa [3]. Duplex posse.

6. Ad illud quod obiicitur de sapientia, quod cognoscit aliud; dicendum, quod licet Deus aliud a se cognoscat aeternaliter, et hoc competat summae sapientiae; non tamen competit ei scire aliud *per aliud*, sed *per se;* et hoc non potest nisi aliud [4], quod natum est ab ipso Deo procedere, quod est in ipso sicut in principio causante. Non etsi malum cognoscatur a Deo, hoc est per ideam boni sibi oppositi [5]. Unde ad perfectionem divinae cognitionis non requiritur, quod cognoscibile sit *ens actu;* nec requiritur, quod sit *ens summum*, cum cognoscat terrena nobilissime et optime per se ipsum. Illud autem locum habet in scientia, quae ortum habet a rebus, qualem scientiam Deus non habet. De scientia Dei notandum.

7. Ad illud quod obiicitur, quod summo bono competit summa diffusio et bonorum multitudo; dicendum, quod summa diffusio in aliquid *extra* non competit, secundum quod *summum* dicitur *simpliciter;* sed *intra* competit summa communicatio. Non enim debet esse nisi unum summum bonum, quod quidem non potest accrescere ex multitudine bonorum. Unde quod dicitur, quod summum bonum est summe diffusivum; intelligendum est, quod veritatem habet, secundum quod illud *summe* determinat diffusivum ratione *potentiae*, non ratione *actus* [6]. Et quod dicitur, quod plura bona magis eligenda; dicendum, quod habet veritatem in bonis finitis, quorum unum addit ad aliud, et quorum unicuique aliquid deficit de bono, quod suppletur per bonum adiunctum. Notandum.

8. Ad illud quod obiicitur de influentia, quod non potest esse sine Deo, ergo nec multiplicari; dicendum, quod illud non valet nec est simile: quia de perfectione agentis est, quod non possit effectus esse sine eius praesentia, quia totaliter pendet ab illo, et agens nobilius agit immediate agendo quam per medium [7]; non sic autem est de numero et multitudine. Hoc enim non est de perfectione agentis, ut multiplicetur secundum multitudinem effectuum, sed potius eius contrarium, scilicet quod unum in se manens sit causa diversorum.

9. Ad illud quod obiicitur de causa proxima et immediata, quod multiplicatur; dicendum, quod illud habet veritatem in causa agente per modum naturae, cuius etiam virtus est arctata, et sic est causa propria, quod non universalis. Prima autem causa agit per modum artis et voluntatis in creaturarum productione; propterea est causa liberrima et ad nihil arctata et simul universalis et propria, quia quid- Notandum.

---

[1] Bernard., Homil. I. super *Missus est*, n. 2: Aliter quippe Christus *fortitudo* vel *virtus* Dei dicitur, aliter Angelus [Gabriel i. e. fortitudo Dei]. Angelus enim tantum *mancipative*, Christus autem etiam *substantice*. Christus Dei virtus [I. Cor. 1, 24.] et *dicitur* et *est*... Angelus vero fortitudo Dei *appellatus est*, vel quod huiusmodi meruerit praerogativam officii... vel quia virginem natura pavidam... confortare deberet etc. — Cfr. I. Sent. d. 4. q. 3. et d. 23. a. 2. q. 3.

[2] Ut ostenditur III. Sent. d. 24. a. 2. q. 3.

[3] Cfr. Richard. a. S. Vict., I. de Trin. c. 21; vide etiam I. Sent. d. 42. q. 2. — Post *secundum* G addit *quod dicitur*.

[4] Intelige: nisi *illud* (tale) aliud, quod etc.

[5] Vide I. Sent. d. 36. a. 3. q. 1. (pro *sibi*, quod praebet B, A E G *suce*). — De seqq. cfr. ibid. d. 39. a. 2. q. 2.

[6] Cfr. I. Sent. d. 43. q. 3. ad 3.

[7] Vide I. Sent. d. 37. p. I. a. 1. q. 1. et II. Sent. d. 37. a. 1. q. 2. — Pro *ab illo* A B *ab illa*.

Digitized by Google

quid nobilitatis est in creatura, necessario oportet quod ponatur in creatrice essentia[1].

10. Ad illud quod obiicitur, quod illa sunt media ad probandum multitudinem et diversitatem; dicendum, quod non probant quamcumque diversitatem in creaturis, sed diversitatem cum ordine et connexione et inclinatione ad unitatem[2], et ita diversitatem in unitate, et ratione illius unitatis inferunt in causa unitatem; nec tamen sunt via ad opposita, quia unitas in causa non repugnat multitudini in causatis, sicut patet in unitate, a qua procedunt infinitae species numerorum. Sic etiam summa sapientia et potentia et bonitas, licet sint unum, quia tamen non sufficienter manifestantur per unum effectum; ideo diversitatem inferunt in effectibus causatis ab ipsa. — Et sic patet responsio ad omnia obiecta.

Notandum.

ARTICULUS II.

Utrum unitas naturae possit simul stare cum trinitate personarum.

Supposito, quod divinum *esse* sit summe unum, quaeritur consequenter, utrum unitas naturae simul possit stare cum trinitate personae[3]. Et quod sint incompossibiles, videtur sic.

1. Magis est unum quod est unum forma et suppositio, quam altero tantum: ergo si divinum *esse* est unum forma et non hypostasi, videtur, quod non sit summe unum.

Ad oppositum.

2. Item, magis est unum quod est unum substantia et proprietate, quam altero tantum; sed trinitas non potest stare sine pluralitate proprietatum[4]: ergo necessario diminuit de ratione unius: ergo non possunt haec duo stare simul.

3. Item, tanto magis est aliquid unum, quanto magis est indivisum, per definitionem unius[5]: ergo in summe uno est omnimoda indivisio, ergo et omnimoda indistinctio, ergo nulla pluralitas: ergo aut non est ibi trinitas, aut non est ibi summa unitas.

4. Item, magis est unum quod est unum re et ratione, quam quod est unum tantum re; sed trinitas personarum non potest stare cum unitate rationis: ergo aliquid diminuit de perfectione unitatis summae, non ergo possunt simul stare.

5. Item, regula est, quod « quaecumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem[6] », si illud unum est simpliciter unum; aut ergo divina substantia non est summe unum, et personae non communicant in ea; aut una persona non differt ab alia; sed quodlibet horum dato, trinitas et unitas sunt incompossibilia.

6. Item, regula est, quod quando aliqua sic se habent, quod unum formaliter praedicatur de altero; multiplicato uno, multiplicatur et reliquum, sicut patet in homine et animali, et albedine et colore[7]; sed formaliter persona est essentia: ergo si plures sunt personae, et plures sunt essentiae; et sic redit idem quod prius.

7. Item, forma syllogistica non fallit in propositionibus per se veris, in quibus non est reperire accidens[8]; sed istae propositiones sunt per se verae: omnis persona distinguitur, omnis persona est essentia: ergo essentia distinguitur, ergo numeratur, ergo non est una in trinitate personarum.

8. Item, regula est, quod multiplicato definito, multiplicatur definitio et definientia[9]; sed substantia et natura cadit in definitione personae: ergo si plures personae, et plures essentiae et substantiae et naturae: ergo pluralitas personarum non potest compati summam unitatem circa divinam naturam.

9. Item, persona aut dicitur *secundum substantiam*, aut secundum *relationem*. Si secundum *relationem*: ergo idem esset dicere plures personas et plures relationes; si secundum *substantiam*: ergo multiplicatio personae est multiplicatio substantiae et naturae: ergo unitas in natura est incompossibilis trinitati in personis.

10. Item, cum dico: persona est una, essentia est una; aut *eadem* unitate, aut *alia*. Si *alia*: ergo plures unitates, non ergo summe unum; si *eadem*: ergo si una pluriticatur, et alia; et si una non pluriticatur, nec reliqua: ergo trinitas et summa unitas sunt incompossibiles.

11. Item, productio non competit personae nisi ratione naturae[10]; sed non est pluralitas in divinis

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 40. dub. 7. et d. 45. a. 2. q. 2.

[2] In correximus codices, qui corrupte habent *futurum*.

[3] Eandem quaest. tangit S. Bonav., I. Sent. d. 8. p. II. q. 4, et solvit Alex. Hal., S. p. I. q. 14. m. 3.

[4] Cfr. I. Sent. d. 26. q. 1. sepp.

[5] Scil. unum est quod in se indivisum est. Aristot., III. Phys. text. 68. (c. 7.): Unum est indivisibile, quodcumque unum sit, ut homo, unus homo et non multi. Cfr. tom. I. pag. 405, nota 10.

[6] Aristot., I. Elench. c. 5. (c. 6.).

[7] Aristot., IV. Topic. c. 5: in quo enim species [est, in eo est] et genus, ut in quo album, et color etc.

[8] Cfr. Aristot., I. Prior. c. 1. sepp. et I. Poster. c. 4. sepp. — In fine arg. cum ti possimus *personarum* pro *personae*.

[9] Liceat ex ratione definitionis i. e. orationis significantis, quid sit id quod definitur. Petr. Hispan., Summul. tr. de Locis topic. has de definitione et definito affert maximas: Quidquid praedicatur de definitione, [praedicatur] et de definito; et vice versa. De quocumque praedicatur definito, et definitum; et vice versa. — In *minori* respicitur definitio personae a Boeth. data: Persona est rationalis naturae individua substantia.

[10] Nam natura est vis insita rebus, similia ex similibus procreans. Cfr. tom. I. pag. 134, nota 10. et tom. III. pag. 188, nota 1. — Inferius pro *hic* H *haec*.

Digitized by Google

tosi ratione productionis: ergo si productio pluralicat personam, pluralicabit pariter et naturam: ergo pluralitas hic non potest stare cum unitate summa naturae.

12. Item, summa simplicitas Dei excludit compositionem non solum in natura, verum etiam in persona: ergo cum ita se habeat unitas ad pluralitatem, sicut simplicitas ad compositionem; si est summa unitas in divina natura, non poterit esse pluralitas, nec in natura nec in persona.

13. Item, aut in divino *esse* nulla est distinctio, aut est distinctio perfectissima; sed perfectissima distinctio est illa quae attenditur penes formam: cum ergo ista non possit stare cum summa unitate [4], relinquitur, quod aut non est ibi summa unitas, aut non est ibi pluralitas.

14. Item, unitas et veritas supra se reflectuntur, cuicumque naturae attribuuntur [5]: si ergo in divinis est vera pluralitas, ergo est ibi pluralicata veritas, ergo plures veritates, igitur et plures entitates: ergo non vera unitas; et sic redit idem quod prius.

15. Item, *Patrem generare*, et *Spiritum sanctum procedere* sunt duo vera, si trinitas est in divinis, ergo duae veritates: ergo si pluralitas veritatum repugnat summae unitati, restat, quod et pluralitas personarum.

16. Item, in illa trinitate aut est *eiusdem* unitatis repetitio, aut *alterius*. Si *eiusdem* [3]: ergo non est pluralitas secundum rem, ergo est nugatio et superfluitas; si *alterius*: ergo cum diversarum unitatum multiplicatio et aggregatio summae unitati repugnet, patet etc.

17. Item, omnis pluralitas est reducibilis ad unitatem [4]; sed in Deo non est ponere aliquid, quod sit ad aliud reducibile: ergo etc.

18. Item, *plura in pluribus* dicunt [5] summam distinctionem, ergo *unum in uno* dicit summam unitatem, per locum ab *oppositis*: ergo si in Deo est summa unitas, sequitur, quod non sit ibi pluralitas.

19. Item, Deus nihil habet nisi a se ipso: ergo quaecumque persona est Deus, quidquid habet habet a se ipsa; sed non potest nisi una persona esse a se ipsa: ergo cum unitate divini *esse* non potest stare pluralitas ex parte personae.

20. Item, ubi est pluralitas, ibi diversitas; et ubi diversitas, ibi diminutio identitatis; et ubi defectus identitatis, non summa unitas [6]: ergo etc.

Sed obiicitur in contrarium *auctoritate* et *ratione; auctoritate sic.*

1. Primae Ioannis quinto [7]: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt;* unum *simpliciter* dico quod nullo addito dico: ergo sunt unum simpliciter: ergo trinitas non tollit unitatem. Testimonia.

2. Item, Bernardus ad Eugenium [8]: « Inter omnes unitates arcem tenet unitas Trinitatis »; sed quod tenet summitatem inter aliqua habet esse in summo: ergo unitas Trinitatis est unitas summa, ergo simul stant vera trinitas et summa unitas.

3. Item, pluralitas individuorum non repugnat unitati speciei, immo simul stant: ergo si *natura* nominet formam communem, *persona* vero nominat individuum sive suppositum [9]; in nullo derogat unitati essentiae trinitas personarum.

4. Item, pluralitas naturarum non repugnat unitati personae, immo simul stant, ut patet in homine: ergo per *convertentiam*, pluralitas personarum in divinis non repugnat unitati essentiae vel naturae: ergo simul possunt stare sine diminutione.

5. Item, invenimus in una persona unam naturam, sicut in Angelo, et invenimus in una persona tres naturas maxime diversas, sicut in Christo: ergo videtur, quod non tantum possibile sit, immo maxime congruum, reperire in una natura trinitatem personarum; hoc autem in Deo [10]: ergo etc.

6. Item, excellentior est unitas, quae in pluribus manet una, quam quae non potest sui unitatem servare nisi in una persona; sed divina unitas est excellentissima: necesse est igitur stare cum personarum pluralitate; ergo non habet oppositionem.

7. Item, ut dicit Philosophus [11], « generans non generat aliud nisi praeter materiam »; sed in divinis nulla est materia: ergo generans non est aliud a genito. Nec tamen idem potest generare se ipsum: ergo si in divinis est generatio et sine materia, ergo est pluralitas personarum, non multiplicata forma.

8. Item, sicut dicit Damascenus [12], « generare est de sui substantia similem producere »; sed divina substantia est impartibilis: ergo necesse est, quod generans det genito totam substantiam: ergo non

---

[1] Cfr. Boeth., de Trin. c. 2.

[2] Vide tom. I. pag. 78, nota 13, pag. 423, nota 1. et pag. 685, nota 7. — Similis obiectio habetur I. Sent. d. 25. dub. 3.

[3] Ut Boeth. de Trin. c. 3. docet: Nam quod tertio repetitur *Deus*, cum Pater et Filius et Spiritus sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsae sunt, si advertamus ad res numerabiles ac non ad ipsum numerum; illic enim *unitatum repetitio* numerum facit etc.

[4] Vide supra pag. 12, nota 9. et tom. I. pag. 342, nota 5.

[5] Ita AB, alii *dicit*. Idem recurrit in subst. huius obiecti.

[6] Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 16. (IV. c. 9.).

[7] Vers. 7. — Aristot., II. Topic. c. 4. (c. 11.): *Simpliciter* autem est quod nullo addito dicis.

[8] Sive de Consideral. lib. V. c. 8. n. 19. Cfr. supra pag. 32, nota 5.

[9] Cfr. Boeth., de Persona et duabus naturis, c. 1-3. — Pro *communem* G *sive substantiam*.

[10] Cfr. Bernard., V. de Consideral. c. 9. n. 20. *Natura* hic cum antiquis sumitur in sensu largiore.

[11] Lib. VII. Metaph. text. 28. (VI. c. 8.). Idem II. de Anima, text. 47. (c. 4), sit: Generat autem nihil ipsum se ipsum.

[12] Libr. I. de Fide orthod. c. 8. Cfr. I. Sent. d. 9. q. 1. seq.

Digitized by Google

possunt distingui secundum substantiam. Et tamen distinguuntur; et non *accidente*, quia in divinis non est accidens: ergo *persona*: manet igitur distinctio in persona cum omnimoda indistinctione in natura.

9. Item, perfectior est unitas, in qua cum unitate naturae manet unitas caritatis; sed «caritas ad alium tendit[1]»: ergo includit distinctionem diligentis et dilecti: ergo si divina unitas est perfectissima, necesse est, quod habeat pluralitatem intrinsecam; nam extra se nihil habet, quod sit summe amabile.

10. Item, similitudo et aequalitas et identitas simul etiandum in suo intellectu pluralitatem et unitatem; quod patet, quia «similitudo est rerum differentium eadem qualitas[2]»: ergo cum similitudo *summa* possit et re et intellectu esse; cum summa similitudo et identitas non possit esse nec cogitari sine unitate et cum pluralitate: ergo vel necesse est, quod simul stet summa unitas et vera pluralitas, aut nec cogitari poterit nec esse summa similitudo, ac per hoc nec aliqualis similitudo. Quodsi haec sunt impossibilia, restat, quod in Deo simul stent summa unitas et vera pluralitas.

CONCLUSIO.

Summa unitas et trinitas in Deo non habent repugnantiam, sed mirum concordiam et harmoniam.

Respondeo: Dicendum, quod in divinis trinitas et summa unitas non habent repugnantiam, sed mirum concordiam et harmoniam, secundum quod dicit *fides saluberrima*; et hoc etiam potest capere *unima aliquantenus per fidem purgatu et elevatu*; alioquin difficile et impossibile est, quod intelligat, nisi prius assentiat. Conclusio.

Dicit igitur *fides christiana*, quod divina natura est una *et* summe una; et tamen sunt ibi tres personae, quarum una est de alia et ab alia, et ideo communicant in essentia et forma, distincta vero proprietate sua. — Haec autem videntur infidelibus incompossibilia, fidelibus autem videntur non repugnare, sed consonare. Ut autem hoc possimus intelligere, duo oportet hic notare: primum est, qualiter persona et natura notificantur; secundum est, qualiter ad productionem comparantur; primum tollit repugnantiam, secundum vero inducit consonantiam. Articulus fidei. Duo notanda pro explicatione.

Sciendum igitur, quod, ut dicit Boethius de Duabus Naturis et una persona[3], quod «*natura* est unumquamque rem informans specifica differentia»; «*persona* vero est rationalis naturae individua substantia» sive, ut dicit Richardus, «incommunicabilis existentia». Haec est ergo differentia, quod *natura* dicit ipsam formam, qua unumquodque est id quod est; *persona* vero dicit suppositum individuum sive incommunicabile. — Propter ignorantiam harum definitionum dixerunt Eucretici, quod in Christo essent duae personae, sicut duae naturae; alii, quod una natura, sicut una persona; quia non videbant harum differentiam, quam si cognovissent, voluissent, quomodo posset stare pluralitas naturarum cum unitate personae, sicut patet in quolibet homine[4]. Si ergo non repugnant, quantum est de se, *pluralitas naturae* et unitas personae; pari ratione versa vice non repugnat *pluralitas personae* et unitas naturae; si non repugnant: ergo possunt circa Deum esse. De prima. Quomodo differunt dicta. Ignorantia haereticorum arguitur.

Non solum autem habent *diversam notificationem*, sed *diversimode comparantur* ad productionem. Quoniam enim *suppositi* est agere per formam[5], *personae* est producere et produci, non *naturae*, sed *naturae* est per productionem communicari; quia igitur divina natura est immaterialis et sine omni materia, ideo non multiplicatur nec numeratur divisione nec partitione: est ergo omnino *una* in producto et producente. Quoniam autem nullus potest se ipsum producere, necesse est, esse *pluralitatem* a parte personae. Quoniam in emanatione personarum *natura* se habet in ratione communicabilis, *persona* se habet in ratione producentis; propter eandem emanationem necesse est, pluralitatem esse in personis et unitatem in natura, ita quod non est ibi repugnantia, sed summa concordia. — Cum igitur nec pluralitas dividit unitatem, nec unitas confundit pluralitatem; apparet divinum *esse* singulariter admirabile, et miraliter singulare. Hoc enim sibi soli competit propter summam *simplicitatem*, quae non patitur, naturam habere partem nec cum materia aggregari; et ideo competit sibi soli, ac per hoc admirabiliter, quia nihil potest omnino simile reperiri. Esse ergo unum in pluribus absque omni multiplicatione et diversificatione essentiae proprie proprium est divinae naturae et eius privilegium singulare. Et hoc privilegium debet habere *primum et summum unum*: quia est primum et summum; ideo sic est unum, quod nullo modo potest formaliter multiplicari; sic est unum, ut non possit coartari nec ad unum tantum suppositum restringi; sic est unum, quod non auferetur ei aeterna ratio principiandi respectu sibi coae- De secundo. Arguitur. Conclusio notanda. Singulare Dei privilegium.

---

[1] Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 1: Dilectio in alterum tendit, ut caritas esse possit.

[2] Secundum Boeth. supra pag. 9, nota 1. allegatum. — De conclusione, quod non existente summa similitudine, nec aliqualis esse poterit similitudo, cfr. supra pag. 19, nota 8. et pag. 47, nota 3.

[3] Cap. 1. et 3. — Richard. a S. Vict., IV. de Trin. c. 18. et 22. seqq. Cfr. I. Sent. d. 25. a. 1. q. 1. seq.

[4] Vide Boeth., de Persona et duabus naturis [sic recens editio], c. 1. 5. et 7, allegatum III. Sent. d. 5. a. 2. q. 2.

[5] Aristot., I. de Anima, text. 64. (c. 1.): Dicere autem, inesse animam, simile est, ac si quis dicat, eam texere vel aedificare; melius enim fortasses est non dicere, animam misereri aut addiscere aut cogitare, sed hominem anima. Cfr. I. Sent. d. 5. a. 1. et 2. — Inferius pro *Quoniam in* A B *Igitur quemadmodum m.* Subinde pro *Cum igitur* G *Dum igitur.*

qualis et coaeterni et perfectissimi. — Inde nullus perfecte laudat divinam unitatem, nisi pariter sibi attribuat trinitatem; nec aliquis perfecte colit unum Deum, nisi fideliter profiteatur, ipsum esse trinum [1]. — Inde concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Solutio oppositorum. Forma duplex.

1. Ad illud quod primo obiicitur, dicendum, quod duplex est forma: una, quae multiplicatur in pluribus suppositis [2], et in tali forma non potest simul stare perfecta unitas et suppositorum pluralitas. Alia est forma, quae non habet in pluribus suppositis numerari, cuiusmodi est forma deitatis; et quia talis forma nullo modo numeratur per pluralitatem suppositorum: ideo simul stat cum illa vera pluralitas et summa unitas, quod nominat nomen *trinitatis*, in quo clauditur unitas naturae cum pluralitate.

Proprietas duplex.

2. Ad illud quod obiicitur, quod magis est unum quod est unum substantia et proprietate etc.; dicendum, quod duplex est proprietas, scilicet *absoluta* et *respectiva*. Si de *absoluta* intelligatur, veritatem habet; si vero de *respectiva*, non habet veritatem, pro eo quod pluralitas quantum ad proprietatem *respectivam* non ponit diversitatem in re et natura, nec quantum ad *essentiam* nec quantum ad *esse*, sed solum dicit varian *habitudinem*, quae non est incompossibilis cum summa unitate, sicut per exempla potest ostendi in puncto et unitate.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod quanto aliquid est magis unum, tanto magis est indivisum; dicendum, quod *indivisio* in definitione unius excludit divisionem illam, quae est totius in partes; unitas autem trinitatis non comparatur ad pluralitatem personarum, sicut totum ad partes, quia tota deitas est in singulis personis plenissime et perfectissime; et ideo personalis distinctio non repugnat indivisioni, quae reperiri habet in summe una.

Ratio duplex.

4. Ad aliud [3], quod magis est unum quod est unum re et ratione etc.; dicendum, quod duplex est ratio: una, quae addit aliquid reale differens a re, cuiusmodi est ratio secundum id *quod est*. Alia ratio non addit aliquid differens secundum id *quod est*, sed solum rationem eius *ad quod est*; et hoc modo posita propositio non habet veritatem, quia talium rationum pluralitas nihil diminuit de summa unitate essentiae vel naturae.

5. Ad illud quod obiicitur, quod quaecumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem; dicendum, quod illud intelligitur de identitate in supposito; et hinc est, quod licet sit minor unitas *dignitiva*, quae est in Christo, quam unitas trinitatis, quae est in Deo; praedicatur tamen homo de Deo, et Deus de homine ratione *unitatis personae*; non tamen praedicatur Filius de Patre, vel Pater de Filio ratione *unitatis naturae*, impediente suppositorum distinctione [4]. — Vel potest dici, quod illa maxima non delicit, si intelligatur de *eodem genere unitatis*, sed si transfertur ad aliud unitatis genus, nec recte nec sane accipitur illius propositionis intellectus. Non enim sequitur, quodsi aliqua sunt unum alteri *identitate generis*, quod propter hoc personae sint eaedem *numero* inter se. Per hunc etiam modum in proposito intelligendum est, quod etsi essentia et persona sint unum essentialiter, non tamen sequitur, quod sint inter se unum personaliter; sed sufficit, quod inter se essentialem habeant unitatem. Alia solutio.

6. Ad illud quod obiicitur, quod in praedicatione formali, multiplicato subiecto, multiplicatur praedicatum; dicendum, quod illud habet veritatem, quando multiplicatio subiecti fit per additionem sive diversitatem formalem; tunc enim necesse est, ad multiplicationem subiecti fieri multiplicationem praedicati. Non sic autem est in proposito; pluralitas enim personarum non est pluralitas formalis nec per additionem alicuius qualitatis absolutae, sed per solam originem et emanationem respectivam. Notandum.

7. Ad illud autem quod obiicitur, quod forma syllogistica non fallit in propositionibus per se veris; dicendum, quod licet in divinis non sit *accidens per inhaerentiam*, nihilominus tamen, quia ibi sunt varii *modi dicendi*; scilicet secundum *substantiam* et *relationem*, ita quod « substantia continet unitatem, et relatio multiplicat trinitatem [5] »: hinc est, quod quantum ad hoc unus istorum modorum praedicandi seu dicendi est extraneus alteri; et hoc sufficit ad introducendum *fallaciam accidentis*. Duo modi dicendi.

8. Ad illud quod obiicitur, quod multiplicato definito, multiplicantur definienta; dicendum, quod illud habet veritatem de illis quae cadunt in definitione formali et in recto; *natura* autem cadit in definitione *personae* in obliquo, *substantia* vero, secundum quod cadit in definitione personae, idem est quod *hypostasis*, quae pluralicatur in divinis sine pluralicatione essentiali [6]. Notandum.

9. Ad illud quod obiicitur, quod persona aut dicitur secundum substantiam, aut secundum rela-

---

[1] Cfr. quaest. praeced.

[2] Cuiusmodi est *universale* i. e. quod in pluribus esse et de pluribus praedicari natum est. Cfr. Aristot., I. Perihermen. c. 5. (c. 7.).

[3] E addit *quod obiicitur*. Inferius post *Alia ratio* A B E subiungunt *quae*.

[4] Cfr. Bernard., V. de Consideraat. c. 8. n. 18. et c. 9. n. 20. seq. — De seq. solut. vide Aristot., VII. Topic. c. 1: Quia multipliciter *idem* dicitur, considerandum, si secundum aliquem aliquem modum eadem sunt; nam specie vel genere eadem non necesse est numero eadem esse. Cfr. I. Sent. d. 34. q. 1. ad 6.

[5] Boeth., de Trin. c. 6. — De *modis dicendi* cfr. I. Sent. d. 26. q. 1; de *inhaerentia* ibid. d. 5. a. 1. q. 1. ad 2. et d. 34. q. 2. Ibid. pag. 58, nota 5. relata sunt verba Aristot. de *fallacia accidentis*.

[6] Cfr. I. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. ad 3.

Digitized by Google

tionem etc.; dicendum, quod *persona* nihil aliud est quam « hypostasis proprietate distincta [1] », et ideo dicitur secundum relationem *intrinsecam* et secundum substantiam non communem, sed *proprium*; et ideo non sequitur, quod solum sit ibi pluralitas relationum, nec quod sit ibi diversitas naturarum propter pluralitatem divinarum personarum.

10. Ad illud quod obiicitur, quod persona et essentia, cum sint una, aut omnino eadem, aut alia et alia; dicendum, quod nec omnino eadem nec omnino alia, sed eadem *re*, non eadem *ratione*, quia, secundum quod dicit Augustinus [2], « alio est Deus et alio est Pater », non quia inter deitatem et paternitatem sit differentia secundum essentiam vel secundum *esse*, sed secundum se habendi rationem, quia Pater dicitur ad alterum, essentia vero minime. Notandum.

11. Ad illud quod obiicitur, quod productio non rumpit personae nisi ratione naturae; dicendum, quod *productio* respicit *personam* ut in ratione subiecti et principii et obiecti sive termini, et ideo necessario vera productio facit, personam plurificari; *naturam* [3] autem respicit ut rationem producendi et sicut illud quod per productionem communicatur; et quia in illa productione totum datur, quod habetur, nec amittitur, cum datur: ideo licet persona plurificetur, tamen natura non multiplicatur. Quod productio respicit.

12. Ad illud quod obiicitur, quod summa simplicitas excludit compositionem in natura et persona: dicendum, quod *simplicitas* summa excludit compositionem *ex aliis* et *cum alio* [4]; et ideo non potest stare cum compositione nec naturae nec personae; summa autem *unitas* naturae non excludit nisi diversitatem essentialem: et ideo non est incompossibilis cum personali pluralitate, ac per hoc non est simile hinc et inde. Compositio duplex.

13. Ad illud quod obiicitur, quod in divino *esse* aut debet esse distinctio perfectissima, aut nulla; dicendum, quod distinctio dicitur *perfecta* dupliciter: vel *intensive*, vel *completive*. Primo modo non oportet quod ponatur in Deo, sed secundo; et sic est ibi, quia tanto perfectior est res, quanto minus ab unitate recedit. Quia igitur pluralitas illa non recedit ab unitate summa, hinc est, quod ipsa sola est pluralitas simul vera et perfectissima [5]. Distinctio perfecta duplex.

14. Ad illud quod obiicitur, quod unitas et veritas supra se reflectuntur; dicendum, quod illud habet veritatem in singulari, et non in plurali. Cum autem comparatur veritas ad pluralitatem, et e converso, hoc non est singulariter, sed pluraliter: et ideo non est ibi consequentiae necessitas. Cum enim dicitur *vera* pluralitas in divinis, *verum* nihil aliud dicit quam expressionem pluralitatis, quae est in suppositis; sed cum e converso dicitur *plurificata* veritas, assumatur multiplicatio in ipsa veritate et essentia divina. Notandum.

15. Ad illud quod obiicitur, quod aliud verum est Patrem generare, et aliud Spiritum sanctum procedere; dicendum, quod si intelligitur de veritate *complexi*, qualis est veritas orationis vel dicti, sic plura sunt vera et plures articuli. Si autem loquitur de veritate *incomplexi*, quae est veritas rei; sic, quia Patrem generare, et Filium generari, et Spiritum sanctum procedere non est aliud quam Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse, et unum est in eis *esse*; omnino unica est veritas secundum rem [6]. De duplici veritate.

16. Ad illud quod obiicitur, quod aut est eiusdem unitatis repetitio, aut non; dicendum, quod est eiusdem unitatis repetitio, sed non circa eundem, immo circa alium et alium, et ideo non est ibi multitudo aggregatio; et ideo sic est ibi pluralitas, quod nulla est ibi summae unitatis diminutio. Et pro tanto intelligendum est illud verbum Boethii de Trinitate [7], quod dicit, quod « sic est Deus trinus, ac si dicatur *sol*, *sol*, *sol* »; quod *simile* est ratione iterationis unitatis illius, sed *dissimile*, quia unitas trinitatis iteratur circa alium et alium, unitas vero solis circa unum; et ideo realis trinitas est in Deo, quamvis nulla in sole. Notandum. Exemplum Boethii.

17. Ad illud quod obiicitur, quod pluralitas est reducibilis ad unitatem: dicendum, quod pluralitas, quae *dicit defectum* a summa unitate, comparatur ad ipsam unitatem sicut ad principium et causam; et hoc reducitur ad unitatem reductione *propria*, quae est effectus in causam, et talis pluralitas non est in divino *esse*. Pluralitas autem, quae *non dicit defectum* a summa unitate, non indiget reduci, quia ipsa est summa unitas; nihilominus tamen, secundum quod ibi ponitur emanatio divinarum personarum a prima sicut a principio, sic et hoc modo non repugnat reductio ad illam sicut ad principium, a quo producuntur [8]. Pluralitas duplex.

18. Ad illud quod obiicitur, quod plura in pluralitas dicunt summam distinctionem vel diversitatem; dicendum, quod licet secundum rationem extrinsecam magis videatur repugnare unitati summae pluralitas naturae in pluralitate personae; tamen secundum rem et intrinsecam rationem magis repugnat pluralitas naturarum circa unum suppositum, quod Notandum. Notandum.

---

[1] De hac *magistrali* definitione personae vide I. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. ad 4. Ibid. q. 4. haec solutio fusius exponitur; de diversis opinionibus doctorum cfr. III. Sent. d. 5. a. 2. q. 2. scholion.

[2] Libr. VII. de Trin. c. 6. n. 11. et Enarrat. in Ps. 68. serm. 1. n. 5. Cfr. tom. I. pag. 359, nota 5. et pag. 574, nota 5.

[3] Codd. non apte *natura*. In fine solut. A B *plurificatur*.

[4] Vide I. Sent. d. 8. p. II. q. 2. in corp. De ipsa solut. cfr. Ibid. q. 1. ad 2. seqq. — Inferius plures codd. *diversificationem* pro *diversitatem*.

[5] Cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 13. § 2-4.

[6] Vide III. Sent. d. 21. a. 1. q. 3. — Cum A B ponimus *omnino* pro *ideo*.

[7] Cap. 3.

[8] Quo sensu dicit August. (IV. de Trin. c. 20. n. 29.), Patrem esse principium totius Trinitatis. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. XV. c. 9, et Ibid. Comment. p. II. dub. 6.

Digitized by Google

ex illis constituntur, cum[1] reddatur compositum et minus unum, quam si in pluribus suppositis plures naturae reperirentur, sicut patet in natura angelica et humana; et ideo, quia summa est in Deo unitas, ideo nobiliori et excellentiori modo ponitur per hoc, quod ponitur una natura in pluribus suppositis non multiplicata, quam si poneretur una natura in una persona.

Notandum

19. Ad illud quod obiicitur, quod quidquid Deus habet habet a se; dicendum, quod verum est, quia divina essentia a nulla alia potest principiari; sed ex hoc non sequitur, quod quidquid persona habet habeat a se; unde sicut non sequitur: essentia non producitur, ergo persona non producitur; sic nec praedicta ratio concludit.

20. Ad illud quod obiicitur, quod ubi pluralitas, ibi diversitas; dicendum, quod, sicut patet ex praedictis, pluralitas illa proprie non inducit diversitatem, quae attenditur secundum formam, substantiam et naturam; et ideo nihil diminuit de summa unitate et identitate, quae consistit in hoc, quod tres personae summam habent unitatem essentiae ac naturae.

QUAESTIO III.

Utrum simul stent trinitas et summa simplicitas.

Consequenter quaeritur, utrum simul stent trinitas et summa simplicitas; et circa hoc quaerunt duo.

Primum est, utrum divinum *esse* sit simplicissimum.

Secundo, utrum simul stent trinitas et summa simplicitas.

ARTICULUS I.

Utrum divinum esse sit simplicissimum.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod divinum *esse* sit simplicissimum.

1. Augustinus, secundo Confessionum[2]: «Te simplicius nihil reperitur»: ergo est simplex in termino, ergo et in summo, ergo est simplicissimum.

Fundamenta.

2. Item, decimo tertio Confessionum[3]: «Tu solus simplex es, cui non est aliud *vivere*, et aliud *bene vivere*»: idem ergo est in Deo *esse* et *bene esse*; sed in quo sunt haec caeteta, nulla est compositio, sed summa simplicitas: ergo etc.

3. Item, omne simpliciter primum est simplicissimum; sed divinum *esse* est huiusmodi: ergo etc. *Maior* probatur: quia compositum est posterius componente, et simplex prius composito[4]: causa ergo praedicati est in subiecto in praedicta propositione: ergo est vera per se. *Minor* est manifesta, quia Deus est ens a se ipso, nam si aliunde haberet *esse*, iam illud esset sibi Deus, non ipse. Et *rursus*, si est stare et non est abire in infinitum, necesse est ponere, ens quoddam esse primum omnium.

4. Item, omne simpliciter necessarium est simplicissimum; sed divinum *esse* est simpliciter necessarium: ergo etc. *Maiorem* probant Avicenna et Algazel in suis Metaphysicis[5]; nam simpliciter necessarium est omnino independens et incorruptibile: omne autem compositum dependet a componentibus et in illa, quantum est de sui natura, est resolubile. *Minor* est manifesta, quia altera pars contrarietatis nobilior attribuenda est Deo: ergo cum nobilius sit simpliciter necessarium quam possibile sive contingens; videtur etc.

5. Item, omne nobilissimum est simplicissimum; sed divinum *esse* et huiusmodi: ergo etc. *Minor* est manifesta; *maior* probatur, quia nobilissimo sunt attribuendae conditiones nobilitatis in summo, alioquin non esset nobilissimum; sed simplicitas est conditio spectans ad nobilitatem, ut patet: ergo necesse est, quod ponatur esse in Deo omnino in summo.

6. Item, omne potentissimum est simplicissimum; divinum *esse* est potentissimum: ergo etc. *Mi-*

---

[1] In codd., A excepto, desideratur *cum*.

[2] Cap. 6. n. 13: Te simplicius quidquam non reperitur. — Dicto *simplex in termino* est secundum Gilbert. Porret., de Sex Principiis, c. ult.; et significat *superlativum* (simplicissimus). — De hac quaest. cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 1. seq.

[3] Cap. 3. n. 4: Solus simpliciter es... et aliud beate vivere.

[4] Cfr. supra pag. 12, nota 9. et pag. 47, nota 5.

[5] Avicenna, Metaph. tr. 1. c. 8. et tr. 8. c. 4. seqq.; Algazel., I. Philos. tr. 2. c. *de Esse possibile et esse debitum*: Si pendet [*esse*], vocamus illud possibile; si vero non pendet, vocamus debitum per se, quod est necessarium per se; de quo *duodecim* dicenda sunt: primum quod non est accidens... quod non est corpus; et hoc duobus modis: uno, quod omne corpus divisibile est secundum quantitatem in partes: igitur totalitas eius pendet ex partibus eius... et idcirco non potest concedi, *necesse esse* componi ex partibus (ed. an. 1506 fol. 27).

Digitized by Google

nor manifesta est, quia ideo dicitur *Deus*, quia omnipotens. *Maior* probatur, quia « virtus unita plus est infinita », secundum quod dicitur in libro de Causis [1]: ergo virtus infinitissima est unitissima, ergo simplicissima; sed non est virtus simplicissima nisi etiam substantia sit talis: ergo etc.

7. Item, omne, quod est quidquid habet, est simplicissimum [2]; sed Deus est quidquid habet; ergo etc. *Maior* patet, quia si esset compositum aliqua, uentrum illorum esset alterum. *Minor* patet per inductionem et rationem: quia Deus habet sapientiam, aut igitur *est sapientia*, aut *non*, et sic de aliis, exceptis relativis. Si *est sapientia*, habeo propositum; si *non;* et est sapiens sapientia: ergo est sapiens alio, quam sit ipse: ergo si ab alio habet sapientiam, ab alio etiam habet perfectionem: ergo non est Deus etc.

8. Item, omne perfectissimum est simplicissimum; sed divinum *esse* est huiusmodi: ergo etc. *Minor* manifesta est, quia nulla conditio magis est consona divino *esse* quam perfectio. *Maior* probatur: quia perfectius est quod ipsum totum et secundum se totum est perfectum, quam id quod habet in se aliquid perfectibile; sed omne compositum vel compositibile habet in se aliquid perfectibile: ergo impossibile est, quod aliquid sit summe perfectum, nisi etiam sit simplicissimum: ergo idem quod prius.

9. Item, omne compositum est mutabile: ergo *a destructione consequentis* [3], omne immutabile est simplex, et simpliciter immutabile est omnimode simplex; sed divinum *esse* est omnino immutabile, quia nec in melius nec in aequale nec in peius mutari potest, cum sit omnino summum bonum: ergo divinum *esse* est simplicissimum.

10. Item, quanto aliquid magis est simplex, magis est unum; sed divinum *esse* summe est unum, sicut fuit in praecedentibus ostensum [4]: ergo necesse est, divinum *esse* simpliciter esse simplicissimum.

Contra: 1. Anselmus [5]: Quidquid competit Deo competit ei in summo; sed divinum *esse* differt ab *esse* creato: ergo summe differt. Sed quanto aliquid pluribus differentiis differt, tanto magis differt et tanto magis est compositum: ergo necesse est, divinum *esse* summe esse compositum. Ad oppositum.

2. Item, simplicius est *esse* omnino abstractum a supposito quam concretum; sed divinum *esse* non est abstractum, sed concretum [6] cum supposito, quia in divino *esse* est vera deitas et vera hypostasis deitatem habens: ergo etc. — *Si dicas*, quod differunt sola ratione; aut rationi illi respondet *aliquid* rei, aut *nihil:* si *aliquid*, habeo propositum; si *nihil:* ergo totum vanum et falsum.

3. Item, quod nobilitatis est in creatura attribuendum et Creatori [7]; sed creatura, quanto magis composita, tanto magis accedit ad conditionem nobilitatis; sicut patet in homine, qui est perfectissimus creaturarum, quae sunt in universo, qui etiam est Dei imago: videtur ergo etc.

4. Item, in formis ordinatis forma, quae se habet ex additione, est actualior, sicut patet in forma *generis* et *speciei*, quia actualior est forma *speciei;* sed quod se habet ex additione est compositum: ergo compositio attestatur maiori actualitati et completioni. Cum igitur divinum *esse* sit actualissimum et completissimum: ergo est compositissimum.

5. Item, proprietates divini *esse* sunt unitas et veritas et bonitas: aut ergo *idem est* veritas quod substantia, aut *non*. Si *omnino idem:* ergo veritas non est magis proprietas substantiae quam e converso, quod absurdum est; si *non omnino idem:* ergo aliquid addit: ergo est aliqua compositio.

6. Item, aut *est idem* veritas et bonitas, aut *non*. Si *idem:* ergo vestigium bonitatis est vestigium veritatis, quod falsum est; si vero aliquo modo *differunt:* ergo illud, in quo sunt, aliquo modo est compositum. — *Si dicas*, quod *ratione* differunt; quaeritur tunc, quid subsit illi rationi.

7. Item, actus diversificantur per obiecta [8]; sed anima ad Deum sub ratione *veri* convertitur per cognitionem, sub ratione *boni* per dilectionem: si ergo illa sunt obiecta formalia, et isti actus sunt formaliter differentes; videtur etc.

8. Item, in divino *esse* est potentia, sapientia et voluntas; aut ergo *aliquid plus* dico per haec tria quam per unum illorum, aut *non*. Si *non:* ergo qui dicit, Deum habere solum *potentiam*, nihil detrahit Deo, quod falsum est; si *aliquid plus*, et illud totum est in Deo: ergo et compositio.

9. Item, aut potentia *est scientia*, aut *non*. Si *non:* ergo in divino *esse* sunt diversa; si *sic:* ergo *scire* est *posse*. Sed Deus *scit* mala: ergo *potest* mala; sed hoc absurdum est: restat igitur, quod sit aliud: ergo videtur, quod sit compositum.

10. Item, divina voluntas est arctativa [9] potentiae; non enim facit Deus omnia, quae scit et po-

---

[1] Propos. 17.

[2] Secundum August., XI. de Civ. Dei, c. 10. n. 2, et Boeth., In lib. Quomodo substantiae in eo, quod sint, bonae sint etc., ac de Trin. c. 2. — De probatione *minoris* vide August., VII. de Trin. c. 1. n. 1. seqq. — Inferius pro *esset compositio aliqua* A B *essent aliqua composita* [componentia ?]

[3] Boeth., III. de Differentiis topic.: Posito antecedenti, comitari quod subsequitur; peremptio consequenti, perimi quod antecedit.

[4] Quaest. 2. a. 4. — De *maiori* vide supra pag. 63, nota 5.

[5] Monolog. c. 16: Sed palam est, quia quodlibet bonum summa natura sit, summe illud est. Illa igitur est summa essentia, summa vita etc.

[6] Pro *concretum*, quod praebet G, substituit B *est*, et in pro *cum*.

[7] Cfr. Anselm., Monolog. c. 15. — Inferius pro *perfectissimus* G *perfectissima*.

[8] Secundum Aristot., II. de Anima, text. 33. (c. 4.); cfr. tom. II. pag. 561, nota 3.

[9] D H *arctatio divinae*.

Digitized by Google

test, sed solum quae vult; nihil autem est arctativum sui ipsius: ergo aliud et aliud sunt potentia et sapientia et voluntas: ergo divina natura est composita.

11. Item, nihil omnino simplex participatur secundum magis et minus; sed divinum *esse* participatur secundum magis et minus et a viatoribus et a beatis, qui participant et vident ipsum in se: ergo impossibile est, quod sit omnino simplex.

12. Item, nihil omnino simplex est habens multiformem operationem, quia « idem, manens idem, semper est natum facere idem [1] »: et iterum, actu multiformis aut *est ipsum agens*, et sic non est simplex; aut *non*, et sic adhuc non est simplex; sed Deus habet operationem multiformem, scilicet *creare* et *gubernare* et *remunerare*: ergo etc. — *Si dicas*, quod differunt *ratione effectuum*; *contra*: non est actu ab effectu, sed potius e converso; ergo diversificatur illa potius secundum diversitatem actionum quam secundum varietatem effectuum.

13. Item, nihil omnino simplex simul exercet operationes omnino disparatas et infinitas, quia simplex, ad quod se convertit, totaliter convertit se [2], et ad actionem infinitam nulla virtus sufficit minor infinita; sed Deus simul creat animam unius et instificat animam alterius, quae sunt actiones disparatae et infinitae: ergo etc.

14. Item, nihil omnino simplex est multiforme in specie sive assimilatione; sed in divino *esse* est pluralitas rationum idealium, quia « alia ratione conditus est homo, et alia equus [3] »: ergo divinum *esse* non est simplicissimum. — *Si dicas*, quod pluralitas idearum est pluralitas respectuum; *contra*: similitudo aliquorum attenditur non secundum respectum, sed secundum formam: si ergo ideae dicuntur similitudines in mente divina, et nihil idem et secundum idem habet similitudinem ad diversa; necesse est igitur, compositionem esse in arte divina et sapientia.

CONCLUSIO.

Divinum esse est simplicissimum.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod divinum *esse* est simplicissimum. — Ad cuius rei evidentiam duo oportet intueri [4], scilicet *perfectionem conditionum divinarum* et *modos considerationum nostrarum*. Duo pensanda.

Si consideramus *modos divinarum conditionum*, divinum *esse*, eo ipso quo est *primum*, est simplicissimum. Nam eo ipso quo est primum, omnia ab ipso fluunt, et eo ipso quo fluunt ab ipso, ad ipsum recurrunt et reducuntur tanquam ad finem ultimum; et ex hoc habet, quod sit *alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis* [5]. Quia ergo haec, quae maxime videntur distantia, concurrunt in omnimode unum; necesse est, ipsum divinum *esse* esse *perfectissimum*, quasi quendam intelligibilem circulum; necesse est etiam, esse *simplicissimum*. Primo de modis divinarum conditionum.

Tripliciter enim aliquid deficit a summa simplicitate: aut quia *compositum ex aliis*, aut quia *compositum alii*, aut quia *componibile in aptitudine*. Divinum autem *esse* ex hoc, quod est *primum*, non est *compositum ex aliis*, nihil enim habet prius ante se; ex hoc, quod est *perfectissimum*, non est *compositum alii*, perfectum enim non venit ad constitutionem tertii; ex hoc autem, quod *ultimum*, cetera ad ipsum ordinantur sicut ad terminum quietativum: et ita ipsum est absolutissimum, ac per hoc non solum caret compositione *actuali*, verum etiam *possibili*; et sic *esse* simplicissimum convenit [6] Deo *vere et proprie*, non enim est haec tria in aliquo alio reperire. — Competit etiam *perfecte* ex hac triplici conditione. Quia enim est *perfectissimum*, habet omnes conditiones nobilitatis; quia vero *ultimum* et optimum, propter quod sunt omnia, omnes illas conditiones habet in summo; quia *primum*, in quo nulla diversitas, necesse est, quod omnes sint in ipso unum et sit simplicissimum per exclusionem omnis compositionis et inclusionem omnis perfectionis. Sunt ergo in Deo omnes conditiones nobilitatis, scilicet potentia et sapientia et voluntas, bonitas, veritas et multa, *esse*, *vivere* et *intelligere* et cetera similia vere, perfecte et summe sub propria et perfecta ratione; sunt tamen unum adeo, ut nullam indicant compositionem nec minuant de simplicitate. — Quod clare non videt, nisi qui similiter intelligit circa divinum *esse* summam *simplicitatem* cum summa *immensitate*; quod qualiter possit capi, in consequentibus [7] poterit indagari, sed nunc tanquam certum et indubitabile debet supponi, ut simplicitatem divinam recte intelligamus secundum exigentiam divinarum conditionum. Confirmatur. Triplex compositio non est in Deo. Sed simplicitas vera. Et simplicitas perfecta. Corollarium.

Oportet etiam videre *diversos modos nostrarum considerationum*. — Cum enim ad consideration[em] necessario concurrant tria, scilicet *intelligens*, *res intellecta* et *medium* sive ratio intelligendi; aliquis modus potest tripliciter attribui nostro intellectui: aut ita, quod illum modum ponat *circa rem*, et tunc est verus, si in re illa reperitur, ut spiritua- Secundo de modis nostrarum considerationum. Tria in nostris considerationibus. Modus tripliciter intellectui attribuitur.

---

[1] Aristot., II. de General. et corrupt. text. 56. (c. 10.); cfr. supra pag. 61, nota 2.

[2] Vide tom. III. pag. 311, nota 1.

[3] August., 83 Qq. q. 46. n. 2. Vide supra Quaest. de scientia Christi, q. 3. arg. 1. ad oppos. — De similitudine vide supra pag. 9, nota 1. definitionem ex Boethio sibatam.

[4] Ita A B G, sed E *intendi*, alii *interrenire*.

[5] Apoc. 1. 8. Verba *primus et novissimus* habentur ibid. v. 17. — Superius pro *eo ipso, quo* G ter *eo ipso, quod*.

[6] A B G *competit*. Inferius pro *Quia enim est* A *Quia enim per se*.

[7] Quaest. 4. a. 1. — Superius pro *perfecta* A *vera*.

Digitized by Google

liter intelligit spiritualia; aut ita, quod ponat illum modum *circa se*, ut cum abstracte intelligit commixta, et tamen non est mendax, quia, sicut dicit Philosophus [1], « abstrahentium non est mendacium »; aut cum ponit circa *rationem*, per quam intelligit, ut cum multipliciter intelligit unum per multa. — Sciendum est igitur, quod intellectus noster omnem intellectum rei completè resolvit in intellectum eius *quo est* et *quod est*, et quando intelligit rem *compositam*, tunc illam resolutionem ponit *circa se* et *circa rem*; quando vero rem *simplicem* omnino, tunc ponit illam non *circa rem*, sed *circa se*, quia aliter non potest intelligere. Unde intellectus noster, cum Deum intelligit, omnino intelligit, quod in ipso est omnis simplicitas et nulla compositio, nulla concretio, tamen intelligit per modum *quo est* et *quod est*; nec tamen est *falsus*, quia non ponit modum illum *circa rem*, nec *vanus*, quia revera aliquid respondet ex parte Dei, licet non diversum. Vere enim est in Deo essentia et suppositum, sed tamen sunt unum; vere voluntas et potentia, tamen non sunt plura, sed cognoscuntur per plura. — Et hinc est, « quod verius est, quam intelligitur, et verius intelligitur, quam dicatur » ut dicit Augustinus [2]. Propterea a divino *esse* intelligendo deficit omnis intellectus, et tamen nihilominus intellectus fidelis circa ipsum non intelligit nisi unum, cum *unum* intelligit multiformiter, *abstractum* concrete, *simplex* complexe, *immensum* finite, *aeternum* temporaliter, quia, ut dictum est, modos istos non attribuit ipsi intelligibili, sed sibi intelligenti vel rationi intelligendi. Fatetur igitur intellectus verus proprio lumine rationis, divinum *esse* omnino simplicissimum. — Unde concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Applicatio. Distinctio. Corollarium.

1. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium, quod divinum *esse* summe differt ab *esse* creato; dicendum, quod verum est; sed quod ultra inferitur: ergo pluribus differentiis differt; dici potest, quod illud non sequitur, quia prima genera [3] summe differunt, et tamen se ipsis differunt. Differentiae etiam immediate dividentes ipsum genus se ipsis differunt, et tamen maxime a se ipsis distant. — Et *si obiicias*, quod quando aliqua in pluribus convenunt, tanto magis sunt similia: ergo quanto aliqua pluribus differunt, tanto magis sunt differentia; dici potest, quod divinum *esse* pluribus differentiis differt ab *esse* creato, quae quidem pluralitatem ponunt et realem differentiam ex parte creaturae, non tamen ex parte Dei, quia quae in creatura sunt per multiformitatem et differentiam realem multo perfectius reperiuntur in Deo per simplicissimam identitatem, sicut patet ex his quae iam dicta sunt et infra dicentur.

Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod simplicius est *esse* omnino abstractum a supposito quam concretum; dicendum, quod duplex est suppositum: unum, quod *addit* supra naturam, alterum vero, quod *non addit*. De primo supposito, quod aliquid *addit* supra naturam contrahens et distinguens, veritatem habet; sed hoc modo non ponimus suppositum esse in divinis, quia non est ibi distinctio per *additionem* aliquam factam circa naturam, sed per *originem* unius personae ab alia; unde non est ibi concretio secundum *realem inhaerentiam*, sed solum secundum *nostram intelligentiam*. — Et *si obiiciat*, quod aut illi intelligentiae respondet aliquid ex parte rei, aut nihil; iam patet responsio, quod *aliquid respondet*. Est enim in divinis vere natura et vere suppositum, id est *deitas* et *habens deitatem*; unde licet intellectus hoc intelligat per modum cuiusdam differentiae, non tamen est falsus, quia modum illum ponit *circa se* vel *circa rationem intelligendi*, non autem *circa rem*, quam intelligit; aut si ponatur, ponitur aliqua differentia realis inter suppositum et naturam, et talis est, quod compositionem nullam inducit, sicut melius in sequenti quaestione patebit [4]. Duplex suppositum. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod quidquid nobilitatis est in creatura, attribuendum est Creatori; dicendum, quod est nobilitas *simpliciter*, et est nobilitas *secundum quid*. Illud autem, quod in creatura dicit nobilitatem *simpliciter*, proprie et vere attribuendum est creatrici essentiae; quod autem dicit nobilitatem cum diminutione, illud non convenit Deo attribui [5]. Cum ergo dicitur, quod maior compositio in creatura facit ad perfectionem nobilitatis, sicut patet in homine; dicendum, quod ista est nobilitas diminuta, quae venit ex multorum aggregatione, quia quod non potest in se habere per unum habet per plura; et ideo talis nobilitas non est attribuenda divino *esse*, quod quidem est nobilissimum in fine nobilitatis perfectae. Nobilitas duplex.

4. Ad illud quod obiicitur, quod in formis ordinatis forma, quae se habet ex additione, est actualior; dicendum, quod est actualitas *in genere*, et est actualitas *extra genus*. Actualitas autem *in genere* est actualitas permixta potentiae, quae quidem po- Actualitas duplex.

---

[1] Libr. II. Phys. text. 18. *fc.* 2.). — De seq. distinctione *quo est* et *quod est* cfr. I. Sent. d. 19. p. II. q. 4; d. 23. a. 1. q. 3. et d. 27. p. I. q. 3.

[2] Libr. VII. de Trin. c. 4. n. 7: Verius enim cogitatur Deus, quam dicitur, et verius est, quam cogitatur. Cfr. I. Sent. d. 23. dub. 2. et d. 34. q. 2. in corp.

[3] Scil. decem praedicamenta: substantia, quantitas etc. « Neque enim, ut ait Porphyr. de Praedicab. c. *de Specie*, est commune unum genus omnium *entis*, nec omnia eiusdem generis sunt... sed posita sint... prima decem genera, quasi prima decem principia. Et si omnia quis *entia* vocet, aequivoce, inquit, [Aristot., V. Metaph. text. 17. et VII. tex. 15. sive IV. c. 12. et VI. c. 4.] nuncupabit ». — Superius ex A E G posuimus *ultra*, alii *ultimo*.

[4] Cfr. etiam I. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. ad 1. et d. 34. q. 1. — Dd *aut si ponitur*, *aliqua... et naturam*, *talis est* etc.

[5] Vide Anselm., Monolog. c. 15. — De seqq. cfr. II. Sent. d. 21. p. I. a. 2. q. 1. ad 8.

Digitized by Google

tendia salvatur in natura generis et ad actum reducitur per superadditionem differentiae distinguentis et specificantis; et de hac actualitate habet praemissa propositio veritatem. — Est etiam praeter hoc actualitas *extra genus*, quae nihil habet admixtum de potentia, et talis est actus purus; et ideo non est ibi ponere unum additum alteri, sicut actus additur potentiae praeiacenti; et talis actualitas ponitur in Deo: et ideo non sequitur, quod ponatur aliqua additio sive compositio[1].

Additio duplex.

Ad illud quod obiicitur, quod summum bonum se habet ex additione ad bonum; dicendum, quod per additionem se habet ex parte *intellectus*, quia in intellectu summi boni clauditur intellectus boni; non autem se habet per additionem ex parte *rei*: tum quia bonum creatum et increatum non communicant in aliqua natura communi; tum etiam, quia summum bonum maioris simplicitatis est, quam sit ipso communis intentio, quae significatur nomine *boni*; tum etiam, quia summum bonum excedit omne creatum bonum excessu inproportionali. Unde cum *bonum* dicitur de bono creato et increato, hoc non est nisi per quandam analogiam, qua omnis bonitas creata manat a bonitate increata tanquam a causa prima; multo posterior illa ac per hoc deficiens a simplicitate summa; illa vero tanquam prima, hoc ipso quia prima, est simplicissima. Unde sicut conditio simplicitatis addita super ens, utpote cum dico *ens simplex*, non ponit compositionem aliquam circa ipsum; sic nec *summitas* circa bonum[2].

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod proprietates divini *esse* sunt unitas, veritas, bonitas; dicendum, quod *veritas* dicitur proprietas divini *esse*, quia, quantum est de se, dicit modum entis; sed quia in divino *esse* non differt *esse* et *posse*[3], ideo non differt *esse* et *sic esse*, quia non potest sic et aliter esse. Et propterea, quia idem est ibi *esse* et *modus essendi*, ideo nulla est ibi compositio; quia vero *modus essendi* est proprietas ipsius entis, et non e converso: hinc est, quod *unitas*, *veritas* et *bonitas* dicuntur esse proprietates divinae essentiae; non autem *essentia* dici potest proprietas veritatis seu bonitatis vice versa, quia non nominat modum essendi, sicut et illa.

Quid veritas.

6. Ad illud quod obiicitur, quod aut idem est in Deo veritas et bonitas, aut non; dicendum est, quod, quantum est ex parte *principalis significati* seu rei per haec nomina intellectae, idem dicunt circa *esse* divinum, quia non alio est Deus bonus et alio verus, sed eo ipso bonus, qui verus. Quantum autem est ex parte *rationis intelligendi*, secundum quam intellectus[4] a creaturis ascendit ad intelligentiam Creatoris; sic differentia est: quia, cum veritas et bonitas increata intelligatur per creatam, et haec in creaturis habeant aliquo modo differentiam; ideo ista aliquo modo dicuntur distingui ex parte *rationum intelligendi*, licet idem sint ex parte *rei*; nec tamen est ibi falsitas vel error in intelligendo, quia haec vere et perfectissime sunt in Deo, licet non diversificentur realiter inter se, sicut in *esse* creato. Et hoc satis clarum est, si intelligatur illud quod dictum est in solutionis principio de multiplici nostrae considerationis modo.

Distinctio.

7. Ad illud quod obiicitur, quod actus diversificantur per obiecta; iam patet responsio: quia, etsi illa sint *idem* secundum rem in Deo, dicuntur tamen *diversificari* secundum *rationem intelligendi* ex parte nostra. Unde sicut illis respondet alia et alia proprietas repraesentativa in vestigio creaturae repraesentantis, quia non est idem bonitas et veritas in natura creata; sic respondet ei alia et alia potentia in imagine apprehendente, in intellectiva et affectiva, quia tam in vestigio[5] quam in imagine sunt aliqua per diversitatem, correspondentia tamen adquilos in Deo, quae habent omnimodam identitatem secundum rem.

Notandum.

8. Ad aliud, quod obiicitur, quod aut potentia et sapientia et voluntas plus dicunt quam unum aliquod horum, aut nihil; dicendum, quod *explicite* aliquid plus dicunt, sed *implicite* unum eorum clauditur in reliquo; non enim potest esse summa potentia, ubi non sit voluntas et sapientia; et ideo, si unum absque altero Deo attribuatur, diminute attribuitur; non quia sint realiter differentia, sed quia hoc ipso, quod ponuntur per impossibile separari, ponuntur etiam per impossibile diversificari; et ideo sicut diversificari nequeunt, sic separari non possunt.

Distinctio.

9. Ad illud quod obiicitur, quod aut potentia est scientia, aut non; dicendum, quod dupliciter est loqui de potentia et scientia: aut secundum *principale significatum*, aut secundum *connotatum*. Idem ergo sunt secundum *rem* et principalem significationem, differunt autem secundum *connotationem*; non enim est idem aliquid esse Deo *scibile* et *possibile*, sicut non est idem *sciri* et *fieri*. *Possibile* enim nominat quid, ut est in ratione emanantis vel emanabilis; *scibile* autem, ut in ratione praesentis apud intellectum cognoscentis; et quoniam in Deo non est aliud, qui est potens, et aliud, quo est sciens, quia se ipso competit ei utrumque: ideo, licet ista diversificentur *connotatione*, sunt tamen idem secundum *rem*.

Quid possibile et scibile.

10. Ad illud quod obiicitur, quod voluntas est arcativa potentiae; dicendum, quod tripliciter est loqui de potentia et voluntate: aut quantum ad *af-*

Distinctio.

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 4, et Aristot., V. Metaph. text. 21. (IV. c. 16.).

[2] Vide I. Sent. d. 22. q. 3. ad 4. — Ipsa *obiecta* supra tantum implicite inveniuntur. — Superius posuimus *unde posterior* pro *non posterior*, quod codd. perperam exhibent.

[3] Aristot., III. Phys. text. 32. (c. 4.): *Posse* enim ab ipso *esse* nihil differt in perpetuis. — De ipsa solut. cfr. I. Sent. d. 8. p. I. a. 4. q. 4. ad 4. pro parte negat. — Circa finem solut. vocl *essentia* H praemittit *divina*.

[4] A B G H *intelligens*.

[5] G addit *creaturae*.

fectum[1], aut quantum ad *effectum*, aut quantum ad *respectum*. *Primo* modo habent identitatem et aequalitatem, quia quidquid vult Deus potest velle, vel quidquid potest vult posse. *Ultimo* modo habent inaequalitatem, quia *potentia* dicitur respectu possibilium, et *voluntas* respectu volitorum, et plura sunt possibilia quam volita. *Medio* autem modo aequalitatem habent, scilicet quantum ad *effectum*, quia, licet potentia ad plura se extendat quam voluntas, quia tamen Deus nihil facit, nisi quod vult, aequari dicuntur voluntas et potentia quantum ad *effectum*: et ideo voluntas dicitur esse *arctatrix potentiae*, non ratione eius *quod* sunt, sed ratione eius *ad quod* comparantur. Notandum.

11. Ad illud quod obiicitur, quod nihil omnino simplex participatur secundum plus et minus: dicendum, quod dupliciter dicitur aliquid participari, scilicet secundum *formam*, sicut genus participatur a speciebus[2]; vel secundum *influentiam*, sicut causa participatur a suis effectibus. Primo modo habet propositio veritatem; hoc autem modo non dicitur divinum *esse* participari secundum plus et minus, sed solum secundo modo; et hoc non ponit diversitatem in ipso participato, sed in eo, per quod fit illa participatio, scilicet in aliquo donum creato. Duplex participatio.

12. Ad illud quod obiicitur, quod nihil omnino simplex habet multiformem operationem; dicendum, quod operatio dicitur et ipsum *opus operans* et *opus operatum*, sive actus activus et effectus productus. Primo igitur modo operatio Dei est idem quod ipse Deus, et ideo non multiplicatur ratione sui in se, sed ratione effectus producti ex parte creaturae. Primo igitur modo habet propositio veritatem, secundo vero non: quia quanto aliquid simplicius, tanto potentius, ac per hoc tanto magis est principium effectuum multiformium[3]. Operatio accipitur dupliciter.

13. Ad illud quod obiicitur, quod nihil omnino simplex convertit se simul ad operationes disparatas et infinitas; dicendum, quod simplex contingit esse aliquid duplici modo: uno modo, in quo simplicitas *excludit immensitatem*; alio modo, in quo *includit*. De primo habet praedicta propositio veritatem, de secundo vero minime, pro eo quod infinitum, ea quod infinitum divinum *esse* est infinitissime infinitum, simul se ad omnia quantacumque et qualiacumque convertere potest absque coarctatione, cum nullam prorsus admittat limitationem. Simplex dupliciter invenitur.

14. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod nihil omnino simplex est multiforme in specie vel in assimilatione; dicendum, quod est multiformitas secundum rationem *informandi* et secundum rationem *exprimendi*. Primo modo competit multiformitas ei quod habet intra se diversarum formarum naturas; et sic non potest stare cum summa simplicitate. Secundo modo competit multiformitas ei quod habet in se multarum formarum ideas, et hoc modo stat cum summa simplicitate. Sicut enim simplicissimum sua summa actualitate habet summam *virtutem*, qua omnia potest distincte et plene efficere; sic et summam *veritatem*, qua omnia potest adaequaliter repraesentare, sicut nobis patuit supra in quaestione de rationibus aeternis[4]. Duplex multiformitas.

ARTICULUS II.

Utrum possint simul stare trinitas et summa simplicitas.

Deinde quaeritur circa hoc, utrum simul possint stare trinitas et summa simplicitas. Et quod sint incompossibiles, videtur pluribus rationibus.

1. Simplicius est ens abstractum quam concretum[5]: ergo simplicior est natura nullum habens suppositum, quam natura existens in pluribus hypostasibus; sed trinitas ponit existentiam naturae in pluribus hypostasibus: ergo diminuit de summa simplicitate. Ad oppositum.

2. Item, simplicius est idem diversis[6]: ergo omne illud, in quo est omnimoda identitas, est simplicius, quam in quo reperitur aliqua quantulacumque diversitas; sed non potest esse trinitas sine quantulacumque diversitate: ergo non potest stare cum summa simplicitate.

3. Item, commune simplicius est proprio, sicut patet, quia proprium implicat in se commune et amplius; sed non potest esse trinitas vera, quin sint

---

[1] A B E G H *effectum*; insuper codd. erronee omittunt unum divisionis membrum, scil. vel *affectum*, vel *effectum*. Cfr. I. Sent. d. 45. a. 1. q. 2. in fine, ubi eadem distinctio habetur: Dicendum enim, quod est loqui de his [voluntate, potentia et sapientia] quantum ad *affectum* sive *actum* et quantum ad *effectum* et quantum ad *obiectum*. Si quantum ad *actum*; sic est ibi omnimoda aequalitas etc. Cfr. etiam supra Quaest. de scientia Christi, q. 1. in corp. et ad 11.

[2] Aristot., IV. Topic. c. 1: Terminus autem eius quod est *participare*, est suscipere participati rationem; manifestum igitur, quoniam species quidem participant genera, genera autem species non; nam species suscipit generis rationem, genus autem speciei non.

[3] Vide I. Sent. d. 43. q. 3. ad 1; II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 2. — Lib. de Causis, propos. 17: Omnis vis unita plus est infinita quam virtus multiplicata. — A *effectuum multiforme*. Superius post *Dei* A G addunt *in se*, E *in se ipsa*.

[4] Quaest. de scientia Christi, q. 2. seq.

[5] Quod praeter formam sive naturam includit suppositum. — Cfr. de hac quaest. I. Sent. d. 2. q. 2. et d. 8. p. II. q. 1; Alex. Hal., S. p. I. q. 5. m. 2.

[6] Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 16. (IV. c. 9.).

trium personarum propria distincta et incommunicabilia[1]: ergo impossibile est ponere trinitatem, quin in ea ponatur aliquis recessus a summa simplicitate.

4. Item, omne absolutum est simplicius respectivo, quia, ut dicit Augustinus[2], « omne relativum est aliquid, excepto eo quod relative dicitur »; unde respectivum includit absolutum; sed non potest esse trinitas personarum sine pluralitate respectuum: ergo etc.

5. Item, omne definiens simplicius est definito; sed natura cadit in ratione personae[3]: ergo simplicior est semper natura quam persona: ergo non potest ratio personalitatis stare cum summa simplicitate. Sed trinitas non potest esse nisi in personis: ergo trinitas repugnat summae simplicitati.

6. Item, pars semper simplicior est toto; sed trinitatis pars est unitas, et trium personarum una persona: ergo si trinitas ponit veram pluralitatem, et vera pluralitas ponit veram totalitatem, et vera totalitas excludit summam[4] simplicitatem: ergo *a primo*, trinitas non potest stare cum summa simplicitate.

7. Item, punctus semper est simplicior continuo, ergo et unitas numero: ergo simplicior est personae unitas quam personarum trinitas; sed quod habet aliquid simplicius se non est summe simplex: ergo impossibile est, trinitatem conqueti summam simplicitatem.

8. Item, aut persona *est* aeque simplex, sicut essentia, aut *non*. Si *non*: ergo aut persona non est in divinis, aut divinum *esse* non est simplicissimum; si autem *aeque simplex*, sicut essentia; sed essentia propter summam simplicitatem non compatitur plures essentias divinas[5]: ergo pari ratione neque persona.

9. Item, aut persona addit aliquid supra naturam secundum *esse et intellectum*, aut secundum *intellectum solum*, aut secundum *neutrum*. Si primo modo: ergo radit cum[6] simplicitate summa; si secundo modo: ergo intellectus vanus et falsus est, cui nihil respondet in re; si tertio modo: ergo sicut natura non pluralicatur, ita nec persona.

10. Item, aut quidquid convenit personae *convenit* naturae, et e converso, aut *non*. Si *sic*: ergo cum persona distinguatur, distingueretur et natura, et ita non erit ibi summe simplex; si *non*; sed affirmatio et negatio non sunt verae de eodem et secundum idem[7]: ergo secundum aliud et aliud; quod autem habet hoc, est compositum: ergo etc.

11. Item, aut una persona omnino *differt* ab alia, aut *omnino convenit*, aut *partim convenit* et *partim differt*. Si *omnino convenit*: ergo nihil habet proprium, ergo non distinguitur; si autem *omnino differt*: ergo si una est Deus, altera non est Deus; si *partim convenit* et *partim differt*: cum hoc non sit secundum idem, erit compositum[8].

12. Item, cum una persona communicat alii, aut communicat ei *quidquid habet*, aut *non*. Si *non*: ergo aliquid sui dat et aliquid retinet, ergo est composita et avara. Si *quidquid habet*: ergo sicut communicat ei suam quidditatem, ita et personalitatem. — *Si dicas*, quod personalitas non est communicabilis; *contra* est: quia ita est simplex, sicut natura, ut dicis: ergo sicut natura communicabilis est, ita videtur, quod persona[9].

13. Item, proprietas personae aut est *aliquid*, aut *nihil*. Si *nihil*: ergo nihil facit, ergo non distinguit illud, in quo est; si *aliquid*, aut *est in essentia*, aut *non*. Si *est in essentia*: sed proprietas distinguit illud, in quo est: ergo natura et essentia numeratur; quod est contra trinitatem. Si *non est in essentia*, sed in persona: ergo aliquid secundum rem est in persona, quod non est in essentia: ergo necesse est, quod proprietas faciat personam compositam.

14. Item, proprietas personae est relatio; aut ergo *transit* in substantiam, sicut alia genera[10], aut *non transit*. Si *transit*: ergo sicut substantia non distinguitur nec distinguit, ita nec proprietas: ergo non est trinitas. Si *non transit*: ergo aliquid ultra substantiam dicit, ergo diminuit de ratione simplicitatis: si ergo non potest esse sine proprietatibus, ergo impossibile est, quod stet cum summa simplicitate.

15. Item, punctus, sicut suis relationibus non componitur, ita nec realiter numeratur: si ergo Deus puncto est simplicior, ergo nullo modo est in eo aliqua realis distinctio.

16. Item, prius est absolutum respectivo[11]: ergo distinctio secundum proprietatem *absolutam* ea prior est, quae est secundum *respectivum*; sed quanto aliquid prius, tanto simplicius: si ergo distinctio secundum absolutas non stat cum summa simplicitate, ergo nec distinctio secundum respectivas.

---

[1] Vide supra pag. 65, nota 3, et pag. 67, nota 4.

[2] Libr. VII. de Trin. c. 4. n. 2: Omnis essentia, quae relative dicitur, est etiam aliquid, excepto relativo. — Aristot., I. Ethic. c. 6: Quod vero *per se* est et substantia prius eo natura est, quod est *ad aliquid* [i. e. relativum]; *esse* enim hoc appentix quaedam videtur atque accidens eius quod est.

[3] Vide supra pag. 65, nota 3, definitionem personae a Boethio datam.

[4] B *veram et summam*.

[5] Ut ostensum est supra q. 2. a. 1. — In fine arg. 6 supplei *plures personas*.

[6] Videtur esse substituendum *a* pro *cum*, E *in*.

[7] Aristot., II. Elench. c. 5. (c. 25.): Nam contraria et opposita et affirmationem et negationem simpliciter quidem impossibile inesse eidem. Cfr. I. Prior. c. 42. (c. 40.) et IV. Metaph. text. 15. seqq. (III. c. 4.).

[8] Pro *erit* [A B *erunt*] *compositum* L *erit compositio*.

[9] B *ita etiam videtur, quod personalitas*.

[10] Scil. praedicamentorum v. g. quantitas, qualitas etc. Cfr. August., V. de Trin. c. 8. n. 9. seqq., et Boeth., de Trin. c. 4. seqq.

[11] Cfr. supra nota 2. et pag. 46, nota 9. — De propos. *quanto aliquid prius, tanto simplicius*, cfr. Aristot., XI. Metaph. c. 1. (X. c. 1.).

Digitized by Google

CONTRA: 1. Contingit reperire aliquid *simplex*, quia est unum in uno, et aliquid *amplius simplex*, quia est unum in pluribus multiplicatum; quod est simplicius, quia unum in pluribus, sicut universale [1], sed tamen non summe, quia numeratur: ergo si aliquid esset unum in pluribus non multiplicatum, illud esset *simplicissimum*; sed hoc attribuendum est divino *esse*, quod est simplicissimum: ergo trinitas non tollit simplicitatem divinae essentiae. Fundamenta.

2. Item, pluralitas *naturarum* non repugnat simplicitati *personae*, sicut patet in Christo [2]: ergo si magis fieri ad compositionem *naturarum diversitas* quam *personarum pluralitas*, videtur, quod multo fortius pluralitas personarum simplicitatem naturae in nullo diminuat: stat igitur etc.

3. Item, Deus potest creare sine omni suae simplicitatis diminutione: ergo si generare et spirare est actus intrinsecus, multo fortius generat et spirat, manente simplicitate summa. Sed qua generat et spirat, est trinitas: ergo etc.

4. Item, *intelligere* est actus, qui simplicitati in nullo repugnat, sed magis attestatur et consonat; sed mens quaecumque se intelligendo generat sui similitudinem, quae dicitur *verbum* a generante distinctum [3]: ergo sicut cum summa simplicitate stare potest actus intelligendi, ita etiam generatio, et pari ratione productio Spiritus sancti: ergo videtur, quod tota trinitas simul stet cum summa simplicitate.

5. Item, ut dicit Augustinus sexto de Trinitate [4], « in spiritualibus idem est maius et melius »; sed in beata Trinitate quaelibet persona est optima: ergo non sunt aliquid melius tres quam unum, ergo nec maius. Sed in omni compositione ponitur aliquid additum, quod est aliquo modo amplius: ergo illa summa trinitas nullam omnino ponit compositionem: ergo in nullo repugnat simplicitati.

6. Item, summa simplicitas non excludit, sed includit summam perfectionem; summa perfectio non excludit, sed includit pluralitatem: ergo *a primo*, summa simplicitas pluralitatem personarum non excludit, sed includit: ergo non repugnat, sed maxime consonat.

7. Item, summa simplicitas non excludit, sed includit summam potentiam et virtutem, quia, sicut supra [5] probatum est, quanto aliqua virtus magis est unita, tanto magis est infinita; sed summa virtus et actualissima ponit summam et perfectissimam communicationem et productionem, et hoc ponit trinitatem: ergo simul stat necessario trinitas et summa simplicitas.

8. Item, lux dicitur de substantia spirituali et corporali, et spirituali creata et increata secundum quandam proportionem et analogiam; sed productio splendoris materialis nihil dominuit de simplicitate lucis materialis, productio etiam lucis spiritualis, utpote intelligentiae sive verbi a mente, nihil diminuit de simplicitate substantiae intellectivae: ergo productio aeterni Splendoris a Patre nihil diminuit de simplicitate lucis aeternae.

9. Item, simplicitas puncti et unitatis et cuiuslibet principii creati non excludit, sed includit pluralitatem relationum et respectuum, et hoc modo non est imperfectionis, sed perfectionis; sed omne tale est Deo attribuendum: ergo circa Deum non repugnat simplicitas summa et pluralitas relationum. Sed « relatio multiplicat trinitatem », ut dicit Boethius [6]: ergo etc.

10. Item, ubi non est materia et situs, non potest esse separatio: productio ergo abstrahens a ratione situs et materiae non ponit aliquam separationem: ergo stat cum omnimoda indivisione, ergo et cum omnimoda simplicitate. Si ergo tali productione producuntur personae in Trinitate, simul ergo stare potest trinitas cum summa simplicitate.

CONCLUSIO.

Trinitas personarum non tollit summam simplicitatem, nec summa simplicitas excludit trinitatem.

RESPONSIO: Dicendum, quod primum principium simul est trinum et simplicissimum, ita quod nec trinitas tollit summam simplicitatem, nec summa simplicitas excludit trinitatem; et hoc quidem certissime per fidem tenemus. Conclusio.

Ut autem aliquatenus intelligamus, duo oportet hic praenotare: primo, diversos modos *distinctionum personalium*, secundo, diversos modos *attributionum divinarum*. Deo praenotanda.

Quantum ad primum intelligendum, quod, sicut dicit Richardus de Trinitate [7], tribus modis distinguitur persona a persona, scilicet *origine tantum*, *qualitate tantum*, *origine et qualitate simul*. Primus modus est in divinis, secundus in angelicis spiritibus, tertius in hominibus. — Homines enim distinguuntur ab invicem *qualitate* propter diversitatem accidentium et proprietatum, quibus unum individuum ab altero discernitur [8]; *origine* vero, quia unus homo ab alio nascitur. — Angeli autem, quia differunt sub- Modi 3 distinguendi personas. Primus. Secundus.

[1] Vide supra pag. 66, nota 2. — Superius pro *simplex*, *quia* A G bis *simplex*, *quod*.

[2] Cfr. III. Sent. d. 6. a. 1. q. 2.

[3] Vide supra pag. 34, nota 6.

[4] Cap. 8. n. 9: In iis enim, quae non mole magna sunt, hoc est maius esse quod est melius esse.

[5] Art. 1. fundam. 6. et de scientia Christi q. 6. in corp. — Lib. de Causis, propos. 17.

[6] Libr. de Trin. c. 6.

[7] Libr. IV. c. 13. seq. Cfr. tom. I. pag. 587, nota 7; tom. II. pag. 103, nota 6. et pag. 104, nota 5.

[8] Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie*: Individua autem dicuntur huiusmodi, quoniam ex proprietatibus consistit unumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio esset erit etc.

Digitized by Google

stantia et proprietatibus formalibus, distinguuntur *qualitate;* sed quia unus ab alio non procedit, non distinguuntur *origine.* — Personae autem divinae, quia omnino unum sunt in substantia et forma et nulla habent accidentia, non distinguuntur *qualitate,* sed *sola origine;* illa autem *origo* est ipsius personae non per aliquid aliud, sed per se ipsum, ita quod, sicut Deus se ipso intelligit et est suus intellectus, ita Pater se ipso generat et est ipsa generatio, similiter Filius sua filiatio: si ergo est ibi verissima origo, verissima est personalis distinctio. — *Rursus,* si persona est sua origo, nulla est omnino in persona compositio, ac per hoc ita simplex est, sicut essentia: est igitur omnimoda secundum *rem* indifferentia inter personam et essentiam, et personam et proprietatem et essentiam. Unde vere *persona* est essentia et proprietas, et *essentia* proprietas et persona, et *proprietas* persona et essentia [1]. Quomodo ergo potest intelligi aliqua compositio in tanta indifferentia? Necesse est igitur in tali distinctione personarum omnimodam intelligere simplicitatem: ex quo *ergo* impossibile est intelligere aliquam compositionem, non repugnant trinitas personae intellectae et simplicitas summa. — Multum ergo valet ad hoc videndum inspicere modos *distinctionum personalium,* quos ignorantes haeretici erraverunt.

Tertius

Distinctio sine compositione.

Rursus, attendendi sunt diversi modi *attributionum divinarum.* Est enim differentia quantum ad *modus essendi* et quantum ad *modus se habendi* et quantum ad *rationes intelligendi.* — In divinis igitur quantum ad *esse* vel essentiam non potest reperiri diversitas sive differentia, quia illud *esse* est unum et simplicissimum; nec etiam quantum ad *modum essendi absolutum,* quia, sicut in Deo non est aliud *ens essentia* et *esse,* sic non est differens *esse* et *sic esse.* Et ratio huius est, quia in Deo idem est *posse* et *esse,* et non est dicere, quod possit sic et aliter esse. Et ideo, quia *modi essendi* sunt idem quod *essentia,* omnia praedicata dicentia modum *absolutum* transeunt in substantiam, relatione excepta, quae dicit *modum essendi respectivum;* qui modus dicendi in comparatione *ad subiectum* transit in substantiam, ut hypostasis sit sua proprietas, ne inducatur compositio; sed manet in comparatione *ad terminum,* ut vera salvetur distinctio. Differentia enim relationis a *subiecto in quo* inducit *compositionem;* sed differentia a *termino ad quem* non inducit nisi solam *distinctionem.* Cum ergo in divinis non reperiatur differentia, nec quantum ad *essentiam* nec quantum ad *esse* nec quantum ad *absolutos modos essendi;* reperitur tamen tribus modis praedictis. Differentia namque quantum ad *modos essendi* [2] est in personis ad invicem: quia, licet idem *esse* habeant, tamen *alio modo,* quia una a se, alia vero ab alio; et haec est tanta diversitas, ut non permittat, unam personam dici de alia. Illi enim modi, sicut prius ostensum est, licet non inducant *compositionem,* faciunt tamen veram *distinctionem.*

Modi 3 attributionum.

De modis essendi.

Differentia vero quantum ad *modos se habendi* est in personis ad essentiam relatis. Quoniam enim oriri est ipsius personae, non essentiae; ideo persona refertur et se habet ad alteram, essentia non; et hinc est, quod una distinguitur, scilicet persona, et non altera, scilicet essentia. Et ex hac differentia non fit, quod una *removeatur* ab altera, fit tamen, ut possit *aliquid dici* de persona, quod non dicitur de essentia, et e converso. Et ex hac differentia nascitur triplex modus dicendi in divinis, scilicet in *quid* et in *quas* et in *quae,* scilicet *notio, persona* et *essentia;* et inde est, quod, supposita *persona,* non supponitur *notio* nec e converso, et similiter de *essentia.* Sed ex variatione talium modorum introducitur *figura dictionis* [3] in divinis, sicut patet considerantibus.

De modis se habendi.

Differentia vero quantum ad *rationes intelligendi* est in proprietatibus *essentialibus,* quae omnino idem sunt, sicut veritas et bonitas; tamen noster intellectus intelligit per diversa et sub alia ratione et alia, et idem aliter nominat; et haec est minima differentia, quae possit inveniri circa divina, quia magis est ex parte nostri quam Dei. — Stat igitur summa simplicitas non solum cum personali distinctione, sed etiam cum multiformi attributione. Unde concedendae sunt rationes, quae sunt ad hanc partem; ad oppositas vero satis facile est respondere.

De rationibus intelligendi.

1. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium, quod simplicius est ens abstractum quam concretum; dicendum, quod illud veritatem habet in eo, in quo differt forma et suppositum, in quo quidem est *abstractio* et *concretio* ex parte rei; in divinis autem proprie non ponitur *concretio* nisi ex parte nostri. — Similiter quod dicit, quod simplicius est unum non in pluribus quam in pluribus; dicendum, quod illud habet veritatem, ubi aliquid plus est in pluribus quam in uno, sicut est in numero; non sic autem est in proposito, quia ita complete et perfecte est divina essentia et natura in una suarum hypostasum, sicut in tribus [4].

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod simplicius est idem diverso etc.; dicendum, quod est diversitas sive distinctio, quae venit ex *additione,* sicut illa quae est inter diversas species, quae distinguuntur per diversas differentias additas supra genus; et est distinctio veniens non ex *additione,* sed ex *origine;*

Duplex diversitas.

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 26. q. 1. seqq., d. 33. per totam et d. 34. q. 1. seq., ubi etiam de seqq. modis essendi. — Superius post *sicut essentia* B addit *et proprietas.*

[2] Ita A, alii *existendi.*

[3] Vide Aristot., I. Elench. c. 3. (c. 4.), ubi de hac et aliis fallaciis in dictione. — De suppositione personae et notionis cfr. tom. I. pag. 576, nota 1.

[4] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 1. ad 1. et 3.

Digitized by Google

et hæc est in divinis personis, quæ distinguuntur ex eo, quod una manat ab altera; et hæc tollam ponit compositionem, secundum quod explicatum fuit in principali solutione.

3. Ad illud quod obiicitur, quod commune simplicius est proprio; dicendum, quod illud habet veritatem, ubi *commune* arctatur et contrahitur per proprium; tunc enim ratione arctantis et contrahentis admittit et compositionem et distinctionem, sicut apparet in universali et particulari; hoc autem modo non est reperire commune in divinis, quia essentia, licet sit communis in divinis, non tamen contrahitur nec arctatur nec distinguitur in personis [1]. Distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omne absolutum simplicius est respectivo; dicendum, quod respectivum est duplex: quoddam, quod dicit respectum ad aliud *diversum secundum essentiam*; quoddam, quod non dicit respectum nisi ad aliquid sibi *consubstantiale*. Primo modo respectivum includit quandam dependentiam, ac per hoc et defectum dicit a simplicitate summa; secundo modo non dicit aliquam dependentiam nec defectum a simplicitate summa, maxime quando ipsum suppositum est sua proprietas, qua refertur; et hoc modo ponitur respectus in proprietatibus divinarum personarum, non primo modo, et ita nulla ex hoc introducitur compositio. — Et *si obiciatur*, quod « relativum nunc est aliquid, excepto eo quod relative dicitur »; dicendum: si primo modo intelligatur, quod veritatem habet non solum ex parte *rationis intelligendi*, verum etiam ex parte *rei*; si secundo modo intelligatur, veritatem habet ex parte *rationis intelligendi*, quia Pater præter rationem relationis importat hypostasim, quæ tamen non est aliud a sua proprietate personali. Duplex respectivum. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod omne definiens simplicius est definito; dicendum, quod illud veritatem habet de definitione *formali* et *in recto*, ubi definientia sunt partes essentiales, constituentes ipsum definitum. Non sic autem est in proposito: tum quia personæ divinæ, proprie loquendo, definiri non habent; tum etiam, quia natura non cadit in definitione personæ *in recto*; tum etiam, quia definitio illa potius respicit intentionem *nominis* personæ et naturæ, secundum quod venit in intellectu nostro, quam respiciat ipsam secundum *esse* suum proprium, quod nec comprehendi habet nec definiri propter summam simplicitatem et immensitatem *esse* divini [2]. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod pars semper est simplicior toto; dicendum, quod verum est. Sed quod assumit, quod trinitatis pars est una personarum, falsum est, quia omne totum dicit aliquid maius quam sua pars. Et autem sæpe dictum est, nihil maius est in tribus personis quam in una; quælibet enim personarum est summe ens et vera et bona; ideo licet trinitas in divinis ponat rationem *pluralitatis*, non tamen ponit propter hoc rationem *veræ totalitatis* [3].

7. Ad illud quod obiicitur, quod punctus est semper simplicior continuo, et unitas numero; dicendum, quod veritatem habet de numero *vero*, qui est aggregatio diversorum unitatum; sed non talis numerus est in trinitate divinarum personarum, pro eo quod non est ita aggregatio multarum unitatum, sicut nec entitatum nec veritatum, sed est eiusdem unitatis replicatio circa alium et alium; et hoc importat ipsum vocabulum, quod dicitur trinitas, id est unitas trium [4]. De numero.

8. Ad illud quod obiicitur, quod aut persona est æque simplex, sicut essentia, aut non; dicendum, quod est æque simplex secundum rem. — Et quod obiicit ultra, quod essentia propter summam simplicitatem non competitur aliis essentiis; dicendum, quod non est simile: quia, si essent plures essentiæ divinæ, esset ibi *convenientia* et *differentia* essentialis; *convenientia*, inquam, quia quælibet esset Deus; *differentia* vero, quia plures, et hoc non posset esse sine additione et compositione [5]. Non sic autem est in pluralitate personarum: quia, sicut ostensum est, non distinguuntur ad invicem per aliquam additionem eadem, sed solum per originem naturalem; et ideo simplicitas essentiæ excludit pluralitatem essentiæ, et pluralitas personæ non excludit unitatem essentiæ divinæ nec excludit simplicitatem personæ. Notandum.

9. Ad illud quod obiicitur, quod aut persona addit aliquid supra essentiam secundum rem et intellectum etc.; dicendum, quod *secundum intellectum* addit, quia in intellectu vero *personæ* claudit intellectus naturæ et proprietatis et hypostasis. Unde intellectus eius compositus est, ita tamen, quod sicut nulla est compositio, sic etiam nulla est additio a parte rei. — Et *si obiciatur*, quod intellectus iste est falsus; dicendum, quod falsum est: quia ex parte rei aliquid ei respondet; nam in divinis vere sunt illa tria, scilicet natura et proprietas et hypostasis distincta per proprietatem suam; sunt tamen omnino unum in ipsa per simplicitatem summam, ad quam quia non potest intellectus noster pertingere, intelligit et nominat sub differenti ratione et sub quadam compositione, quam non ponit circa ipsam rem, sed circa se ipsum intelligentem, sicut habitum fuit in præcedenti problemate [6]. Notandum.

---

[1] Vide I. Sent. d. 19. p. II. q. 2.

[2] Cfr. I. Sent. d. 25. a. 1. et 2; d. 34. q. 1. — Avicenna, Metaph. tr. 8. c. 1: *Primus* igitur non habet genus, et ideo non habet differentiam; quia enim non habet genus, non habet differentiam; ideo non habet *definitionem*.

[3] Vide I. Sent. d. 19. p. II. q. 1. Ibid. q. 4. insinuatur solutio seq.

[4] Cfr. supra q. 2. a. 2. ad 16. et Quæst. de scientia Christi, q. 3. ad 8. — Isidor., VII. Etymolog. c. 4. n. 1: *Trinitas* appellata, quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi *trunitas*. — Superius pro *vero* A *alio*.

[5] Vide supra q. 2. a. 1. fundam. 7.

[6] Cfr. etiam I. Sent. d. 34. q. 1. — In principio solut. vocibus *intellectu vero* A B E interserunt *nominis*.

Digitized by Google

10. Ad illud quod obiicitur, quod affirmatio et negatio non sunt vera de eodem et secundum idem; dicendum, quod non solummodo impedit contradictionem, quod aliqua dicantur de eodem *non secundum idem*, verum etiam, quod non dicantur *ad idem*. Et quia persona referri habet et comparari ad aliam, natura vero non: hinc est, quod aliquid potest attribui uni, quod non attribuitur alteri; nec tamen ex hoc sequitur, quod sit in eis compositio vel diversitas secundum essentiam vel *esse*; sufficit enim, quod sit solum secundum *se habere*[1]. Notandum.

11. Ad illud quod obiicitur, quod aut una persona omnino convenit cum alia, aut partim convenit, partim differt; dicendum, quod persona cum altera convenit secundum essentiam, differt autem secundum proprietatem; proprietas autem illa comparata ad essentiam est tantum *modus essendi*, qui est idem quod essentia, secundo ad *quod est*, quia essentia est ipsa proprietas, differt autem secundum id *ad quod*; et quia compositio venit secundum id *in quo*, distinctio secundum id *ad quod*: ideo differentia, quae est inter proprietatem et essentiam, talis est, quae sufficit ad distinctionem, nullam tamen inducit compositionem. De proprietate personali.

12. Ad illud quod obiicitur, quod aut una persona communicat alii quidquid habet, aut non; dicendum, quod communicat ei quidquid habet *communicabile*, et hoc est essentia vel natura; *personalitas* autem sive respectus, qui est in persona illa, potius dicit rationem distinguendi quam communicabilis; et ideo, licet hoc non communicet, perfecta tamen est ibi communicatio, quia cum communicatione manet salva distinctio.

13. Ad illud quod obiicitur, quod aut proprietas personae est aliquid, aut nihil; dicendum, quod proprietas personae, formaliter et proprie loquendo, est *ad aliquid*; et illud *ad aliquid* comparari habet et ad divinam essentiam et ad personam, quam distinguit, et ad personam, a qua distinguit. Per comparationem ad personam, *a qua distinguit*, vere *res* est, quia realiter ab illa differt, sicut et realiter distinguitur per paternitatem Pater a Filio; per comparationem autem ad personam, *in qua est*, seu etiam ad ipsam essentiam, *modus* tantum est, qui non ponit aliquam compositionem circa Deum, quia, sicut prius ostensum fuit, non differt in Deo *esse* et *sic esse* sive modus essendi, sicut non differt « *vivere* et *beate vivere*[2] ». Quod proprietas personae. Notandum.

14. Ad illud quod obiicitur, quod proprietas personae aut transit in substantiam, aut non; dicendum, quod relatio duplicem dicit respectum, scilicet ad *subiectum in quo* et ad *extremum*[3] *ad quod*. Primo modo transit, sicut et alia genera, secundo modo manet. Et quia ipsa praeter alia genera dicit comparationem ut ad alterum; hinc est, quod omnia dicuntur transire in substantiam, ipsa non transeunte, non quia ipsa aliquo modo dicat *aliquid*, quod non sit essentia, sed quia competit sibi *ad aliquid* dici, ad quod essentia non habet dici nec referri. Unde absque dubio essentia est illud *ad*, sed non est illud, *ad quod* est illud *ad*; et ideo salva est ibi distinctio et nulla compositio. Duplex respectus in relatione. Notandum.

15. Ad illud quod obiicitur, quod punctus propter suam simplicitatem suis relationibus nec componitur nec numeratur; dicendum, quod non est simile: quia relationes puncti sunt *ad extra*, sed relationes personales sunt *ad intra*; ideo, quamvis punctus possit dici principium et finis respectu diversarum linearum, nulla tamen hypostasis simul potest dici Pater et Filius, quia nulla potest sibi ipsi esse nascendi principium. Notandum.

16. Ad illud quod obiicitur, quod prius est absolutum quam respectivum: ergo et distinctio secundum proprietatem absolutam prior, quam ea quae est secundum proprietatem respectivam; dicendum, quod illud non valet: quia omnis distinctio includit aliquem respectum[4]; et *praeterea*, distinctio illa, quae minus recedit a prima et summa unitate, illa quidem est prior; haec autem distinctio est illa, in qua non pluralitatur unitas, et talis non potest esse essentialis, sed relativa. Unde dici potest, vel quod ratio illa non concludit, aut quod propositio illa veritatem habet de respectivo, quod aliquam importat dependentiam. Hoc autem genus respectivi non ponitur circa distinctionem aeternarum personarum; et ideo non facit recedere a ratione simplicissimi, sicut nec a ratione primi et absolutissimi, sicut ex praehabitis elucescit.

QUAESTIO IV.

Utrum trinitas stet cum summa infinitate.

Consequenter quaeritur, utrum trinitas stet cum summa infinitate; et circa hoc quaeruntur duo.

Primum est, utrum divinum *esse* sit infinitissimum.

Secundum est, utrum stent simul trinitas et summa infinitas.

---

[1] Cfr. supra q. 2. a. 2. ad 5.

[2] Ut docet August., XIII. Confess. c. 3. n. 4, supra pag. 68, nota 3. allatus. — De hac solut. vide I. Sent. d. 33. q. 2, ubi etiam seq. solut. exhibetur.

[3] G *terminum* (sic etiam habetur I. Sent. d. 33. q. 2. in corp.). Inferius vocibus *ipsa non* B inseruit *tamen*.

[4] Distinctio siquidem generalim est negatio unius respectu alterius; *distincta* enim dicimus quorum unum non est alterum.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

Utrum divinum esse sit infinitissimum.

Quantum ad primum sic proceditur et ostenditur, quod divinum *esse* sit infinitissimum:

1. Primo per fidei confessionem in Symbolo [1]: Fundamenta. « Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus, et tamen non tres immensi, sed unus immensus », ergo una est in eis immensitas: ergo ratione essentiae convenit eis.

2. Item, Damascenus [2]: « Credendum est, unum Deum immortalem, aeternum, incircumscriptum »: si ergo ista non conveniunt nisi infinito simpliciter, patet etc.

3. Item, tertio Regum octavo [3]: *Si caelum et caeli caelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi?* Si ergo *esse* Dei a nullo potest contineri et a nullo circumscribi, fatendum est, omnino habere rationem infiniti.

4. Item, Damascenus, libro primo, capitulo quarto [4]: « Infinitus est Deus et incomprehensibilis, et hoc solum est eius comprehensibile, scilicet eius infinitas et incomprehensibilitas ».

5. Item, Augustinus, undecimo de Civitate Dei [5]: « Omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est »; sed omne, cui infinita sunt finita, est simpliciter infinitum: si ergo divinum *esse* est huiusmodi, ergo habet omnimodam infinitatem.

6. Item, ratione: communis animi conceptio est [6], Deum esse quo nihil maius excogitari potest, nec a se nec ab alio; sed omni finito potest aliquid maius excogitari: ergo vere et proprie divinum *esse* habet conditionem infiniti.

7. Item, omni finito potest intelligi per duplicationem aliquid aequari; sed divino *esse* nihil potest aequari, quantumcumque intelligatur duplicari [7]: ergo necesse est, divinum *esse* infinitum esse omnimoda infinitate.

8. Item, omne bonum finitum per additionem alicuius alterius boni habet multiplicari; sed summum bonum non potest multiplicari nec re nec intellectu per aliquid additum [8]: ergo non est bonum finitum; et est finitum vel infinitum: ergo etc.

9. Item, idem est Dei entitas et aeternitas; sed aeternitas est infinita, quia caret principio et fine [9]: ergo et entitas est infinita; sed si entitas est infinita, et *esse*: ergo *a primo*, *esse* divinum est omnino infinitum, etiam secundum se ipsum.

10. Item, idem est Deo *posse* et *esse* propter summam simplicitatem [10]; sed divinum *posse* est infinitum, cum sit omnipotens et possit super extrema in infinitum distantia, ut potet in productione de nihilo: ergo divinum *esse* simpliciter est infinitum.

11. Item, *posse* et *sapere* Dei est infinitum, quia non est dare tot possibilia vel scibilia, quin possit plura: ergo pari ratione, cum Deus nunquam sit in tot creaturis, quin possit esse in pluribus; necesse est, quod divinum *esse* ut *esse* sit infinitum.

12. Item, Deus est causa rerum nobilissima secundum rationem efficiendi, exemplandi et finiendi; sed pro summa nobilitate sic est causa efficiens, quod ineffecta; sic exemplaris, quod inexemplata: ergo sic finiens, quod infinita: ergo sicut divinum *esse* est ineffectum, ita et infinitum.

13. Item, principium omnis limitationis est materia vel aliquid materiale [11]; sed divinum *esse*, cum sit actus purus, est carens omni conditione materiae: ergo caret omni limitatione et finitate: ergo est infinitum simpliciter.

Contra: 1. Infinitum dicitur privative respectu finiti, sicut iniustum respectu iusti; sed semper habitus, si vere habitus est, nobilior est privatione: ergo finiti conditio nobilior quam infiniti; sed quod nobilius est semper debet Deo attribui: ergo etc. Ad oppositum.

2. Item, in rebus creatis infinitas venit ex parte materiae, finitas vero ex parte formae; sed « Deus est forma absque materia », ut dicit Boethius [12]: ergo

---

Distinctio opponitur identitati i. e. convenientiae rei cum se ipsa vel unitati plurium in entitate. Aristot., V. Metaph. text 16. (IV. c. 9.): Identitas unitas quaedam essendiae est aut plurium, aut cum ut pluribus utatur, ut puta cum dicat ipsum sibi ipsi idem; ut duobus enim ipso utitur.

[2] Athanasiano. — De hac quaest. vide I. Sent. d. 43. q. 1. et 2.

[3] Libr. I. de Fide orthod. c. 8. Textus originalis plura inserserit.

[3] Vers. 27: Si enim caelum etc.

[4] Vide supra pag. 33, nota 40.

[5] Cap. 18. Cfr. supra Quaest. de scientia Christi, q. 1. in corp.

[6] Boeth., in lib. Quomodo substantiae in eo, quod sint, bonae sint etc., ait: Communis animi conceptio est enuntiatio, quam quisque probat audiendo.

[7] Cfr. infra pag. 81, nota 5. Augustini sententia.

[8] Vide supra q. 3. a. 1. ad 4.

[9] Richard. a S. Vict., II. de Trin. c. 4: Sempiternum eumque esse videtur quod caret initio et fine, aeternum, quod caret utroque et omni mutabilitate; et quamvis forsitan neutrum sine altero inveniatur, recte tamen... distinguitur.

[10] Vide supra pag. 72, nota 3.

[11] Cfr. II. Sent. d. 3. p. 1. a. 1. q. 1. fundam. 3. — *Minor* ostensa est I. Sent. d. 19. p. II. q. 3.

[12] Libr. de Trin. c. 2: Divina substantia sine materia forma est. — De *manori* cfr. tom. I. pag. 360, nota 5. — Inferius pro *finitissimum* A B *finitissimus*.

Digitized by Google

videtur, quod nihil omnino habeat de ratione infinitatis, sed quod sit finitissimum in se.

3. Item, nihil removetur vere ab aliquo, quod essentialiter convenit eidem; sed Deus est finis completens et terminans appetitum mentis nostrae [1]: ergo nullo modo potest esse infinitum divinum *esse*, nec per abnegationem finis, ut est terminus, nec in quantum complementum.

4. Item, « finitum et infinitum sunt passiones quantitatis [2] »; sed in Deo non est ponere veram quantitatem, ergo nec veram infinitatem: si autem ponitur aliqua quantitas, haec est virtutis, quae respicit potentiam, non essentiam: ergo nihil est dicere essentiam infinitam.

5. Item, idem est infinitum et immensum: sed immensum dicitur per recessum a mensura et a modo: ergo idem est infinitum et carens modo sive immoderatum; sed quod caret modo caret specie et pulcritudine: ergo cum hoc non competat divino *esse*, patet etc.

6. Item, omne infinitum dicitur per oppositionem ad minimum et per recessum ab eo; sed minimum est simplicissimum in unoquoque genere [3]: ergo infinitum dicit recessum a simplicitate. Sed divinum *esse* est simplicissimum: ergo non est infinitum.

7. Item, omnium infinitum fiat, quia oppositum non est causa oppositi, et « nihil dat alteri quod non habet [4] »; sed Deus omnia finit tanquam finis perfectissimus: ergo Deus non est infinitus, ergo nec quantum ad *esse* nec quantum ad aliquid sui.

8. Item, nihil est infinitum simpliciter, quod est finitum summae veritati, quae indicat de omnibus, prout sunt [5]; sed Deus est finitus sibi, alioquin se ipsum excederet: ergo divinum *esse* non est infinitum secundum rem: ergo etc.

9. Item, si Deus posset unum solum, ita quod non alia, divinum *posse* [6] diceretur finitum: cum ergo consimilis sit ratio de *posse* et *esse*, et divinum *esse* non sit nisi unum solum: sequitur, quod divinum *esse* sit finitum.

10. Item, unitas est maxime finita in se, cum sit principium totius mensurationis secundum numerum [7]: si ergo divinum *esse* est unum, ergo mensuratum, ergo finitum.

11. Item, magis est finitum omne, quod est *hoc* et determinatum, quam omne, quod non est *hoc*, sed commune et indeterminatum; sed *esse* commune, utpote *esse* universale, est finitum: ergo cum divinum *esse* sit proprium et determinatum, ipsum erit maxime finitum.

12. Item, omne, quod est separatum ab aliquo secundum locum, est finitum secundum existentiam localem: ergo pari ratione omne, quod est separatum secundum *esse*, est finitum secundum existentiam naturalem; sed divinum *esse* maxime separatum est ab omnibus secundum *esse*, cum hoc competat motori primo et completissimo [8]: ergo divinum *esse* finitum est secundum existentiam naturalem.

13. Item, in divinis illud est verum, quod propter summam simplicitatem quae dicuntur in abstracto dicuntur in concreto, et e converso: si ergo a fine dicitur aliquid *finitum*, et haec est vera et propria: Deus est finis; ergo et haec: Deus est finitus: ergo haec est falsa, quod sit infinitus.

14. Item, omne comprehensibile est finitum; sed omne simplex est comprehensibile: ergo omne simplex est finitum; sed divinum *esse* est simplex: ergo finitum. *Minor* probatur, quia omne, quod totum cognoscitur, comprehenditur; sed cum cognoscitur simplex, totum cognoscitur, cum non habeat partem et partem [9], et necessario est finitum non solum in se, sed etiam nobis.

15. Item, aut *aliquid* Dei est finitum, aut *nihil*; si *nihil* Dei finitum: ergo cum a finito non cognoscatur aliquid nisi sub ratione finiti, nihil ergo Dei cognoscitur a nobis: ergo nunquam erimus beati. Sed hoc est inconveniens perpessimum: ergo *aliquid* Dei est finitum. Aut ergo est dare ibi *aliquid* et *aliquid*, aut necesse est dicere, quod nihil Dei sit in se finitum [10]: ergo nulla ratione Deus dicendus est esse infinitus.

CONCLUSIO.

Divinum esse et posse, quia est summe simplex, est infinitum, quatenus infinitum *abnegat terminum circa quantitatem virtutis.*

Responsio: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod in quaestione, in qua est multiplicitas nominis, prius oportet secundum artem distinguere quam aliquid asserere vel negare [11]. Intelligendum igitur, quod *infinitum* dicitur dupliciter, scili- Notandum. Infinitum duplex.

---

[1] Vide IV. Sent. d. 49. p. I. q. I. seq.

[2] Averroes, in I. Phys. Aristot. text. 15. (c. 2.). Vide tom. I. pag. 768, nota 7.

[3] Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 12. et X. text. 3. seqq. (IV. c. 6. et IX. c. 1.).

[4] Secundum Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 22.). — De prima ratione addita, in qua voci *opposita* A praemittit *sui*, cfr. supra pag. 11, nota 5.

[5] Vide supra Quaest. de scientia Christi, q. 1. arg. 2. ad oppos.

[6] Ita A E, alii *esse*.

[7] Cfr. supra nota 3. loci Aristotelis.

[8] Vide Aristot., XII. Metaph. text. 41. (XI. c. 7.), et Lib. de Causis, propos. 20: Causa prima regit res creatas omnes, praeter quod commisceatur cum eis.

[9] Cfr. supra Quaest. de scientia Christi, q. 6. arg. 9. ad oppos. — Mox pro *necessario est* D G H *necesse est esse*.

[10] Ita B G, alii perperam *imputum*.

[11] Aristot., II. Elench. c. 2. (c. 17.), praemisso, quod ad propositiones, quae vel aequivocationem vel amphibologiam

Digitized by Google

cet *privative* et *negative*. Secundum quod dicitur *privative*, sic privat *actum* et relinquit *aptitudinem*; et hoc modo dicitur *infinitum* quod est *natum finiri*, non tamen est finitum, et sic sonat in incompletionem. — Secundum autem quod dicitur *negative*, sic *simpliciter removet finem* sive finitatem; sed hoc dupliciter habet intelligi secundum duplicem acceptionem *finis*. Dicitur enim *finis-terminus*, *finis-complementum*; et ideo *infinitum* dicitur dupliciter: vel per abnegationem *finis-complementi*, et sic malum dicitur *infinitum* [1]; vel per abnegationem *finis-termini*, et hoc dupliciter potest esse secundum duplicem *terminum*. Est enim terminus secundum *quantitatem materialem*, et est terminus secundum *quantitatem spiritualem*; prima dicitur *quantitas molis*, secunda *quantitas virtutis*. *Infinitum* igitur per abnegationem *termini circa quantitatem molis* semper dicit aliquam incompletionem aliquo modo, vel actu, vel potentia, quia dicit recessum a simplicitate. Talis enim quantitas non simul stat cum simplicitate in eodem et secundum idem, et tale infinitum nunquam est actu, sed solum potentia, actu autem finitum [2]. Infinitum vero per abnegationem *termini circa quantitatem virtutis* non dicit aliquam imperfectionem, sed summam perfectionem, quia non repugnat simplicitati, immo non potest esse nisi in summe simplici; et tali modo Scripturae auctoritas et fidei confessio ponunt infinitatem sive immensitatem in ipso Deo simplicissimo.

Subdistinctio. Iterum subdistinguitur. Infinitum imperfectum. Infinitum perfectum. Conclusio I.

Divinum igitur *esse* eo ipso est infinitum, quo est *summe simplex* et *simpliciter summum*. — Quia enim est *summe simplex*, ideo unitum est summe *in se* et in suo *posse*; et quia summe *in se* unitissimum, ideo nihil habet contrahens, nihil limitans, nihil determinans et nihil claudens in genere, ac per hoc extra omnia et supra omnia [3]. — Quia *rursus* unitissimum est respectu *posse*, ideo idem est in eo omnino *esse* et *posse*, et ideo, ubicumque est suum *esse*, et suum *posse*; et ubi est *esse*, est centrum et origo et fons ipsius *posse*; et ubi est fons et origo et centrum ipsius *posse*, semper ultra potest; et ideo, ubicumque potest, semper amplius et ultra potest, ac per hoc *posse* et simul *esse* necesse est infinitatem habere. Cui concordat illud de Causis [4]: « Omnis virtus unita plus est infinita » etc. Non ergo haec infinitas simplicitati repugnat, immo est ei consona mirabili et inseparabili concordia.

Confirmatur primo. Infinitum quoad se. Notandum. Quoad posse. Conclusio 2.

Amplius, quia *simpliciter summum*, necesse est esse omnino immensum. Hoc ipso nihil potest ei *adequari*, nec intensione nec duplicatione, sicut dicit Augustinus in libro octavo [5] de Trinitate; et necesse est, ipsum habere in se infinitam nobilitatem et bonitatem; cum bonum finitum, quantumcumque sit, per duplicationem finitorum aliquoties contingat et reddi et aequari, ut dicit. — Quia etiam simpliciter summum, nihil potest *maius*, nihil *melius* esse nec excogitari. Omni autem finito potest supergredi aestimatio; si enim intelligitur habere terminum, intelligitur ultra illud aliquid saltem cogitari posse. Ac per hoc, si divinum *esse*, quia summe simplex est, pariter est simpliciter summum; necesse est consequenter, ipsum dicere *omnino infinitum*, ut rationes concludunt. Non enim est dare, quod sit finitum *essentia* et infinitum *potentia*, ut aliqui dixerunt [6]; haec enim in Deo omnino unum sunt, et infinitas in uno necessario ponit et claudit infinitatem in alio, cum ad nihil possit se extendere unum sine alio. — Et *rursus*, cum in spiritualibus *idem* sit maius et melius; cum aequalis bonitatis sit essentia et potentia, necessario et aequalis erit infinitatis.

Confirmatur secundo. Corollarium 1. Corollarium 2.

Ex hoc verbo possumus manuduci ad intelligendum, quomodo simplicitas non repugnat immensitati. Si enim, ut dicit Augustinus [7], « idem est ibi maius et melius »; sicut potest intelligi, quod summe simplex sit *optimum*, ita potest et *maximum*; sicut etiam intelligi potest, quod summe simplex sit *summe potens*, sic intelligi potest, quod sit *simplicissimum* et *infinitissimum*; sicut intelligi potest, quod sit omnibus praesens per *potentiam*, sic et per *essentiam*; et sicut omnia comparata ad divinam *potentiam* quasi nihil possunt, sic omnia comparata ad *essentiam* quasi nihilum sunt. — Unde respectu divini *esse* mundus iste

Corollarium 3. Corollarium 4.

---

continent, respondendum sit *dividendo*, subinde ait: Manifestum, quoniam aulli eorum quae aequivoca sunt, convenit *respondere simpliciter*. Cfr. I. Sent. d. 6. dub. 1, ubi haec sententia *Philosopho* tribuitur. — Verba S. Bonav. *Ad praedictorum intelligentiam* usque *in ipso Deo simplicissimo* tom. I. pag. 769, nota 7. iam exhibuimus ex cod. M (qui est in bibliotheca Montis-Cassini) tanquam additamentum; ex quo novum arg. insinuatur pro genuinitate huius quaestionis. Cfr. etiam Alex. Hal., S. p. I. q. 6. m. 1.

[1] Cfr. tom. II. pag. 311, nota 4. — De quantitate *molis* et *virtutis* vide supra pag. 35, nota 2.

[2] Vide Aristot., III. Phys. text. 56. seqq. (c. 6.).

[3] Gregor., II. Moral. c. 12. n. 20: Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem et interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interius penetrans; nec alia ex parte superior, alia inferior... sed unus idemque totus ubique praesidendo sustinens, sustinendo praesidens etc.

[4] Propos. 17.

[5] Cap. 2. n. 3: Non est enim certe [Deus] nec terra nec caelum... Nec si augeas imaginatione cogitationis lucem solis, quantum potes, sive quo sit maior, sive quo sit clarior, millies tantum aut innumerabiliter, nequa hoc est Deus. Nec sicut cogitantur Angeli... nec si omnes, cum sint *millia millium* [Dan. 7, 10. et Apoc. 5, 11.], in unum colliti unus fiant, nec tale aliquid Deus est... Ecce vide, si potes, o anima... Deus veritas est. — Posuimus *in libro octavo*, quod D E G omittunt et pro quo A B *in libro primo*.

[6] Vide I. Sent. d. 43. q. 2. in corp.

[7] Libr. VI. de Trin. c. 8. n. 9. Cfr. supra pag. 75, nota 4.

tudus est sicut quid minimum. Et hoc est quod dicitur Sapientiae undecimo[1]: *Quoniam sicut momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et sicut gutta roris antelucani, quae descendit in terram;* et Isaiae quadragesimo: *Ecce gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt;* et post: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo et quasi nihilum et inane reputatae sunt.* — Concedendum est igitur, quod non solum divinum *posse*, immo etiam divinum *esse* infinitum est, sicut ostendunt rationes ad hanc partem inductae. Confirmatur.

1. Ad illud quod obiicitur, quod *infinitum* dicitur privative; dicendum, quod, sicut iam dictum est, licet *infinitum in creatura* dicat *privationem* respectu finiti secundum *rem*[2] et *modum dicendi*; tamen, prout ponitur in *Deo*, verissimam dicit *positionem* secundum *rem*, et maiorem, quam hoc quod est finitum, dicit completionem; non enim dicitur per privationem *complementi*, sicut iam patuit, sed per privationem *limitationis* et coarctationis, quae defectum dicunt a statu perfectissimi complementi. Et ideo illa ratio non concludit. Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud autem quod obiicitur, quod infinitas venit ex parte materiae; dicendum, quod illud est verum, secundum quod infinitas fundatur super quantitatem *molis*, quae quidem trahit originem ex parte principii materialis; secus autem est, quando fundatur supra quantitatem *virtutis*, quia virtus activa originem trahit a forma; hoc autem modo ponitur infinitas in Deo, non modo praemissa. Et ideo non procedit illa obiectio[3]. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Deus est finis, ergo non est infinitus; dicendum, quod Deus est finis *finiens*, non finis *finitus*, quia finis est non ut terminus rei intra, sed ut omnem appetitum rei beatificabilis terminans: non ergo opponitur infinitas fini *finienti*, sed solum fini *finito* ut termino intrinseco. Et ideo non procedit illa obiectio. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod finitum et infinitum sunt passiones quantitatis; dicendum, quod licet in Deo non sit quantitas *molis*, est tamen quantitas *virtutis*; haec autem quantitas *virtutis* non solum attenditur in potentia *operante extra*, sed etiam quantitas *virtutis* dicitur *excellentia valoris* sive in absolutis, sive in respectivis; unde circa omne illud potest poni, circa quod ponitur gradus excellentiae respectu alterius; tale autem est non solum divinum *posse*, verum etiam divinum *esse*. Et ideo ratio infinitatis utrique competere habet[4]. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod infinitum et immensum dicunt recessum a medio et a modo; dicendum, quod in natura limitata recessus a modo et medio defectum dicit; sed in natura, quae est supra omnem limitem coarctantem, nullum prorsus dicit defectum: quia, secundum Augustinum[5], « Deus est modus sine modo »; quod quidem dicitur, quia sua immensitas est sibi modus, quae nullius mensurae limitibus coarctatur; et hoc modo carentia modi non inducit carentiam speciei seu pulcritudinis, sed potius excellentiam utriusque. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod infinitum dicitur per oppositionem ad minimum; dicendum, quod verum est de infinito fundato super quantitatem repugnantem simplicitati, sicut est quantitas *molis*, non autem de eo quod fundatur super quantitatem *virtutis*, quia hoc summe consonat, sicut dictum est.

7. Ad illud quod obiicitur, quod nullum infinitum finit; dicendum, quod infinitum, secundum quod privat rationem *complementi*, non finit finitate complementi; infinitum, etiam secundum quod privat rationem *termini*, non finit ut *terminus intra*, finire tamen potest ut *complens et beatificans*; quia appetitus rei beatificabilis nunquam quietatur nisi in re, quae habet bonitatem immensam, ubi nihil potest appetere ultra[6]. Duplex infinitum.

8. Ad illud quod obiicitur, quod nihil est infinitum, quod est finitum summae veritati; dicendum, quod *aliquid esse finitum summae veritati* dupliciter potest intelligi: uno modo, quia summa veritas iudicat, illud esse finitum summae veritati, et hoc modo habet propositio illa veritatem; alio modo, quia non excedit summae veritatis iudicium, quod quia in se immensum est, omnem immensitatem in se comprehendere potest; et hoc modo non sequitur, quod illud quod est finitum *sibi*, sit finitum *simpliciter*, immo est ibi sophisma *secundum quid* et *simpliciter*[7]. Distinctio.

9. Ad illud quod obiicitur, quod si Deus posset unum solum, ita quod non alia, divinum *posse* diceretur finitum; dicendum, quod non est simile: quia potentia est *ad extra* et ad effectus creatos, qui Notandum.

---

[1] Vers. 23. Vulgata his *tanquam* pro *sicut*. — Seq. locus est Isai. 40, 15. et 17. In fine ultimi loci Vulgata addit *ei*. — De praesentia per *essentiam* et *potentiam* cfr. I. Sent. d. 37. p. I. a. 3. q. 2.

[2] D *secundum esse*.

[3] Cfr. I. Sent. d. 19. p. II. q. 3. ad 4.

[4] Vide I. Sent. d. 43. q. 2. ad 4.

[5] Libr. de Natura boni, c. 3: Deus itaque supra omnem creaturae modum est, supra omnem speciem, supra omnem ordinem; nec spatiis locorum supra est, sed ineffabili et singulari potentia, a quo omnis modus, omnis species, omnis ordo, ibid. c. 22: Deus autem nec *modum* habere dicendus est, ne finis eius dici putetur. Nec ideo tamen *immoderatus* est, a quo modus omnibus tribuitur rebus, ut aliquo modo esse possint. Nec rursus *moderatum* oportet dici Deum, tanquam ab aliquo modum acceperit. Si autem dicamus eum *summum modum*, forte aliquid dicimus, si tamen in eo quod dicimus *summum modum* intelligamus summum bonum. Omnis enim modus, in quantum modus est, bonus est etc. Cfr. etiam supra pag. 15, nota 3, quae fusius exponuntur IV. de Gen. ad lit. c. 3. n. 7. seq.

[6] Cfr. I. Sent. d. 43. q. 2. ad 4. Ibid. ad 3. et 2. insinuantur duae seqq. solut. — D H *ut nihil possit appetere ultra*.

[7] Vide supra Quaest. de scientia Christi, q. 4. ad 2. et I. Sent. d. 19. p. I. q. 4. ad 3. — De fallacia *secundum quid* et *simpliciter* vide tom. III. pag. 258, nota 2.

Digitized by Google

finiti sunt; unde si non posset nisi in unum solum, sequeretur, quod potentia eius non extenderetur[1] nisi ad finitum, ac per hoc, quod esset finita. Secus autem est de divino *esse*, quia illud absolutum est et quasi *ad intra;* et licet sit unum solum, illud tamen unum immensum est, tum quia illud *esse* nullam habet intra se limitationem, tum quia est fons omnis *esse*, tum quia nihil potest esse sine divino *esse*. Unde quia divina *essentia* in omnibus est, sicut divina *potentia*, et si per impossibile ponerentur infinita esse, Deus in omnibus illis esset: hinc est, quod divinum *esse* infinitatem habet in se, sicut et *posse*.

10. Ad illud quod obiicitur, quod unitas est maxime finita etc.; dicendum, quod illud habet veritatem de illa unitate, quae constitutionem rei sive numeri intrat ad modum *partis, termini* vel *complementi;* et haec est unitas aggregabilis, quae iuncta cum alia inducit numerositatem maioremve, et talis originem trahit a limitatione, quam forma attribuit ipsi materiae: et ideo ipsa est principium mensurandi in genere quantitatis discretae[2]. Sed non talis est unitas divina: quia ipsa nec constitutionem alterius partis intrare potest, cum sit perfectissima, nec alinude trahit originem, cum sit prima; ideo nec limitata est nec mensurata, sed potius immensa, quia nec *coarctans* nec *coarctata*, nec ab alio nec a se ipsa. Duplex unitas.

11. Ad illud quod obiicitur, quod magis est finitum quod est *hoc;* dicendum, quod *hoc aliquid* proprie dicitur per distinctionem ab eo quod est *quale quid*[3]; et illud est *hic et nunc*, quia contractionem habet loci et temporis. Ad individuationem enim rei existentis in genere necessario concomitantur accidentales proprietates, quarum collectionem in alio non est reperire. Non sic autem est de divino *esse;* licet enim divinum *esse* dicatur *hoc* propter summam completionem et discretionem ab omni alio *esse*, ipsum tamen non est *in genere;* ideo nec dicitur *fieri hoc* per contractionem sive per additionem vel materiae, vel proprietatis essentialis, vel accidentalis; et ideo sic est *hoc*, quod non contrahitur ad *hic et nunc*, sed est *semper et ubique* multo excellentius quam aliquod universale, quod ab *esse* particulari dependet et ratione illius aliquam admittit contractionem. Et ideo, licet *esse* universale sit infinitum, tamen nihil impedit, quin divinum *esse* sit infinitum. Quid sit hoc aliquid. Quo sensu de Deo dicatur.

12. Ad illud quod obiicitur, quod omne, quod est separatum ab aliquo secundum locum, est finitum; dicendum, quod non est simile: quia quod separatur ab aliquo secundum *locum*, sic separatur ab eo, quod non est in illo, et ideo hoc ipso contractum et limitatum et finitum est; quod autem separatur secundum *differentiam essentialem* ab aliquo, nihilominus potest esse in illo; sicut Deus essentialiter distinguitur a creatura, nihilominus tamen in omni creatura est potentialiter, praesentialiter et essentialiter; et ideo ex tali modo separationis formarum non potest inferri finitas et limitatio, sicut ex modo separationis secundum situm[4]. Duplex separatio.

13. Ad illud quod obiicitur, quod in divinis abstracta dicuntur concrete, et e converso; dicendum, quod abstractum eius quod est finitum, quod dicitur concrete, est *finitus*, non *finis;* nam *concretum* sumptum a fine non dicitur *finitum*, sed *finiens*, sicut *finitum* dicitur a finitate; et ideo ratio illa non valet. Notandum.

14. Ad illud quod obiicitur, quod omne comprehensibile finitum; dicendum, quod divinum *esse* non est comprehensibile virtuti finitae, licet sit simplex[5], pro eo quod simplicitas et immensitas radicantur super idem in eo quod habet infinitatem secundum *quantitatem virtualem*, sicut prius ostensum est; et ideo, sicut non potest cognosci secundum partem et partem, quia est summe simplex, sic nec potest totaliter comprehendi propter summam immensitatem. Notanda ratio.

15. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod aut aliquid Dei est finitum, aut nihil; dicendum, quod quidquid est Dei tanquam in Deo existens — cum sit ipse Deus, non pars Dei — necessario tenet rationem infiniti; quia tamen « omne, quod recipitur in aliquo, non recipitur per modum recepti, sed per modum recipientis[6] », et virtus creati intellectus finita

---

[1] Ita A G, alii *exrederetur*.

[2] Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto:* Est autem [quantum] *discretum* quidem, ut numerus et oratio; *continuum* vero, ut linea... Partium etenim numeri nullus est communis terminus, ad quem copulantur partes eius; ut quinque, si sunt denarii partes, ad nullum terminum communem copulantur quinque, sed semper diarreta sunt... Linea vero continua est; est enim sumere communem terminum punctum, ad quem partes eius copulentur etc. Cfr. I. Sent. d. 19. p. II. q. 4.

[3] Aristot., de Praedicam. c. *de Substantia:* In primis igitur substantiis [i. e. singularibus] indubitabile et verum est, quod *hoc aliquid* significant; individuum enim et unum numero est quod significatur. In secundis vero substantiis [i. e. speciebus vel generibus] videtur quidem similiter propter appellationis figuram *hoc aliquid* significare, quande quis dixerit hominem vel animal; non tamen verum est, sed magis *quale aliquid* significant... non autem simpliciter *quale quid*... quemadmodum album... *qualem* enim quandam *substantiam* significant. — Subinde respiciuntur proprietates singularis sive individui per oppositionem ad *universale*, de quo Aristot., I. Poster. c. 24. (c. 31.) ait: Neque enim *hoc aliquid* est neque *nunc* neque *ubi;* neque enim utique esset universale; quod enim semper est et ubique universale dicimus esse. Cfr. Boeth., de Trin. c. 1. — Definitionem individui a Porphyrio datam vide supra pag. 75, nota 8. — Quod Deus non sit in determinato *genere*, ostensum est I. Sent. d. 8. p. II. q. 4. — Inferius cum E posuimus *concomitantur*, alii *communicantur* A *comitantur*. Deinde pro *sive per* A B *nec per*.

[4] Cfr. I. Sent. d. 37. p. II. a. 1. q. 1.

[5] Vide supra Quaest. de scientia Christi, q. 8.

[6] Cfr. Lib. de Causis, propos. 10. 20. 24, et supra pag. 41, nota 2.

Digitized by Google

est: hoc est, quod cognoscit ipsum finite, et ex hoc ipso in ipso beatificari habet. Nec tamen iste intellectus falsus est, quia modum finitatis ponit *circa se cognoscentem* et circa suam cognitionem, non autem circa *Deum cognitum*, cum ipsum intelligat infinitum, licet minime comprehendere valeat infinitatem ipsius, sicut in quaestione de comprehensione animae Christi[1] plenius fuit ostensum.

ARTICULUS II.

Utrum possint stare simul trinitas et infinitas.

Deinde quaeritur, utrum possint simul stare trinitas et infinitas sive immensitas[2]. Et quod sint incompossibiles, videtur sic.

Ad oppositum.

1. Quia creatura est finita, quidquid est in ea est finitum: ergo cum divinum *esse* sit immensum, quidquid est in eo est actu infinitum; sed in divinis est numerus sive pluralitas personarum: ergo necesse est, quod se protendat ad infinitatem: non ergo stat in trinitate.

2. Item, cum sit duplex infinitas, scilicet *virtualis* et *numeralis*[3], impossibile est, divinum *esse* carere infinitate *virtutis*: ergo pari ratione, si in Deo ponimus veram pluralitatem, sicut et veram virtutem; ergo necesse est, ipsam habere infinitatem.

3. Item, virtus omnino infinita, cum emanat secundum omnem modum suae potestatis et infinitatis, emanat infinite per omnem modum[4]; sed divina virtus est sic infinita et secundum omnem modum suae infinitatis emanat in productione personarum: ergo idem quod prius.

4. Item, persona producens ultra aut *potest* plures producere, aut *non potest*. Si *non potest*: ergo producendo amittit *posse*; si vero *potest*: ergo aut non est summae liberalitatis, aut necesse est producere ita, quod non sit stare.

5. Item, si lux solis esset immensa, generaret ex se infinitos splendores: ergo cum lux aeterna sit immensa, et splendor ex ipsa procedens sit vera persona[5]; necesse est, ibi esse personarum infinitatem: ergo non stant simul trinitas et infinitas.

6. Item, aut productio personarum *attestatur virtuti*, aut *non*. Si *non*: ergo non debet poni in summe virtuoso; si *sic*: ergo maior pluralitas maiori virtuti, et maxima maximae, et infinita infinitae: non ergo stat trinitas cum infinitate.

7. Item, si divina virtus esset in sua omnimoda actualitate respectu productionis creaturarum, necesse esset, ipsam producere infinitas creaturas: ergo cum sic sit respectu personarum, necesse est, si est infinita, quod producat infinitas personas.

8. Item, quia divinus intellectus est infinitus, necesse est, ipsum intelligere infinita: ergo cum divinum *dicere* sit infinitum, necesse est, quod dicat infinita; sed quot sunt dicta, tot sunt verba; quot verba, tot personae: ergo infinitae.

9. Item, ad hoc quod intellectus sit perfectus, non sufficit, quod intelligat se, sed etiam, quod intelligat se intelligere: ergo ad hoc, quod intellectus sit infinitae completionis; necesse est, quod super se reflectatur infinitis reflexionibus; sed intelligendo se generat verbum: ergo secunda reflexione secundum verbum, et sic in infinitum: ergo si est ponere in Deo infinitatem, non ergo trinitatem.

10. Item, aut Deus *potest* plures tribus personis intelligere, aut *non potest*. Si *non potest*: ergo intellectus eius finitus est et limitatus; si *potest* plures intelligere; sed nihil intelligitur, quod non sit aliquo modo vel in se vel in suo principio proximo vel remoto: ergo necesse est, aut divinum *intelligere* limitatum esse, aut plures tribus personis ponere circa divinum *esse*, vel actualiter, vel potentialiter.

Fundamenta.

Contra: 1. Summa immensitas non tollit summam perfectionem virtutis producentis, nec per modum naturae, nec per modum voluntatis seu liberalitatis[6], igitur nec summam perfectionem productionis; sed perfectio productionis necessario requirit statum sicut a parte principii, ita a parte terminii; sed non esset status, si procederet in infinitum: ergo summa infinitas *esse* divini non ponit infinitatem in personis.

2. Item, infinitas in Deo non tollit perfectionem ordinis — non enim sequitur, quodsi Deus est infinitus, quod propter hoc sit inordinatus — sed ordo perfectionis necessario ponit primum, medium et ultimum[7]; ubi autem haec sunt, non est innumerabilitas, sed tantum trinitas: ergo etc.

3. Item, infinitas in Deo non tollit perfectionem connexionis, hoc enim facit ad summam dilectionem; sed connexio perfecta non potest esse, nisi una persona immediate procedat ab alia, alioquin non est

---

[1] Quaest. de scientia Christi, q. 6.

[2] De hac quaest. cfr. I. Sent. d. 2. q. 3. et 4.

[3] Vide supra pag. 35, nota 2.

[4] In I. Sent. d. 2. q. 3. arg. 3. ad oppos. dicitur: non tantum producit infinitum *intensive*, sed etiam *extensive*. — Pro *potestatis* G *possibilitatis*, omisso *et infinitatis*.

[5] Hebr. 1, 3: [Qui Filius] cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius etc.

[6] De hoc duplici *modo* productionis cfr. tom. I. pag. 56, nota 6, et de *statu* in productione vide supra pag. 12, nota 9.

[7] Cfr. supra Quaest. de scientia Christi, q. 1. ad 6. — De ratione addita *maiori* vide supra pag. 82, nota 5.

Digitized by Google

germanitas summa; sed haec non procedit ultra ternarium [1]: ergo etc.

4. Item, immensitas in Deo non tollit perfectionem beatitudinis; sed cuiuslibet personae cognitio est de essentia beatitudinis [2]: ergo si creatura non potest simul et semel cognoscere personas infinitas, impossibile est, aliquam animam inquam in Deo esse beatam: si ergo stat immensitas cum beatitudinis perfectione, stat cum personarum pluralitate. Sed nulla pluralitas magis competit animae beatificabili quam trinitas: ergo etc.

5. Item, infinitas divini *esse* non excludit unitatem essentiae; est enim Deus unus et immensus: si ergo magis recedit ab immensitate unitas quam pluralitas quantumcumque parva; si immensitas potest stare cum unitate, multo magis potest stare cum trinitate.

6. Item, immensitas [3] divini *esse* non excludit simplicitatem naturae: si ergo plus repugnat immensitati omnimoda simplicitas quam quantulacumque pluralitas; si infinitas stat cum simplicitate, multo fortius stabit cum trinitate.

7. Item, infinitas divini *esse* non excludit proprietatem personae, ergo nec veram distinctionem earundem: ergo non ponit confusionem; sed ubi numerositas infinita, ibi confusio; ubi confusio, ibi indistinctio: quodsi hoc non est ponere in *esse* divino, stat ergo personarum pluralitas in numero finito: ergo trinitati infinitas non repugnat in Deo.

8. Item, infinitas divini *esse* non *excludit* causalitatem secundum triplex genus causae, scilicet efficientis, formalis et finalis; nec *ponit* plures modos causalitatis in Deo infinitas, quae est in ipso: ergo si potest stare cum triplici genere causae, potest etiam pariter stare cum trinitate personae, maxime cum sit correspondentia horum ad invicem secundum appropriationem potentiae, sapientiae et bonitatis, quae respondent tribus personis et triplici modo causandi [4].

9. Item, infinitas divini *esse* non excludit conformitatem Creatoris et creaturae secundum duplicem repraesentationem, scilicet vestigii et imaginis: si ergo in imagine fit repraesentatio distinctionis et originis divinarum personarum, secundum correspondentiam personarum; si in Trinitate essent infinitae personae, deberent in imagine esse infinitae; quodsi hoc est impossibile, restat, quod trinitas personarum non repugnat immensitati divinae [5].

10. Item, immensitas divini *esse* non excludit habitationem Dei in mente per Spiritus sancti donationem [6]; sed si infinitae essent personae producentes et productae; cum quaelibet persona producens mittat et donet productam, tunc ergo in unius animae gratificatione necesse esset, quod incederent infinitae personae inter animam gratificatam et personam primo mittentem seu gratificantem. Si ergo non contingit infinita pertransire, impossibile esset, quod anima per gratificationem in primum principium rediret, si esset infinitas personarum: cum ergo immensitas Dei stet cum inhabitatione gratiae, in qua Filius, qui est imago Patris, per Spiritus sancti donum et nexum nos reducit ad Patrem; stat igitur ipsa immensitas circa *esse* divinum cum trinitate personarum.

CONCLUSIO.

In Deo simul stat summa infinitas cum personarum trinitate.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio simul stant in Deo summa infinitas et personarum pluralitas; et hoc patet sic. Conclusio.

Infinitas ponitur in Deo non per *defectum*, sed per *excessum*, excessum, inquam, non *superfluitatis*, sed *perfectionis* et nobilitatis [7]. Quia igitur infinitas in Deo non ponit superfluitatem vel diminutionem, sed summam perfectionem; ideo in emanatione divinarum personarum est ponere immensitatem quantum ad *producentem* et *productum* et *producendi modum*, non autem infinitatem quantum ad *numerum*. Si enim infinitae secundum *numerum* essent personae in divinis, haec infinitas necessario induceret *defectum*, aut *superfluitatem*. Cum enim sint duo modi nobiles emanandi, per modum *naturae* et per modum *liberalitatis* [8]; aut duae personae his modis emanantes non perfecte caperent totam producentis virtutis immensitatem, et ita essent *imperfectae*; aut si caperent, aliae *superabundarent*. Quodsi in divino *esse*, eo ipso quod immensum est, impossibile est, aliquid esse superfluum aut diminutum: necesse est ponere Deum trinum et immensum. Ratio 1. Triplex immensitas. Deo modi emanandi.

Rursus, quia infinitas divini *esse* ponit immensitatem ex parte *producentis* et *producti* et *modi producendi*; sicut divinum *esse*, quia immensum, non potest esse geminatum, sed unum solum, ita necesse est, in divinis unam solam esse paternitatem, unam solam filiationem, unam solam processionem, et ita unum solum Patrem, unum solum Filium, unum solum Spiritum sanctum; ac per hoc necesse Ratio 2.

---

[1] Secundum Richard. a S. Vict., IV. de Trin. c. 2. seqq.

[2] Cum tota bonitas, ut dicit S. Bonav., I. Sent. d. 2. q. 3. fundam. 4, quae est substantiale praemium, sit in qualibet personarum. — Ibid. q. 4. fundam. 1. et in corp. ostenditur, quod ad *beatitudinem* divinam tres personae requiruntur, et quod secundum trinitatem imaginis [animae] summa attenditur creaturae perfectio, scilicet beatitudo. Cfr. infra fundam. 9.

[3] D G H *infinitas*.

[4] De quo vide I. Sent. d. 3. p. I. dub. 3. seq. et d. 34. q. 3.

[5] D *restat, quod infinitas personarum repugnat immensitati divinae*.

[6] Cfr. I. Sent. d. 14. a. 2. q. 4. — Quod infinitum sit impertransibile, iam occurrit supra pag. 4, nota 2. et pag. 5, nota 7. — Inferius pro *incederent* G *interciderent*.

[7] Vide quaest. praeced.

[8] Cfr. tom. I. pag. 56, nota 6.

est ponere Deum immensum et trinum. Sicut autem, si plures essent dii, neuter haberet in se totius immensitatem divinitatis, immo partem omnipotentiae et nobilitatis; ita si plures patres, neuter haberet immensitatem paternitatis; si plures filii, nullus immensitatem filiationis, sed secundum partem. Si enim quilibet haberet totam paternitatis plenitudinem et immensitatem, non posset esse in eis nisi una paternitas, sicut in pluribus personis non potest esse nisi una deitas. Restat igitur, quodsi in divino *esse* vera est infinitas et vera pluralitas, ut pluralitas per infinitatem protendi non valeat ultra trinitatem, secundum quod asserit pia fides.

Postremo, quia illa infinitas dicit completionem omnimodam, hinc est, quod non excludit perfectionem virtutis, ordinis, connexionis, beatitudinis, repraesentationis et inhabitationis. Et quoniam haec omnia trinitatem necessario dant intelligi in tribus personis, sicut patet ex prius obiectis [1]; manifestum est, quod summa immensitas in nullo repugnat, sed consonat cum trinitate aeterna. — Et ideo concedendae sunt rationes ad partem istam. Ratio 3.

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod sicut in creatura, quia finita, quidquid est ibi est finitum, ita debet esse in Deo, quod quidquid est in ipso ratione infinitatis debet esse infinitum; dicendum, quod, sicut iam tactum est, divino *esse* competit infinitas *virtutis* et *dignitatis*, non *molis* seu *numerositatis*; et talis infinitas reperitur tam in essentia quam in personis, sive producentibus, sive productis, sive in se ipsis, sive in emanationibus suis; quod totum reperitur perfecte et integre in tribus personis: et ideo non oportet, eas ad infinitatem numerositatis protendi ratione infinitatis *esse* divini [2]. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Deus non potest carere infinitate virtutis etc.; dicendum, quod non est simile de hac infinitate et de illa: quia, cum magnitudo *virtutis* dicat potius accessum ad simplicitatem quam recessum, multitudo vero *numerositatis* dicat recessum ab uno et simplici; et Deus et divinum *esse* sic sit immensum, quod simul cum hoc est simplex et summe unum: hinc est, quod competit sibi infinitas *virtutis*, non autem *numerositatis* [3] personalis. Differt duplex infinitas.

3. Ad illud quod obiicitur, quod virtus omnino infinita, cum secundum omnem modum potestatis emanat infinite, per omnem modum se diffundit; dicendum, quod cum simul maneat in Deo perfectio cum infinitate, illud veritatem habet de omni modo emanationis et diffusionis, qui competit perfectioni summae; hoc autem est secundum duplicem modum producendi perfectum, scilicet naturae et liberalitatis, quorum utrumque necesse est esse unicum in se ipso, non geminatum nec bis nec ter, nedum procedat in infinitum, quia [4] hoc induceret superabundantiam et defectum, sicut in praecedentibus fuit ostensum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod persona producens duas, aut potest plures producere, aut non; dicendum, quod *non posse ultra illas duas producere* non dicit potentiae defectum, sed potius complementum: quia in illis duabus productionibus virtus productiva perfectissime et infinitissime se manifestat tum quantum ad immensitatem personarum productarum, tum quantum ad actualitatem ipsarum productionum; quia eodem modo et non aliter virtus generativa et spirativa in Patre actualitatem habet in generando et spirando, per quem modum habuit ab aeterno. Sicut enim splendor continue manat a sole, sic Filius, qui est *splendor Patris* [5], immo multo excellentius continue manat a Patre. Notandum.

5. 6. Ad illud quod obiicitur, quod si lux solis esset immensa, generaret ex se infinitos splendores; dicendum, quod non est simile: quia splendor manans a sole nec est omnino perfectus nec aequatur suae origini; et ideo non capit intra se ex unica productione totam virtutem et claritatem lucis irradiativae, immo secundum gradus approximationis et elongationis secundum plus et minus sapit et capit de plenitudine lucis fontalis. Secus autem est in Filio, qui est verbum Patris et splendor perfectissimus, per omnia Patri aequalis, accipiens a Patre totum, quod Pater habet intra se: et ideo, sicut infinitas lucis aeternae non tollit adaequationem cum splendore aeterno ab ipsa emanante, sic non introducit infinitam splendorum multiplirationem, cum unicus splendor totam illam immensitatem capiat intra se [6]. Notandum.

7. Ad illud quod obiicitur, quodsi divina virtus esset in omnimoda sua actualitate respectu creaturarum, quod produceret infinitas etc.; dicendum, quod non est simile, duplici ratione: tum quia creatura finita est, et ideo nulla ex aequo respondet virtuti producenti; tum quia creatura essentialiter distinguitur a producente, et etiam ab aliis creaturis secundum distinctionem in suis principiis intrinsecis et accidentibus coaffixis; non sic autem est in divinis personis, tum quia producta est infinita, sicut producens, tum quia non distinguuntur essentia, sed origine [7]: et ideo, cum duae tantum sint origines distinctae et distinctivae, duae tantum sunt et intelligi possunt personae emanantes, in quibus sufficientissime relucet immensitas virtutis fontalis productivae. Ratio duplex.

---

[1] Scilicet in fundamentis.

[2] Cfr. quaest. praeced. et I. Sent. d. 2. q. 3. ad 1, ubi etiam (in corp. et ad 3. 4.) tres seqq. solutiones insinuantur.

[3] Ita A B, alii *numerositas*.

[4] A B omittunt *quia*.

[5] Cfr. supra pag. 84, nota 5. — De ipsa solut. vide I. Sent. d. 7. q. 2. et d. 9. q. 4.

[6] Cfr. I. Sent. d. 7. q. 2. ad 4.

[7] Ut dictum est supra pag. 75, nota 7. ex Richardo a S. Vict.

Digitized by Google

8. Ad illud quod obiicitur, quod divinus intellectus intelligit infinita, cum sit infinitus; dicendum, quod licet Deus infinita intelligat, se ipso uno omnia comprehendit, quia intelligendo se intelligit omnia; sic etiam, licet dicat multa, uno tamen Verbo omnia dicit. Nam eodem Verbo, quo Pater dicit se, dicit quaecumque dicit [1]; nam Pater se ipsum intelligendo intellectu completissimo et unico, in quo intellectus adaequatur intelligenti, et e converso, Verbum generat, quod est Patris similitudo per omnia aequalis cum ipso. Unde sicut Pater intelligendo se intelligit quidquid potest intelligere; sic dicendo Verbum dicit quidquid potest dicere et quidquid dici potest in deitate. Unde nec ipse aliud verbum dicere potest, nec aliqua persona in Trinitate, pro eo quod illo dicitur quidquid dici potest. — Et *si tu obiicias*, quod sicut Deus habet infinitas rationes respectu intelligibilium, quod similiter infinita debet habere verba; dicendum, quod non est simile: quia *ratio* et *idea* dicunt respectum et similitudinem intelligibilium creandorum et producendorum seu possibilium produci, quae multiformiter et innumerabiliter sunt possibilia multiplicari; *verbum* autem dicit respectum ad dicentem et ad primum intellectum et summum principium, cuius est hypostatica similitudo: et ideo nullo modo, nec re nec intellectu, competit ei multitudo, sicut nec primo principio primo et principaliter a se ipso intellecto [2].

Notandum.

Differunt idea et verbum.

9. Ad illud quod obiicitur, quod intellectus infinitae completionis reflectitur supra se infinitis reflexionibus etc.; dicendum, quod in divino intellectu idem est *intelligere* et *intelligere se intelligere*, etsi millies et infinities iteraretur *intelligere*, pro eo quod in Deo idem est intelligens et intellectum et actus intelligendi; et ideo primus ipse actus, quo se Deus Pater intelligit, est actualissimus et completissimus, sicut et Verbum illi correspondens: et ideo non est necesse ex hoc introducere in divinis verborum pluralitatem. Secus autem est in intellectu creato, cuius actus et operatio differt ab intelligente et intellecto, et ideo multiplicari potest et iterari et numerari magis et magis ex frequenti conversione intellectus super se ipsum *intelligentem* et super suum *intelligere* nec non et super alia a se.

Intellectus divinus uno actu intelligit.

Alter intellectus creatus.

10. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod aut Deus potest plures personas intelligere, aut non; dicendum, quod *non posse plures personas intelligere*, hoc potest intelligi dupliciter: aut propter intellectus *limitationem in actu intelligendi*, aut propter *rectitudinem iudicii* et impossibilitatem declinandi a via [3] veritatis. Primo modo non competit intellectui divino, cum sit immensus, sed secundo modo competit. Unde quod plures personas intelligere non possit, hoc est, quia talis intellectus, licet videatur in intelligendo potens, secundum rem tamen hoc intelligendo declinat a veritate et incidit in errorem. Unde sicut immensitas *veritatis* est omnino impermixta falsitati, sic et immensitas *lucis* intelligentis reddit intellectum divinum ab omni errore penitus alienum; propter quod nec aliquid maius se nec alium Deum nec pluralitatem personarum ultra numerum trinum capit divinus intellectus, non quia limitatus, sed quia perfectissime infinitus. — Et ex his patet solutio ad totum.

Dupliciter intelligitur.

Notandum.

QUAESTIO V.

Utrum personarum trinitas simul stet cum summa aeternitate.

Consequenter quaeritur, utrum personarum trinitas stet cum summa aeternitate. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primum est, utrum divinum *esse* sit aeternum.

Secundum est, utrum simul stent trinitas et aeternitas.

ARTICULUS I.

Utrum divinum esse sit aeternum.

Circa primum sic proceditur. Et quod divinum *esse* sit aeternum:

1. Convincit *Scripturae auctoritas*, Exodi decimo quinto [4]: *Dominus regnabit in aeternum et ultra;* et ad Romanos primo: *Sempiterna quoque virtus eius et divinitas.*

Fundamenta.

2. Convincit etiam hoc *fidei veritas*: « Aeternus, inquit, Pater, in Symbolo Athanasiano, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus ».

3. Item, hoc ipsum concludit *rationis necessitas*. Arguit enim Richardus [5] sic: Omne, quod est *a se ipso*, est aeternum; sed divinum *esse*, cum sit

[1] August., XI. Confess. c. 7. n. 9: Verbo Tibi coaeterno simul et sempiterne dicis omnia quae dicis etc. — Paulo inferius pro *intellectus adaequatur* B *intellectum adaequatur* (cfr. tom. I. pag. 707, nota 5.).

[2] Vide supra Quaest. de scientia Christi, q. 3. ad 19.

[3] B E *regula*.

[4] Vers. 18. — Seq. locus est Rom. 1, 20.

[5] Libr. I. de Trin. c. 6. 8. et 11.

Digitized by Google

primum, est a se ipso: ergo etc. *Maior* manifesta est; quia, si non esset aeternum, aliquando non fuisset, et tunc nec sibi nec aliis aliquando *esse* dedisset, ac per hoc nunquam esset. *Minor* vero patens est per se ipsam.

4. Item, omne illud, quod est *suum esse*, est aeternum; *esse* enim non potest non esse, ergo nec incipere nec desinere, igitur caret principio et fine: si ergo Deus, cum sit simplicissimum, est suum *esse*, immo simpliciter est *esse*[1]; ergo est omnino aeternum.

5. Item, omne illud, quod est ipsa *veritas*, est aeternum; sed divinum *esse* est ipsa veritas: ergo etc. *Minor* patet; *maiorem* probat Augustinus in Soliloquiis[2]: Veritas enim nec cogitari nec enuntiari potest non esse; immo sequitur, si nulla veritas est, aliquam veritatem esse, quia, si nulla veritas est, verum est, nullam veritatem esse, vel non esse: ergo *esse* non potest aliquatenus removeri a veritate: ergo semper fuit, est et erit.

6. Item, omne illud, in quo est summa *infinitas*, est aeternum; nam si coepisset, esset durationis finitae; sed divinum *esse* est infinitum[3]: ergo necesse est, ipsum esse aeternum, alioquin, si caret aeternitate, caret et immensitate.

7. Item, omne illud, in quo est summa *immortalitas*, est aeternum; « quod enim a versione incipit in versionem tendit[4] »; sed in divino *esse* est summa immortalitas, cum sit ipsa vita per essentiam sive ipsum *vivere:* ergo necesse est, divinum *esse* habere aeternitatem.

8. Item, omne illud, in quo est summa *felicitas*, est aeternum; sed divinum *esse* est huiusmodi, cum sit perfectissimum: ergo etc. *Maior* probatur, quia maior est felicitas, quae caret principio et fine, quam quae sumsit exordium aliunde: si ergo divinum *esse* est felicissimum, sequitur necessario, quod sit aeternum. Et *iterum*, omnis felicitas dicit absentiam *finis*[5]: ergo perfectissima dicit carentiam omnis *principii*.

9. Item, omne illud, in quo est summa *simplicitas*, est aeternum; divinum *esse* est huiusmodi: ergo etc. *Minor* est manifesta; *maior* probatur: quia in quocumque est summa simplicitas, non differt primum, medium et ultimum, et nihil tale habet praeteritum et futurum, sed tantum praesens mansivum; sed omne tale aeternum[6]: ergo etc.

10. Item, cum ens dividatur in *aeternum* et *aeviternum* et *temporale*, nobilius est *aeviternum* quam temporale, et *aeternum* nobilius utroque[7]; sed semper quod nobilius est attribuendum est enti nobilissimo: ergo summa aeternitas est attribuenda Deo.

11. Item, omne fluens reducitur ad permanens: ergo duratio fluens reducitur ad durationem permanentem, igitur praesens transiens in praeteritum reducitur ad praesens semper manens; sed tale praesens non est in re defectiva: ergo necesse est, quod sit in creatrice essentia; necesse est igitur, *esse* divinum esse aeternum[8].

12. Item, verum de futuro fuit verum sine initio, verum de praeterito est verum sine termino; sed futurum et praeteritum necessario reducuntur ad praesens: ergo necesse est ponere verum semper praesens sine fine et sine principio. Hoc autem est aeternum nec potest poni in alio quam circa primum principium: ergo necessario divinum *esse* est aeternum[9].

Contra: 1. Aeternitas est mensura[10]; sed nihil immensum habet mensuram; si enim habet mensuram, non est immensum: ergo etc. Ad oppositum.

2. Item, mensura aequatur mensurato; sed nihil potest aequari *esse* divino: ergo non est in Deo aeternitatis duratio.

3. Item, aeternitas est carentia finis et principii[11]; sed nihil caret eo quod est: si ergo Deus est principium et finis omnium, ergo divinum *esse* non habet carentiam horum: igitur non potest esse aeternum.

4. Item, carentia complementi sonat in defectum; principium et finis dicunt completionem: ergo in Deo

---

[1] Boeth., in lib. Quomodo substantiae in eo, quod sint, bonae sint etc. ait: Ipsum vero *esse* nihil aliud praeter se habet admixtum... Omne simplex *esse* suum et *id quod est* unum habet.

[2] Vide supra pag. 47, nota 11, et Richard. a S. Vict. II. de Trin. c. 2.

[3] Ut ostensum est supra q. 4. a. 1. — Inferius pro *immensitate* A E *infinitate*. In B G desideratur hoc arg., B omittit etiam seq. arg.

[4] Damasc., I. de Fide orthod. c. 3. et II. c. 27. — Aristot., XII. Metaph. text. 39. (XI. c. 7.): Dicimus itaque Deum sempiternum optimumque vivens esse. Quare vita et aevum continuum et aeternum Deo inest; hoc enim est Deus.

[5] Cfr. August., de Beata Vita, c. 2. n. 11, ubi ostendit, beatum non esse qui timet, ne amittat quod possidet. XI. de Civ. Dei, c. 11, de vita beata dicit, « quae procul dubio non nisi aeterna est aeternitatisque suae certa atque securo ». Cfr. ibid. XIV. c. 25.

[6] August., 83 Qq. q. 19: In aeterno enim, cum proprie dicitur, neque quidquam praeterium, quasi transierit, neque quidquam futurum, quasi nondum sit, sed quidquid est tantummodo est. Cfr. ibid. q. 17.

[7] Vide II. Sent. d. 2. p. I. a. 4. q. I.

[8] Cfr. Lib. de Causis, propos. ult.

[9] Anselm., Monolog. c. 18: Deinde cogitet qui potest, quando incepit, aut quando non fuit hoc verum, scilicet quia futurum erat aliquid; aut quando desinet et non erit hoc verum, scilicet quia praeteritum erit aliquid. Quodsi neutrum horum cogitari potest, et utrumque hoc verum sine veritate esse non potest, impossibile est vel cogitare, quod veritas principium vel finem habeat.

[10] Scilicet mensura durationis *esse* increati. Cfr. II. Sent. d. 2. p. I. a. 1. q. 4.

[11] Cfr. supra pag. 79, nota 9. — Aristot., de Mundo, in fine, ait: Enimvero Deus, ut est vetusto proverbio proditum, principium et finem et media omnium rerum tenens etc.

Digitized by Google

non est ponere horum privationem; sed aeternitas dicit horum privationem: ergo non debet poni circa divinum *esse*.

5. Item, aeternitas est carentia praeteriti et futuri; sed Deus vere fuit et est et erit: ergo divinum *esse* non habet rationem aeterni.

6. Item, sit *A* tempus praeteritum, *B* futurum; verum est dicere, quod Deus fuit in *A* et erit in *B*, et falsum e converso: ergo *A* vere praeteriit apud Deum, et *B* vere est futurum: ergo divinum *esse* habet praeteritum et futurum: ergo non est aeternum.

7. Item, ubi est aeternitas, ibi est interminabilitas, quia secundum Boethium[1] « aeternitas est interminabilis vitae possessio »; ubi interminabilitas, ibi circularitas; sed circulare est posterius recto, nihil autem nisi simpliciter primum est attribuendum *esse* divino: ergo nec aeternitatis duratio.

8. Item, secundum rationem intelligendi et ordinem naturae circumferentia est posterior centro; sed quod est circumferentia ad centrum, hoc est aeternitas ad tempus: ergo multo fortius tempus attribuendum est Deo quam aeternitas: ergo si inconveniens est Deo attribuere temporalitatem, ergo et aeternitatem.

9. Item, ubi aeternitas, et totalitas; quod patet per rationem Boethii[2]: « Aeternitas est interminabilis vitae possessio tota simul »; ubi autem totalitas, ibi partibilitas et divisibilitas; sed in Deo hoc non potest esse, cum sit summa simplicitas: ergo etc.

10. Item, nusquam est reperire continuitatem extensionis sine partibilitate: ergo nusquam continuationem durationis contingit reperire sine vera totalitate, ergo et divisibilitate; unde ens impartibile non habet rationem durationis nec dicitur totum simul: ergo etc.

11. Item, ubi aeternitas, ibi simultas, per definitionem[3]; sed ubi simultas, ibi distinctio, quia simultas dicit relationem, et relatio dicit distinctionem; sed divinum *esse* est omnino indistinctum: non ergo est aeternum.

12. Item, si in divino *esse* est omnimoda simultas, ergo simul sunt esse, fuisse et fore; sed in his quae simul sunt quod comitatur unum illorum, et alterum: si ergo aeviternum semper comitatur divinum *fore*, ergo pari ratione et suum *fuisse*: ergo sicut caret fine, ita et principio. Sed hoc est impossibile: ergo impossibile est in Deo ponere perfectam aeternitatis durationem: non est igitur ponere, quod divinum *esse* sit aeternum.

13. Item, aut aeternitas *addit aliquid* supra *nunc* aeternitatis, aut *nihil*. Si *nihil*: ergo quod coëxistit cum *nunc*[4] aeternitatis est aeternum; sed *nunc* temporis coëxistit cum *nunc* aeternitatis: ergo coëxistit cum toto aeternitate, ergo est aeternum. Si *aliquid*: ergo aeternitas est composita: ergo non competit Deo.

14. Item, licet punctus sit principium et medium et terminus extensionis, tamen impossibile est, intra punctum intelligi extensionem: ergo pari ratione nec intra *nunc* durationem[5]: ergo si aeternitas dicit durationem, dicit aliquid extra *nunc* aeternitatis: ergo repugnat summae simplicitati: ergo impossibile est, quod sit circa Dei *esse* simplicissimum.

15. Item, eadem mensura mensuratur divinum *esse* et divinum *posse*, *scire* et *velle* seu *praescire*; sed divinum *praescire* non mensuratur aeternitate, cum Deus desinat praescire aliqua: ergo nec divinum *esse* est per aeternitatem mensurabile.

16. Item, eadem mensura mensuratur divinum *esse* et *operari*, quia idem est in Deo substantia, virtus et operatio[6]: si ergo divinum *esse* mensuratur aeternitate, ergo et divinum *creare*: ergo Deus ab aeterno et aeternaliter creat, ac per hoc creatura aeternaliter creatur; sed hoc est falsum: ergo et illud, ex quo sequitur.

17. Item, omnis veritas mensuratur tempore, vel aevo, vel aeternitate[7]; sed mundum esse creandum, fuit verum in Deo ante mundi constitutionem; aut ergo mensuratur *aeternitate*, aut *tempore*; non *tempore*, quia tempus tunc non erat: ergo *aeternitate*. Sed hoc verum desit esse verum: ergo videtur, quod aeternitas habeat terminum; sed divinum *esse* est interminatum: ergo non potest poni aeternitas circa *esse* divinum.

CONCLUSIO.

Divinum esse est aeternum, quia est simplex simul et infinitum.

Respondeo: Dicendum, quod divinum *esse* est aeternum, eo ipso quod *simplex* et *infinitum*. — Quia enim *infinitum* est, ideo caret principio et fine; nam si alterum horum haberet, utique ex illa parte haberet terminationem et limitationem, et ita non esset immensitatis summae. Quia vero *simplex* est, caret priori et posteriori, quae necessario inducunt diversitatem et aliquam compositionem. Summa igitur *simplicitas* ponit omnimodam *simultatem*; summa vero *immensitas* omnimodam *interminabilitatem*; quae duo simul iuncta constituunt *aeternitatem*. Ni- Conclusio. Ratio.

[1] Libr. V. de Consolat. prosa 6. — Aristot., VIII. Phys. text. 64. seqq. (c. 8.); I. de Caelo et mundo, tex. 3. seqq. (c. 2.), probat, solum motum circularem esse posse infinitum et continuum.

[2] Libr. V. de Consolat. prosa 6.

[3] A Boethio supra in arg. 9. datum. — De *simultate* cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Simul*.

[4] G *cum toto nunc*.

[5] Aristot., IV. Phys. text. 103. seqq. (c. 11.), et VI. text. 21. seqq. (c. 3.), ostendit indivisibilitatem *instantis*.

[6] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 2. in corp.

[7] Vide II. Sent. d. II. p. 1. a. 4. q. 1. — Dictio *ante mundi constitutionem* occurrit Ioan. 17, 24; Eph. 1, 4. et I. Petr. 1, 20.

Digitized by Google

Quid aeternitas. hil enim aliud est *aeternitas* nisi « vitae possessio interminabilis et tota simul »; et quia in nullo alio est simul haec duo reperire, scilicet immensitatem

Corollarium 1. et simplicitatem, nisi in solo Deo: ideo aeternitatis conditio non potest communicari alicui alii a Deo. — *Rursus*, quia haec duo sunt supra nostram imagi-

Corollarium 2. nationem et aestimationem; ideo aeternitatis duratio a nullo sane potest intelligi, nisi omni imaginatione postposita. Haec igitur duo simul iungantur, ut intelligatur divini *esse* duratio infinitissima et simplicissima, ac per hoc permanentia vera, carens *inchoatione* et *interpolatione* sive dilatione et *divisione* sive terminatione, et prorsus carens omnino omni *successione*. Et huiusmodi ratio per duas conditiones praedictas *simul iunctas* necessario syllogizat, quamvis imaginationi nostrae videatur contraria.

Potest autem huic simile in *Deo* reperiri. Sicut

Simile in Deo. enim Deus simplex et immensus est totus in locis distantibus, quae loca etsi ad invicem distent, tamen existens hic et ibi non distat a se propter summam unitatem et simplicitatem; sic divinum *esse*, quod est aeternum, etsi sit in diversis temporibus propter immensitatem; licet illa tempora habeant distantiam et dilationem, ipsum tamen est indistans a se propter summam simplicitatem. Et sicut divina *incircumscriptibilitas* habet omnia loca sibi praesentia, et ipsa non distenditur per illa, licet illa

Omnia tempora Deo praesentia. vere sint distensa; sic divina *aeternitas* habet sibi omnia *tempora praesentia*, nec tamen ipsa succedit cum illis, licet illa vere succedant.

In *creaturis* vero, licet non possit omnino si-

Simile in creatura dupliciter. mile invenirri propter eius defectum, invenitur tamen aliquod cum aliquo defectu, quod quidem, illo defectu per intellectum circumscripto, manuducit ad intelligendam aeternitatem in *esse* divino. Hoc autem adverti aliquo modo potest et in *imagine* et in *vestigio*. In anima namque, quae est Dei *imago*, est

Primum. *memoria* praeteritorum, *intelligentia* praesentium et *praevidentia* futurorum [1]; et haec quidem simul sunt in anima, ita quod in anima, quae est substantia spiritualis, simul colliguntur et coniunguntur quae per diversa tempora succedunt; quia tamen ipsa limitata est et aliquid accipit a re *extra*, deficit ab illa simultate perfecta. Deus autem nihil prorsus accipit nec aliquo modo habet limitari; et ideo omnia sibi ut praesentia necessarium est intelligi, et hoc sine principio et fine [2]; et hoc est intelligere aeternitatem.

In tempore vero, quod est aeternitatis *vesti-*

Secundum. *gium*, est *praesens*, *praeteritum* et *futurum*, ita quod illud quod fuit *futurum* postea fit *praesens* et demum *praeteritum*, quia radicatur super *esse mutabile et fluidum* sive super ipsum *motum*. Si igitur *praesens* intelligatur radicari super *esse immutabile et fixum*, quod nec habet initium nec terminum, illud intelligetur *aeternum*. — Et sic, si quis recta

De intelligentia aeternitatis. consideratione a creaturis conscendat in Creatorem, auferendo quod est incompletionis et tenendo quod est complementi; venire poterit aliqualiter ad intelligendam aeternitatem *esse* divini, non tamen perfecte, quandiu sumus in carne; quia dum hic vivimus, « nostrum intelligere non est sine continuo et tempore [3] », ac per hoc valde elongatur ab aeternitate, nisi forte per donum speciale altius sublevetur; ut enim dicit Augustinus, « cum aliquid aeternum mente capimus, in hoc mundo non sumus ». — Patet igitur, divinum *esse* utique esse aeternum, et quae sit huius ratio necessaria, et qualiter capere possit consideratio nostra. Et rationes probantes, quod aeternitas sit in divino *esse*, sunt concedendae.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur in contra-

Notandum. rium, quod aeternitas est mensura; dicendum, quod licet *aeternitas* secundum *rationem intelligendi* dicat [4] sub ratione mensurae, secundum *rem* et veritatem nihil aliud dicit quam *esse* divinae substantiae; et sicut illud *esse* est immensum, sic et aeternitas est immensa; et ideo dicitur *sibi aequari*, non per conterminationem, quia immensum non habet terminum, sed per omnimodum excessus privationem. — Et per hoc patet responsio ad illud quod obiicitur primo et secundo de ratione mensurae: quia rationes illae procedunt de mensura, quae differt a re mensurata, quae terminatur et terminat, ac per hoc non est nisi circa rem finitam; quae omnia deficiunt circa aeternitatem divinam, nec tamen falso dicitur *mensura* secundum *rationem intelligendi*, pro eo quod significat divinum *esse* per modum durationis, quae quidem duratio, etsi omnem creaturam in infinitum excedat, respectu tamen ipsius *esse* divini nec excedit nec excedit.

3. Ad illud quod obiicitur, quod aeternitas est

Quid principium et finis. carentia principii et finis; dicendum, quod *principium* et *finis*, secundum quod accipitur in ratione aeternitatis, idem sunt quod *terminus initialis* et *finalis* in duratione rei; et hi quidem termini non sunt nisi circa rem, quae incipit esse et desinit.

Notandum. Cum ergo dicit, quod Deus est *principium* et *finis*, aequivocatur ibi ratio *principii* et *finis*. Unde duplex est defectus illius rationis: tum quia Deus est principium et finis respectu rerum *extra*, tum quia est principium et finis secundum *rationem causandi*. Cum autem dicitur, quod aeternitas est *carentia*

---

[1] Quae secundum Ciceronem, II. Rhet. c. 54, sunt partes *integrales* prudentiae, si cum A B H substituatur *praevidentia* pro *praecidentia*. Cfr. tom. III. pag. 728, nota 6.

[2] Cfr. I. Sent. d. 39. a. 2. q. 3. — De *tempore* cfr. II. Sent. d. 2. p. I. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 1. — Verbis *est intelligi* A inseruit *simul*.

[3] Ut dicit Aristot., supra pag. 21, nota 8. allegatus. — Verba Augustini paulo inferius adducta inveniuntur in IV. de Trin. c. 20. n. 28. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. XV. c. 8, et ibid. Commentar. p. II. dub. 5.

[4] Supplendum: durationem, vel substituendum *dicatur* (D G omittunt *dicit*).

Digitized by Google

principii et finis, accipitur *principium* et *finis* ut *intra* et secundum *rationem durandi*.

4. Ad illud quod obiicitur, quod carentia horum, scilicet principii et finis, sonat in defectum, cum ipsa dicant complementum etc.; dicendum, quod *principium* et *finis*, secundum quod dicunt terminum, etsi videantur dicere complementum, dicunt tamen limitationem cum defectu; et ideo e contrario, licet horum carentia videatur esse privatio secundum rationem intelligendi, est tamen vera positio ex parte rei; duratio enim, quae caret principio et fine, ita vera est, quod nihil habet de non-entitate.

5. Ad illud quod obiicitur, quod aeternitas est carentia praeteriti et futuri; dicendum, quod *praeteritum* et *futurum* dupliciter attribuitur alicui: vel ita, quod sit per modum dispositionis *rei intellectae*, vel ipsius *intelligentis*. Similiter, cum aliquid dicitur fuisse in praeterito, vel in futuro fore; hoc dupliciter potest intelligi: vel per modum *quandoitatis* et *inhaerentiae* vel per modum *simultatis* et *coëxistentiae*. Cum ergo dicitur, quod aeternitas est carentia praeteriti et futuri; dicendum, quod illud est verum, secundum quod *praeteritum* et *futurum* dicunt dispositionem *rei*, quae dicitur praeteriisse, ita quod illam mensurando reliquit in ea affectionem seu dispositionem quandam, quae dicitur *quando*, iuxta quod alibi [1] dicitur, quod « *quando* est in omni eo, quod coepit esse ». Cum autem dicitur *Deus* fuisse et fore, *praeteritum* non est ibi dispositio *rei intellectae*, sed *intelligentis*; nec hoc dicitur per *commensurationem*, *quandoitatem* et *inhaerentiam*, sed per *durationem*, *simultatem* quandam et *coëxistentiam*. Unde omnes illae locutiones habent quandam improprietatem; balbutimus autem aeternitatem per varia tempora, quia intellectus noster non conscendit ad intelligenda aeterna, nisi manuducatur per tempora, quandiu sumus in via.

Distinctio duplex. Applicatur. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod Deus non dicitur *fuisse* in tempore futuro, nec *futurus esse* in tempore praeterito; dicendum, quod hoc non est propter hoc, quod aliqua successio seu variatio sit in *esse* divino, sed propter connotationem coëxistentiae in tempore praeterito seu futuro, in quo tanta est variatio, ut nec *praeteritum* possit dici *futurum*, nec *futurum* possit dici *praeteritum*. Unde cum non dicatur *futurus* in praeterito nec *praeteritus* in futuro, hoc non est, quia *fuisse* et *fore* dicant aliud *esse*, vel alium *modum essendi* circa *esse* divinum, sed solum circa *esse* creatum.

7. 8. Ad illud quod obiicitur, quod aeternitas est interminabilitas; dicendum, quod non accipit totam rationem aeternitatis, quia non tantum dicit *interminabilitatem*, sed etiam *simultatem*; et sicut per modum *interminabilitatis* dicit *circumferentiam* quandam intelligibilem [2], carentem principio et fine; sic per modum *simultatis* simplicitatem et indivisionem dicit ad modum *centri*; et haec duo circa divinum *esse* simul ponuntur, quia simul est simplex et infinitum, et ideo circularitas in aeternitate intelligitur; nec ponit posterioritatem respectu *recti* nec etiam respectu *centri*. — Et per hoc patet responsio ad illud quod obiicitur de tempore, quod tenet rationem centri respectu aeternitatis interminabilis. Sicut enim praecedens ratio, ita et haec procedit *ex insufficienti*: quia considerat aeternitatem, in quantum est mensura *esse* immensi tantum, cum simul deberet hoc intelligi, quod [3] ipsa sit mensura simplicis et indivisibilis, quod nequaquam in mensura temporis potest reperiri. Notandum. Notandum.

9. Ad illud quod obiicitur, quod ubi aeternitas, ibi totalitas; dicendum, quod totalitas, quae ponitur in aeternitate, non attenditur secundum quantitatem molis, sed secundum quantitatem virtutis, in qua simul stat ratio magnitudinis et immensitatis cum perfectione simplicitatis; et ideo non sequitur, quod ubi est totalitas, ibi divisibilitas; non enim habet esse verum nisi de hoc toto, quod est vere quantum, in quo, quia totalitas dicit veram quantitatem, necessario ponit partem et partem. — Vel posset dici, quod *totum simul* dicitur ibi potius secundum rationem perfectionis quam secundum rationem distributionis in partes alicuius totius integralis [4]. Aliter.

10. Ad illud quod obiicitur, quod nusquam est reperire continuitatem extensionis sine partibilitate; dicendum, quod non est simile: quia extensio semper dicit partem extra partem, ac per hoc corporeitatem, quantitatem et partibilitatem [5]; duratio autem dicit *esse* non intercisum, quod quidem non solum reperitur in compositis, verum etiam in simplicibus. Notandum.

---

[1] A Gilbert. Porret., in lib. Sex Principiorum, c. *de Quando*, ubi textus originalis *incepit* pro *coepit*. Ibid. etiam dicitur: *Quando* vero est quod ex adiacentia temporis relinquitur; tempus vero *quando* non est, utriusque autem ratio coniuncta est, ut tempus quidem praeteritum *quando* non est, effectus autem eius [temporis praeteriti] et affectio, secundum quam dicitur aliquid fuisse, *quando* est... Est igitur *quando* aliud ex eo quod abiit, aliud ex eo quod instat, aliud vero ex eo quod necesse est contingere. Dictum est enim in Categoriis [sive Praedicam. Aristot. c. *de Quanto*] praeteritum et futurum esse *quantitates*, et quod magis est continuans ad praesens etc. — Superius termino *quandoitatis* utitur G, et inferius ipsi accedit E, dum ponunt *quandoitatem*, alii his substituunt *quantitatis* et *quantitatem*. — Circa finem solut. respicitur illud Gregorii, quod Deum « aliquatenus balbutiendo resonamus » (V. Moral. c. 36. n. 66; cfr. tom. III. pag. 175, nota 2.). — De ipsa solutione vide I. Sent. d. 8. p. I. dub. 7. et d. 9. dub. 5.

[2] Alan. ab Insulis, Theolog. Regul. regul. 7: Deus est sphaera *intelligibilis*, cuius centrum ubique, circumferentia nusquam. Infra post *nec ponit* supple: aeternitas.

[3] Ita G; A B legunt *simul deberent haec* [immensitas sive interminabilitas et simultas sive simplicitas] *intelligi*, *cum*. Post pauca pro *indivisibilis* D G H *interminabilis*.

[4] Vide Aristot., V. Metaph. text. 30. seq. (IV. c. 25. seq.). — Cfr. supra q. 4. a. 1. in corp. et ad 2.

[5] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto*.

De simultate.

11. Ad illud quod obiicitur, quod aeternitas dicit simultatem; dicendum, quod *simultas* non dicitur ibi per positionem condurationis et coëxistentiae diversorum durabilium, sed potius per privationem successionis in continuitate rei durantis; unde *tota simul* dicitur aeternitas, quia in ea nihil alteri prorsus succesit, non propter hoc, quod in ea diversa et varia simul existant. Unde *simultas* nihil aliud dicit quam praesentialitatem summam et simplicem et indivisam, et haec nullam dicit diversitatem intrinsecam [1].

12. Ad illud quod obiicitur, quodsi idem est in Deo esse, fore et fuisse, quod creatura, sicut commetitur se suo modo divino *fore*, sic et divino *fuisse;* dicendum, quod non est simile, nec unum ex altero inferri debet. Et ratio huius est, quia, licet in Deo idem sit *carere principio* et *carere fine*, in creatura tamen multum differt. Nam creaturae, cum sit de nihilo, essentiale est habere principium et inceptionem; non habere autem finem et terminationem non repugnat naturae creatae; nec eius oppositum est sibi essentiale, pro eo quod appetitus creaturae est ad contraria [2]. Et propter hoc non sequitur, quodsi possit assimilari Deo secundum id quod est *fore*, quod similiter secundum id quod est *fuisse*. Sicut enim non sequitur: idem est in Deo iustitia et immensitas; sed creatura potest assimilari Deo secundum quod *iustus:* ergo secundum quod *immensus;* sic etiam non concludit nec infert modus argumentandi praedictus.

Notandum.

13. Ad illud quod obiicitur, quod aeternitas aut addit aliquid supra *nunc* aeternitatis, aut nihil; dicendum, quod cum in aeternitate sit simultas et interminabilitas, sive simplicitas et immensitas; *nunc aeternitatis* nominat illam durationem quantum ad *simplicem simultatem*, *aeternitas* vero quantum ad *interminabilem immensitatem*. Sicut ergo *immensitas* interminabilis supra indivisibilitatem divinae simplicitatis et simultatis secundum *rem* nihil quidem addit, sed solum secundum *rationem intelligendi*; sic et *aeternitas* supra *nunc* aeternitatis. Et sicut non sequitur, quod creatura rapit Deum simplicissimum: ergo capit Deum ut immensum; sic non sequitur, quodsi aliquid coëxistit cum *nunc* aeternitatis, quod coëxistat cum aeternitate interminabili. His enim, quae in Deo idem sunt, correspondent in creatura varia et diversa, sicut patet in bonitate et sapientia, in iustitia et misericordia, secundum quod praetactum est supra [3].

Nunc aeternitatis differt ab aeternitate.

Notandum.

14. Ad illud quod obiicitur, quod licet punctus sit principium et medium et terminus extensionis, impossibile est intra ipsum intelligere extensionem; dicendum, quod non est simile: quia, licet punctus sit *principium* extensionis, non tamen est *tota extensionis essentia* nec etiam *pars* constitutiva; *nunc* antem est tota essentia durationis, non solum in aeternis et aeviternis, verum etiam in duratione temporis. Et ratio huius est: quia *extensio* habet omnes partes simul, et quia «punctus est substantia posita [4]», unde necessario dicit situm in materia; et ideo, cum sit indivisibile, non potest esse totius divisibilis essentia nec pars constitutiva, cum quaelibet pars continui sit continua. Secus autem est de *duratione*, quia de ipsa nunquam est nisi praesens et indivisibile, etiam in duratione successiva. Et ideo non est mirum, si in *nunc* claudi potest essentia durationis et potissime illius, in qua non differt *essentia* et *esse*, sicut est in aeternitate.

Notandum principium.

15. 16. Ad illud quod obiicitur, quod eadem mensura mensuratur divinum *esse* et *posse* et *scire* et *praescire;* dicendum, quod verum est ratione *principalis significati*, non autem est verum ratione *connotati*. — Et per hoc patet responsio ad sequens, quod obiicitur de creatione; nam actus intrinsecus est aeternus, sicut et substantia; effectus vero temporalis, quia creatura [5].

Duplex veritas in una propositione.

Notandum.

17. Ad illud quod obiicitur, quod mundum esse futurum fuit verum ante mundi constitutionem; dicendum, quod illa propositio, licet sit una, implicat tamen in se duplicem veritatem. Si enim dicatur mundus esse futurus, antequam mundus fieret; hoc non est verum, nisi quia mundus aliquo modo habet *esse* in sua causa; et quantum ad hoc illud dictum est verum veritate aeterna. *Rursus*, ad hoc non sufficit, quod mundus habeat *esse* solum in causa, immo oportet ad hoc, quod propositio sit vera, quod aliquando habeat *esse extra;* et quia illud *esse* nondum, antequam mundus fieret, erat creatum, sed creandum: hinc est, quod quantum ad hoc non erat verum veritate *creata*, sed *creanda*. Et quia, cum res incipit esse *creata*, tunc desinit esse *creanda:* hinc est, quod propositio illa, quae significabat sententiam veram ab aeterno, desinit esse vera, non propter terminationem in aeternitate, sed propter inchoationem in tempore, quia cum aeterno intelligi dabat aliquod temporale [6]. — Et per hoc patet responsio ad praehabitam quaestionem.

---

[1] Eodem modo exponit ipse Boeth., V. de Consolat. prosa 6.

[2] Sensus videtur esse, quod non hac ratione, quia appetitus creaturae tendit ad *esse*, incorruptibilitas sit creaturae essentialis. Hoc explicatur II. Sent. d. 37. a. 1. q. 2. ad 5. et I. Sent. d. 8. p. l. a. 2. q. 2. ad 7. 8. Pro *est* B *non est*.

[3] Quaest. 3. a. 1. in corp. et ad 6. seqq.

[4] Aristot., I. Poster. c. 23. (c. 27.), I. de Anima, text. 68. (c. 4.) et V. Metaph. text. 12. (IV. c. 6.). Cfr. tom. I. pag. 447, nota 2. et tom. II. pag. 81, nota 4. — Superius post *pars* cum A B adiecimus *constitutiva*.

[5] Cfr. I. Sent. d. 7. q. 3. et 4.

[6] Vide I. Sent. d. 30. q. 1. seqq., d. 39. a. 2. q. 2. et d. 41. a. 2. q. 2. et dub. 4.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Utrum simul stent trinitas et aeternitas.

Deinde quaeritur, utrum simul stent trinitas et aeternitas. Et quod sint incompossibiles, videtur sic.

Ad oppositum.

1. Ubicumque est aeternitas, est omnimoda simultas[1]; ubi autem omnimoda simultas, ibi nullus ordo; ubi nullus ordo, nulla est emanatio; ubi non est emanatio, non potest esse personalis pluriflcatio: ergo *a primo*, si in divino *esse* est summa et vera aeternitas, impossibile est, quod sit vera trinitas sive personarum pluralitas.

2. Item, « causa est cuius esse sequitur aliud[2] », scilicet effectus; sed constat, quod effectus sequitur causam, non ratione diversitatis, quia haec possunt esse simul: ergo ratione productionis. Ubi ergo est productio, ibi est antecessio et consecutio; sed ubi haec sunt, non est vera aeternitas: ergo etc.

3. Item, si tres personae sunt in Trinitate, aut *sunt aeque primae*, aut *non sunt aeque primae*. Si *aeque primae*: ergo non est una ab alia, ac per hoc non possunt esse in eadem natura. Si vero *non sunt aeque primae*: ergo nec simpliciter et aequaliter coaeternae; ergo idem quod prius.

4. Item, omnis corruptio necessario ponit terminum finalem[3], ergo omnis productio vel emanatio initialem; sed non potest esse trinitas sine emanatione sive productione; ergo nec sine alicuius inchoatione. Sed hoc non potest stare cum aeternitate: ergo etc.

5. Item, aeternitas est duratio interminabilis[4]: ergo si in divinis est trinitas aeterna, ergo et interminabilis personarum productio sive emanatio; sed productio sive emanatio interminata nunquam est perfecta, quia nunquam est in *productum esse*: aut ergo trinitas non est perfecta, aut non est aeterna.

6. Item, in Deo idem est omnino *esse* et *durare*, ergo idem est habere principium essendi et durandi; sed non potest esse vera trinitas, quin aliqua persona habeat ibi principium existendi per productionem: ergo non potest esse, quin habeat principium durandi. Sed hoc non compatitur aeternitatem[5]: ergo etc.

7. Item, non est maioris virtutis nec actualitatis persona quam essentia; sed divina essentia non potest producere aliam essentiam sibi coaeternam: ergo nec persona personam; aut ergo in divina essentia non est personarum trinitas, aut non est ibi summa aeternitas.

8. Item, omne ens aut est creatum, aut increatum; similiter omne ens aut est a se, aut ab alio; sed omne creatum est ens ab alio: ergo omne increatum est ens a se ipso. Sed omne aeternum est increatum: ergo omne aeternum est a se ipso, nihil igitur aeternum, quod sit ab alio. Sed non potest esse trinitas, quin aliqua persona ab aliqua procedat: ergo ubi est trinitas, non est aeternitas.

9. Item, quotiescumque aliqua virtus, sive finita sive infinita, secundum omnem potentiae suae totalitatem exserit se in aliquem actum, impossibile est, quod simul et semel exserat se in alium; sed virtus paterna in generando[6] omnino exserit totius suae virtutis immensitatem, cum tantus sit Filius, quantus est Pater: ergo simul et semel non potest aliam personam producere. Si ergo tertiam producit, hoc erit vel ante vel post; sed hoc non est in omnimoda aeternitate: aut igitur in divinis non est trinitas, aut non est vera aeternitas.

10. Item, ubicumque est productio, ibi est acceptio ab alio; sed nihil accipit quod iam habet: ergo si Filius producitur a Patre, accipit *esse* a Patre: ergo illud *esse* prius non habebat. Sed quod accipit *esse* prius non habitum accipit durandi initium; et nihil tale est aeternum: ergo non stat simul aeternitas cum productione, ergo nec cum trinitate.

11. Item, aeternitas dicit praesens; unde aeternum est semper praesens secundum suam propriam rationem; sed emanationes in divinis, et maxime generatio proprie insinuatur per praeteritum quam per praesens, quia melius dicitur *semper genitus, semper natus*, quam dicatur *generari et nasci*[7]: ergo videtur, quod haec duo simul stare non possint. Si igitur non potest esse trinitas sine vera productione, non ergo simul stare cum aeternitate.

Fundamenta.

Sed contra hoc sunt *auctoritates* innumerabiles tam in veteri quam in nova lege[8]; sed *ratione* ostenditur.

---

[1] Ex definitione aeternitatis a Boethio data; cfr. supra pag. 89, nota 1. — Haec quaestio tangitur I. Sent. d. 9. q. 3.

[2] De hac definitione causae vide tom. I. pag. 448, nota 2; pag. 420, nota 7; tom. IV. pag. 402, nota 3; pag. 403, nota 10, ubi diversi loci ex Aristot. allati sunt; cfr. etiam Avicenna, Metaph. tr. 4. c. 1.

[3] Aristot. dicit V. Phys. text. 7. (c. 1.), quod mutatio « ex subiecto in non-subiectum *corruptio* est; simpliciter quidem, quae ex substantia ad ipsum *non-esse* etc. (et *generatio* ex non-subiecto in subiectum).

[4] Ut insinuat definitio aeternitatis a Boethio data; cfr. supra pag. 89, nota 1.

[5] Vide supra pag. 79, nota 9. verba Richardi a S. Vict.

[6] B E supplent *personam*.

[7] Gregor., XXIX. Moral. c. 1. n. 1: Dicamus verius *semper natus*; non autem possumus dicere *semper nascitur*, ne imperfectus videatur. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. IX. c. 4. — Superius ante *proprie* supple: magis. In fine arg. pro *stare* G *stat*.

[8] Cfr. supra q. 1. a. 2, et I. Sent. lit. Magistri, d. II. c. 4. et 5.

Digitized by Google

1. « Relativa enim sunt simul natura [1] »; Pater et Filius sunt vere relativa, et Spirator et Spiritus: ergo simul natura: si ergo aliqua personarum est aeterna; cum aliae sint simul natura, necesse est, omnes esse aeternas. Et quod hoc sequatur, manifestum est, quia in Deo relatio non potest esse accidens nec aliunde adveniens propter summam simplicitatem: necesse est ergo, quod habeant omnimodam simultatem.

2. Item, mens paterna simul fuit et intellexit, quia suum *esse* est suum *intelligere* nec praecedit natura nec duratione aliqua; sed in mente *intelligere* est verbum ex se sumere: ergo simul fuit et Verbum genuit. Verbum autem non potest esse nisi placitum et amatum [2], ergo et amanti connexum: ergo si divinum *intelligere* simul stat cum aeternitate, igitur et aeternitas cum trinitate.

3. Item, ad nobilitatem virtutis spectat cito producere; unde quaedam producunt in tempore imperceptibili [3], quaedam subito, quaedam simul duratione, licet posterius natura; et haec omnia est reperire in creatura: si ergo divina virtus est potentissima, omnino superexcedens virtutem creatam; ergo sic *potens producere* et producet, quod productus simul sit natura cum producente.

4. Item, Pater potest Filio communicare deitatem et omnipotentiam, alioquin non esset Filius; sed deitas est ipsa aeternitas, nec potest esse Deus, nisi sit aeternus: ergo prima persona potest aliis aeternitatem communicare: ergo trinitas et aeternitas simul possunt stare.

5. Item, potentior est lux increata ad producendum summa splendorem quam lux creata; sed lux creata nunquam est sine splendore, ergo nec lux increata: ergo si splendor est persona producta, patet etc.

6. Item, trinitas simul stat cum immensitate, et immensitas necessario ponit aeternitatem [4]: ergo *a primo*, vera et perfecta trinitas simul est, ubi est vera et perfecta aeternitas: ergo non habent aliquam repugnantiam.

7. Item, trinitas simul stat cum summa aequalitate [5]; sed aequalitas est non tantum secundum virtutem, sed etiam secundum durationem, in qua nihil aequari potest aeterno, nisi sit illi coaeternum: si ergo stat cum summa aequalitate, ergo et cum aeternitate.

8. Item, ubicumque idem est potentia et actus, si potentia potest esse aeterna, et actus, maxime cum nihil connotetur extrinsecum nec creatum; sed in persona Patris idem est *posse generare* et *generare;* similiter verum est de potentia spirandi: si ergo necessarium est, Patrem aeternaliter potuisse generare, ergo necessario ponitur aeternaliter genuisse [6].

9. Item, ubi idem prorsus est *esse* et *referri*, necessarium est illis eadem mensura mensurari; sed idem prorsus est in Patre *esse* et *referri* ad Filium, et e converso, quia nulla est ibi compositio [7]: si igitur *esse* est aeternum, ergo et respectus mutuus personarum.

10. Item, in imagine creata simul sunt essentia et potentia, et quaelibet trium potentiarum est alteri coaeva, sicut manifeste patet in anima: ergo cum maior sit convenientia inter divinas personas, multo fortius una erit alteri coaeterna — sicut enim se habet *perpetuitas* ad imaginem, sic *aeternitas* ad trinitatem creatricem; unde « ex perpetuitate rerum manifeste ostenditur Conditor aeternus [8] » — ergo ex perpetuitate imaginis infertur et ostenditur aeternitas trinitatis.

CONCLUSIO.

Trinitas personarum necessario simul stat cum aeternitate.

Respondeo: Dicendum, quod trinitas et aeternitas necessario simul stant; et hoc quidem colligitur ex parte *conditionum essentialium* et ex parte *emanationum originalium* et ex parte *relationum personalium.* Conclusio.

Ex parte, inquam, *conditionum essentialium:* quia trinitas stat cum summa essentiae *unitate, simplicitate* et *immensitate,* sicut in praecedentibus [9] ostensum est; unde divinae personae habent *esse unum, simplicissimum* et *immensum;* aeternitas autem respicit ipsum *esse,* quod in trinitate nec habet *numerari* nec *componi* nec *limitari;* restat igitur, ut in tribus personis sit aeternitas *vera* propter immensitatem, sit aeternitas *summa* propter omnimodam simplicitatem, sit aeternitas *unica* propter essentiae unitatem; non igitur aeternitas excludit trinitatem, quia trinitas necessario includit aeternitatem. Ratio 1.

Ex parte etiam *emanationum originalium* idem ipsum colligitur, tum ratione *producentis,* tum ratione *producti,* tum ratione *modi producendi. Producens* enim est in omnimoda virtutis actualitate propter summam perfectionem; *productus* vero in omnimoda aequalitate propter summam assimilationem; *productio* vero in omnimoda necessitate propter Ratio 2, trimembris.

---

[1] Aristot., de Praedicam. c. *de His quae ad aliquid.*

[2] Secundum August., IX. de Trin. c. 10. et 11. n. 15. seq. Vide supra Quaest. de scientia Christi, q. 6. in corp. — Superius pro *sumere* D H *generare.*

[3] Aristot., IV. Phys. text. 127. (c. 14.): *Repente* autem [est], quod in insensibili tempore propter parvitatem remotum est (ἐκστάν. Ed. Firmin-Didot: *de statu dimovetur).* — Circa finem arg. cum G posuimus *quod,* alii *cum.*

[4] Vide supra q. 4. a. 2. et hic a. 1.

[5] Cfr. supra q. 2. a. 2. fundam. 10. — Inferius post *virtutem* B addit *illi coaeternam.*

[6] Aristot., III. Phys. text. 32. (c. 4.): *Posse* enim ab ipso *esse* nihil differt in perpetuis.

[7] Cfr. supra q. 3. a. 2.

[8] Sicut dicitur I. Sent. III. Magistri, d. III. c. 1, posito *creaturarum intelligitur* pro *rerum manifeste ostenditur.* Expositionem huius verbi vide ibid. Comment. p. I. dub. 2.

[9] Quaest. 2. 3. et 4.

Digitized by Google

naturalem diffusionem sive communicationem. Si igitur persona *producens* est aeterna, necesse est, ut aeternus sit *producendi actus* et ipse *productus* et *producendi modus*. Patet igitur, quod aeternitas et trinitas non solum non repugnant, sed mirabiliter consonant et necessario simul stant.

Ratio 3. Ex parte vero *relationum personalium* hoc ipsum colligitur. Nam personae divinae suis relationibus distinguuntur, relationibus, inquam, non extrinsecis, sed *intrinsecis;* non adventitiis, sed *mansivis;* non diminutis, sed *completissimis* [1]. Quoniam autem relatio *intrinseca*, non adventitia, sed perfecta simul coëxistit cum suo supposito; et relatio et sua correlatio sunt simul natura: necessario huiusmodi relationes ponunt in divinis personis summam simultatem nec introducunt terminabilitatem, quia stant cum summa infinitate. Quoniam ergo ad aeternitatem nihil plus requiritur quam simultas cum omnimoda interminabilitate et summa interminabilitas cum omnimoda simultate; necessario simul stant trinitas cum aeternitate, et aeternitas cum trinitate, quia trinitas non excludit, sed includit aeternitatem.

Confirmatur. Unde Augustinus, undecimo de Civitate Dei, capitulo vigesimo octavo [2]: «Deus, ad cuius imaginem summus creati, est vera aeternitas, aeterna veritas, aeterna et vera caritas; estque ipse aeterna et vera et cara Trinitas». Sicut igitur aeternitas non repugnat caritati et veritati, sic etiam non repugnat trinitati, nec e converso. — Et ideo rationes, quae hoc ostendunt, concedendae sunt.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod ubi est aeternitas, ibi est omnimoda simultas; dicendum, quod simultas aeternitatis excludit ordinem prioris et posterioris, non tamen ordinem originis. Cum autem dicitur, quod trinitas ponit ordinem, non intelligitur de ordine prioritatis et posterioritatis, sed de ordine originis et emanationis naturalis, iuxta quod dicit Augustinus [3], quod «est ibi ordo, non quo alter prior, alter posterior, sed quo alter ex altero».

Notandum. 2. Ad illud quod obiicitur, quod effectus sequitur causam non ratione diversitatis, sed productionis; dicendum, quod neutrum illorum est *tota* causa sufficiens et perfecta, sed unum cum alio; ideo enim sequitur causam effectus, quia ab ipsa manat, ita quod ab ipsa differt secundum essentiam; et propter hoc nec ita nobile est, sicut causa, nec aequatur ei in duratione nec in virtute aequalitate omnimoda. Secus autem est in productione divina, ubi producens et qui producitur unam habent essentiam et eandem, ac per hoc aequalitatem omnimodam in duratione pariter et virtute [4].

Distinctio. 3. Ad illud quod obiicitur, quod aut personae sunt ibi aeque primae, aut non; dicendum, quod quantum ad *privationem prioris et posterioris* sunt aeque primae, quantum autem ad *ordinem originis* non sunt aeque primae [5]. Sed ex hoc non sequitur, quod non sint aequaliter coaeternae, quia, sicut supra ostensum est, nobilitas illarum emanationum perfectissimarum ratione simplicitatis et immensitatis coaeternitatem ponit producentium et productorum.

Notandum. 4. Ad illud quod obiicitur de corruptione, quae ponit terminum finalem; dicendum, quod non est simile: quia *corruptio* semper dicit defectum et processum a completo ad incompletum; *generatio* autem non sic: quia quaedam est per eductionem alicuius de potentia in actum, et ita ratione incompletionis necessario dicit terminum initialem; quaedam vero est per actualissimam communicationem secundum omnimodam completionem producentis et producti, et eius de quo producitur, et modi, secundum quem producitur. Et talis ponitur circa Deum, et haec, quia nullam dicit incompletionem, nullum ponit terminum initialem [6].

Duplex terminus. 5. Ad illud quod obiicitur, quod aeternitas est duratio interminabilis; dicendum, quod terminus productionis dicitur dupliciter: unus *principalis*, scilicet productum esse, alius *connexus*, scilicet iam non produci, et hic connexus procedit in iis, in quibus differt produci et productum esse. Cum ergo quaeritur, utrum generatio in divinis sit *terminata*, vel non; dicendum, quod si intelligatur de termino primo modo, terminata est, quia sic generat Filium Pater, quod Filius est genitus; si autem secundo modo, sic non habet veritatem, quia Filius semper est genitus et semper generatur, quia idem est in eo *produci* et *productum esse* propter perfectionem simplicitatis et actualitatis summae [7].

Distinctio. 6. Ad illud quod obiicitur, quod idem est in Deo *esse* et *durare;* dicendum, quod *principium durandi* dicitur dupliciter: uno modo per durationis productionem et communicationem, alio modo per durationis inchoationem. Si primo modo accipiatur principium; sicut Pater est principium essendi Filio, ita et durandi; sicut enim dat ei *esse*, sic dat ei *semper esse*. Si autem intelligatur secundo modo, sic non habet veritatem, nec concludit ratio illa propter diversam *principii* acceptionem [8].

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 26. q. 1. seqq. et d. 33. q. 1. seq.

[2] Textus originalis: Quoniam igitur homines sumus ad nostri Creatoris imaginem creati, cuius est vera aeternitas... caritas, estque ipsa [alias: *ipse*] aeterna... cara Trinitas, neque confusa neque separata.

[3] Libr. II. contra Maximinum Arian. c. 14. n. 8: Verum haec [missio Geniti a Genitore] non est inaequalitas substantiae, sed ordo naturae, non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ex altero. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. XX. c. 3. in fine, et ibid. Comment. a. 2. q. 2.

[4] Vide I. Sent. d. 20. a. 2. q. 2. ad 1.

[5] Cfr. I. Sent. d. 20. a. 2. q. 1.

[6] Vide I. Sent. d. 9. q. 1. et 3. ad 1.

[7] Cfr. I. Sent. d. 9. q. 4.

[8] Vide I. Sent. d. 9. q. 3. ad 3. Ibid. ad 2. tangitur seq. solut., in qua pro *producat* B *producatur*.

Digitized by Google

7. Ad illud quod obiicitur, quod non est maioris virtutis nec actualitatis persona quam essentia; dicendum, quod non est simile: quia divina *essentia* non potest producere aliam essentiam de se ipsa nec de aliqua alia sibi coaeterna et aeque prima; ac per hoc necesse est, quod de nihilo producat: et hinc est, quod necesse est, illam essentiam sic productam habere *esse* post *non-esse*, et incipere esse, cum processerit de *non-esse* in *esse*. Secus autem est in productione *personae* a persona: quia persona producens et producta communicant in essentia et natura; ideo non oportet, quod sit ibi inceptio aliqua ratione productionis unius personae ab alia propter essentiam unicam et indivisam. Notandum.

8. Ad illud quod obiicitur, quod omne ens aut est creatum, aut increatum, similiter omne ens aut est a se ipso, aut ab alio; dicendum, quod *esse ab alio* dupliciter dicitur: vel ab alio *essentialiter*, vel ab alio *personaliter*. Primo modo accipiendo secundum abstractam *essentialem*, correspondet alii divisioni, quae est *entis* per creatum et increatum, quae quidem sunt extrema essentialiter differentia. Secundo modo non correspondet, immo si procedatur ab una ad alteram, fit *figura dictionis*[1] ex commutatione modi praedicandi, quia *quid* mutatur in *quis*; et talis modus praedicandi non tenet in divinis. Distinctio.

9. Ad illud quod obiicitur, quod quando virtus infinita secundum totalitatem suae potentiae exserit se in actum aliquem, non potest simul et semel exire in alium; dicendum, quod illud veritatem habet, quando totaliter se exserit quantum ad *virtutem producentem* et quantum ad *modum producendi*; sed tunc assumptio[2] est falsa: quia, licet Pater Filium producat secundum virtutem suam immensam, ipsum tamen generat, non spirat; et ideo secundum alium modum producendi, qui est per spirationem, productio est simul cum Filio alterius personae, pro eo quod illae productiones non sunt repugnantes, sed naturaliter coannexae. Sicut patet in mente, quod actualis consideratio intellectus non impedit, sed potius inducit, quod affectus feratur in bonum cognitum et visum; sic nec generatio Verbi procedentis a mente impedit spirationem amoris complectentis utrumque[3]. Notandum.

10. Ad illud quod obiicitur, quod ubi est productio, ibi est acceptio ab alio; dicendum, quod sicut est *productio quaedam*, in qua differt *produci* et *productum esse*; *quaedam*, in qua omnino sunt idem; similiter et *acceptio* duplex: uno modo, in qua differt *accipere* et *accepisse*, alia, in qua omnino est idem; prima respondet productioni primae, secunda secundae. De prima habet veritatem quod obiicit, de secunda non; et hoc modo Filius a Patre accipit *esse*. Semper enim *accepit* et semper *accipit*, quia Pater eum semper generat et semper gemit, sicut manifeste colligitur ex praedictis. Duplex productio et acceptio.

11. Ad illud quod obiicitur, quod aeternitas dicit praesens, et generatio melius explicatur per praeteritum; dicendum, quod generatio illa aeterna semper est actualissima et completissima; licet autem *actualitas* alicuius actus melius exprimatur per *praesens*, *completio* et perfectio actus maxime exprimitur per *praeteritum*. Unde generatio illa aeterna per nullum tempus potest sufficienter explicari, quin immo oportet ad eius expressionem diversis temporibus uti, pro eo quod ipsa est supra omne tempus et in se habet quidquid completionis significari potest per aliquod tempus. Unde ratione *completionis* competit ei *praeteritum*, ratione *actualitatis* competit ei *praesens*, ratione *continuationis* et indesitionis competit ei *futurum*[4]. — Ea vero ratione, qua omnia haec in ipsa unum sunt, per nullum vocabulum sufficienter explicatur: quia non est mirum, si strepitus verborum temporalium non sufficit ad explicandum illius aeternitatis et aeternae generationis silentium quietissimum, quod melius intelligitur, quam dicatur; melius creditur in praesenti, quam intelligatur; melius etiam videbitur in futuro, quam etiam nunc credatur: quia, ut dicit Salvator[5], *haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum*; ad quod nequaquam pervenire possumus, nisi intellectus noster supra variationes temporum et supra nubilositates phantasmatum in libertatem supercaelestis quietis plenius elevetur. Ratio notabilis. Corollarium notabile.

QUAESTIO VI.

Utrum trinitas possit stare cum summa immutabilitate.

Consequenter quaeritur, utrum possit stare trinitas cum summa immutabilitate; et circa hoc duo quaeruntur.

Primum est, utrum divinum *esse* sit immutabile.

Secundum, utrum simul stent trinitas et summa immutabilitas.

---

[1] Cfr. supra pag. 14, nota 5. Vide etiam supra q. 2. a. 2. ad 7. — Post pauca pro *praedicandi* A B *arguendi*, E *argumentandi*.

[2] Sive *minor* argumenti (cfr. Boeth., I. de Syllogismo hypothetico). — Inferius pro *productio* B E *productus*.

[3] Cfr. I. Sent. d. 2. q. 4. ad 1. et 2.

[4] Vide I. Sent. d. 8. p. 1. dub. 7. et d. 9. dub. 5.

[5] Ioan. 17, 3. — Paulo superius respicitur verbum August. supra pag. 71, nota 2. allatum. — Inferius ante *libertatem* possumus fide A B *in*, pro quo E *et in*, alii *et*.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

Utrum esse divinum sit immutabile.

Circa primum sic proceditur. Quod divinum *esse* sit immutabile, ostenditur sic:

1. Primo *auctoritate*, Malachiae tertio[1]: *Ego Deus et non mutor*; Glossa: « Hoc dicit, ne putaretur aliquid mutabilitatis esse in Deo ». Psalmo: *Mutabis eos, et mutabuntur, tu autem idem ipse es*; Glossa: « immutabilis ». Fundamenta

2. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione* sic. Divinum *esse* est simpliciter et universaliter *primum*; sed immutabile prius est mutabili, quia mutabile ad immutabile habet reduci[2]; si ergo est universaliter primum et principaliter, ergo universaliter est immutabile.

3. Item, divinum *esse* est *ultimum*, ad quod cetera tendunt sicut ad finem summum[3]; sed in fine summo et ultimo cetera quiescunt; in nullo autem possunt cetera quietari, nisi illud sit omnino immutabile in se: ergo idem quod prius.

4. Item, divinum *esse*, sicut dicunt philosophi[4], et ratio convincit, est simpliciter et omnimode *necessarium*; omne autem, quod habet aliquam variationem, cadit aliquo modo a necessitate secundum id, secundum quod mutatur: ergo si necessarium est, et immutabile.

5. Item, divinum *esse* est *perfectissimum*; nihil autem perfectissimum proficit aut deficit; omne autem, quod mutatur, aut acquirit aliquid, aut perdit[5]: ergo divinum *esse* nullatenus mutari potest.

6. Item, divinum *esse* est *simplicissimum*[6], ergo nihil habet naturae adventitiae; sed in omni, quod mutatur, aut aliquid advenit, aut recedit: ergo non stat mutabilitas cum simplicitate: ergo necesse est, eius oppositum stare: ergo immutabile.

7. Item, divinum *esse* est *immensum*; sed omne, quod mutatur, aut mutatur in statum *meliorem*, aut *deteriorem*, aut *aequalem*; immensum autem non potest esse *maius* nec *minus* nec habet aliquod *aequale*: ergo est simpliciter immutabile[7].

8. Item, divinum *esse* est *aeternum*, sicut patet ex praecedentibus[8]; in omni autem mutatione est aliquo modo prius et posterius; hoc autem in aeternitate nullo modo potest esse: ergo nulla mutatio; restat igitur, quod sit immutabile omnino.

9. Item, omnis mutatio vel est ad *esse*, vel ab *esse*, vel in *esse*, quia omne, quod mutatur, vel *esse* accipit, vel *esse* perdit, vel ab *uno esse* in aliud transit, sive ab uno modo essendi in alium[9]; sed Deus est ipsum purum *esse*, cum sit se ipso et actus purus: ergo nullo praedictorum modorum mutari potest; nec aliunde est dare: ergo est immutabilis.

10. Item, omnis mutatio vel est secundum *substantiam*, vel secundum *accidens*[10]; sed Deus non mutatur secundum *substantiam*, cum sit incorruptibilis, nec secundum *accidens*, cum ei nihil omnino accidat: ergo nullam prorsus mutabilitatem admittit.

Sed contra: 1. Sapientiae septimo[11]: *Omnium mobilium mobilior est sapientia*; constat, quod loquitur de sapientia increata: ergo si ipsa est mobilissima, videtur divinum *esse* mutabilissimum inter omnia mutabilia. — *Si dicas*, quod hoc dicitur *per causam*; tunc *obiicitur*: mobilius est quod est mobile *per causam* et *secundum formam*, quam altero modo tantum. Ad oppositum.

2. Item, gradus attenditur in creaturis secundum maiorem nobilitatem, quia nobilius est elementum supremum quam infimum[12], et primum caelum quam alias sphaerae, et corpus gloriosum quam caelum, et spiritus quam corpus gloriosum; sed quod est nobilitatis attribuendum est Deo: ergo etc.

Item, hoc ipsum ostenditur *ratione* secundum viam septiformem.

3. Et primo ex parte *comparationis*. Omne illud, cui aliquid advenit ex tempore, est mutabile; divinum *esse* est huiusmodi, quia ex tempore dicitur *dominus*, dicitur *refugium*, dicitur *rex*: ergo est mutabilis. — *Si tu dicas*, quod « in *ad aliquid* non

---

[1] Vers. 6: Ego enim Dominus et non mutor. — Glossa, quae *ordinaria* est apud Strabum et Lyranum, est secundum Hieron. — Seq. locus est Ps. 101, 27, 28. Glossa habetur apud Petr. Lombard. et Lyranum (*interlinearis*). Cassiodor., in hunc loc., ait: *Idem* positum est resecta illa quae dicta sunt; quoniam, dum illa sint commutabilia, Dominus semper *immutabilis* perseverat. Cfr. August. in hunc loc. — Eadem quaestio solvitur I. Sent. d. 8. p. I. a. 2. q. 1. seq.

[2] Cfr. supra pag. 47, nota 6.

[3] Vide supra pag. 47, nota 2.

[4] Cfr. supra pag. 68, nota 5. — Inferius cum A D E ponimus *variationem*, alii *caecitatem*.

[5] Aristot., VI. Phys. text. 40. (c. 5.), docet, quod aliquid mutari non possit, nisi a statu suo discedat seu ipsum relinquat.

[6] Et probatum est supra q. 3. a. 1.

[7] Hoc arg. insinuat Richard. a S. Vict., II. de Trin. c. 3. Cfr. tom. I. pag. 156, nota 3. — *Minor* ostensa est supra q. 4. a. 1.

[8] Quaest. 5. a. 1.

[9] Cfr. Aristot., V. Phys. text. 7. (c. 1.).

[10] Et insinuat Aristot., V. Phys. text. 4. seqq. et XI. Metaph. c. 10. (X. c. 11.).

[11] Vers. 24: Omnibus enim mobilibus mobilior etc. Cfr. I. Sent. d. 8. p. I. a. 2. q. 1. arg. 1. ad oppos., ubi etiam dictio *per causam* explicatur per verba: « eo quod facit [sapientia increata] alia moveri ».

[12] Scilicet: ignis quam terra. — De caelo primo et sphaeris cfr. II. Sent. d. 14. p. II. a. 1. q. 3; de corpore glorioso vide IV. d. 49. p. II. sect. 2. a. 4. q. 1.

Digitized by Google

est motus[1] »; *contra:* Ambrosius arguit sic: si Pater fieret de non-patre pater, esset mutatus, et tamen *pater* dicit relationem: ergo hoc non solvit.

4. Item, huiusmodi nomina aut dicunt aliquid, quod sit *Deus*, et sic non incipiunt; aut aliquid *creatum*, et sic non dicuntur de Deo; aut *nihil* ponunt, et sic non magis dicuntur de Deo quam de alio; aut aliquid *adveniens Deo;* sed hoc necessario ponit motum: ergo etc.

5. Item, ostenditur hoc ex parte *actionis*. Omne illud, quod fit de non agente agens, exit « ab otio in actum[2] »; sed omne tale aliquo modo mutatur et alteratur; sed Deus est huiusmodi: ergo etc. — *Si dicas*, quod hoc est ex parte creaturae; *obiicitur contra hoc:* quia non ideo Deus producit, quia creatura producitur; sed magis e converso: ergo ratio finis exitus primo ponenda est in Deo.

6. Item, omne agens, quod agit pluribus actionibus, ita quod modo una, modo alia, mutatur necessario; sed Deus est huiusmodi, quia modo producit, modo conservat, modo parcit, modo punit, et una harum actionum non est alia: ergo in Deo est mutatio aliqua.

7. Hoc ipsum ostenditur ratione *missionis*. Omnis vera missio et descensus est vera mutatio; sed Filius Dei secundum Scripturas missus est in carnem et de caelo descendit[3], et hoc non potest esse secundum humanam naturam: ergo est mutatus et mutabilis secundum divinam.

8. Item, Filius Dei est aliquid secundum quod homo; sed impossibile est de *non-tali* fieri *tale* sine illius[4] mutatione, ut de non-albo album; ergo multo fortius sequitur in his quae dicunt substantiam: ergo si Filius Dei est factus homo, necesse est, illam hypostasim esse mutatam.

9. Item, hoc ipsum ostenditur ratione *inhabitationis*. Omne illud, quod incipit esse in aliquo et desinit esse in illo, mutatur saltem per accidens; sed Deus per *gratiam* incipit esse in poenitente et desinit in peccante, et per *essentiam* incipit esse[5] in natura generata et desinit in corrupta: ergo etc.

10. Item, si aliquid est inseparabiliter in aliquo, moto illo, necesse est, illud moveri, quia, ut dicit Philosophus[6], « movendibus nolis » etc; sed Deus per essentiam est in qualibet creatura nec ullo modo separatur ab ea: ergo necesse est, quod moveatur, ipsa mota.

11. Item, hoc ipsum ostenditur ratione *potestatis* sic. Qui potuit aliquid prius, quod non potest modo, potestatem habet mutatam; sed Deus, antequam mundum crearet, potuit ipsum creare, et modo non potest: ergo etc. — *Si dicas*, quod *posse creare* non est posse *quid*[7]; *contra:* sequitur: quidquid Pater potest, potest et Filius; sed Pater potest creare: ergo et Filius. — *Praeterea*, hoc non solvit, quia idem sequitur, si accipiatur quabcumque et quantumcumque et quodcumque aliud signum[8]. — *Si dicas*, quod debet inferri: potest *creasse;* similiter de caeco vere dicitur, quod potest *vidisse*.

12. Item, quidquid Deus potest est possibile; sed si quidquid potuit potest, quidquid fuit Deo possibile modo est possibile; sed hoc est falsum de impossibili *per accidens*, quod secundum Sanctos et doctores[9] est Deo impossibile: ergo idem quod prius: igitur divinum *posse* mutatur.

13. Item, hoc ipsum ostenditur a parte *cognitionis:* quia qui desinit aliquid scire, quod scivit, vel incipit scire, patitur aliquam mutationem in scientia; sed Deus scivit mundum creandum, modo non scit, cum sit omnium falsum: ergo etc.

14. Item, necessario sequitur: si Deus scit aliquid, illud est verum[10]: ergo si quidquid scivit scit, quidquid verum fuit est verum; sed hoc est falsum: ergo et illud, ex quo sequitur: restat igitur, quod divinum *scire* sit mutabile.

15. Item, hoc ipsum ostenditur a parte *voluntatis*. « Voluntas est causa proxima et immediata rerum », ut dicit Augustinus[11]; sed posita causa, ponitur effectus: ergo divinum *velle* non praecedit duratione ipsum *producere:* ergo quando coepit producere, coepit et velle: ergo etc.

16. Item, qui vult aliquid et potest illud nolle necessario mutatur; sed Deus vult salvare aliquem viatorem: aut ergo *potest* nolle, aut *non potest*. Si *non potest:* ergo ille non potest damnari, aut frustratur voluntas Dei; *si potest* nolle; sed qui potest fieri de volente nolens, potest mutari: ergo etc.

17. Item, impossibile est, quod agens secundum voluntatem, cuius operatio conformatur voluntati,

---

[1] Aristot., V. Phys. text. 10. (c. 2.). — Sententia Ambrosii est I. de Fide, c. 9. n. 59; cfr. tom. I. pag. 157, nota 5. — Superius ex E G posuimus *comparationis* pro *compositionis*, quod habent A B, alii *operationis* (sed vide infra in corp., ubi etiam A *comparatione* habet).

[2] Aristot., II. de Anima, text. 45. (c. 4.): Faber autem mutatur solum in actum ex otio. Cfr. tom. I. pag. 157, nota 6.

[3] Rom. 8, 3; Gal. 4, 4. seq.; Ioan. 3, 13; Eph. 4, 9. seq.

[4] A *sui*. [5] Cum G supplevimus *incipit esse*.

[6] Libr. II. Topic. c. 3. (c. 7.). Vide tom. I. pag. 116, nota 8, ubi pro *movendibus* substituimus *motis*.

[7] Sed *ad aliquid;* aliis verbis *posse creare* non est aliquid *absolutum*, sed *relativum*, sicut aliquibus videtur de *posse* generare in Patre; cfr. I. Sent. d. 7. q. 1. seqq.

[8] *Signa* divinae voluntatis ex I. Sent. d. 45. a. 3. q. 2. hoc exprimuntur versu:

Praecipit et prohibet, permittit, consulit, implet.

[9] Cfr. I. Sent. d. 42. q. 3, ubi etiam pro impossibili *per accidens* haec afferuntur exempla: de corrupta non posse facere virginem (Hieronymi exemplum), de praeterito facere, quod non fuerit praeteritum.

[10] Vide supra pag. 4, nota 4. et pag. 16, nota 7.

[11] Libr. III. de Trin. c. 4. n. 9: Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium spirituum atque motionum. Lib. I. de Gen. contra Manich. c. 2. n. 4. ait, quod « voluntas Dei omnium quae sunt ipsa sit causa ». — De *amori* cfr. supra pag. 93, nota 2.

Digitized by Google

volendo unum contrariorum faciat reliquum, et e converso; sed Deus modo mortificat, modo vivificat[1] et multa alia facit incompossibilia: ergo necesse est, quod voluntas eius modo velit unum, modo contrarium. Sed omnis talis voluntas mutatur: ergo divinum *velle*[2] est mutabile; sed hoc est idem quod *esse*: ergo etc. — *Si dicas*, quod hoc est ratione effectus; hoc nihil est, quia non ideo Deus vult aliquid, quia illud fit, sed magis e converso: restat ergo, quod ratio mutabilitatis principaliter venit a voluntate divina.

CONCLUSIO.

Divinum esse est omnino incommutabile.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio divinum *esse* est omnino incommutabile; et hoc quidem necesse est ponere, licet non possimus perfecte intelligere; unde in ponendo omnes concordant. Omnes enim recte intelligentes, non solum Sancti, sed etiam philosophi, ponunt divinum *esse* immutabile, eo quod *simplicissimum*, *immensum* et *aeternum*. — Eo enim, quod *simplicissimum*, est immutabile secundum *formam*; eo quod *immensum*, immutabile secundum *situm*; eo quod *aeternum*, immutabile secundum *tempus*; omnis autem motus et mutatio secundum Augustinum[3] et Hugonem reducitur ad aliquam praedictarum differentiarum: et ideo divinum *esse* nullo modo potest compati mutationem vel motum. Conclusio. Ratio 1.

Et *iterum*, eo quod *simplex*, est immutabile *ex se ipso*; nihil enim habet, quod non sit ipsum eius essentiale *esse*, quod quidem « non est accidens, sed subsistens veritas », ut dicit Hilarius[4]. Eo vero quod *immensum*, non est mutabile *in alio* vel *ab alio*; non enim potest aliud transferre ipsum, cum sit ubique totum. Ex eo autem, quod est *aeternum*, non est mutabile *cum alio*, quia ipsum manet fixum, aliis succedentibus. Ratio 2.

Postremo, eo quod *simplicissimum*, ideo non mutatur *comparatione* nec *operatione*, quia neutrum dicit aliquid diversum vel accidens ad ipsum, ex cuius accessu vel recessu componatur aut mutetur *esse* divinum. Quia vero *immensum*, non mutatur nec *missione* nec *inhabitatione*, quia talis missio vel inhabitatio est nec per aliquam circumscriptionem nec per aliquam loci transitionem[5], sed per praesentiam et manifestationem. Quia vero *aeternum*, non mutatur nec *voluntate* nec *potestate* nec *scientia*, pro eo quod quidquid potest, scit et vult, aeternaliter potest, scit et vult; unde sicut nulla est in aeternitate mutabilitas, sic nec in scientia, voluntate et potentia. — Omni igitur modo, sicut pertractanti apparet, necessarium est ponere, divinum *esse* incommutabilitatem habere; et hoc dicunt omnes. Ratio 3.

Sunt autem ad intelligendam aeternitatem simul oportet intelligere Deum *simplicem* et *immensum*, sic ad intelligendam immutabilitatem oportet intelligere simul Dei summam *simplicitatem*, *aeternitatem* et *immensitatem*. Quia enim *simplex* est, nihil sibi accidit; quia *aeternus*, nihil sibi advenit, nihil recedit; quia *immensus*, omnis proprietas dignitatis convenit ei: et ideo se ipso sine aliquo accidente vel adveniente potest producere et non producere, velle et non velle, praescire et non praescire, exaudire et non exaudire, sicut deret eius summam nobilitatem. Et sicut *unita* potest, cum sit *unus*; et *temporalia*, cum sit aeternus; et *finita*, cum sit infinitus; et *composita*, cum sit simplex: sic *corruptibilia* et mutabilia, cum tamen ipse immutabilis perseveret. — Et hoc est quod dicit Hugo, prima parte de Sacramentis[6]: « Firmiter teneatur quod omni animae rationali naturaliter est insertum, scilicet incommutabilem esse Deum. Non enim *augeri* potest, quia immensus est, nec *minui*, quia unus est, nec *loco mutari*, quia ubique est, nec *tempore*, quia aeternus est, nec *cognitione*, quia sapientissimus est, nec *affectione*, quia optimus est ». Ex quo apparet, qualiter et quare intelligimus Deum immutabilem in suo *esse*. Explicatur. Notandum. Confirmatur.

Ad intelligentiam autem obiectorum notandum, quod illa quae dicuntur de Deo respectu creaturae *significant* divinam essentiam et aliquid *connotant* in creatura; et hoc potest esse dupliciter: *actu* vel *habitu*. Ex parte *principalis significati* sunt ipse Deus, qui non mutatur nec multiplicatur nec incipit[7] nec desinit. Ex parte *connotati* sive contellecti dicunt quid creatum vel creabile; et ex illa parte est inceptio et desitio et variatio, sed differenter secundum diversum modum connotandi. Cum enim illud quod dicitur de Deo connotat creatum in *actu*; tunc potest *incipere* et *desinere*, *inesse* et *non inesse* sine mutatione ex parte Dei, sed non sine mutatione ex parte creati; ut patet, cum dicimus, Deum conservare aliquid. Cum vero connotat creabile in Ad intelligentiam obiectorum. Distinctio. Notanda differentia.

---

[1] Libr. I. Reg. 2, 6: Dominus mortificat et vivificat.

[2] Hic quoad omnia reliqua deficit B.

[3] Cfr. I. Sent. d. 37. p. II. dub. 2. — Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. III. c. 15: Omne enim corpus aut loco mutatur, aut forma, aut tempore. Libr. VII. Eruditionis didascalicae, c. 19, ait: Tribus modis fit omnis mutabilitas: loco, forma et tempore. — Inferius pro *differentiarum*, quod habent A G, alii *differentiam*.

[4] Libr. VII. de Trin. n. 14: *Esse* enim non est accidens *nomen*, sed subsistens veritas et manens causa et naturalis generis proprietas. Cfr. supra pag. 88, nota 1, verba Boethii.

[5] A *loci transmutationem*; codd. excepto E, omittunt vel *circumscriptionem*, vel *loci transitionem*. Inferius pro *potestate* A E G *potentia*. Subinde pro *dicunt*, quod habet G, alii *dant*.

[6] Libr. I. p. III. c. 13: Et ascendit [ratio] et transit et probat, quoniam ita est, et quoniam variari et mutari non potest Deus omnino. Non enim augeri potest *qui* [textus originalis in seqq. constanter *qui* pro *quia*] immensus... nec affecto qui optimus est.

[7] Ita E G, alii *incepit*. Inferius pro *tunc potest*, quod praebent E G, alii vel *non potest*, vel *non possit*.

Digitized by Google

habitu sive in aptitudine, tunc non potest esse *inceptio*, potest tamen esse *desitio*, potest etiam *inesse* et *non inesse* sine mutatione Dei et creaturae. Et ratio huius est *connotatio futuri; futurum* autem nunquam *incipit* esse futurum, ut dicit Anselmus [1], sed bene *desinit* esse futurum, cum sit praesens. — Et *rursus*, contingens futurum potest non esse sine mutatione, quia nihil actu ponit in re. — Ex his igitur patet, si quis capiat, quod Deo possunt attribui duo opposita sine ulla sui mutatione: sed quaedam sunt, in quibus exigitur mutatio creaturae, utpote in temporalibus, quaedam vero, in quibus minime. Quoltercumque igitur intelligatur, necesse est ponere divinum *esse* omnino immutabile [2]. — Unde concedendae sunt rationes hoc ostendentes.

Notandum. Corollarium.

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod omnium mobilium mobilior est sapientia; dicendum, quod aliquid dicitur *mobile* tripliciter: vel per *causalitatem efficientem*, vel per *exemplaritatem repraesentantem*, vel per *varietatem inhaerentem*. Primo et secundo modo dicitur sapientia mobilissima, quia hoc est perfectionis; sed non *tertio*, quia hoc spectat ad incompletionem. — Vel potest dici, quod quia mobile secundum *situm* ex ipso motu praesens efficitur pluribus locis, et quod velocius movetur pluribus locis velocius praesentatur; hinc est, quod cum divina sapientia omnibus sit praesentissima, *maxime mobilis* dicitur inter omnia mobilia, non quia sit transiens de uno in aliud, sed quia est omnibus praesens. Et hoc est quod dicit Dionysius de Divinis Nominibus, capitulo nono [3]: « Moveri Deum religiose existimandum est, non secundum portationem, aut mutationem, aut alterationem, aut modalem aut localem motum, non directum, non circularem, non ex ambobus, non intelligibilem, non animalem, non naturalem, sed quod ad substantiam agat Deus et contineat omnia et totaliter omnia provideat, et quod adsit omnibus omnium circuitu et ad existentia omnia provisivis processibus et operationibus ».

Solutio oppositorum. Triplex mobile.

2. Ad illud quod obiicitur, quod gradus attenditur in creaturis secundum maiorem nobilitatem etc.; dicendum, quod quaedam sunt, quae conveniunt creaturis secundum plus et minus, ita quod de se non sonant in imperfectionem, sicut bonitas, veritas, bonitas; et in talibus summum attribuendum est Deo, cui competit omnis perfectio. Quaedam autem sunt, quae dicunt dignitatem aliquam cum *imperfectione*, sicut *mobilitas*, quae dicit actualitatem quandam cum adiuncta possibilitate [4], et talia ratione imperfectionis adiunctae Deo attribui non possunt nec debent, nec in termino nec citra terminum secundum sermonis proprietatem.

Alia solutio. Distinctio.

3. 4. Ad illud quod obiicitur ex parte *comparationis*, quod Deo aliquid advenit ex tempore; dicendum, quod in huiusmodi, sicut in solutione tactum est, est intelligere *principale significatum* et *connotatum*; et *principale* quidem *significatum* est ex parte Dei, ac per hoc aeternum et incommutabile; *connotatum* vero ex parte creaturae, et ideo temporale et mutabile. Quod ergo dicuntur ista *incipere* vel *desinere*, hoc non est ex parte eius quod ponitur in Deo, sed ex parte eius quod ponitur in effectu creato. — Et per hoc patet illud quod obiicitur, quod huiusmodi nomina dicunt aliquid, quod est *Deus*, et aliquid, quod est *a Deo*; et ratione primi praedicantur, non ratione secundi; et ratione secundi incipiunt et desinunt, non ratione primi; quia ad hoc, quod aliquod totum copulatum sit temporale vel contingens, sufficit, quod temporalitatem vel contingentiam habeat in aliqua sui parte [5].

5. 6. Ad illud quod obiicitur de *actione*, quod fit de non agente agens; dicendum, quod est agens, quod agit se ipso, et est agens, quod agit per aliquid aliud a se. Primum agens in agendo mutari non potest, quia nihil sibi advenit, nihil abscedit ex actione, cum sua actio sit idem quod ipsum. De alio vero agente, quod differt a sua actione, habet praedicta propositio veritatem. Deus autem est agens primo modo, non secundo, quia pro summa simplicitate ipse est sua actio. — Et *si tu obicias:* si ipse est sua actio, sicut non incipit esse, sic non incipit agere; dicendum, quod non incipit agere ratione ipsius *actus intrinseci*, qui est idem quod ipse, sed ratione *effectus extrinseci*, qui se tenet ex parte creaturae, qui incipit et pluralificatur secundum creaturarum varietatem. — Et per hoc patet responsio ad sequens de pluralitate actionum. Quod enim ponantur in Deo plures actiones incompossibiles, hoc non est ratione pluralitatis actuum intrinsecorum, sed ratione pluralitatis effectuum et connotatorum. Nam actus intrinsecus, cum sit Deus, est unus et incommutabilis et aeternus; effectus vero extrinsecus, cum

Notandum de actu intrinseco. Notandum.

---

[1] Monolog. c. 18. inter rationes probantes, quod summa natura [Deus] sit sine principio et sine fine, affertur etiam haec: Deinde cogitet qui potest, quando incepit aut quando non fuit hoc verum, scilicet quia futurum erat aliquid, aut quando desinet et non erit hoc verum, scilicet quia praeteritum erit aliquid. Quodsi neutrum horum cogitari potest... impossibile est vel cogitare, quod veritas principium vel finem habeat. Cfr. Dialog. de veritate, c. 10.

[2] Cfr. 1. Sent. d. 30. q. 1. sexp., d. 38. a. 2. q. 2, d. 39. a. 1. q. 3. et d. 40. a. 2. q. 1. ad 4.

[3] Paragr. 9. Versio haec convenit cum illa, quae in operibus S. Thomae exhibetur. Textus originalis voci *circuitu* addit *immensurabili* (τῇ πάντων ἀμέτρῳ περιοχῇ). Ibi tic *sed quod ad substantiam agat Deus* (ἀλλὰ τὸ εἰς οὐσίαν ἄγειν τὸν Θεὸν) ab abbate Vercellensi sic proponitur: sed quod [Deus] omnia ad *esse* deducat. — Cfr. August., IV. de Gen. ad lit. c. 12. n. 23.

[4] Vide infra a. 2. fundam. 2. verba Aristot. — De dictione *in termino* cfr. supra pag. 68, nota 2. — De ipsa solut. vide Anselm., Monolog. c. 15.

[5] Simili modo respectu syllogismi dicitur, quod *peiorem* [negationem et particularitatem] sequitur semper conclusio partem. Cfr. infra q. 7. ad 3. — Superius post *et ratione primi* codd. praeter E vel omittunt *non ratione secundi*, vel [ita DG] *et ratione secundi*.

Digitized by Google

sit creatus, est multiplex et mutabilis et temporalis, largo modo accipiendo tempus[1]; et hoc nullam inducit mutationem circa *esse* divinum.

7. 8. Ad illud quod obiicitur de *missione*, quod omnis missio et descensus est mutatio; dicendum, quod missio in divinis non accipitur ibi *proprie*, sed *translative;* nec aliud dicunt in Deo quam emanationem unius ab altero et manifestationem in effectu creato[2]. Unde cum Deus sit semper ubique praesens, Pater scilicet et Filius et Spiritus sanctus, secundum essentiam, potentiam et praesentiam; quia tamen in caelestibus habitat per gloriam et apparet per illustrationem apertam, quando in creaturis inferioribus incipit apparere, quasi de non praesente incipit esse praesens; et ideo dicitur *mitti* et *descendere*, non ratione alicuius innovationis seu novitatis ex parte sui, sed solum ratione ostensionis et manifestationis nobis exhibitae et in nobis factae. — Et *si obiicit* tunc, quod Filius Dei est factus homo de novo, et *homo* dicit aliquid, quod est in ipso; dicendum, quod *homo* praedicatur de Filio ratione unionis duarum naturarum in unam hypostasim; et ideo, cum *unio* dicatur per modum relationis et possit attribui alicui de novo absque mutatione facta in ipso, sed solum propter mutationem factam in altero extremo, sicut patet in dextro et sinistro[3]: hinc est, quod Filius Dei de novo factus est homo sine mutatione personae aeternae, ex sola mutatione naturae assumtae, quae simul formata fuit et Verbo unita; et sicut Verbum non mutatur in illius naturae formatione, sic nec in formatae assumtione.

Quid missio. Notandum.

9. 10. Ad illud quod obiicitur de *habitatione*, quod Deus per gratiam incipit esse in poenitente; dicendum, quod aliquid dicitur esse in aliquo dupliciter: vel ita, quod ab ipso aliquo modo dependet et per illud contrahitur et delimitur; et quod hoc modo incipit esse in aliquo mutatur ex illa inceptione et movetur ad motum illius, in quo est; sicut patet de existentia universalis in particulari et formae in materia et locati in loco et accidentis in subiecto. Deus autem sic est in creatura per essentiam et influentiam, quod ipse a creatura non dependet nec in ea coarctatur nec delimitur; et ideo, quod incipit habitare in aliquo, hoc non est propter mutationem factam in ipso, sed solum in creatura vel in influentia media, ratione cuius dicitur Deus in creatura habitare de novo, novam scilicet gratiam influendo. — Similiter, cum sit in creatura, non *movetur* tamen ad motum ipsius, sicut illa, de quibus dicit Philosophus, quod « moventibus nobis, moventur ea quae in nobis sunt », pro eo quod ipse in creatura non dependet nec coarctatur nec definitur. Unde sicut radius est in aere, nec tamen movetur ad aeris motum; sicut anima in qualibet parte corporis tota, nec tamen movetur ad motum cuiuslibet partis, quia non in qualibet definitur: sic et in proposito intelligendum est. Et per hoc patet responsio ad praesens. — Et *si obiiciat*, quod non videtur intelligibile, quod aliquid sit in aliquo inseparabiliter, nec tamen moveatur ad eius mutationem; dicendum, quod illud intelligere possumus, si simul intelligamus Deum *simplicissimum* et *immensum*. Quia enim *immensus* est, sic est *intra*, quod *extra*[4]; quia *simplicissimus* est, nullatenus distat a se ipso, quantacumque sit in rebus, in quibus est, localis distantia et separatio. Et hinc est, quod quantumcumque res, in quibus Deus est, intelligantur mutari, nullo modo, nec re nec intellectu, ponitur ex hoc Deus mutabilis. In omni enim motu et mutatione necesse est intelligere accessum et recessum, ac per hoc aliquam distantiam extremorum; quod nullatenus poni potest circa *esse* divinum, nec *per se* nec per *accidens*, cum simul sit infinitum et simplex. Et ideo fallitur hic imaginatio phantasiae.

Distinctio. Deus non movetur in mota creatura. Similis. Explanatio notanda.

11. 12. Ad illud quod obiicitur de *potestate*, quod non quidquid potuit potest; dicendum, quod aliquis dicitur *non posse quod potuit* dupliciter: vel propter defectum aliquem subintroductum ex parte *ipsius potentiae* producentis, vel propter mutationem conditionis ex parte *ipsius possibilis*. Quod enim est possibile et verum effici potest impossibile per rei mutationem: sicut *me non legisse*, antequam legam, est verum, sed postquam legero, factum est impossibile, quod dicitur *impossibile per accidens;* quod etiam, ut dicit Augustinus contra Faustum[5], est Deo impossibile, quia illud *posse* non est potentiae, sed magis impotentiae, cum sit contra summam veritatem, facere scilicet, quod fuit, postquam fuit, non fuisse. Quoniam ergo divina potentia semper uniformiter perseverat, quaecumque et qualiacumque et quodcumque et quantacumque potuit et nunc potest, quantum est *de se;* quia vero multa *vera* facta sunt falsa, et *possibilia* facta sunt impossibilia: hinc est, quod quantum est ex *parte ipsorum*, non quaecumque potuit potest, quia non quaecumque *fuerunt* possibilia *sunt* possibilia, et hoc non per mutationem circa *efficientem*[6] *potentiam*, sed circa *possibilia effecta*. — Et per hoc patet respon- Distinctio.

---

[1] Quatenus scil. dicit mensuram cuiuslibet durationis creatae et non tantum corporales res, sed etiam spiritus respicit; cfr. II. Sent. d. 2. p. I. a. 2. q. 4.

[2] Vide I. Sent. d. 16. q. 1. — De modis existendi *per essentiam* etc. cfr. ibid. d. 37. p. I. a. 3. q. 2. — Inferius cum A ponimus *per gloriam*, pro quo alii *per gratiam*.

[3] Boeth., de Trin. c. 5: Age enim, stet quisquam, ei igitur si accedam dexter, erit ille sinister ad me comparatus; non quod ille ipse sinister sit, sed quod ego dexter accesserim etc. Cfr. III. Sent. d. 1. a. 1. q. 1. ad 3.

[4] Vide supra pag. 81, nota 3. Cfr. I. Sent. d. 37. p. II. a. 1. q. 2. — Superius pro *praesens*, quod habent A E G, alii *sequens*.

[5] Libr. XXVI. c. 4. seq. Cfr. I. Sent. d. 42. q. 3, ubi etiam ipsa verba August. allata sunt, et d. 44. a. 2. — Superius vocibus *ipsius possibilis* A E G interserunt *potentiae*.

[6] Ita E G, alii *effectricem*.

Digitized by Google

sio ad sequens de *impossibili per accidens*. — Et *si tu obicias*, quod divina potentia nullatenus pendet ex possibili, cum ex nihilo possit omnia producere; dicendum, quod hoc non est propter dependentiam, sed propter connotationem: quia, cum dicitur, Deum posse aliquid, simul et insinuatur, quod illud sit possibile sibi, ac per hoc, quod nihil habent repugnans divinae potentiae, sapientiae et bonitati, quin possit in *esse* produci, salva omni nobilitate *posse* divini.

13. 14. Ad illud quod obiicitur de *scientia*, dicendum, quod cum dicitur Deus scire aliquid, hoc dupliciter potest intelligi: vel quia *habet cognitionem* de illo, vel quia *iudicat*, illud esse verum. Primo modo *scire* Dei non connotat existentiam veritatis in scito; et hoc modo quidquid scivit scit, quia de omni eo habet notitiam, de quo ab aeterno habuit. Secundo modo connotat veritatem circa cognitum; et hoc modo non quidquid scivit scit, sicut non quidquid egit agit; et hoc non propter mutationem ex parte scientis, sed solum ex parte cogniti[1]. — Et per hoc patet responsio ad illud quod consequenter obiicit de veritate cogniti: quia divinum *scire* ponit veritatem in cognito secundum meam acceptionem, non secundum aliam, sicut patet per distinctionem praehabitam. Distinctio.

15. Ad illud quod obiicitur ex parte divinae *voluntatis*; dicendum, quod causa proxima et immediata dicitur tripliciter: aut respectu *substantiae*, aut *dispositionis*, aut *actus*; ratione *substantiae*, inter quam et effectum non cadit alia substantia causans media; ratione *dispositionis*, cui non additur nova dispositio ad effectum producendum; ratione vero *actus*, quia ipsi actui coniungitur. Sed actus divinus dupliciter accipitur, scilicet ut *intra* et ut *efficiens aliquid extra*. Est igitur divina[2] voluntas causa proxima et immediata rerum producendarum ratione *substantiae* et *dispositionis* et *actus intrinseci*, sed non ratione *efficientiae exterioris* nisi pro eo tempore, pro quo vult. Et hoc habet divina voluntas, quia simul est omnipotentissima et liberrima; et ideo, licet ab aeterno voluerit producere mundum, quia tamen non voluit, quod mundi productio esset ab aeterno, sed solum in tempore: hinc est, quod in tempore produxit, nulla facta mutatione in voluntate, et incepit effectus, non incipiente causa. Et quod obiicitur de causa proxima et immediata, intelligitur de illa quae est causa proxima et immediata secundum triplicem rationem praedictam. Causa proxima dicitur tripliciter. Duplex actus. Notandum.

16. Ad illud quod obiicitur, quod Deus, qui vult aliquid, potest illud nolle; dicendum, quod divinum *velle* connotat respectum et ordinem ad aliquod futurum, et illud futurum potest esse vel non esse sine mutatione, sicut prius dictum est in principali solutione; hinc est, quod respectu futurorum contingentium Deus potest dici *volens*, vel *non volens*, nullatenus facta mutatione in ipso volente.

17. Ad illud quod obiicitur, quod Deus sic est agens secundum voluntatem, ita quod eius operatio voluntati configuratur etc.; dicendum, quod agens secundum voluntatem duplex est: unum, cuius voluntas determinatur ad aliquod volitum, ita quod non simul et semel fertur super universitatem suorum effectuum, sed modo vult hoc, modo illud; et in hoc[3] agente secundum voluntatem illud quod obiicit habet veritatem. Aliud est agens secundum voluntatem, cuius voluntas fertur super omne illud, quod disposuit sapientia dictans; et huiusmodi agens sicut omnia simul disposuit, quae successive producuntur, ita quod ipsa dispositio non variatur secundum variationem producendorum; sic et voluntas, quae illi dispositioni prorsus est consona, remanet non mutata. Unde sicut divina ars et divinum consilium, secundum quod diversa fiunt et praecipiuntur, semper in se ipso remanet non mutatum; sic et divinum beneplacitum semper remanet non mutatum, quamvis illa mutentur, quae ab ipso procedunt; pro eo quod simul et semel et aeternaliter et immutabiliter respicit omnia, quae aeternaliter producuntur, sicut et *ars*, *ratio* et *exemplar*, *verbum* et *sapientia* et cetera consimilia; in quibus nulla fit variatio propter mutationem factam in rebus extra, respectu quarum nulla est in Deo prorsus dependentia, licet omnia ab eius sapientia et voluntate et potentia dependeant tanquam a causa nobilissima, stabilissima, sufficientissima, primoria et suprema. Duplex agens secundum voluntatem. Notandum.

ARTICULUS II.

Utrum simul stent trinitas et summa immutabilitas.

Deinde quaeritur, utrum simul stent trinitas et summa immutabilitas. Et quod sint incompossibiles, videtur.

1. Impossibile est, speciem esse sine genere[4]; sed generatio sive productio est species motus sive mutationis: ergo ubi generatio, ibi mutatio; sed tri- Ad oppositum.

[1] Cfr. supra Quaest. de scientia Christi, q. 1. ad 1. seq.

[2] G addit *potentia vel*. — De hac solut. cfr. I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2.

[3] G *de hoc*. Inferius pro *productorum* posuimus cum E H *producendorum*; ideo H in fine solut. pro *stabilissima* substituit *sublimissima*. Post *suprema* G addit et *dignissima* etc.

[4] Porphyr., de Praedicab. c. *de Communitatibus et differentiis generis et speciei*: Genera [speciebus] praeiacere opor-

Digitized by Google

nitas non est, nisi quia una persona per generationem procedit ab alia: ergo etc.

2. Item, generatio in creaturis dicit *relationem* et dicit *mutationem* et essentialius et principalius dicit *mutationem* quam *relationem*; sed non potest poni in summa Trinitate sine relatione, alioquin non diceret veram distinctionem: ergo pari vel fortiori ratione non potest poni sine mutatione.

3. Item, impossibile est, esse nec intelligi alicuius corruptionem sine mutatione; sed generatio vel productio opponitur directe corruptioni, quia, sicut illa ad *esse*, ita ista ad *non-esse*[1]: ergo nusquam est sine mutatione: ergo nec in divinis personis.

4. Item, si aliquid sequitur ad aliquid, eodem addito, utrobique adhuc sequitur; sed sequitur: est generatio in tempore, ergo mutatio in tempore: ergo pari ratione vel fortiori generatio in aeternitate infert mutationem in aeternitate: ergo non stat cum immutabilitate.

5. Item, Augustinus[2] dicit, quod sequitur: si Spiritus sanctus possit generari, quod posset mutari: ergo in divinis *generari* infert *mutari*, ergo non potest stare cum eius opposito; sed eius oppositum est summa immutabilitas: ergo etc.

6. Item, si productio est in divinis, aut ergo *necessitate*, aut *voluntate*. Si *necessitate*: ergo non est ibi summa liberalitas nec potestas; si *voluntate*: ergo qui producitur potest non produci, ergo non esse, ac per hoc mutari: ergo idem quod prius.

7. Item, quod repugnat alicui propter statum imperfectum multo fortius secundum statum perfectum; sed in creatura non est immutabilitas nisi semiplena, et tamen in substantiis perpetuis et incorporalibus non potest esse plurificatio per productionem similis ex simili[3]: ergo nec in Deo.

8. Item, quod repugnat causae repugnat causato; sed causa, quare vis generativa data est rebus, est «propter longe distare a primo et propter corruptionem»: ergo si immutabilitas summa repugnat corruptioni, ergo productioni per generationem. *Minor* probatur per Philosophum[4].

9. Item, impossibile est, quod Deus producat aliquid de alicna substantia sine illius substantiae mutatione; sed tantum Deus potest super alia, sicut super se, sive circa se: ergo nec de sua substantia sine suae substantiae mutatione: ergo si trinitas est per productionem etc.

10. Item, plus recedit a ratione mutabilitatis *nihil* quam *aliquid*, ergo et productio rei de nihilo quam productio de aliquo; nihil enim nullo modo mutabile est[5]; sed impossibile est, aliquid produci de *nihilo* sine eius mutabilitate: ergo similiter de *aliquo*.

11. Item, secundum rationem intelligendi simplicior et prior est forma quam suppositum, et natura quam persona[6]; sed impossibile est, formam aliquam produci de aliquo sine mutatione sui et eius, de quo est: ergo pari ratione impossibile est, suppositum sive personam sine mutatione esse productam.

12. Item, sicut se habet pars ad partem, ita se habet totum ad totum; sed si Pater produceret Filium de parte substantiae, necesse esset, substantiam mutari secundum partem: ergo cum producit de tota, necesse est, ipsam mutari secundum totum: ergo etc.

Sed contra: 1. Productio personae de persona in Trinitate stat cum summa simplicitate, ut patet ex praecedentibus[7]; sed ubi summa simplicitas, ibi omnimoda invariabilitas et immutabilitas: ergo trinitas et ei competens emanatio non repugnat immutabilitati. Fundamenta.

2. Item, emanatio personae de persona stat cum summa actualitate; sed ubi summa actualitas, omnimoda est immutabilitas, quia «motus est entelechia entis in potentia[8]», et omne mutabile aliquo modo possibile; sed quod stat cum antecedente necessario stat cum consequente: ergo etc.

3. Item, in summa aeternitate nulla potest esse variabilitas, quia omnis motus stat cum priori et posteriori vel tempore, vel natura[9]; sed trinitas personarum et earundem productio stat cum aeternitate: ergo cum summa immutabilitate.

4. Item, «in *ad aliquid* non est motus[10]»; sed trinitatem et personarum pluralitatem facit relatio, secundum quod dicit Boethius: «Relatio multiplicat

---

et... unde et priora sunt naturaliter genera... et species quidem cum sit, est et genus omnino, genus vero cum sit, non omnino erit species. Cfr. Aristot., IV. Topic. c. 1. — *Minor* insinuatur ab Aristot., de Praedicam. c. *de Motu*. Vide tom. I. pag. 664, nota 4.

[1] Cfr. supra pag. 93, nota 3.

[2] Alex. Hal., S. p. I. q. 4. m. 1: Item I. Sent. d. VII. [c. 1.] Magister: Si Spiritus sanctus nasci potuit, potuit esse Filius; et si potuit esse Filius, mutabilis esse potuit. (Magister hoc, cit. praemiserat quaedam verba Augustini. S. Bonav. I. Sent. d. 7. dub. 4. ait: Item quaeritur de ista *illatione Magistri*: Spiritus sanctus potuit esse Filius etc.).

[3] Id est: generatione. Richard. a S. Vict., IV. de Trin. c. 14: In angelica autem natura nulla est propagatio, sed sola simplexque creatio. Cfr. supra pag. 75, nota 7. — Superius pro *immutabilitas*, quod habet E, alii perperam *mutabilitas*.

[4] Libr. II. de General. et corrupt. text. 59. (c. 10.). Cfr. tom. I. pag. 180, nota 8. Dictio *a primo* idem ac *a principio*.

[5] Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 67. (c. 8.), ubi docet, quod nihili nulla sit differentia. — Post pauca pro *aliquid*, quod praebet A, alii *aliquem*.

[6] Vide supra q. 2. a. 2. in corp.

[7] Quaest. 3. a. 2.

[8] Aristot., III. Phys. text. 6. (c. 1.). Entelechia (ἐντελέχεια) idem est ac actus.

[9] Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 99. et 131. (c. 11. et 14.): Prius autem et posterius in motu est. — De *priori* tempore vel natura cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Priori* et c. *de Simul*. — *Minor* probata est supra q. 5. a. 2.

[10] Aristot., V. Phys. text. 10. (c. 2.) et XI. Metaph. c. 11. (X. c. 12.). — Verba Boethii habentur in libro de Trin. c. 6.

Digitized by Google

Trinitatem »; ergo impossibile est ibi ex hac causa ponere mutationem nec motum: stat ergo cum summa immutabilitate.

5. Item, in eo, in quo est simul *produci* et *productum esse*, non est prius et posterius, nec duratione[1] nec natura nec re; sed hoc reperitur in omni mutatione: ergo etc.

6. Item, possibile est, Deum producere creaturam sine sui mutatione, quia producit se ipso[2]: ergo similiter Pater potest producere personam sine mutatione suae personae vel naturae: ergo pari ratione et Filius sine mutatione produci: ergo productio non cogit aliquid ibi mutari.

7. Item, Deus intelligit se sine aliqua sui mutatione; sed intelligendo se dicit et dicendo Verbum generat: ergo absque omni mutatione habet Verbum generare, pari ratione et Spiritum sanctum spirare: ergo etc.

CONCLUSIO.

Trinitas personarum stat cum summa immutabilitate.

Conclusio.

Ratio duplex.

RESPONDEO: Dicendum, quod trinitas personarum, quae in divinis est per emanationem unius ab alia, stat cum immutabilitate summa. — Et huius ratio duplex est, scilicet summa *aeternitas* et summa *simplicitas*. Summa *aeternitas* non patitur, ibi esse aliquam mutationem, summa *simplicitas* non patitur ibi esse aliquod mutabile. Si ergo trinitas est cum simplicitate et aeternitate; et ubi aeternitas, nulla mutatio, ubi simplicitas summa, nihil mutabile; et iis ablatis, tollitur omnis mutabilitas: necessario simul stant trinitas et summa immutabilitas.

Explicatur ratio quoad de aeternitate.

Triplex mutatio.

Et hoc patet sic. Ubi enim est *aeternitas*, nihil est incipiens, nihil succedens; nulla igitur inceptio, nulla successio, nulla defectio. Omnis autem mutatio aut est a *non-esse* in *esse*, aut ab *esse* in *non-esse*, aut ab *uno esse* in *aliud esse*[3]; mutatio autem *ad esse* non est sine inceptione, mutatio vero *ab esse* non est sine defectione, mutatio *in esse* non potest esse sine qualicumque successione, quia non est sine variatione. Aeternitas igitur excludit omnem mutationem; haec autem stat cum trinitate: ergo in excellentia Trinitatis nulla mutatio ratione aeternitatis.

Item ratio quoad de simplicitate.

— Nihil inest mutabile ratione *simplicitatis*. Est enim ibi summa *simplicitas naturae* et *personae* et *utriusque* inviceem comparatae. Propter simplicitatem *naturae* nulla potest esse ibi *decisio* in eo, *de quo* est productio; propter simplicitatem *personae* nulla potest esse *compositio* in *producto;* ratione simplicitatis in *utraque* nulla potest esse *abiectio* a principio productivo. Ex hoc ergo colligitur, quod nihil est ibi mutabile, nec ille qui producitur, nec ille qui producit, nec illud, de quo producitur. Ex hoc enim, quod non fit *abiectio habiti* ex parte *principii*, nec *introductio novi* ex parte producti, nec *decisio indivisi* ex parte fundamenti, de quo intelligitur produci, nec materialiter nec causaliter, sed substantialiter; nihil est quod possit mutari. — Si igitur intelligitur summa trinitas in summa simplicitate et aeternitate, necessario oportet pariter intelligi, ut consistat in omnimoda immutabilitate[4]. — Amplius, quoniam actualis immutabilitas cum summa simplicitate et aeternitate ponit summam actualitatem, et actualitas summa est per plenam conversionem eiusdem supra se intelligendo et amando, et intellectus includit verbum, et amor includit nexum; sicut immutabilitati primi principii non solum non repugnat se ipsum intelligere et amare, quin potius est consonans, sic non repugnat, immo consonat generare Verbum et spirare Amorem. Immutabiliter enim sibi competit utrumque et semper in actu. Ideo, si recte immutabilitas intelligatur, non solum non excludit, sed includit[5] beatissimam Trinitatem; et hoc, quia summe immutabile necesse est esse simplex, aeternum et actuale secundum plenitudinem actualitatis interminatae et perfectae. — Unde concludendae sunt rationes, quae sunt ad istam partem.

Alia argumentatio.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod ubi generatio, ibi mutatio; dicendum, quod illud verum est in creaturis, ubi generatio est exitus ab ente in potentia in ens in actu, ubi etiam per consequens est mutatio, quia quod generatur se habet aliter nunc quam prius. Secus autem est in divinis, quia alia generatio est omnimodae actualitatis et a parte principii et termini et ipsius productionis et eius, de quo fit productio. Unde quia nulla est ibi acquisitio novi *esse*, et est tamen acceptio veri et actualis et sempiterni *esse;* ideo, licet sit vera productio, non tamen est ibi vera mutatio[6].

2. Ad illud quod obiicitur, quod generatio dicit mutationem et relationem; dicendum, quod ea quae sunt in creaturis, si ponantur in Creatore, poni debent secundum illud quod completionis habent, non secundum illud quod incompletionis. *Motus* autem et *mutatio* semper incompletionem dicunt, *relatio* autem dicit ut pluries complementum, maxime illa, quae originem dicit in nobilissimis[7] sine dependentia aliqua; et hoc modo in illa productione aeterna.

---

[1] E G H totam praecedentem propositionem hic repetunt, mutato *Item* in *ergo*.

[2] Vide supra a. 1, ad 5, et 6. — Mox pro *personam* A *Filium*.

[3] Cfr. Aristot., V. Phys. text. 7. (c. 1.).

[4] Hic desinunt omnes codd., excepto D (continuato ab alia, tamen suppari manu); loca nonnulla ipsius corrupta coniectura corrigenda nobis erant, ut ex notis adiectis intelligi potest.

[5] Supplevimus *sed includit*, quod D omittit.

[6] Cfr. I. Sent. d. 9. q. 1.

[7] H corrupte *relatio autem dicitur ut pluries... originem dicitur nobilissimis.*

Digitized by Google

3. Ad illud quod obiicitur, quod corruptio non potest intelligi sine mutatione; dicendum, quod non est simile: quia *corruptio* dicit amissionem *esse*, quae quidem non potest intelligi, nisi fiat post *esse* prius habitum; ac per hoc de necessitate *mutationem* includit, quae non potest *esse* nisi in re mutabili et variabili propter defectum, quem dicit. Sed *generatio* est datio vel acceptio *esse* per consubstantialitatem; et haec potest *esse* circa nobilissimum ens et actualissimum, quia hoc nullum dicit defectum, ac per hoc non de necessitate includit *mutationem*, sicut corruptio. Non *tali generationi* non opponitur *corruptio*, sed illi soli, quae est in creatura, quam quidem corruptio quodam modo sequitur et quodam modo antecedit. «Generatio enim moris corruptio est alterius», sicut dicit Philosophus[1]. De Essentia inter corruptionem et generationem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod generatio in tempore ponit mutationem in tempore: ergo et generatio in aeternitate infert mutationem in aeternitate; dicendum, quod ille modus inferendi tenet, ubi non est *determinatio distrahens*; non sic autem est in proposito: quia generatio in aeternitate est alterius modi quam generatio in tempore, sicut dictum est; non fit de ente in potentia, sicut illa quae tempore mensuratur[2]. Et ideo non sequitur, quodsi ad hanc consequitur modus, quod ad illam consequatur, immo potius oppositum.

5. Ad illud quod obiicitur, quodsi Spiritus sanctus generaretur, quod moveretur; dicendum, quod illud argumentum sequitur, non quia *generari* sit *mutari*, sed quia, posito quod non oportet, accidit quod non oportet[3]. Posito enim, quod Spiritus sanctus, qui accipit *esse* per spirationem, quae realiter differt a generatione, accipiat *esse* per viam generationis; ponitur de necessitate, quod transeat ab uno modo emanandi ad alterum modum realiter differentem; et sic ponitur de necessitate *mutari*, non quia illi modi eundi seu emanandi dicant motus vel mutationes, sed quia transitus ab uno in alterum non potest intelligi sine motu. Et quoniam mutatio in divino *esse* non admittitur, hinc est, quod impossibile est, quod persona, quae per spirationem producitur, generetur. Et hinc est, quod licet *Pater generet et spiret*, non tamen mutatur, quia simul ista duo stant circa personam Patris, spirare scilicet et generare, neque oportet ab uno in alterum transire. Sed hi duo modi non possunt simul competere eidem personae *productae*, ac per hoc, si per impossibile intelligatur poni circa aliquam illarum personarum, per idem impossibile ponitur et *motus*, quia ponitur variari productionis modus. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod scilicet productio est in divinis, aut ergo *necessitate*, aut *voluntate*; dicendum, quod, sicut in quaestione de necessitate[4] melius apparebit, ibi est quodam modo *necessitate* et quodam modo *voluntate*. Non est enim per necessitatem *coactionis*, sed *immutabilitatis*; non per voluntatem *eligentem*, sed per voluntatem *sempiternaliter acceptantem*, secundum quam producens in productione nobilissima sibi complacet et etiam delectatur. Et ideo non sequitur, quod possit ibi esse variatio mutabilitatis et coarctatio potestatis, quia sicut ille qui producitur producitur necessario, liberaliter et potenter. Notandum.

7. Ad illud quod obiicitur, quod immutabilitas creaturae excludit generationem, sicut patet in Angelo, ergo et in Deo; dicendum, quod illud non valet, quia creatura in generando non potest totam dare substantiam suam, propter hoc quod deficit a summa simplicitate et actualitate et communicabilitate; ideo impossibile est, quod aliquid de substantia sua generetur, quin mutetur. Secus autem est in proposito, sicut praedictum est[5], quia generans in divinis generando non dat suae essentiae partem, sed totam essentiam dat simplicissimam et perfectam. — Posset tamen dici, quod et creatura spiritualis generationem habet intrinsecam, quae quidem est ipsius verbi a mente, quae inter cetera creata potissime gerit similitudinem generationis aeternae. Alter.

8. Ad illud quod obiicitur, quod causa generationis et corruptionis est longe distare a primo; dicendum, quod illa non est *tota* ratio. Nam homo, si stetisset in statu innocentiae, tamquam corruptibilis, et tamen generaret. Inde generatio potius est ex perfectione summa et fecunditate et actualitate ipsius primi principii, quam sit ad supplementum defectus corruptionis ipsius principii productivi. Loquitur *ergo* Philosophus de causa generationis secundum statum deficientis naturae, non generaliter et secundum modum generationis illius completissimae, quae est origo omnis productionis. *Nam speciei generatio omnia inter constituit*[6], et ipse, qui generationem aliis tribuit, non potest sterilis esse, secundum quod dicitur ultimo Isaiae. Notandum.

9. Ad illud quod obiicitur, quod Deus non potest producere aliquid de aliqua creatura sine illius commutatione; dicendum, quod non est simile: quia, cum creatura sit mutabilis et non omnino simplex,

---

[1] Libr. I. de Generat. et corrupt. text. 20. (c. 3.) et II. Metaph. text. 7. (l. brevior, c. 2.). — Superius inter verba *sicut corruptio* suppressimus *et*.

[2] Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 114. seq. (c. 12.), ubi explicatur, quid sit in tempore esse et tempore mensurari.

[3] Simili modo ait Aristot. VIII. Phys. text. 36. (c. 5.): Si ergo ponamus possibile esse, nullum impossibile accidet, falsum autem fortassis. — In hoc solut., de qua cfr. I. Sent. d. 7. dub. 4, paulo superius voci *quae* praetiximus *sed*, et inferius *quae* voci *realiter*.

[4] Quaest. seq. a. 2, licet in hoc cod., in principio posita, ordine praecedat. — In fine solut. It semel omnibi *producitur*.

[5] Quaest. 2. a. 2. in corp. et ad 3.

[6] Sap. 13, 3: Speciei enim generatio etc. — Verba Isai. 66, 9. sunt: Se ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?

Digitized by Google

cum ponitur aliquid de ea produci, ponitur per consequens *commutari*, quia non potest esse idem ibi per omnimodam indifferentiam quod datur et quod accipitur et actus[1] intermedius; in divinis autem est omnino oppositum, secundum quod manifeste liquet ex praecedentibus.

10. Ad illud quod obiicitur, quod non potest aliquid produci de nihilo sine mutatione; dicendum, quod illud non est simile: quia non potest aliquid produci de nihilo, quin habeat *esse* post *non-esse*, quin etiam habeat *esse* a[2] principio essentialiter differente. Unde quamvis *nihil* non sit mutabile de se, tamen educto, qua aliquid, quod prius non erat eus, efficitur eus, de necessitate ponit inceptionem et mutationem. Non sic autem est de ea productione, qua persona producitur de substantia sempiterna personae sempiternaliter producentis, quia ibi nec aliud *esse* accipitur de novo, nec aliquid incipit, ac per hoc nec aliquid variatur. Notandum.

11. Ad illud quod obiicitur, quod forma non potest produci sine mutatione, ergo nec suppositum: dicendum, quod non est simile: quia productio formae dicit differentiam substantialem inter producentem et productum; nihil enim producit se ipsum[3]; et ideo, cum forma producitur, oportet, quod ab alia forma producatur, quae, cum sit alia ab ipsa, erit vere causa producens et prior naturaliter, quam sit ipsa forma producta; et ideo in illa productione necesse est includi mutationem. Non sic autem est in productione suppositi vel personae, pro eo quod una est natura et essentia in utrisque, et ideo simul sunt; nec est ibi mutatio seu motus, quia ibi non est prius nec posterius nec aliquid novum.

12. Ad illud quod obiicitur, quod sicut se habet pars ad partem, ita totum ad totum; dicendum, quod in divinis proprie nec est pars neque totum, secundum quod *totum* dicitur quod continet partem et partem[4]. Nec valet, quodsi res producta de parte ponit mutationem in parte, quod similiter res producta de tota substantia ponat mutationem secundum totum: quia, ut prius tactum est, productio in parte ponit decisionem, ponit alicuius amissionem et alicuius acquisitionem, quae de necessitate mutationem includunt; productio autem de tota substantia nihil talium dicit, quin potius excludit omne illud, ad quod consequitur motus, sicut ex principali solutione fuit ostensum. Nam nec in principio producente est decisio, nec compositio in producto, nec in productione innovatio, nec variatio aliqua circa aliquod praedictorum. In Deo nec pars nec totum.

QUAESTIO VII.

Utrum possit stare trinitas cum summa necessitate.

Consequenter quaeritur, utrum possit stare trinitas cum summa necessitate. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primum est, utrum *esse* divinum sit summe necessarium.

Secundum est, utrum stent simul trinitas et summa necessitas[5].

ARTICULUS I.

Utrum esse divinum sit summe necessarium.

Quaeritur ergo, utrum *esse* divinum sit summe necessarium. Et quod sic, videtur.

1. Omne immutabile et aeternum est summe necessarium[6]; sed divinum *esse* est huiusmodi: ergo etc. Fundamenta.

2. Item, necesse est, omne, quod est nobilitatis et perfectionis, poni in Deo in summo; sed constans est, quod[7] necessitas est magis quam scientia: ergo etc.

3. Item, omne, quod ita est, quod non potest non esse nec cogitari non esse, est necessarium in summo; sed divinum *esse* est huiusmodi[8]: ergo etc.

4. Item, omne, quod habet *esse* a se et per se et secundum se, est omnino necessarium; sed tale est *esse* divinum, cum sit primum: ergo etc.

5. Item, impossibile est, necessitatem esse in effectu nisi per causam: ergo si in Deo non est ne-

---

[1] D *quod dicitur et quod accipitur ut* [*nec?*] *actus*.

[2] Supplevimus *a*.

[3] Vide supra pag. 46, nota 7. — Aristot., II. Poster. c. 17. (c. 11.): Causa cum prius est eo cuius est causa.

[4] Cfr. I. Sent. d. 19. p. II. q. 1. — De *toto* et *parte* vide Aristot., V. Metaph. text. 30. seq. (IV. c. 25. seq.). — Post *dicendum*, *quod* additum a D nec suppressimus, quia superfluere videtur.

[5] Haec secunda pars: *Secundum est... necessitas*, deficiens in D, a nobis pro more auctoris suppleta est.

[6] Vide supra q. 5. a. 1. et q. 6. a. 1.

[7] Cod. *quam*. — Defectus esse videtur in cod.

[8] Ut ostensum est supra q. 1. a. 1, ubi etiam principia sepp. argg. insinuantur.

Digitized by Google

cessitas, in nullo est necessitas: ergo nihil est necessarium. Sed si nihil est necessarium, nihil est impossibile: ergo omnia sunt possibilia: ergo aliquid simul esse et non esse est possibile. Sed hoc est absurdum [1]: ergo etc.

6. Item, impossibile est, necessitatem esse in composito nisi per necessitatem existentem in simplici; ergo si simplicissimum caret necessitate, impossibile est, quod in aliqua complexione vel compositione sit ponere necessitatem. Sed hoc est absurdum, quod nulla argumentatio necessaria sit [2]: ergo etc.

Contra: 1. Omne necessarium est determinatum ad sic et non aliter se habendum; omne determinatum ad aliquid est finitum [3]; sed divinum *esse* est infinitum: ergo etc. Ad oppositum.

2. Item, nihil, quod est indifferens ad opposita, est necessarium; sed divinum *posse*, *velle* et *agere* est indifferens ad opposita: ergo non [4] est necessarium. Sed divinum *posse*, *velle* et *agere* est divinum *esse*: ergo divinum *esse* non est necessarium.

3. Item, nulli immutabili potest attribui aliquid mutabile, ergo nulli summe necessario potest attribui aliquid contingens; sed Deo attribuitur aliquid contingens: ergo etc.

4. Item, sicut *impossibilitas* repugnat potentiae, ita *necessitas* voluntati; sed divina potentia tanta est, quod omnia sunt ei possibilia, nec ponitur aliquo modo impossibilitas in Deo [5]: ergo cum *velle* Dei sit perfectissimum, videtur, quod non pertinat necessitatem in *esse* divino.

5. Item, si causa est necessaria, et effectus [6]: sed Deus est causa omnium prima et summa et immediata: ergo si in Deo est necessitas, omnia sunt necessaria.

6. Item, quanto aliquid contingentius, tanto est indifferentius, et quanto indifferentius, tanto communius, et quanto communius, tanto simplicius [7]: ergo *a primo*, quanto aliquid contingentius, tanto simplicius: ergo simplicissimum est contingentissimum, non ergo necessarium.

7. Item, omne necessarium scibile, sicut omne probabile opinabile [8]; sed omne scibile vel est principium demonstrationis, vel demonstratum; divinum autem *esse* neutrum est: ergo etc.

8. Item, quanto aliquid magis est necessarium, tanto est magis certum, et quanto magis certum, tanto magis notum [9]; sed divinum *esse* est maxime occultum: ergo etc.

9. Item, sicut frustra movetur quis, quia appetit impossibile [10], ita, quia timet necessarium: ergo si divina Maiestas est necessitas, ergo nullo modo est timenda. Sed hoc est falsum et absurdum: ergo etc.

CONCLUSIO.

Divinum esse est necessarium perfectissima necessitate immutabilitatis.

Responsio: Ad praelectorum intelligentiam est notandum, quod triplex est necessitas: quaedam *omnino extrinseca*, quaedam *partim intrinseca* et *partim extrinseca*, et quaedam *omnino intrinseca*. Necessitas *omnino extrinseca* est illa, quae ortum habet a principio, quod est *extra*, nihil cooperante passo [11]; et haec dupliciter habet esse: vel respectu operum *naturalium*, vel respectu *voluntariorum*; et sic duplex est necessitas, scilicet *coactionis* et *violentiae*. — Necessitas vero *partim intra*, *partim extra* est quae aliquo modo est a principio intrinseco, respiciente aliquid extra vel per modum *principii moventis*, vel per modum *termini quiescentis*; et sic est necessitas dupliciter dicta, scilicet *inevitabilitatis* et *indigentiae*. — Quaedam vero est necessitas *omnino intrinseca*, quae inest rei ex propria natura; et haec est necessitas *immutabilitatis* et independentiae; et talis necessitas *secundum quid* reperitur in creatura, *simpliciter* autem non potest reperiri nisi in creatrice essentia. Ipsa enim sola est, quae non admittit aliquam dependentiam; cetera vero, cum sint creata, necessario dependent ab ipsa. Triplex necessitas. Subdistinctio 1. Subdistinctio 2. Conclusio.

Haec autem necessitas necessario ponitur in *esse divino*, quia est *in se ipso* et *a se ipso*. Quia autem *in* [12] *se ipso*, ideo caret *componente* principio, aut *sustentante*; ideo nec potest mutari nec deficere. Ratio duplex.

---

[1] Cfr. Aristot., IV. Metaph. text. 9. sequ. (III. c. 3.), qui ibid. IX text. 17. (VIII. c. 8.) ait: Si enim ipsa [necessaria] non esset, nihil esset. — Superius post *in Deo*, contextu exigente, supplevimus *non*.

[2] Vide Aristot., I. Poster. c. 3. sequ.

[3] Cod. omittit *est* post *necessarium*, pro *omne* ponit *esse* ante *determinatum*, et iterum omittit *finitum*. Respectu habito ad solutionem huius arg., sic completius illud formavimus. — Aristot., V. Metaph. text. 6. (IV. c. 5.): Quod non contingit aliter se habere *necesse* dicimus ita se habere. Ibid. IX. text. 3. et 10. (VIII. c. 2. et 5.) potentiae *irrationales* dicuntur esse determinatae ad unum, sive unius tantum factivae, potentiae *rationales* vero indifferentes ad plura sive contraria.

[4] Perperam omittit D *non*.

[5] Vide Luc. 1, 37.

[6] Cfr. supra pag. 61, nota 1, et Aristot., XI. Metaph. c. 7. (X. c. 8.). — De *minori* vide supra pag. 98, nota 11, verba August.

[7] Vide supra pag. 20, nota 6.

[8] Secundum Aristot., I. Poster. c. 26. (c. 33.); *minor* ibid. et c. 2. sequ. insinuatur.

[9] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 2; I. Phys text. 2. sequ. et IV. Metaph. test. 8. sequ. (III. c. 3.).

[10] Aristot., II. Rhet. c. 3. (c. 2.): Nemo vero expetit ea quae a se fieri non posse videntur. Cfr. ibid. c. 23. (c. 19.). et V. Polit. c. 11. (c. 9.): Nemo enim sibi impossibilia aggreditur.

[11] Ita describit Aristot. III. Ethic. c. 1. *videntum* (cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 4. et 5.). — De diversis acceptionibus necessitatis vide Aristot., V. Metaph. text. 6. (IV. c. 5.). De necessitate *indigentiae* cfr. August., 83 Qq. q. 22.

[12] D hic male omittit *in*, quod primo loco ponit.

Digitized by Google

Quia autem *a se ipso*, ideo caret *producente* et *creante*; ideo nec potest *dependere* nec *incipere*; ac per hoc summam et perfectissimam habet necessitatem, quae excludit omnem mutabilitatem et dependentiam, inevitabilitatem et indigentiam, coactionem et violentiam, quae necessitatem dicunt diminutam; et e contra ponit summam permanentiam et stabilitatem, summam sufficientiam et libertatem. Quia enim est *se ipso*, ideo est permanens et stabilissima; quia vero *sui gratia*, ideo liberalis et sufficientissima; quia vero est *se ipso* et *sui gratia*, ideo est *alpha et omega* [1]; et ideo cetera sunt *ab ipso*, et cetera *propter ipsum*, sive necessaria sive contingentia. Sicut enim omnia *mobilia* manent ab uno immobili primo et ad illud reducuntur; sic omnia *contingentia* a necessario fluunt et in illud reducuntur [2]. Est igitur necessitas divini *esse* omnes *esse*, *vivere* et *intelligere* ergo et comprehendunt; et omnia claudunt, primum principium esse necessarium, sive sint necessaria sive contingentia. — Et ideo rationes concedendae sunt ad partem istam.

Solutio oppositorum. Determinatio duplex.

1. Ad illud quod obiicitur, quod omne determinatum ad aliquid est tantum; dicendum, quod est determinatio duplex, scilicet per *ablationem*, cuiusmodi est illa, quae fit per *additionem* unius super alterum, sicut additur dispositio super potentiam materiae incompletam; et est determinatio per *completionem*, sicut summum bonum est ad bonum agendum, quia non potest deficere in faciendo malum. Primo modo determinatio repugnat infinitati secundo vero modo non repugnat [3]; et haec quidem determinatio convenit necessitati, secundum quod est in Deo, et non primo modo.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nihil indifferens ad opposita est necessarium; dicendum, quod divinum *posse* et *velle* et *agere* dicitur *indifferens ad opposita* non ratione sui in *se ipso*, sed ratione indifferentiae in *effectu producendo*. Inde indifferentia illa non ponit aliquam versibilitatem in divino *posse*; sed ponit potestatem unam et simplicissimam, super omnia opposita omnipotentem, ita quod ad nullum illorum restringi potest [4]; et hoc magis necessitati consonat, quam repugnet.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nulli summe necessario potest attribui aliquid contingens; dicendum, quod cum aliquid contingenter praedicatur de Deo, ibi in praedicato illo claudit et *principale significatum* et *connotatum*; et quantum ad *principale significatum* non est aliud quod Deus, quantum autem ad *connotatum* est effectus; et ratione primi, cui competit praedicatio, *necessario* inest; ratione vero secundi dicitur inesse *contingenter*, ac per hoc non ponitur contingentia esse *in Deo*, sed potius *a Deo*. In huiusmodi praedicationibus divinum *esse* intra se nullam praedicationem recipit, quae non includat compatibilem necessitatem. — Quod autem dicitur totum illud dictum *contingens*, scilicet Deum salvare Petrum; hoc est, quia talis est natura totius copulati, quod fit in eo denominatio a minus notabili, ut dicatur *falsa* propositio copulativa, cuius altera pars falsa, et *contingens*, cuius altera pars est contingens. Et ratio huius est, quia facilius est rem destrui quam construi [5]; et *habitus* impermixtus debet esse privationi et eius denominatio; denominatio autem *privationis* se habet contrario modo, quia de necessitate intellectus positionis et habitus aliquo modo in eius claudit intellectu.

Satisfactio de praedicatione.

4. Ad illud quod obiicitur, quod necessitas repugnat voluntati, ut impossibilitas potestati; dicendum, quod illud veritatem habet de illa necessitate, quae est *ab extra*, cuiusmodi est necessitas *cadentiae* et *coactionis*; de illa autem necessitate, quae est *intrinseca*, cuiusmodi est necessitas *immutabilitatis*, veritatem non habet, sicut ex praecedentibus apparet.

5. Ad illud quod obiicitur, quod si causa necessaria, et effectus; dicendum, quod, sicut dicit Augustinus quinto de Civitate Dei [6], causarum aliae sunt tantum *factae*; aliae vero *facientes et factae*; tertiae vero sunt *facientes tantum*. Causis autem *tantum factas* vocat causas naturales, quae determinatae sunt ad unum cursum; causas vero *facientes et factas*, liberum arbitrium et voluntatem; causas vero *facientes tantum*, ipsam divinam providentiam. Dicit autem, causas naturales *factas esse*, non *facientes*, non quia nihil faciant, sed quia sic faciunt, secundum quod est eis inditum, non habendo dominium super actum suum, quemadmodum habet liberum arbitrium, et tales sunt magnetes suis partibus et conformes; et in huiusmodi praedicta propositio veritatem habet. De causa vero *faciente*, quae quidem potens est efficere et non efficere per eandem vim propter dominium super actionem et ef-

Tres species causarum.

Notandum.

---

[1] Apoc. 1, 8. — Superius respicitur Aristot., I. Metaph. c. 3. (c. 2.), ubi illum hominem vocat liberum, « qui est sui ipsius et non alterius gratia » (cfr. tom. II. pag. 592, nota 2.).

[2] Vide supra q. 1. a. 1. fundam. 13. et 20. (Pro *immobili primo* D *mobili primo*). — Lib. de Causis, propos. 18: Res omnes habent *essentiam* per ens primum, et res *vivae* omnes sunt motae per essentiam suam propter vitam primam, et res *intelligibiles* omnes habent scientiam propter intelligentiam primam.

[3] Cfr. supra q. 3. a. 1. ad 4. et q. 4. a. 1.

[4] Vide supra q. 6. a. 1. ad 11. seqq.

[5] Aristot., VII. Topic. c. 3. (c. 4.): Quemadmodum in aliis corrumpere quam facere facilius, sic et in his destruere quam construere. Cfr. II. Ethic. c. 6. et Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 31. De habitu et privatione cfr. supra pag. 47, nota 1. Aristot., II. Ethic. c. 6. (c. 31.) dicit, quod inesse apparet « facere in non-facere et omnino in negatione affirmatio ». — Similis solut. habetur supra q. 6. a. 1. ad 3. 4.

[6] Cap. 9. n. 4: Causa itaque rerum, quae *facit* nec fit, Deus est. Aliae vero causae et *faciunt* et *fiunt*, sicut sunt omnes creati spiritus, maxime rationales. Corporales autem causae, quae *magis fiunt quam faciunt*, non sunt inter causas efficientes annumerandae, quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spiritum voluntates. — De hac solut. cfr. supra q. 2. a. 1. ad 8. et 9. ac q. 6. a. 1. ad 11. seqq.

Digitized by Google

fectum consequentem, non habet veritatem. Sicut enim talis causa non mutatur propter effectum mutabilitatem et differentiam, sic etiam nec contingens esse ponitur propter contingentiam in suis effectibus.

Duplex communitas.

6. Ad illud quod obiicitur, quod quanto aliquid indifferentius, tanto communius; dicendum, quod est *communitas* duplex, scilicet per *abstractionem*, et per *indeterminationem*. Cum ergo dicitur, quod quanto aliquid indifferentius, tanto communius; hoc intelligitur de communitate per *indeterminationem*, per quem modum dicimus, quod contrariorum idem est subiectum; quod maxime verum est in his quorum alterum non habet circa subiectum determinatam causam[1]. Cum autem adiungit, quod quanto aliquid communius, tanto simplicius; illud intelligitur de communitate per *abstractionem*; inde ex hoc non concludit, quod contingentia ponant simplicitatem; quin potius includunt mutabilitatem, quae excludit summam simplicitatem; propter quod summa simplicitas non potest nisi in summe necessario reperiri. Quia ergo divinum *esse* est simplicissimum; idem necesse est, ipsum esse non contingens, sed necessarium.

Duplex necessarium. Subdistinctio.

7. Ad illud quod obiicitur, quod omne necessarium est scibile, et omne scibile est principium demonstrationis, vel per demonstrationem conclusum; dicendum, quod est necessarium *in genere*, et est necessarium *extra genus*; et hoc quidem est dupliciter: vel extra *genus determinatum*, vel extra *omne genus simpliciter*[2]. Necessarium ergo *extra omne genus simpliciter*, hoc est in solo Deo, qui est supra et extra omne genus entis, quia in genere esse non potest, nec *per se* nec *per appropriationem*; et tale necessarium omnem demonstrationem antecedit et supergreditur, quia nullam definitionem prorsus habere potest[3]. — Quod ergo dicitur: omne necessarium est principium demonstrationis, vel demonstratum; dicendum, quod illud intelligitur de necessario, quod est *determinati generis*, vel quod ad *determinatum genus potest appropriari*, sicut sunt communes animi conceptiones, quae, in quantum appropriantur, demonstrationem ingrediuntur. Unde ratio illa non concludit, quod divinum *esse* est necessarium ad genus determinatum coarctatum.

Notio simpliciter et quoad nos.

8. Ad illud quod obiicitur, quod quanto magis necessarium, tanto magis certum; dicendum, quod aliquid dicitur esse certius altero seu notius dupliciter: vel *simpliciter*, vel *quoad nos*[4]. Prima igitur propositio veritatem habet, secundum quod intelligitur de maiori certitudine *simpliciter*, non autem, secundum quod intelligitur de certitudine *quoad nos*, pro eo quod illa quae sunt certissima et lucentissima in se ipsis obscura nobis videntur propter defectum ex parte intellectus creati; et ideo Philosophus[5] dicit, quod « sicut se habet oculus noctuae ad lucem, sic oculus noster ad manifestissima naturae ». Nihilominus tamen, licet divinum *esse* secundum plenitudinem suae claritatis sit nobis occultum, quandiu sumus in statu viatorum, certissimum nobis est et indubitabile, Deum esse, secundum quod ex praecedentibus quaestionibus[6] manifeste apparet.

9. Ad illud quod obiicitur, quod necessarium non est timendum, sicut nec impossibile appetendum; dicendum, quod necessarium in *eventu* vel in effectu formidandum non est, quia nihil prodest timido, nisi necesse est sic evenire; necessarium autem secundum *statum intrinsecum*, quod potest sine sui mutatione retribuere sempiternam gloriam, vel sempiternum supplicium; hoc, inquam, est maxime formidandum et propter acquirendam gratiam et propter declinandam poenam, quia tale necessarium voluntatis liberalitatem et aequitatis institutionem non excludit, secundum quod in sequenti quaestione melius apparebit.

ARTICULUS II.

Utrum stent simul trinitas et summa necessitas.

Deinde quaeritur, utrum stent simul trinitas et summa necessitas. Et quod sint incompossibiles, videtur.

1. Augustinus ad Orosium[7]: « Pater nec necessitate nec voluntate genuit Filium »; sed quod repugnat generationi repugnat trinitati; necessitas est huiusmodi: ergo etc.

Ad oppositum.

---

[1] Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis*, docet, alterum oppositorum non necessario eidem *susceptibili* [i. e. subiecto] inesse, nisi unum insit naturaliter, ut igni calidum esse. Lib. II. Topic. c. 3. (c. 7.): Idem contrariorum susceptivum. — De seq. propos. cfr. supra pag. 7, nota 9.

[2] Aristot., V. Metaph. text. 21. (IV. c. 16.), agens de *perfecto*, utitur distinctione: *in aliquo genere et in unoquoque genere*. Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 4.

[3] Vide supra pag. 77, nota 2. — De communibus animi conceptionibus cfr. supra pag. 79, nota 6. et Aristot., I. Poster. c. 7. In hac solutionis post *divinum esse* expunximus, contextu suffragante, *non*.

[4] Hac distinctione utitur Aristot., I. Poster. c. 2. et I. Phys. text. 2. sequ.

[5] Libr. II. Metaph. text. 1. (I. brevior, c. 1.).

[6] Quaest. 1. a. 1. — Ex hoc loco colligi potest, hanc quaestionem esse neque genuinam, ac citata quaestio, quam Petrus Ioannis Olivi S. Bonaventurae expressis verbis tribuit.

[7] Sive Quaest. 65 dialog. (inter opera August.) q. 7. — Eadem quaestio solvitur I. Sent. d. 6. q. 1. et 2.

Digitized by Google

2. Item, nobilius est agens, quod dominatur actioni suae, quam quod non dominatur [1]; sed in Trinitate non potest esse productio nisi nobilissimo modo; quod autem necessario producit suae actioni non potest dominari: ergo nec in divinis potest necessario produci.

3. Item, nobilior est communicatio, quae est ex benignitate, quam quae est ex necessitate: aut ergo in divinis non est communicatio aliqua ipsius naturae, aut non est ex necessitate [2]; sed non potest esse trinitas sine communicatione: ergo etc.

4. Item, omne necessarium est absolutum; quod enim habet respectum ad aliquid a se distinctum non potest omnino esse necessarium, et hoc vult Avicenna [3]; sed trinitatem esse sine respectu et relatione est impossibile: ergo similiter impossibile est, quod stet cum necessitate.

5. Item, nihil, quod est ab alio, potest esse necessarium in summo; quia *esse* eius [4] et *manere* non habet nisi aliunde, et ita non est necessarium in se; sed trinitas non potest esse, quin aliqua persona sit ibi non a se: ergo non stat cum summa necessitate.

6. Item, nihil est summe verum, quod potest cogitari non esse [5]: ergo similiter nihil est summe necessarium, quod potest credi non esse; *necessarium* enim praesupponit *verum;* sed trinitas absque dubio potest cogitari non esse: ergo etc.

7. Item, quod repugnat evidentiae repugnat certitudini, et quod repugnat certitudini repugnat necessitati [6]; sed trinitas in unitate repugnat evidentiae, quia hoc nullo modo videtur intelligibile: ergo repugnat necessitati summae.

8. Item, nihil omnino necessarium est perfecte laudabile [7]: ergo si persona Patris necessario producit personam Filii et Spiritus sancti, non est laudabilis in aliquo praedictorum; sed nihil est in Deo laudabilius: ergo nulla laus detetur Deo. Sed hoc est impium dicere: ergo etc.

9. Item, nihil est omnino necessarium, quod est simpliciter voluntarium; productio personarum in divinis est simpliciter per voluntatem: non ergo per necessitatem. *Maior* probatur, quia necessaria naturaliter insunt, et contra voluntatem natura habet dividi. *Minor* probatur: quia illud est maxime delectabile, acceptabile et iucundum: ergo maxime voluntarium.

Contra: 1. Omne necessarium immutabile, et e converso; sed trinitas stat cum summa immutabilitate, sicut patet de proximo [8]: ergo etc. Fundamenta.

2. Item, omne, quod est summe unum, est omnino necessarium, et e converso; sed simul stant trinitas et summa unitas [9]: ergo etc.

3. Item, maioris colligantiae est productio personae unius ab alia quam splendoris et lucis; sed haec sunt necessaria: ergo etc.

4. Item, Omnipotenti summum *posse* abesse est impossibile, et adesse est necessarium; sed summum *posse* est in productione personarum: ergo etc.

5. Item, omnis actus, qui habet Deum pro principio et termino, est indique necessarius; sed productio personae a persona est huiusmodi: ergo etc.

6. Item, omne, quod est indifferens a summo necessario, est omnino necessarium; sed trinitas tota est divina essentia: ergo etc.

CONCLUSIO.

Divinum esse necessarium et liberalissimum stat simul cum trinitate personarum.

Respondeo: Dicendum, quod et divinum *esse* est *necessarium*, et nihilominus *liberalissimum;* et ipsa beata Trinitas stat simul cum *necessitate* et *voluntate*, si accipiantur secundum modum convenientem. Sicut enim tactum est [10] de necessitate, non omnis *necessitas* competit divino *esse* nec etiam Trinitati beatae, sed *immutabilitatis* et *independentiae;* similiter neque omnis *modus volendi*. Est enim voluntas *accedens*, id est de novo advenens; et haec non est in Deo, nec respectu *sui* nec respectu *creati*, propter Dei immutabilitatem et necessitatem. Est iterum voluntas *antecedens;* et haec est in Deo, sed non respectu *sui*, sed respectu *creati*, quod antecedit natura et aeternitate. Est tertio voluntas *concomitans et acceptans;* et haec est in Deo respectu *sui* et respectu *creati;* approbat enim et acceptat voluntas divina omne bonum, sive *creatum* sive *increatum*, sive *contingens* sive *necessarium*. Conclusio 1. Triplex modus volendi.

Tripliciter ergo dicta *necessitate* et *voluntate*, tertius modus utriusque competit Trinitati summae, Conclusio 2.

---

[1] Vide quaest. praeced. solut. ad 3. — Nemesius, episc. Emesenus in libro de Natura hominis, c. 41. ait: Si autem [quis] sit dominus actionum, omnino *liberam* habebit agendi voluntatem. Cfr. tom. II. pag. 592, nota 2.

[2] Hilar. III. de Trin. n. 3. docet, Patrem Filio impertivisse « omne, quod Deus est per *caritatem* ».

[3] Metaph. tr. 4. c. 7. et tr. 8. c. 4. seq. — *Minorem* docet Boeth. de Trin. c. 6. his verbis: Substantia continet unitatem, *relatio* multiplicat trinitatem.

[4] Congruentius *suum*.

[5] Vide supra q. 1. a. 1. — Quod *necessarium* supponat *verum*, explicatur infra in corp., in quantum scil. *verum* idem est ac *ens*.

[6] Certitudo siquidem est determinatio ad unum, sicut e contrario dubitatio respicit plura. « Quandocumque enim, ut ait Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 6.), ad *utraque* ratiocinantibus nobis similiter videntur omnia secundum utrumque fieri, dubitabimus, utrum agamus ».

[7] Aristot., II. Eudem. c. 7. (c. 6.): Vituperantur autem laudanturque non quae a necessitate vel natura vel fortuna insunt, sed quorum ipsi causa sumus. Cfr. tom. II. pag. 113, nota 8. — Post *laudabilius* supple: quam istae productiones.

[8] Supra q. 6. a. 2.

[9] Ut ostensum est supra q. 2. a. 2.

[10] Quaest. praeced.

Digitized by Google

scilicet *voluntas acceptans* et *necessitas immutabilitatis*: *voluntas*, inquam, *acceptans* propter summam caritatem in producente et summam bonitatem in producto, quae duo necessario claudunt in se voluntatem complacentiae; *necessitas* vero *incommutabilitatis* est propter *indifferentiam essentiae* et *independentiam personae*. Quia enim in tribus personis est *essentia* omnino indifferens, ideo una quidditas sive entitas, una veritas, ac per hoc una necessitas. Cum enim prima persona sit a se ipsa, omnino est necessaria, ac per hoc secunda et tertia. — *Rursus*, quia in tribus personis indifferens est essentia, relatio distinctiva trinitatis non dicit respectum ad aliquid *extra*; et ideo nulla est ibi *dependentia unius personae* ad alteram, aequaliter ergo sunt fixae et per se stantes; et ideo si una est necessaria, et omnes. — Stant igitur simul haec tria, sicut ostensum est iam, scilicet *trinitas*, *necessitas* et *voluntas*; nec est in eis aliqua repugnantia, sed summa consonantia, sicut simul consonant summa *unitas*, *veritas* et *bonitas*.

Ratio 1. Ratio 2.

Summa enim *unitas* est, quae est in pluribus indivisa, et haec ponit *trinitatem*; summa *veritas*, quae est infallibilis et certissima, et haec ponit *necessitatem*; summa *bonitas*, quae est amabilis et amativa, et haec ponit *voluntatem*. Summa igitur *unitas*, *veritas* et *bonitas* necessario exigit, quod simul stent *trinitas*, *necessitas* et *voluntas*. — Quoniam igitur in Deo trino simul est *necessitas* cum voluntate, et *voluntas* cum necessitate; hinc est, quod ipsum est summe *bonum per essentiam*. Quia in eo est summa *iucunditas* per voluntatem et summa *securitas* per necessitatem et summa *felicitas* per utrumque: hinc etiam est, quod ipsum est summe *beatificativum per influentiam*: quia *affectus* noster non quiescit nisi in summe amabili vacando[1], et *intellectus* non nisi in summe infallibili et certo; ac per hoc in eo solo beatificari possumus, quod simul est *necessarium* et *voluntarium*, quod solum natum est suavissime amari, certissime cognosci et securissime possideri. — Quoniam igitur beatissima Trinitas non tantum est *beata*, verum etiam *beatificativa*; hinc est, quod ipsa necessitati nobilissimae summe consonat et in nulla repugnat; similiter et voluntati liberalissimae. — Unde et concedendae sunt rationes ad hanc partem inductae.

Ratio 3. de unitate, veritate, bonitate. Corollarium.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium de auctoritate Augustini et Hilarii[2], dicendum, quod utraque illarum auctoritatum intelligitur de necessitate quantum ad primum et secundum modum, non quantum ad tertium, sicut ex praedictis apparet.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nobilius est agens, quod dominatur actioni suae; dicendum, quod illud est verum de actione, quae se habet per differentiam ab agente; de ea actione autem, quae propter summam simplicitatem omnino est indifferens ab agente, nec habet nec habere potest praedicta propositum veritatem; nihil enim potest dominari sibi. Quoniam ergo productio in divinis personis est per simplicitatem summam, in qua non potest differre *producens* et *productio* sua secundum differentiam realem; ideo in huiusmodi multum locum habet allegatio propositionis praedictae.

Duplex sciio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nobilior est communicatio, quae est ex benignitate quam ex necessitate: dicendum, quod illud est verum de illa *necessitate*, quae benignitatem excludit; talis autem non est necessitas, quae ponitur in divinis; intelligitur etiam de *communicatione*, quae est dono per essentiam differentis; talis autem non est in emanatione[3] divinarum personarum: et ideo illa ratio non concludit, pro eo quod in se ipsa duplicem includit defectum.

Distinctio duplex.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omne necessarium est absolutum; dicendum, quod *absolutio perfecta* non excludit relationem intrinsecam, pro eo quod illa, cum sit ad indifferens per essentiam, nullam dependentiam ponit, ac per hoc nec repugnat necessitati; et talis relatio est in divinis personis. Sed si excludit relationem, hoc est per respectum ad *extra* et ad *rem essentialiter differentem*. Unde licet Deus per aliqua nomina significetur ut habens respectum ad res, ille respectus ex parte *Dei* non ponitur nisi secundum *rationem intelligendi*, cui *verus* respondet respectus ex parte *entis creati*[4]; et de hoc respectu ratio praemissa procedit.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod nihil, quod est ab alio, potest esse necessarium in summo; dicendum quod illud veritatem habet, quando est ab alio essentialiter differente, et aliud habet *esse*, quam quod[5] sit ipsum *esse* divinis; tunc enim non potest habere plenam rationem necessitatis, pro eo quod pendet ab alio *esse* et alia natura essentialiter differente. Non sic autem est de divinis personis, quia persona producta non differt per essentiam a produ-

Notandum.

---

[1] August., XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 5: ibi [in aeterna felicitate] vacabimus et videbimus; videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. — D potius legi deberet *retendo*. Fortasse originale habuit *amabili et amativo*, ut supra, cum quasi *intellectus* repetat eadem adjectiva.

[2] Superius in obiectionibus desideratur arg. ex auctoritate *Hilarii*, quod suppleri potest ex I. Sent. d. 6. q. 1. arg. 2. ad oppos., ubi S. Bonav. refert: Item, Hilarius in libro de Synodis [n. 58. XXV.]: «Non naturali necessitate ductus Pater genuit Filium»: ergo non fuit ibi necessitas naturalis; nec necessitas alia, ut videtur: ergo etc.

[3] Cod. D perperam *enumeratione*.

[4] Cfr. supra q. 3. a. 1. et a. 2. ad 16. — Superius post *pro eo quod illa* D incongrue omittit *cum*.

[5] Cum cod. hic corruptus apparet, supplevimus *quam* ante *quod*, et superius pro *essentialiter et differenter* substituimus *essentialiter differente*, sicut paulo inferius idem habet.

Digitized by Google

cente nec habet aliud esse. Unde cum unum habeat *esse* et eandem essentiam et unius essentialiter veritatem; hinc est, quod nullam ex hoc sortitur dependentiam, sed omnino eandem habet is qui producitur cum eo qui producit permanendi firmam necessitatem et necessariam firmitatem.

6. Ad illud quod obiicitur, quod nihil est summe necessarium, quod potest cogitari non esse; dicendum, quod illud veritatem habet, cum illud necessarium apparet, ut est, non autem quando latet. Unde licet beatissima Trinitas nunc et credi et cogitari possit non esse, quia nondum nobis apparet, sicut est; cum tamen apparuerit, sicut est [1], tunc nullatenus cogitari poterit non esse. Quod ergo nunc vel creditur vel cogitatur non esse; hoc est non propter defectum suae certitudinis et veritatis in se ipso, cum sit ens semper et ubique et summe; sed propter defectum luminis ex parte nostra.

7. Ad illud quod obiicitur, quod illud quod repugnat evidentiae repugnat certitudini; dicendum, quod est *certitudo* ex parte *rei* et ex parte *nostra;* similiter et *evidentia*. Cum ergo dicitur: quod repugnat evidentiae et certitudini repugnat necessitati; hoc verum de certitudine et evidentia ex parte *rei*, non autem est verum de certitudine et evidentia ex parte *nostra*, quia, sicut prius factum est, idem potest esse et in se certissimum et nobis occultum. — *Praeterea*, quamvis trinitas videatur certitudini repugnare, plurimum tamen consonat, quia Pater Verbo suo se declarat, Pater etiam et Filius se nobis per Spiritum sanctum certissime manifestant [2]. Unde quamvis ratio *phantastica* fugiat trinitatis intellectum, ratio tamen *illustrata* videt, quod sola trinitas ut trinitas est plenissima ratio *cognoscendi* omne verum, per quam fit, ut omne verum cognitum *memoriter* teneatur, retentum memoriter intelligatur clarius, et intellectum placeat et ametur.

Duplex certitudo.

Alia ratio.

Duplex ratio.

8. Ad illud quod obiicitur, quod nihil omnino necessarium est perfecte laudabile; dicendum, quod duplex est laus: una, in qua *laudato* accrescit aliquid honoris et dignitatis, et ista laus attenditur secundum progressum a statu imperfecto ad perfectum; et haec proprie competit viatoribus, qui cum *possint transgredi et non transgrediuntur*, merito laudantur divinitus et etiam praemiantur [3]. Est et alia laus, qua *ipsum bonum*, quia bonum, dicitur commendabile; et haec magis competit bono *per essentiam* quam *per participationem*, ac per hoc magis bono incommutabili quam variabili, et necessario quam contingenti; et hac laude laudatur Deus Pater in productione Filii, et Pater et Filius in productione Spiritus sancti in mutua dilectione sui et diffusione omnis boni respectu cuiuscumque creati.

Duplex laus.

9. Ad illud quod obiicitur, quod nihil simpliciter voluntarium est omnino necessarium, plana est responsio ex his quae praeterita sunt in principali solutione; et idea in his diutius non est morandum.

QUAESTIO VIII.

Utrum possit simul stare trinitas cum summa primitate.

Ultimo quaeritur, utrum possit simul stare trinitas cum summa primitate. Et quod non, videtur:

1. Quia primitas *in essentia* excludit omnem aliam essentiam; impossibile enim est, duas esse essentias primas, quia sequeretur necessario, quod neutra esset prima [4]: ergo si primitas in *essentia* excludit pluralitatem essentiarum, pari ratione et primitas *in persona* excludit pluralitatem personarum: ergo impossibile est, quod simul se compatiantur circa Deum *esse primum* et *esse trinum*.

Ad oppositum.

2. Item, primitas circa causalitatem excludit pluralitatem; necesse enim est, unam solam esse causam primam [5].

3. Item, sicut se habet *postremum esse* productionis activae, ita *primum esse* productionis passivae; sed *postremum*, eo quod postremum, non ad-

---

[1] Respicitur I. Ioan. 3, 2: Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est. — De seqq. cfr. supra q. 1. a. 1.

[2] Cfr. Ioan. 16, 13. seqq. et 17, 1. seqq. Vide etiam I. Sent. d. 15. p. I. q. 4. in corp. Superius pag. 19, nota 7., teste Augustino, Plato posuit, quod in Deo s inveniatur et causa subsistendi et ratio intelligendi et ordo vivendi s.

[3] Eccli. 31, 9. seqq.: Quis est hic et laudabimus eum?... Qui probatus est in illo et perfectus est erit illi gloria aeterna; qui potuit transgredi et non est transgressus etc. — August. Enarrat. in Ps. 134, 3: *Laudate Dominum, quia bonus Dominus*, n. 3. ait: Breviter uno verbo explicata est laus Domini Dei nostri: *Bonus Dominus*. Sed bonus, non ut sunt bona quae fecit... Omnia enim bona ipse fecit, ipse est bonus, quem nemo fecit. Ille bono suo bonus est, non aliunde participato bono; ille se ipso bono bonus est, non adhaerendo alteri bono etc. — Inferius supplevimus *incommutabili*, pro quo in ipso codice existit lacuna; subinde substituimus *quam variabili* pro *et variabili*.

[4] Cfr. supra q. 2. a. 1. fundam. 6. — Superius post *Quia primitas* codicis lacunam supplevimus addendo *in essentia*.

[5] Hoc arg., in quo apposuimus *pluralitatem*, I. Sent. d. 2. q. 2. arg. 4. ad oppos. a S. Doctore sic proponitur: Si ibi est summa primitas; ergo cum status sit in primo principio, et status est in unitate: ergo primitas non ponit pluralitatem, sed unitatem: ergo videtur, quod una tantum sit persona.

Digitized by Google

mittit productionem activam, ut aliquid ipsius producat aliquid: ergo nec *primum* productionem passivam: ergo impossibile est, aliquid esse summum primum et habere *esse productum*: si ergo trinitas includit productionem passivam, ergo excludit primitatem perfectam.

4. Item, aut illae tres personae *sunt* aeque primae, aut *non sunt* aeque primae. Si *sunt* aeque primae: ergo una non magis producit alteram, quam e converso; si *non sunt* aeque primae: ergo non est summa ratio primitatis in omnibus personis.

5. Item, aut *sunt aeque* principiantes, aut *non*. Si *sunt* aeque principiantes: ergo qua ratione una est principium alterius, eadem ratione e converso; si *non sunt* aeque principiantes: ergo non est aequaliter in eis ratio principii, ac per hoc nec ratio primitatis.

6. Item, unitas prior est re et intellectu quam pluralitas [1]: ergo summa primitas non convenit nisi ei, in quo est unitas absque pluralitate; sed trinitas includit pluralitatem veram: ergo excludit primitatem perfectam.

7. Item, quanto aliquid prius est, tanto magis tenet rationem fontalitatis in producendo: ergo ex eo quod est simpliciter primum necessario manat quidquid producitur: si ergo nulla persona potest manare a se ipsa, impossibile est, quod aliqua persona maneat sive producatur et simul stet cum primitate perfecta.

SED CONTRA: 1. Idem est primum et principium [2]: ergo si ab aeterno fuit primum, ab aeterno fuit et principium; sed principium secundum completissimam rationem est, quando est principians et producens secundum modum productionis perfectae: si ergo ab aeterno fuit in Deo ratio primitatis perfectae, fuit et veritas productionis intrinsecae. Sed hoc ponitur per trinitatem: ergo etc. Fundamenta.

2. Item, quanto aliquid prius, tanto potentius et actualius [3]: ergo primum principium necessario fuit actualissimum et potentissimum; sed actus primi principii, secundum quod principium, est principiare; ergo si in primo principio, hoc ipso quod primum, necessario ponitur ratio summae actualitatis et potentiae, necessario ponetur veritas productionis aeternae, ac per hoc et completio trinitatis perfectae.

3. Item, prius est omnino aequale quam inaequale et re et intellectu [4]; ergo impossibile est intelligere productionem inaequalis, quin primo intelligatur productio aequalis: si ergo productio creaturae est productio in inaequalitatem, productio autem secundum aequalitatem non potest esse nisi in Trinitate beata; ergo productio creaturae omnis de necessitate praesupponit Trinitatem aeternam.

4. Item, prius est illud quod potest re vel intellectu ab aeterno intelligi, quam illud quod non re nec intellectu potest intelligi fuisse ab aeterno; sed productio alicuius de aliquo potest intelligi fuisse ab aeterno, productio autem alicuius de nihilo non potest fuisse aeternaliter [5]: ergo ante productionem omnis creaturae necessario est productio alicuius de aliquo praeintelligenda secundum rationem primitatis perfectae. Sed hoc non potest intelligi nisi in Trinitate increata: ergo etc.

5. Item, actus primi principii est primo principiare seu producere: ergo cum prius principians sit quam principiatum [6], ergo prior est principiatio seu productio principii principiantis quam solum rei principiatae; ergo si productio principii non est nisi in illa trinitate Dei, necesse est, quodsi illud principium sit primum, quod sit etiam trinum.

6. Item, primum principium, hoc ipso quod primum, est simplicissimum et spiritualissimum: ergo necesse est, quod intellectus [7]; sed omnis intellectus principians principiat per verbum et donum amoris intrinsecum; omne autem principians per verbum et amorem prius concipit verbum et spirat amorem, quam producat effectum exteriorem: ergo necessario est, quodsi primum principium est productivum *esse* extrinsecorum, quod prius producat [8]. Sed haec duplex productio ponit, Deum esse trinum: ergo necessario sequitur, quodsi primum principium est primum, quod etiam sit trinum.

7. Item, prius est principiare [9] naturale et intrinsecum quam voluntarium et extrinsecum; sed primo principio competit productio voluntaria et extrinseca: ergo necessario competit ei naturalis et intrinseca, et hoc non est nisi ponatur trinitas: ergo etc.

8. Item, prius est *perfectum* quam imperfectum et re et intellectu [10], *completum* quam diminutum,

---

[1] Vide supra pag. 64, nota 4. — Inferius pro *nisi ei* D, terminis non bene transpositis, *ei nisi*.

[2] Aristot., I. Poster. c. 2: Idem enim dico primum et principium.

[3] Cfr. Lib. de Causis, propos. 4, ubi exponitur, quod causa *prima* plus influat in causatum quam secunda. Vide tom. I. pag. 471, nota 3.

[4] Quia habitus, ut docet Aristot. II. de Caelo et mundo, text. 18. (c. 3; cfr. tom. III. pag. 720, nota 4.), est ante privationem. Lib. VI. Topic. c. 4. (c. 9.) ipse ait: Quoniam autem quaedam contrariorum privatione alterius dicuntur, ut inaequalitas privatio aequalitatis videtur esse; inaequalia enim quae non aequalia sunt dicuntur: perspicuum, quoniam quod secundum privationem quidem dicitur contrarium, necessarium est definire per alterum; reliquum vero non iam oportet per id quod secundum privationem dicitur.

[5] Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 1. q. 2.

[6] Sicut etiam Aristot. II. Poster. c. 17. (c. 14) ait: Causa enim prius est eo cuius est causa.

[7] Supple: sit. Vide Aristot., XII. Metaph. text. 39. (XI. c. 7.). — *Maior* ostensa est supra q. 3. a. 1. — De seqq. cfr. August., IX. de Trin. c. 7. n. 12. seqq.

[8] Supple: Verbum et Amorem.

[9] Cod. noster perperam scribit *privare*.

[10] Aristot., VIII. Phys. text. 75. (c. 9.): Prius autem et natura et ratione et tempore quod perfectum quidem est imperfecto est, corruptibili autem incorruptibile. De seqq. cfr. supra pag. 12, nota 9. in fine et q. 1. a. 1. fundam. 12. seqq.

Digitized by Google

unum quam multum, *simplex* quam compositum, *infinitum* quam finitum, *actus* quam potentia, *immutabile* quam mutabile, *aeternum* quam temporale, *necessarium* quam possibile: si ergo omnis creatura producta est imperfecta, est deficiens ab unitate summa, est composita, est finita, est ens in potentia, est quodam modo temporalis, est variabilis, est possibilis, deficiens ab actualitate et necessitate summa: necesse est igitur, quod ante productionem creaturae sit productio rei perfectissimae, summae, indivisae, simplicissimae, infinitissimae, aeternae, immutabilis et necessariae; hoc autem non potest esse per productionem essentiae diversae: ergo necesse est, quod illud sit per productionem personae habentis unitatem essentiae cum persona producente et aequalis in potentia, in sapientia, in bonitate; hoc autem est ponere beatissimam Trinitatem.

CONCLUSIO.

Primitas non solum non excludit trinitatem, verum etiam eam includit.

Conclusio. Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod primitas non tantum non excludit trinitatem, verum etiam includit in tantum, ut primum principium eo ipso sit trinum, quo etiam est primum; quod sic manifestum est.

Ratio ex triplici suppositione. Nam primitas summa in summo et altissimo principio ponit summam *actualitatem*, summam *fontalitatem* et summam *fecunditatem*. Primum enim principium, hoc ipso quod primum, est *perfectissimum* in producendo, *fontalissimum* in emanando, *fecundissimum* in pullulando. Quoniam ergo perfecta productio, emanatio et pullulatio attenditur tantum secundum duos modos intrinsecos, scilicet per modum *naturae* et per modum *voluntatis*, verbi scilicet et amoris; hinc est, quod necesse est, ibi poni ratione summae *perfectionis*, *fontalitatis* et *fecunditatis* duplicem modum emanandi respectu duplicis hypostasis productae, emanantis a prima persona tanquam a primo principio producente; ac per hoc necesse est, ponere personas tres. — Et quia *perfectissima* productio[1] non est nisi respectu *aequalium*, *fontalissima* emanatio non est nisi respectu *coaeternalium*, *fecundissima* pullulatio non est nisi respectu *consubstantialium*: necesse est intelligere, quod primum principium includat intra se tres hypostases coaequales, coaeternales et consubstantiales. Ponit igitur *primitas* circa primum principium *trinitatem* perfectissimam secundum rationem ordinis, originis et distinctionis, coaequalitatis et coaeternitatis et consubstantialitatis; ponit etiam summam *unitatem*, *simplicitatem*, *immensitatem*, *aeternitatem*, *immutabilitatem* et *actualitatem*: ponit igitur primi principii trinitatem cum essentialibus conditionibus supradictis.

Corollaria. Quoniam igitur primum principium, hoc ipso quod primum, est summe *unum*, et hoc ipso summe *simplex* est et *immensum*, et hoc ipso est *aeternum*, *incommutabile* et *necessarium*, sicut ex praecedentibus[2] colligitur; et *rursus*, hoc ipso quod primum, est *perfectissimum* in producendo, *fontalissimum* in emanando *et fecundissimum* in pullulando, et hoc respectu aequalium, coaeternalium et consubstantialium, distinctorum, orientium et ordinatorum: hinc est, quod primum principium, quia primum, est *aeternum* cum plenitudine omnium nobilium conditionum; quare in ipso, in quantum primum, status est rerum et comprehensionum. — Ac per hoc Rachel, quae vitam designat contemplativam, interpretatur *visum principium*[3], quia qui illud videt in quantum primum principium, habet suae conditionis statum et desiderium terminatum; quod non terminabitur, nisi cum clare videbitur primum principium, ubi et trinum et summe unum. — Et rationes istae concedendae sunt, quae ad hanc partem inducuntur.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium, quod primitas circa essentiam excludit pluralitatem; dicendum, quod non est simile: quia plures *essentiae* essentialiter differentes non possunt habere ordinem ad invicem nisi secundum rationem *prioris et posterioris*; sed plures *personae*, quia unam habent essentiam et unum *esse*, possunt ad invicem ordinari, ita quod, quamvis sit in eis ratio *originis*, nulla tamen interventio *posterioritatis*: et ideo haec pluralitas non tollit primitatem summam, quia nullam posterioritatem includit, quae directe primitati repugnat. — Et per hoc patet responsio ad sequens, quod obiicitur de causalitate; quia ordo causarum per essentialem diversitatem attenditur secundum comparationem posterioris ad primum, quod quidem non est reperire in origine[4] personarum.

Notandum. 3. Ad illud quod obiicitur, quod postremo non convenit productio activa; dicendum, quod non est simile: quia, cum *postremum* non possit habere comparationem, quae sit idem quod ipsum, nec producatur aliquid sibi per omnia adaequatum propter suam imperfectionem; ideo in ipso necessario repugnat, quod sit *postremum* et quod sit *productivum*, quia aliquid haberet post se posterius. Secus autem

---

[1] Supplevimus: productio. — Cfr. I. Sent. d. 19. p. I. q. 2. ad 3.

[2] Quaest. 2-7. Etiam hic respiciuntur praecedentes quaest.

[3] August., I. de Consensu Evangelist. c. 5. n. 8: Hae duae virtutes [activa et contemplativa] in duabus uxoribus Iacob figuratae intelliguntur. De quibus adversus Faustum Manichaeum lib. XXII. c. 52. seq.] pro modulo meo... disserui. Lia quippe interpretatur *laborans*, Rachel autem *visum principium* [contra Faustum, loc. cit., additur: *sive verbum, ex quo videtur principium*. Cfr. Hieron., Lib. de Nominibus hebraicis, de Genesi, ubi legitur: Rachel ovis, vel videns principium, aut visio sceleris, sive videns Deum]. — Post pauca pro *habet* D *habere*.

[4] Propter scriptionem compendiosam legi potest sive *origine* sive *ordine*. — Cfr. supra q. 5. a. 2. ad 2. et 7.

Digitized by Google

est ex parte *principii*, quia propter summam completionem tam in producente quam in producto non repugnat productio[1] activa et passiva, nulla interveniente posterioritate, per quam minuatur completio unitatis perfectae.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sunt aut aeque primae aut non; dicendum, quod *primae* dicit privationem *anterioris*; alio modo dicit privationem *originis*. Si ergo dicatur *primum* per privationem *anterioris*; sic sunt aeque primae, quia nihil est ibi ante et post. Si autem dicatur *primum* per privationem *originis*, quia scilicet a nullo oritur; sic ratio primitatis principaliter residet circa personam Patris, ratione cuius est in ipso fontalis plenitudo ad productionem omnium personarum. Unde et quia *innascibilitas* hanc proprietatem includit, ideo dicitur esse proprietas, quae est nomen Patris; quod quidem non esset, nisi simul et nolalitatem diceret et innascendi rationem, diceretur etiam relative[2]. Distinctio.

5. Ad illud quod obiicitur, quod aut sunt aeque principiantes, aut non; dicendum, quod aeque principiantes *essentialiter*, sed non aeque *personaliter*, quia Pater est principium duorum, Filius unius, et Spiritus sanctus nullius. Quoniam ergo ratio primitatis, quae convenit essentialiter primo principio, est aequaliter in omnibus illis personis tribus; ideo simul stat trinitas cum primitate summa: quia, sicut *non posse generare* in Filio non ponit impotentiam[3], sic *non esse a se, sed a Patre* non ponit aliquam posterioritatem, ac per hoc non diminuit de ratione primitatis perfectae. Distinctio.

6. Ad illud quod obiicitur, quod unitas prior est re et intellectu quam pluralitas; dicendum, quod illud est verum de illa pluralitate, quae est ex aggregatione unitatum; de illa autem pluralitate, in qua eadem est unitas trium, veritatem non habet, quia una est in eis veritas, una lux, una ratio intelligendi ex parte ipsius Dei intellecti[4]. Quod autem nos prius intelligamus unitatem quam trinitatem, hoc est propter defectum intelligentiae ex parte nostra. Distinctio.

7. Ad illud quod obiicitur: quantu aliquid est fontalius, tanto prius in producendo; dicendum, quod, sicut iam tactum est, *primum*, secundum quod dupliciter accipitur, et per privationem *anterioritatis essentialis* et privationem *originis personalis*, sic duplicem includit *fontalitatem*, secundum quod dicit *anterioritatis privationem essentialis* et *privationem originis personalis*[5]. Secundum quod dicit privationem *anterioritatis essentialis*, sic includit fontalitatem respectu effectuum et essentiarum producendarum; et sic, cum ista condatio aequaliter conveniat omnibus personis, aequaliter convenit eis *ratio fontalitatis* in *esse* creaturarum productione, quia non sunt tres, sed unum principium creaturae. Secundum autem quod dicit privationem *originis personalis*, sic competit soli personae innascibili, scilicet Patri, in qua est plenitudo fontalitatis ad productionem Filii et Spiritus sancti. — Haec autem fontalitas quodam modo origo est alterius fontalitatis. Quia enim Pater producit Filium et per Filium et cum Filio producit Spiritum sanctum; ideo Deus Pater per Filium cum Spiritu sancto est principium omnium creaturarum; nisi enim eos produceret *ab aeterno*, non per illos producere posset *ex tempore*; et ideo ratione illius productionis in Trinitate recte dicitur esse *fons vitae*[6]. *Sicut enim habet vitam in semetipso, sic dat Filio vitam habere in semetipso* etc. Hinc est, quod *vita aeterna* haec sola est, ut spiritus rationalis, qui manet a beatissima Trinitate et est imago Trinitatis, per modum cuiusdam circuli intelligibilis redeat per memoriam, intelligentiam et voluntatem, per deiformitatem gloriae in beatissimam Trinitatem. Duplex primum. Duplex fontalitas. De prima. De secunda.

---

[1] Manifestum omissionem codicis (per saltum, a *productio* ad *activa*) supplevimus verbis *non repugnat productio*.

[2] Cfr. supra q. 5. a. 2. ad 3. et 6, ac l. Sent. d. 28. q. 1. sequ.

[3] Vide l. Sent. d. 7. q. 2.

[4] Cfr. supra q. 2. a. 1. ad 2. et a. 2. ad 16.

[5] Deperperam repetit *sic duplicem includit fontalitatem*.

[6] Psalm. 35, 10: Apud te est fons vitae. — Seq. locus est Joan. 5, 26: Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio etc. — Superius pro *mei enim eos... non per illos* B *non enim eos... mei per illos*; et in fine *beatissimam Trinitate*.

Digitized by Google

QUAESTIONES DISPUTATAE

DE PERFECTIONE EVANGELICA

Volentes[1] circa evangelicam perfectionem aliqua indagare, primo exordium inquisitionis nostrae sumendum est ab humilitate.

Et primo quaeramus de ipsa tanquam de totius perfectionis radice.

Secundo, de paupertate.

Tertio, de continentia.

Quarto, de obedientia.

QUAESTIO I.

De humilitate quoad actum ipsius, utrum scilicet christianae perfectionis sit se ipsum vilificare pro Christo.

Et quoniam habitus cognoscitur per actus[2], ideo quaerendum est de humilitate quantum ad actum ipsius. Est igitur quaestio, utrum christianae perfectionis sit se ipsum vilificare pro Christo. Et quod sic, ostenditur:

1. Primo *auctoritate ipsius Christi*, qui dicit Fundamenta. Matthaei decimo octavo[3]: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum;* sed se ipsum parvificare non est aliud quam sibi vilescere et ab aliis vilem se reputatum velle: ergo etc.

2. Item, Matthaei vigesimo[4]: *Qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus;* sed facere se ipsum servum aliorum, hoc est se ipsum vilificare vilificatione permaxima: ergo etc.

3. Item, Lucae decimo septimo[5]: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus;* sed qui recte aliquid dicit vult sibi credi, et credit, verum esse quod dicit: ergo ad hoc, quod aliquis sit perfectus discipulus Christi, necesse est, quod se vilem reputet et quod talis velit ab aliis reputari.

4. Item, Lucae vigesimo secundo[6]: *Qui maior est in vobis fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator;* sed si minimus faceret se sicut maximum, esset summa ambitio et elatio: ergo e converso, cum maior fit minor et praecessor sicut ministrator, erit summa ipsius abiectio; et hoc debet fieri secundum evangelicam doctrinam: ergo etc.

5. Item, Ioannis decimotertio[7]: *Vos vocatis me magister et domine* etc., usque ibi: *lavare pedes;* ex hac auctoritate ratiocinatione colligitur, quod Christi discipulus ratione magistri inclinare se debet usque ad humiliationis et abiectionis genus extremum.

6. Item, ad Philippenses secundo[8]: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui cum in forma* etc.; sed semetipsum exinanire, nihil aliud est quam se ipsum vilificare: si igitur Christum in

---

[1] Hanc quaestionem sumsimus ex codicibus E D I. Respectu cod. I notamus, quod in ipso plerumque scripta non sunt nisi *initia* locorum s. Scripturae; deinde quod non raro syllogismorum conclusiones omnino, substituens tantum *ergo etc.*, quod in solut. object. verba obiectionum non repetit, sed simpliciter dicit: *ad 1. dicendum;* demum, quod interdum etiam alia contra dicere vel mutare solet. Unde fere constanter sequimur egregium et perantiquum codicem E, cui fere omnino convenit D, nisi quod hic plures librarii errores habent.

[2] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 33. (c. 4.) et II. Ethic. c. 1. seq.

[3] Vers. 3. — Inferius pro *reputatum* I *reputari.*

[4] Vers. 27.

[5] Vers. 10. — Finem arg. I sic exhibet: *quod velit vilem (vilis?) ab aliis reputari.*

[6] Vers. 26. [7] Vers. 13. et 14.

[8] Vers. 5. seqq.: Hoc enim sentite etc. — In fine arg. pro *si... debemus... evangelicae* I *cum... debemus... christianae.*

Digitized by Google

hoc debemus imitari, exinanito sui et vilificatio convenit evangelicae perfectioni.

7. Item, super illud verbum dicit Bernardus in sermone de Nativitate Domini[1]: «Quae necessitas fuit, ut sic exinaniret se, sic humiliaret, sic abbreviaret Deus maiestatis, nisi ut vos similiter faciatis? Iam clamat exemplo quod praedicaturus est verbo». Et paulo post: «Intolerabilis impudentiae est, ut, ubi se exinanivit maiestas, inflatur vermiculus et intumescat». Si ergo in huiusmodi exinanitione debemus Christum imitari, restat, quod ad perfectionem virtutis spectat vilificari.

8. Secundi Regum sexto[2] super illud: *Respiciens Michol, filia Saul, vidit regem David subsilientem et despexit eum in corde suo;* dicit Gregorius: «Ecce, quem Dominus ceteris singulariter praetulit, sese sub Domino exaequando omnimis et abiecta exhibendo contempsit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non oculis subiectorum saltando vilescere metuit; quid de his factis ab aliis sentiatur, ignoro; ego David plus stupeo saltantem quam pugnantem; pugnando hostem vicit, saltando coram Domino se ipsum vicit». Si igitur semetipsum vincere opus est perfectae virtutis; et hoc fit in vilificatione sui: ergo etc.

9. Item, paulo post ibidem[3]: *Ludam et vilior fiam* etc.; super quae Gregorius dicit: «Ac si aperte dicat: vilescere coram hominibus appeto, quia servare me coram Deo ingenuum per humilitatem quaero». Si igitur esse coram Deo ingenuum nihil aliud est quam esse perfectum; et vilificatio sui ingenuum facit coram Deo: ergo ipsa est actus perfectae virtutis.

10. Item, Ionae tertio[4] super illud: *Operiantur saccis homines et iumenta;* Glossa: «Ecce, rex Ninive de solio surgit, purpuram sacco, iumenta luto, nimia sordibus commutat»; sed hoc est maxime vilificare se ipsum, non solum interius, verum etiam exterius, et per hoc placatus fuit Deus iratus: ergo vilificatio sui est opus Dei maxime acceptum.

11. Item, Augustinus, de Vera Religione[5]: «Omnia, quae habere cupientes non recte vitabamus, Christus carendo vilia fecit; non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur quae ille contempsit, aut fugiendo quae ille sustinuit»; sed Christus sustinuit vilificationem non compulsus, sed voluntate, et refutavit honores: si ergo pro illo vilificari volumus, in disciplina morum ipsi conformemur.

12. Item, Gregorius in primo libro Dialogorum[6] dicit sic: «In laudibus Constantii pensandum, cuius apud se humilitatis fuerit, qui despicientem se rusticum amplius amavit; qualis enim quisque apud se latent, contumelia illata prodit. Nam sicut superbi honoribus, sic plerumque humiles sua despectione gratulantur; eumque se et in alienis oculis viles aspiciunt, ideirco gaudent, quia per hoc iudicium confirmari intelligunt, quod de se et ipsi apud semetipsos habuerunt». Ex hac auctoritate manifeste colligitur, quod non est vere humilis, nisi sit in oculis suis vilis et velit esse in oculis alienis.

13. Item, Bernardus super Cantica, homilia decima sexta[7]: «Verus humilis vult vilis reputari, non humilis praedicari»; sed non est humilitas virtuosa, nisi sit humilitas vera: ergo si humilitas vera non potest esse sine voluntaria sui vilificatione, pari ratione nec humilitas virtuosa.

14. Hoc ipsum ostenditur *ratione*. Sicut se habet superbia ad sublimitatem, sic se habet humilitas ad vilitatem; sed nunquam est superbia, quin cum ea sit appetitus sublimitatis[8]: ergo nunquam est humilitas vera sine appetitu vilitatis.

15. Item, sicut lascivia se habet ad austeritatem, sic superbia ad vilitatem; sed lascivia non eradicatur a nobis nisi per rigorem austeritatis: ergo nec superbia nisi per vilitatem abiectionis[9]: ergo vilificatio sui est actus exstinctivus superbiae, ac per hoc actus virtutis perfectae.

16. Item, nullus potest iustificari a culpa originali, nisi se ipsum subiicial Sacramentis, quae sunt signa sensibilia; subiicere autem se ipsum signo sen-

---

[1] Serm. I. de Festibus Salvatoris) n. 1.

[2] Vers. 16: Michol, filia Saul, prospiciens per fenestram vidit etc. — Post *subsilientem* Vulgata addit: atque saltantem coram Domino. Verba Gregorii sunt in XXVII. Moral. c. 46. n. 77. Textus originalis, post *metuit* pluribus additis, subinde prosequitur: Quid de eius factis... pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum vicit. — Codd. pro *Gregorius* perperam *Chrysostomus;* in ipso textu substituunt *contemnitur* pro *contemnit*, et *quae oculis* pro *non oculis*.

[3] Vers. 22. (II. Reg. 6.): Et ludam etc. — Gregorii verba habentur loc. cit. in praeced. nota. — Pro *humilitatem* codd. *libertatem*.

[4] Vers. 8: Et operiantur etc. — Glossa (*ordinaria* apud Lyranum) sumta est ex Hieron. in hunc loc., in eaque textus originalis substituit *mundi as* pro *mundo*. — Interius respicitur Ion. 3, 10: Et vidit Deus opera eorum... et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. — Vocibus *Deus iratus* I interserit *prius*.

[5] Cap. 16. n. 31: Omnia, quae habere cupientes non recte vivebamus, carendo vilescere fecit [in ed. Maurin. in nota adiecta dicitur: «ita in mss. At in editis, vilia fecit». DE legunt *Christo carendo edoceat* (vilescant?)]. Omnia quae vitare cupientes a studio devitandorum vertimur, perpetuando deberet. Non enim... nisi aut dum... aut fugiamus quae etc.

[6] Cap. 5. Cum textu originali substituimus *asperiant* pro *ostendunt*, quod exhibent codd. Textus originalis pro *quia*, *per hoc iudicium* habet *quod hoc iudicium*.

[7] Sive Sermone 16. n. 10. — In D desideratur finis arg. *usi... virtuosa*.

[8] Cfr. August., XI. de Gen. ad lit. c. 11. n. 18, ubi docet, quod «superbia sit amor excellentiae propriae».

[9] Vide Gaufrid., Declamation. ex S. Bernardi sermonibus (inter opera Bernard.), c. 36. seq. n. 12-44, qui ex his verbis Ps. 24, 18: *Vide humilitatem meam et laborem meum* elicit *duo latera* scalae ad coelum, quae sunt vilitas et asperitas (austeritas), quibus denuo internae virtutis et gratiae gradus firmiter insertentur sunt. «Sane ubi sic stabilieris et firmaveris in corde tuo, asperitatem corporalis abstinentiae ac laboris amplecti et omni vilitate et extremitate esse contentus, bono sunt latera, securus iam insere gradus exercitii spiritualis etc.

Digitized by Google

sibili non potest esse sine magna abiectione [1]; sed plus requiritur ad peccatum actuale amovendum: ergo ad hoc, quod aliquis justificetur, requiritur non solum, ut interius, verum etiam, ut exterius humilietur.

17. Item, contemptor Dei est dignus summo opprobrio et contemptu; sed peccator est Dei contemptor, ergo est summe contemnendus: ergo qui se ipsum contemnit tanquam peccatorem facit quod debet et se ipsum indicat iuste [2]. Sed hoc spectat ad virtutem perfectam: ergo etc.

18. Item, duo sunt in peccato, scilicet libido et contemptus Dei [3]; sed non potest homo justificari a peccato, in quo fuit libido, nisi adsit dolor compunctionis: ergo pari ratione nec a superbia nec a contemptu Dei justificari poterit nisi per contemptum et vilificationem sui.

19. Item, civitas Dei ex opposito se habet ad civitatem Babylonis; sed civitas Babylonis incipit ab amore sui et pervenit usque ad contemptum Dei: ergo e contrario civitas Dei incipit a contemptu sui et pervenit usque ad amorem Dei [4]. Si ergo se ipsum contemnere et vilificare spectat ad divinae civitatis fundationem: ergo est opus virtutis perfectae.

20. Item, nullus recte per viam virtutis incedit, nisi qui honorem debitum Deo persolvit; sed qui se ipsum propter Deum vilificat, ille est, qui Deum honorat: ergo etc. *Maior* manifesta est per se; *minor* probatur per illud quod dicitur Ecclesiastici tertio [5]: *Magna est potentia Dei solius et ab humilibus honoratur;* et Baruch secundo: *Anima, quae tristis est super magnitudine mali et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, et anima exuriens dat tibi gloriam et iustitiam, Domine.*

21. Item, quanto quis ad exemplar virtutum magis configuratur, tanto est perfectior; sed Christus in cruce exemplar est virtutis perfectae, ubi fuit in abiectione summa [6]: ergo tanto quisque perfectior est, quanto magis ad illam accedit.

22. Item, nulla virtus est in vera perfectione virtutis, nisi approbet unumquodque, secundum quod est approbandum; sed, sicut dicitur in Psalmo [7], *universa vanitas omnis homo vivens:* ergo nullus est virtutis perfectae, nisi reputet se vanum et inutilem, et talem se velit reputari a quolibet.

23. Item, nulla est virtus perfecta, nisi, cum potest, exeat in opus extra [8]; sed opus exterius correspondens interiori abiectioni est exterior vilificatio sui: ergo nullus habet in se virtutem humilitatis perfectae, nisi velit exterius se vilem et abiectum ostendere, cum locus et tempus se offert.

24. Item, virtus humilitatis perfectae reformat quod deformavit vitium superbiae; sed superbia deordinat cognitionem per praesumtionem, affectionem per arrogantiam, locutionem per iactantiam, gestum per ostentationem et insolentiam: ergo nullus habet humilitatem perfectam, nisi habeat horum contraria in cogitatu, affectu, locutione et gestu.

25. Item, perfecta virtus non solum elongat [9] a vitiis, verum etiam a vitiorum fomentis; sed apparitio interiorum et honorificatio exterior sunt fomenta superbiae: ergo humilitas perfecta ab istis elongat. Elongari autem ab honorificatione est accedere ad vilitatem et ignominiam: ergo etc.

CONTRA 1.: « Virtus est habitus mentis in modum naturae rationi consentaneus [10] »; sed natura naturaliter appetit promoveri et non deiici: ergo contra dictamen naturae est vilificatio sui: ergo non est opus perfectae humilitatis. Ad oppositum.

2. Item, « virtus est ordo amoris », sicut dicitur in libro de Moribus Ecclesiae [11]; sed cum maior subiicit se inferiori, ibi est inordinatio et perversio ordinis: ergo non est opus virtutis.

3. Item, virtus est in medietate consistens [12]; sed qui semetipsum vilificat accedit ad extremum: ergo recedit ab actu virtutis perfectae.

4. Item, omnis virtus habet substramentum veritatis; ubi enim veritas deest, ibi virtus esse non

---

[1] Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. 1, c. 5, et ibid. Commentar. p. I. q. 4. in corp. — D omittit *sensibilis*, et pro *sensibili* habet lacunam; E utroque loco habet lacunam.

[2] Quo sensu Bernard. Serm. 45. in Cantic. n. 2. docet, quod « in eo qui graviter peccavit, etsi amanda, non tamen *admiranda* humilitas ». Cfr. ibid. Serm. 36. n. 5.

[3] Sive conversio ad creaturam et aversio a Deo; quae duo August., de Mendacio, c. 7. n. 10, nomine *libidinis* comprehendit dicens: Libido quoque ipsa recte definitur appetitus animi, quo aeternis bonis quaelibet temporalia praeponuntur. Cfr. tom. II. pag. 754, nota 9. et ibid. d. 42. a. 3. q. 2, nec non III. Sent. d. 36. dub. 2. — I prosequitur: *sed homo, in quo fuit libido, non potest justificari a peccato, nisi adsit* etc.

[4] August., XIV. de Civ. Dei, c. 28: Fecerunt itaque civitates duas amores duo, terrenam scilicet *amor sui* usque ad contemptum Dei, caelestem vero *amor Dei* usque ad contemptum sui. Ibid. XVII. c. 16. n. 2: Civitas diaboli *Babylon*, quae confusio interpretatur... populus additus veris et carne et fide Israelitis civitas est Dei. Cfr. Apoc. 18, 2. seqq. — Inferius pro *spectat* I *pertinet*.

[5] Vers. 21: Quoniam magna potentia Dei solius etc. — Seq. locus est Baruch 2, 18, ubi Vulgata *Domino* pro *Domine*.

[6] Cfr. August., Serm. 304. (alias 37. de Diversis) c. 3. seq. n. 3, ubi expendens haec verba Phil. 2, 6-8: *Qui cum in forma Dei... mortem autem crucis*, ait: Habemus tale humilitatis exemplum, superbiae medicamentum. Quid ergo intumescis, o homo? etc.

[7] Psalm. 38, 6. — Subinde pro *ergo nullus est virtutis perfectae* I *ergo nemo perfectus est*, qui etiam pro *a quolibet* ponit *ab aliis*.

[8] Secundum Aristot., II. Ethic. c. 4, tria ad virtutem requiruntur, scilicet scire, velle et immutabiliter operari. Cfr. tom. II. pag. 924, nota 12.

[9] I *elongatur*, et subinde *apparitio exterior* pro *apparitio interiorum*.

[10] Ut dicit Cicero; cfr. supra pag. 53, nota 4. In fine legendum videtur *virtutis* pro *humilitatis*.

[11] Libr. I. c. 45. n. 25. Vide tom. II. pag. 672, nota 3. — I prosequitur: *sed cum maior subiicitur minori sive inferiori* etc.

[12] Cfr. Aristot. II. Ethic. c. 6, et tom. II. pag. 671, nota 9.

Digitized by Google

potest; sed vir iustus et perfectus, reputans se aliis viliorem, dum tale quid cogitat, falsum indicat: ergo si talis cogitatio repugnat veritati [1], necesse est, quod repugnet virtuti.

5. Item, qui vilificat facturam vilificat factorem; sed homo est factura Dei [2]: ergo qui vilificat se ipsum vilificat Deum. Vilificare autem Deum non est virtutis perfectae, sed culpa: ergo etc.

6. Item, inter ceteras creaturas homo est creatura nobilissima, ergo maxime honoranda et appretianda in tota rerum universitate: ergo qui vilificat se ipsum deordinat universum.

7. Item, vilificare alterum est peccatum; sed homo tenetur diligere se ipsum sicut et proximum [3]: ergo qui se contemptibilem reddit facit contra ordinem caritatis.

8. Item, cum alius putat te vilem, peccat: ergo si vis, quod alius te vilem reputet, tu vis, quod alius peccet; sed hoc est voluntas inordinata: ergo etc.

9. Item, anima est imago Dei, ergo naturaliter nata est configurari [4]; sed Deus est summe bonus, sapiens et excelsus: ergo appetitus excellentiae competit reformationi imaginis mentis nostrae: ergo e contrario appetitus vilificationis sui non est opus virtutis.

10. Item, tria sunt appetibilia, scilicet bonum, verum et arduum [5]; sed nulla virtus vel appetitus virtutis consistit in appetendo contrarium veri vel boni: ergo nec in appetendo contrarium ardui. Sed huiusmodi est vilificatio: quare etc.

11. Item, omnis virtus et actus virtutis habet exemplar in Deo [6]; sed vilificatio sui in Deo non habet exemplar, quia Deus nullo modo se ipsum vilificat.

12. Item, omnis virtus reddit hominem conformem ad statum gloriae, pro eo quod « ipse est dispositio perfecti ad optimum [7] »; sed vilificatio sui directe repugnat glorificationi: ergo etc.

13. Item, obiicitur contra humiliationem *exteriorem:* quia illa est signum interioris; sed superbia est fateri verbo, se esse humilem; ergo superbia est hoc ipsum ostendere signo.

14. Item, tu, qui praetendis humilitatem in signo, aut reputas *te humilem*, aut *non;* si *sic:* ergo attribuis tibi virtutem nobilem, ergo superbis; si *non:* ergo cum habitus exterius ostendat te humilem, aliud geris in animo, et aliud ostendis in signo: ergo es hypocrita [8].

15. Item, turpis est omnis pars, quae suo non convenit universo; sed singularitates istae habitum deturpare videntur statum bonum ecclesiasticum: ergo non spectat ad virtutem perfectam seu perfectionem christianam.

CONCLUSIO.

Totius perfectionis christianae fundamentum est humilitas, cuius actus est interior et exterior vilificatio sui ipsius.

Conclusio.

SOLUTIO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod summa totius christianae perfectionis in humilitate consistit, cuius actus est *exterior* et *interior* vilificatio sui. Totius enim christianae perfectionis summa versatur circa tria, scilicet circa *gratiam, iustitiam* et *sapientiam*, secundum quae tria dicitur Christus esse *via, veritas et vita* [9]. Nam *donum gratiae* viam praebet ad *veritatem iustitiae*, in qua consistit exercitium actionis; *veritas iustitiae* perducit ad *gustum sapientiae*, in qua consistit solatium contemplationis; quibus perfecte adeptis, ad culmen conscendunt evangelicae perfectionis, quam verbo et exemplo docuit Christus Iesus, qui se magistrum humilitatis specialiter professus est, Matthaei undecimo [10]: *Discite a me* etc. Est enim humilitas *ostium sapientiae, fundamentum iustitiae et habitaculum gratiae.*

Perfectio est circa tria.

Humilitas continet tria.

De primo.

Est *ostium sapientiae:* quia sapientia est « cognitio causarum altissimarum et primarum [11] », non tantum per modum cognitionis speculativae et intellectualis, verum etiam saporativae et experimentalis. Quoniam ergo omnia, quaecumque facta sunt, ab uno principio manant et de nihilo sunt producta; ille vere sapiens est, qui veraciter recognoscit suam et aliorum nihilitatem et primi principii sublimitatem. Unde orat Augustinus in secundo libro Soliloquiorum [12]: « Noverim te, noverim me ». Nullus autem pervenit ad plenam notitiam Dei nisi per veram notitiam sui

---

[1] August., de Natura et gratia contra Pelag. c. 34. n. 38, approbat dictum Pelagii, « ut in parte veritatis, non in parte falsitatis magis humilitas collocetur ». Bernard., Epist. 201. n. 2: Nec humilitas praeter veritatem laudabilis.

[2] Epis. 2, 10: Ipsius enim sumus factura etc.

[3] Cfr. Matth. 19, 19. et 22, 39. — Pro *sed homo* I *sed quibet.*

[4] Vide II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1. — Inferius pro *appetitus vilificationis* I *appetere vilipentionem.*

[5] Cfr. III. Sent. d. 26. a. 2. q. 4. in corp.

[6] Vide I. Sent. d. 36. a. 3. q. 1.

[7] Haec virtutis definitio datur ab Aristot. VII. Phys. text. 17. (c. 3.). Cfr. tom. II. pag. 671, nota 7.

[8] Hieron., IV. Comment. in Isai. 9, 14. seqq.: Omnis hypocrita est aliud simulans et aliud agens; promittens castitatem et vivens luxuriose, praeferens paupertatem et replens marsupium. Ibid. VI. c. 16, 14: Si castum esse me simulo, et aliud est in conscientia mea; habeo non gloriam mercenarii, sed supplicia percatoris. Et in comparatione duorum malorum levius malum est aperte peccare, quam simulare et fugere sanctitatem.

[9] Ioan. 14, 6: Ego sum via et veritas et vita. Cfr. Bernard., de Gradibus humilit. c. 1. seq. n. 1. seqq.

[10] Vers. 29.

[11] Secundum Aristot., I. Metaph. c. 1. seqq. et III. text. 3. (II. c. 2.). Idem dicit VI. Ethic. c. 7, sapientiam esse « scientiam rerum praestantissimarum ». Cfr. III. Sent. d. 35. q. 1. — Codd. non bene omittunt *Est ostium sapientiae.*

[12] Cap. 1. n. 1. — Superius cum E posuimus *nihilitatem*, alii *vilitatem.* Inferius pro *qui... non attendit* I *nisi qui... attendit.*

Digitized by Google

et rectam; nec recte se ipsum cognoscit qui suam ipsius nihilitatem non attendit; *nam qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit*, ut dicit Apostolus ad Galatas ultimo [1]; sui autem nihilitatem cognoscere, hoc est se ipsum humiliare: est ergo humilitas *ostium sapientiae*. — Et hoc dicit Sapiens Proverbiorum undecimo: *Ubi humilitas, ibi et sapientia;* hoc est etiam quod dicit ipsa Sapientia Matthaei undecimo: *Revelasti ea parvulis* etc.; super quo Bernardus, de Gradibus humilitatis [2]: « Apparet, quod veritas, quae superbis absconditur, humilibus revelatur. Est autem humilitas virtus, qua homo vera cognitione sui ipse sibi vilescit; hoc autem convenit his qui, ascensionibus in corde dispositis, de gradu in gradum proficiunt, donec in culmen humilitatis perveniant, in quo velut in Sion positi veritatem prospiciant ». Et paulo post: « Qui iussit humilitatem perducit ad veritatem »; unde et scala Iacob « quid nobis aliud innuit, nisi quod in culmine humilitatis consistit cognitio veritatis »? Et paulo post: « Bona via humilitatis, qua veritas reperitur, caritas acquiritur, generationes sapientiae participantur ».

Confirmatur.

Est etiam *fundamentum iustitiae*. Nam iustitiae est « reddere unicuique quod suum est [3] », tam Deo quam sibi quam proximo. Deo autem principaliter debetur honor et reverentia; et ad hoc reddendum praecipue disponit humilitas, secundum illud Ecclesiastici tertio [4]: *Quam magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur.* Quoniam ergo initium totius iustitiae est cultus et honor divinus, et hic exhibetur Deo ab humilibus; hinc est, quod totius iustitiae radix et fundamentum est humilitas. — Unde super illud Matthaei tertio [5]: *Sic decet nos implere;* Glossa: « id est, omnem humilitatem, quae est omnis iustitia ». Et Gregorius in Homilia [6]: « In ceteris, quae agitis, radicem bonae operationis humilitatem tenete. Nam etsi quaelibet adsint opera, nulla tamen sunt, nisi ex humilitate condiantur; miranda quique actio eum elatione non elevat, sed gravat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat in ventum pulverem portat; et unde videre cernitur, inde deterius excaecatur ». Idem: « Totum ruinae crescit, quod aedificas, si ante modum fabricae humilitatis fundamenta non procuras ».

De secundo.

Confirmatur.

Est nihilominus *habitaculum gratiae*. Nam gratia facit hominem Deo gratum; gratus autem est Deo qui cognoscit divinae dignationis et condescensionis donum; nullus autem hoc cognoscit nisi circumspector suae indignitatis; et talis est vere humilis: et hinc est, quod gratia Spiritus sancti super solos humiles requiescit. — Unde Isaiae ultimo [7]: *Super quem requiescit Spiritus meus nisi super humilem* etc.; Augustinus, libro tertio de Doctrina christiana: « Ad hoc peccata magnorum virorum scripta sunt, ut apostolica illa sententia ubique timenda sit: *Quapropter qui videtur stare videat, ne cadat.* Nulla enim pagina sanctorum librorum est, in qua non sonet: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* ». — Quia ergo humilitas est habitaculum gratiae, hinc est, quod in ipsa consistit *summum totius perfectionis evangelicae*. Et hoc est quod dicit Augustinus ad Dioscorum [8]: « Non aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam invenias, quam quae inventa est ab illo qui gressum nostrum tanquam Deus vidit infirmitatem. Est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas; et quoties interrogares, hoc dicerem, non quod alia praecepta non sint, quae dicantur, sed nisi humilitas omnia, quaecumque bene facimus, et praecesserit et comitata et secuta fuerit, et proposita, quam intueamur, et apposita, cui adhaereamus et imposita, qua reprimamur; iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Itaque, si interrogares et quoties interrogares de praeceptis

De tertio.

Confirmatur.

Corollarium.

---

[1] Vers. 3: Nam si quis existimat, se aliquid etc. — Seq. locus est Prov. 11, 2: Ubi autem est humilitas etc.; tertius Matth. 11, 25.

[2] Cap. 1. n. 1. seq.: Et in hoc apparet... revelatur. Humilitatis vero talis potest esse definitio: humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit. Haec autem convenit his... in corde suo dispositis [Ps. 83, 6.], *de virtute in virtutem* [Ps. 83, 8.], id est de gradu... donec ad culmen humilitatis perveniant, in quo velut in Sion, id est in speculatione, positi veritatem prospiciant... Qui iussit humilitatem perducit ad veritatem. Ibid. c. 2. n. 3: Illud quoque, quod in scala illa, quae in typo humilitatis Iacob monstrata est, Dominus desuper innixus apparuit [Gen. 28, 12. seq.], quid nobis... humilitatis constituitur cognitio veritatis? Ibid. n. 5: Bona tamen via humilitatis, qua veritas inquiritur, caritas etc.

[3] De hac definitione iustitiae cfr. tom. III. pag. 728, nota 1. Glossa *ordinaria* apud Strabum in Matth. 3, 6: Iustitia est suo cuique tribuere, sibi et proximis et Deo.

[4] Vers. 21: Quoniam magna est.

[5] Vers. 15: Sic enim decet etc. — Glossa est *ordinaria* apud Lyranum. Cfr. August., Serm. 292. (alias 23. de sanctis) c. 4. n. 4; Bernard., Serm. in Octava Epiphan. n. 4.

[6] Libr. 1. Homil. in Evang. homil. 7. n. 4. Textus originalis primum perpos. *(In ceteris... tenete)* et ultimum (post *excaecatur)* exhibet sic: Sed etsi quaelibet bona adsint... congregat, in ventum pulverem portat; et unde *aliquid ferre* cernitur, inde deterius caecatur. In *cunctis* ergo, quae agitis, fratres mei, radicem etc. — Codd. allegam *Lib. XXVI.* vel *XXVII. Moralium*, sed perperam, etiam si referretur ad locum seq., quem Gregor. profert XXXIV. Moral. c. 23. n. 31; verba vide tom. IV. pag. 582, nota 7.

[7] Vers. 2: Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contentum spiritu (Septuaginta interpretes: Et super quem respiciam nisi super humilem et quietum). Subdit *et cap. undecimo* [v. 2.]: *Et requiescet super eum* etc. — Verba August. habentur III. de Doctr. christian. c. 23. n. 33. Primus locus Scripturae in hoc textu est I. Cor. 10, 12: Itaque qui se existimat stare etc.; secundus est Iac. 4, 6. et I. Petr. 5, 5. Pro *timendo* textus originalis *tremendo*. — Superius pro *Nam gratia* I. *Nam humilitas*.

[8] Epist. 118. (alias 56.) c. 3. n. 22: Nec aliam... viam invenias, quam quae inventa est ab illo... et praecesserit et comitetur et consecuta fuerit etc. Post *superbia* textus originalis plura addit. Pro *quaecumque bene facimus* I *bona quae facimus*, et pro *bono facto* DEI contra textum originalem *beneficio*. In fine verborum textus originalis *dicere* pro *dicerem*.

Digitized by Google

christianae religionis, non me aliud respondere nisi humilitatem liberet; et si forte alia dicerem, necessitas cogeret ».

De exteriore humiliatione.

Huiusmodi autem humilitatis actus est non tantum interior, verum etiam exterior humiliatio et vilificatio sui. Et ratio huius est: quia, cum duplex sit *esse*, scilicet naturae et gratiae, duplex est nihilitas: uno modo per oppositionem ad *esse naturae*, alio modo per oppositionem ad *esse moris et gratiae*. Et secundum hoc humilitas, quae est per considerationem vel quae est considerativa nostrae nihilitatis, duplex est: una quidem dici potest humilitas *veritatis*, quae consurgit ex consideratione nihilitatis per oppositionem ad *esse naturae*; et haec non tantum reperitur in hominibus, verum etiam in Angelis, non tantum in viatoribus, verum etiam in Beatis. Alia potest dici humilitas *severitatis*, quae consurgit ex consideratione *culpae*; qua, dum homo per elationem cogitat se esse demersum, severa quadam censura per humilitatem consurgit adversum semetipsum, se vilificando non tantum interius in oculis propriis, verum etiam exterius in oculis aliorum. Unde vilificatio sui non tantum exterior, verum etiam interior actus est humilitatis-virtutis [1], evangelicae nihilominus perfectioni consonus, si attendatur in ea debitus *ortus* et *modus* et *fructus*. — *Originaliter* enim humiliatio exterior procedere debet ab humilitate interiori secundum dictamen et regulam numeris divini; et hoc potest fieri secundum legem divini *praecepti*, vel divini *complaciti*, vel divini *consilii*. *Praeceptum* universaliter omnes respicit; *complacitum* respicit eos quibus divina voluntas specialiter inspiratur; *consilium* vero eos qui ad culmen perfectionis ascendunt. Et de his tribus ad Romanos [2] dicitur, *ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta*. Recte igitur se humiliat qui se voluntati divinae secundum aliquem trium modorum conformat, secundum quos diversos ad diversa humiliationum genera spiritus veraе humilitatis inclinat.

Dupler nihil.

Dupler humilitas.

Tres attendenda.

De ortu.

Gradus 3 de humiliandi.

Modus autem humiliationis exterior est, ut servetur in ea *virilitas*, *veritas* et *honestas*; *virilitas* contra pusillanimitatem, quae animum deicit; *veritas* contra hypocrisim, quae homines fallit; *honestas* contra stoliditatem, quae homines dehonestat et stultizare [3] facit.

Modus requiritur tria.

Fructus autem huius humiliationis est, quia valet ad humilitatem *acquirendam*, ad *exercendam* et ad *perficiendam*. Unde super illud Ioannis decimo tertio [4]: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*; Glossa: « Qui ad pedes inclinatur, ei in corde humilitas excitatur; vel si iam est in corde, confirmatur humilitatis affectus ». Et Bernardus in quadam epistola ad Ogerium [5]: « Humilitas, ad quam utique ducit humiliatio, totius est fabricae spiritualis fundamentum; siquidem humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis; nam si non potes humiliari, non poteris ad humilitatem provehi ». Hanc autem humiliationem vocat *sui ipsius vilificationem*; unde et subdit [6]: « *Ludam et vilior fiam*, ludam scilicet, ut illudar. Bonus ludus, quo Michol irascitur, et Deus delectatur; bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis spectaculum praebet; bonus, inquam, ludus, in quo efficimur *opprobrium abundantibus et despectio superbis*. Hoc casto et religioso ludo ludebat qui dicebat: *Spectaculum facti sumus huic mundo et Angelis et hominibus*. Hoc ludo etiam nos interim ludamus, ut illudamur et confundamur et humiliemur, donec veniat qui *potentes deposuit et exaltat humiles*, qui nos laetificet, exaltet et glorificet in aeternum ». — Ex his manifeste colligitur, quod se ipsum humiliare et vilificare pro Christo opus est virtutis perfectae et religioni et perfectioni consonus christianae. Unde rationes et auctoritates, quae ad hanc partem induuntur, concedendae sunt.

Epilogus.

1. Ad illud quod primo obiicitur, quod virtus consonat naturae, et natura semper appetit promoveri; dicendum, quod etsi secundum exteriorem faciem actus humilitatis, qui est vilificatio sui, dissonare videatur ab instinctu naturae, secundum veritatem tamen et intrinsecam rationem plurimum ipsi naturae consonat et quantum ad *originem* et quantum ad *conservationem*, quantum etiam ad *profectum*. Non natura omnis ex eo, quod de *nihilo* est, defectum aliquem in se habet et defectivam se clamat. — Natura etiam *conservatur* in hoc, quod unitatem in suis principiis componentibus et etiam in partibus quantitativis servat pro viribus suis; in hoc etiam, quod expellit omne illud, quod dispersionem inducit, quantum possibile sibi [7]. — *Proficit* autem in hoc, quod appetit suscipere influentiam a natura superiore, cui se subiicit, ut ab illa possit compleri. Quoniam ergo humilitatis est suum defectum reco-

Solutio oppositorum.

Vilificatio sui naturae consonat.

Ratio triplex notanda.

---

[1] 1 *Huiusmodi autem vilificatio tam exterior quam interior est actus humilitatis-virtutis*. Subinde 1 omittit *evangelicae*.

[2] Cap. 12, 2. — Superius pro *potest fieri* 1 *potest esse*.

[3] Secundum Du Cange, Glossarium etc., *stultizare* idem est ac *insanire*, *in furiam verti*.

[4] Vers. 14. — Glossa est secundum August., in Ioan. Evang. tr. 58, n. 1: Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si iam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus.

[5] Epist. 87, ad Ogerium [codd. nostri perperam *Rogerium*] canonicum regularem, n. 11: Putasne, parum hoc mihi conferat religionis emolumentum, cum humilitas, ad quam... totius sit spiritualis fabricae fundamentum? Siquidem... Nam si non poteris humiliari etc.

[6] Ibid. n. 12. — Loci Scripturae sunt II. Reg. 6, 22 (cfr. supra fundam. 9.); Ps. 122, 4; I. Cor. 4, 9, ubi Vulgata omittit *huic*; Luc. 1, 52: Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles. — Textus originalis post *sed Angelis* addit *pulcherrimum* et post *despectio superbis* plures subiungit propositiones.

[7] Cfr. loci supra pag. 61, nota 4, ex Boethio allegati.

Digitized by Google

gnoscere; ad quandam parvitatem unitivam se ipsum redigere, spiritum inflationis et superbiae tanquam dispersivum a se repellere; influentiae supernae gratiae se subicere et offerre: hinc est, quod ipsa secundum veritatem consonat actui et instinctui naturali. Unde ratio illa falsum assumit, cum dicit, humilitatem dissonare ab instinctu naturae et actum eius, qui est vilificare se. — Posset etiam aliter dici, quod illa definitio est virtutis *moralis*, quae radicatur in naturali dictamine. Hic autem actus humilitatis fundatur in fide Iesu Christi, qui est actus super rationem et excedit terminos naturae. Et ideo ratio illa non valet [1].

Alia solutio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod virtus est ordo amoris; dicendum, quod *ordo amoris*, qui attenditur in virtute, principaliter, radicaliter et essentialiter hoc respicit, quod Deus praeferatur creaturae; et omnis ordo alius annexus est et quasi ordinans ad istum ordinem tanquam ad ordinem principalem. Quoniam ergo, ut dicit Augustinus [2], ad hoc, quod Creator in corde dulcescat, opportunum est, quod creatura vilescat; et quia creatura illa, quae maxime huic obviat ordini, est persona propria et privatum bonum: ideo ad perfectum virtutis ordinem conservandum hoc maxime consonat, ut quis vilificet se ipsum; quod facit, cum se propter Deum alteri subiicit et alium sibi praeponit, salva tamen dignitate ordinis ecclesiastici, quem vera humilitas non pervertit nec negligit nec postponit, sed potius conservat, dum interius in corde servatur humilitas, et exterius auctoritas in suo gradu perdurat.

De ordine amoris.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod virtus est habitus in medietate consistens; dicendum, quod illud verbum intelligitur non de medietate quantum ad quantitatem ex parte obiecti, sed quantum ad elongationem a diminutione et excessu habente rationem vitii, et sic est vilificatio sui, quae est opus virtutis medietas inter pusillanimitatem et arrogantiam. Unde licet videatur declinare ad extremum, secundum veritatem tamen tenet medium [3]. — *Praeterea*, sicut tactum est, vilificatio sui non tantum est actus virtutis informantis naturam, sed excludum etiam reparantis; unde plus tenet rationem *medicativi* quam *completivi*; et quia morbus corrumpens genus humanum maxime est superbiae et arrogantiae fastus, et medicativum debet esse per contrarium [4]: ideo declinando ad alterum extremum reducit ad medium; sicut per simile videri potest in arctatione ieiunii et abstinentiae contra morbum lasciviae.

Ratio 1.

Ratio 2.

4. Ad illud, quod virtus omnis habet substramentum veritatis; dicendum, quod hoc est verum et in humilitate habet locum: quia ipsa veritas legis divinae dictat, quod unusquisque de se ipso magis quam de alio debet humiliora sentire. Unde sicut unusquisque magis sentit morbum proprium afflictivum naturaliter quam alienum, sic unusquisque certius et proximius et frequentius recogitare debet suum defectum, et ob hoc se debet reputare aliis viliorem, non quia certus sit, se esse talem, sed quia magis certus est de sua quam de aliena vanitate vel vilitate. Ideo, sicut dicitur in Glossa ad Philippenses secundo [5]: *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*, « non hoc ita debemus aestimare, ut nos aestimare fingamus, sed vere aestimemus, posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiam si bonum nostrum, quo illo videmur superiores, non sit occultum ». Et sic apparet, quod vilificatio sui non fundatur super falsum, sed super verum, secundum scilicet *experimentalem* cognitionem defectus proprii, quam quilibet homo respectu alterius quasi singulariter habet; sicut et quilibet iustus respectu alterius aliquam singularem excellentiam habet, ratione cuius in laude cuiuslibet Confessoris dicitur [6]: *Non est inventus similis illi.*

Humilis fundatur in veritate.

Notandum.

5. Ad illud: qui vilificat facturam; dicendum, quod factura, quia a Deo facta est de nihilo et vitiata est in homine primo originali peccato, habet in se aliquid *deiformitatis* [7] ratione eius a *quo* est, et aliquid *defectibilitatis* ratione eius *de quo* est, et aliquid *deformitatis* ratione vitii, *sub quo* est; et sicut ratione *deiformitatis* est honoranda, quia relucet in ea vestigium, imago et similitudo divina; sic ratione *defectibilitatis* parvipendi potest, ratione *deformitatis* vilis reputari, non ad contumeliam, sed ad honorem Dei, cum auferatur honor solum per deformitatem vitii et peccati.

Tria in homine.

6. Ad illud, quod homo est creatura nobilissima; dicendum, quod ratione, qua habet in se *deiformitatem* imaginis, ceteris *praeponitur*; sed ratione, qua habet *defectibilitatem* et nihilitatem, aliis *aequatur*; quia vero habet *deformitatem* vitiositatis, ceteris *postponitur*; unde impii in *inferno* [8] ratione peccati ordinatissime collocantur, et ratione huius

Triplex comparatio.

---

[1] Vide supra Quaest. de mysterio Trin. q. 1. a. 2. ad 5.

[2] Enarrat. in Ps. 30. sermo 3. n. 8: Vilescat totum, quidquid praeter Deum est. Lib. Solilog. animae ad Deum (inter opera August.), c. 22: Sed omnia mihi peto ut amarescant, ut tu solus dulcis appareas animae meae, qui es dulcedo inaestimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. De ipsa solut. cfr. III. Sent. d. 33. q. 2. ad 1. — Interius pro *persona propria* l. *perfectio propria*.

[3] Vide III. Sent. d. 26. a. 1. q. 3. ad 2; d. 31. p. 1. a. 1. q. 3. ad 4. et IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 1. ad 1.

[4] Cfr. tom. IV. pag. 37, nota 1, ubi praeter Gregor. allata sunt verba Aristot. — Lib. II. Ethic. c. ult. tradens praecepta, quibus medium l. e. virtutem consequi possimus, Aristoteles in excepdum adducit eos « qui ligna distorta dirigunt », qui scil. ea, dum dirigere volunt, in partem oppositam torquent, quo facto ligna ad medium reducuntur. — Superius pro *genus humanum* l. *natura*.

[5] Vers. 3. — Glossa *ordinaria* apud Strabum quaedam omittit; verbotenus apud Petr. Lombard. in hunc locum, et est sumta ex August., 83 Qq. q. 71. n. 5. — In principio solut. post *Ad illud quod* l. legit *obiicitur de sustentaculo*.

[6] Eccli. 41, 20. Cfr. II. Sent. d. 9. q. 8. in corp.

[7] Codd., ut ex subnexis colligitur, perperam *deformitatis*.

[8] Id est in loco *infimo*; cfr. IV. Sent. d. 45. a. 1. q. 1. et 2.

Digitized by Google

competit peccatori vilificatio sui, quae, cum voluntaria est, tenet rationem virtutis et medicamenti.

7. Ad illud, quod vilificare alterum est peccatum; dicendum, quod *alterum* vilificare est se alteri praeponere, vilificare autem *se* est se alteri subiicere; et primum est superbiae, secundum est humilitatis et reverentiae; et ideo non est simile hinc et inde.

8. Ad illud, quod qui vult ab alio vilis reputari vult, quod ille peccet; dicendum, quod istud argumentum dupliciter delicit: primo, quia passio potest esse bona, licet actio sit mala, sicut patet in passione Christi, in qua meritum fuit ex parte crucifixoris [1]; et ideo non sequitur, quodsi aliquis velit pati aliquid, in quo alter peccat, quod propter hoc velit, alterum peccare. — Praeterea, cum quis vult vilis reputari, non hoc vult ratione naturae vel personae, sed ratione culpae contra naturam; et qui illam despicit vel odit, sive in se, sive in altero, meritorie hoc potest facere et absque peccato. Duplex defectus.

9. Ad illud, quod anima appetit naturaliter Deo configurari; dicendum, quod quaedam sunt *propria divinae excellentiae*, sicut divinum iudicium et vindicta, honor [2] etc.; et in talibus qui appetit configurari inordinato modo appetit, sicut lucifer fecit. Quaedam autem sunt, quae *communicat creaturae*, sicut bonitatem, veritatem et virtutem, quae maxime ostenditur, cum quis potest dominari sibi; et ideo non sequitur, quod vilificatio sui repugnet imagini. Distinctio.

10. Ad illud, quod tria sunt appetibilia, scilicet verum, bonum et arduum; dicendum, quod sicut virtus consistit circa *verum bonum*, et vitium circa *bonum apparens;* sic superbia *arduitatem* respicit *apparentem,* quam valde difficile est et arduum contemnere; humilitas autem est vilificatio sui, quae *veram* includit *arduitatem*, licet repugnet *apparenti.* — Praeterea, nullus vere humilis se vilificat nisi propter hoc, quod vult aeternaliter exaltari. Alter.

11. 12. Ad illud, quod omnis virtus habet exemplar in Deo; dicendum, quod humilitas quantum ad hoc quod est completionis in ipsa, scilicet *non excedere metas suas*, exemplar habet in Deo; quantum ad hoc autem, quod respicit defectum et subiectionem ad alterum, non habet exemplar in Deo, qui nullum habet defectum, nullum habet superiorem. Ut tamen homo propter defectum exemplaris non negligeret humiliari, placuit Deo assumere *formam servi* [3] et in illa humiliari, contemni et vilificari, ut ceteri ex tanto exemplari inflammarentur ad vilificationem sui perfectam. Notandum.

13. 14. Ad illud de humiliatione exteriori, quod est signum interioris; dicendum, quod humiliatio illa non est signum humilitatis iam acquisitae, sed voluntatis se exercendi ad acquirendam humilitatem; et hoc quidem debet esse et est in omni bono homine, qui religionem gerit in corde [4]. — Et per hoc patet responsio ad sequens, quia per hoc non dicit homo nec iactat nec ostentat, se esse humilem, sed humilitatem se velle acquirere et habere. Notandum.

15. Ad ultimo obiectum, quod turpis est omnis pars, quae non convenit etc.; dicendum, quod, ut dicit Augustinus [5], « si omnia essent aequalia, non essent omnia ». Et ideo ordo, distinctio et multiformitas in professionibus et habitibus non deturpat, sed ornat ipsius Ecclesiae universum; unde sicut impugnator esset universitatis mundi qui nollet, has creaturas parvulas in universo esse; sic impugnator est universalis Ecclesiae, si quis de ipsa velit exstirpare habitus viles et abiectos. Notandum.

QUAESTIO II.

De paupertate.

Quaestio est de paupertate, et quaeruntur duo. Primo quaeritur de paupertate quantum ad abrenuntiationem.

Secundo, quantum ad mendicationem.

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 36. a. 2. q. 2. in corp. et III. Sent. d. 20. dub. 3. seq. — Inferius pro *contra naturam* D *circa naturam.* August., Epist. 153. (alias 54.) c. 1. n. 3: In uno simul et culpam improbes et naturam approbes, ac propterea culpam iustus oderis, quod ea foedatur natura, quam diligis.

[2] Rom. 12, 19: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus [Eccli. 28, 1. seqq.]; Isai. 42, 8: Gloriam meam alteri non dabo; Malach. 1, 6: Ubi est honor meus?

[3] Phil. 2, 7. — Superius post *ad alterum* supplevimus *non habet exemplar in Deo*, exigente hoc contextu orationis.

[4] Bernard., Serm. 34. in Cantic. n. 3: Non humiliatis, sed *humilibus Deus dat gratiam* [Iac. 4, 6.]. Est autem humilis, qui humiliationem convertit in humilitatem, et ipse est qui dicit Deo: *Bonum mihi, quod humiliasti me* [Ps. 118, 71]. — Mox pro *ostentat* I *ostendit.*

[5] Lib. 83 Qq. q. 41: Quia non essent omnia, si essent aequalia; non enim essent multa rerum genera, quibus conficitur universitas, primus et secundus et deinceps usque ad ultimas ordinatas habens creaturas; et hoc est quod dicitur *omnia.* — Inferius pro *viles* I *humiles.*

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De paupertate quoad abrenuntiationem.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum christianae perfectionis sit abrenuntiare omnibus, tam in communi quam in privato. Et quod sic, videtur:

Fundamenta Loci Scripturae.

1. Matthaei decimo nono [1], ubi dicitur: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et veni sequere me;* Glossa: « Ecce, contemplativa, quae ad Evangelium pertinet ». Constat, quod Dominus istum ad divitias non vocabat, et tamen renuntiare omnibus consulebat; nec ad opera manualia, immo ad contemplativam, sicut dicit Glossa: ergo etc.

2. Item, Matthaei decimo nono [2]: *Ecce, nos reliquimus omnia* etc.; Gregorius tractans illud verbum dicit: « Tanta a sequentibus dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt »: ergo perfecta imitatio totaliter exstinguit appetitum divitiarum; sed haec exstinctio potissime est in eo qui abrenuntiat omnibus: ergo etc.

3. Item, Marci decimo [3]: *Vade, vende quaecumque habes et da pauperibus;* Glossa: « Non partem, sicut Ananias »; sed qui totum dat, nihil sibi reservans, ipse potissime facit quod Dominus consulit, nihil sibi reservans, nec in communi nec in speciali; et qui hoc facit perfectissime facit: ergo etc.

4. Item, Marci duodecimo [4] dicit Dominus de vidua: *Amen dico vobis, quod haec vidua pauper plus quam omnes misit. Nam omnes ex eo quod abundabat eis miserunt; haec autem de penuria sua omnia, quae habuit, misit totum victum suum;* sed in hoc laudatur vidua paupercula: ergo qui hoc faciunt quanto perfectius agunt, tanto magis laudabiles sunt: ergo etc.

5. Item, Lucae duodecimo [5]: *Respicite corvos* etc.; Glossa: « Sancti merito avibus comparantur, qui, nihil in mundo agentes nec laborantes, sola aeterna appetunt, iam similes Angelis »; sed quanto magis haec dimittit quis, tanto magis Angelis assimilatur: ergo etc.

6. Item, Lucae decimo quarto [6] dicitur: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest* etc.; Glossa: « Hoc distat inter *renuntiare* omnibus et *relinquere omnia:* quia *renuntiare* convenit omnibus, qui ita licite utuntur mundanis, quae possident, ut tamen mente tendant ad aeterna; *relinquere* autem est tantummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt et solis aeternis inhiant ». Sed qui prorsus omnibus renuntiat in communi et in privato, ille maxime omnia postponit: ergo etc.

Exemplum Christi.

Item, hoc ipsum ostenditur *exemplo Christi:*

7. De quo Matthaei octavo [7]: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos,* super quo Chrysostomus: « Quid pecunias exspectas sequens me congregare? Non vides, quia diversorium non est mihi tantum quantum avibus »? Ergo Christus prorsus nihil habuit: ergo etc.

8. Item, super illud Matthaei decimo septimo [8]: *Vade ad mare;* Glossa: « Dominus tantae paupertatis fuit, ut male tributa solveret non haberet; habebat quidem Iudas communia in loculis, sed res pauperum in usus suos assumere nefas duxit, id ipsum dans exemplum nobis ». Si ergo Christus tantae paupertatis fuit, quod non potuit solvere denarium; manifestum est, quod fuit in summa paupertate.

9. Item, Lucae nono [9]: *Vulpes foveas habent,* ait Glossa: « Ego tantae paupertatis sum, ut nec hospitium quidem habeam nec meo utar tecto »: ergo etc.

10. Item, Ioannis decimo quarto [10]: *Venit princeps mundi huius et in me non habet quidquam;*

---

[1] Vers. 21: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni etc. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum, in qua verbis *Ecce contemplativa* D M interserunt *vita.* — In hac quaestione emendanda praeter edd. adhibiti sunt codd. D I K M.

[2] Vers. 27. — Verba Gregorii sunt in I. Homil. in Evang. homil. 3. n. 2, in qua agit de vocatione Apostolorum Petri et Andreae, qui, relictis retibus et patre, secuti sunt Christum (Matth. 4, 18-22.). — Inferius post *imitatio* D supplet *Christi.*

[3] Vers. 21. — Glossa, quae est *interlinearis* apud Lyranum, est secundum Bedam (in hunc loc.), qui sequitur Hieron., Comment. in Matth. 19, 21, dicentem: Tamen, quicumque perfectus esse voluerit, debet vendere quae habet, et non ex parte vendere, sicut Ananias fecit et Saphira [Act. 5, 2.].

[4] Vers. 43. seq.: Amen dico vobis, quoniam vidua haec pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo etc.

[5] Vers. 24: Considerate corvos etc. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum. Textus originalis exhibet *habentes* pro *agentes* (K *habentes vel agentes*), et post *sola* addit *contemplatione* (ita etiam M).

[6] Vers. 33: Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus etc. — Glossa, quam exhibet Lyranus ut *ordinariam,* sumta est ex Beda, in hunc locum.

[7] Vers. 20. — Verba Chrysost. habentur in Homil. 27. (alias 28.) in Matth. n. 2: An pecunias te collecturum speras, si me sequaris? an non vides, mihi ne diversorium quidem esse, quale ipsis avibus est? — Pro *non est mihi,* quod habet D, alii codd. et edd. *mihi neque est,* I legit *quia nec diversorium est mihi neque est mihi.*

[8] Vers. 26. — Glossa est *ordinaria* apud Lyranum, sumta ex Hieron., in hunc loc. — Inferius pro *quod non potuit* I *ut non posset.*

[9] Vers. 58. — Glossa (ex Beda in hunc loc.) habetur ut *ordinaria* apud Strabum et Lyranum in v. 57, et in ipsa pro *hospitium* substituitur *hospitiolum.*

[10] Vers. 30: Venit enim princeps mundi huius etc. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum.

Digitized by Google

Glossa: « Noluit Dominus habere quod perderet; pauper venit, ne haberet diabolus quod auferret »: ergo si omnia temporalia possunt perdi, nihil habuit temporale.

11. Item, secundae ad Corinthios octavo[1]: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopiae* etc.: ergo qui sic abrenuntiat, ut egeat, magis se Christo conformat.

12. Item, super illud quod sequitur ibidem[2]: *In hoc consilium do*; Augustinus in originali: « *Factus est egenus* in tantum, ut non haberet quod habent vulpes; *et in hoc consilium do*, subauditur, ut eius paupertatem imitemini »; sed qui abrenuntiat omnibus eius paupertatem imitatur: ergo etc.

13. Item, super illud Iacobi[3]: *Nonne Deus elegit pauperes*; Glossa: « Pauperes elegit parentes, quorum educaretur officio »; sed parentum Christi maxima fuit indigentia, secundum illud Lucae secundo: *Pannis eum involvit et reclinavit in praesepio*: ergo Christus non tantum in se ipso paupertatem dilexit, verum etiam in aliis.

14. Item, Christus maxime fuit imitabilis secundum statum, quem habuit in cruce, secundum illud primae Petri secundo[4]: *Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*; sed in cruce fuit omnino nudus; unde Hieronymus ad Ibeliidam: « Vis esse perfecta et in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli: *vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et sequere* Salvatorem, et nudam solamque crucem virtute nuda sequaris et sola »: ergo etc.

Testimonia Sanctorum.

Item, hoc ipsum videtur *Sanctorum testimoniis*.

15. Ambrosius super Lucam[5]: « Qualis debeat esse qui evangelizat regnum Dei, praeceptis evangelicis designatur, ut sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est, subsidii saecularis adminicula non requirens, fideque tutus putet sibi, quo minus ea requiraf, magis posse suppetere ». Si igitur hoc attestatur perfectioni praedicatoris evangelicae perfectionis, ut nullum prorsus quaerat adminiculum saeculare; et hoc est esse in paupertate altissima: patet etc.

16. Item, in libro de Officiis[6]: « Nullum adminiculum praestant divitiae ad vitam beatam; quod evidenter Dominus demonstravit in Evangelio dicens: *Beati pauperes spiritu* etc. Itaque paupertatem, famem, dolorem, quae mala putantur, non solum impedimento non esse ad vitam beatam, sed etiam in adiumentum esse, evidentissime probatum est. Sic ergo non solum adminiculo non sunt ad vitam beatam corporis externa bona, sed etiam dispendio sunt ». Sed quae non sunt adminiculo, sed dispendio, perfectum est relinquere: ergo etc.

17. Item, Hieronymus ad Heliodorum monachum[7]: « Nolo, pristinarum necessitatum recorderis; multos amat eremus; nolo, te antiquae peregrinationis terreat difficultas. Qui in Christum credis, et eius crede sermonibus: *Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adicientur vobis*. Non pera tibi sumenda est, non virga; affatim dives est qui cum Christo pauper est »: ergo omnia relinqui possunt, spe posita in solo Christo.

18. Item, Hieronymus super illud Matthaei sexto[8]: *Nonne anima plus est quam esca?* « In promissis Veritatis nemo diffidet; sit bonum quod esse debet, et mox adicientur ei omnia, propter quem facta sunt omnia ». Ergo qui omnia relinquit propter Christum, confidens in promisso Christi, agit secundum perfectam fidem ipsius; hoc autem potissime facit qui omnino nihil sibi reservat, nec in communi nec in speciali: ergo etc.

19. Item, Augustinus, tractans illud Matthaei sexto[9]: *Respicite volatilia caeli*: « Sancti merito avibus comparantur, quia caelum petunt, et quia iam ita remoti sunt a mundo, ut iam in terris nihil agant, nihil laborent, sed sola contemplatione iam in caelo degunt ». Si ergo haec vita altissima est, ergo spretis omnibus, totam spem vitae suae in Deo constituere est virtutis perfectae.

---

[1] Vers. 9: scitis enim gratiam etc. — Finem arg. I exhibet sic: *maxime se exemplo Christi conformat.*

[2] Vers. 10. — Verba subnexa non sunt Augustini, sed Haymonis, qui in Expositione (alias Remigio Rhemensi tributa) super hunc locum (v. 9. et 10.) ait: *Egenus factus est* et pauper in tantum... vulpes... *Et consilium in hoc do*, subaudis, ut eius etc.

[3] Cap. 2, 5. — Glossa, apud Strabum et Lyranum *ordinaria*, sumta est ex Beda in hunc loc. — Seq. locus est Luc. 2, 7.

[4] Vers. 21. Cum Vulgata verbo *relinquens* edd. 2, 3, 4 praeflgunt *vobis*. — Sententia Hieron., in qua allegatur Matth. 19, 15 (cfr. supra fundam. 1.), habetur in eius Epist. 120. (alias 130.) c. 1; finem ipsius profert textus originalis sic: Salvatorem, nudam solamque crucem [in nota adiecta exhibetur lectio, in qua substituitur *virtutem* pro *crucem*] nuda sequaris et sola.

[5] Cap. 9, 3. in VI. Expos. n. 65. In ipso textu respicitur Luc. 9, 3: Nihil inferatis in via, neque virgam etc., et in fine ed. Maurin. legit: non requirens illeique deditus sit, et quanto minus appetat temporalia, tanto magis speret ea sibi posse suppetere (in nota adiecta allegatur etiam lectio nostra).

[6] Libr. II. c. 4. n. 15. seq. Locus Scripturae est Matth. 5, 3. (cfr. Luc. 6, 20.) seqq. — Circa finem Vat. cum ed. Maurin. Ambrosii legit: *sed etiam adiumento evidentissime pronuntiatum est*. Textus originalis hic plura addit.

[7] Epist. 14. (alias 1.) n. 1. Locus Scripturae est Matth. 6, 33: Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec etc. Subinde respicitur, sicut in penult. arg., Luc. 9, 3.

[8] Vers. 25. — Verba, quae subinde Hieron. tribuuntur, habentur in Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum (in hunc loc.), in qua propositio, quae verba allegata praecedit, est secundum Hieron. (in hunc loc.).

[9] Vers. 26. — Verba Augustino adscripta refert Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, ita tamen, ut pro *et quia iam* substituatur *et quidem*, et omittatur *nihil laborent*. Cfr. supra fundam. 5.

Digitized by Google

20. Item, Augustinus, de Bono coniugali [1]: « Bene faciebant qui de sua substantia Christo ac discipulis eius necessaria ministrabant; sed melius, qui omnem substantiam suam dimiserunt, ut expeditiores eumdem Dominum sequerentur »; sed quanto quis magis dimittit, tanto est expeditior: ergo tanto laudabilior.

21. Item, in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus [2]: « Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius, pro intentione sequendi Dominum semel donare et absolutum a sollicitudine cum Christo egere ». Ergo qui magis eget et a sollicitudinibus mundi absolvitur, perfectius Christum sequitur: ergo etc.

22. Item, Gregorius, octava homilia secundae partis Ezechielis [3]: « Cum quis suum aliquid Deo vovet et aliquid non vovet, *sacrificium* est; cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit omnipotenti Deo voverit, *holocaustum* est. Qui enim sibimetipsis nihil reservant, sed sensum, vitam, linguam atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant, quid isti nisi holocaustum offerunt »? Unde paulo ante dixit, quod ille holocaustum offert, qui « ea quae possidet apud semetipsum decrevit indigentibus cuncta tribuere, nihil sibimet reservare, vitam suam soli supernae gubernationi committere »; sed hoc potissime facit qui sic distribuit, quod nihil sibi reservat, nec in communi nec in speciali: ergo etc.

23. Item, Ioannes Chrysostomus in libro: Quod nemo laeditur nisi a se ipso [4]: « Quid Apostolos penuria rerum corporalium laesit? Nonne in fame et siti et nuditate degebant, et pro his clari magis et magnifici habebantur atque ingentem per hoc fiducium quaesierunt apud Deum »? Ergo paupertas illa laudabilior, in qua maior est penuria rerum.

24. Item, Bernardus ad Henricum, Senonensem archiepiscopum [5]: « Felix, qui nihil sibi retentat ex omnibus; non habet foveam, ut vulpes, non tanquam volucres nidum, non locubos, quomodo lacus, non domos, sicut nec Maria locum in diversorio, imitatus profecto illum qui non habebat, ubi reclinaret caput »; sed qui omnia prorsus dimittit, nihil sibi omnino, nec in communi nec in speciali, retinendo, hoc potissime facit: ergo etc.

25. Item, Prosper laudat Paulinum et Hilarium de hoc, quod facultates suas omnes pauperibus erogaverunt, licet ratione episcopalis officii ecclesiastica bona postmodum dispensaverunt, sicut habetur Causa duodecima, quaestione prima: *Expedit* [6], ubi ait sic: « Denique sanctus Paulinus ingentia praedia, quae fuerunt sua, pauperibus erogavit ». Et infra: « Quid sanctus Hilarius? Nonne et ipse omnia sua aut pauperibus reliquit, aut vendita omnia pauperibus erogavit »? Laudantur hi et laudabiles sunt, quia omnia sua propter Christum contempserunt et pauperibus erogaverunt; sed hoc potissime faciunt qui nec in communi nec in speciali sibi aliquid retinent: ergo tales maxime accedunt ad culmen perfectionis evangelicae.

Item, hoc ipsum ostenditur *ratione*. Rationes.

26. Duplex est civitas, scilicet Dei et diaboli, Ierusalem et Babylon, quae oppositionem habent et in se ipsis et in suis fundamentis; sed fundamentum civitatis Babylonis, ut dicit Augustinus [7], est cupiditas: ergo quanto magis quis recedit a cupiditate, tanto magis recedit de diaboli civitate. Sed paupertas, in qua quis in communi et in speciali prorsus omnibus abrenuntiat tam effectu quam affectu, ipsa est, quae maxime elongat ab avaritia: ergo etc.

27. Item, divitiae sunt incentivum cupiditatis, quia difficile est eas habere et non amare [8]; sed quanto quis magis se elongat ab incentivo peccati, tanto perfectius agit; hoc autem facit qui in communi et in speciali omnibus abrenuntiat: ergo etc.

28. Item, triplex est consilium: paupertatis, obedientiae et castitatis; sed quanto quis generalius et universalius obedit, tanto perfectius agit [9], similiter et de consilio castitatis: ergo pari ratione verum erit et de consilio paupertatis. — *Si dicas*, quod non est simile, quia divitiae sunt de necessitate vi-

---

[1] Cap. 8, n. 8: Bonum erat quod faciebant, quae de etc.

[2] Cap. 38. (alias 71.) Cum textu huius libri (qui est inter opera August. et Bernadio tribuitur) nec non cum DK et 1, 2, 3, 4 positimus *semel* pro *maimul*, quod cum Vat. aliis codd. habent. Eandem locutionem etiam in seqq. pluries retinuimus.

[3] Sive lib. II. homil. 8, n. 16. Post *holocaustum est* textus originalis plura addit. — Secundus locus est ibid. n. 15.

[4] Num. 4. (ed. Maurin. tom. 3. pag. 148).

[5] Epist. 42. sive Tractatus de moribus et officio episcoporum, c. 3. n. 11: Fidelis pontifex, qui... nihil sibi retentat ex omnibus [plura alia hic in textu originali inteserunt]. Non habet foveam, ut vulpes [cfr. Matth. 8, 20.]... Iudas [Ioan. 12, 6. et 13, 29.]; non denique, sicut nec Maria, locum in diversorio. Imitatur profecto... caput [Matth. 8, 20; Luc. 2, 7. et 9, 58.].

[6] Can. 13, qui sumtus est ex II. de Vita contemplativa (hoc opus Vulgo tribuebatur *Prospero*, sed est Iuliani Pomerii, qui claruit circa annum 498), c. 9: Deinde sanctus Paulinus, ut ipsi melius nostis, ingenta... sua vendita pauperibus erogavit... Quid sanctus Hilarius? Nonne et ipse omnia bona sua aut parentibus [in nota adiecta dicitur: Ms. unus: *pauperibus*] reliquit, aut vendita [etiam DK omittunt *omnia*] pauperibus erogavit? — Subiude pro *Christum*, quod habent DK, alii cum edd. *Deum*. Ex DIK addidimus *et pauperibus erogaverunt*.

[7] Enarrat. in Ps. 64. n. 2: Duas istas civitates faciunt duo amores; Ierusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor saeculi. Interroget ergo se quisque, quid amet, et inveniet, unde sit civis; et si se invenerit civem Babyloniae, exstirpet *cupiditatem*, plantet caritatem... quomodo exitur de Babylone, id est de confusione? Qui primo confusi erant similibus *cupiditatibus* incipiunt caritate distingui, iam distincti, non sunt confusi. Cfr. XI. de Gen. ad lit. c. 15. n. 20. et XIV. de Civ. Dei, c. 28, ex quo supra pag. 149, nota 4. quodam occurrunt. — Inferius pro *recedit de diaboli civitate* DIK *est de Domini* [D *divina*] *civitate*. Subinde post *in qua quis* D prosequitur *nihil habet, nec in generali nec in speciali, et prorsus* etc.

[8] Cfr. Matth. 19, 22. seqq. et I. Tim. 6, 9. 17.

[9] Vide Bernard., de Praecepto et dispens. c. 6. seq.

Digitized by Google

tae; hoc nihil est, cum multi, qui nihil prorsus habent proprietatis, vivere possunt.

29. Item, perfectior est paupertas, quam perfectior concomitatur obedientia; sed qui habent proprium in communi ab illo per obedientiam non possunt excludi nisi ratione peccati; qui autem nihil prorsus habent obedire tenentur ubique terrarum: si ergo perfectio evangelica maxime consistit in perfectione obedientiae, universaliter omnibus abrenuntiare, nihil prorsus reservando, ad culmen facit perfectionis evangelicae.

30. Item, contemptus praesentis saeculi est laudabilis; haec est per se vera [1]: ergo maior contemptus magis laudabilis, et maximus contemptus maxime laudabilis; sed maxime contemnit praesens saeculum qui abrenuntiat omnibus in communi et in speciali: ergo talis perfectissime agit.

31. Item, paupertas alta est laudabilis; haec est per se vera: ergo altior est laudabilior, et altissima laudabilissima; sed huiusmodi est quae nec in communi nec in speciali aliquam proprietatem sibi reservat: ergo etc.

32. Item, tanto via rectior, quanto eius medium conformius est extremis; sed summa paupertas est tam in principio vitae quam in termino [2]: ergo si in medio omnia abdicentur, via rectissima procedetur. Sed quanto via rectior, tanto perfectior est: ergo via et vita pauperrima est perfectissima.

Sed contra: 1. Ecclesiastici vigesimo septimo [3]: *Propter impiam multi deliquerunt;* sed nihil, quod est via ducendi in culpam, spectat ad perfectionem evangelicam: ergo etc. — Item, Ecclesiastis septimo [4]: *Utilior est sapientia cum divitiis;* Glossa: « quam sola »; sed divitiae non faciunt hominem perfectum: ergo multo minus paupertas et indigentia. — Item, Proverbiorum trigesimo [5]: *Divitias et mendicitatem ne dederis mihi;* et post: *Ne egestate compulsus furer et periurem nomen Dei mei;* sed nihil facit ad perfectionem evangelicam, quod Sapiens sapienter recusat: ergo etc.

Ad oppositum.

2. Item, Lucae sexto [6]: *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius;* sed Christus loculos habuit, sicut patet Ioannis duodecimo, ubi dicitur, quod Iudas loculos ferebat: ergo proprietatem nolle in communi habere non videtur esse perfectio, sed potius superstitio, in qua discipulus videtur velle se praeferre magistro. — *Si dicas,* quod loculos habuit pro aliis; *contra:* Augustinus dicit et habetur Causa duodecima, quaestione prima [7]: « Habebat Dominus loculos, a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus et aliis indigentibus tribuebat ».

3. Item, super illud primae ad Timotheum sexto [8]: *Habentes alimenta* etc.; Glossa: « Etsi *nihil intulerimus in hunc mundum,* non tamen prorsus abiicienda sunt haec temporalia »: ergo qui totum abiicit male facit.

4. Item, secundae ad Corinthios octavo [9]: *Si voluntas prompta est secundum id quod habet;* Glossa: « Necessaria retineat, non ultra vires dando »: ergo male facit qui sic dispensat, quod nihil sibi prorsus reservat.

5. Item, qui tentat Deum peccat mortaliter [10]; sed qui habet humanum refugium, et illo praetermisso, quaerit divinum, tentat Deum; hoc autem facit qui habet unde sustentetur, et illo dimisso, exspectat divinitus sustentari: ergo talis facit contra Evangelium.

6. Item, virtus circa medium consistit [11]; sed omnino omnia dimittere est ad extremum declinare: ergo hoc magis est vitii quam virtutis seu perfectionis evangelicae.

7. Item, sicut omnia tenere semper est avaritia, sic omnia dare semper est prodigalitas [12]; sed omnia tenere semper est vilium: ergo similiter et omnia dare.

8. Item, qui subtrahit alii necessaria peccat mortaliter; sed tantum tenetur quis sibi providere, quantum alii [13]: ergo qui omnia dimittit et nihil sibi reservat peccat mortaliter, quia facit contra perfectionem evangelicam.

9. Item, qui exponit se periculo interfectionis peccat mortaliter: ergo similiter qui exponit se periculo famis; sed talis est qui omnia dimittit et nihil sibi reservat: ergo etc.

10. Item, nullus debet reiicere omnino quod quotidie petit a Deo; sed omni die petimus in oratione dominica [14] *panem nostrum quotidianum:* ergo male facit qui deserit totum.

---

[1] Vide Rom. 12, 2. et Iac. 1, 27.

[2] Epist. I. Tim. 6, 7: Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Cfr. Iob 1, 21. et Eccle. 5, 14. — In fine arg. vori *perfectissima* I praemittit *rectissima et.* [3] Vers. 4.

[4] Vers. 12. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum.

[5] Vers. 8. — Seq. locus est ibid. v. 9: Ne forte satiatus illiciar ad negandum... aut egestate etc. — D I K et I omittunt *furer et.*

[6] Vers. 40: Perfectus autem omnis erit, si etc. — Seq. locus est Ioan. 12, 6: Et loculos habens, ea quae mittebantur portabat. Cfr. Ibid. 13, 29. — Inferius pro *in qua* I *in quo.*

[7] Can. *Habebat* (17.), qui sumitur est ex August., in Ioan. Evang. tr. 62. n. 5: Habebat ergo et Dominus loculos, et a fidelibus etc.

[8] Vers. 8. — Glossa, apud Lyranum *interlinearis,* a Petro Lombardo (in hunc loc.) exhibetur sic: Etsi nihil intulerimus vel abiaturi simus, non tamen omnino abiicienda etc. — Inferius pro *totum* D *totaliter.*

[9] Vers. 12: Si enim voluntas etc. — Glossam, quae est *interlinearis* apud Lyranum, Petr. Lombard. (in hunc loc.) profert ita: *Si enim voluntas est prompta,* dando *secundum id quod habet,* ut necessaria retineat, tantum *accepta est, non* tantum accepta est dando *secundum id quod non habet,* id est ultra vires; ideo ex eo quod habeis vos dare moneo.

[10] Cfr. Deut. 6, 16; Matth. 4, 7.

[11] Ut ostendit Aristot., II. Ethic. c. 6.

[12] Aristot., II. Ethic. c. 7: Circa donationem acceptionemque pecuniarum mediocritas est liberalitas, excessus et defectus, prodigalitas et illiberalitas seu avaritia etc.

[13] D *sed tantum et plus tenetur sibi providere quam alii.*

[14] Luc. 11, 3. — Inferius pro *deserit* I *reiicit.*

CONCLUSIO.

Abrenuntiare omnibus tam in privato quam in communi est christianae perfectionis, non solum sufficientis, sed etiam superabundantis.

Respondeo: Dicendum, quod abrenuntiare omnibus tam in privato quam in communi est christianae perfectionis, non solum sufficientis, sed etiam superabundantis, tanquam perfectionis evangelicae *consilium principale* et *principium fundamentale* et *fundamentum sublime*. Primum suadet natura, secundum Scriptura, tertium gratia.

Conclusio. — Tria bona abrenuntiationis.

Primum, inquam, est *consilium principale*, quia viam praebet ad alia. Nam abundans paupertas disponit ad carnis mortificationem et ad voluntatis propriae perfectam abnegationem, cum nihil sibi detineat, nec domum nec locum nec aliquam rem[1]. — Ad ipsam autem specialiter viam facit *ipsa natura*, sive *instituta*, sive *lapsa*. Nam homo nudus formatus est, et si in statu illo stetisset, nihil sibi prorsus appropriasset; homo vero lapsus nudus nascitur, nudus moritur. Et ideo haec est rectissima via, ut, ab extremis non declinans, quantum potest natura pati, pauper et nudus incedat. Et hoc est quod dicitur primae ad Timotheum sexto[2]: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* Et ex hoc concludit: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Hoc autem nihil arctius vel pauperius quam simplici victu et operimento esse contentum; quod ex naturae documento persuadet Apostolus tanquam bonum et perfectum.

De primo. — Suadet natura. — Confirmatur.

Est etiam *principium fundamentale*. Lex enim vetus differt a nova in hoc, quod illa timorem, haec amorem inducit; illa temporalia promittit, haec temporalia contemnere docet[3]. Si igitur fundamentum perfectionis civitatis Dei principaliter consistit in caritate; et illa potissime est perfecta, quando omnis excluditur cupiditas, quia venenum caritatis est cupiditas; hanc autem cupiditatem omnino foras mittit qui omnino omnia relinquit re et voluntate: sicut *radix omnium malorum est cupiditas*, sic radix et principium perfectionis est altissima paupertas. Unde Augustinus, in libro Octoginta trium Quaestionum[4]: « Caritatis venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium; nutrimentum eius imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas. Signum profectus eius est imminutio timoris, signum perfectionis eius nullus timor; quia *radix omnium malorum cupiditas*, et *perfecta caritas foras mittit timorem* ». Illa igitur paupertas est perfectissima, quae omnino cupiditatem exterminat.

De secundo. — Suadet Scriptura.

Est nihilominus *fundamentum sublime*: quia, cum duplex sit vita, ad quam disponit gratia, scilicet *activa* et *contemplativa*; *activa* deorsum ordinat, sed *contemplativa* sursum in caelum erigit. Nullus autem spiritus magis est idoneus ad hoc, quam ille qui penitus est exoneratus ab onere temporalium, et qui *thesaurum* suum totum *habet in caelo*[5], et cuius *regnum non est de hoc mundo*, qui non habet *hic manentem civitatem*, *sed futuram* inquirit. Talis autem est, qui omnibus terrenis perfecte abrenuntiavit; et ideo talis iam *fundamentum* sui aedificii collocatum habet in *excelsis*. Unde Augustinus, in libro de Agone christiano[6]: « Cum cognitio et actio beatum hominem faciant; sicut in cognitione ravendus est error, sic in actione cavenda est nequitia. Errat autem, si quis putat, se veritatem posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat; nequitia autem est mundum istum diligere, et ea quae nascuntur et transeunt pro magno habere et ea concupiscere, et pro his laborare, ut acquirantur, et laetari, cum abundaverint, et timere, ne pereant, et contristari, cum pereunt ». Ille igitur potissime idoneus est ad contuitionem sublimium et ibi sublimiter fundatus, qui est perfectissimus contemptor omnium istorum; talis est, qui totum *cogitatum* suum *iactat in Dominum* et omnem sollicitudinem[7], qui nullam habet prorsus possessionem.

De tertio. — Suadet gratia. — Duplex vita. — Disponit ad contemplationem.

Est igitur perfectionis christianae pro Christo nihil possidere in mundo, nec in communi nec in proprio. Ideo Dominus hoc expressissime consuluit; ideo exemplum in semetipso ostendit; ideo Spiritus sanctus in Sanctis hoc multipliciter persuasit. Nam huiusmodi arduissimam paupertatem, sicut ostensum est, persuadet natura, Scriptura et gratia; persuadet Christus Dominus instruendo, conversando, inspi-

Confirmatur tripliciter.

---

[1] Respicitur regul. Fratrum Minor. c. 6, ubi dicitur: Fratres nihil sibi approprient, nec domum nec locum nec aliquam rem etc. — Posuimus cum D et ed. Summae Alex. Hal., p. IV. q. 30. m. 2. a. 2, *locum* pro *tectum*. Superius pro *suadet* D I *persuadet*.

[2] Vers. 7: Nihil enim intulimus... haud dubium, quod nec etc. — Seq. locus est ibid. v. 8: Habentes autem alimenta... contenti simus. — Inferius pro *quod ex naturae documento persuadet* I *est documentum naturae, hoc docet*.

[3] Cfr. III. Sent. d. 40. q. 4. et 2. — Ex ed. Alex. Hal. supplevimus *inducit*, I vero legit *quod illa ex timore, haec ex amore*.

[4] Quaest. 36. n. 4. Loci Scripturae sunt I. Tim. 6, 10: Radix enim omnium etc.; et in textu August. I. Ioan. 4, 18.

[5] Matth. 19, 21: Si vis perfectus esse, vade, vende... et habebis thesaurum in caelo. Cfr. ibid. 6, 20. seq. et Luc. 12, 33. seq. — Seq. locus est Ioan. 18, 36: Regnum meum non est etc., tertius Hebr. 13, 14: Non enim habemus hic... inquirimus. — Inferius pro *in excelsis* solummodo D cum ed. Alex. Hal. habet *in caelis*.

[6] Cap. 13. n. 14: Cum enim cognitio... Errat autem quisquis putat etc.

[7] Epist. I. Petr. 5, 7: Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi curae est de vobis. Ps. 54, 23: Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. — Post *sollicitudinem* ed. Alex. Hal. addit *proiicit in eum*, et superius eadem substituit *perfectus* pro *perfectissimus*. Inferius Ilde D ter posuimus *ideo* pro *idem*.

Digitized by Google

rando. Quis enim spiritus alius quam Dei facit hominem contemnere praesentia et amare caelestia? Nam hoc non facit spiritus diabolicus nec mundanus nec proprius, cum semper inclinent ad bonum privatum; facit igitur Spiritus sanctus.

Approbatio Papae. Et hinc est, quod Spiritu sancto dictante, istum modum vivendi summus Pontifex approbavit, sicut dicit decretalis de Excessibus praelatorum *Nimis prava*[1], quod « ordinem et regulam fratrum Praedicatorum et Minorum Sedes apostolica noscitur approbasse ». Unde huic contrarium nulli prorsus licet sentire, quasi tales videantur stulte agere, periculis se exponere et Deum tentare. Nam contra tales dicitur in regula beati Francisci, in qua paupertas huiusmodi confirmatur[2]: « Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire ». Contra tales etiam Confirmatur. dicit Augustinus in Tractatu de eleemosyna[3]: « Elias in solitudine, corvis ministrantibus, pascitur, et Danieli in lacu ad leonum praedam iussu regis recluso praesidium divinitus apportatur; et tu medius, te operanti et Dominum promerenti desit alimentum? cum ipse in Evangelio, ad exprobrationem eorum quorum mens dubia et fides parva, contestetur et dicat *Aspicite volatilia caeli, quoniam non seruntur neque metunt neque congregant in horrea, et Pater vester caelestis pascit illa. Nonne vos pluris estis illis?* Volucres Deus pascit et volucribus alimenta diurna praestantur, et quibus nullus divinae rei sensus est, eis nec cibus nec potus deest; et tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino suo caro aliquid existimas defuturum? An putas, quod qui Christum pascit a Christo ipso non pascetur? An eis terrena deerunt, quibus caelestia et divina tribuuntur? Unde haec incredula cogitatio? Unde impia et sacrilega ista meditatio? Quid facit in domo Dei perfidum pectus? Quid qui Christo omnino non credit appellatur et dicitur *Christianus? Pharisaei* tibi magis congruit nomen. Nam cum in Evangelio de eleemosynis disputaret, et ut nobis amicos de terrenis lucris provida operatione faceremus, qui nos postmodum in aeterna tabernacula susciperent, fideliter et salubriter praemoneret; addit post haec Scriptura dicens: *Audiebant haec omnia Pharisaei, qui erant avari, et deridebant illum.* Quales nunc in Ecclesia quosdam videmus, quorum praeclusae aures et corda caecata nullum de spiritualibus ac salutaribus monitis lumen admittunt. De quibus mirari non oportet, quod contemnant in talibus servos, quando a talibus ipsum Dominum videamus esse contemptum ».

Epilogus. Ex his apparet evidenter, quod omnino omnibus universaliter abrenuntiare pro Christo culpandum non est, sed potius laudandum tanquam culmen perfectionis evangelicae. Unde rationes, exempla et auctoritates concedendae sunt ad istam partem; ad quam sufficientissime astruendam una sola auctoritas expressa ex ore Christi, consulentis dimittere omnia, esset sufficientissima, etiam si multa Glossarum et expositorum et doctorum dicta viderentur esse contraria. Ait enim Augustinus ad Paulinam, de Videndo Deo[4], sic: « Attende quae credis, et in eis ipsis, quibus non visis accommodas fidem, ipsa testium pondera discernenda perpende. Nec enim mihi sic credis, quemadmodum Ambrosio; aut si ambobus nobis aequa lance putas esse credendum, numquid Evangelio nos ullo modo comparabis? An scripta nostra scripturis canonicis coaequabis? Profecto, si recte in iudicando sapis, longe nos infra vides ab illa auctoritate distare, et nec quidem longius. Sed utrique nostrum quantumlibet credas, utrumque illi excellentiae nequaquam comparas ». Igitur quoniam divina auctoritas sic expresse dicit, omnia dimittenda ei qui vult ad perfectionem consequi evangelicam; manifestum est, quod verum illud ita certitudinaliter debet teneri, quod ei non possit sine periculo fidei obviari. De auctoritate verbi Christi.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo, quod primo obiicitur in contrarium de inopia, quod pertrahit ad peccatum, et de egestate, quae facit perirare; dicendum, quod duplex est inopia: quaedam *voluntaria*, et quaedam *involuntaria*. Inopia *involuntaria* inducit mentis defectum et promitatem et occasionem inducit ad peccandum. Inopia autem seu paupertas *voluntaria*, haec habet adiunctam sufficientiam, iuxta illud secundae ad Corinthios sexto[5]: *Tanquam nihil habentes* etc. Et haec disponit ad iustitiam perfectam, quia mentem facit ad omne bonum idoneam, sicut econtra *radix omnium malorum est avaritia*. Et hoc est Confirmatur. quod dicit Chrysostomus, homilia quadragesima septima super Matthaeum[6]: « Si volueris videre amantis aurum animum, quemadmodum vestimentum a decem millibus corrosum vermibus et nihil habens sanum, ita invenies eam perforatam undique a sollicitudinibus et a peccatis putrefactam et aerugine plenam. Sed non anima inopis voluntarii talis est, sed Duplex inopia.

---

[1] Cap. 17. X. lib. V. tit. 31. — Superius pro *caelestia* I *futura*. Inferius ex I et ed. Alex. Hal. posuimus *quasi tales videantur* pro *Quare tales videntur*.

[2] Sunt verba Honorii III. regulam S. Franc. confirmandis.

[3] Potius Cyprian. in lib. de Opere et eleemosynis, c. 11. et 12. Textus originalis, in quibus allegatur Matth. 6, 26. et Luc. 16, 14, post *ne operanti* addit *tibi*, pro *et volucribus* substituit *et passeribus*, et pro *An putas, quod qui...* *An eis* ponit *Nisi si putas, quia qui... aut eis*; subinde post *Nam cum* supplet *Dominus*, et in fine pro *in talibus servos* praebet *in tractatibus servum*.

[4] Sive Epist. 147. (alias 112.) c. 16. n. 39. Textus originalis in diversis locis quaedam addit, et pro *discernenda perpende* (edd. *discernenda sunt*) substituit *discernendo perpende*. — Superius pro *Glossarum et expositorum et doctorum*, quod praebet D, alii codd. et edd. *Glossarum expositarum et Sanctorum*.

[5] Vers. 10. — Inferius vocibus *omne bonum* I interserit *opus*.

[6] Alias 48. n. 4. In fine textus originalis, in quo hinc et inde plura interliciuntur, respicitur Phil. 1, 23.

Digitized by Google

fulget quidem velut aurum, splendet autem velut margarita, florescit autem velut rosa. Non est illic tinea, non est illic fur, non est illic sollicitudo vitae huius negotiorum, sed sicut Angelus, ita conversatur. Non subiacet daemonibus, non assistit regibus, sed assistit Deo; non militat cum hominibus, sed cum Angelis; non habet thesaurum terram, sed caelum; non indiget servis, magis autem servos habet passiones et cogitationes, quae regibus dominantur. Quid ergo paupere hoc melius est? Pavimentum denique habet caelum. Si autem pavimentum tale est, excogita tectum. Sed non habet equos et currum? Quid autem ei opus his est, qui super nube vehi debet et *esse cum Christo* »? — Ex his apparet, quod in paupertate voluntaria magna est sufficientia, magna est nobilitas, quae facit transcendere cuncta terrena.

Vel potest dici aliter, quod illa dicta sunt tempore legis scriptae, quae temporalia promittebat, non aeterna, in qua paupertas contemnebatur. Unde Chrysostomus, homilia decima octava super Epistolam ad Hebraeos [1], tractans praedictum verbum: *Divitias et mendicitatem* etc., dicit: « Haec dicebantur in veteri Testamento, ubi multa ratio divitiarum habebatur, ubi paupertatis plurimus erat contemptus, ubi hoc quidem maledictum, scilicet paupertas, illud autem benedictum, scilicet divitiae. Sed tunc nequaquam ita. Sed si vis audire paupertatis praedicatum, ipsam professus est Christus et dixit: *Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet;* et iterum discipulis dicebat: *Nolite possidere aurum* ». Ex qua apparet, quod auctoritas non est contraria assumentibus voluntariam paupertatem, cum illud dictum sit tempore legis scriptae, istud autem tempore legis gratiae. Nec illud dictum est in persona viri perfecti, sed potius infirmi, ut ex verbo Chrysostomi patet. — Et per hoc patet responsio ad tres auctoritates primas. Alia solutio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Christus habuit loculos; dicendum, quod Christus habuit loculos tribus de causis. Habuit enim loculos pro *pauperibus aliis*, secundum quod dicit Hieronymus in auctoritate supra posita [2]: « Christus tantae paupertatis fuit » etc.; et hoc non tollit paupertatem summam. — Habuit etiam loculos *condescendendo infirmis*, sicut dicitur in Glossa super illud Psalmi [3]: *Producens foenum iumentis:* « Dominus loculos habebat vel habuit in usus eorum qui cum eo erant, et suos, et religiosas mulieres in comitatu, quae ministrabant ei de substantia sua, in his infirmorum magis personam suscipiens. Praevidit enim, multos infirmos futuros et ista quaesituros, ut et ibi eorundem personam suscepit, ubi dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem* ». Et de his duobus supra illud Ioannis duodecimo [4]: *Ea quae mittebantur* etc.; Glossa: « Cui Angeli ministrant loculos habet in sumtus pauperum, condescendens infirmis ». — Habuit etiam loculos *in articulo necessitatis*, utpote quando transibat per Samaritanos. In quo etiam articulo discipulis loculos habere permisit, secundum illud Lucae tigesimo secundo [5]: *Quando misi vos sine sacculo et pera* etc.; Glossa: « Non eadem regula vivendi persecutionis qua pacis tempore discipulos informat. Missis quidem discipulis ad praedicandum, ne quid tollerent in via, ordinans praecepit, scilicet, ut qui Evangelium nuntiat de Evangelio vivat. Instante vero mortis articulo, et tota illa gente pastorem simul et gregem persequente, congruum tempori illi regulam decrevit, permittens, ut tollant necessaria victui, donec, sopita persecutorum insania, tempus evangelizandi redeat ». — Ex his Glossis manifeste apparet, quod modus habendi loculos in Domino in nullo minuit paupertatem. Sic enim Dominus condescendit infirmitati et necessitati, ut tamen salva esset forma paupertatis et exemplum, quod praecipue monstrare venerat hominibus. Iuxta quod dicit Apostolus [6]: *Factus est pro nobis egenus, ut illius inopia divites essemus*, paupertatem scilicet altissimam voluntarie imitando. Loculi ob tres causas. Prima. Secunda. Tertia.

3. Ad illud quod obiicitur de Glossa, primae ad Timotheum sexto [7]: *Habentes alimenta* etc., ubi dicitur, quod non sunt omnino abiicienda temporalia; dicendum, quod intelligit de abiectione temporalium quantum ad *usum*, non quantum ad *dominium*. Nam usus temporalium necessarius est vitae humanae, qui tamen haberi potest absque dominio et proprietate, sicut patet in pauperibus, qui nihil proprietatis habent. — Et quod iste sit intellectus, patet per illud quod Distinctio. Confirmatur.

---

[1] Num. 2. Allegatur Matth. 8, 20. et 10, 9. — Edd. cum recentiore cod. M hunc secundum modum solutionis exhibent, dum codd. antiquiores D I K ipsum omittunt, legentes *transcendere cuncta terrena. Per hoc patet responsio ad tres auctoritates primas.* Fortasse ab ipso auctore *posterius* est additus.

[2] In fundam. 8.

[3] Psalm. 103, 14. — Glossa, quam exhibet Petr. Lombard. (in hunc loc.), est secundum August., Enarrat. in Ps. 103. serm. 3. n. 14. In ipsa allegatur Matth. 26, 38. Circa finem ipsius vocibus *infirmos futuros* textus originalis inserit *in comitatu.*

[4] Vers. 6. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, in qua contra textum originalem M cum edd. *ministrabant* pro *ministrant.*

[5] Vers. 35. — Glossa, quae est secundum Bedam (in hunc loc.), est apud Strabum et Lyranum ut *ordinaria.* Respicitur in ipsa illud I. Cor. 9, 14: Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere. — Textus originalis, codd., excepto D, et edd., excepta ed. Alex. Hal., *Evangelium nuntiat*, dum illi habent *Evangelium praedicat;* subinde pro *decrevit, permittens, ut tollant necessaria* textus originalis *decernit, permittens necessaria.*

[6] Epist. II. Cor. 8, 9: Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. Cfr. Nicol. III. Declaratio super regul. FF. Minor. *Exut* (3.), X. de Verborum signific. (lib. V. tit. 12.) in VI. n. 2. n. 2.

[7] Vers. 8: Habentes autem alimenta etc. — Glossam, quae inferius allegatur, exhibet Petr. Lombard. (in hunc loc.) et voci *qui* praefigit *quia.*

Digitized by Google

sequitur in Glossa immediate, ubi subdit, quod « *habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus;* qui ultra tendit malum invenit ». Esse igitur contentum usu tegumenti et alimenti est modus perfectae virtutis. Et sic Glossa debet intelligi, nec hoc repugnat altissimae paupertati. Qui autem sic vellet temporalia abiicere, ut nec vellet alimenta suscipere nec operimentum habere, non operaretur perfecte, sed stulte. Et hoc vult Glossa illa insinuare.

4. Ad illud quod obiicitur de Glossa, secundae ad Corinthios octavo [1]: *Si voluntas prompta est* etc.; Glossa: « ut necessaria retineat »; dicendum, quod Glossa illa truncata est, quia statim sequitur: « Non hoc dicitur, quin hoc melius esset, scilicet totum dare; sed infirmis timet, quos sic dare monet, ut egestatem non patiantur ». Ex quo apparet, quod Glossa illa potius facit ad contrarium quam ad propositum, si sano oculo et recto inspiciatur.

5. Ad illud quod obiicitur, quod qui sic universaliter omnibus abrenuntiat tentat Deum; dicendum, quod falsum est, tum propter divina promissa [2], tum propter plurima remedia, quae haberi possunt, tum propter exempla, quibus manifeste videmus, quod tales pauperes sustentantur. Ex quo manifeste colligitur, si obdurati non sumus, quod talis modus abrenuntiandi divinitus inspiratus non facit tentare Deum, sed sic abrenuntians divinis promissionibus securus innititur; quin potius ille Deum tentat, qui de divinis promissis dubitat. Propter quod Hieronymus super illud [3]: *Nonne anima plus est quam esca?* « In promissis Veritatis nemo dubitet; sit homo quod esse debet, et mox adiuntur ei omnia, propter quem facta sunt omnia ». — Qui igitur de hoc dubitat, sicut filii Israel, Deum tentat, qui dicebant [4]: *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Iis autem non debent viri perfecti conformari, sed potius Apostolis; de quibus dicitur secundae ad Corinthios quarto: *Aporiamur, sed non destituimur;* Glossa: *Aporiamur*, id est, pauperes sumus adeo, ut necessaria desint; *sed non destituimur* a Deo omnino, quia Deus pascit nos ». Et quod illud extendatur non solum ad Apostolos, verum etiam ad eorum imitatores; apparet per illud quod dicitur ad Hebraeos ultimo [5]: *Sint mores sine avaritia, contenti praesentibus. Ipse enim dixit: Non te deseram neque derelinquam;* ibi Glossa: « Ipse Dominus omnipotens dixit ad Iesum Nave: *Non te deseram*, quin dem necessaria; *neque derelinquam*, derelinqueretur ille qui fame periret; sed quia hoc non est, non sit homo cupidus. Hoc post mortem Moysi dixit Iosue, hoc etiam dicit omni speranti in se, sicut Iosue. Haec enim nulli promittit, si in illo spem nostram ponamus, non tenaribus, non cupidis, sed sperantibus in eum. Et quia poterat illis videri, quod ad Iosue tantum fieret ista promissio, ad hoc Apostolus respondet dicens, quod nos invabit, sicut iuvit illum, quasi dicat: non est dubitandum de promissione, quia Iesus Christus, qui *heri*, id est in praeterito, adiuvit Iosue, et ipse *hodie*, id est in praesenti, adiuvat nos et alios fideles, et adiuvabit in futuro *in saecula*, id est sine fine ».

Notandum.

De confidentia in Deum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod virtus consistit circa medium; dicendum, quod illud est verum quantum ad ea quae sunt *necessitatis*, sicut est largitas; sed fallit in his *quae sunt supererogationis*, sicut est consilium paupertatis et castitatis. Talium enim perfectio magis attenditur secundum perfectam configurationem ad Christum et divinae dilectionis modum, qui est, ut Deus super omnia diligatur, quam secundum superfluum et diminutum circa exterius obiectum. — Et quod illud sit verum, patet per Ambrosium, in libro de Officiis quasi circa principium [6], ubi dicit sic: « Officium omne aut est *medium*, aut *perfectum* est; quod Scripturarum aucto-

Distinctio.

Notandum.

Confirmatur.

---

[1] Vers. 12: Si enim voluntas etc. — Petr. Lombard., in II. Cor. 6, 13, hanc Glossam, cuius mentio inferius fit, ponit: *Non enim* volo, *ut aliis sit remissio* vel refrigerium, id est, ut alii de vestris otiose vivant, *vobis autem* sit *tribulatio*, id est paupertas; non hoc ideo dixit, quin melius esset. Infirmis timet etc. Cfr. infra solut. ad 6. circa finem.

[2] Nicol. III. in Declaratione super regulam FF. Minor. *Exit* (3.), X. de Verborum signific. (lib. V. tit. 12.) in VI. n. 2. n. 3. ait: Profecto, si iuxta promissum Salvatoris, nunquam deficiet fides Ecclesiae [Luc. 22, 32.], per consequens nec opera misericordiae subtrahentur, ex quo Christi pauperibus omnis ratio diffidentiae cuiuslibet videtur esse sublata. Et quidem ubi... haec cuncta [quae offeruntur liberaliter, quae mendicantur humiliter, quae conquiruntur per laboritium] deficerent, sicut nec ceteris, sic nec ipsis Fratribus iure *poli* in extremae necessitatis articulo... via omnibus extrema necessitate detentis concessa praecluditur etc.

[3] Matth. 6, 25. Cfr. supra pag. 126, nota 8. — Pro *adiuntur* D *aderunt*.

[4] Psalm. 77, 20: Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? — Seq. locus est II. Cor. 4. 8. Glossa, quae est secundum Haym. in hunc loc., exhibetur a Lyrano ut *interlinearis* et a Petro Lombardo (in hunc loc.): *Aporiamur*... desint. *Aporos* (ἄπορος) enim Graece, et Latine *pauper* dicitur. *Sed non destituimur* a thesauro nostro; vel non destituimur omnino a Deo, quia Deus etc.

[5] Vers. 5, in quo respicitur Ios. 1, 5. — Glossa, quae est secundum Haym., in hunc loc., exhibetur integra a Petro Lombardo, a Strabo autem in principio abbreviata; apud Lyranum prima pars a Strabo omissa habetur ut *interlinearis*, altera ut *ordinaria*. — Post *non cupidis fit ista repromissio, sed sperantibus in eum* textus originalis plura addit, et quae sequuntur inveniuntur ibid. ad v. 8: *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula*.

[6] Libr. I. c. 14. n. 36. seq. Textus originalis, in quo allegatur Matth. 19, 17. seq. et 21, ac Matth. 5, 44. seq. (orate pro persequentibus etc.), hinc et inde plura subiungens: κατόρθωμα' i. e. res bene gesta sive recte factum. Cicero, I. de Offic. c. 3: Perfectum officium *rectum*, opinor, vocemus, quod Graeci κατόρθωμα, hoc [medium] autem *commune* καθῆκον vocant. Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant; medium autem officium id esse dicunt, quod, cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.

Digitized by Google

ritate probare possumus. Habemus enim in Evangelio: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Non homicidium facies* etc. Haec sunt *media officia*, quibus aliquid deest. *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus*, et ubi diligendos inimicos et orandum dicit pro calumniantibus et persequentibus nos, si volumus perfecti esse. Hoc est *perfectum officium*, quod *catorthoma* dixerunt Graeci, quo corriguntur omnia, quae aliquos potuerunt lapsus habere ». — *Largitas* igitur, quae attenditur secundum officium *medium*, in largiendo servat modum. *Paupertas* vero *spiritus*, quae attenditur secundum officium *perfectum*, tribuit totum. Unde in eodem libro, in tractatu de liberalitate [1]: « Liquet, debere esse modum liberalitatis, ne fiat inutilis largitas, cuius sobrietas est temenda ». De qua modo subiungit: « Modus liberalitatis temendus est, ut quod bene facis, id quotidie facere possis, ne subtrahas necessitati quod indulseris effusioni. Potuit enim donare Ioseph totas Aegypti opes, effundere thesauros regios, noluit tamen de alieno effusus videri. Maluit frumenta vendere quam donare esurientibus, quia, si paucis donasset, pluribus defuisset ». Sed hoc spectat ad *officium medium*, secundum quod ipse alibi dicit, tractans in eodem libro [2] illud Apostoli: *Non ut aliis sit refectio, vobis autem angustia*: « Advertimus, quemadmodum benevolentiam et liberalitatem et modum comprehendit et fructum atque personas, ideo *modum*, quia imperfectis dabat consilium; non enim patiuntur angustias nisi imperfecti ». — Verum quia perfectioni non repugnat modum tenere, si quis dispenset bona Ecclesiae; ideo subiungit: « Sed si quis nolens Ecclesiam gravare, in sacerdotio constitutus aliquo aut ministerio, non totum, quod habet, conferat, sed operetur cum honestate, quantum officio sat est; non mihi imperfectus videtur ».

De largitate et paupertate spiritus.

Ex dictis igitur colligitur, quod licet virtutis secundum *statum communem* et *officium medium* sit tenere medium, *perfectionis* tamen evangelicae est relinquere totum. Si tamen *in communi* aliquid habeatur, ut dispensetur, hoc non facit imperfectum; nec *totum universaliter relinquere* dicit excessum, quia hoc spectat ad *perfectum officium*, ut patet ex his quae dicta sunt, et ex hoc quod Ambrosius praemittit in praecedenti capitulo [3], ubi sic ait: « Ceterum Dominus non simul vult effundi opes, sed dispensari, nisi forte, ut Eliseus, boves suos occidit et pavit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus, in disciplinam prophaticam se daret ». Si ergo pro disciplina prophetica sunt omnia relinquenda, multo fortius pro perfectione evangelica.

Corollarium.

7. Ad illud quod obiicitur, quod omnia dispergere est prodigalitas; dicendum, quod tunc est prodigalitas, quando omnia disperguntur pro vanitate, non autem, quando dantur pro utilitate; et sic est de evangelica paupertate, quia, sicut dicitur Marci decimo [4], Dominus *centuplum* restituet in praesenti cum tribulationibus, et in futuro *vitam aeternam*. Secus autem est de universali retentione omnium. Illa enim non fit pro spirituali utilitate, sed magis pro terrena cupiditate; ideo non est simile hinc et inde.

Notandum.

8. Ad illud quod obiicitur de illo qui alii subtrahit necessaria etc.; dicendum, quod non est simile: quia qui subtrahit *alii* necessaria violentiam facit et inducit eum in paupertatem involuntariam. Qui autem subtrahit *sibi* voluntarie facit et in paupertatem voluntariam se inducit; ac per hoc, sicut argumentum illud non valet: paupertas involuntaria non est laudabilis, ergo nec voluntaria; sic non cogit ratio praedicta. — Alius etiam defectus est in argumento praedicto. Procedit enim per suppositionem falsi, pro eo quod omnibus universaliter abrenuntians necessaria omnino sibi non subtrahit, quia divinae providentiae regimini se committit et multos vivendi modos et quaerendi necessaria sibi relinquit [5].

Defectus 1. argumenti.

Defectus 2.

9. Ad illud quod obiicitur, quod se exponit periculo famis; dicendum, quod falsum est, sicut omnino apparet ex praedictis et manifeste colligitur ex omnibus temporibus retroactis. Nusquam enim et nunquam legitur, quod aliquis volens in paupertate Deo servire pro defectu cibi fame perierit. Et hoc est quod dicit Augustinus [6] in tractatu quodam de Oratione dominica: « Neque enim deesse quotidianus cibus potest iusto, cum scriptum sit: *Non occidet Dominus fame animam iusti*; et iterum: *Iunior fui*,

---

[1] Libr. II. c. 16. n. 76: Liquet igitur debere... largitas. Sobrietas tenenda est, maxime sacerdotibus, ut non pro iactantia, sed pro iustitia dispensent. — Seq. locus est ibid. n. 78. seq. Post *effusioni* textus originalis plura addit, et in fine pro *pluribus* substituit *pluribus*.

[2] Libr. I. c. 30. n. 151. seq. Verba Apostoli, II. Cor. 8, 10, allegantur, ut Ambrosius ea exhibet; Vulgata legit: Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio. — Ibid. etiam seq. locus habetur.

[3] Cap. 30. n. 149. Respicitur III. Reg. 19, 21: Reversus autem ab eo [Elia], tulit [Eliseus] par boum et mactavit illud etc. — De ipsa solut. cfr. supra q. 4. ad 1. in fine et ad 3.

[4] Vers. 29. seq.: Nemo est, qui reliquerit domum... qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc: domos... cum persecutionibus et in saeculo futuro vitam aeternam. Cfr. Matth. 19, 29. — Inferius voci *omnium* D praemittit *rerum*.

[5] K *sibi adhuc relinquit*. — Cfr. pag. 132, nota 2.

[6] Potius Cyprian. in libro de Oratione dominica, c. 21. Allegatur Prov. 10, 3: Non affliget Dominus etc.; Ps. 36, 25: Iunior fui... derelictum. Item Dominus promittat et dicat: Nolite cogitare dicentes: Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur? Haec enim nationes quaerunt. Scit autem Pater vester, quia horum omnium indigetis. Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia apponentur vobis [Matth. 6, 31.]. Quaerentibus regnum et iustitiam Dei omnia promittit apponi. Nam cum Dei etc. Subinde respicitur Dan. 14, 30. (post *esurientes* textus originalis addit *et parcentes*) et III. Reg. 17, 6. Voci *nutritur* edd. cum textu originali praemittunt *in persecutione*.

Digitized by Google

etenim senui, et non vidi iustum derelictum; et iterum: *Quaerentibus regnum Dei et iustitiam eius omnia promittit apponi;* et iam cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Daneli in leonum lacu iussu Regis incluso prandium divinitus procuratur, et inter feras esurientes homo Dei pascitur. Sic et Elias in fuga, corvis ministrantibus, et volucribus cibum apportantibus, nutritur. O humanae malitiae detestanda crudelitas! Ferae parcunt, aves pascunt, et homines insidiantur et saeviunt ». — Ex his manifeste colligitur, quod non est periculum, sed refugium, spretis omnibus, totaliter se dedicare ad Deum colendum.

10. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod petimus panem nostrum quotidianum in oratione dominica; dicendum, quod hoc potius facit ad oppositum quam ad propositum. Ex quo enim quotidie petimus panem diurnum, nec petimus quod habemus; manifestum est, quod evangelicae perfectionis est quotidiano victu esse contentum. Quod quia non potest videri perfectio in cordibus avarorum, Dominus ad hoc non solum induxit *consiliis sapientiae*, verum etiam *exemplis naturae* et *oraculis gratiae*, ut sic saltem per illud triplex testimonium paupertatis consilium firmiter comprobetur sicut totius perfectionis evangelicae altissimum et stabile fundamentum. Notandum.

ARTICULUS II.

De paupertate quoad mendicitatem [1].

Consequenter est quaestio de mendicitate, et quaeritur, utrum mendicare pro Christo sit christianae perfectionis; et voco *mendicare* eleemosynam quaerere seu de quotidianis eleemosynis vivere. Et quod non, videtur:

1. Primo auctoritate Psalmi [2]: *Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum:* ergo non stant simul esse inopem et timere Deum. Ad oppositum. Arg. ex auctoritate.

2. Item, Psalmus [3]: *Non vidi iustum derelictum nec semen eius quaerens panem:* ergo qui panem quaerit non est iustus nec semen iusti.

3. Item, Psalmus [4]: *Nutantes transferantur filii eius et mendicent;* sed nihil, quod Psalmista in Dei spiritu loquens imprecatur in poenam, spectat ad perfectionem evangelicam seu perfectam iustitiam; mendicare est huiusmodi: ergo etc.

4. Item, Ecclesiastici quadragesimo [5]: *Fili mi, in vita tua ne indigeas; melius est enim mori quam indigere:* ergo melius est esse mortuum quam mendicum.

5. Item, Actuum vigesimo [6]: *Beatius est magis dare quam accipere;* sed dare eleemosynam non facit hominem pervenire ad perfectionem evangelicam: ergo multo minus nec accipere.

6. Item, Lucae duodecimo [7]: *Vendite quae possidetis;* Glossa: « ut, omnibus pro Deo semel spretis, postea labore manuum operemini unde vivatis, vel eleemosynam faciatis »: vivere igitur de proprio labore et eleemosynam facere spectat ad evangelicam perfectionem: ergo oppositum eius, scilicet mendicare et de alieno labore vivere, est contrarium perfectioni evangelicae.

7. Item, primae ad Thessalonicenses quarto [8]: *Nullius aliquid desideretis;* Glossa: « *Nullius ali-*

---

[1] In hac quaestione usi sumus codd. A D E K M. Eadem inveniuntur etiam in cod. L, sed in forma valde diversa, quia, ut dicitur in fine eiusdem, est a quodam clerico *reportata*, et quidem « minus sufficienter ». Nam ad eundem respexisse videtur S. Doctor in principio *replicationis* ad obiectiones demo factas, quae immediate post hanc quaestionem sequitur. Verba ipsius sunt: « respondendo etiam quaestioni *minus sufficienter* post collectae in schedis, salva gratia collectoris ». Nihilominus specimenis gratia posuimus in notis plura argumenta pro utraque parte, sicut exhibentur (in fundam. plerumque valde *insufficienter*) in codice L. Plura de hoc dicuntur in Prolegomenis nostris.

[2] Psalm. 33, 10. — Post *timentibus eum* L addit: *sed omnis mendicus est inops: ergo nullus mendicus est timens Deum; sed timor Dei est de perfectione religionis christianae: ergo etc.*

[3] Psalm. 36, 25. — L arg. completur addens post *panem* haec: *sed omnis mendicus quaerit panem: ergo nullus mendicus iustus; sed miseria est (!) de perfectione christiana: ergo mendicare non est de perfectione eiusdem.*

[4] Psalm. 108, 10: Nutantes... mendicent et eiciantur de habitationibus suis. — L prosequitur: *hic Propheta loquitur per Spiritum sanctum: ergo Spiritus sanctus maledicit mendicantes, et sic mendicare non est opus perfectionis christianae.*

[5] Vers. 29: Fili, in tempore vitae tuae ne... indigere. — L subiungit: *sed constat, quod loquitur Salomon per Spiritum sanctum: ergo Spiritus sanctus inhibet mendicantis* (mendicantibus), *ergo etc.*

[6] Vers. 35: Beatius... accipere. — L prosequitur: *et ita dare est perfectionis: ergo accipere, eius oppositum, non est perfectionis; sed mendicare est accipere vel velle accipere: ergo mendicare non est perfectionis, immo potius imperfectionis.* — In conclusione ex D E posuimus *multo minus* pro *multo magis*.

[7] Vers. 33. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, est secundum Beatum (in hunc loc.): Ut, omnibus vestris [ita etiam L, qui ordinem argg. hic invertit] semel pro Domino spretis etc. — Post verba Glossae prosequitur L: *perfectionis igitur christianae est omnia vendere et postea ad suum victum laborare: non ergo mendicare.*

[8] Vers. 12. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum: Opus agendum est, non otiandum... et non desiderabitis rem alterius, nedum rogetis etc. — Post Glossam legit L: *sed omnis mendicus rogat sive petit: ergo omnis mendicus fuit contra Apostolum; sed qui fecit contra Apostolum non est in perfectione christiana: ergo etc.*

Digitized by Google

quid desideretis, nedum rogetis, vel tollatis ». Si ergo plus est *rogare* vel *petere* quam *appetere*, et primum tanquam illicitum ab Apostolo prohibetur, scilicet *desiderare* vel appetere quod est alterius: ergo multo fortius *petere*.

8. Item, primae ad Thessalonicenses quinto [1]: « *Rogamus vos, ut noveritis eos qui laborant inter vos et praesunt vobis in Domino;* Glossa: « Sicut divitiae negligentiam pariunt salutis, sic egestas, dum saturari cupit, a iustitia declinat »; sed quod facit declinare a iustitia non pertinet ad perfectionem evangelicam: ergo etc.

9. Item, secundae ad Thessalonicenses tertio [2]: *Si quis non vult operari, non manducet;* Glossa: « Vult Apostolus, servos Dei corporaliter operari, ut habeant unde vivant, et non compellantur egestate necessaria petere »; sed hoc est mendicantium: ergo servorum Dei non est mendicare, secundum Apostolum.

10. Item, eodem capitulo super illud [3]: *Ut formam daremus vobis;* Glossa: « Qui frequenter ad alienam mensam convenit, otio deditus, necesse est, ut aduletur pascenti se »; sed adulari est contrarium veritati et perfectioni: ergo etc.

11. Item, Causa duodecima, quaestione prima, *Videntes* [4], dicit Urbanus Papa, quod « episcopi omnibus communi vita vivere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius poterunt, ut nemo in eis egens inveniatur ». Et post: « Si aliquis exstiterit modernis aut futuris temporibus, qui hoc avellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur »: ergo contra canonicas sanctiones est, quod aliqui vivant vita communi in Ecclesia, egendo et mendicando in ea.

12. Item, de Consecratione, distinctione prima [5] inhibetur, ne ecclesia consecretur, nisi prius dotetur: ergo si ecclesia non debet consecrari, nisi habeant unde sustententur qui in ea ministrant, multo fortius nec aliqua religio institui debet sine possessione sustentativa.

13. Item, in iure civili inhibetur, quod validi non mendicent, lege de Mendicantibus validis [6]; sed magis debet esse ordinata Ecclesia quam respublica: si ergo, quod validi mendicent, est contra rectam gubernationem reipublicae, multo magis est contra sublimitatem perfectionis evangelicae.

14. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione*. Mendicare est opus indifferens; sed indifferens non fit opus perfectionis per additionem finis, sicut apparet manifeste in aliis operibus, ut ire ad ecclesiam et facere eleemosynam: ergo etc. Arge. ex ratione.

15. Item, perfectionis est gratis et liberaliter servire et obligationes peccatorum refugere; sed qui eleemosynam recipit obligat se ad interveniendum [7] pro peccatis alienis: si ergo obligatio huiusmodi perfectioni non consonat, ergo etc.

16. Item, huiusmodi qui mendicant ex professione aut hoc faciunt, quia *pauperes*, aut quia *praedicatores*. Si quia *pauperes*: ergo omnes pauperes, qui mendicant, perfecti sunt, quod est contra Augustinum in libro de Opere monachorum [8], qui reprehendit monachos mendicantes et nihil operari volentes. Si quia *praedicatores*: ergo nullus inter eos mendicare debet, qui non praedicat; cuius contrarium videmus tota die.

17. Item, praedicare est quid spirituale; sed qui spirituale dat et temporale accipit similis est Giezi, qui pecuniam accepit a Naaman obtentu beneficii spiritualis prius sibi exhibiti [9]; hoc autem est damnabile: ergo damnabile est praedicatori mendicare: ergo non est perfectionis evangelicae.

18. Item, perfectorum est abstinere *ab omni mala specie* [10]; sed hoc est mala species, quod praedicatores temporalia petant, quia in hoc sunt similes pseudo-praedicatoribus: ergo etc.

---

[1] Vers. 12: Rogamus autem vos, fratres, ut etc. — Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum summa est ex Comment. (in hunc loc.) attributo alias Ambrosio. — L. *minorem* exhibet sic: *sed a iustitia declinare non est perfectionis christianae; sed omnis mendicus est egenus: ergo* etc.

[2] Vers. 10. Vulgata *nec* pro *non*. — Glossa, in qua textus originalis omitti *ut habeant*, est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum (qui ipsam attribuit August., de Opere monachor. c. 1. n. 2. seqq.). — L prosequitur post verba Glossae: *ergo omnis mendicus facit contra Apostolum; sed qui facit contra Apostolum non habet perfectionem christianam, ergo nec qui mendicat.*

[3] Vers. 9. — Glossa, quam refert Petr. Lombard. et Lyranus ut *ordinariam*, summa est ex Comment. (in hunc loc.), qui olim Ambrosio tribuebatur. — Post verba Glossae legit L: *sed omnis mendicus frequenter ad alienam mensam accedit: ergo omnis mendicus otio deditus adulatur; sed nullus in perfectione christianae religionis existens adulatur, cum adulatio sit peccatum mortale: ergo nullus mendicus est in perfectione christianae religionis.*

[4] Can. 16, qui Urbano quidem adscribebatur, sed alium auctorem habet. — L legit *Item, Causa duodecima quaest. prima, c.* Videntes summi Pontifices, *dicitur, quod nullus communem vitam ducens sit in christiana religione indigens; sed omnis mendicus indiget: ergo nullus mendicus est in perfectione christianae religionis secundum decreta Sanctorum et maxime, quia in fine istius decreti dicitur:* Si aliquis exsiterit... iam dicta damnatione feriatur. *Ergo omnis, qui mendicus est vel indigens, per istud decretum excommunicatus est, et sic in peccato mortali; sed nullus talis est in statu perfectionis: ergo* etc.

[5] Can. *Nemo ecclesiam* (9.). — Pro *consecretur* et *consecrari* I *construatur* et *construi*, quae lectio canoni magis congruit: Nemo ecclesiam aedificet... et ante praebeat qui aedificare vult, quae ad luminaria et ad custodiam et ad stipendia custodum sufficiant, et ostensa donatione sic domum aedificet etc.

[6] Cod. lib. XI. tit. 25. lege unica *Cunctis quos in publicum*, in Authen. — Superius pro *inhibetur* D E K *prohibetur;* inferius pro *gubernationem* I *ordinationem* et pro *sublimitatem perfectionis* D *perfectionem legis.*

[7] D *intercedendum.*

[8] Vide infra in corp. quaest. — Pro *Item, huiusmodi* D *Item qui.*

[9] Cfr. IV. Reg. 5, 20. seqq.

[10] Epist. I. Thess. 5, 22: Ab omni specie mala abstinete vos. — Post *pseudo-praedicatoribus* K addit *vel quaestuarius.*

Digitized by Google

19. Item, huiusmodi aut habent auctoritatem in praedicando, aut non habent. Si non habent: ergo male faciunt praedicando, ergo nil merentur; si habent; sed qui habent auctoritatem possunt petere potestative: ergo tales mendicando[1] iniuriantur auctoritati praedicationis Evangelii: ergo in hoc non sunt perfecti, sed impii.

20. Item, tutius et perfectius est sequi viros probatiores et sapientiores; sed viri probatissimi et sapientissimi in religionibus fuerunt Basilius, Benedictus, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Hilarius et Paulinus; sed tales sic sua reliquerunt, quod communia possederunt, nec mendicasse leguntur: ergo modus iste mendicandi de novo introductus per Dominicum et Franciscum videtur esse superstitiosus et vanus, cum stultum videatur sensum et spiritum duorum pauperum hominum praeponere tantae sapientiae et sublimitati Sanctorum praecedentium et doctorum[2].

Fundamenta et auctoritate.

Sed contra: 1. Matthaei decimo[3]: *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris neque peram in via neque duas tunicas nec calceamenta*; Glossa: « Nec ipsi necessaria nec cellarium secum vehant; nihil praeter indumentum, quo quis contentus esse potest ». Sed in hoc traditur forma perfectionis ipsis Apostolis, et quod perfectionis est perfectum est imitari: ergo taliter per mundum ire spectat ad perfectionem evangelicam. Sed hoc est mendicare et vivere de eleemosyna: igitur hoc spectat ad evangelicam perfectionem.

2. Item, Marci sexto[4]: *Praecepit eis, ne quid tollerent in via, neque panem neque in zona aes*; aut igitur praecepit hoc eis tanquam *praelatis*, aut tanquam *perfectis*. Si tanquam *praelatis*: ergo ad illud adhuc praelati essent astricti; quod manifeste falsum est. Praecepit igitur hoc eis tanquam viris perfectis; sed perfectio proponitur communiter omnibus imitanda, quia dicitur: *Qui potest capere capiat*: ergo sic vivere spectat ad perfectionem evangelicam.

3. Item, Lucae nono[5]: *Nihil tuleritis in via neque virgam neque peram neque panem neque pecuniam*; Glossa: « Virgam non ferre est non esse sollicitum de his quae necessaria sunt humanae sustentationi, quia haec debentur praedicatoribus »; si *ergo* excludere sollicitudinem de necessaria sustentatione, hoc Dominus persuasit Apostolis, quos etiam ad praedicandum inter *infideles* misit; multo fortius, cum praedicatur Evangelium *fidelibus*, perfectionis est de huiusmodi non esse sollicitum, sed victu et vestitu sibi dato esse contentum.

4. Item, Lucae nono[6]: *Quicumque susceperit puerum in nomine meo*; Interlinearis: « pauperem »; et alia Glossa: « Qui imitatorem Christi recipit Christum recipit »: ergo cum suscipitur pauper imitans Christum, suscipitur Christus. Si ergo perfectionis evangelicae est esse pauperem et Christi imitatorem; perfectionis evangelicae est in tali paupere pro Christo suscipi velle. Si igitur hic mendicando petit, a perfectione evangelica non recedit.

5. Item, Lucae decimo[7]: *Nolite portare sacculum neque peram*; Glossa: « Tanta debet praedicatori esse fiducia in Deo, ut praesentis vitae sumtus, etsi non praevideat, sibi tamen non defecturos certissime sciat, ne, dum occupatur mens ad temporalia, minus praedicet aeterna ». Ad expeditiorem igitur praedicationem veritatis facit, quod quis temporalia non praevideat sibi, sed exspectet sibi ab aliis dari, cum necesse habuerit: ergo talis modus vivendi consonat veritati et evangelicae perfectioni.

6. Item, Lucae decimo sexto[8]: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula*; Glossa: « Non quoslibet pauperes, sed eos qui possunt in aeterna tabernacula recipere »; sed tales sunt *pauperes spi-*

---

[1] Edd. perperam *praedicando*.

[2] L pro isto arg. substituit hoc: *Item, persona praedicatoris debet esse discreta et nobilis sive honorabilis, non vilis; sed nulla vilior persona quam persona mendicantis: ergo persona mendicantis, ut praedicatoris, non debet esse mendicans, et sic mendicare praedicantibus non est opus perfectionis christianae.*

[3] Vers. 9. seq. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum, qua posita, L prosequitur: *Cum ergo necessaria a Domino discipulis gerere iubebantur, eadem accipere ab eis quibus praedicant concedatur sive petere; sed hoc est mendicare: ergo Dominus praecepit mendicationem, et ita erit perfectionis christianae pro Christo mendicare, maxime quia illa praecepta sunt non parabolice, sed ad litteram intelligenda.*

[4] Vers. 8: Et praecepit... in via, nisi virgam tantum, non peram etc. — In fine arg. allegatur Matth. 19, 12. — L: *Istud praeceptum* [Marc. 6, 8.] *datum Apostolis aut datur a Domino tanquam praelatis, vel tanquam perfectis. Non tanquam praelatis; quia, si sic, praelati hoc deberent facere: ergo cum non faciant, non datur Apostolis tanquam praelatis; et ita datur eis tanquam perfectis: ergo istud quilibet potest facere perfectus; sed per hoc praeceptum conceditur petitio sumtuum: ergo perfectionis est petere sumtus; hoc est mendicare: ergo etc.*

[5] Vers. 3. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum. — In L desideratur hoc arg.

[6] Vers. 48. Vulgata post *puerum* addit *istum*. — Glossam *interlinearem* exhibet Lyranus (idem dicitur in Glossa *ordinaria*, sumta ex Beda, apud Strabum et Lyranum: Vel simpliciter *pauperes* Christi... esse honore suscipiendos etc.). — Seq. Glossa est *ordinaria* (ex Ambros., VII. Expos. in Luc. n. 24.) apud Strabum et Lyranum. — Post hanc Glossam L legit: *sed nemo magis pauper quam mendicus: ergo pauperes mendicantes a fidelibus sunt maxime recipiendi; sed non essent a fidelibus recipiendi, si peccatum facerent mendicando: ergo mendicare pro Christo non est peccatum, immo potius perfectionis.*

[7] Vers. 4. — Glossam, quae sumta est ex Beda (in hunc loc.), exhibent Strabus et Lyranus ut *ordinariam*. — L omittit hoc arg.

[8] Vers. 9. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum. — Interius allegatur Matth. 5, 3: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. — Post verba Glossae L: *sed isti sunt pauperes spiritu: ergo pauperibus spiritu debent fi-*

Digitized by Google

ritu, quorum est regnum caelorum: ergo secundum divinum consilium est, quod eleemosynae talibus pauperibus dentur et quod ab eis suscipiantur. Sed quod divino consilio consonat perfectioni evangelicae non repugnat: ergo etc.

7. Item, Hieronymus adversus Vigilantium [1], tractans praemissum verbum, dicit: « Num isti pauperes, inter quorum sordes et illuviem corporis flagrans libido dominatur, possunt habere aeterna tabernacula, qui nec praesentia possident nec futura? Non enim simpliciter pauperes, sed pauperes spiritu beati appellantur, de quibus scriptum est: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* In vulgi pauperibus sustentandis nequaquam intellectu, sed eleemosyna opus est; in sanctis pauperibus beatitudo est intelligentiae, ut ei tritanus, qui erubescit accipere, et dum arreperit, dolet, metens carnalia et seminans spiritualia ».

8. Item, secundae ad Corinthios octavo [2]: *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum;* Glossa: « *Vestra abundantia* terrenorum *suppleat illorum inopiam, ut e converso abundantia* meritorum *illorum* spiritualium, qui divinis vacant, *vestrae sit inopiae supplementum* ». Si ergo hoc spectat ad perfectionem hominis corporis, quod membra sibi communicent *in ratione dati et accepti;* ad perfectionem Ecclesiae et Evangelii fuit, quod pauperes iusti sustentationem petant et accipiant a divitibus mundanis et imperfectis. — *Si dicas,* quod possunt *accipere,* sed non *petere;* hoc nihil est, quia divites mundani possunt petere orationes virorum spiritualium ad relevandam inopiam meritorum suorum: ergo versa vice possunt pauperes spirituales petere eleemosynam corporalem ad sustentationem corporum.

9. Item, hoc ipsum ostenditur *exemplo Christi.* Psalmus [3]: *Ego autem mendicus sum et pauper;* Glossa: « Hoc dicit Christus de se: Ego mendicus sum in forma servi. *Mendicus* est qui ab alio petit, *pauper* est qui sibi non sufficit ». Sed constat, quod hoc non intelligitur de Christo quantum ad dona sive bona spiritualia, quia comprehensor et omnis gratiae plenus erat: ergo intelligitur quantum ad bona temporalia, igitur quantum ad illa mendicus erat et ab alio petebat. Exemplum Christi.

10. Item, Psalmus [4]: *Persecutus est hominem inopem et mendicum;* Glossa: « scilicet Christum. Pauperes persequi sola saevitia est, alii vero pro divitiis et honoribus interdum huiusmodi patiuntur ». Aut ergo dicitur Christus *mendicus,* quia mendicabat a *Patre,* aut quia mendicabat ab *homine.* Si quia mendicabat a *Patre;* ergo omnes homines sunt mendici, tam divites quam pauperes: ergo sic Christum persequi non fuisset summa saevitia; si quia mendicabat ab *hominibus,* habemus propositum: ergo etc.

11. Item, Marci undecimo [5]: *Circumspectis omnibus, exit in Bethaniam;* Glossa: « Si quis eum hospitio susciperet; tantae enim paupertatis fuit et ita nulli adiutatus, ut in tanta urbe nullum hospitium inveniret »; sed constat, quodsi voluisset hospitium conducere, quod invenisset ad conducendum: ergo circumspiciebat tanquam pauperculus et mendicus.

12. Item, Lucae decimo nono [6]: *Zachaee, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere;* Glossa: « Non invitatus invitat »; sed invitare alium ad hoc, quod eum recipiat hospitio, nihil aliud est quam mendicare et petere: ergo etc.

13. Item, Ioannis quarto [7]: *Da mihi bibere;* Augustinus in originali, homilia decima quinta super Ioannem: « In omni re, quam Christus gessit ut homo, hominibus in se credituris praebebat exem-

---

dates ministrare necessaria, et ab eis necessaria recipere; sed nullus magis pauper spiritu, quam qui et omnibus et proprio et in communi renuntiat: ergo tales potest recipere eleemosynas; et qui potest recipere et petere supplicando potest; sed hoc est mendicare: ergo mendicare non est peccatum, immo potius perfectionis.

[1] Num. 15: Numquid isti pauperes, inter quorum pannos et illuviem etc. — Allegatur Ps. 40, 1. — L. omittit hoc arg. — Circa finem pro *tribuat* fide DEM ponimus *tribuos.*

[2] Vers. 14. — Glossa, quae exhibetur a Petro Lombardo (in hunc loc.), est *interlinearis* apud Lyranum. — Inferius respicitur Phil. 4, 15: Nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati et accepti nisi vos soli. — Post Glossam L. prosequitur: *ergo illi qui vacant divinis possunt recipere a divitibus; sed pauperes mendicantes pro Christo vacant divinis: ergo tales possunt recipere eleemosynas et etiam petere supplicando, et ita idem quod prius.*

[3] Psalm. 39, 18. — Glossa est *ordinaria* apud Stratum et Lyranum, qui ipsam attribuunt Cassiodoro (in hunc loc.).

[4] Psalm. 108, 17. — Glossa exhibetur a Petro Lombardo (in hunc loc.; apud Lyranum ipsa est partim *interlinearis,* partim *ordinaria*) et est secundum Cassiodor. — In L. desideratur hoc arg.

[5] Vers. 11: Et circumspectis omnibus, cum iam vespera esset hora, exiit etc. — Glossa apud Lyranum *interlinearis* est et secundum Bedam in hunc loc. — L.: *Glossa, « Si quis eum hospitio susciperet », circumspiciebat: ergo aut est ut de hospitio, aut ut hospitium conduceret, aut ut sibi hospitium dari vellet. Non primo modo, quod patet per Glossam: « Si quis eum hospitio susciperet ». Non secundo modo, per Glossam; ibidem enim: « Tantae paupertatis fuit, ut in tanta urbe nullum hospitium inveniret »; ergo ut volens hospitium sibi dari gratis circumspiciebat, et ita petebat signo et voluntate, sed non verbo; sed sic petere est mendicare: ergo Christus mendicavit, et ita perfecta ipsum sequendo sine peccato possunt mendicare.*

[6] Vers. 5. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum et sumta ex Ambros., VIII. Expos. Evang. secundum Luc. n. 82: Alterum sanaturus interrogat, apud alterum se non invitatum [alias: *se non invitatus*] invitat. — L. post Glossam: *Dominus ergo petit hospitium: ergo qui sequuntur Christum hoc facere possunt; sed hoc est mendicare: ergo mendicare possunt pro Christo perfecta imitatores Christi.*

[7] Vers. 7. — Verba August. habentur in Ioan. Evang. tr. 15. n. 2. et n. 12. (textus originalis pro secundo *et promitted* substituit *et affluet*). — Glossa *interius* posita apud Stratum et Lyranum est *ordinaria* in Ioan. 4, 7. — In fine arg. pro *facto* L. *sibi.*

Digitized by Google

plum »; et post: « *Petit* libere et *promittit* libere, eget quasi *accepturus* et promittit tanquam saturaturus ». Sed constat, quod potu *spirituali* non egebat, quia illum promittebat: ergo *corporali* potu egebat et illum postulabat. — Sed obiices Glossam quasi contrariam, quae dicit: « Licet Iesus post fatigationem sitire posset, tamen hunc potum non exigit »; sed hoc intelligitur, quod principaliter hunc potum non petebat, ne Glossa facto contrairetur.

14. Item, Hieronymus ad Rusticum [1]: « Quid Samaritana vilius? Ipse tamen non solum credit Messiam, quem cognoscit ad fontem, sed et, Apostolis cementibus cibos, esurientem reficit lassumque sustentat »: ergo videtur, quod Christus ab illa fuerit sustentatus corporaliter.

15. Item, sicut evangelica narrat historia [2], Christus invitatus a Pharisaeis comedebat cum eis: aut ergo sicut *dominus*, aut sicut *pauper*. Si tanquam *dominus*: ergo non debit exemplum paupertatis; si tanquam pauper; sed hoc est mendicare: ergo etc.

16. Item, ad hoc est *exemplum Sanctorum*. Ad Hebraeos undecimo [3] dicitur in laude Sanctorum: *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes* etc.; sed talter circumire est mendicare: ergo etc. Exemplo Sanctorum.

17. Item, est exemplum de Elia, tertio Regum decimo septimo [4], de quo Augustinus in quodam sermone: « Numquid Deus dederat pascere servum suum Eliam? Nonne illi cui deerant homines ministrabant alites? Ostendit ergo Deus, quia, unde voluerit et quando voluerit, pascere servos suos potest; et tamen, ut posset eum religiosa vidua pascere, fecit eum egere ».

18. Item, ad hoc est exemplum discipulorum Ioannis Evangelistae, de quibus in eius legenda [5] dicitur, quod vendentes omnia, quae habere poterant, dederunt egenis; et post subditur, quod tentati sunt, qua se in uno pallio viderant egentes, servos autem suos divites atque fulgentes ».

19. Item, exemplum discipulorum Pauli; unde Chrysostomus de laudibus Pauli [6]: « Paulus pecunias non possedit; nunc et ipse hoc testatur: *Usque ad hunc*, inquit, *horam et esurimus et sitimus, nudi sumus et colaphis caedimur et instabiles sumus*; et quod dico pecuniam, cum ille quidem necessarium saepe non haberet cibum nec quod circumdaret indumentum »? Et sequitur: « Discipulorum quoque illius plerique pauperes, inopertii ac totius erudictionis extranei, in fame et egestate viventes, ignobiles » etc.: ergo discipuli Pauli fuerunt mendici.

20. Item, ad hoc est exemplum de beato Benedicto, de quo legitur in secundo Dialogorum [7], quod per triennium fuit in specu, nihil omnino operans, sed Romanus quidam monachus sibi panem ministrabat; et constat, quod Benedictus in hoc non peccabat.

21. Item, exemplum de sancto Alexio, qui fuit vir mirae sanctitatis, in cuius legenda [8] legitur, quod cum esset filius ditissimi Romani, condempto patrimonio, ivit mendicando per mundum.

22. Item, exemplum de sancto Dominico [9], qui in morte sua imprecatus est maledictionem omnibus, qui in ordinem suum possessiones conarentur inducere: ergo videbat, quod de eleemosynis viverent, iuxta quod ipse vixit.

23. Item, ad hoc est exemplum de beato Francisco, qui non solum mendicavit et mendicare consulit, sed etiam mendicationem suam miraculis confirmavit; sicut patuit in nautis, quos ciborum suorum reliquiis saciavit et saciatos liberavit; et per regulam a summo Pontifice approbatam confirmari fecit, in qua dicit [10], quod « fratres, in paupertate et

---

[1] Sive Epist. 125. (alias 4.) n. 4. Textus originalis in secunda propos. substituit *credidit* pro *credit*, et *cognovit* pro *cognoscit*, pluribus praeterea additis.

[2] Cfr. Luc. 7, 36; 11, 37; 14, 1. — Iuberius pro *hoc est* D *hoc erat*.

[3] Vers. 37: Circuierunt in etc. — L: *Item, ad Hebr. 11. exemplum Sanctorum laudans Apostolus ait:* Circuierunt etc.

[4] Vers. 4. sequ. — Verba August. inveniuntur in Serm. 11. (alias 18. inter 50 homil.) n. 2. Vers. *Ostendit* textus originalis praemittit *Nonne illi panem afferebat corvus mane et ad vesperam carnes?* Subinde pro *quando* exhibet *quomodo*.

[5] Ex libro Abdiae, Babyloniae primi episcopi ab Apostolis constituti, de historia certaminis Apostolorum libri X, latin Africano interprete etc. Paris. 1566. » lib. V. pag. 62. — L: *Item, in legenda B. Ioannis duo honorifici viri, omnibus suis relictis sive pauperibus erogatis, secuti sunt B. Ioannem; cum non post longum tempus reversi sunt ad civitatem, de qua fuerant, tentati sunt a diabolo, eo quod viderent se egentes; et ita B. Ioannes et ipsi egebant; sed nullus magis est egens quam pauper mendicus pro Christo: ergo tales maxime sunt in statu perfectionis.*

[6] Homil. 4. de Laudibus Pauli (tom. 2. pag. 494. seq.): Audi... ipsum [Paulum, II. Cor. 11, 6.] loquentem: *Etsi imperitus sermone* nec pecunias possidens; nam hoc quoque ipse [I. Cor. 4, 11.] testatur: *Usque* etc.

[7] Cap. 1. — L: *Item, B. Benedictus perfectus fuit, et in II. Dialog. scribitur, quod quidam Romanus in spelunca quadam, ubi orabat, per triennium eum sustentavit, ei necessaria ministrando. Sustentari ergo ab alio, exemplo praedicti Sancti, est perfectionis; sed qui petit eleemosynas pro Christo et accipit ab alio sustentatur: ergo petere ab alio sive mendicare, quod idem est, erit perfectionis.*

[8] Vide Breviar. Roman. die 17. Iulii. — L: *Item, B. Alexius, contemplo patrimonio, et patre et matre et muliere relictis, ivit per mundum mendicando et Sanctus fuit; sed si mendicare pro Christo esset peccatum, Sanctus non fecisset: ergo exemplo eius viri in statu perfectionis possunt mendicare.*

[9] Cfr. lib. II. Annal. Ord. Praedic. n. 24. — L: *Item, hoc videtur exemplo novorum Sanctorum, quod reputo manifestum testimonium, inema magnum quisque unum repraesentat. Primo exemplo B. Dominici, qui imprecatus est maledictionem in morte et qui divitias in ordine suo poneret, immo fratres suos voluit per mundum universum mendicare.*

[10] Cap. 6. — De praecedentibus cfr. Legenda S. Francisci scripta a S. Bonav. c. 9. — Superius post *consulit* D addit *et mendicare docuit*. — L: *Item, dicunt: Sanctus Franciscus istud miraculis confirmavit, quia, cum vellet transferri ultra mare, nautae, quia non habebant victum, ipsum recipere noluerunt; et petit eleemosynas et habuit parum ad victum. Postea ingressus navem cum aliis, cum navigarent per mare,*

Digitized by Google

humilitate Domino famulantes, vacant pro eleemosyna confidenter » etc.

24. Item, Gregorius, in Moralibus, super illud Iob[1]: *Noctes laboriosas enumeravi mihi:* « Electi Conditori rerum serviunt et saepe rerum inopia coangustantur; per amorem Deo inhaerent, et tamen subsidiis praesentis vitae egent ». Egere igitur subsidiis praesentis vitae competit Sanctorum perfectioni.

25. Item, Hieronymus, in epistola quadragesima prima[2] ad quendam virum hospitalem: « Multus a te per insulas Italiae Sanctorum numerus sustentatur; sed melius faceres, si et ipse sanctus inter Sanctos viveres ». Ergo melius est de eleemosynis vivere quam eleemosynas dare.

Rationes. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione.*

26. Qualis est habitus, talis est et actus[3]; sed omnino pauperis, secundum quod pauper, actus est egere et mendicare: ergo si esse pauperem bonum est, mendicare pro Christo laudabile est et perfectum.

27. Item, mendicare non prohibetur lege naturae nec lege Scripturae nec lege gratiae; sed quod non est prohibitum, per obedientiam impositum, efficitur laudabile et meritorium, maxime si sit difficile et onerosum[4]: ergo si aliqui ex professione habeant mendicare, cum hoc ex obedientia faciant, erit res laudabile et perfectum.

28. Item, Ecclesia imponit in poenam satisfactionis mendicationem temporalem, vel etiam perpetuam; sed hoc non imponeret, nisi esset satisfactorium[5]; sed qui ad opus satisfactorium voluntarie se astringit perfecte agit: ergo qui pro Christo semper devovit mendicare in hoc agit perfecte et laudabiliter.

29. Item, contemptus sui est perfectionis, et maior contemptus maioris perfectionis; sed qui pro Christo mendicat maxime se ipsum contemnit et abiicit: ergo talis perfectissime agit.

30. Item, plus placet Deo paupertas voluntaria quam involuntaria: ergo et mendicatio ex illa paupertate procedens magis est Deo placita; sed prima potest esse laudabilis et meritoria: ergo multo magis secunda.

31. Item, qui servit alieni domino meretur sustentari ab illo; sed qui omnibus abrenuntiat et consilia impleti maximo[6] Domino servit: ergo talis maxime meretur a Domino sustentari, ergo et a servis Domini. Si ergo pauper voluntarius est, hoc ipso quod talis, si eleemosynam petit, iuste petit.

32. Item, qui dat maiora potest recipere minora; sed pauper omnis impendit misericordiam spiritualem: ergo multo fortius potest recipere eleemosynam corporalem.

33. Item, praedicans ex auctoritate potest recipere sumptus potestative: ergo praedicans ex subauctoritate et commissione seu denunciatione petere potest supplicative.

34. Item, qui servit alteri[7] iuste sustentatur ab illo; ergo qui universali Ecclesiae deserviunt iuste sustentantur ab universo mundo: ergo si qui sunt, qui verbo et exemplo per mundum discurrendo deserviunt populo christiano, merito sustentationem petere possunt ab ipso.

35. Item, si licet recipere maius, multo fortius licet recipere minus; sed pauperibus religiosis, qui propriis renuntiaverunt, licet recipere amplissimas possessiones; ergo multo fortius licet recipere diurnas sustentationes. Alioquin monstruosum videtur dicere, quod licet recipere centum marcas auri, et non licet recipere centum frusta panis. — *Si dicas,* quod licet *accipere,* sed non licet *petere;* hoc nihil prorsus est, quia *petere* ordinatur ad *accipere* et propter illud est; et sicut plus est *dare* quam *promittere,* sic plus est *recipere* quam *petere.* Sed constans est, quod quidquid licet dare licet promittere: ergo quidquid licet accipere licet petere[8].

36. Item, si amicus petit ab amico suo donum, contra nullam legem agit, nec iste petendo, nec ille dando, nec iste rursus accipiendo; sed lex caritatis et amoris divini est magis communicativa quam lex socialis; ergo si quis petat sibi aliquid dari amore Dei, in nullo offendit nec in aliquo a perfectione recedit.

37. Item, indubitanter licet petere aliquid, ne ruinis donationis potior fit conditio dantis; sed qui dat aliquid pro Deo *foeneratur Domino*[9] et temporale commutat pro aeterno et ad opus virtutis nobilissimae se exercet, scilicet pietatis. Ergo si haec omnia eveniunt ei qui donat ratione postulantis, pauper, qui eleemosynam petit, potissime facit secundum legem caritatis; ergo a perfectione in nullo recedit.

---

defecerunt victualia aliorum, victus autem paradisi Sancti supererat, unde alios sustentavit; et ita Dominus voluit et fecit, ut abi de mendicatione sustentaretur per miraculum, et mendicato per miraculum fuit approbatus.

[1] Cap. 7, 3. — Gregor., XIII. Moral. c. 8. n. 15. — In d. desideratur hoc arg.

[2] Quae nunc est 118. ad Iulian. (alias 34.), n. 5.

[3] Vide tom. II. pag. 750, nota 6. et tom. III. pag. 108, nota 2. — Finem arg. exhibet D sic: *ergo si esse pauperem pro Christo bonum est, et mendicare.* L omisit hoc arg.

[4] Aristot., II. Ethic., c. 3: Circa id quod difficile est semper ars et virtus versatur.

[5] D *meritorium et satisfactorium,* et inferius vocibus *se astringit* inserit *obligat et.*

[6] M *maxime.*

[7] D E M *altari,* sed contra contextum.

[8] Duo sequ. argg. omittuntur a L., qui in hoc arg. addit: *Et haec argumenta sufficiant ad alam partis intentionem.*

[9] Prov. 19, 17: Foeneratur Domino qui miseretur pauperis etc.

Digitized by Google

CONCLUSIO.

Mendicatio, quae fit pro Christo imitando, vel pro Christo evangelizando, vel utroque modo, non est culpanda, immo est perfectionis evangelicae.

Triplex modus mendicandi. De 1. modo

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam notandum, quod tripliciter contingit mendicare. Et primus modus est ex *necessitate naturae;* et hic modus est, cum quis mendicat non solum, quia pauper, verum etiam quia habet *infirmitatem*, vel *debilitatem*, vel *utrumque*. Hic autem modus miserabilis est et tolerabilis, sed per patientiam bonam fit meritorius et laudabilis; sicut legitur Lucae decimo sexto [1] de Lazaro, quod *erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam divitis ulceribus plenus;* et post subditur, quod *mortuus est mendicus et portatus est ab Angelis in sinum Abrahae.* De divite autem dicitur, quod *sepultus est in inferno.* Ex quo colligitur, quod mendicitas, etiam ex necessitate veniens, occasio ductiva est in viam salutis aeternae; iuxta quod dicit Gregorius [2], quod mala, quae nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.

De 2. modo ex tripici ratione.

Secundus modus mendicandi est ex *vitiositate culpae;* et hic est, cum quis mendicat vel pro *otio fovendo*, vel pro *lucro cumulando*, vel *utroque modo.* Et hic, inquam, modus vituperabilis est in omnibus taliter mendicantibus. De quibus dicit Ambrosius in libro de Officiis [3]: « Petitionis causa veniunt vabili, veniunt nullam causam nisi vagandi habentes, et volunt subsidia evacuare pauperum, exinanire sumtum; nec exiguo contenti, maiora quaerunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, et natalium simulatione licitantes incrementa quaestuum ». Licet autem in omnibus merito debeat reprehendi, reprehendendus est tamen potissime in eis qui habent speciem sanctitatis. De quibus dicit Augustinus in libro de Opere monachorum [4]: « Nullo modo decet, ut in ea vita, ubi senatores timent laboriosi, ibi fiant opifices otiosi; et quo veniunt, derelictis deliciis suis, qui fuerunt praediorum domini, ibi fiant rustici delicati ». Et post ad reprehendendum eorum otium et quaestum subiungit [5]: « Callidissimus hostis tamen multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes; alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditant; alii *fimbrias et phylacteria sua magnificant;* alii parentes vel consanguineos suos in illa vel in illa regione se audisse vivere et ad eos pergere mentiuntur; et omnes petunt, omnes exigunt aut sumtus increscae egestatis, aut simulatae pretium sanctitatis ». — Contra tales multum invehitur beatus Augustinus in libro de Opere monachorum, pro eo quod pigritiam non tantum in se ipsis mendicando fovebant, verum etiam praedicando aliis suadebant, male intelligentes Evangelium [6], ubi videtur insinuare, quod non sit ab hominibus, sicut nec ab avibus, laborandum; et penis exponentes Apostolum, ubi persuadet fratribus operari, dicentes, esse intelligendum illud de labore spirituali, non corporali. Et quia in hoc se ipsos decipiebant et alios, ideo reprehendit eos Augustinus et multipliciter ostendit contrarium per totum librum de Opere monachorum, qui totus est contra illos qui approbant hunc secundum mendicandi modum. Unde de talibus dicit [7]: « Qui tanquam conservatrices Evangelii praedicantes erant pigritiam, tanquam praevaricatrices accusantes misericordiam. Utinam isti, qui vacare volunt manibus, omnino vacarent et linguis! Neque enim tam multos ad imitationem invitarent, si eis etiam non tantum exempla pigra, verum etiam munta proponerent. Nunc autem contra Apostolum Christi recitant Evangelium Christi. Ita enim mirabilia sunt opera pigrorum, ut impedire velint Evangelio quod Apostolus ideo praecepit et fecit, ne impediretur Evangelium ».

Notandum

Contrarium.

De 3. modo ex tripici ratione.

Tertius autem modus mendicandi est ex *supererogatione iustitiae;* et hic est, cum quis mendicat pro *Christo imitando*, vel pro *Christo evangelizando*, vel *utroque modo.* — Pro *Christo*, inquam, *imitando* quantum ad *contemptum sui*, *affectum proximi* et *cultum Dei.* Nam in his tribus potissime debemus Christum imitari. Quod quidem facit qui voluntarie mendicat pro nomine Christi, ut se ipsum viliticet et humiliet, ut proximum suum aedificet et provocet ad pietatem, et ut vacet Deo libera mente,

Imitatio Christi quad tria.

[1] Vers. 20. et 22: Factum est autem, ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis etc.

[2] Vide II. Homil. in Evang. homil. 36, in qua explicat parabolam de coena magna, ad quam multi erant vocati, qui tamen « coeperunt omnes simul excusare... Et ait Dominus servo: Exi... et *compelle intrare* » [Luc. 14, 16 — 24.]. Ultima haec verba loc. cit. n. 9. explicat de adversitatibus compellentibus ad Deum redire: « Qui ergo huius mundi adversitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt atque a praesentis vitae desideriis corriguntur, quid isti, fratres mei, aliud compelluntur, ut intrent »? — I., ad solutionem quaestionis triplici posita mendicationis distinctione, scil. « ex necessitate naturae, ex vitiositate culpae, ex supererogatione iustitiae », de primo membro affert tantum exemplum Lazari, et etiam de modo secundo pauca refert.

[3] Lib. II. c. 16. n. 76.

[4] Cap. 25. n. 33. — Pro *deliciis* edd. cum aliquot codd. *divitias.*

[5] Cap. 28. n. 36. Respicitur Matth. 23, 5, ubi de Scribis et Pharisaeis dicitur: Dilatant enim phylacteria sua et magnificant fimbrias.

[6] Matth. 6, 25, seqq.: Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis... Respicite volatilia caeli, quoniam non seminant etc. — Verbum Apostoli est II. Thess. 3, 10: Si quis non vult operari, nec manducet.

[7] Cap. 22. seq. n. 26. seq. Post *misericordiam* textus originalis plura addit et circa finem pro *ut impedire velint Evangelio* substituit *ut impediri velint Evangelio.* Correximus vitium codd. et edd., qui habent *impedire velint Evangelium.*

Digitized by Google

deposita omni saeculi sollicitudine. Et de talibus Augustinus, in quodam sermone quadragesimali [1]: « In isto tempore, quantum commendat Deus opera misericordiae, ipsos Sanctos suos egere fecit, ut, cum fuerint facti amici Dei, *de mammona iniquitatis recipiant* et ipsi amicos suos *in aeterna tabernacula*, id est, *ut*, cum servi Dei pii, dum iugiter Deo vacant, aliquoties indigent, illi qui habent mundi divitias eleemosynas largiantur; et quomodo illos participes faciunt in terrena substantia, sic cum illis partem habere merebuntur in vita aeterna ». — Ex quo apparet, quod talis mendicatio laudabilis est, quae fit pro *Christo imitando* [2].

Similiter et ea, quae fit pro *Christo evangelizando*, quia viam praebet Evangelio, ratione eius *quod* praedicatur, *a quo* praedicatur et *cui* praedicatur. — Ratione eius *quod praedicatur*, quia praedicantes mundi contemptum; quod efficacius suadetur verbo et exemplo quam solo verbo. — *A pluribus* etiam *praedicatur*, si praedicantes vivant de Evangelio, quam si compellerentur vivere de suntu aut labore proprio. — *A pluribus* etiam *efficacius susciptur*, dum suscipientes documenta largiuntur beneficia sustentantia. Hoc est quod dicit Ioannes Chrysostomus super Matthaeum homilia [3] trigesima secunda: « Manifestum est, quoniam discipulos ab eis quibus praedicabant ritari oportebat, ut neque ipsi magna sapiant adversus eos qui docebantur, ut omnia praebentes et nihil accipientes ab ipsis; nec illi rursus abscindantur despecti ab eis. Deinde, ut non dirant: mendicantes igitur iubes nos vivere, et verecundentur in hoc, monstrat hoc *debitum* existens, et *operatores* eos vocans, et quod datur *mercedem* nominans. Ne enim, quia in *sermonibus* est operatio, existimetis *parvum* beneficium, quod est a vobis. Etenim labores habet hic multos, et quidquid dederint qui docentur, non *largientes* praebent, sed *retributionem reddentes* ».

Pro evangelizando Christo paupertas bene triplicitur. Primo. Secundo. Tertio.

Quando igitur quis mendicat pro Christo imitando et evangelizando secundum formam praescriptam, non solum non peccat, verum etiam implet perfectam iustitiam: primum, quia *multum* debetur sustentatio pauperi iusto *Christum imitanti*; secundo, quia *magis* debetur tanquam pauperi evangelico, *Christum evangelizanti*; tertio, quia *maxime* debetur pauperi grato, debitum pro gratia humiliter accipienti et humiliter supplicanti, quippe cum sit *liber ex omnibus, facit se omnium servum*. — Et hoc est quod dicit Augustinus super illud Psalmi [4]: *Producens foenum iumentis* etc.: « *Producens*, inquit, *foenum*, id est temporalia; *iumentis*, id est praedicatoribus, ut *de Evangelio vivant qui Evangelium annuntiant*; et *herbam*, id est temporalia; *servitutii hominum*, id est praedicatoribus, servis hominum pro Christo. Unde Apostolus: *Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci*. Quae servitus est ex caritate, quae facit humiles, qui pro Christo servi hominum fiunt, utilitati fratrum intendentes. Haec sunt *iumenta*, quibus debetur *herba* ut merces, quia servitut. De quibus dicitur: *Non alligabis os bovi triturantí*; et: *Dignus est operarius mercede sua*. Debentur enim praedicatoribus temporalia, quia largiuntur spiritualia. Unde Apostolus: *Si seminavimus vobis spiritualia, non magnum est, si carnalia vestra metamus*; pro quibus dicitur: *Beatus*, qui praeoccupat vocem petituri, id est, *qui intelligit super egenum et pauperem*. Non enim ita debes agere bovi triturantí, ut mendico transeunti. Illi etiam, id est mendico, das, quia legitur: *Omni petenti da*; huic etiam *non petenti* dare debes. Vale ergo, ne, si sic indigeat miles Christi, ut petat, te iudicet, id est damnabilem ostendat. Sicut enim dicitur de illo qui te quaerit: *Da omni petenti*; sic de eo praedicatore, quem tu quaerere debes, dicitur: *Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias iustum, cui des*. Omni petenti ergo, quicumque sit, da, agnoscens in eo cui des, sed multo magis da servo Dei, militi Christi, etiam non petenti ». — Ex his igitur manifeste apparet, quod in Christi praedicatore et evangelizatore mendicare non est vitii nec culpae, sed magis perfectionis evangelicae. Unde rationes et auctoritates et exempla concedenda sunt, quae ad hanc partem inducuntur [5].

Confirmatur.

Conclusio.

Nam si quis impugnare et improbare velit omnem mendicandi modum in servis Christi, impugnare videbitur non tantum ordinem pauperum, verum etiam ipsum *summum Pontificem*, qui approbavit hunc vivendi modum; nec etiam tantum ipsum, verum etiam hunc *magnum coetum Sanctorum*, qui mendicaverunt, videlicet Franciscum, Dominicum, Ale-

Epilogus et confirmatio multiplex. Primo. Secundo.

---

[1] Serm. 11. (al. as 18. inter 50 homilias n. 4.). Respiciatur Luc. 16, 9: Facite vobis amicos de mammona etc. Textus originalis: In isto autem tempore, ut noverimus, quantum... fecit, ut, cum fiunt hic amici de mammona etc. [subinde textus originalis aliter legit, in nota adiecta exhibetur tamen lectio nostra].

[2] I. etiam de tertio modo multa omittens et male contrahens agit. — Vocibus *laudabilis est* D praemittit *meritoria et*.

[3] Alias 33. n. 4. seq. Pro *qui docebantur* (τῶν μαθητευομένων) edd. *qui docebant*, et pro *monstrat hoc debitum existens* (δείκνυσι τὸ πρᾶγμα ὀφειλόν ὄν) eaedem edd. *monstrat hoc debitum existere*, ac demum *a nobis* pro *a vobis* (παρ' ὑμῶν).

[4] Psalm. 103, 14. Verba allegata habentur in Glossa *ordinaria* apud Strabum, Petr. Lombard. et Lyranum (in hunc loc.) et formata sunt ex iis quae August. (Enarrat. in Ps. 103, serm. 3. n. 9. seq.) docet. — Loci Scripturae sunt I. Cor. 9, 14: Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere. Secundus ibid. v. 19; tertius ibid. v. 9, sumtus ex Deut. 25, 4; quartus Luc. 10, 7: Dignus est enim operarius etc. Quintus I. Cor. 9, 11: Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Sextus Ps. 40, 1; septimus Luc. 6, 30: Omni autem petenti te tribue. Pro octavo in ed. Lyrani allegatur Eccli. 29. — Textus originalis omittit *ut de Evangelio vivant qui Evangelium annuntiant*, et post *humiles* plura addit.

[5] I. omittit quae sequuntur.

Digitized by Google

xnno, Benedictum et ipsum cunctum Apostolorum et Prophetarum; nec non et ipsum *Dominum Iesum Christum*, quem Scriptura non veretur dicere *pauperem* et *mendicum;* cum maxora de ipso dicat et sentiat fides nostra, scilicet quod pro nobis non tantum *pauper* et *mendicus* fuit propter nostrum exemplum, sed etiam *humilis* et *vilificatus* usque ad abiectionis genus extremum, ut exemplum daret perfecte contemnendi mundum. — Postremo, super haec omnia mala subverti videtur *universalis Ecclesiae status.* Si enim illicitum est per eleemosynarum acceptionem pauperibus Christi accipere vitae sustentamentum, multo fortius illicitum est accipere amplitudinem et multitudinem possessionum et magnorum reditum. Quis enim ita absurdus est, qui dicat, licere alicui accipere talentum auri, et non frustum panis? Quodsi hoc verum est; cum universarum ecclesiarum possessiones, tam in religiosis proprietatem habentibus quam in clericis saecularibus, habeantur per acceptionem eleemosynarum voluntarie et gratis datarum: videtur ex hoc subverti status universarum ecclesiarum, si eleemosynas accipere vel de eleemosynis vivere, seu in parva quantitate seu in magna, illicitum iudicetur; nisi forte quis dicat, quod licitum est *accipere,* sed non est licitum *petere.* Sed hoc mirum videtur, quod aliquis possit in illud quod maius est, et non in illud quod minus est [1]; et quod aliquod monasterium possit recipere centum millia marcarum in redditibus ab aliquo principe, et unus pauperculus non possit suae indigentiae relevationem suppliciter implorare; et quod aliquis possit ex amicitia petere ab amico, et Christianus non possit ex caritate petere a Christiano; et quod aliquis possit petere aliqua expedientia ad alienius divitis monasterii securitatem et abundantiam, et pauper voluntarius non possit petere vitae sustentamentum; et quod aliquis scholaris possit licite mendicare pro amore proficiendi in cognitione scientiae, quae inflat, ut tandem perveniat ad temporales divitias; et pauper religiosus non possit petere pro amore proficiendi in caritate et humilitate, quae aedificat [2], ut tandem perveniat ad vitam aeternam, et cetera consimilia, quae valde videntur absurda. Si ergo haec omnia non parva, sed magna inconvenientia sunt; tenendum est, quod liceat pauperibus sustentari de eleemosynis aliorum, saltem secundum tertium mendicandi modum superius explicatum.

Tertio. Quarto. Obiectio reiicitur.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod *non est inopia timentibus Deum;* dicendum, quod duplex est inopia, scilicet *corporalis* et *spiritualis;* verbum autem illud intelligitur de inopia non quacumque, sed *spirituali.* — Et quod illud sit verum, apparet per illud quod immediate sequitur [3]: *Divites egerunt et esurierunt;* constat, quod illud non intelligitur de egestate divitiarum materialium; restat igitur, quod intelligatur de inopia spiritualium, quae licet sit in divitibus, non tamen est in timentibus Deum, quia *timor est initium sapientiae,* de qua dicitur Sapientiae septimo: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* etc.

Solutio oppositorum. Duplex inopia. Confirmatur.

2. Ad illud quod obiicitur de Psalmo: *Non vidi iustum derelictum* etc.; dicendum, quod duplex est panis, scilicet *corporalis* et *spiritualis;* verbum autem illud non intelligitur de pane *corporali,* sed de pane *spirituali.* Et quod illud sit verum, apparet per Glossam ibidem [4]: *Nec semen eius quaerens panem,* Glossa: «spiritualem, id est indigere pane verbi Dei, quia verbum Dei semper cum eo est». — Potest etiam littera sic construi, ut intelligatur: *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem vidi derelictum;* quia, secundum quod dicitur ad Hebraeos ultimo super illud: *Non te deseram neque derelinquam;* Glossa: «Derelinqueretur ille qui fame perieret». Vult ergo dicere Propheta, quod nec iustum nec semen iusti vidit fame mortuum; et hoc a paupertate non revocat, sed potius invitat.

Duplex panis. Alia solutio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod mendicatio est malum, quod imprecatur Psalmista in spiritu Dei loquens; dicendum, quod est mendicatio *voluntaria* et mendicatio *coacta,* quae est cum murmure et impatientia. Prima est meritoria, secunda est demeritoria et afflictiva; et Psalmus intelligitur de secunda, non de prima. Et quod illud sit verum, apparet per textum, quia dicitur [5]: *Nutantes transferantur et eiciantur;* et haec omnia in coactionem et violentiam sonare videntur.

Duplex mendicatio.

4. Ad illud quod obiicitur de Ecclesiastico: *Fili, in vita tua ne indigeas;* dicendum est, quod iuxta distinctionem praehabitam verbum illud intelligendum est de indigentia *spirituali* respectu gratiae, non de *corporali* respectu sustentationis naturae. Et quod illud sit verum, apparet per Glossam [6]: «*Ne indigeas,* inquit Glossa, virtutibus vel bonis moribus».

[1] Regul. iuris in VI. regula 53: Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.

[2] Epist. I. Cor. 8, 1: Scientia inflat, caritas vero aedificat. — Aliquanto superius pro *securitatem* I. *naturitatem,* et *licite petere, ut proficat* pro *licite mendicare pro amore proficiendi.*

[3] Psalm. 33, 11. — Seq. locus est Ps. 110, 10: Initium sapientiae timor Domini (cfr. Prov. 1, 7. et Eccli. 1, 16.); tertius Sap. 7, 11: Venerunt autem mihi etc. — Inferius pro *moterentium* M. *temporalium.* L. eodem sensu, brevius tamen, solvit arg.

[4] Psalm. 36, 25. — Glossam *alteri* Petr. Lombard. (in hunc loc.); cfr. de ipsa August., Enarrat. in Ps. 36. serm. 1. n. 5. — De Glossa super Hebr. 13, 5. vide supra n. 1. ad 5. — Finem solut. I. sic habet: *sed magis ad eum incitat.* I. alterum solutionis modum omittit.

[5] Psalm. 108, 10: Nutantes transferantur filii eius et mendicent et eiciantur de habitationibus suis.

[6] Scilicet *interlinearem* apud Lyranum in Eccli. 40, 29. Cfr. Rohan., in hunc loc.

Digitized by Google

5. Ad illud quod obiicitur, quod beatius est magis dare quam accipere; dicendum, quod illud est verum, quando acceptio eleemosynae venit ex *necessitate naturae;* non autem, quando venit ex *supererogatione iustitiae*, iuxta distinctionem factam in principali solutione. — Et quod illud sit verum, apparet per illud quod dicitur in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus[1]: « Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, sed melius, pro intentione sequendi Dominum semel donare et absolutum a sollicitudine cum Christo egere ». Hoc ipsum dicit Augustinus in libro de Bono coniugali, sicut in praecedenti quaestione allegatum fuit. Confirmatur.

6. Ad illud quod obiicitur de Glossa, Lucae duodecimo[2], quod omnibus pro Deo spretis, deberent labore manuum operari; dicendum, quod illud est consilium quantum ad *primum*, quod dicitur: *Vendite quae possidetis;* quantum *ad secundum* autem est solum de *bene esse* consilii, quod non astringit etiam viros perfectos, illos potissime, qui possunt circa maiora bona occupari. — Et quod illud sit verum, apparet per eandem Glossam, cum subditur: « Unde vivatis, vel eleemosynas faciatis ». Certum est enim, quod illi, qui omnia semel pro Deo dederunt, ad ulteriores eleemosynas faciendas minime astringantur; et ideo illa Glossa non exprimit quod est de *essentia* et substantia consilii, sed magis secundum *bene esse*, secundum statum et conditionem aliquarum personarum, quae magis sunt idoneae ad manualiter operandum quam ad aliquid magis arduum faciendum. Nam si aliter diceretur, quod illud esset de *essentia* perfectionis consilii; tunc nulli illud consilium implevissent, nisi qui operati fuerunt manualiter; ac per hoc Apostolos alios a Paulo et Barnaba[3] et alios plurimos Sanctorum perfectissimorum, quos non legimus fuisse manualiter operatos, non indicaremus fuisse perfectos. Verum est utique, quod perfectioni evangelicae consonat operatio manualis, si tamen non impediat maiora bona. Unde Glossa super illud[4]: *Vado piscari:* » Sciendum est, non fuisse prohibitos arte sua licita victum quaerere, apostolatus integritate servata, cum inde viverent non haberent, et sic illis laborantibus adiicit Deus necessaria, quae promisit ». — Sed quod hic labor rompetat non occupatus circa maiora, manifestum est, quia tunc Apostoli praedicationi minime vacabant. Unde Chrysostomus[5]: « Venit Simon piscari, quia neque Christus continue cum eis erat, neque Spiritus datus erat, neque quid eis commissum erat tunc, neque quid habentes agere, artem tractarunt ». Et ideo ex hoc non habetur, quod perfecti teneantur operari manualiter, nisi forte, cum non habent spiritualem et meliorem exercitationem. — Praeterea esto, quod vir perfectus teneretur manibus suis operari, ex hoc tamen non potest inferri, quin pro sui humiliatione et aliorum aedificatione possit eleemosynas humiliter petere pro loco et tempore. Distinctio. Confirmatur. Alia solutio.

7. Ad illud quod obiicitur de Glossa, primae ad Thessalonicenses quarto, quod nullus est aliquid desiderandum nec petendum; dicendum, quod dupliciter potest aliquis aliquid petere ab aliquo: vel propter desiderium *alienae rei*, vel propter desiderium *alienae salutis*. Primum prohibet Apostolus tanquam malum et in Lege prohibitum, qua dicitur[6]: *Non concupisces rem proximi tui*; secundum autem non prohibet, quia lex caritatis hoc concedit, quae mutuis habet beneficiis confoveri et omnis alterius facit ab altero supportari. Quid enim tam absurdum est, quam ut credamus, Apostolum denegasse, quod nullus ab altero petat nec beneficium nec auxilium nec solatium misericordiae et pietatis fraternae? — Et quod illud sit verum, apparet per illud quod dicit Apostolus ad Philippenses ultimo[7] de se ipso, regratians eis de beneficio collato: *Non quaero datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.* Secundum enim quod exponit Augustinus decimo tertio Confessionum, *datum* quaerit qui delectatur praecipue in re accepta; *fructum* requirit qui delectatur in salute aliena. Haec est verborum Augustini sententia, licet verba sint mutata. Distinctio. Notandum. Confirmatur.

8. Ad illud quod obiicitur de Glossa, primae ad Thessalonicenses quinto, quod *egestas facit a iustitia declinare;* dicendum, quod sicut divitiae non sunt in culpa, sed cupiditas divitiarum; sic egestas in culpa non est, sed impatientia egestatis; quam qui habet a iustitia declinat, dum fugiendo egestatem,

---

[1] Cap. 18. Vide supra pag. 127, nota 2. — Seq. locus habetur supra a. 1, fundam. 20.

[2] Vers. 13. — De verbis Glossae, quae inferius allegantur, cf. ipsam obiectionem.

[3] 1 Cor. I. Cor. 9, 6. — Superius pro *secundum bene esse* k *de bene esse*.

[4] Ioan. 21, 3. — Glossa, quam exhibet Strabus ut *ordinaria* super v. 1, sumta est ex Beda, in v. 1.

[5] Homil. 87 (alias 86.) in Ioan. n. 2. Respicitur illud Ioan. 7, 39: Nondum enim erat Spiritus datus etc. In Hac alia versio: Ad artem suam redierant.

[6] Exod. 20, 17: Non concupisces domum proximi tui etc. — Subinde respicitur Gal. 6, 2: Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. — Inferius pro *denegasse* l *prohibuisse* et pro *solatium misericordiae et pietatis fraternae* edd. corrupte *solatium ex pietatis et caritatis fine.*

[7] Vers. 17: Non quia quaero datum etc. — Verba August., XIII. Confess. c. 26, seq. n. 39. seqq., sunt: Pascuntur autem his escis qui laetantur eis, nec illi laetantur eis, *quorum Deus venter est* [Phil. 3, 19.]. Neque enim et hi illis, qui praebent ista, ea quae dant *fructus* est, sed quo animi dant... *Datum* est res ipsa, quam dat qui impertitur haec necessaria, veluti est numismus, cibus, potus, vestimentum, tectum, adiutorium. *Fructus* autem bona et recta voluntas datoris est (n. 41.).. Cum homines idiotae atque infideles... suis quoque corporaliter reficiendos... cum id, quare faciendum sit et quo pertinent, ignorent, nec illi istos pascant, nec isti ab illis pascantur; quia nec illi haec sancta et recta voluntate operantur, nec isti eorum datis, ubi fructum nondum vident, laetantur; inde quippe animus pascitur, unde laetatur (c. 27. n. 42.). — Pro *regratians eis de beneficio* l *ubi regratiatur eis de beneficio.*

Digitized by Google

vadit post permianc; quam qui sequitur de facili declinat a iustitia; *qui enim volunt divites fieri incidunt in tentationes et in laqueum diaboli et desideria mulla et nociva*[1]. Et sicut talis egestas est mala, sic et mendicatio ex tali egestate proveniens est culpanda. — Cum autem plus placet penuria quam abundantia, et homo propter amorem paupertatis contemnit abundantiam terrenorum; talis non habet occasionem declinandi pro tali egestate a iustitia; et talis est paupertas et mendicatio, quae spectat ad perfectionem evangelicam. — Et quod ista responsio sit recta, patet per ipsam Glossam, in qua dicitur, quod « egestas, dum *saturari cupit*, declinat a iustitia ». Egenus enim, qui *cupit saturari*, est[2] egenus, qui non amat paupertatem, sed saturitatem, non penuriam, sed abundantiam. Et talis non est pauper evangelicus et caelestis, qui mendicat ex supererogatione iustitiae; sed potius cupidus et terrestris, qui mendicat ex vitiositate culpae, secundum prius habitam responsionem. Confirmatur.

9. Ad illud quod obiicitur de Glossa, secundae ad Thessalonicenses tertio, quod vult Apostolus, servos Dei corporaliter operari etc.; dicendum, quod illud *velle* aut non est *velle praecepti*, sed *admonitionis*; aut si est *velle praecepti*, non se extendit ad omnes, sed ad eos qui volunt regere; aut si extenditur ad eos qui volunt pro Christo regere[3], ad illos tantum se extendit, qui non possunt maiora agere. Et ex hoc non colligitur, quod pauperum vita sit mala, qui manducant et manibus suis non operantur, si melioribus et salubrioribus exercitiis occupantur. — Et quod illud sit verum, manifestum est. Nam si verbum illud: *Qui non vult operari non manducet, simpliciter* esset praeceptum; tunc omnes essent in malo statu, qui manibus propriis victum suum non quaerunt, cum possint; et hoc esset damnare totum mundum. — Quod iterum non se extendat ad *pauperes voluntarios et perfectos*; hoc apparet ex ipsa Glossa, quae dicit, « ut non compellantur egestate necessaria petere ». Tales enim non mendicant sicut *necessitate compulsi*, sed sicut *amore perfectionis inducti*. — Postremo, quod non se extendat nisi ad eos qui non sunt circa maiora occupati, apparet ex ipso textu secundae ad Thessalonicenses tertio[4]: *Audivimus, quosdam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes; his autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, ut cum silentio operantes panem suum manducent.* De labore manuali. Distinctio.

Et quod istud sit verum, patet per Ambrosium, qui super illud Lucae nono[5]: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, dicit sic: « Docet Dominus, minora bona pro utilitate maiorum esse praetermittenda. Maius est enim animas mortuorum praedicando suscitare quam corpus mortuum in terra abscondere ». Unde et Apostoli dicebant Actuum sexto: *Non est aequum, nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis.* — Apparet etiam per Hieronymum in prologo super Iob dicentem sic: « Si fiscellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem meum et ventris opus sollicita mente pertractarem; nullus morderet, nullus reprehenderet. Nunc autem, quia iuxta sententiam Salvatoris volo *operari cibum, qui non perit*[6], et antiquam divinorum voluminum viam senibus virgultisque purgare; error mihi geminus infligitur: corrector scriptorum *falsarius* vocor et errores non auferre, sed serere ». — Hoc etiam apparet per beatum Augustinum in libro de Opere monachorum[7], ubi dicit, quod illi qui « habebant in hoc saeculo aliquid, quo facile sine opificio sustentarent vitam istam, quod conversi ad Dominum indigentibus dispertiti sunt, quod tales ad opera manualia non tenentur vel cogunturur, nec ad quaerendum victum proprium ». Et rationem postea reddit inferius, quia illi qui pauperes sustentaverunt de eleemosynis pauperum sustentari debent et possunt. Aut enim sic[8]: « Omnium Christianorum una respublica est; et ibi quisquis Christianis ubilibet necessaria erogaverit, undecumque etiam ipse quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis arripit; quia et ubicumque ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit »? — Si ergo secundum Ambrosium maiora bona propter minora non sunt praetermittenda; et secundum Hieronymum maiora sunt bona praedicationis et instructionis quam manualis operationis; et secundum Augustinum ad huiusmodi opera non astringuntur qui fuerunt divites delicati, manifeste apparet, quod intenti praedicationi et operibus misericordiae spiritualis ad huiusmodi opera non sunt astricti, sed debent et possunt de eleemosynis sustentari. Et hoc est, quod Augustinus in eodem libro[9] ante haec verba prae- Confirmatur.

---

[1] Epist. I Tim. 6, 9: Nam qui volunt... in tentationem... multa inutilia et nociva.

[2] Edd. *Egenus est qui cupit saturari. Est.*

[3] Edd. utomum mendarum omittunt.

[4] Vers. 11. seq. Vulgata post *denuntiamus* addit *et obsecramus in Domino Iesu Christo.*

[5] Vers. 60: Sine, ut morti sepeliant mortuos suos. Cfr. tamen Matth. 8, 22. — Verba, quae Ambrosio tribuuntur (vide eius Expos. in Luc. lib. VII. n. 34, ubi eadem sententia tangitur), inveniuntur in Glossa *ordinaria* in hunc loc. apud Lyranum; de qua Glossa cfr. Biela in hunc loc. — Seq. locus est Act. 6, 2.

[6] Ioan. 6, 27: Operamini non cibum, qui perit. — Inferius pro *geminus* Mauriini recte *geminus* [dens], et pro *corrector scriptorum* textus originalis *corrector ethiorum.*

[7] Cap. 21. n. 25: Si saltem habebant... dispertiti sunt, et credendo est eorum infirmitas et lenenda.

[8] Cap. 25. n. 33. Textus originalis *ubicumque etiam*, codd. et 1, 2, 3, 4 *ubique etiam* pro *undecumque etiam.*

[9] Cap. 21. n. 24: Isti autem fratres nostri tenere sibi arrogant, quantum existimo, quod eiusmodi habeant potestatem. Si enim evangelistae [cfr. Eph. 4, 11.] sunt, furor, habeant; si ministri altaris, dispensatores Sacramentorum [cfr. I. Cor. 4, 1.], bene sibi istam non arrogant, sed plane vindicant potestatem.

Digitized by Google

mittit, quod huiusmodi potestatem habent, si *evangelistae sunt, si ministri altaris, si dispensatores Sacramentorum.* Si enim corporalia opera faciendo meretur quis suum sustentamentum, multo fortius spiritualia opera impendendo, quae corporalibus operibus merito praeferuntur.

Determinatur magis.

Fateor igitur quod verum est, quod si quis adeo esset potens et spiritu et corpore [1], quod posset corporaliter operari, et nihilominus pro loco et tempore spiritualibus vacare exercitiis et ecclesiasticae utilitati, hoc agendo perfectius faceret. Sed quis ad hoc plene idoneus, cum multo labore sudandum sit, ut veritas cognoscatur, ut cognita diligatur, et cognita et dilecta aliis proponatur? Ad hoc enim necessaria est continuitas lectionis et orationis et meditationis; quibus qui vult sollicite intendere parum potest occupari circa corporalem laborem. Laudandus est igitur et suadendus labor corporalis, sic tamen, ut non impediatur fervor orationis nec fructus praedicationis nec observantia regularis.

10. Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod ad alienam mensam accedens necesse habet adulari; dicendum, quod Glossa semetipsam exponit in hoc quod dicit: « otio deditus »; in quo insinuat, quod ille qui alienam mensam frequentat et mendicat pro otiositate fovenda, promus est ad laudandum et adulandum. Et quid mirum, si ille qui diligit otium et fovet ventrem suum, in verbum prorumpit adulatorium? Sed ex hoc non damnatur pauper evangelicus, qui ad alienam mensam convenit propter evangelizandum et imitandum Christum. Nam si tales, hoc ipso quod pauperes et alienam mensam accedentes, essent *adulatores;* tunc, cum Christus Apostolos miserit ad Evangelium praedicandum et ad vivendum de sumtibus alienae mensae, potius fecisset tunc Apostolos suos *adulatores* quam veros *praedicatores.* Ipse etiam Christus fuisset adulator permaximus, qui frequenter invitabatur et comedebat in domibus Pharisaeorum [2]. — Unde si recte intelligimus, adulationis vitium potius est annexum divitibus mundanis quam pauperibus evangelicis et voluntariis. Unde Chrysostomus in homilia nonagesima [3] super Matthaeum, loquens de divitibus, dicit sic: « Adulari necesse est multos et principes et subiectos et multis indigere et turpiter servire et formidare et suspicari et timere eorum qui suspicantur oculos et timere calumniatorum ora et aliorum et avarorum concupiscentias. Sed non paupertas est aliquid tale, sed contrarium universum; regio est non furibus subiecta, sed munita, portus tranquillus et palaestra et gymnasium philosophiae. Audite, quicumque horum pauperes estis, magis autem et quicumque ditari concupiscitis: non *pauperem esse* malum est, sed *non velle pauperem esse;* et neque malum existima esse paupertatem, et non erit tibi malum ». Et paulo post: « Non enim mihi eos qui accusant paupertatem in medium afferas, sed eos qui per eam falserunt. Cum hac Elias educatus raptus est beata illa rapina; cum hac Elisaeus claruit, cum hac Ioannes, cum hac Apostoli omnes. Cum avaritia vero Achab, Iezabel, Giezi, Iudas, Nero, Caiphas condemnati sunt ».

Confirmatur.

11. Ad illud quod obiicitur de decreto Urbani, dicendum, quod triplex est defectus in allegatione illius decreti. Primus, quia decretum illud est ad episcopos, qui debent pascere mendicantes, non ad illos qui egent. Unde sicut illa lex, Deuteronomii decimo quinto [4]: *Non erit omnino indigens et mendicus inter vos*, non est data contra mendicitatem pauperum, sed contra tenacitatem divitum — quod patet per hoc quod in eodem capitulo subiungitur: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae; idcirco praecipio tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno et pauperi* — sic et haec lex datur episcopis abundantibus ad sustentationem pauperum clericorum, eorum potissime, qui non egent voluntarie, sed compulsi, ne propter indigentiam efficiantur circa divinum obsequium indevoti. — Secundus defectus est, quod decretum illud inducitur ad probandum, quod clerici non debent habere proprium, sicut apparet in fine capituli [5], ubi dicitur: « His omnibus claret, quod clericis nullo modo licet proprium habere; quod si habuerint, non clerici erunt ». Unde per illud decretum non praecluditur via pauperibus, qui nihil voluit habere proprium, sed potius aperitur. — Tertius defectus est: quia, sicut habere proprietatem in communi comprobatum et approbatum est auctoritate summi Pontificis, scilicet Urbani, sicut apparet hic; sic modus vivendi in altissima paupertate auctoritate summi Pontificis approbatus est, sicut patet de Excessibus praelatorum: *Nimis prava* [6] etc. Unde decretum Urbani Papae praeiudicare non potuit auctoritati Innocentii, Honorii et Gregorii, qui istum modum approbaverunt tam in iure communi quam in privatis privilegiis, quia « non habet imperium par in parem [7] »; et constitutio prior non praeiudicat posteriori, nec ius commune privato, nec lex communis privilegio, sed po-

Defectus 1.

Defectus 2.

Defectus 3.

---

[1] Ita DE, in aliis *carne.* Inferius pro *sudandum* edd. *sudotum.* — L. tres rationes pro solutione tamen alio modo affert.

[2] Cfr. supra fundam. 13.

[3] Alias 91. n. 3. Ante *avarorum* versio Graecae homiliae omittit *et.* — Seq. locus est ibid. n. 4.

[4] Vers. 4. — Seq. locus est ibid. v. 11, ubi Vulgata verbo *praecipio* praemittit *ego* et omittit *tuum.* — Aliquanto inferius pro *obsequium* I *officium*, M *officium vel obsequium.*

[5] Post can. *Habebat Dominus* (17.), C. 12. q. 1, Gratianus haec addit: His omnibus auctoritatibus claret... licet habere quid proprium, quod si etc.

[6] Cap. 17. X. libr. V. tit. 31.

[7] Ut dicit Innocent. III. in C. *Innotuit nobis* (20.), X. de Electione et electi potest. (lib. I. tit. 6.), et occurrit in Glossa super legem *Ille* (13.), ;; Temporativum, D. Ad senatus consultum Trebell. (lib. 36. tit. 1.). — De gradibus parentelae cfr. IV. Sent. d. 10. q. 3.

Observatio notanda.

tius e converso. — Nec ex hoc potest argui instabilitas seu contradictio inter rectores Ecclesiae, quia statuta mutari possunt et debent pro loco et tempore; sicut patet in statuto de gradibus parentelae et aliis plurimis, quae iniste a principio statuta fuerunt, et nihilominus alia non minus iniste introducta[1] sunt.

12. Ad illud quod obicitur de consecratione ecclesiae, dicendum, quod et in illius decreti allegatione triplex est defectus: primo, quia statutum illud de consecratione ecclesiae non dotatae factum est in alleviationem episcoporum; secundo, in dilatationem divini cultus; et tertio, in solatium clericorum ministrantium, qui nolunt se astringere voluntarie ad paupertatis votum. Horum autem contrarium in proposito invenitur. Nam minus gravantur et episcopi et Ecclesia de religiosis viventibus de eleemosynis, quam si eis provideretur[2] in beneficiis et praebendis; secundo, quia cultus Dei non augmentaretur, sed potius diminueretur, si hic modus vivendi de medio tolleretur; tertio, quia tales pauperes voluntarii libentius Deo serviunt mendicando, quam etiam Deo servirent pro magno beneficio, et magis sunt contenti parvulis eleemosynis, quam essent magnis beneficiis et praebendis.

Defectus triplex.

13. Ad illud quod obicitur de lege de mendicantibus validis, dicendum, quod similiter triplex defectus est in illius legis allegatione: primus, quia lex ita introducta fuit contra quosdam, qui tempore famis pauperum eleemosynas usurpabant, simulantes mentem; secundus, quia illi tales otiosi erant et nullam utilitatem reipublicae afferebant; tertius, quia tales, qui laborare poterant et tunc circa nihil[3] occupati erant et abundare volebant, proni erant ad maleficia et rapinas. Et ideo iusto iudicio rector reipublicae tales a mendicatione arcebat et poena gravissima punebat. Secus autem est omnino in pauperculis religiosis, in quibus nec simulatio inertiae nec amor otii nec periculum rapinae, ac per hoc nec damnum Ecclesiae, sed potius amor virtutis perfectae reperitur; ideo non arcentur lege humana, sed potius praedicantur et commendantur lege divina.

Defectus triplex.

14. Ad illud quod obicitur, quod mendicare est indifferens; dicendum, quod mendicare, quantum est de se, non est perfectionis, nisi praesupposita universali abrenuntiatione omnium; quae quidem est secundum divinum consilium, in quo Dominus expressit adolescenti, quod si illud consilium impleret, hoc ipso ad perfectionis culmen perveniret. Ait enim[4]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia*; nec addidit: tradas mihi, ut in loculos meos ponam, et sint omnia communia; sed potius: *da pauperibus*; nec subiunxit: vade ad lucrandum victum tuum per laborem manuum; sed potius: *veni sequere me*. In quo, secundum quod Glossa exponit, intelligitur vocatio ad contemplandum seu ad Christum imitandum et evangelizandum.

15. Ad illud quod obicitur, quod perfectionis est liberaliter servire et obligationes refugere; dicendum, quod est obligatio veniens ex *reatu culpae* et ex *affectu caritatis perfectae*. Prima obligatio est vitanda, sed secunda est acceptanda, iuxta quod dicitur ad Romanos decimo tertio[5]: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*. Laudat enim Dominus amicitiam spiritualium virorum, quae fit *de mammona iniquitatis*; et ad corporis Christi mystici perfectionem spectat, quod membra sibi invicem communicent *secundum rationem dati et accepti*, ut mutua indigentia vicissim possit suppleri.

Duplex obligatio. Notandum.

16. Ad illud quod obicitur, quod qui mendicant ex professione aut hoc faciunt, quia pauperes, aut quia praedicantes; dicendum, quod hoc faciunt, quia pauperes Christi *imitatores* et *evangelizatores*. Quia enim Christum *imitantur* per observantiam disciplinae regularis, in qua vacant divinis laudibus, orationibus, vigiliis et aliis regularibus disciplinis; et Deum colunt et hostem impugnant et ea quae sunt infirma et immunita in castris Ecclesiae protegunt et defensant. — Rursus, quia *verbum veritatis annuntiant*; similiter Deum laudant et hostem impugnant et audientes aedificant et informant. Et ideo, cum haec opera eorum sint Ecclesiae valde utilia et pernecessaria, nulli dubium est, quin mereantur sustentationem suam; et ideo non illicite faciunt, si hanc humiliter et supplicter petunt. Sicut enim oculus videndo operationem facit manui pernecessariam, ita quod manus oculo non potest improperare nec dicere: *opera tua non indigeo*[6]; quin immo utilis est toti corpori eius operatio, et sic meretur sustentari, sicut manus et pes et membra alia, quae sunt exposita labori: sic et de istis membris Ecclesiae non absurde debet et potest intelligi, si quis pro oculo velit istorum oculorum operam et vigilantiam intueri.

Duplex ratio. Prima. Secunda. Simile.

17. Ad illud quod obicitur, quod tales sunt Giezi imitatores, qui spiritualia pro temporalibus ministrant; ad hoc satis sufficienter respondet Glossa

---

[1] I *approbata*.

[2] K M *provideret*.

[3] Pro *circa nihil*, quod praebet K, alii codd. vel cum I, 2, 3, 4 *nihil*, vel cum Vat. *ac nihil*. Superius pro *simulantes* K *simulando*, et pro *otiosi* ex B E substituimus *otiosi*.

[4] Matth. 19, 21; cfr. supra pag. 125, nota 1, in qua etiam de Glossa, quae inferius allegatur. Hieron. in hunc locum ait: Et hoc ad perfectionem non sufficit, nisi post contemptas divitias Salvatorem sequatur (Glossa *interlinearis* addit *id est imitetur*), id est, relictis malis faciat bona... Sequitur autem Dominum qui imitator eius est et per vestigia illius gradiitur. — Pro *culmen* edd. *cumulum*.

[5] Vers. 8. — Interius respicitur Luc. 16, 9. et Phili. 4, 15: In ratione dati et accepti. — Superius pro *veniens* M *proveniens*. Finem solut. exhibent edd. sic: *ut mutua diligentia vicissim possit impleri*.

[6] Epist. I. Cor. 12, 21: Non potest autem oculus dicere manui: opera tua non indigeo.

Digitized by Google

super illud primae ad Corinthios nono[1]: *Dispensatio mihi credita est*: «Non debemus ideo evangelizare, ut manducemus, sed ideo manducare, ut evangelizemus, ut cibus non sit bonum, quod appetitur, sed necessarium, quod adiicitur; ut illud impleatur: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis*». Unde si finem constitueret quis in re temporali praedicanda verbum Dei, absque dubio hic perversus esset, quia de via faceret finem, et esset similis Giezi et Balaam, qui mercedem iniquitatis amavit, et aliis pseudoprophetis, qui *in mercede docebant et in numeribus divinabant*[2]. Si autem sustentationem quaerunt sicut viam ordinatam ad Evangelium praedicandum; tunc recte incedunt et Apostolis imitantur nec a veritatis tramite in quoquam recedunt. Unde super illud Lucae decimo[3]: *Edentes et bibentes quae apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua;* Glossa: «Nota, quod mai operi praedicatorum duae mercedes debentur: una in via, quae nos in labore sustentat, alia in patria, quae nos in resurrectione remunerat».

Intentio prima.

18. Ad illud quod obiicitur, quod perfectorum est abstinere a specie mala; dicendum, quod illa species est mala, dum[4] bonum rationabiliter potest suspicari malum, circumstantiis omnibus pensatis, quae occurrunt; sed si quis recte attendat huiusmodi, sic praedicantes non habent speciem pseudopraedicatorum. Nam *pseudopraedicatores* dicuntur per oppositum ad *veros praedicatores*. *Veri* autem *praedicatores* dicuntur quorum praedicatio habet *auctoritatem*, *veritatem* et *utilitatem*; *falsi* ergo *praedicatores* sunt qui habent horum contraria, vel simpliciter, vel in parte. — Sed si recte velimus attendere modernorum ordinum[5] praedicatores, haec tria habent in se: *auctoritatem* quidem, quia missi sunt a summo Pontifice et aliis praelatis, qui sunt domini messis; *veritatem*, sicut patet, quia fidem et mores praedicaverunt secundum legem Evangelii; *utilitatem*, quia multos de statu culpae vocaverunt ad statum gratiae vel poenitentiae: et ideo speciem habent et similitudinem maiorem incomparabiliter, si quis pio attendat oculo, ad praedicatores veros quam ad pseudo; licet in tanto numero vix possit esse, quin aliqui cum luda diligant loculos[6] et exorbitent ab itinere recto. Si enim Dominus hoc non concessit duodecim Apostolis, quos personaliter elegit, quod universaliter essent boni; quid mirum, si hoc non concedit congregationibus aliis? Nec tamen propter hoc sunt boni damnandi cum malis, sicut nec mali iusti sunt, licet sint permixti cum bonis.

Quid species mala.

Tria requisita in praedicatoribus.

Applicatur ad 2 ordines.

Notandum.

19. Ad illud quod obiicitur, quod aut habent auctoritatem, aut non habent; dicendum, quod habere auctoritatem, hoc est dupliciter: aut ex *prima institutione*, aut ex *commissione* seu demandatione; vel per alia verba: aut ex *iniuncto officio*, aut ex *concesso privilegio*. Prima est auctoritas *principalis* et potestativa et spectat ad Apostolos et ad septuaginta et eorum successores, qui sunt episcopi et alii curati, sicut Glossa dicit Lucae decimo[7]. Secunda est auctoritas *minus principalis* et potest *subauctoritas* non absurde dici et competit his qui ab Apostolis mittuntur tanquam discipuli, sicut Paulus suos discipulos mittebat ad loca diversa; et potissime et competit, qui est loco Petri, principis Apostolorum, immo loco Christi, qui est Dominus universalis messis, propter quod et habere dicitur plenitudinem potestatis[8]. Sicut ergo primus habentibus auctoritatem *principalem* competit simplus accipere *potestative*, sicut dicit Glossa secundae ad Timotheum secundo[9]: *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere;* ibi Glossa: «Necessaria sibi sumere ab his, in quibus Deo militat et quos tanquam cultor vineae exercet, vel tanquam gregem pascit, non est mendicitas, sed potestas»: sic illis quibus competit auctoritas *subprincipalis*, competit *accipere supplicative*. Quod disposuit Spiritus sanctus ad Ecclesiae utilitatem, ut non tantum aedificent verbo praedicationis, verum etiam verbo pariter et humilitatis exemplo. Qui ergo didicit a Christo *mitis esse et humilis corde*, miror, si hanc humilitatem et humiliationem audet tanquam reprobam condemnare.

Dupliex auctoritas.

De primo.

De secunda.

De summo Pontifice.

20. Ad illud quod obiicitur, quod tutius et perfectius est sequi viros probatiores et sapientiores; dicendum, quod secundum dispositionem divinae sapientiae Deus universa disponit et ordinat temporibus suis. Unde sicut in primo tempore Ecclesiae introduxit viros potentes et miraculis et signis, sicut fue-

Triplex Dispositio.

---

[1] Vers. 17. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, est secundum August., II. de Sermone Domini in monte, c. 16. n. 51. seqq. Allegatur in ipsa Matth. 6, 33: Quaerite ergo primum regnum Dei etc.

[2] Mich. 3, 11: Sacerdotes eius in mercede docebant, et prophetae eius in pecunia divinabant. — De Giezi et Balaam cfr. IV. Reg. 5, 20. seqq. et Num. 22, 7. seqq. — Pro *amavit* M *amaverunt*.

[3] Vers. 7. — Glossa, quae est ex Beda (in hunc loc.), exhibetur a Strabo et Lyrano ut *ordinaria*.

[4] K *de quo*. Mox pro *occurrunt* I *occurrerent*.

[5] Scilicet ordinis Praedicatorum et Minorum. — Inferius respicitur Luc. 10, 2: Rogate ergo dominum messis etc. — Vat. *moderuum ordinum*. I legit *moderni praedicatores*. Paulo ante pro *vel simpliciter* I *vel in toto*. Inferius pro *praedicaverunt* I M *praedicant*.

[6] Cfr. Ioan. 12, 6. et 13, 29.

[7] Vers. 4. — Glossa (ex Beda in hunc loc.) *ordinaria* apud Strabum et Lyranum: Sicut in Apostolis est forma episcoporum, sic in septuaginta duobus forma est presbyterorum.

[8] Vide tom. IV. pag. 535, nota 2. verba Bernardi, et infra q. I. a. 3.

[9] Vers. 6. — Glossam, quae est secundum August., de Opere monachor. c. 15. n. 16, exhibet Petr. Lombard. in hunc loc. — Inferius respicitur Matth. 11, 29: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. — Circa finem solut., posito *efficeretur* pro *aedificent*, edd. post *verum etiam verbo* prosequuntur: *humilitatis. Quomodo ergo* etc.

Digitized by Google

runt Apostoli et eorum discipuli; et medio tempore viros intelligentes in Scripturis et rationibus vivis[1]: sic ultimo tempore introduxit viros voluntarie mendicantes et pauperes rebus mundanis. Et hoc quidem recte congruebat, ut per primos destrueretur idolatria et idolorum portenta, per secundos haeresis, per tertios avaritia, quae in fine saeculi maxime regnat. — Determinatur. Nihilominus tamen, quia paupertas fundamentum est evangelicae perfectionis, et ipsa est quasi complementum eiusdem; ideo viguit in Ecclesiae primordio, et congruum est, ut vigeat circa Ecclesiae statum finalem. Unde, sicut Hieronymus dissolvit quaestionem illam de esu carnium, distinctione trigesima quinta, *Ab exordio*[2], dicens, quod in primo tempore ante diluvium non erat in consuetudine esus carnium, et postea post diluvium communiter fuit omnibus concessus, et post in adventu Christi laudabilis fuit abstinentia ab esu carnium — unde dicit ibidem, quod «omega revolvit ad alpha», id est, finalis status concordavit cum primo — sic satis conveniender intelligi potest et in proposito. Sicut tamen Hieronymus non intelligit de abstinentia ab esu carnium quantum ad omnes, sed quantum ad monachos solum; sic nec de paupertate intelligendum puto nisi quantum ad pauperes *voluntarios*, qui voluntarie renuntiaverunt mundo. — Nolo tamen, quod aliquis ex hoc arguat, quasi ego dicam, quod iam *instet dies Domini*[3], nec quod proprias *fimbrias magnificem et dilatem*, volens coram hominibus iustificari; nec quod praeferam modernos Sanctis antiquis, quia in magno et alto statu inveniri possunt multi infirmi et imperfecti; nec iste spiritus paupertatis defuit temporibus retroactis. Iuxta quod dicit Gregorius tertio Dialogorum[4] de quodam sanctissimo viro, Isaac nomine, qui fuit amator praecipuus paupertatis. Unde et de eo dicit: «Cum ei crebro discipuli innotescerent, ut pro usu monasterii possessiones, quae offerebantur, acciperet; ille sollicitus suae paupertatis custos fortem sententiam tenebat dicens: monachus, qui in terra possessionem quaerit, monachus non est. Sic quique metuebat paupertatis suae securitatem perdere, sicut avari solent perituras divitias custodire. Ibi itaque prophetiae spiritu et magnis miraculis cunctis longe lateque laudi-tantibus vita eius claruit». Ex quo apparet, quod doctrina ipsius contemnenda non fuit.

De esu carnium. Notandum. Cautio auctoris. Exemplum.

Hoc etiam supra ostensum fuit multiplicibus exemplis et adhuc multo pluribus posset ostendi. Et si nulla exempla essent, satis per se ipsum laudabilis est status excellentissimae paupertatis, non solum secundum Scripturam sacram, verum etiam secundum documenta Sanctorum, quae paupertatis statum voluntarium commendant tanquam praecipuum et perfectum. Sicut ergo absurdum est valde reprobare statum coniugatorum divitum, absurdius, statum clericorum et religiosorum possessiones habentium; sic et absurdissimum videtur, si quis inveniatur, qui reprobare velit statum pauperum in paupertate altissima et mendicatione humillima Christo Domino famulantium iuxta consilium per os Iesu Christi propositum et irreprehensibiliter promulgatum. Horum causam defendit Hieronymus in epistola, quam scripsit adversus Vigilantium[5]: «Ad me relatum est, inquit, quod contra auctoritatem Apostoli Pauli, immo Petri, Ioannis et Iacobi, qui *dexteras dederunt Paulo et Barnabae communicationis*, et praeceperant eis, *ut pauperum memores* essent, tu prohibeas, Ierosolymam in usus Sanctorum aliqua suntuum solatia dirigi. Videlicet, si ad haec respondero, statim latrabis, meam me causam agere, qui tanta cunctos largitate donasti, ut, nisi venisses Ierosolymam et tuas vel patronorum tuorum pecunias expendisses vel effudisses, omnes perichitaremur fame. Ego hoc loquor, quod beatus Paulus pene in cunctis epistolis suis loquitur et praecipit, in ecclesiis gentium *per unam sabbati*, hoc est die dominico, omnes conferre debere quae Ierosolymam in Sanctorum solatia dirigantur. Numquid in alia parte terrarum et in his ecclesiis, quas nascentes fide sua erudiebat, quae ab aliis acceperat dividere non poterat? Sed sanctis pauperibus dare cupiebat, qui suas pro Christo facultatibus relinquentes, ad Domini servitutem tota mente conversi sunt. Longum est enim nunc, si de ceteris epistolis eius omnia testimonia revolvere voluero, in quibus hoc agit et tota mente festinat, ut Ierosolymam et ad sancta loca credentibus pecuniae dirigantur, non in avaritiam, sed in refrigerium, non

Epilogus et confirmatio.

---

[1] I *mira*, ed. Alex. Hal. *sunis abundantes*. Nulla lectio placet.

[2] Can. 2, sumitur ex Hieron., l. adversus Iovinian. n. 18. — Inferius edd. cum M omittunt *ab esu*.

[3] Epist. II. Thess. 2, 2. — Immediate post respicitur Matth. 23, 5, de quo vide supra pag. 140, nota 5; subinde Lor. 16, 15: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus.

[4] Cap. 14. In fine pro *claruit* textus originalis *inclarnit*.

[5] Libr. contra Vigilant. n. 13. Allegatur Gal. 2, 9. seq. et I. Cor. 16, 2. In fine respicitur Ps. 1, 2: In lege eius meditabitur die ac nocte (cfr. Iosue 1, 8.); Num. 18, 20: Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis nec habebitis partem inter eos, ego pars et hereditas tua etc. (cfr. Deut. 18, 1. seq.); II. Cor. 8, 13. seq.: Non enim, ut alis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex aequalitate. In praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam supplet etc. — Textus originalis ante *ecclesiis gentium* omittit *in*, et post *solatia dirigantur* plura addit. — D paulo superius post *mendicitione*, omissis subnexis, solutionem obiectionis concludit. — L in fine suae solut. haec bene observanda addit: Hanc quaestionem determinavit ita magister Bonaventura de Ordine Fratrum Minorum, secundum quod a quodam clerico potuit reportari. Deo gratias et Amen. — Porro in eodem codice L ad latus *fundamentorum*, *responsionis* et *solutionis* obiectorum scriptae sunt animadversiones contra doctrinam S. Bonaventurae satis acriter exhibitae, et *praecise eaedem*, quas S. Doctor in sequenti *replicatione* recenset et magna vi rationum et eloquentiae rebellit. Animadversiones istae certo sunt vel Guilelmi a Sancto Amore, vel sectatorum eiusdem. De ipsis diffuse agitur in nostris Prolegomenis ad hanc quaestionem.

Digitized by Google

ad divitias congregandas, sed ad imbecillitatem corpusculi sustentandam et frigus atque inediam declinandam; hac in Iudaea usque hodie perseverante consuetudine, non solum apud nos, sed etiam apud Hebraeos, ut illi, qui in *lege Domini meditantur die ac nocte* et partem non habent in terra nisi solum Deum, synagogarum et totius orbis foveantur ministeriis, ex aequalitate dumtaxat, *non ut aliis sit* refrigerium *et aliis tribulatio*, sed ut aliorum *abundantia* aliorum *sustentet inopiam* ». Iis visis, satis plana est responsio ad praedicta.

REPLICATIO ADVERSUS OBJECTIONES POSTEA FACTAS.

Iis autem [1], quae praedicta sunt, conatus est aliquis multipliciter adversari, quaedam ex eis refellere volens tanquam *impertinentia*, quaedam ut *falsa*, quaedam ut *inconsequentia*, quaedam ut *dubia*, plurima autem ex eis tanquam *doctrinae apostolicae inimica*. Hoc autem facit respondendo cuidam quaestioni minus sufficienter post collectae in scholis, salva gratia colligendis, sicut melius potest apparere in praenominata quaestione.

Adversari quinque conatur.

Notandum.

I. Primum igitur *impertinentia* reputat quaecumque induximus de discipulis Christi ad praedicandum missis, quia illis data erat *auctoritas* necessaria accipiendi non ex *mendicitate*, sed ex *potestate*. Qui autem praedicant absque auctoritate pseudoprophetae sunt, et ideo neutro modo, nec ex *auctoritate* nec ex *mendicitate*, petere debent. — Et *si dicatur*, quod tales a Papa et ab episcopis missi sunt; dicit, quod ab episcopis sunt pascendi, secundum quod dicitur Extra de Officio iudicis ordinarii, *Inter cetera* [2].

Censura prima.

Asserit, formam apostolicam fuisse ad tempus.

Fuit igitur data forma praedicantibus ex officio et auctoritate, sed *ad tempus*, ut impedimenta amoverentur. Et ideo auctoritates tam textus quam Glossarum in hoc casu impertinentes videntur ad propositum, secundum eum qui quaestioni praedictae videtur adversari.

Huius autem obviationis apparentiam sophisticam facile est detegere, si quis intelligat radicem potestatis, quae est in Apostolis et praelatis et nuntiis destinatis ab Apostolis. Certum est enim, quod haec radicaliter fuit in Christo, secundum quod dicit Apostolus ad Galatas primo [3], quod erat *Apostolus per Iesum Christum*; et Ioannis vigesimo: *Sicut misit me Pater* etc. Dedit autem Christus Apostolis eos mittendo duplicem potestatem, scilicet *praedicandi* et *exigendi sustentationem* suam. Et has potestates constat esse distinctas; quia, cum episcopus possit *semel* in anno procurationes suas in uno loco exigere, potest tamen, cum voluerit, praedicare: igitur summus Pontifex, qui Christi locum tenet in terris, potest utramque simul dare, potest et unam ab alia separare. Quoniam ergo summus Pontifex et praelati non possunt omnia, quae ad eos spectant, exercere personaliter per se ipsos propter diffusos populos sibi subiectos; ordinavit Spiritus sanctus in regimine Ecclesiae, ut ipse mitteret aliquando legatos, qui utramque haberent potestatem. Et *rursus*, ne particulares Ecclesiae gravarentur, ordinavit, ut episcopi mitterent personas idoneas ad praedicandum et confessiones audiendum, quibus etiam ipsi providerent, Extra de Officio iudicis ordinarii, *Inter cetera* [4]. Ordinavit etiam, ut ipse cum praelatis mitteret pauperes voluntarios et peritos, quibus nec episcopi essent astricti ad exhibendum, ne gravarentur multitudine sumptuum, nec potestatem haberent ad exactionem procurationum, propter tollendum gravamen subditorum; et ita qui humiliter incederent tanquam pauperes et contenti modicis et sola necessaria suscipiendo et necessitatem suam, cum opus esset, humiliter insinuantes his qui voluntarie et sine gravamine et cum hilaritate supportare et relevare et possent et vellent. Unde sicut decretalis de Officio iudicis ordinarii a Sede apostolica emanavit, sic et confirmatio ordinis et regulae huiusmodi pauperum praedicantium veritatem, Extra de Excessibus praelatorum, *Nimis prava*, ut habitum est supra [5]. — Nec hoc factum est in praeiudicium, sed potius in adiutorium parochialium sacerdotum; nec ex hoc Ecclesia prostituitur, si curatis Deus providet adiutorium, ut animas sibi commissas, quarum habent curam, ab omni corruptione peccati perfectius custodiant incorruptas, adminiculantibus sibi viris spiritualibus, non ut dominis, vel curam habentibus, sed potius velut servis per caritatem Christi.

Notandum.

Responsio.

Redit potestatis ecclesiasticae.

Duplex potestas.

Triplex modus ordinationis.

Notandum.

Tales igitur, quia missi praedicant in humilitate et paupertate, similes sunt viris apostolicis, non pseudoprophetis. Quia vero non habent illam plenitudinem auctoritatis, quam habent praelati, et habuerunt Apostoli; ideo inter *opitulationes* numerandi sunt, primae ad Corinthios duodecimo [6]: *Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas tertio doctores, deinde virtutes, exinde opitulationes* etc.; Glossa: « *Opitulationes*, id est, eos qui ma-

De ordinibus Praelat. et Min.

Notandum.

---

[1] Quae sequuntur exhibent solum D I M et edd., E K ipsa omittunt. Vide dicta in fine notae praecedentis. — Aliquanto inferius vocibus *post collectae* M interserit *me*.

[2] Cap. 15. X. lib. I. tit. 31: Quibus [praedicatoribus, visitatoribus, confessariis ab episcopis constitutis] ipsi, cum indiguerint, congrue necessaria subministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. — Superius ex M substituimus *pseudoprophetae* pro *pseudo*.

[3] Vers. 1: Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum etc. — Seq. locus est Ioan. 20, 21. — Superius pro *apparentiam sophisticam* I *falsitatem*.

[4] Vide notam penultimam.

[5] In solut. ad 11. — Inferius, post *Christi* M addito *electis*, prosequitur *Et quia missi* etc.

[6] Vers. 28: Et quosdam quidem posuit... deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes etc. — Glossam exhibet Petr. Lombard. (in hunc loc.), quae est apud Lyranum *interlinearis*.

Digitized by Google

ioribus ferunt opes, ut Titus Apostolo, et archidiacon episcopus». Inter eos etiam numerari possunt quos Pastor Ecclesiae Dei statuit opem alis ferre. Et ideo ego dixi iuxta morem sermonis theologici — qui dicit, *subauctoritatem* esse in eo qui mittitur — quod subauctoritatem habent, non *ad excusandas excusationes in peccatis*[1], ut mihi imponitur, sed potius ad intelligentiam veritatis. Forma igitur praescripta Apostolis debet et potest competere istis.

Quid subauctoritas.

Quod enim dicitur, quod fuit *temporalis;* cum ex Scripturis auctoritatem non habent, eadem facilitate contemnitur, qua prolatur. — *Rursus*, si conveniens fuit forma in Ecclesia primitiva, quare non similiter in finali, potissime quantum ad eos qui Apostolos in hac forma imitari volunt? Non enim dico, quod universalis Ecclesia in omnibus ad paupertatem reducenda sit — sicut ab eis mihi imponitur — sicut ex verbis meis superius[2] apparet; sed qui volunt possunt Apostolorum imitari perfectionem et paupertatis altitudinem. — Unde exemplo Apostolorum ex verbis Evangelii in Ecclesia recitatus incitatus fuit beatus Franciscus ad aggrediendum huiusmodi modum vivendi, sicut ex legenda sua[3] clarius elucescit. — Quia igitur super illa verba ordo huiusmodi fundatus est, non sunt illa *impertinentia*, sed per omnem modum pertinentia tanquam huiusmodi vivendi stabilissima fundamenta. Sunt igitur tales suscipiendi, quia proficiscuntur ut pauperes pro nomine Christi, sicut in Canonica habemus[4] dicitur, quod qui tales recipiunt sunt *cooperatores veritatis*. Igitur qui talibus adversantur et eos non recipiunt, vel non suscipiendos dicunt, similes sunt Diotrephi, de quo dicit Glossa, quod haeresiarcha etiam fuit illius temporis; cuius doctrina et secta procul sit ab omnibus Christianis.

Forma apostolica non fuit tempor.

Origo ordinis Minorum.

Concludit.

Consra secunda. Obi. 1.

II. Refellere conatur aliqua sicut *falsa*. — Nam falsum esse asserit, quod Christus aliquid petierit ut mendicus. Nam etsi *mendicus* dicatur in Psalmis, hoc dicitur, in quantum petiit a Patre, vel in quantum assumsit nostras infirmitates. — Si dicatur a Samaritana petisse aquam et a Zacheo hospitium[5], hoc non fuit ex *mendicitate*, sed ex *auctoritate*, vel *urbanitate*. — Et *rursus*, si etiam mendicasset, ad *consequentiam trahendum* non esset. — Falsum esse nihilominus dicit, quod aliqua mendicatio sit *voluntaria*, immo omnis debet esse invita et coacta.

Obi. 2.

Hanc autem obviationem, quae falsitatem veritati inpingit, facile est de falsitate convincere, si quis veritatem pie velit audire. — Nam quod Christus *fuerit mendicus*, et textus propheticus et Glossae testantur; et quod *petierit ut mendicus*, sicut allegatum fuit in opponendo[6] in duabus Glossis; et similiter in Psalmo illo: *Deus in adiutorium meum intende*, super illud: *Ego vero egenus et pauper sum;* dicit Glossa: «Assumit iste sibi verba Dei, qui in praecedenti Psalmo haec eadem de se dixit, quasi diceret: Illi *qui quaerunt animam meam* sunt divites; sed ego sum *egenus*, id est potens, et *pauper*, id est insufficiens mihi: quia et mundanas opes non habet, et totus, ubi est dives, semper ambit, desiderat et accipit». Secundum hanc constat, quod Christus *fuit egenus et pauper* et *potens ut egenus*, non a Patre tantum; tunc enim omnes hoc modo essent mendici, et nulli divites, etiam habentes opes; quod est contra Glossam. *Praeterea*, Christus adhuc petit a Patre[7], Angeli petunt et sancti comprehensores; sed tamen non dicuntur *mendici*.

Responsio. Ad obi. 1.

Ex quo igitur testimonio tam expresso textus hoc dicit, et Glossa consentit, et nulla auctoritas contradicit; quare non fatebimur, quod Christus ut mendicus petierit? Fatemur enim, eum fuisse virginem et uxore carnisse, licet Scriptura de hoc non faciat mentionem. — *Evangelium* etiam exprimit, quod petiit et potum et hospitium; et constat, quod non ex imperio et dominio et *auctoritate*, qua tunc exemplum paupertatis non dedisset. — Falsum etiam dixisset, quod non haberet, ubi caput suum reclinaret[8], cum haberet subditos, a quibus posset procurationes exigere; et unius iuste egisset in hoc, quod praedicabat in Ierusalem et pascebatur in Bethania, alibi faciens fructus et praedicans, et alibi accipiens emolumentum.

Concludit.

Non ex auctoritate.

Sed dices, quod petiit ex *urbanitate*. Sed numquid Christus accepit paupertatem ad docendum urbanitatem? Numquid propter curiositates humanas docendas fieri volunt egenus et pauper? Numquid se

Nec ex urbanitate.

---

[1] Psalm. 140, 4. — De subauctoritate cfr. I. Sent. d. 15. p. I. q. 3. ad 5. et q. I. in corp. et ad 3.

[2] In solut. ad 20. — D addit *positus*. Superius ante *mihi imponitur* substituimus *ab eis* pro *rabies*, quod corrupte habent codd. et edd., excepto I, qui verbum illud omittit; M et S *sicut rabies mihi imponit*. Inferius pro *et paupertatis altitudinem* I *in altitudine paupertatis*.

[3] Cfr. Vita prima S. Francisci Assis., auctore B. Thoma de Celano, eius discipulo, c. 9, et Legenda trium sociorum, c. 8. Verba illa sunt Matth. 10, 9; Luc. 9, 3.

[4] Epist. III. v. 8. seq.: Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, ut cooperatores simus veritatis... sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos. — Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum: Diotrephes non curat nostram auctoritatem. Diotrephes, haeresiarcha illius temporis, novo docendo principatum sibi usurpabat (secundum Bedam, in hunc loc.).

[5] Cfr. supra fundam. 9-13. — Inferius respicitur Regula iuris in VI. regul. 28: Quae a iure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. — Eadem locutione utitur adversarius in praedicto codice I. circa finem responsionis, negans ipsam conclusionem principalem.

[6] Scilicet in fundam. 9. seq. — Seq. locus est Ps. 69, 6. Glossa, quae est secundum Cassiodor. (in hunc loc.), apud Strabum et Lyranum est *ordinaria*. Allegatur in ipsa v. 3. eiusdem Psalmi.

[7] Cfr. Rom. 8, 34; Hebr. 7, 25, et I. Ioan. 2, 1. — Inferius substituimus *textus hoc* pro *textus hic*.

[8] Matth. 8, 20. et Luc. 9, 58: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. — Mox pro *cum haberet* I *si haberet*.

Digitized by Google

magistrum vocat curialitatis et non magis humilitatis? *Discite a me*, inquit Matthaei undecimo [1], *quia mitis sum et humilis corde*. Petiit igitur ex *humilitate* quod opportunum erat ad relevandam suam indigentiam, ac per hoc ut mendicus pauper.

Ad obj. 2. Mendicitas voluntaria.

Et constat, quod hanc indigentiam non habuit, nisi quia voluit; nec petiit, nisi quia voluit: quia lapides in aurum, cum voluit, convertere potuit; sicut discipulus eius fecit Ioannes evangelista [2] illis mendicare et egere nolentibus et evangelizantibus, qui conversi fuerant retro, qui postmodum mendicitatem et paupertatem gemmis pretiosis praetulerunt. — Ac per hoc constat, quod Christi et eius sequacium est *voluntarie* mendicare; alioquin minime mererentur in hac mendicatione et paupertate. Nam absurdum est dicere, quod paupertas et egestas sint voluntariae, et mendicatio ex ipsa procedens sit coacta.

Concluditur, Christi mendicationem imitandam esse.

Si igitur mendicatio in Christo fuit ex paupertate et humilitate et voluntaria; quare non est *trahenda ad consequentiam?* cum ipse dicat: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* cum etiam ceteros volentes ad summum apicem perfectionis venire invitet ad sequendum se per huiusmodi paupertatem: *Vade*, inquit [3], *et vende* etc.; et Apostolus dicat secundae ad Corinthios octavo: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi*, et post: *Consilium do*, Glossa: « ut eius paupertatem imitemini »; cum etiam ista sit perfectio, quae omnibus communiter proponitur et dicitur [4]: *Qui potest capere capiat;* cum Augustinus super Ioannem dicat homilia decima quinta: « In omnibus, quae Christus gessit ut homo, hominibus in se credituris praebebat exemplum »; cum Hieronymus dicat, quod etiam si in miraculis non sit a nobis imitandus, in his quae humiliter gessit imitandus est a nobis; cum etiam ipse fuerit universalis forma virtutum in actibus suis. Unde Augustinus de Vera Religione [5]: « Nullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea quae ille contempsit, aut fugiuntur quae ille sustinuit. Tota itaque vita eius in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit ». — Quis igitur audeat dicere, quod non sit *trahenda ad consequentiam*, nisi qui audet dicere, quod Christo non delectat imitatio in his quae humiliter gessit? Hoc

Notandum

autem si dicimus, quidquid sanctitatis, virtutis et perfectionis est et religio christiana confunditur et subvertitur [6], et etiam enervatur, quia, qua ratione de hoc dicitur, eadem ratione et de aliis exemplis virtutum dici poterit. Absit autem hoc ab omnibus cordibus christianis.

Causa tertia. Obj. 1.

III. Refellere nititur nihilominus aliqua sicut inconsequentia. — Dicit enim, quod non sequitur, quod quamvis *egestas* sit conveniens perfectioni Sanctorum, quod propter hoc et *mendicitas*, quae egestatem aliquando concomitatur; quod similiter posset argui de manducatione filiorum et de furtis et rapinis, quae ex egestate et paupertate pluries subsequuntur. — Inconsequens etiam dicit, quod licet beatus Benedictus fuerit perfectus, quod propter hoc, accipiendo ab illo Romano eleemosynas quotidianas [7], opus egerit ad perfectionem spectans, quia perfectus multa facit, quae ad perfectionem non spectant, sicut comedere, egerere et cetera consimilia. — Inconsequens etiam dicit, quod licet se ipsum *vilificare* et *humiliare* pro Christo sit bonum, quod propter hoc *humiliare se mendicando* sit bonum, quia *mendicare* non est *se ipsum humiliare*, sed sui curam agere. Et *iterum* meretrix se ipsam vilificat prostituendo, nec tamen in hoc placet Domino; pari modo nec vilificatio, qua quis se vilificat mendicando.

Obj. 2.

Obj. 3.

Responsio.

Has autem instantias foedas, quia foeda proponit exempla et mendicitatem foedare nititur, facile est spiritali viro [8] respuere tanquam foedas, falsas et fictas. Inveniuntur enim, viros christianos et perfectos in suis legendis non laudari de crudelitatibus in manducandis hominibus, vel de cupiditatibus in praedis agendis, vel de egestionibus, fornicationibus et huiusmodi similibus; laudari autem et praedicari inveniuntur de hoc, quod in tanta penuria vivere elegerunt, quod non habebant victum neque vestitum nec habere volebant tanquam divites, sed potius mendicare humiliter tanquam pauperes et despecti, sicut apparet in exemplis supra [9] introductis. — Nam quod ad egestatem sequatur honestio filiorum, hoc est contra *ordinem naturae;* quod sequatur furtum et rapina, hoc est contra *ordinem morum et iustitiae*. — Quod autem sequatur insinuatio suae necessitatis ad proximum et postulatio

Ad obj. 1.

---

[1] Vers. 29.

[2] Ut narrat Aldias supra pag. 138, nota 5, allegatus. — Ed. Alex. Hal. prosequitur: *duabus potentibus mendicare et egere nolentibus, qui conversi fuerant retro, qui postmodum poenitentes mendicitatem* etc.; et infra *ex paupertate humili* pro *ex paupertate et humilitate*. Immediate post pro *et voluntaria* M *et volutate*.

[3] Matth. 19, 21: Vade, vende etc. — Seq. locus est II. Cor. 8, 9: Si enim gratiam etc.; tertius ibid. v. 10: Et consilium in hoc do. — De Glossa cfr. supra pag. 126, nota 2.

[4] Matth. 19, 12. — Verba August. sunt in Ioan. Evang. tr. 15. n. 2: In omni re, quam gessit etc. — Sententia altera videtur expressa in Regula monachorum etc. (inter opera Hieron.) c. 19. (de humilitate Christi, quem imitari debemus): Imitemur ergo Salvatorem nostrum, quia ipse mitis et humilis... Ascendamus et nos Christum... Quodque beata Dei genitrix a Filio suo non didicit, vasles fabricare, Angelos vocare, aura Deitatis insignia operari, sed tantum humiliari ceteraque virtutum documenta intra humilitatis custodiam aggregare. Cfr. August., serm. 69. (alias 10. de Verbis Domini), c. 1. n. 2: Discite a me non mundum fabricare... sed *quoniam mitis sum et humilis corde* [Matth. 11, 29].

[5] Cap. 16. n. 31. seq. Cfr. supra pag. 118, nota 5.

[6] I M et ed. Alex. Hal. *funditus subvertitur*.

[7] Vide supra fundam. 20.

[8] I et ed. Alex. Hal. addit *et intelligenti*. Superius pro *pari modo* I *pari ratione*.

[9] Fundam. 16. seqq.

Digitized by Google

subsidii pro amore Dei, hoc est secundum *ordinem caritatis et pietatis* tam naturalis quam etiam gratuitae et spiritualis. Nam omnis lex mandat, proximum a proximo foveri et relevari. Quomodo igitur simile est de hoc quod ordinem pervertit et est secundum ordinem perversum, ad hoc quod fit secundum ordinem rectum, iustum et bonum, raritativum
Ad obj. 2. et pium? — Laudatur igitur Romanus monachus, quia secundum legem caritatis beato Benedicto procurabat, et Benedictus, qui humillime suscipiebat [1]. Nusquam autem invenies eum laudatum, quia egerebat et stercorizabat; hoc enim valde est abominabile in medium introducere, cum agitur de laudibus Sanctorum.

Laudatur autem mendicans, licet *curam sui*
Ad obj. 3. *agat*, non quia hoc facit *qualitercumque*, sed quia facit *humillime;* unde sicut *sobrie comedere* est actus virtutis, licet *comedere* sit curam sui agere; sic et in proposito intelligendum est. Unde Chrysostomus, homilia quarta [2] super Matthaeum, loquens de pueris sanctis, qui erant in palatio regis Babylonis, ait sic: « Sancti itaque existentes et iusti, decies millies elegissent mendicare domi et eis quae in templo erant potiri bonis. *Eleqi* enim, ait, *abiectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Decies millies itaque elegissent abiecti esse domi, quam regnare in Babylonia ». Est igitur in mendicatione humiliatio et vilificatio sui Deo accepta, alioquin a sanctis pueris non esset eligenda; *eligitur*
Notandum. autem, eo quod cura sit sui cum humilitate sua. Illi autem, qui *curam carnis* suae agunt *in desideriis et concupiscentiis* [3], illi procul dubio non laudantur, etiam si se ipsos humiliare et vilificare videantur, sicut meretrix, quae se ipsam prostituit amore pecuniae, vel fervore libidinis. Sed absit hoc a fidelium cordibus, ut humiliatio virorum spiritualium in mendicatione sit similis vilificationi meretricis in sui prostitutione. Nam *membra Christi non sunt tollenda, ut fiant membra meretricis* [4]. Christus autem de se in forma servi et etiam pro suis membris dicit: *Ego sum mendicus et pauper, Dominus autem sollicitus est mei.* Quod nequaquam diceret, nisi *esse mendicum* pro Christo adeo placeret Deo, ut Deum faciat gerere curam nostri specialissimam, sicut gerit pater de filiis; quod de meretricibus et meretricantibus sentire procul sit ab auribus et mentibus christianis.

IV. Refellere nihilominus conatur aliqua alia Censura quaeria.
velut *dubia*. — Nam ad illud quod dicitur de beato Obj. 1.
Alexio, quod mendicavit, et de beato Francisco, quod miraculis hoc confirmavit; respondet: *Proba*, tanquam ad [5] dubia et incerta; addens, quod etiam si miracula essent facta, non esset adhuc certum: quia multi mali miracula faciunt, et quod de panibus etiam furtim sublatis possent miracula fieri; nec tamen ex hoc constaret, quod bonum esset furari. — Dubium etiam dicit, quod Romana Ecclesia approba- Obj. 2.
verit mendicationem: quia, si hoc faceret, errare convinceretur; similiter et, si imponeret in poenam satisfactionis, erraret; et hoc dicit nullatenus esse credendum.

Huic autem obviationi per dubitationem se pro- Responsio.
tegenti sine dubio resistendum est. Nam si in dubium Ad 1. ratio prima.
revocetur, quod legitur in legenda sancti Alexii et legenda beati Francisci; pari ratione in dubium venit quidquid legitur in legendis aliorum Sanctorum: ergo omnia exempla virtutum et gesta Sanctorum iam revocantur [6] in dubium. Sed dubia imitari vel credere periculosum est; ac per hoc perit fides, devotio et reverentia, quae habetur in Sanctis, si in dubium revocentur cetera, quae narrantur de ipsis. — *Rar-* Secunda.
sus, si miracula, quae fecerunt, non sunt testimonia efficacia ad sanctitatem eorum astruendam, stultizat hodie Ecclesia, quae propter testimonia miraculorum Sanctos canonizat et catalogo Sanctorum ascribit. — *Postremo*, quis unquam audivit, quod Tertia.
Deus per furem panem furtim acceptum multiplicaret ad aliorum salutem? Audivimus tamen, per mendicum pauperem panem, quem mendicando acquisierat, multipliciter augmentasse [7]. — *Quodsi dicas*, hoc Exemplo I. refellitur.
specide fuisse privilegium, et familiari sancti Spiritus consilio esse factum; quomodo hoc aliis tradidit in legem et regulam, in qua eos ad mendicationem invitat, si sibi soli pro se solo est inspirata? — *Si* Item altera.
dicas, quod [8] ex proprio capite, non per inspirationem; quomodo non potest esse damnatus qui ad actum reprehensibilem tanquam ad actum moris et perfectionis temerarie invitavit? Quomodo etiam Sedes Romana de consensu cardinalium hoc approbavit?

Quodsi dicas, hoc non esse credendum, quod Ad 2.
mendicitatem alicui imponat in *poenam*, vel quod approbet pro *regula* et vita sancta; sed [9] quod mendicitatem peregrinationis imponat, habetur de Poenitentia [10], ubi dicitur de sacerdote, qui revelat confes-

---

[1] I legit: *caritatis servo Dei humiliter et caritative serviebat, et sanctus Benedictus, quia humiliter et gratanter pro Christo suscipiebat.*

[2] Num. 11. Allegatur Ps. 83, 11. et Hom. 3, 12. seqq.

[3] Rom. 13, 14: Carnis curam ne feceritis in desideriis. — Ex II M paulo inferius addidimus *etiam si se... videntur.*

[4] Respicitur I. Cor. 6, 15; seq. locus est Ps. 39, 18.

[5] Ex D et I, 2, 3 supplevimus *ad.* Infra posuimus cum I et ed. Alex. Hal. *si imponeret* pro *si imponeretur.*

[6] I *revocabuntur.*

[7] I legit: *panem furtim sublatum multiplicavit ad aliorum sustentationem, sicut audivimus, quod per mendicum multiplicavit ad solatium pauperum. Quodsi.* Idem etiam in seqq. ab aliis codd. recedit.

[8] M addit *invenit.* Deinde pro *temerarie incitavit* I (cum verborum transpositione) *alios invitavit.*

[9] Ex II supplevimus *sed;* ed. Alex. Hal. *contrarium apparet*, ut infra posuimus ex canone, I et ed. Alex. Hal. *revelat* pro *revelabat*, et cum I, 2, 3, 4 *ut vadat* pro *quod vadit.*

[10] Can. *Sacerdos ante omnia* (2.), de Poenit. dist. 6.

Digitized by Google

siones, « quod deponatur et omni tempore vitae suae ignominiosus peregrinando pergat ». Sed si viveret de labore honesto, vel de sumptibus propriis; non pergeret ut vilis, sed potius ut honorabilis. Restat igitur, quod imponit, ut valat *ut mendicus*.

De approbatione regulae

Quod autem pro *regula* approbet, patet per illud scriptum superius[1] allegatum, de Excessibus praelatorum, *Nauis prava*, ubi dicitur, quod « ordinem et regulam fratrum Praedicatorum et Minorum Sedes apostolica nuscitur approbasse ». Patet etiam per regulam beati Francisci a domino Honorio approbatam et confirmatam, ubi dicitur, quod fratres « valant pro eleemosyna confidenter ». Sed si erravit hoc approbando — et constat, cum hoc approbasse et confirmasse; constat etiam, quod universalis Ecclesia per totum mundum huiusmodi ordines et status accepta — concludendum est ergo secundum dictum huius hominis unus, quod universalis Ecclesia tota erravit et decepta fuit; et qui huiusmodi statum erroneum invenerunt et approbaverunt, omnes damnati sunt; quod est horribilissimum et incredibilissimum, quod Deus permitteret sic[2] errare universaliter populum sanctum suum et tantam multitudinem sapientium, qui haec tempora praecesserunt. Quis autem hic tam *sapiens* et tam *iustus*, ut audeat ceteros praeter se iudicare fuisse deceptos et reprobos? Mira est haec *sapientia*, quae omnium ostendit insipientiam; et mira *iustitia*, quae ceteros condemnat. Quodsi hoc non est sapientia, sed potius temeritas, Sedem apostolicam velle iudicare, quae a solo Deo iudicatur, et eius iudicium et sententiam reprobare[3] et tot viros sanctos in internum retrudere et in baratrum damnationis; procul ergo haec fiant a cordibus fidelibus et christianis.

Ces-ner quarta.

Obj. 1 de mendicatione.

Obj. 2 de labore manuali

V. Refellere etiam conatur plurima, immo fere omnia tamquam *doctrinae apostolicae iniuriam*, pro eo quod dicit, mendicationem ab Apostolo esse prohibitam tamquam malam et tantum in casu esse concessam. — Dicit etiam, me fuisse mendicum et contra Scripturam et Apostolum defendisse falsum et defendere, in hoc quod dicit, me dixisse, quod laborare opere manuali non sit praeceptum. Dicit igitur, quod *mendicare* non est indifferens, sed malum; et ideo propter adiectionem circumstantiae fieri nequaquam potest bonum; immo, quod plus est, in praedicantibus asserit esse simoniacum.

Hoc autem suae positionis fundamentum, frequentius iteratum, facile est advertere esse ruinosum cum omni eo, quod superaedificatur. Nam si *mendicare* prohibitum est, et *mendicare* peccare; ergo *esse mendicum* est *esse peccatorem*. Cum ergo Christus se dicat *mendicum*, immo Propheta[4] in persona Christi; fatetur ergo Christus, se esse peccatorem; quod dicere vel credere non parvum est flagitium vel peccatum. — *Rursus*, si *mendicare* peccare est, mendicitas sive mendicatio peccatum est. Sed secundae ad Corinthios octavo[5], super illud: *Ut eius inopia vos divites essetis*; Glossa dicit: « Nemo se contenerat: pauper in cella, dives in conscientia securior dormit in terra, quam auro dives in purpura. Non ergo expavescas cum tua mendicitate ad illum accedere, qui indutus est nostra paupertate; ille se pauperavit, nos ditavit ». Ergo mendicitas disponit, non retrahit a divino accessu; constat igitur, quod non est peccatum.

Responsio.

Ad 1. obj. de mendicatione ratio prima.

Secunda.

Amplius, Chrysostomus super Matthaeum homilia sexagesima nona in fine[6] dicit, quod « mendicare in nullo offendit Deum; furari autem sive rapere offendit Deum et hominem ». Hoc etiam patet per auctoritatem Chrysostomi superius allegatam de homilia quarta super Matthaeum. Non ergo est ab Apostolo prohibitum, nec invenitur alicubi, hoc Apostolum prohibuisse, sed potius cum suis exposcitis commendasse. Nam primae ad Corinthios decimo sexto[7] et praecepit et procuravit, quod collectae fierent in pauperes Sanctorum, qui erant in Ierusalem, sicut eleemosynae eis gratis impensae. Et ad Galatas secundo dicit, quod *Petrus et Iacobus dexteras dederunt mihi et Barnabae societatis, ut nos in gentibus, ipsi in circumcisione, tantum ut pauperum memores essemus*; Glossa: « *Pauperum*, qui rerum suarum venditarum pretium ad pedes Apostolorum posuerant, *memores essemus*, ad opus illorum faciendo collectas ». Si ergo Apostolus simoniacus non erat in hoc, quod collectas petebat et discipulos mittebat ad hoc, ut peterent eleemosynas ab his quibus spiritualia seminaverat, pro pauperibus, qui erant in Ierusalem; si simonus Pontifex Ordines statuat pauperes, qui spiritualia seminent et de eorum quos aedificant verbo et exemplo eleemosynis gratuitis, petitis, seu altro oblatis, vivant: ab Apostolo in nullo prorsus discordat, quin potius concordat, cum tan-

Tertia.

---

[1] Art. 1. in corp. et hic ad 11, et quoad locum in regula supra fundam. 2.1.

[2] Ex D et ed. Alex. Hal. suppleviimus *sic*, et inferius ante *tam sapiens* ex eodem cod. *hic*.

[3] S. Anselm., Lucens. episc. († 1086), inter capitula I. Collectionis canon. haec recepit: Ut prima Sedes a nullo iudicetur (18.), et: Ut nemo apostolicae Sedis iudicium iudicare, aut retractare praesumat (20.).

[4] Psalm. 39, 18; 108, 17. Cfr. supra fundam. 9. seq.

[5] Vers. 9. — Glossa in hunc locum est *ordinarat* apud Strabonem et Lyranum et simile est ex August., Serm. 36. (alias de Tempore 212.) c. 3. n. 4; ultima propos. ex Enarrat. in Ps. 101. serm. 1. n. 1. — Pro *expavescas* H1 et ed. Alex. Hal. *erubescas*, retinguntur etiam originali.

[6] Alias 70. n. 4; sequens einsdem loci reiectur supra sub n. III. circa finem.

[7] Vers. 1. sequ.; alter locus est Rom. 2. 9. 10. [Vulgata: in gentes, qui in circumcisione] cum Glossa *interlineari* apud Petr. Lombard. et Lyranum. — Post *pauperum* H addit secundum Glossam *in Ierusalem*.

Digitized by Google

tam, sicut ipse, et maiorem potestatem habeat in gubernando et disponendo ipsius Ecclesiae membra.

Ad obi. 2. de labore manuali.

Sed *obiicies*, quod Apostolus praecepit laborem corporalem in textu, et Glossae[1] videntur dicere, quod hoc fiat contra mendicitatem.

Resp.

Sed ad hoc est plana responsio: esto, quod Apostolus laborem huiusmodi manualem praecipiat — quod nunquam negavi, sicut apparet in verbis meis, sed quod hoc non *universaliter* praecipit servis Christi, nisi forte in articulo necessitatis, in quo non potest licita via habendi victum nisi per laborem manuum — sed praecipit personis *determinatis*, secundum quod apparet ex textu[2]: *Audivimus quosdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus et obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent.* Et paulo ante: *Denuntiamus, ut subtrahatis vos etc.*; Glossa: « Incipit hic de curiosis et otiosis, monens, ut corrigantur ». Patet ergo ex serie textus et ex Glossa, quod mandatum illud se extendit ad curiosos et otiosos. — Similiter primae ad Thessalonicenses quarto[3]: *Rogamus vos, fratres, ut operam detis, ut quieti sitis, et operemini manibus vestris, sicut praecepimus vobis*; Glossa: « *Operemini*, quod adiuvat vos, quietos esse. Illud enim malum de otio venit ». Ex hoc etiam patet, quod hoc dicit ad otium vitandum et pigritiam tollendam, quae est sentina desiderorum et fomentum peccatorum. Item ad Ephesios quarto[4]: *Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis* etc. — Ex hoc igitur patet, quod labor non *omnibus* praecipitur; ac per hoc non inhibetur mendicatio, nisi illa quae venit ex otio et rapilitate, secundum quod insinuant textus et Glossae.

Obiectio iterum.

Sed *obiices* de Augustino, de Opere monachorum, qui loquebatur ad monachos, qui spiritualibus exercitis erant occupati et intenti, non otiosi; et illis dicit, quod ad huiusmodi opera sunt astricti.

Resp.

Ad hoc apparet manifesta responsio, si attendatur conclusio circa finem, qua confutat eorum positionem, qui repudiabant operationem corporalem; in quo male sentiebant, ibi[5]: « Quamodorem illi qui, relicta sive amplia sive qualicumque opulentia, inter pauperes Christi vivere voluerunt, si corpore valent et ab ecclesiasticis occupationibus vacant; tamen si et ipsi manibus operantur, misericordias agunt, quam cum omnia sua indigentibus diviserunt. Quod si nolunt, quis audeat cogere? Illi autem, qui praeter istam sanctam societatem vitam labore corporis transigebant, si non laborant, non manducent ».

Conclusio de labore manuum.

Apparet igitur, qui sunt astricti, scilicet validi et fortes, et qui ab ecclesiasticis occupationibus vacant, et qui vitam in saeculo de labore corporis transigebant, et tales multi erant inter illos monachos, et plures erant[6] in exordio religionis Minorum fratrum, et ideo ad labores erant arctandi; nunc autem comparatione aliorum paucissimi sunt tales: et ideo non est contra Apostolum, si talibus concedatur simpliciter[7] mendicare, maxime cum talis actus non sit multum appetibilis nec delectabilis nec honorabilis, immo repletus multis vilitatibus et miseriis, ad quem nullus valentis viri cor posset inclinari nisi in spe praemii aeterni et amore Christi et desiderio proficiendi cum adiutorio gratiae Spiritus sancti, sine qua vix credo posset dives ad tantae abiectionis incommodum inclinari. Nec tales gravant populum Domini et Ecclesiam, maxime si nihil ultra necessaria petant, quia multo plura expenderent et consumerent de eleemosynis pauperum, si clerici in saeculo in beneficiis praebendalibus remansissent; nec tunc[8], quando modicum intenderent spiritualibus operibus, etiam in divitiis praecluderetur via salutis. Absit igitur, quod nunc praecludatur in tanta arctitudine paupertatis.

Notandum. Notandum.

Epilogus totius quaestionis.

Ex iam dictis in hac quaestione de paupertate, ut retera recolligamus in summa, apparet, quod sicut *mendicare* in pauperibus debilibus et infirmis est *necessitas naturae*, in validis otiosis et cupidis est *vitiositas culpae*; sic in pauperibus voluntariis, contemptoribus sui et imitatoribus Christi et praedicatoribus Evangelii est *actus consonans*, non repugnans *evangelicae perfectioni*, pro eo quod omnibus universaliter *renuntiare*, nullam rem sibi appropriando, est *consultum*[9] a Domino ut perfectum; eleemosynas *accipere* iustis pauperibus est *concessum* tanquam licitum et in nullo perfectionis evangelicae inimicum; eleemosynas etiam *humiliter petere* pauperibus voluntariis *non est inhibitum* tanquam malum; vitam suam de *lucro laboris sui transigere* non est omnibus validis pauperibus iniunctum tanquam praeceptum necessario astrictivum.

---

[1] Cfr. supra arg. 6-9, ad oppos. — Inferius post *verbis meis*, *sed* supplendum est *dari*, quod includitur in praecedentibus terminis.

[2] I epist. II. Thess. 3, 11. 12; subinde allegatur v. 6. — Glossa est apud Petrum Lombardum, Collectanea in Epist. S. Pauli, loc. cit.: Incipit... monens bonos, ut eos corripiant.

[3] Vers. 10. 11: Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, et operam... quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis et operemini... — Glossa est apud Lombard. ibid. — M et I, 2, 3, 4 cum textu originali *ex otio* pro *de otio*.

[4] Vers. 28. — Inferius posuimus *Glossae* pro *Glossa* hic M I, 3, quia supra solut. ad 6, 9, et hic plures citantur Glossae.

[5] Cap. 25, n. 33, sed pluribus hic omissis. — In textu cum originali substituimus *tamen si et ipsi manibus* pro *sed manibus*, I M *si manibus*, D *cum omnes manibus*. Superius pro *qui repudiabant* M 1, 2, 3, 4 *qui repudiabant*.

[6] I M fuerunt; subinde post *labores* ex D I M supplevimus *erant*.

[7] I *humiliter*; infra ex D post *praemii* additimus *aeterni*; denique post *vix credo* M supplet *quod*.

[8] I praedigit *tamen*.

[9] Ita I, in aliis *consilium*, et infra post *transigere non* ex D M supplevimus *est*.

Digitized by Google

Contra eos qui impugnant abrenuntiationem.

Si quis ergo impugnat rerum temporalium *universalem abrenuntiationem*, impugnat Christum pauperem, crucifixum; impugnat evangelicum consilium; impugnat coetum Apostolorum dicentium [1]: *Ecce nos reliquimus omnia;* impugnat etiam Spiritum sanctum, qui hoc inspirat et suggerit cordibus perfectorum; impugnat et ipsum Deum Patrem universorum, qui est *refugium pauperum;* impugnat denique regnum caelorum, totum universum, cuius dominium pauperi est concessum, dicente Domino: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum;* et ideo contra talem *insensatum* necesse est ut *pugnet orbis terrarum.*

Vel eleemosynarum acceptionem.

Qui autem impugnat *eleemosynarum acceptionem*, et Christum impugnat, qui stipendium accipiebat a mulieribus sibi servientibus et se invitantibus, Lucae septimo [2]; et coetum Apostolorum, qui et ipsi eleemosynas accipiebant, quae *pondantur ad pedes eorum*, Actuum quarto; et statum monachorum, qui super eleemosynas fundati sunt; et universum clerum — nam et ipsi de eleemosynis vivunt, quae ultro ecclesiis Christi collatae sunt — et per consequens communem pauperum statum, quem tamen Scripturae divinae indicant Deo maxime esse acceptum.

Vel earum petitionem.

Qui vero impugnat humilem *eleemosynarum petitionem* in eis qui egent et licite possunt accipere, impugnat *Christum*, qui humiliter petiit hospitium, qui etiam fatetur, se [3] esse mendicum; impugnat et *Paulum*, qui petiit, *collectas* fieri pauperibus Sanctis, et hoc de voluntate Petri; impugnat *vinculum caritatis*, quod fit communicari *in ratione dati et accepti;* impugnat *officium humanitatis*, per quam indigens exponit necessitatem suam, ne sibi sit inhumanus, et alium excitat, qui potest et vult, ut proximo sit humanus et pius; et in hoc nullus offenditur, nulli praeiudicatur, nihil inordinate concupiscitur, nihil indebite auferitur, in eis praecipue, qui non quaerunt *datum*, sed *fructum* [4].

Qui autem impugnat *otiositatem*, *cupiditatem*, *curialitatem et superfluitatem* in ceteris Christianis et praecipue in religiosis, bene facit et recte, si tamen secundum ordinem rectum procedat.

Contra impedientes onus laboris. Ita ex.

Qui autem universaliter omnibus validis *onus imposuit laboris laboris*, de quo debeant sustentari, praeceptum Apostoli nimis ampliat et ingum servitutis super Christi servos nimium aggravat et spirituales viros a spiritualibus occupationibus et laboribus retardat in periculum salutis animarum, dum magis facit eos sollicitos de suis morituris corporibus pascendis quam de proximorum animis Domino acquirendis. Quod si fiat, *decimatur mentha et cyminum, et relinquentur quae graviora sunt Legis, iudicium et misericordia* [5], praefertur misericordia corporalis spiritualis; ac per hoc corpus spiritui praefertur, privatum commodum utilitati communi, quae specialiter consistit in aedificatione populi Christi, in eleemosynis, in documentis et animarum consiliis, ad quae misit Deus istos ordines postremos per summum Pontificem et praelatos. Ad quae si quis dicat *eos non missos*, manifeste obviat *veritati*, cum expressa ad hoc testimonia habeantur tam in regula quam in privilegio et institutione et approbatione huius duplicis ordinis [6]. — Si autem dicat, *non debere mitti;* detrahit *evangelicae perfectioni.* Quis enim magis idoneus ad hoc, quam qui devovit evangelicam perfectionem? — Si quis dicat, eos a Papa et episcopis *non posse mitti;* deroget *apostolicae auctoritati* De primatu. et *potestati clavium* in praelatis et *plenitudini potestatis* in summo Pontifice, qui in terris, ut [7] Scriptura asserit, fides sentit, iura testantur, rationes etiam irrefragabiles convincunt, ut caput unum et summum et sponsus unicus et hierarcha praecipuus, in quo est totius Ecclesiae militantis status, obtinet locum Christi. Et ideo omne genu debet ei curvari, et principum et praelatorum et clericorum et laicorum et religiosorum in terris, ad instar Christi in caelis, cui *omne genu flectitur caelestium, terrestrium et infernorum* [8]. Amen.

---

[1] Matth. 19, 27; deus respicitur Ps. 9, 10, citatur Matth. 5, 3, et alludunt ad Sap. 5, 21: Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

[2] Vers. 36: Rogabat autem illum quidam de Pharisaeis, ut manducaret cum illo. — De mulieribus, *quae ministrabant ei de facultatibus suis*, cfr. Luc. 8, 3. — Substituimus *ministrantibus* [quod Vat. habet in margine] loco *imitantibus;* hoc enim non congruit loco Lucae cit. Seq. locus est Act. 4, 34. 35. — Infra pro *communem pauperum* D non male *omnem pauperum.*

[3] Ita M; in aliis omittitur *etiam* et *se.*

[4] Cfr. supra solut. ad 7.

[5] Respicitur Matth. 23, 23. — Infra post *populi Christi* I *qui exemplis, documentis et consiliis animarum.* Subiunde ante *missos* Vat. falso omittit *non.*

[6] Vide supra pag. 130, nota 1. 2. et in regula S. Francisci c. 9. 12.

[7] Supplevimus *ut*, exigente hoc ipsa grammaticali constructione. Infernus pro *est totus* Vat. *etiam totus;* eadem omittit *Et* ante *ideo.*

[8] Phil. 2, 10. — Ita explicant HH M; in edit. sequitur addita mentum, quod novem moderationes continet separatim positas. Cum autem harum tres ante in praecedentibus de paupertate quaestionibus a S. Doctore relatae sint, non videtur verisimile, illas ab eodem hic iterum esse repetitas aliasque adiunctas. Licet igitur illa [illa occurrant etiam in unique redire E (qui totam immediate praecedentem replicationem omisit); tamen nobis convenientius esse visum est, ut hoc additamentum, cum videatur non genuinum esse et ad perfectionem quaestionis sit superfluum, ad calcem relineretur. Refertur autem praecipue secundum E, emendatis ope originalium nonnullis vitiis editionum et codices.

Additamentum.

Hunc etiam eandem veritatem multiplex astruit auctoritas non solum ipsius Hieronymi, verum etiam Ioannis Chrysostomi et Bernardi. Nam Hieronymus in epistola de morte Fabiolae [Epist. 77, alias 30, n. 9.] commendans de hoc dicit sic: «Oblita sui sexus, fragilitatis immemor ac solitudinis tantum cupida, ibi erat, ubi omnes morabatur. Non poterat teneri consiliis amorum, et ita ex urbe, quasi de vinculis, gestiebat exuere. Dispensationem pecuniae et eleemosynarum distributionem

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Utrum pauperes validi, et maxime regulares, ad opera manualia universaliter sint astricti.

Tertio ad majorem evidentiam eorum quae de mendicitate dicta sunt, quaeritur[1], utrum pauperes validi, et maxime regulares, ad opera manualia universaliter sint astricti? Et quod sic, ostenditur triplici via, tum ratione *obligationis naturae* quam *religionis christianae* quam etiam *professionis monasticae*[2]. Primo ex *vinculo legis naturae* ostenditur.

Ad oppositum. Ratione obligationis naturae.

1. Genesis secundo[3]: *Posuit Deus hominem in paradiso, ut operaretur*; item, tertio eiusdem dictum est homini peccanti: *In sudore vultus tui vescaris pane tuo* etc. Ergo praeceptum de laborando respicit hominem secundum naturam *institutam* et secundum naturam *lapsam*, ergo secundum omnia tempora; sed maxime respicit hominem, qui potest per se ipsum et non potest supplere per alium; talis autem est pauper validus: ergo talis tenetur ad manualiter laborandum.

2. Item, in Zachariae decimo tertio[4] dicitur: *Homo agricola ego sum, quia Adam exemplum meum ab adolescentia mea*; Glossa: « Ut comedam panem meum *in sudore vultus*, dum ille se ostenderet natum ad hoc, ut *in sudore vultus* comederet panem »; sed hoc maxime convenit ei qui indiget pane et potest laborem et sudorem ferre; et talis est validus pauper: ergo tenetur corporaliter laborare.

3. Item, ad ea, sine quibus non potest natura sustineri nec salvari[5], sumus naturaliter obligati; sed sine labore corporali sive manuali non potest ge-

---

genos intolerabilis vocabat. Non aliis distributionem eleemosynarum tribuere, sed suis pariter effusis, ipsa pro Christo stipes optabat accipere ». — Item, Hieronymus ad Furiam [Epist. 51, alias 10, n. 12.]: « Quotiescumque manum extendis, Christum cogita; cave, ne, mendicante Domino Deo tuo, alienas opes angeas ». — Idem super Psalmum [in Ps. 108, 17; in opere spurio Breviarii in Psalt., inter Hieron. opera] tractans illud verbum: *Pauperius est hominem inopem et mendicum*, dicit sic: « *Inopem et mendicum*, qui, *cum esset dives, propter nos egenus factus est* [II. Cor. 8, 9.]. Dominus inopem se dicit et mendicum; et quis in divitiis suis gloriatur? Habetis consolationem pauperes, et Dominus vobiscum pauper est ». — Idem super Psalmum [Ps. 145, 7, in eodem Breviario]: *Qui dat escam esurientibus*, dicit: « Monachus, qui non habet, confidenter accipiat; qui habet et eruditus est non accipiat. Scis, quia esuris; scis, quia non habes; si esurieris et non habes, magis illa benedictum, si accipis quod tribuitur tibi. Si autem habes et non esuris, non debes cibum esurientium accipere saturatus; accipe quod in ventrem mittes, non quod in sacculum; accipe medicam, quae corpus tegat, non quae arcas impleat ».

Item hoc quoque asserit Chrysostomus homilia quarta super Matthaeum [n. 11; iam relatus est supra pag. 152, col. I. excepta prima propositione] loquens de tribus pueris existentibus in Babylone: « Ne enim nobis eos quos in regalibus aliis invenerunt honores, dicas. Sancti enim etc. (vide loc. cit.). — Idem in homilia octogesima octava [alias 89, n. 3.] super Matthaeum dicit sic: « Quando videris pauperem, recordare verborum, per quae significabat, quoniam ipse sit, qui cibatur. Esi enim in eo quod appetet non est Christus, sed in hoc schemate ipse accipit et mendicat. Sed verecundaris mulieres, quoniam mendicat Christus. Verecundare, cum mendicanti non das. Hoc enim est verecundia, hoc supplicium et tormentum. Mendicare enim cum eius hominis est signum, et idem in eo nos ornari oportet ». — Item, idem dicit super Matthaeum homilia sexagesima nona [relata supra pag. 153, col. II.]: « Melius est mendicare quam rapere: hoc quidem, scilicet mendicare, in nullo offendit Deum, illud autem offendit Deum et homines ».

His etiam monendae concordat Bernardus in homilia super illud Lucae [potius Actuum Apostolorum, de Iesu puero duodecimo, n. 1, tom. V. Operum S. Bernardi]: *Cum esset trium annorum duodecim*, quaerens, ubi Christus loit in triduo, dicit sic: « Per illud triduum ala erat, hanc Iesu? Quis tibi cibum ministravit aut potum? Quis detexit calceamenta? Quis mendica puerilia fovit ungueutis? Ubi ergo eras, Domine? An ut te per omnia conformares miseriae pauperum et omnes in te humanas miserias susciperes, quasi nunc ex tuba pauperum stipem per ostia mendicabas? Quis dabit, nec illarum bonvellarum mendicatarum participem fieri, et saltem divini illius cibolii relapsis saginari »? — Item, Glossa super illud Pauli: *Qui cum esset dives* etc.: « Nemo se contemnat [iam citata supra pag. 153, col. II.]; pauper in cella, dives in conscientia securior dormit in terra, quam dives aurea in purpura. Non ergo expavescas cum tua mendicitate ad illum accedere, qui ditatus est nostra paupertate, ubi se pauperavit, nos ditavit ». Ex his igitur et aliis auctoritatibus praedictae quaestionis veritas probatur.

[1] Haec quaestio invenitur in codd. D E K M. Cod. K omittit *Tertio* et *de mendicitate*, M et cdd. incipiunt sic: *Quaeritur, utrum.* — Haec quaestionem duobus praecedentibus posterius additam esse, satis apparet tum ex verbis exordii huius articuli, tum ex initio totius quaestionis de paupertate (supra pag. 124), ubi quaestio in duos tantum articulos dividitur, quam divisionem consulto etiam in editione retinimus; tum denique ex eo, quod de obligatione ad laborem manualem in 2. art. iam disputata sint non pauca, praesertim in solut. ad 9. et in replicatione sub n. V; unde etiam quaedam argumenta repetuntur. Licet igitur haec quaestio specialis et quasi coordinata secundae (de paupertate) esse videatur; tamen cum ut tertium eiusdem articulum inscripsimus, eo magis, quia pag. 117 tantum 4 quaestiones de perfectione evangelica positae sunt. — In omnibus cdd. non pauca deficiunt, quae omnia a nobis ex codd. D E K sunt loco suo suppleta.

[2] Verba *tripici vin... monasticae*, et infra *tertio eiusdem dictum est homini peccanti* [alt. verbum deest in K] supplevimus ex D E K.

[3] Vers. 15; 3, 19, ubi Vulg. omittit *tuo* post *pane*. — In fine arg. D I. *operandum* pro *laborandum*.

[4] Vers. 5; Glossa est *interlinearis* apud Lyranum et secundum Hieron. in hunc loc. — Interius ex codd. D E K substituimus *laborem et sudorem ferre* pro *laborare*, deinde ex K post *ergo* addidimus *teneatur corporaliter laborare*.

[5] In D E et etiam K [tamen habet *subsistere* pro *sustineri*], cdd. *autem subsistere*.

Digitized by Google

nus humanum in *esse* conservari: ergo ad hoc necessario aliqui obligantur. Sed non nisi illi qui sunt idonei; sed tales sunt pauperes validi, quia indigent et possunt: ergo tales praecipue obligantur.

4. Item, sicut os datum est homini ad manducandum, ita et manus ad operandum; sed qui neglexerit comedere, cum indiget, si possit, fit contra dictamen iuris naturalis: ergo pari ratione, qui neglexerit operari manualiter, si indiget et valet. Sed talis est pauper validus: ergo etc.

Item, hoc ipsum ostenditur *ratione religionis christianae*.

Ratione religionis christianae.

5. Primo per apostolum *praeceptum*, ad Ephesios quarto[1]: *Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis* etc. — *Si dicas*, hoc esse consilium; *contra*: primae ad Thessalonicenses quarto: *Operemini manibus vestris, sicut praecepimus vobis, et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis*; Glossa: «Nemini rogetis, vel tollatis». Sed hoc maxime respicit pauperes: ergo etc.

6. Item, hoc ipsum videtur per apostolicum *exemplum*, secundae ad Thessalonicenses tertio[2]: *Ipsi scitis, quemadmodum oporteat imitari nos, quia non inquieti fuimus inter vos neque gratis panem manducavimus, sed in labore et fatigatione* etc.; Glossa: «Apostolus forma erat his qui tenues erant in substantia in plebe, ut discerent libertatem suam non amittere. Qui enim ad alienam mensam frequenter convenit, otio deditus, adulatur necesse est pascenti se, cum religio nostra ad libertatem hominem vocet»: ergo hoc est contra religionem christianam.

7. Item, hoc ipsum videtur per apostolicum *edictum*, secundae ad Thessalonicenses tertio[3]: *Cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam, si quis non vult operari, non manducet*; sed constat, quod non loquitur nisi de his qui indigent refectione: ergo etc. — *Si dicas*, quod non intelligitur de labore *corporali*; *contra* hoc est quod idem dicit Glossa: «Dicunt quidam, de operibus *spiritualibus* hoc Apostolum praecepisse; sed superflue conantur et sibi et ceteris caliginem obducere, ut quod utiliter caritas monet non solum facere nolint, sed nec intelligere».

8. Item, hoc idem videtur per apostolicum *iudicium*, secundae ad Thessalonicenses tertio[4]: *Si quis non obedierit verbo, hunc notate et non commisceamini cum illo*; sed ille qui habet opportunitatem et facultatem implendi mandatum, dicitur *inobediens*, si non implet; sed pauper validus est huiusmodi: ergo si operari non voluerit, est inobediens praeceptis apostolicis, ergo per iudicium Apostoli tamquam excommunicatus debet vitari. — *Sed forte dices*, quod haec verba Apostoli et praemissa intelliguntur dici ad curiosos, vagos et otiosos, non ad Christi servos spiritualibus occupatos; *contra*: super illud[5]: *Qui non laborat non manducet*; Glossa: «Vult Apostolus, servos Dei corporaliter operari, ut habeant unde vivant, ut non compellantur egestate necessaria petere»; sed *servi Dei* dicuntur viri boni et iusti, et talibus praecipit operari, ut non compellantur mendicare: ergo pauperes validi etc.

9. Item, Augustinus in libro de Opere monachorum[6]: «Audiant quibus hoc praecipit Apostolus, scilicet operari manibus, id est, qui non habent hanc potestatem, quam ille habebat, ut tantummodo spiritualiter operantes manducent panem a corporali labore gratuitum. Et quemadmodum dicit: *Praecipimus et obsecramus, ut cum silentio operantes panem suum manducent*; non disputent contra manifestissima verba Apostoli, quia et hoc pertinet ad *silentium*, cum quo debent operantes manducare panem suum».

10. Item, idem paulo post[7]: «Quid agunt qui corporaliter operari nolunt? Uni rei vacant, scilicet desidero. Orationibus, inquiunt, et psalmis et lectionibus et verbo Dei. Sancta plane vita et Christi suavitate laudabilis; sed si ab his avocandi non sumus, nec manducandum est, neque escae praeparandae sunt, ut possint apponi et assumi. Si autem ad ista vacari servos Dei certis intervallis temporum ipsius infirmitatis necessitas cogit, cur non et praeceptis apostolicis observandis aliquas partes temporis deputemus? Citius enim exaudiitur una obedientis oratio quam decem milia contemptoris». Et consequenter ostendit, quod haec spiritualia opera non excusent, nec lectio nec psalmodia nec oratio nec exhortatio.

11. Item, idem ex concilio Carthaginiensi[8]: «Clericus victum et vestitum artificio vel agricultura

---

[1] Vers. 28; deinde loc. cit. v. 11. — Glossa est apud Lombard. in hoc locum. Cfr. etiam supra pag. 134, nota 8.

[2] Vers. 7. 8, ubi Vulgata *quomodo* pro *quod*, et post *manducavimus* addit *ab aliquo*. — Glossa est apud Petrum Lombardum, sed nonnullis hic omissis. Cfr. supra pag. 135, nota 3. — In fine arg. ex H E K substituimus *christianam* pro *nostram*.

[3] Vers. 10. Vulgata *nec manducet* pro *non manducet*. — Glossa est apud Strabum et Lombardum *ordinatur*, sumta ex August., de Opere monach. c. 1. n. 2. seq., ut qua cum originali et I. M substituimus *utiliter caritas monet* pro *intelligitur caritas monere*.

[4] Vers. 14. Vulgata post *verbo* addit *nostro per epistolam*, deinde *ne* pro *non*.

[5] I. Epist. II. Thess. 3, 10, de quo et de Glossa vide supra pag. 135, nota 2. — Porro post *servi* ex codd. et 5 adscripsimus *Dei*. — Argg. 8. 9. 10. 11. cum epilogo desunt in edd.

[6] Cap. 3. n. 4. Respicitur II. Thess., 3, 12.

[7] Cap. 17. n. 20.

[8] Can. *Clericus victum* (3.), dist. 91. — Seq. can. *Clericus quantumlibet verbo* est ibid. c. 4, ut cuius 1. § habetur tertius: *Omnes clerici* — In fine epilogi pro *intentos* E *intendentes*.

Digitized by Google

absque officii sui detrimento duntaxat praeparet ». — *Si dicas*, quod intelligatur de idiotis; *contra hoc* statim sequitur: « Clericus quilibet verbo Dei eruditus artificio victum quaerat ». — *Si dicas*, quod non intelligitur de omnibus; *contra hoc* sequitur: « Omnes clerici, qui ad operandum validi sunt, et artificia et litteras discant ». — Ex his ergo Patrum sententiis manifeste colligi videtur, quod *praecepta apostolica* ad omnes pauperes validos se extendant, sive clericos sive laicos, sive otiosos sive spiritualibus occupationibus intentos: ergo potissime ad pauperes religiosos.

Ratione professionis. Hoc ipsum ostenditur ratione *professionis monasticae*.

12. Primo per beatum Augustinum, qui per totum librum de Opere monachorum intendit tanquam finali conclusione et principali[1] ostendere, quod monachi astricti sunt ad opera manualia sive corporalia.

13. Item, Glossa super illud Lucae duodecimo[2]: *Vendite quae possidetis, et date eleemosynam* etc.; « ut, omnibus semel pro Deo spretis, postea labore manuum operemini unde vivatis, vel eleemosynam faciatis »: sed omnes regulares ex voto tenentur ad consilium paupertatis: ergo secundum Glossam labor manualis debet sequi abrenuntiationem: ergo omnes tenentur ad corporalem operationem.

14. Item, Hieronymus ad Rusticum et habetur de Consecratione, distinctione ultima[3]: Semper aliquod boni facito, ut te diabolus invenat occupatum. Si Apostoli, habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quemquam aggravarent; cur tu in usus tuos successuras res non praeparas? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte vaminibus ». Et post: « Scribantur libri, ut et manus operentur cibos, et anima saturetur lectione ».

15. Item, beatus Benedictus in regula sua[4]: « Tunc veri monachi sunt, si de opere manuum suarum vivant, sicut patres nostri Apostoli »: ergo si hoc fecit nos imitatores Apostolorum, et omnes religiosi debent esse tales; ergo et operari manualiter, cum opera supererogationis non diminuant, sed implere debeant opera praeceptorum.

16. Item, beatus Franciscus in regula sua[5]: « Fratres, inquit, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent fideliter et devote ». Et quod de labore corporali intelligat, patet per hoc quod sequitur: « De mercede vero laboris pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant praeter denarios.

Fundamenta. Contra, quod non omnes pauperes validi ad opera manualia sint astricti, videtur tum ratione *contemplationis*, tum ratione *praedicationis*, tum ratione *spiritualis occupationis*. Primo ratione *contemplationis*[6] ostenditur:

Ratione contemplationis. 1. Per illud Lucae decimo[7]: *Martha, sollicita es* etc., usque *elegit*: melius ergo faciebat Maria intendens contemplationi, quam Martha corporali occupationi; sed non melius ageret, si omitteret illud, ad quod tenebatur: ergo intendens contemplationi absolvitur ab opere corporali.

2. Item, Lucae duodecimo[8]: *Respicite volatilia caeli*; Glossa: « Sancti merito avibus comparantur, qui, nihil in hoc mundo habentes nec laborantes, sola contemplatione aeterna quaerunt, iam similes Angelis ». Sed si nihil habentes tenerentur laborare universaliter, iam tales essent transgressores: ergo si hoc est falsum, non omnes pauperes validi astringuntur.

3. Item, super illud Genesis vigesimo tertio[9]: *Confirmatus est ager*; Glossa: « Contemplativa vita a cunctis actionibus funditus dividit »; sed non dividit ab actionibus spiritualibus: ergo a corporalibus. Nec dividit contra legem Dei: ergo contemplantes non sunt astricti ad hoc.

4. Item, labor manualis non est actus respiciens universaliter omnia membra Christi, alioquin nullus sine eo posset salvari; respicit ergo officium alicuius membri; sed membrum habens officium dignius non tenetur ad officium[10] membri indignioris: ergo si digniora sunt membra, quae habent gratiam contemplandi, non astringuntur ad officium vel exercitium actionis vel operationis, maxime cum necessitas non compellit defectus inferioris membri supplere.

Ratione praedicationis. Item, quod non omnes astringuntur, ostenditur ratione *praedicationis*.

5. Lucae decimo[11]: *Misit eos binos* etc.; Glossa Ambrosii: « Tanta debet esse praedicatori fiducia, ut sibi necessaria non defectura certissime sciat, ne, dum sibi providet terrena, minus aliis provideat

---

[1] Ex D E adiecimus *et principali*, et post *manualis* ex K E *sive corporalis*, M tantum *opera corporalia*.

[2] Vers. 33. — De Glossa, in qua pro *semel* M et edd. *semel*, vide supra pag. 144, nota 7.

[3] Can. *Nunquam de manu* (33), dist. 5. Locus apud Hieron. est Epist. 125. (alias 4.) n. 11: Facito aliquid operis, ut te semper diabolus... ne quem gravarent; et aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia [I. Cor. 9, 11.], cur tu etc. — Seq. locus ibid.

[4] Cap. 48. — Pro *nos imitatores* M *veros imitatores*.

[5] Cap. 5. — In edd. duo loci sunt truncati.

[6] Verba post *videtur* supplevimus ex D E K; nam M et 4, 2, 3, 4 tantum *primo ratione contemplationis*, Vat. et 5 *pro* (?) *ratione contemplationis*.

[7] Vers. 11. seqq. — Argg. 2. 6. 8. 10. 13. desunt in edd. et in M et suppleta sunt ex D E K.

[8] Vers. 24: Considerate corvos, quia etc. — De Glossa, quae est *ordinaria*, vide supra pag. 125, nota 5. Verba Scripturae in textu sunt Matth. 6, 26, ubi est eadem Glossa, verbis tamen aliquantulum diversis. Cfr. supra pag. 126, nota 9.

[9] Vers. 47. — Glossa ex Gregor., VI. Moral. c. 37. n. 56, ea *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, ubi pro *cunctis*, quod est in Glossa et D E K, M et edd. *saecularibus*. — Post *sed* non ex edd. adiecimus *dividit*.

[10] In D E, in aliis *actum*; infra post *actionis* ex D E K adiecimus *vel operationis*, E K M addunt *nec* post *compellit*.

[11] Vers. 1. — De Glossa vide supra pag. 146, nota 7. Verba Ambrosii vide supra n. 1. fundam. 15. seq.

Digitized by Google

aeterna ». Ergo studium praedicationis et doctrinae non debet intermitti propter opus corporale, cum homo non perfecte sufficit ad utrumque.

6. Item, super illud Lucae nono[1]: *Dimitte mortuos;* Glossa: « Docet Dominus, minora bona pro utilitate maiorum esse praetermittenda; maius enim est animas mortuorum praedicando suscitare quam corpus mortuum in terra condere ». Si ergo mortuos sepelire, et maxime patrem, est opus maximae pietatis naturalis et corporalis; et hoc docet Dominus intermitti, et ad hoc non tenentur intendentes praedicationi: ergo tales non sunt astricti ad opera manualia, quantumcumque sint egeni.

7. Item, super illud Lucae decimo[2]: *Dignus est operarius mercede sua;* Glossa: « Duae mercedes praedicatori debentur: una in via, quae in labore sustentat; altera in patria, quae in resurrectione remunerat »; sed quod debetur alicui, non tenetur illud labore corporali acquirere: ergo praedicator pauper non tenetur propter sustentationem corporis manualiter operari.

8. Item, super illud primae ad Corinthios nono[3]: *Quis militat* etc.; Glossa: « Sicut Dominus constituit, ex Evangelio viventes panem *gratuitum* manducabant ab eis suntum, quibus gratuitam gratiam praedicabant »; sed panis *gratuitus* dicitur, quia non erat acquisitus per laborem corporalem: ergo praedicationis opus exercentes non tenentur ad laborem corporalem.

9. Item, Augustinus, in libro de Opere monachorum[4]: « Si evangelistae sunt, si ministri altaris, si dispensatores Sacramentorum, plane sibi hanc vindicant potestatem », vivendi scilicet sine opere corporali, quia de hoc loquitur: ergo huiusmodi non astringuntur.

10. Item, Hieronymus adversus Vigilantium[5]: « Haec in Iudaea usque hodie perseverat consuetudo non solum apud nos, verum etiam apud Hebraeos, ut qui *in lege Domini meditantur die ac nocte* synagogarum et totius orbis pascantur ministeriis »; sed consuetudo esset vituperabilis, si tales essent astricti ad victum de laboribus proprius: ergo qui divinis, utpote doctrinae praedicationis et lectioni, vacant non sunt huiusmodi operibus alligati.

Item, quod non omnes astringantur, ostenditur ratione *spiritualis occupationis.*

Ratione spiritualis occupationis.

11. Primae ad Corinthios nono[6]: *Nescitis, quod qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt; et qui altario serviunt cum altario participant?* Glossa: « Naturalis ratio dictat, ut quis vivat inde, ubi laborat ». Si ergo fidelis, qui intentus est spiritualibus occupationibus, dignus est sustentari, nec talis est otiosus: ergo nec ratione otii vitandi nec etiam victus acquirendi tenetur manualiter operari.

12. Item, Anselmus de Similitudinibus[7]: « Tres quippe sunt hominum ordines, *oratores, agricultores* et *defensores*, quos ad diversa officia Deus in hoc mundo disposuit: *monachos*, ut pro aliis orent et lacte praedicationis imbuant; *agricultores*, ut de suo labore et ipsi et alii vivant; *milites*, ut orantes et agricultores defendant »; sed milites digni sunt sustentari, quando suum officium exercent absque labore corporali: ergo pari ratione et monachi digni sunt.

13. Item, Augustinus in libro de Opere monachorum[8]: « Si habebant aliquid in saeculo, quo facile supportarent hanc vitam, quod conversi ad Deum disperiti sunt, erubenda est eorum infirmitas et ferenda »: ergo qui disperserunt bona sua pauperibus merentur in Ecclesia sustentari, si disperserunt semel temporalia, absque labore corporali: ergo multo fortius meretur, si dispersit ipse spiritualia orando, consulendo et exempla bona aliis conferendo.

14. Item, si spiritualis occupatio[9] non excusat a labore corporali, ergo multo minus nec scientialis: ergo omnes validi pauperes, qui student in qualibet scientia, sunt in malo statu, quia non vivunt de laboro manuum suarum; sed hoc est valde absurdum: ergo et primum.

15. Item, Christus Legem perfectissime implevit, quia *decebat eum implere omnem iustitiam*[10]; sed Christus pauperrimus fuit et validus: ergo si tales universaliter operari tenentur, Christus non perfecte Legem implevit nec dedit exemplum perfectum. Sed hoc est inconveniens: ergo et primum.

16. Item, beatus Benedictus, quando fuit in spelunca, erat pauper et validus, et tamen non vivebat de labore manuum suarum, sed de hoc quod sibi Romanus apportabat, ut dicitur secundo Dialogorum[11]: ergo vel erat in malo statu, quod absurdum est, vel non tenebatur ad laborandum vel operandum.

---

[1] Vers. 60; Vulgata: Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos; apud Matth. 8, 22: Dimitte, mortuos sepelire mortuos suos. — De Glossa cfr. supra pag. 154, nota 5.

[2] Vers. 7. — De Glossa vide supra pag. 457, nota 3. — Post *praedicator* in edd. tantum desideratur *pauper*, quae etiam pro *sustentationem* ponunt *necessitatem*.

[3] Vers. 7: Quis militat suis stipendiis unquam? — Glossa est ibi apud Lombardum.

[4] Cap. 21. n. 25. Vide supra pag. 155, nota 9. — Cum D E M supplevimus *hanc* ante *vindicant*, et ex D E post *corporali* verba, quae sequuntur.

[5] Num. 13. Cfr. supra pag. 158, col. II; ubi et pag. seq. Integer locus reiertur, nec non ibi nota 5.

[6] Vers. 13. Vulgata: Nescitis, quoniam qui... qui altari deserviunt cum altari etc. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum.

[7] Potius est opus Aeduari, c. 127. seq., pluribus tamen ibi interiectis. — In fine textus ex D E K cum originali supplevimus *et agricultores*.

[8] Cap. 21. n. 25; cfr. supra pag. 155, nota 7.

[9] D E *exercitatio*.

[10] Matth. 3, 15: Sic enim decet nos implere etc.

[11] Cap. 1. Vide supra pag. 158, nota 7. — Ex D E K substituimus *fuit* pro *erat*, et *de hoc* pro *edebat*, et adiecimus *laborandum vel*.

Digitized by Google

17. Item, aut pauperes validi *possunt vivere* de eleemosynis absque manuali labore[1], aut *non*. Si *sic*, habeo propositum, quod non tenentur. Si *non possunt;* ergo cum omnia bona ecclesiarum et monasteriorum non sint nisi eleemosynae pauperum, ut Sancti dicunt et manifestum est, ergo omnes, quotquot validi et clerici et monachi, qui vivunt de huiusmodi bonis sine labore manuali, sunt in statu perditionis. Si ergo hoc est absurdissimum, patet, quod et illud, ex quo sequitur. — *Si dicas*, quod de grossis et magnis eleemosynis licet, sed de parvis non licet; hoc non solum absurdum est, verum etiam adeo ridiculosum, ut manifeste qui sic dicit *colet culicem et glutiat camelum*[2]. Restat ergo, quod ad huiusmodi opera manualia non omnes validi pauperes sunt astricti.

CONCLUSIO.

Tenenda est via media, quod scilicet de pauperibus validis aliqui ad laborem sunt astricti, aliqui vero ab eo absoluti; et quod aliquibus labor iniicitur sub praecepto, aliquibus pro consilio, aliquibus nec isto nec illo modo.

Responsio: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod, sicut circa fidem beatissimae Trinitatis triplex est via sentiendi[3], ita quod dicunt, quae declinant ad extrema, sunt erroneae, sicut haeresis Sabelliana et Ariana, media vero vera et catholica; Conclusio I. sic in hac quaestione pariter duplex est via declinans ad extrema, et ideo erronea et reprobanda, media vero recta et acceptanda.

Unus est modus dicendi, quod *nulli* pauperes Modus dicendi I. voluntarii, quantumcumque validi, ad opera manualia sunt astricti, sed solum ad spiritualia. Et hi fundaverunt se super illud Matthaei sexto[4]: *Respicite* Reprobatur dupliciter. *volatilia caeli*. — Hic autem modus dicendi est erroneus, quia est *corruptivus Ecclesiae* et *depravativus Scripturae*. Primo. *Corrumpit Ecclesiam*, dum, simulando falsam institiam, fovet pigritiam; dum simulat, se velle Evangelium perficere, vult otium carnis nutrire. Unde de talibus Augustinus, in libro de Opere monachorum[5]: « Quis ferat homines contumaces saluberrimis monitis Apostoli resistentes, non sicut infirmiores tolerari, sed sicut sanctiores etiam praedicari, ut monasteria doctrina soniore fundata gemina illecebra corrumpantur: et dissoluta licentia vacationis et falso nomine sanctitatis »? — *Depravat* Secundo. etiam *Scripturam*, quia nimis *ampliat* verba evangelica et nimis *arctat* verba apostolica. Vult enim, quod Evangelium inhibeat perfectis omne opus corporale, et vult, quod Apostolus non suadeat nisi opus spirituale; quorum utrumque falsum est. Et contra hanc falsitatem Augustinus totum librum de Opere monachorum condidit, ostendens, quod Apostolus intelligit de opere *corporali*, et quod Evangelium non vetat *corporalia* opera, sed solum quod cor non sollicitetur praeoccupatum circa temporalia. Unde in principio libri de Opere monachorum[6] ait: « Prius debemus ostendere, beatum Apostolum opera corporalia servos Dei operari voluisse; deinde ostendere, evangelica illa praecepta, de quibus nonnulli non solum pigritiam, sed etiam arrogantiam suam fovent, apostolico praecepto et exemplo non esse contraria ». Unde convincit Augustinus, positionem istam esse reprobandam.

Secundus modus dicentium est, quod *omnes* Modus 2. validi pauperes, qui non habent unde vivant, ad opera manualia seu corporalia sunt astricti. Et isti innituntur verbis Apostoli, secundae ad Thessalonicenses tertio[7]: *Qui non laborat non manducet.* Nec possunt excusari, ut dicunt, per opera spiritualia. — Et hic quidem modus dicendi est erroneus, Reprobatur dupliciter. sicut et primus. Nam nimis deviando ad alterum extremum, *depravat Scripturam* et *corrumpit Ecclesiam*. *Scripturam depravat*, quia nimis *ampliat* Primo. verba Apostoli, dum dicit: *Qui non laborat non manducet;* volens, illa verba de labore manuali non solum ad otiosos, sed quantumcumque utiliter in spiritualibus occupatos extendi, qui non sunt curati. Nimis etiam *restringit* verba evangelica, dum illa verba[8]: *Dignus est operarius mercede sua;* ad eos solos extendit, qui habent animarum curam; cum potius liat homo dignus mercede ex opere quam ex dignitate. Absit omnino a fidelibus mentibus, quod cooperatores laborantium curam non sint *digni operarii* nec *digni mercede* et sustentatione sua, *maxime qui* fideliter *collaborant in verbo et doctrina*[9]. — *Ecclesiam* etiam *corrumpit*, dum simulat distri- Secundo. ctionem institiae et persequitur spiritum vitae. Quid enim aliud est hoc, quam quod significatum est per praepositos Pharaonis, de quibus dicitur Exodi primo[10], quod *afflixerunt filios Israel et vel amaritudine*

---

[1] Ita DE, in aliis *opere*.

[2] Respicitur Matth. 23, 24. De ipsa re cfr. supra a. 2. in corp. circa finem.

[3] Ita recte K, in aliis et edd. *sentendi;* inferius cum DEK adiunximus *hac* ante *quaestione*, et substituimus *pariter*, quod clare exhibet H, pro *proposita*.

[4] Vers. 26. — Infra positiones fidei DEK *Unde de talibus* pro *de quibus*.

[5] Cap. 30, n. 38.

[6] Cap. 3. n. 4. Post *voluisse* plura hic adiuntur.

[7] Vers. 10: si quis non vult operari, nec manducet. — Inferius fidei DE substituimus *deviando* pro *declinando*, et *alterum extremum* cum eiusdem M pro *alterum extremitatem*, nec non cum edd. *verba* pro *verbo*.

[8] Luc. 10, 7. et 1. Tim. 5, 18. — Inferius pro *omnino* E *autem*.

[9] Epist. 1. Tim. 5, 17. Vulgata *laborant* pro *collaborant*.

[10] Vers. 13, seq. Vulgata: Oleraneque filios Israel Aegyptii et affligebant illudentes eis atque ad... perducebant vitam eorum operibus etc. Seq. locus est ibid. 5, 4. cum Glossa *ordinaria* ex Origene, homil. 3. in Exod. n. 3, apud Lyranum: Dolie quoque, si etc.

Digitized by Google

dinem perducebant, affligentes eos operibus duris luti et lateris, atque omni servitute? Et ne forte videar moveri spiritu proprio, audi, quid dicit Glossa super illud Exodi quinto: *Quare, Moyses et Aaron, sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra*: « Hodie si Moyses et Aaron, id est propheticus et sacerdotalis sermo, animam sollicitat ad servitium Dei, exire de saeculo, renuntiare omnibus, quae possidet, attendere legi et verbo Dei; continua audies unanimes amicos Pharaonis dicentes: videte, quomodo seducuntur homines, et perverituntur adolescentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid, quod prosit, et relictis rebus necessariis, inertias sectantur et otium! Quid est servire Deo? Laborare noluit et otii occasiones quaerunt. Haec erant tunc verba Pharaonis, haec et nunc amici eius loquuntur, nec solum verbis, sed etiam verberibus persequuntur ». Hucusque Glossa.

Quoniam igitur utraque harum opinionum vel sententiarum declinat ad extrema et declinando de-
Conclusio 2. pravat Scripturam et corrumpit Ecclesiam; ideo utraque reprehendenda est: prima, quia dat fomentum pigritiae, secunda, quia nititur exstinguere spiritum vitae sub onere servitutis Aegyptiacae; prima, quia fovet otium carnale, secunda, quia persequitur spirituale. Propterea secunda longe perversior est quam prima, licet utraque sit mala. Ideoque, utraque re-
Conclusio 3. pulsa, tenenda est via media, quod de pauperibus validis aliqui sunt astricti, aliqui vero absoluti, aliquibus indicitur sub praecepto, aliquibus pro consilio, aliquibus nec isto nec illo modo.

Ad cuius plenioren evidentiam[1] notandum est,
Explicatio et probatio. Triplex bonum et genus operis. quod regimen reipublicae in Ecclesia attenditur circa tria, scilicet quantum ad bonum *interius*, quod est corporale; quantum ad bonum *exterius*, quod est civile; et quantum ad bonum *interius*, quod est spirituale. Et secundum hoc triplex genus operis est necessarium ad regimen reipublicae et Ecclesiae militantis, scilicet opus *artificiale*, quod et *manuale* dicitur, quia « manus est organum organorum[2] », opus *civile* et opus *spirituale*. Opus *manuale* sive corporale dico, quod est necessarium ad praeparanda alimenta, vestimenta, habitacula et diversorum opificum et artium instrumenta. Opus *civile* dico, quod est ipsorum praesidum gubernantium, militum defendentium, mercatorum negotiantium et famulorum
Genera operum spiritualium. ministrantium. Opus *spirituale* dico, quod consistit in disseminando divina *verba*, in decantando divina *cantica*, in dispensando *Sacramenta* et in distribuendo *bona* sibi divinitus data, sive terrena, sive spiritualia. Nam *distribuere* sua pro Christo opus est *spirituale*, non civile nec civitatis terrenae. — Sicut Applicatio. ergo qui intenti sunt operibus civilibus reipublicae ad opera manualia per apostolicum praeceptum non intelliguntur astricti; sic nec hi qui intenti sunt spiritualibus, maxime si redundent[3] in aliorum salutem, commodum et profectum. Et idem occupatos in quatuor generibus operum spiritualium praedictorum excipit Augustinus a tentione apostolici praecepti in libro de Opere monachorum[4], cum dicit: « Si evangelistae sunt, si ministri altaris, si dispensatores Sacramentorum, plane hanc sibi vindicant potestatem; si saltem aliquid habebant in saeculo, quo facile sine opificio sustentarent hanc vitam, quod conversi ad Deum indigentibus dispertiti sunt ». Evangelistae autem disseminant divina verba; ministri altaris decantant divinas laudes et divina cantica; dispensatores Sacramentorum dispensant divina Sacramenta, et maxime eucharistiae vel poenitentiae; qui diviserunt suas possessiones distribuerunt bona sua: ergo digni sunt sustentari pro unica distributione temporalium, multo magis pro continua distributione[5] spiritualium, etsi nihil corporaliter operentur; et si ille qui docet filium alienus grammaticam, meretur ab eo sustentari, quare non ille qui docet viam regni caelestis, qui impetrat gratiam orando, qui etiam exemplis bonae vitae excitat et dirigit ad aeternam salutem? — Cum ergo respublica universalis Ecclesiae seu Concludatur. ecclesiasticae hierarchiae indigeat ad sui conservationem triplici opere supradicto; nec Deus nec Angelus nec pastor Ecclesiae vel rector, sicut Apostolus, astringit ad huiusmodi opera, nisi secundum quod exigit salus, necessitas et utilitas ipsius ecclesiasticae hierarchiae, cuius servi Christi sunt membra.

Et quoniam[6] inter membra Christi sunt quae-
Aliqui tenentur ad opus manuale. dam maxime idonea ad operationes corporales et minime ad spiritualia, quaedam e converso, quaedam medio modo; hinc est, quod illis pauperibus validis, qui ad opera corporalia maxime sunt idonei et minime ad spiritualia, qui convenienter aliter nescirent vitare otium et opus facere victu dignum, tales ad opera manualia astringuntur, et eis est opus manuale in *praecepto*. — His autem, qui simul spiritualibus suffi-
Alis hoc consulitur. cienter possunt intendere et labore manuum victum acquirere[7] vel in toto, vel magna parte, qualis fuit Apostolus Paulus, est opus manuale in *consilio*. — His
Alis minime. autem, qui maxime sunt idonei ad spiritualia opera praedicta, vel etiam ad civilia, et minime ad haec manualia, huiusmodi opera lucrativa et artificialia non sunt in *praecepto* nec etiam in *consilio*; quia

---

[1] K *intelligentiam*; superius D E *nec pro isto loco nec isto*; et infra M et edd. bis loco *regimen* pro *regimen*.

[2] Aristot., III. de Anima text. 38. (c. 8.). Cfr. tom. IV. pag. 627, nota 8. — Interius contra codd. minus bene edd. *meditando divina eunion... Sacramenta, in communicando bona*. Pro *astricti* E M et 1, 2, 3, 4 *astringi*.

[3] Edd. et codd. redundet.

[4] Cap. 21. n. 24. 25. Vide supra pag. 114, nota 7. et 9.

[5] Edd. omnes corrupte omittunt *temporalium*, *multo magis pro continua distributione*.

[6] In E, in aliis *Quoniam ergo*. Infra ante *modo* fide D K M adiecimus *quaedam modo*; deinde edd., excepta 5, ante *manuale* omittunt *opus*. — Constructio propositionis est incongrua.

[7] E K M *quaerere*.

Digitized by Google

stultum esset, quod pro re modicae utilitatis commune bonum magnum incurreret detrimentum; nec hoc ordinavit Deus nec eius Apostolus, sicut in sequentibus evidenter ostendetur.

Confirmatur. Quod autem de huiusmodi operibus et hominibus diversificari debeat iudicium secundum diversitatem donorum, officiorum et gratiarum sibi divinitus collatarum; ostendit Glossa super illud Deuteronomii vigesimo octavo[1]: *Benedictus fructus ventris tui et fructus terrae tuae et fructus iumentorum tuorum*, ita dicens: « Diversos ordines notat subditorum. Alii enim doctoribus corporalia praebent alimenta; alii laborare possunt quod sibi fuerit praeceptum; alii simplicitate contenti per innocentiam vitae student Deo placere; *unusquisque proprium donum habet ex Deo* ». — Concedendum est igitur, quod non omnes validi pauperes, etiam non curati, ad huiusmodi opera manualia sunt astricti; et concedendae sunt etiam auctoritates et rationes hoc ostendentes.

Solutio opponendorum. 1. 2. Ad illud autem quod primo obiicitur in contrarium de obligatione legis naturae; dicendum, quod *natura* ad hoc non astringit nisi ratione periculi vitandi. Nam si ex lege naturae haec manaret[2] obligatio, cuncti essent universaliter et aequaliter obligati; quod absurdissimum est. Ideo, si quis a natura astringitur, hoc non est nisi propter *vitandum*

Triplex periculum. *periculum*; et hoc potest esse tripliciter: aut quia non potest sine labore *vivere*, aut quia non potest *honeste vivere*, aut quia non potest *fructuose vivere*; in primo periclitatur *vitalitas*, in secundo *honestas*, in

Triplex amor naturalis. tertio *utilitas*. Est autem naturaliter insertus homini amor sui *esse continui*, amor *honesti* et amor *commodi*; et per hoc lege naturae astringitur homo ad vitandum hoc triplex periculum. Sic igitur astringitur necessario ad manualiter operandum pauper validus, si in tali articulo constitutus est, quod non potest aliter *vivere*, vel non potest *honeste vivere*[3] vel etiam non potest aliter *vivere fructuose*. Si autem aliter potest hoc periculum vitare aeque vel magis utiliter, astringi ad hoc non habet ex lege naturae. — Quod ergo obiicitur, quod homo ex prima sua conditione ordinatus est ad istam operationem; dicendum, quod nullus homo debet esse sine labore in hac vita, ne forte de eo dicatur quod de reprobis dicitur in Psalmo: *In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur*; sed ex hoc non sequitur, quod oporteat occupari circa laborem manuum et maxime lucrativum. — Et per hoc patet responsio ad sequens de exemplo Adae, quia constans est, quod non omnes obligantur ad opus agriculturae. Nec[4] illud quod dicitur: *In sudore vultus tui* etc., dictum est tunc in praeceptum vitae, sed in poenam culpae perpetratae, sicut patet per textum sequentem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod sine huiusmodi opere non potest genus humanum sustentari; dicendum, quod duplex est mandatum: unum, quod respicit conservationem[5] *individui*, aliud, quod respicit conservationem *speciei*, sicut est mandatum de manducando et mandatum de generando. Illud ergo, quod respicit conservationem *speciei*, non obligat nisi in communi, quia, uno implente, alius absolvitur, sicut patet de generatione; et quia opus manuale est huiusmodi, nisi in eo qui constitutus est in statu periculi; ideo non habet nisi talis astringi. Duplex mandatum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sicut os est ad manducandum, ita et manus ad operandum; dicendum, quod non est simile: quia, si homo posset vivere sine comestione, sicut potest vivere sine manuali opere; non teneretur manducare. — *Praeterea*, unus homo potest operari pro alio, sed non manducare pro alio; et ideo non oportet sic omnes astringi universaliter ad manualem operationem, sicut ad manducationem. Alia ratio.

5. 6. 7. 8. Ad illud quod obiicitur de *praecepto, exemplo, edicto* et *verbo apostolico*; notandum, quod circa apostolicum *praeceptum* consideranda est *persona*, cui praecipitur, *causa*, pro qua praecipitur, et *forma*, sub qua praecipitur. Si consideretur *persona*, non omnibus praecipit hoc generaliter, sed determinate quibusdam. Ait enim sic secundae ad Thessalonicenses tertio[6]: *Et audivimus quosdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem, qui huiusmodi sunt, denuntiamus, ut cum silentio operantes suum panem manducent.* Praecipit ergo *inquietis, curiosis* et *otiosis*. — Si autem consideretur *causa*, non est dubium, quin sit ad remotionem horum trium vitiorum. Quia enim labor corporalis valet ad *corpus domandum*, ad *otium tollendum*, ad *victum ho-* Tres notandae. Persona. Causa. Labor valet ad tria.

---

[1] Vers. 4. Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, sumta ex Rabano in hunc lo. In fine allegatur I. Cor. 7, 7. — Aliquanto inferius ante *ostendentes* solae edd. inepte addunt *probantes hoc*.

[2] Edd., excepta 5, *maneret*. Inferius pro *tripliciter* edd. *triplex*. Deinde ante *sine labore* Vat. et 5 adiiciunt *fructuose*, refragantibus codd. et 1, 2, 3, 4, a quibus hoc verbum erontra recte inferius supplentur ante *vivere*. — De triplici appetitu cfr. II. Sent. d. 25. p. I. q. 1. in corp. et ibi nota 1.

[3] Edd. et M *sine uste* pro *vivere*, et post *vel* omittunt *etiam* [M habet *cum*]. — Inferius allegatur Ps. 72, 5.

[4] Edd. *Ad*, et mox praefigunt *non* ante *dictum*; superius edd. *ab exemplo* pro *de exemplo*, et inferius *praeceptum iuris* pro *praeceptum vitae*. — Textus sequens (Gen. 3, 19.) est: Donec revertaris in terram, de qua sumtus es, quia pulvis es etc. Magis vero assertio illa patet ex praecedentibus (v. 17. 18.): *Quia audisti* vocem uxoris tuae et comedisti de ligno etc.

[5] In solis edd. desiderantur verba *quod respicit conservationem*. Deinde pro *manducando* K *comedendo*; denique edd. omittunt *potest* ante *de generatione* (cfr. IV. Sent. d. 26. a. 1. q. 3.). Infra post *huiusmodi* illud *nisi* stat pro *praeterquam*; quod, teste Forcellini, etiam apud classicos invenitur.

[6] Vers. 11. 12: Audivimus enim, quosdam inter vos.... his autem etc.

Digitized by Google

neste quaerendum; ideo[1] Apostolus imponebat eis laborem quasi in vitiorum istorum medicamentum. Nam *inquieti* labore domante, *otiosi* labore excitante, *curiosi* « et foeda cura victum quaerentes », ut dicit Glossa, indigent labore victum promerente. Ideo Apostolus quasi per se loquitur et proprie et sufficientissime in praedicto mandato, si attendatur *causa*.

Forma. — Si vero attendatur *forma*, sub qua praecipit, constans est, quod debet convenire cum *causa*. Apostolicum[2] enim hoc praeceptum est; et ad tria praedicta ille *astringitur*, qui non potest habere illa tria per aliam viam licitam et convenientem; qui vero potest, *non astringitur* determinate ad hanc viam, quantum est de ipsius praecepti efficacia, quod dedit Apostolus ad ordinandam et aedificandam Ecclesiam, non ad destruendam illam, secundum potestatem, quam ad aedificationem dicit[3] sibi divinitus datam. — Dicendum ergo, quod apostolicum *praeceptum*, *exemplum*, *edictum* et *iudicium* illos obligat potissime, qui sunt *inquieti*, *otiosi* et *curiosi*, ut ab his redeant; vel eos qui non possunt aliter convenienter quam per laborem corporalem vitare vitia supradicta, sicut manifeste ostensum est.

De Glossa in fine 8. arg. Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod vult Apostolus, servos Dei corporaliter operari; dicendum, quod si istud est[4] velle *praecepti*, intelligendum est *indefinite* de servis Dei, id est, de his qui sunt ad servitium dominicum conversi, qui per maiora et utiliora opera non sunt a manuali opere excusati, sicut exemplificat Augustinus[5] de his qui vitam in saeculo de labore corporali transigebant; et sic illud *indefinite* debet intelligi et *non universaliter*, quia absurdum esset dicere, quod omnes servi Dei ad hoc sint astricti. — Patet etiam hoc, quia Augustinus, a quo sumta sunt verba illius Glossae, sed mutata, excipit quatuor genera hominum, quos dicit non teneri, ut labore proprio victum quaerant, sicut ostensum est supra[6]: unde super praedictam Glossam innitendum non est; tum quia *mutat* verba Augustini. Dicit enim in originali: « Primum debemus ostendere, Apostolum corporalia opera servos Dei operari *voluisse*, ut victu et vestitu a nullo indigerent », nec aliquam mentionem fecit de *petitione;* quia illi, contra quos agebat, non vivebant de *petitis*, sed *oblatis*, sicut in secundo libro Retractationum dicit. Facienda est ergo vis in hoc, quod dicit *voluisse*, quod non semper praeceptum est; et in hoc, quod dicit *servos Dei*, quod indefinite dictum est; et in hoc, quod dicit *ne compellantur*, quod non pertinet ad pauperes voluntarios, sed potius ad invitos.

9. Ad illud Augustini[7]: Audiant quibus hoc praeceptum est etc.; dicendum, quod habere potestatem vivendi de alieno, hoc est tripliciter: vel secundum legem *iustitiae*, vel secundum legem *clementiae*, vel mixtim secundum *utramque*. Secundum legem *iustitiae* habent illi qui habent auctoritatem officii et *operis onus;* et tales possunt *potestative* petere et in iudicium trahere. — Secundum legem *clementiae* potestatem habent vivendi de alieno qui possunt sufficientem allegare miseriam, per quam digni sunt misericordia, ut pauperes infirmi. — Secundum *utramque* vero habent illi qui opera faciunt apostolica, non tamen incedunt cum *auctoritatis dignitate*, sed cum *humilitate paupertatis;* et ideo digni sunt sustentari tanquam operarii et tanquam egeni. Qui ergo *nullo modo* habent hanc potestatem absque dubio obligantur per apostolicum praeceptum; sed non sunt omnes tales, sicut visum est. Triplex modus vivendi de alieno.

10. Ad illud quod obiicit, quod opera spiritualia non excusant; dicendum, quod « sermones inopi- Notandum.
rendi sunt secundum materiam[8] ». Augustinus autem loquitur ibi de monachis, qui ex professione ad opus manuale erant astricti, qui ex elatione erant contentiosi, et licet simularent spiritualitatem, erant tamen curiosi et otiosi; et talibus dicit, quod non possunt per huiusmodi opera excusari, quia revera in eis non erant spiritualia, sed infecta. — *Praeterea*, illa opera spiritualia non redundabant in manifestam utilitatem reipublicae, quia nec praedicabant nec docebant nec confessiones excipiebant[9] nec animarum salutem suis consiliis procurabant, quin potius sibi vacando impediebant, et eorum vacatio generabat in Ecclesia litem et dissensionem ad invicem monachorum et erat in pallium illorum monachorum gyrovagorum, sicut melius in sequenti videbitur. Alia ratio.

11. Ad illud quod obiicit de clericis, dicendum, quod nec clerici pauperes universaliter ad opera manualia per canones astringuntur nisi propter otium vitandum, vel victum acquirendum, si illum acquirere honeste aliter non possunt; alioquin valde du-

---

[1] Solae edd. non bene *idem;* Inferius M et Vat. *sedula cura* pro *et foeda cura.* — Verba haec sunt ex Glossa *ordinaria* apud Strabum, sumta ex Comment. olim Ambrosio attributo ad II. Thess. 3, 11.

[2] K *Et.* Inferius pro *qui vero* D *in quantum vero.*

[3] Epist. II. Cor. 10, 8: Quam (potestatem) dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem vestram. — Superius edd. et codd., excepto K, *ornandam* pro *ordinandam.* Inferius pro *ab his redeant* M *ab his recedant,* sed D corrupte *ab illis petant,* E *ab illis peccant.* Fortasse originale habuit: *ab illis peccatis recedant (redeant).*

[4] M et edd. *illud esset.*

[5] De Opere monachorum c. 25. n. 33; cfr. supra pag. 154, nota 8; et infra pag. 164, nota 4. Inferius secuti sumus lectionem E, dum alii legunt *a quo verba illius Glossae accepta sunt.*

[6] Scil. in corp. post verba *Ad cuius plenioren evidentiam.* — Seq. locus August. est de Opere monachorum, c. 3. n. 4; alter vero II. Retract. c. 21.

[7] Haec subdit et duae seqq. non inveniuntur in edd., sicut nec obiectiones; supplevimus eas ex D E K.

[8] Ut dicit Aristot., II. Ethic. c. 2. Cfr. tom. I. pag. 10, nota 2.

[9] E *audiebant.*

Digitized by Google

rum esset, tot homines damnari; et impium valde videtur dicere, quod clerici bonae indolis[1] studio litterarum continuo intendentes, si sint pauperes et fortes, quod ad opera manualia sint astricti.

De monachis in genere.

12. Ad illud quod obiicitur de monachis, dicendum, quod monachi regulares aliqui habent in professione et voto laborem manualem, aliqui vero minime. Ratio vero huius est diversitas professionum ex parte *temporum*, *personarum* et *intentionum*. — Ex parte *temporum*: quia circa tempora primitivae Ecclesiae quatuor erant genera monachorum, sicut distinguit beatus Benedictus in principio regulae suae[2], scilicet coenobitae, anachoretae, sarabaitae et gyrovagi. Primi erant boni, secundi optimi, tertii mali, et quarti pessimi. Tertii enim et quarti non dirigebantur iugo alicui, sed secundum proprias concupiscentias ambulabant: sarabaitae intendentes carni, gyrovagi mutabiles et vagabundi et ad omnia mala parati. Secundi, scilicet anachoretae, regula non indigebant, quia tamquam perfectissimi regulabantur a gratia. Primis debebat regula dari, ut distinguerentur a gyrovagis et sarabaitis; et conveniens fuit, ut compellerentur exterius exire, ad laborem corporalem eos astringi. Unde Augustinus in libro de Opere monachorum[3] ait: « Callidissimus hostis tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes ». Et post: « Nonne *calescit cor vestrum intra vos*, et in *meditatione* vestra *exardescit ignis*, ut istorum mala opera bonis operibus persequamini, ut eis amputetis occasionem turpium mendacium, quibus aestimato vestra laeditur, et infirmis offendiculum ponitur? Miserendo ergo et compatimini et ostendite hominibus, non vos in otio facilem victum quaerere, sed per angustam et arctam viam bonus propositi regnum Dei quaerere. Eadem vobis ratio est, quae fuit Apostolo, ut *amputetis occasionem his qui quaerunt occasionem*, ut qui illorum paleribus praedicantur in vestro bono odore reliciantur ». Hucusque Augustinus.

Triplex diversitas professionum.

Ex parte temporum.

Ex parte personarum.

Ex parte *personarum* noventium: quia monachi hunc temporis pro maxima parte erant laici et plebeii[4]; et ideo competebat eis circa consueta opera occupari. Unde Augustinus in libro de Opere monachorum: « Illi qui praeter istam sanctam societatem vitam labore corporis transigebant, ex quorum numero plures ad monasteria veniunt; si nolunt operari, non manducent. Neque enim in christiana militia ad paupertatem divites humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur; nulloque modo liceret, ut in ea vita, ubi senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi; et quo veniunt, relictis deliciis, qui fuerunt praediorum domini, ibi fiant rustici delicati ».

Ex parte intentionum.

Ex parte *intentionum*: quia monasteria primitiva instituta erant ad vitam solitariam agendam, ut unusquisque haberet curam sui et apud se habitaret, et ideo *monachus* dictus est. Et quia paucissimorum est semper posse[5] divinis intendere; ideo, ne otiosi essent, congruebat eorum professioni exerceri circa opus manuale. Unde Hieronymus ad Rusticum: « Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque labore suscipiant, non tam propter victus necessario quam propter animae salutem, ne vagentur pernicioso cogitationibus et ad instar fornicantis Ierusalem omni transeunti divarient pedes suos ».

Concluditur.

Competebat ergo monasteriis primi temporis astringi ex professione ad opus manuale, ratione *temporis*, *personarum* et *intentionum*[6]. Sed post instantibus temporibus modernis, quando illi gyrovagi erant consumti, et Ecclesia opulenta fuit tam in clericis quam in monachis; magis erat opus claustrum circa spirituale exercitium; et hinc est, quod monachi laborem manualem sive corporalem bene et recte in spiritualem exercitationem et psalmodiam commutaverunt. Et quia Ecclesiae iam dilatae magis indigebant spiritualibus operariis quam vinitoribus et agricolis; hinc est, quod Spiritus sanctus religiones pauperculas suscitavit, quarum sollicitudo et cura tota esset ad *signandos servos Dei in frontibus eorum signo Dei vivi*[7], vocando ad poenitentiam et ad gratiam Spiritus sancti. Unde utraeque[8] a sua primaria institutione habent officium praedicandi; et ideo, cum tales circa opera spiritualia sint intenti — propter quae alii ab aliis merentur sustentari — nec sunt otiosi nec curiosi sic vivendo nec in periculo, cum Dominus eos paverit usque modo; nec habent hoc ex voto: ideo nec ipsi nec omnes pauperes voluntarii, licet sint validi, sunt ad opus corporale

Notandum.

---

[1] E *clerici boni in scholis*.

[2] Cap. 1. — *Sunt* supplevimus ex D E, et post *testu* ex D E K *meth*; post *gyrovagi* K *instabiles* pro *mutabiles*, et pro *omnes* D *opera*; denique ex D E et 5 supplevimus *et* ante *conveniens*.

[3] Cap. 28, n. 36. Vide supra pag. 140, nota 5. Seq. locus ibid., ubi respicitur Ps. 38, 4. [Vulgata *concaluit*, August. *concalescit*]. Pro *mendacium* D E *mendacitatum*, qui et omittunt *et compatimini*, relinquunt etiam originali, in quo *existimatio* pro *aestimatio*, et cum K *vobis causa* pro *vobis ratio*. — In hunc respicitur Matth. 7, 14: Quam angusta porta et arcta via etc., et II. Cor. 11, 12: Ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem.

[4] E *laici plebis*. — Locus August. est libr. cit. c. 25, n. 33, sed nonnullis hic omissis. Cfr. supra pag. 140, nota 4, et pag. 151, nota 5.

[5] Fide D E K supplevimus *posse*; mox E *opera manualia* pro *opus manuale*. — Locus Hieron. est Epist. 125, (alias 4.) n. 11, ubi circa finem sic: *ne vagetur* perniciosis cogitationibus mens et instar... divariceat pedes suos [respicitur Ezech. 16, 25.].

[6] Codd. et edd. male *professionis*. Inferius Vat. et 5 perperam *modicus* pro *modernus*; subinde pro *opulenta* M *opulentior*.

[7] Apoc. 7, 3. — Inferius respicitur Matth. 6, 26: Pater vester caelestis pascit illa etc.

[8] Scilicet religiones Praedicatorum et Minorum.

Digitized by Google

astricti, quia nec ratione *periculi* nec ratione *praecepti* apostolici nec ratione *voti emissi*, ut manifeste liquet ex praemissis.

De loco Augustini.

Ad illud quod obiicitur de Augustino, in libro de Opere monachorum, dicendum, quod beatus Augustinus in libro illo non ad hos loquitur, sed ad primos, qui opera corporalia, quae habebant ex professione, sub praetextu spiritualitatis contemnebant; quia nec propter spiritualia debebant omittere corporalia, nec etiam e converso. Unde Bernardus, ad tales loquens, in Apologia [1] ait: « Ium vero de labore manuum quid gloriamini, cum et Martha laborans increpata, et Maria quiescens laudata sit, et Paulus aperte dicat: *Labor corporalis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia?* Optimus labor, de quo Propheta dicebat: *Laboravi in gemitu meo;* et de quo alibi: *Memor fui Dei, et delectatus sum et exercitatus sum;* ar ne corporale intelligas exercitium, *et defecit spiritus meus*, inquit; unde ubi non corpus, sed spiritus fatigatur, spiritualis labor procul dubio intelligitur. Quid ergo, inquis? Siccine spiritualia illa persuales, ut etiam haec quae ex regula habemus corporalia damnes? Nequaquam. Sed *illa oportet agere et ista non omittere;* alioquin, cum aut ista omitti necesse est, aut illa: ista potius omittenda sunt quam illa. Quanto enim spiritus melior est corpore, tanto spiritualis quam corporalis exercitatio fructuosior. Tu vero, cum, de hominum observatione elatus, aliis non eadem observantibus derogas, nonne te magis regulae transgressorem indicas, cuius, licet minima quaedam teneas, meliora devitas ». — Sunt ergo ad opus manuale astricti illi qui habent hoc [2] ex obligatione professionis, nisi forte opus manuale commutent in opus spirituale, ita quod hoc etiam sit de voluntate et licentia superioris.

Notandum.

13. Ad illud quod obiicitur de Glossa, Lucae undecimo, dicendum, quod illud totum est *consilium*, sicut textus ille, super quem Glossa fundatur. Nec aliquis ad totum illud nec ad partem se astringit, nisi quantum ex professione promittit. Unde sicut eleemosynas dare non est praeceptum ei qui omnia dedit, nec simpliciter praecipitur omnia dari [3]; sic nec illud intermedium, scilicet *operari*, tenet ibi rationem obligationis necessariae, sed solius suasionis monitoriae, vel etiam consultivae.

14. 15. Ad illud quod obiicitur de Hieronymo et Benedicto, iam manifesta est responsio per praedicta.

De regula S. Francisci.

16. Ad illud quod obiicitur de beato Francisco, dicendum, quod in regula beati Francisci quaedam dicuntur *praeceptorie*, quaedam *monitorie*, quaedam *informative*, sicut ipsa regula per aperta vocabula distinguit expresse. Hoc autem, quod dictum est de labore, non est dictum *praeceptorie*, quia non imperaret, quod *facerent devote* [4], cum hoc non sit in nostra potestate, sed dictum est *informative*. Informat enim, *quorum* sit manualiter operari et *qualiter*: quia *illorum*, qui habent *gratiam*, id est facultatem virtutis et industriam artis et opportunitatem loci et temporis; *qualiter*, quia *fideliter* ad proximum, *devote* ad Deum et *modeste* ad se ipsos. Unde sanctus Pater [5], intelligens per Spiritum sanctum suam vocationem et collectionem fratrum suorum, in qua erant laici cum clericis, nec mandatum dedit de manualiter operando, ne clerici omitterent spiritualia propter minus utilia; nec tamen omnino retinuit, ne laici et qui non sunt ad spiritualia idonei nec circa necessaria fratrum intendi nec adhuc sunt ad contemplationis indefessum otium elevati panem comederent otiosi. Cum enim omnibus sit cavenda otiositas tanquam sentina omnium vitiorum [6]; potissime his cavenda est, qui se perfectioni evangelicae astrinxerunt. — Sic ergo patet, quod non omnes validi pauperes, etiam non curati, ad opera manualia sunt astricti [7].

Otiositas cavenda.

---

[1] Scil. ad Guliehmum, abbatem S. Theodorici, c. 6. 7, n. 12. 13. — Verba ultima post *mitrem*, quae desunt in edd. et aliis codd., ex D E K et originali supplevimus. — Allegantur vel respiciuntur Luc. 10, 40. seq., 1. Tim. 4, 8, ubi Vulgata: Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est... ad omnia utilis est; Ps. 6, 7; 76, 4; Luc. 11, 42.

[2] Supplevimus ex E K *hoc*, et *opus* ante *spirituale*, post quod K prosequitur *si tamen hoc sit*.

[3] Verba *nec simpliciter... dari* supplevimus ex D E, et iterum post *tenet* ex E K M *ita*.

[4] Cap. 5: Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod... orationis ac devotionis spiritum non exstinguant etc. — Superius ante *aperta* scilae edd. perperam omittunt *per*, et inferius pro *id est* ponunt *et*, refragantibus E K.

[5] M et edd., refragantibus D E K, omittunt *Pater*, et deinde *collectionem fratrum suorum*, et post *operando* verba *ne clerici... utilia*; denique post *retinuit* pro *ne* ponunt *ut*, addentes *non* post *panem*.

[6] Hieron., V. in Ezech. c. 16, 51. dicit, « quod videlicet semper aliquid agendum sit, ne ager pectoris nostri, cessante manu, malarum cogitationum sentibus occupetur.

[7] Ultima propositio: *Sic ergo* etc., omittitur in nostris codd., pro qua D E habet *etc.* M. *Deo gratias in saec. saec. Amen etc.* — Iuvat observare, S. Bonaventuram, postquam ad regimen totius Ordinis fratrum Minorum promotus est, praeter minora opuscula aliud insigne opus de eisdem et cohaerentis circa paupertatem controversiis composuisse, inscriptum *Apologia pauperum*, in quo catholicam de perfectione evangelica doctrinam mirifice defendit, non tamen in forma, quae quaestionibus disputatis tunc erat propria. In tertia eiusdem operis parte multa superius dicta repetuntur et confirmantur, scilicet p. III. c. 1. 2. 3. et p. IV. c. 1. 2. agitur de *abrenuntiatione;* p. IV. c. 3. de *mendicitate* et *labore manuum*.

Digitized by Google

QUAESTIO III.

De continentia.

Postquam habitum est de paupertate, restat nunc agere[1] de continentia; circa quam secundum tres partes ipsius triplex quaestio inducetur.

Nam primo quaerendum est de pudicitia coniugali.

Secundo, de continentia viduali.

Tertio, de sanctimonia virginali; et hoc totum per comparationem ad legem evangelicam et divinam.

ARTICULUS I.

De pudicitia coniugali.

Est igitur prima quaestio, utrum coniugalis pudicitia sit secundum legem evangelicam et approbanda. Et quod sic, ostenditur *auctoritate* et *ratione; auctoritate* sic.

Fundamenta. 1. Matthaei decimo nono[2], respondens Dominus ad quaestionem sibi factam de matrimonio: *Non legistis, quia qui fecit homines ab initio masculum et feminam fecit;* et post: *Quos Deus coniunxit homo non separet?* Connectio ergo maris et feminae secundum individuam vitae consuetudinem est ex institutione Dei et approbata in lege Evangelii per sententiam Christi; et secundum hanc attenditur actus coniugalis pudicitiae: ergo virtus ista et eius actus consonat legi divinae.

2. Item, Ioannis secundo[3]: *Vocatus est Iesus et discipuli eius ad nuptias;* et consequenter ostendit, quod primum miraculum fecit ibi; sed si actus nuptialis non esset consonus legi Dei, Christus per sui ipsius praesentiam non approbasset: ergo etc.

3. Item, primae Petri tertio[4]: *Viri cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem;* sed hoc est secundum actum coniugalem: ergo actus coniugalis est consonus legi Dei.

4. Item, primae ad Timotheum secundo[5] dicitur de muliere: *Salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide et dilectione cum sanctificatione;* sed in actu coniugali est generatio filiorum, et illud est consonum legi Dei: ergo etc.

5. Item, ad Ephesios quinto[6]: *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam;* sed coniunctio Christi ad Ecclesiam est secundum amorem castissimum: ergo et coniunctio viri ad mulierem est secundum amorem castum. Sed amor castus est consonus legi Dei: ergo et eius actus.

6. Item, primae ad Corinthios septimo[7]: *Uxori vir debitum reddat, et uxor viro. Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier:* ergo virum debitum reddere uxori est consonum legi Dei; sed hoc fit secundum actum coniugalem: ergo etc.

7. Item, ibidem[8]: *Si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat:* ergo si prius erat continens sine uxore, videtur, quod et post erit continens cum uxore etc.

Item, hoc idem ostenditur *ratione* sic.

8. Omne illud, quod consonat *evangelicis Sacramentis*, est bonum et laudabile; sed continentia coniugalis est huiusmodi: ergo est bona et laudabilis. *Maior* patet; *minor* probatur: ad Ephesios quinto[9]: *Sacramentum hoc magnum est* etc.: ergo continentia coniugalis est consona legi Dei.

9. Item, quod consonat *divinis praeceptis* est opus virtutis et consonum legi Dei; sed actus coniugii est huiusmodi: ergo est opus virtutis. *Minor* probatur: Genesis primo[10]: *Crescite et multiplicamini* etc.; sed hoc fit per actum coniugalem: ergo etc.

10. Item, quod consonat *naturali dictamini* et ex ratione procedit est opus virtutis; « virtus enim

---

[1] A D omittunt *agere*. — De toto 1. articulo (de continentia coniugali) cfr. IV. Sent. d. 26. a. 1. q. 1-3; de triplici bono coniugii d. 31. a. 1. q. 1-3; de actu matrimoniali licito et illicito ibid. a. 2. q. 1-3; de obligatione debiti d. 32. a. 1-3. — Textus huius quaestionis sumtus est ex codd. A D E.

[2] Vers. 4, deinde v. 6, in quo Vulgata *Quod* pro *Quos*. — Subinde respicitur definitio matrimonii: Coniunctio maris et feminae individuam vitae consuetudinem retinens. Vide tom. IV. pag. 684, nota 4.

[3] Vers. 2. et seqq. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 9. n. 2.

[4] Vers. 7.

[5] Vers. 15. Vulgata: Salvabitur... dilectione *et* sanctificatione *cum sobrietate*.

[6] Vers. 25. Vulgata: Viri... Christus *dilexit* Ecclesiam.

[7] Vers. 3. 4. Vulgata: *Similiter autem* et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem... sed vir. Similiter autem et vir sui corporis... sed mulier. — Secuti sumus lectionem A, ut conclusio prima praemissis magis congruat. E D post *vero* legunt *Mulier potestatem... sed vir: ergo debitum reddere uxori* etc.

[8] Vers. 28. Vulgata: Si... virgo, non *peccavit*.

[9] Vers. 32. — Pro *est consona* A *consonat*.

[10] Vers. 28. — A post *probatur* addit *sic*.

Digitized by Google

est habitus in modum naturae rationi consentaneus »[1]; sed continentia coniugalis consonat naturali dictamini et ex ratione procedit: ergo etc.

11. Item, quod consonat *bono naturali et communi* consonat legi Dei; sed actus coniugalis est huiusmodi, quia est ad hominum multiplicationem seu speciei conservationem: ergo etc.

12. Item, triplex est ratio appetibilis, scilicet *honestum*, *conferens* et *delectabile*[2]; sed ubicumque sunt ista tria, illud est consonum legi Dei; in matrimonio est *honestum* per fidem et etiam *conferens* et *delectabile* per filiorum generationem: ergo etc.

13. Item, quod est cibus ad conservationem individui, hoc est concubitus ad conservationem speciei; sed moderatus usus cibi est virtutis, ut sobrietatis: ergo et moderatus concubitus est virtutis, scilicet castitatis: ergo est consonus legi Dei.

CONTRA: 1. Lucae vigesimo[3]: *Filii huius saeculi nubunt et traduntur ad nuptias* etc.; sed filii huius saeculi non sunt filii Dei: ergo per actum coniugalem, quem exercent, non sunt filii Dei: ergo continentia coniugalis est repugnans legi Dei. Ad oppositum.

2. Item, ad Romanos octavo[4]: *Qui autem in carne sunt Deo placere non possunt*; sed per quod actum carnalem exercent dicuntur esse in carne: ergo tales Deo placere non possunt: ergo etc.

3. Item, ad Galatas sexto[5]: *Qui seminat in carne de carne metet corruptionem*; sed seminare in carne fit per actum continentiae coniugalis: ergo continentia coniugalis est contraria legi Dei.

4. Item, primae ad Corinthios septimo[6]: *Qui cum uxore est sollicitus est quae sunt mundi, et quomodo placeat uxori*; sed sollicitudo et complacentia huius mundi damnatur et est contraria legi Dei: ergo et continentia coniugalis.

5. Item, ibidem[7]: *Qui habent uxores sint tanquam non habentes*; sed qui non habet uxorem non utitur ea: ergo qui habet ea non utatur. Sed hoc est contrarium actui continentiae coniugalis: ergo continentia coniugalis repugnat legi Dei.

6. Item, ibidem[8]: *Iterum revertamini in idipsum; hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*; sed nullus actus virtutis habet indulgentiam: ergo actus continentiae coniugalis non est actus virtutis: ergo etc.

Item, hoc idem ostenditur *ratione* sic.

7. Omne illud est malum, ad quod de necessitate sequitur peccatum; sed ad actum continentiae coniugalis de necessitate sequitur peccatum, scilicet originale in prole generata[9]: ergo etc.

8. Item, omnis actus, quem de necessitate concomitatur malum, vituperabilis est; sed actum continentiae coniugalis de necessitate concomitatur malum, scilicet libido: ergo est vituperabilis: ergo etc.

9. Item, omnis actus, de quo aliquis rationabiliter erubescit, est actus vituperabilis; sed actus, quo vir commiscetur uxori[10], est talis: ergo etc.

10. Item, omnis actus et motus alienans a Deo est a virtute extraneus; sed actus continentiae coniugalis est talis: ergo etc. *Probatio mediae*: Osee primo[11]; Glossa: « Sicut vinum inebriat hominem et a statu suae mentis alienat, sic lex coniugii alienat hominem ab his quae Dei sunt »: ergo etc.

11. Item, nullus actus, in quo absorbetur ratio, est actus virtutis; sed in actu continentiae coniugalis totaliter absorbetur ratio: ergo non est opus virtutis.

12. Item, nullus actus, qui repugnat delectationi spirituali, est modus virtutis; sed actus continentiae coniugalis est talis: ergo etc.

13. Item, omnis virtus consistit circa medium[12]; sed delectatio, quae est in actu coniugali, est excessiva: ergo eius actus non erit actus nec opus virtutis.

14. Item, omnis virtus est circa bonum et difficile; sed actus coniugalis est fragilis[13] et facilis: ergo non est opus virtutis.

15. Item, continentiae *actus* est *continere*; *continere* autem est a concubitu abstinere: ergo huic[14] cum sit contrarium uxorem cognoscere, erit et contrarium continentiae, ac per hoc nec virtus nec opus virtutis, et sic repugnans vel dissonum a lege Dei.

CONCLUSIO.

Pudicitia coniugalis approbabilis est et consona legi Dei, et quidem secundum omnes temporis decurrentis status.

RESPONDEO: Dicendum, quod absque dubio pudicitia coniugalis approbabilis est et consona legi Dei, Conclusio.

---

[1] Teste Cicerone, II. Rhet. c. 54; cfr. supra pag. 53, nota 4.

[2] Cfr. II. Sent. d. 25. p. 1. q. 1. in corp., ubi in nota 4. loci Aristot. citantur, et IV. Sent. d. 31. a. 1. q. 1. — Pro *in matrimonio* A *sed matrimonium*.

[3] Vers. 34. — Loco verborum *coniugalem, quem exercent* E D habent lacunam.

[4] Vers. 8. Post *sed per* supple *hoc*. — Codd. pluries non conveniunt in ordine argg., quae ordinavimus secundum ordinem solutionum.

[5] Vers. 8. Vulgata: Quoniam qui... carne *sua* de carne *et*...

[6] Vers. 33. [7] Vers. 29.

[8] Vers. 5. 6. Post *in idipsum* Vulgata addit: ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. — In A D desunt verba: *non secundum imperium* usque ad *indulgentiam*.

[9] De hoc et seqq. argg. cfr. II. Sent. d. 30. seq. et IV. d. 31.

[10] Ita A, sed E D *mulieri*.

[11] Vers. 14. Glossa secundum sensum est sumta ex Hieron., Comment. in Osee lib. I. c. 4: Sicut enim vinum et ebrietas eum qui biberit mentis suae impotem facit, ita et fornicatio ac voluptas pervertit sensum animumque debilitat. — Codd. citant sic: Io. I.

[12] Aristot., II. Ethic. c. 6; cfr. II. Sent. pag. 671, nota 9.

[13] Idem hic est ac *mollis* sive *effeminatus*, ut etiam apud classicos usurpatur. — *Maior* docetur ab Aristot., II. Ethic. c. 3; cfr. supra pag. 139, nota 4.

[14] Codd. male *hoc*; cfr. infra a. 2. arg. 2. ad oppos. Quoad illos errores, ortos ex confusione terminorum *continentiae* et *continere*, codd. invicem se corrigunt.

Digitized by Google

non solum secundum statum praesentis temporis [1] aut futuri, verum etiam a principio mundi usque ad finem praesentis saeculi, quousque electorum numerus compleatur.

Probatur tripliciter. Ad cuius intelligentiam notandum, quod ipsa pudicitia coniugalis et ipsius actus et usus consonat legi *naturae* et legi *Scripturae* et legi *gratiae*.

Consonat legi naturae triplicitER. Primo. Legi *naturae* consonat ratione ipsius *naturae conditae*, ratione *praeceptionis superadditae*, ratione *revelationis desuper ostensae*. — Consonat, inquam, ipsi legi naturae ratione *naturae conditae*, quae formata fuit in sexuum distinctione, secundum illud Genesis primo [2]: *Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, masculum et*

Secundo. *feminam creavit eos*. — Consonat etiam ratione *praeceptionis superadditae*, adhuc lege naturae manente, secundum illud Genesis primo [3]: *Benedixit illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram*; quod quidem non fit legitime nisi per

Tertio. usum pudicitiae coniugalis. — Consonat nihilominus ratione *revelationis desuper datae*. Nam Adam prophetice dixit post soporationem: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*. Hoc verbum dicitur *Deus* dixisse Matthaei decimo nono [4], quia Adam illud dixit divino Spiritu illustratus. —

Concluditur. Ex primo horum coniunctio viri et mulieris est *naturalis*, ex secundo est *moralis*, ex tertio est *sacramentalis*; et hoc totum sibi competit secundum statum legis naturae; ex quo [5] primo originem trahit actus et usus ipsius pudicitiae coniugalis.

Item tripliciter legi scripturae. Primo. Consonat etiam legi *scriptae* ratione divini *promissi*, divini *miraculi* et divini *statuti*. Ratione divini *promissi*: quia Dominus promisit Abrahae, Genesis decimo septimo [6]: *Eris pater multarum gentium; faciamque te crescere vehementissime, et ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur*. —

Secundo. Ratione divini *miraculi*, secundum illud Genesis vigesimo primo [7]: *Visitavit Dominus Saram, sicut promiserat, et implevit quae locutus est, concepitque et peperit filium in senectute sua eo tempore, quo*

Tertio. *praedixerat ei Deus*. — Consonat etiam ratione divini *statuti*, Levitici decimo octavo [8]. Nam leges statuit Dominus, secundum quas attenditur legitimitas in personis, quae contrahunt. Ait enim: *Ego Dominus Deus vester; custodite leges meas atque iudicia, quae faciens homo, vivet in eis. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat* etc. — Ex quo igitur Dominus tanquam beneficium promisit, se daturum prolem Abrahae per viam coniugii, et emortuam [9] vulvam Sarae mirabiliter fecundavit, leges etiam dedit, secundum quas matrimonium contrahendum est: patet, quod pudicitia coniugalis consonat legi *scriptae*. Concluditur.

Item tripliciter legi gratiae. Primo. Consonat etiam nihilominus legi *gratiae*, primo quidem ratione *denuntiationis angelicae*, secundum illud Lucae primo [10]: *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua, et Elisabeth, uxor tua, pariet tibi filium*; hoc autem meruerat Zacharias per orationem devotam et per vitam sanctam in lege coniugii pudice servata; unde dicitur Lucae primo, quod *ambo erant iusti ante Dominum, incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini, sine querela*. — Secundo ratione *definitionis dominicae*, non solum per *factum*, quo nuptiis interfuit [11], sed etiam per *verbum*, quo sententialiter definivit, Matthaei decimo nono: *Quos Deus coniunxit homo non separet*. — Tertio etiam consonat ratione *eruditionis apostolicae*. Nam Petrus et Paulus, principales ordinatores Ecclesiae, utrique [12] commendant et matrimonium et legem et fidem tori et solutionem debiti et amorem mutuum uxoris et viri. — Quoniam igitur coniugalis pudicitia approbatur et *ore apostolico* et *verbo evangelico* et *ore angelico* et *ore divino*; approbatur etiam a *natura*, quae est lex indita, et a *Scriptura* seu lege Moysaica et a lege evangelica: manifestum est, quod ipsi legi divinae consonat et secundum eam est approbanda. Et mirum est, quomodo haereticorum perfidia ita insanit, ut coniugalem pudicitiam reprobet tot irrefragabilibus testimoniis approbatam. — Unde Augustinus, de Ecclesiasticis Dogmatibus [13]: « Malus dicere nuptias, aut fornicationem comparandas, aut stupris, et cibos credere malos, non hoc Christianorum, sed Manichaeorum est ». Secundo. Tertio. Concluditur.

Determinatio. Sed hoc attendendum est, quod licet ipsum coniugium sit in omni statu et tempore approbandum, in primo tamen statu, scilicet naturae *institutae*, fuit in *Sacramentum* et *officium*; sed labente homine, ratione *naturae* fuit in *officium*, ratione vero *morbi* fuit in *remedium* [14]. Quia enim *Sacramentum* est, ideo est potius ipsius morbi remediatio, quam inficiatur a morbo; unde nunc tenet rationem *officii*, *remedii* et *Sacramenti*. Et secundum hoc intelligendum, quod usus pudicitiae coniugalis dupliciter po-

---

[1] E H perperam *operis*, simul adhuc *vel praeteriti*, et pro *rerum* habent *vel*.

[2] Vers. 27. — Superius pro *desuper ostensae* codd. *super ostensae*, sed infra melius habent *desuper datae*.

[3] Vers. 8. — D E *ad hoc lege naturae monente*, qui infra post *quod* omittunt *quidem*.

[4] Vers. 4-6, et supra Gen. 2, 23. 24. Cfr. IV. Sent. d. 26. a. 1. q. 2.

[5] D E *quo*.

[6] Vers. 5. 6.

[7] Vers. 1. 2.

[8] Vers. 2. 5. 6.

[9] D E pro hoc verbo habent locuman.

[10] Vers. 13. Seq. locus est Luc. 1, 6.

[11] Ioan. 2, 1. seqq. — Alter locus est Matth. 19, 6.

[12] A *utrumque commendat* (sic). — Cfr. fundam. 3. seqq.

[13] Cap. 35. (est Gennadii et inter opera August.). Hic locus deest in H L, qui deinde habent *ostendendum* pro *attendendum*.

[14] Cfr. IV. Sent. lib. Magistri, d. XXVI. c. 1. seqq., et ibid. Comment. a. 2. q. 2.

Digitized by Google

Intentionis modus primus. test fieri: aut secundum quod quis habet oculum ad *officium* procreandi prolem ad cultum Dei, et sic est actus virtutis purae ratione *radicis*, ratione *modi* Secundus. et ratione *finis*; aut secundum quod habet oculum ad *remedium* etiam[1], ut incontinentiae vitium devitetur, et sic est actus *virtutis*, quam *comitatur infirmitas carnis*. Si vero quis habeat oculum ad Tertius. *morbum*, hoc est ad concupiscentiam satiandam; aut aliquo modo respicit *remedium*, vel *officium*, et tunc est non actus virtutis, sed vitium veniale, quia excusatur per matrimonii Sacramentum; aut *nullo modo* Quartus. habet oculum nisi ad satiandum concupiscentiae appetitum, quo tanto impetu fertur, quod etiam si non esset uxor, cognosceret eam; et tunc, quia actus ille pervertit matrimonii legem, non est actus pudicitiae consonans, sed repugnans. — Unde Augustinus, Confirmatur. in libro de Bono coniugali[2]: « Conculcatus necessitatis causa generandi inculpabilis solus ille nuptialis est; ille autem, qui ultra istam necessitatem progreditur, non iam rationi, sed libidini obsequitur; et hunc tamen non *exigere*, sed *reddere* coniugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet coniugalem. Si autem ambo tali concupiscentiae subiugantur, rem faciunt non plane nuptiarum; veruntamen, si magis in sua coniunctione diligunt quod honestum, quam quod indonestum est, id est quod nuptiarum, quam quod non nuptiarum; hoc eis, auctore Apostolo, secundum veniam conceditur. Tantum namque valet ordinatio Creatoris et ordo creaturae, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cum modus exceditur, longe tolerabilius sit, quam in eis quae concessa non sunt vel unus vel rarus excessus ». — Ex his igitur liquidum est, quod continentia coniugalis et eius debitus usus secundum legem Dei est approbabilis. Unde et rationes, quae ad hanc partem inducuntur, concedendae sunt.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium de filiis saeculi huius, dicendum, quod *filii* Solutio oppositorum. Duplex sensus verborum. *saeculi* aliquando distinguuntur contra *filios lucis*, sicut Lucae decimo sexto[3]: *Filii huius saeculi prudentiores sunt filiis lucis* etc.; aliquando distinguuntur contra *filios alterius saeculi* sive resurrectionis, ut hic. Primo modo dicuntur *filii saeculi huius* qui huic saeculo conformantur et ipsum praecipue diligunt; et sic sonat in *vitium*. Secundo modo dicuntur *filii huius saeculi* qui in hoc saeculo vivunt, vel cum saeculo transeunt[4]; et sic sonat in *infirmitatem*. Unde ex hoc non habetur, quod coniugium sit vituperabile, sed quod habet infirmitatem annexam.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod qui in carne sunt Deo placere non possunt; dicendum, quod Duplex sensus verborum. *inesse*[5] *in carne* potest dicere *habitudinem materiae*, vel *finis*; secundum quod dicit *habitudinem materiae*, non est reprehensibile *esse in carne*, et sic consonat pudicitiae coniugali et usui eius; secundum quod dicit *habitudinem finis*, utpote cum quis facit opera carnalia propter carnem, sic culpabile est; et hoc modo intelligit Apostolus, et hoc modo non est ex pudicitia coniugali, immo potius contra illam. Unde Augustinus, in libro de Bono coniugali[6]: « Habent bonum coniugia, quod carnalis vel juvenilis incontinentia, etiam si vitiosa est, ad propagandae prolis redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid bonu faciat copulatio coniugalis; deinde, quia reprimitur et quodam modo verecundius aestuat concupiscentia carnalis, quam temperat parentalis affectus. Interceditenim quaedam gravitas fervidae voluptatis, cum in eo, quod sibi vir et mulier adhaerescunt, tamen pater et mater esse meditantur ». — Notandum. Ex quo colligitur, quod coniugium tantae virtutis est, quod carnale quos ad spiritualem honestatem reducit. — Et per hoc patet responsio ad sequens de hoc quod obiicit de illo: *Qui seminat in carne* etc.

4. Ad illud, quod qui cum uxore est sollicitus etc.; dicendum, quod duplex est sollicitudo: una, Duplex sollicitudo et amicitia. quae est sub Deo, et haec dicitur sollicitudo *distrahens* et *occupans*; alia est, quae inducit ad *oblivionem Dei*, et haec est sollicitudo *suffocans*; similiter et de *amicitia* distinguendum. Apostolus autem loquitur de prima, et ratio procedit de secunda[7].

5. Ad illud quod obiicitur, quod qui habent uxores debent esse tamquam non utentes; dicendum, quod Apostolus non inhibet illi omnem usum rerum mundanarum; quia tunc oporteret hominem exire extra mundum, et sic nullus in mundo isto esset iustus et bonus; sed ostendit illi, quod in hoc mundo Notandum. non est ligenda intentio, nec diligendus est sicut *finis*, sed sicut *via ad finem*. Quod patet per illud quod subdit: *Praeterit enim figura huius mundi*[8]. Unde ex hoc non habetur, quod uxore non sit utendum, sed quod non est in amore ipsius et usu quiescendum, cum ipsa non sit bonum stabile, sed transitorium et caducum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod coniugii actus est secundum indulgentiam; dicendum, quod hoc

---

[1] A omittit *etiam*. Inferius pro *vero quia* DE corrupte *vero pura*.

[2] Cap. 10. n. 11. 12. — Pro *necessitatis* originale medius *necessarius*, et infra *concupiscentiae subiugantur* pro *concupiscentiae subiugantur*; denique ante *solus* praetigit *et*, ac his addit *est* inde alia verba *nuptiarum*. Post verba *veniam concedatur* textus originalis plura subiungit, in codd. una linea relicta est vacua. Ex originali supplevimus *in* ante *rebus ad utendum*. — Infra pro *liquidum* DE corrupte *loquendum*.

[3] Vers. 8. — Inferius post *Primo* supplevimus *modo*.

[4] Cfr. August., l. de Peccator. meritis etc. c. 20. n. 27.

[5] Ita A, sed H *ly in carne*, E habet lacunam.

[6] Cap. 3. n. 3: Habent *etiam id* bonum etc. — Hanc originali posimus *cum in eo, quod sibi*, dum A habet *cum sibi*, DE *cum ea sibi*. Solonde textus originalis omittit *tamen*.

[7] Cfr. IV. Sent. d. 37. a. 1. q. 3.

[8] Vers. 31. (1. Cor. 7.).

non est dictum de ipso coniugio et actu nuptiali, quod fit ad filiorum procreationem, sed quod fit propter incontinentiam compescendam, quia hoc [1] habet culpam venialem coniunctam, sicut dictum est supra. Unde Augustinus, in libro de Bono coniugali [2]: « *Si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat.* Hinc iam dubitare fas non est, *nuptias* non esse peccatum; non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus. Nam quis ambiget, absurdissime dici, non eos peccasse, quibus venia datur? Sed illum *concubitum* secundum veniam concedit, qui fit secundum incontinentiam, non sola causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi; quem nuptiae fieri non cogunt, sed ignosci impetrant, si tamen non sit ita nimis, ut impediat quae seposita debent esse tempora orationis, nec immutetur in eum usum, qui est contra naturam ».

7. Ad illud quod obiicitur, quod omne illud est malum, ad quod sequitur de necessitate peccatum; dicendum, quod illud est verum, per se loquendo; sed in generatione prolis attendendum, quod duo concurrunt, scilicet coniugalis actus et libido, et ad invicem distinguuntur; quia, si homo stetisset, actus coniugii esset absque libidine; peccatum igitur originale non consequitur coniugii actum ratione sui, sed ratione annexae libidinis; et ideo ex hoc non sequitur, quod ipse sit malus, sed quod libido sit mala. Et hoc est quod dicit Augustinus contra Iulianum [3]: « Peccatum originale transmittit ad posteros non propagatio, sed libido. *Notandum.*

8. Ad illud quod obiicitur, quod omnis actus, quem de necessitate concomitatur malum, est vituperabilis; dicendum, quod libido comitatur actum pudicitiae coniugalis ut *poena*, sed non comitatur ut *culpa*: quia bonum matrimonii facit, quod libido illa ordinatur ad bonum, scilicet ad procreationem liberorum; ac per hoc ipsum bene utitur malo et potius excusat malum, quam vitietur a malo; quia, sicut dictum est, virtutem in se habet medicamenti divinitus instituti. Unde Augustinus, in tertio libro contra Iulianum [4]: « Cur non vis acquiescere, ita esse libidinem malam, qua bene utantur gignendi gratia coniugati? An potest esse bonorum usus malus, et non potest malorum bonus, cum inveniamus, ipso satana quam bene usus fuerit Apostolus, tradens ei hominem *in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret* »? *Notandum.*

9. Ad illud quod obiicitur, quod nullus actus, de quo aliquis rationabiliter erubescit, est actus virtutis; dicendum, quod homo non erubescit de actu coniugali ratione ipsius *actus*, sed ratione ipsius *poenae vitiosae*, scilicet libidinis, quae *ex vitio* primi parentis originem traxit, quae *in vitio* originalis peccati originem tribuit, quae etiam *ipsi spiritui* est quodam modo rebellis. De actu vero coniugali minime erubescit; quod patet, quia non confunditur, sed gloriatur de hoc, quod filios procreavit secundum matrimonii legem, quae illam libidinem refrenavit et actui illi limitem et modum et debitum finem dedit. Unde Augustinus, quarto libro contra Iulianum [5]: « Quis nostrum dicit, coniugalium membrorum malum esse consertum, in quo nuptiae bene utuntur ad propagandos filios concupiscentiae malo? Quae concupiscentia malum non esset, si sola generandi causa ad licitum concubitum moveretur; nunc vero, cum ei resistit coniugalis pudicitia, fines est mali, quia nullius est criminis, quia per fidei bonum utitur homo libidinis malo ». *Libido est tripliciter vitiosa.*

10. Ad illud quod obiicitur, quod omnis motus alienans a Deo etc.; dicendum, quod aliquid alienare a Deo dicitur dupliciter: vel *simpliciter*, vel quantum *ad aliquem actum* seu statum. Primo modo non potest esse sine peccato; secundo modo potest esse per poenam peccati et etiam per actum virtutis; sicut etiam exercitium actionis retardat et ad tempus impedit actum contemplationis, sicut etiam somnus impedit exercitium in virtute. *Duplex alienatio a Deo.*

11. Ad illud quod obiicitur, quod nullus actus, in quo absorbetur ratio, est actus virtutis; dici potest, quod *ratio* dicitur *absorberi* dupliciter in aliquo actu: vel *antecedenter*, vel *consequenter*. Si *antecedenter*, sicut est in ebrietate, quia ebrius procurat scienter aliquid, per quod in se usum rationis subvertat, sic habet illud quod obiicit veritatem; si autem *consequenter* seu etiam *concomitanter*, sic veritatem non habet. Nam et in somnio ratio absorbetur. Unde Augustinus, contra Iulianum [6]: « Non potuisti gravius accusare libidinem, nisi fatendo, in eius impetu neminem posse sancta cogitare; sed utique religiosus animus, isto malo bene utens, hoc cogitat, ut libidinem concumbendo patiatur, quod non potest cogitare, cum patitur; sicut saluteni homo cogitat, ut somno se impertiat, quod utique non potest cogitare, cum dormit ». *Distinctio notanda.*

12. Ad illud quod obiicitur, quod nullus actus, qui repugnat delectationi spirituali, est motus virtutis; dicendum, quod spirituali delectationi potest aliquis actus repugnare dupliciter: vel ratione ipsius *quietis*, vel ratione *ordinis*. Est enim delectatio spi- *Distinctio. Definitio.*

---

[1] A *hic*, quod praeferendum esset, si post *nuptiali* et post *sed* poneretur *qui* pro *quod*.

[2] Cap. 10. n. 41. Locus Scripturae est I. Cor. 7, 28. — Originale habet *per incontinentiam* pro *secundum incontinentiam*, et *da nimis* pro *da nimis*, ac *tempora orandi* pro *tempora orationis*. Ex eodem substituimus *sola causa* pro *solum causa*.

[3] Revera verba haec inveniuntur de Fide ad Petr. c. 2. n. 16, (auctor est Fulgentius Rusp.), ubi pro *originale* legitur *in parvulis*. Locus ex August. contra Iulianum vide tom. II. pag. 754, nota 14.

[4] Cap. 7. n. 16. In fine respicitur I. Cor. 5, 5.

[5] Cap. 8. n. 49: Quis autem *nostrum* [codd. *vestrum*] dicit... mali... quia nullius est criminis, *quando* per fidei bonum *bene* utitur libidinis malo.

[6] Libr. V. c. 40. n. 42: Non igitur etiam tu potuisti gravius accusare quam laudas, nisi etc.

Digitized by Google

ritualis *quies ordinata*. Quod repugnat ri ratione *ordinis*, illud est vitiosum; quod autem repugnat ratione *quietis* al tempus, non oportet quod sit vitium, sicut ostensum est prius. — Praeterea, actus coniugalis non repugnat illi delectationi ratione sui, sed ratione annexi.

13. Ad illud quod obiicitur, quod omnis actus virtutis consistit circa medium; dicendum, quod licet in actu coniugali videatur esse delectatio excessiva per comparationem ad *impetum sensualitatis*, est tamen modificata per comparationem ad *regimen rationis*, quae considerat et debitum tempus et debitum locum et debitam materiam et debitum finem et etiam debitum modum; unde *delectatio* illa excessiva non est actus virtutis, sed *modificatio* illius a ratione est actus pudicitiae coniugalis. Unde Augustinus, quarto libro contra Iulianum [1]: « Quaeris, utrum in coniugibus christianis conventuum voluptatem *pudicitiam*, an *impudicitiam* nominem? Ecce, respondeo: non *ipsa* nominatur pudicitia, sed eius mali *usus bonus*, quo etiam usu bono fit, ut illud malum nec *impudicitia* dici possit; *impudicitia* enim est eiusdem mali *usus flagitiosus*, sicut *pudicitia virginalis* est eiusdem mali *usus nullus* ». Distinctio notanda.

14. Ad illud quod obiicitur, quod omnis virtus est circa bonum et difficile; dicendum, quod licet cognoscere uxorem non sit difficile per se, sicut nec manducare cibum; tamen servare ibi debitum modum et limitem ponere, hoc est et arduum et difficile, et per bellum quoddam virtutis concupiscentiam intra se ipsum laudabiliter expugnare. Unde Augustinus, contra Iulianum libro tertio [2]: « Habet palmam de limite mali subiectione, quamvis minorem, pudicitia coniugalis; belligerat enim etiam ipsa contra carnalem concupiscentiam, ne limites tori nuptialis excedat; belligerat, ne definitum ex consensu coniugum oranti tempus irrumpat; belligerat fortiore conflictu, ne ultra, quam generandis liliis sat est, etiam ipsum coniugis corpus attrectet. Talis pudicitia nec menstruatis nec gravidis utitur feminis nec eius aetatis, qua certum est, eas concipere non valere; nec eam prorsus concumbendi vincit affectus, sed tunc relaxatur, cum speratur generationis effectus [3] ».

15. Ad illud quod obiicitur, quod continere est a concubitu abstinere; dicendum, quod *abstinere a concubitu* dicitur dupliciter: vel universaliter *ab omni*, et sic est consilii; vel ab *omni illicito*, et sic est actus continentiae coniugalis, quae magis proprie *coniugalis pudicitia* dicitur, pro eo quod, sicut *sobrietas* est in moderato usu cibi, *abstinentia* vero dicit cessationem et a licito usu; sic *pudicitia* dicit honestum et castum usum, *continentia* vero castum dicit cessationem ab usu; et utrumque bonum, sicut infra videbitur, quia bonum est bene uti malo, et melius est bene non uti malo. Sed hoc in quaestione sequenti plenius patebit. Distinctio. Definitiones 4. Notandum.

ARTICULUS II.

De continentia viduali servanda et vovenda.

Secundo quaeritur de continentia viduali; et est quaestio, utrum continentia vidualis secundum legem evangelicam sit vovenda. Et quod sic, ostenditur *auctoritate* et *ratione*; *auctoritate* sic.

1. Matthaei decimo nono [4]: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum; qui potest capere capiat;* sed se ipsum castrare propter regnum caelorum maxime fit per votum continentiae, et hoc proponitur omnibus volentibus assumere: ergo quilibet volens potest vovere continentiam secundum legem evangelicam. Fundamenta.

2. Item, primae ad Corinthios septimo [5]: *Bonum est homini mulierem non tangere:* ergo pari ratione bonum est mulieri virum non tangere; sed hoc non est bonum praecepti, sed consilii; consilia autem sunt vovenda: ergo non tangere mulierem est vovendum. Sed hoc est votum continentiae: ergo etc.

3. Item, paulo post [6]: *Dico autem non nuptis, sed viduis: bonum est illis, si sic permaneant:* ergo secundum Apostolum bonum est manere in continentia viduali; sed bonum hoc est consilium: ergo licite potest aliquis vovere continentiam vidualem.

4. Item, ibidem [7]: *Si dormierit vir, liberata est* mulier a lege viri; *beatior autem erit, si sic permanserit;* sed quod beatius est licite voveri potest; hoc autem est per votum continentiae vidualis: ergo etc.

5. Item, super illo verbo dicit Augustinus, de Vidualitate [8]: « Quod autem dico uni mulieri viduae dico omni viduae: *Beatior erit, si sic permanserit* »;

---

[1] Cap. 8. n. 49: Quid ergo quaeris... quo usu bono fit... sicut pudicitia virginalis nullus. Cfr. supra q. 1. ad 3.

[2] Cap. 21. n. 43: Habet enim palmam... pudicitia *etiam* coniugalis etc. Post *irrumpat* originale quaedam addit.

[3] Cfr. IV. Sent. d. 32. a. 3. q. 4. 2.

[4] Vers. 12. — Post *votum continentiae* D E addunt *vidualis*.

[5] Vers. 1.

[6] Vers. 8.

[7] Vers. 39. 40. Vulgata: liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino; beatior etc. Verba *mulier a lege viri* occurrunt Rom. 7, 2.

[8] Cap. 2. n. 3, sed paulo aliter: Quod dico innuptis non eis solis dico, quae virgines sunt, sed etiam eis quae viduae sunt: *Bonum est esse illis, si sic permanserint* [Vulgata: Beatior autem... 1. Cor. 7, 40.]. — Lectio, fortasse corrupta, *uni mulieri viduae* sumta est ex A, pro qua D E *minimae viduae*.

Digitized by Google

ergo hoc proponitur viduis omnibus: ergo cuilibet est licitum vovere continentiam secundum legem evangelicam.

6. Item, ibidem [1]: *Volo, omnes homines esse sicut me ipsum;* sed ipse erat omnino continens et ad continentiam astrictus: ergo volebat, quod omnes ad continentiam essent astricti. Sed hoc fit per votum continentiae: ergo etc.

7. Item, ad Romanos duodecimo [2]: *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem;* sed hoc fit maxime, quando caro dedicatur Deo per votum continentiae: ergo vovere continentiam est Deo placitum.

Item, hoc ipsum ostenditur *ratione* sic.

8. Quod elongat a concupiscentia carnis est bonum et laudabile; sed votum continentiae vidualis maxime elongat a concupiscentia carnis: ergo est bonum et laudabile.

9. Item, qui donat carnem laudabiliter agit, quia raro per concupiscentiam pertrahit ad peccatum [3]; sed hoc fit per perpetuam continentiam: ergo perpetuo continere est laudabile: ergo licite voveri potest.

10. Item, est bonum *consilii*, et est bonum *praecepti;* sed continentia [4] non est bonum *praecepti*, quia sic omnes peccarent, qui nubunt: ergo est bonum *consilii*. Sed consilia vovenda sunt: ergo etc.

Sed contra: 1. Primae ad Corinthios septimo [5]: *Propter fornicationem unusquisque habeat suam uxorem; et unaquaeque suum virum;* sed illud non est consilium, cum non sit opus perfectionis nec supererogationis: ergo est praeceptum: ergo quicumque vovet continentiam facit contra hoc praeceptum: ergo etc. Ad oppositum.

2. Item, primae ad Timotheum quinto [6]: *Volo, iuniores nubere, filios procreare;* sed huic est contrarium votum continentiae: ergo Apostolus volebat contrarium voto continentiae: ergo continentia non est vovenda.

3. Item, primae ad Timotheum quinto [7]: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum;* et ibidem: *Adolescentulas viduas devita:* ergo non videtur, quod castitas vidualis accipienda sit nisi in vetulis, nec hoc ob aliud nisi propter periculum: ergo non videtur tutum emittere continentiae votum.

4. Item, omne, quod repugnat *divino praecepto*, est vituperandum; sed vovere continentiam repugnat divino praecepto, scilicet Genesis primo [8]: *Crescite et multiplicamini:* ergo etc.

5. Item, omne, quod repugnat *naturali dictamini*, est vituperandum; sed votum continentiae repugnat coniunctioni matrimoniali, quae consonat naturali dictamini [9]: ergo etc.

6. Item, omne, quod repugnat *communi utilitati*, est vituperandum; sed votum continentiae repugnat communi utilitati, scilicet generationi, in qua est conservatio speciei: ergo est vituperandum.

7. Item, quicumque se privat utili et rationabili remedio, divinitus instituto [10] male facit; sed qui vovet continentiam privat se matrimonio, quod est sacramentale remedium, divinitus institutum: ergo etc.

8. Item, qui committit se periculo male agit; sed qui vovet continentiam committit se periculo propter lubricum carnis: ergo etc.

9. Item, quod recedit a medio recedit a virtute, quia virtus consistit in medio [11]; sed omni tempore continere recedit a medio: ergo recedit a virtute: ergo etc.

CONCLUSIO.

Vidualis castitas in utroque sexu est divini consilii; laudabile est ipsam amare, laudabilius eam servare, et laudabilissimum eandem vovere et perpetuo custodire.

Respondeo: dicendum, quod vidualis castitas est divini consilii tam in mulieribus quam in viris; unde et laudabile est ipsam *amare*, et laudabilius est eam *servare*, et laudabilissimum est eam *vovere* et perpetuo *custodire*. Conclusio.

Ratio autem, quare Dominus consulere voluit, haec est: quia, licet continentia coniugalis plura habeat in se bona, scilicet fidem, prolem et Sacramentum, ac per hoc coniugium sit *bonum honestum* [12], *conferens* et *delectabile;* tamen post peccatum ipsa *honestas* matrimonii annexam habet *libidinem*, quae aliquid dicit inhonestatis, ratione cuius etiam actum illum coniuges erubescunt. *Utilitas* autem matrimonii, quae consistit in procreatione filiorum ad Dei cultum, adiunctum habet *damnum*, quia distrahitur homo frequenter, ne orationi divinae totaliter sit intentus. *Delectabilitas* etiam, quae est in matrimonio, adiunctam habet *tribulationem*, iuxta quod Apostolus dicit: *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi*, primae ad Corinthios septimo [13]. — Quia ergo matrimonium bonum est, nullus ab eo prohibetur, nullus repellitur; quia vero annexum habet aliquid, quod Probatur. Tria bona contrariis admixta. Corollaria.

---

[1] Scil. 1. Cor. 7, 7: Volo enim, omnes vos esse etc.

[2] Vers. 1: Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis etc. — HE post *Item* addunt *hoc sic*.

[3] Cfr. Gal. 5, 17. seqq.

[4] A *continere ab omni*.

[5] Vers. 2.

[6] Vers. 14.

[7] Vers. 9. et 11, ubi Vulgata *Adolescentiores*.

[8] Vers. 28.

[9] Cfr. quaest. praeced., ubi et de argg. seqq.

[10] HE omittunt *instituto*.

[11] Cfr. supra pag. 167, nota 12. — Mox pro *continere* A *continens*.

[12] In codd. excidit *honestum;* quod patet ex subnexis et ex doctrina IV. Sent. d. 31. a. 1. q. 1. in corp. exposita.

[13] Vers. 28. — Inferius pro *arctatur* (astringitur) codd. scribunt *artetur*, vel *arcetur*.

Digitized by Google

et minuit honestatem et utilitatem et spiritualem iucunditatem: hinc est, quod nullus ad ipsum arctatur invitus, quia potius ab ipso abstinere sive continere suadetur, tam a Domino quam ab ipso Apostolo, primae ad Corinthios septimo[1]: *Si dormierit vir eius, liberata est* mulier a lege viri, *cui vult nubat, tantum in Domino; beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium.* Et rationem huius ipse praemittit: *Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi.*

Epilogus. Quoniam ergo continentia vidualis plus habet in se de ratione *honesti* propter munditiam, plus de ratione *commodi* propter amotionem impedimenti, plus de ratione *iucundi* propter amotionem onerum, quae legem matrimonii consequuntur: hinc est, quod vidualis continentia consulitur omnibus, qui soluti sunt; et qui hoc consilio adhaerere volunt secundum evangelicae perfectionis dictamen arcendi non sunt, sed potius inlucendi, id est non solum in aetate senili, verum etiam iuvenili. — Unde Ambrosius, in libro de Viduitate[2]: « Illa praeclarior est, quae calorem adolescentiae et iunioris fervescentem edomat calorem aetatis nec mariti gratiam nec uberiora desiderat oblectamenta, quam quae, effeto iam corpore frigidior, senectute matura, nec carere voluptatibus potest nec sperare de partu ».

Concedendum est igitur, quod vidualis[3] castitas est vovenda secundum legem evangelicam; et hoc omnibus suadendum est, qui habent sui corporis liberam potestatem; sicut et rationes et auctoritates ostendunt, quae ad istam partem inductae sunt, et ideo sunt concedendae.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium de verbo Apostoli, quod dicit[4]: *Propter fornicationem unusquisque suum habeat uxorem*; dicendum, quod textus sequens determinat: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Unde Glossa super praemissum verbum: « Hoc ideo dicit Apostolus, ut fornicationem excludat, non ut ad meliorem vitam tendentibus iter claudat ». Et quia Apostolus dixerat: *Unusquisque suum habeat, et quaeque suum*, et *iterum revertimini in idipsum*; scilicet ne videretur hoc praecipiendo dixisse, subdit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Et ideo non peccat qui aliter agit, id est qui continet; immo peccat qui sic agit, quia aliqua culpa est ibi, sed levis.

2. Ad illud quod obiicitur de verbo Apostoli: *Volo, iuniores nubere* etc.; dicendum, quod nec illud est praeceptum, sed permissivum est, sicut et praecedens; et ideo non sequitur, quod continentiam vovere sit reprehensibile. Unde Augustinus, in libro de Viduitate[5]: « Quod dicit Apostolus: *Volo, iuniores nubere, filios procreare*, nuptiarum bonum apostolica auctoritate et sobrietate commendat, non procreandi officium eis quae continentiae bonum capiunt, tanquam ad obsequia legis imponit ». Et post[6]: « Filiorum procreationi operam dare honesto ordine coniugali non est in homine improbandus affectus; ipsum tamen laudabilius transcendit et vincit caelestia cogitans animus christianus. Sed quoniam, sicut ait Dominus, *non omnes capiunt verbum hoc; quae potest capere capiat*, et quae se non continet nubat, quae non coepit deliberet, et quae aggressa est perseveret; nulla detur occasio adversario, nulla Christo subtrahatur oblatio ».

3. Ad illud quod obiicitur: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum*; dicendum, quod hoc non intelligitur quantum ad continentiae votum, Notandum. sed quantum ad ministerium, quod debebat exhiberi Sanctis; quae etiam debebant de bonis ecclesiasticis sustentari. Unde in Glossa[7]: « *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum*, quae Ecclesiae pascatur alimoniis ». Unde quod subiungit: *Adolescentiores viduas devita*; intelligitur sub eodem sensu. Unde Glossa ibi: « *Adolescentulas viduas devita*, id est, vota castitatis earum non usque adeo cures, ut eas Ecclesiae alimoniis sustentandas suscipias ». Quod autem non intendit inhibere eis continentiam seu continentiae votum, apparet per illud quod dicit Ambrosius in libro de Virginitate[8]: « Nec virtutem aetatis attendere debemus, sed virtutis aetatem; nec mireris in adolescentulis professionem, cum legas in parvulis passionem ». Unde et beata Agnes in legenda sua, quam Ambrosius composuit: « Noli, inquit ad praefectum, infantiam corporalem in me ita despicere, ut putes, me velle te habere propitium; fides enim non in annis, sed in sensibus reperitur, et Deus omnipotens mentes magis comprobat quam aetates ». De B. Agnete.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omne, quod repugnat divino praecepto, est vituperandum; dicen-

---

[1] Vers. 39. 40. Sequens locus est ibid. v. 35.

[2] Sive de Viduis, c. 2. n. 9: Nam utique illa praeclarior, quae... edomat *aetatis ardorem* nec... uberiora *liberorum* oblectamenta *desiderans*, quam quae, effeta [codd. effeto] iam corpore, frigida senectute, matura *aevi*, nec *calere* voluptatibus etc.

[3] Codd., ut videtur, corrupte *virginalis*.

[4] Epist. I. Cor. 7, 2, et seq. locus v. 5. — Glossa, quam exhibet Petr. Lombard. in hunc loc., est ex Comment. Ambros. tributo in I. Cor. 7, 6: Manifestum est, ideo hoc illum dare consilium, ut fornicationem etc. Deinde citatur I. Cor. 7, 2. 5. 6.

[5] Cap. 8. n. 14, ubi post *officium* additur *etiam*, et ponitur *obsequelam legis* pro *obsequia legis*.

[6] Ibid. paulo inferius et n. 12, ubi respicitur Matth. 19, 11. — Codd. plura corrupte exhibent; originale post *dare* aliqua verba addit hic omissa.

[7] *Interlineari* ex Haymone apud Petr. Lombard. et Lyranum ad I. Tim. 5, 3; altera apud Strabum est *ordinaria* ibid. v. 41.

[8] Cap. 7. n. 40. De B. Agnete Ambrosii verba habentur in I. Epist. n. 6. inter epistolas in appendice operum eius; cfr. etiam Acta Sanctor. (Bolland. Ambros.), 21 Ian. c. 4. n. 6.

Digitized by Google

Duplex praeceptum naturae.

ilum, quod praeceptum naturae est duplex: quoddam, quod respicit statum *communem*; quoddam, quod respicit statum *singularis personae*. Primum non ligat aliquem per se et determinate, quamdiu est alius, qui illud mandatum supplerat vel possit implere. Et quoniam multi sunt, qui generationi carnali operam dant, quantum sufficit naturae; praecepto illi non repugnat in singulari persona servatio continentiae. Praeceptum enim illud non descendit ad aliquam personam determinate, nisi in casu [1], in quo natura non posset subsistere, nisi persona illa generationi operam daret, sicut fuit in Adam, vel in filiis Noe, quibus dictum est expresse: *Crescite et multiplicamini et replete terram.*

5. Ad illud quod obiicitur: quod repugnat naturali dictamini est vituperandum; dicendum, quod

Duplex naturae dictamen.

natura dictat aliquid dupliciter, scilicet per modum *commodi* et per modum *honesti*. Quod igitur repugnat naturali dictamini per modum *honesti* semper

Notandum.

est vituperabile; quod autem repugnat naturali dictamini, quod dictat aliquid per modum *commodi*, non necessario est vituperabile, pro eo quod, sicut dicit Anselmus [2], appetitus *commodi* est in prima natura corruptus per amorem boni privati, qui *libido* dicitur; et quod repugnat tali appetitui ratione corruptionis adimetae potest esse laudabile: quia circa hoc consistit perfectio virtutis, ut dometur delectatio et fugiatur et restringatur passio, maxime illa quae est contemporanea vitae [3]. Quia ergo talis delectatio coniuncta est operi generationis; hinc est, quod cessatio ab illo opere, licet videatur contrariari inclinationi virtutis generativae, vituperari non debet, immo potius est laudabilis, sicut usus virtutis perfectae.

6. Ad illud quod obiicitur, quod omne repugnans communi utilitati est vituperandum; dicendum, quod utilitas spiritualis est praeferenda carnali, et caelestis terrenae, et caelestis superponenda est terrenae, tanquam perpetua temporali, et sicut finis praeponen-

Notandum.

dus est his quae sunt ad finem [4]. Quia igitur haec continentia — licet videatur facere ad diminutionem hominum in civitate terrena — quia facit ad accelerationem numeri electorum, plus utilitati communi consonat, quam repugnet, maxime cum plus abundet in terrenis numerus virorum carnalium quam spiritualium, ex quibus repleri valeat paradisus. Unde Augustinus, in libro de Bono coniugali [5]: « Cum ad ineundum sanctam, sinceram societatem undique ex omnibus gentibus copia spiritualis exuberet cognationis, etiam propter filios solos coniugia copulare cupientes, ut ampliore continentiae bono potius utantur, admonendi sunt. Sed novi, quid murmurent. Quid si, inquiunt, omnes vellent ab omni concubitu abstinere; unde subsisteret genus humanum? Utinam hoc omnes vellent, dumtaxat in *caritate de corde puro et conscientia bona et fide non ficta!* Multo citius Dei civitas compleretur et accelleraretur terminus saeculi ». — Ex quo apparet, quod huiusmodi continentia secundum veritatem non repugnat, sed consonat communi utilitati.

7. Ad illud quod obiicitur, quod privans se utili et rationali remedio stulte agit; dicendum, quod remedium illud dupliciter potest considerari: aut ra-

Distinctio notanda.

tione *sui*, aut ratione *annexi*. Si ergo quis se privet matrimonio, credens, illud remedium non esse bonum nec salutare; hic stulte agit, quia male de matrimonio sentit, tanquam perfidus Manichaeus [6]. Qui autem illud declinat ratione *annexi*, scilicet libidinis, volens ad altiora conscendere, non agit stulte, sed sapienter; quia etiam in illo statu non caret re-

Notandum.

medio, dum per firmum propositum et exercitium laboriosum et donum divinitus datum et votum emissum fervor concupiscentiae amplius edomatur, quam reprimeretur per contubernium maritale. Unde Augustinus, in libro de Sancta Viduitate [7]: « Plus ardentem ferunt libidinem quae non desperant eiusdem voluptatem; quae autem innuptarum castitatem Deo voverunt ipsam spem subtrahunt, quae fomes est amoris; unde facilius concupiscentia refrenatur, quae nulla exspectatione succenditur ».

8. Ad illud quod obiicitur, quod qui se committit periculo male agit; dicendum, quod, sicut iam

Notandum.

patet ex verbis praemissis, castitatem vovens non se committit periculo, sed divino consilio, divino patrocinio et spirituali exercitio, in quo et spiritus consolatur, et carnalitas enervatur, et tanquam ex loco munito contra tentamenta diaboli ad concupiscentiam inflammantis virilius dimicatur. Unde Augustinus, in libro de Viduitate [8]: « Deliciae spirituales deliciis car-

---

[1] Tria haec verba supplevimus, ut corrupta codicum lectio sanaretur. De ratione huius praecepti cfr. IV. Sent. d. 26. a. 1. q. 3. in fine solut. respiciuntur Gen. 1, 22; 9, 1.

[2] De Concordia praescient. Dei cum lib. arb. q. 3. c. 13. (alias 23.), sententialiter; cfr. de Concept. Virg. c. 2. De distinctione honesti et commodi cfr. supra pag. 167, nota 2. — Pro *prima natura* A *ipsa natura*.

[3] Scil. voluptas, de qua Aristot., II. Ethic. c. 3: Adde, quod ab infantia ipsa voluptas in omnibus nobis indevit, ut difficile sit affectum eiusmodi vitae nostrae pene incorporatum atque imbibitum [τὸ πάθος ἐγκεχρωσμένον τῷ βίῳ] extergere. Cfr. ibid. c. 8; et de virtute perfecta III. Sent. d. 36. q. 3.

[4] Secundum Aristot., III. Topic. c. 1. — Codd. hoc loco sunt ita corrupti, ut primitivam lectionem certo restituere non potuerimus. Post *caelestis* DE continuant *superponendus* [A *imponenda*] *est ratione* [? A *terrenae*] *tanquam pro peccato* [A *poena*] *temporali, et sicut* [A *sic*] *finis*. Ex contexto apparet, sermonem esse de supplendo caelestis civitatis defectu, quem introduxit casus angelorum, quorum « ruina restauranda est, aut superna civitas remanebit imperfecta » (II. Sent. d. 9. q. 5. fundam. 3; cfr. ibid. corp.). Cfr. infra a. 3. solut. ad 11. In seq. propositione repetitur post parenthesim particula *quia*.

[5] Cap. 9. n. 9. et c. 10. n. 10, ubi in originali ante *sinceram* ponitur *et*, subinde *omnes homines velint* pro *omnes vellent;* denique *subsistet* pro *subsisteret*. — Locus Scripturae est I. Tim. 1, 5.

[6] Cfr. art. praeced. in corp.

[7] Sive de Bono viduitatis, c. 20. n. 25; ubi ante *voluptatem* additur *libidinis*. Cfr. IV. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. ad 1. 2.

[8] Cap. 21. n. 26. In fine textus respicitur Iac. 1, 17.

Digitized by Google

nalibus in sancta castitate succedant: lectio, oratio, psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri saeculi et cor sursum, atque de his omnibus gratiarum actio *Patri luminum*, a quo sine ulla dubitatione *omne datum optimum et omne donum perfectum*, Scriptura teste, descendit ».

9. Ad illud quod obiicitur, quod recedit a medio recedit a virtute; dicendum, quod illud locum habet in illis actibus, qui non dicunt corruptionem, quantum est de se, sicut *distribuere* et *retinere, comedere* et *bibere;* sed actus concumbendi semper habet corruptionem annexam, nisi per bonum matrimonii excusetur; et ideo, licet perfectio consistat in aliis actibus per ipsorum moderationem, in hoc actu consistit per omnimodam restrictionem; quia, quando actus iste dimittitur omnino, tunc corruptio et libido sibi adiuncta perfectius eliminatur; sicut in quaestione sequenti plenius apparebit [1].

ARTICULUS III.

De sanctimonia virginali.

Tertio quaeritur de sanctimonia virginali; et est quaestio, utrum virginalis continentia sit omnibus praeferenda. Et videtur, quod sic, *auctoritate, exemplo* et *ratione; auctoritate* sic.

Fundamenta. 1. Primae ad Corinthios septimo [2]: *Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, et qui non iungit melius facit:* ergo continentia virginalis est praeferenda aliis continentiae differentiis, secundum auctoritatem Apostoli.

2. Item, hoc ipsum ostenditur *exemplo Christi*. Christus enim secundum humanam naturam fuit exemplum virtutis et totius christianae perfectionis; sed constat, quod Christus fuit virgo: ergo virginalis continentia est omnibus praeponenda.

3. Item, hoc idem ostenditur *exemplo beatissimae Mariae*, matris Domini, cuius virginitatem non abstulit [3]: ergo virginitas est prae omnibus commendanda.

4. Item, *exemplo Ioannis evangelistae*, quem Dominus maxime dilexit; et huius rationem reddit Hieronymus [4] dicens: « Qui virgo electus a Domino, virgo in aeternum permansit ».

5. Item, *exemplo Ioannis praecursoris Christi*, quem constat virginem fuisse.

6. Item, *exemplo Abel*, qui virgo fuit; unde Augustinus, in libro de Mirabilibus sacrae Scripturae [5]: « Tota iustitia haec est: virginitas, sacerdotium et martyrium, quae triplex iustitia in Abel fuit ». — Iis omnibus exemplis praecipuis ostenditur, quod virginitas seu virginalis continentia sit omnibus aliis continentiae partibus praeferenda.

Item, hoc ipsum ostenditur *ratione* sic.

7. Quod maxime facit nos sequi Christum est maxime praeferendum; sed virginitas maxime facit sequi Christum, Apocalypsis decimo quarto [6]: *Virgines enim sunt et sequuntur Agnum, quocumque ierit*: ergo etc.

8. Item, quod maxime facit conformem Angelis est maxime commendandum; sed virginitas facit maxime conformem Angelis, quia, secundum Hieronymum [7], « in carne praeter carnem vivere angelica vita est, non humana »: ergo etc.

9. Item, *continere* bonum est, ergo *magis continere* magis bonum, et *maxime continere* est maxime bonum; sed maxima continentia est virginitas: ergo etc.

10. Item, honestum est bonum [8], ergo magis honestum magis bonum, et summe honestum summe bonum; sed in virginitate est summa honestas et puritas: ergo etc.

11. Item, « albius est quod nigro est impermixtius » [9]: ergo pari ratione melius est quod est malo impermixtius; sed libido est fons omnis mali, virginitas autem maxime impermixta libidini: ergo etc.

12. Item, quod magis disponit ad actum nobilissimum est laudabilius; sed ad actum contemplationis, in quo requiritur [10] maxima puritas, magis disponit virginitas: ergo etc.

---

[1] Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 6. in fine.

[2] Vers. 38. — De hoc art. cfr. IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 1-3.

[3] In D alia manus supra lineam scripsit, *sed sacravit*. Cfr. August., Serm. 69. (alias 10. de Verbis Domini) c. 3. n. 4: Venit in Virginem qui erat ante Virginem... Attulit Virgini fecunditatem, non abstulit integritatem. — Bernard., de Laudibus Virginis Matris, hom. 4. n. 9: Singularis virginitas, quam non terruerat, sed honoravit fecunditas.

[4] Libr. I. adv. Iovinian. n. 26. — DE ponunt *quod* pro *Qui*, et post *Domino* omittunt verba, quae sequuntur. — De seq. arg. cfr. Hieron., loc. cit.

[5] Libr. I. c. 3. (inter opera August.), ubi post *Abel* adiicitur *primo*. Cfr. tom. IV. pag. 184, nota 8. — Infra pro *ostenditur*, quod in B est ab alia manu, E *videtur*.

[6] Vers. 4.

[7] Epist. 9. ad Paulam et Eustoch. de Assumt. B. Mariae c. 5. (inter opera eius): Profecto in carne praeter carnem vivere non terrena vita est, sed caelestis. Unde in carne angelicam vitam aequirere maius est meritum etc.

[8] Cfr. tom. I. pag. 40, nota 5. verba Ciceronis.

[9] Aristot., III. Topic. c. 4. (c. 5.). — DE omittunt *maxime* ante *impermixta*.

[10] DE *reperitur*.

Digitized by Google

Ad oppositum.

Sed contra hoc obiicitur: 1. Augustinus, de Bono coniugali [1]: « Non est impar meritum continentiae in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham, qui filios generavit »: ergo virginitas non est praeferenda coniugio.

2. Item, si oppositum bonus est melius opposito illius, et hoc simpliciter est melius illo [2]; sed opposita fecunditas, scilicet Virginis Mariae, melior est quam virginitas: ergo simpliciter fecunditas melior quam virginitas: ergo etc.

3. Item maiora bona sunt praeferenda bonis mediis et minoribus — nam bona maiora sunt in virtutibus cum habitibus, bona media sunt in potentiis et viribus, bona minima sunt in rebus corporalibus — sed habitus continentiae coniugalis et vidualis est in mente, virginitas vero est in carne: ergo continentia vidualis et coniugalis est praeferenda continentiae virginali [3].

4. Item, bonum, quod quis non potest perdere invitus, melius est eo, quod quis potest perdere invitus; sed virginitas est bonum, quod quis potest perdere invitus, ut patet in violenter oppressis; habitum [4] autem continentiae coniugalis vel vidualis nullus posset perdere invitus: ergo etc.

5. Item, bonum, quod non potest perdi sine peccato, est magis eligendum eo, quod potest perdi sine peccato; sed habitus continentiae coniugalis vel vidualis non potest perdi sine peccato; virginitas autem sic, sicut patet in virgine, quae contrahit: ergo etc.

6. Item, « circa difficile est ars et virtus » [5]; sed difficilius est actum carnis expertum continere, quam nullo modo expertum: ergo maior difficultas est in continentia coniugali vel vidualis quam in virginali: non ergo virginalis continentia praeferenda.

7. Item, quod magis reddit similem Deo magis est laudabile; sed generatio magis reddit similem Deo, in qua est summa fecunditas, quam ipsa virginitas: ergo etc.

8. Item, quod magis conformat hominem statui innocentiae est magis laudabile: sed in statu innocentiae non fuisset virginitas, sed generatio et fecunditas [6]: ergo etc.

9. Item, « plura bona pluribus sunt magis eligenda » [7]; sed in matrimonio sunt plura bona quam in virginitate; in matrimonio enim sunt fides, proles et Sacramentum, in virginitate autem unum solum: ergo continentia coniugalis praeferenda est continentiae virginali.

10. Item, quod magis consonat perfectioni naturae est magis laudabile; sed magis consonat perfectioni naturae generatio et fecunditas seu coniugalis continentia quam virginitas, quia « unumquodque tunc perfectum est, cum potest producere tale, quale ipsum est » [8]: ergo etc.

11. Item, species praefertur individuo, et universale particulari [9]: ergo quod facit ad perfectionem seu conservationem speciei necessario est praeferendum ei, quod facit ad perfectionem seu conservationem individui; sed continentia coniugalis facit ad conservationem speciei, continentia virginalis facit ad conservationem individui vel boni singularis: ergo etc.

CONCLUSIO.

Virginitas dicit tum continentiae habitum, tum virtutis statum, tum decorem praecipuum; hinc et laudabilis est propter eminentiam virtutis, puleritudinis et dignitatis et praeferenda aliis castitatis speciebus.

Quod virginitas.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod *virginitas* de ratione sui nominis dicit abstinentiam ab omni coitu illicito et ab omni licito, manente integritate in corpore et in animo. Est enim, ut dicit Augustinus [10], « virginitas in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio ». In quantum autem *virginitas* dicit abstinentiam ab omni coitu *illicito*, sic nominat *virtutis habitum;* in quantum vero dicit abstinentiam ab omni coitu *licito*, sic nominat *virtutis statum;* in quantum vero dicit *integritatem in corpore et in animo*, sic dicit *decorem praecipuum*.

Tria in qua.

Conclusio I.

Ratione igitur ipsius *habitus* est virginitas laudabilis laude communi cum pudicitia coniugali et continentia vidualis; ratione secundi, scilicet *status*, est laudabilior, et hoc laude speciali cum ipsa continentia vidualis [11]; ratione vero tertii, scilicet *decoris superabiliti*, est laudabilissima, et hoc laude singulari propter praecipuam conformationem ad Christum sponsum, ad quem virginitas conformes facit quantum ad excellentiam *virtutis, puleritudinis* et *dignitatis*. — Quantum ad *excellentiam* autem *virtutis:* quia summae virtuti attestatur, quod quis in carne mortali vitam non humanam agat [12], sed caelestem, in igne caloremque exstinguit et in natura vim naturae

---

[1] Cap. 21. n. 26. Integrum locum vide apud Magistrum, IV. Sent. d. XXXIII. c. 2.

[2] Cfr. Aristot., III. Topic. c. 2.

[3] Hic arg. deest in D E. — De triplici genere bonorum cfr. August., Retract. I. c. 9. n. 4, et II. de Lib. Arb. c. 19. n. 50; quod exponitur II. Sent. d. 27. dub. 2.

[4] E *actum*, D *octus*.

[5] Aristot., II. Ethic. c. 3. (cfr. supra pag. 139, nota 4.

[6] Cfr. II. sent. d. 20. q. 1.

[7] Aristot., III. Topic. c. 2.

[8] Aristot., IV. Meteor. text. 19. (c. 3.); cfr. II. de Anima, text. 34. (c. 4.). Vide tom. IV. pag. 642, nota 5.

[9] Vide Aristot., II. de Generat. et corrup. text. 57. seqq. (c. 10.); II. de Anima, text. 34. seq. (c. 4.); I. Ethic. c. 2. et I. Poster. c. 20. (c. 24.). — Mox sequitur A, cum post primum *ergo* D E plura exhibent corrupte.

[10] De Sancta Virginitate, c. 12. n. 12.

[11] Tota haec propositio omissa est in A D.

[12] A *accedet (?)*, in D E est lacuna.

Digitized by Google

superexcedat; hoc autem facit virginitas. Unde Hieronymus ad Demetriadem[1] virginem: « Quomodo in fornace quartus *habens speciem* quasi Filii hominis inumensos mitigavit ardores et inter camini aestuantis incendium docuit flammas calorem amittere et aliud oculis comminari, et aliud praebere tactui; sic et in animo virginali rore caelesti et ieuniorum frigore calor puellaris exstinguitur et humano corpori Angelorum conversatio impetratur. Quamobrem et *vas electionis* de virginibus se dicit Domini non habere praeceptum, quia contra naturam, immo ultra naturam est non exerrere quod nata sis, interficere in te radicem tuam et sola virginitatis poma decerpere, alienum nescire torum, omnem virorum horrere contactum et in corpore vivere sine corpore ».

De eminentia pulcritudinis. Quantum ad *eminentiam pulcritudinis:* quia maxima pulcritudo consistit in perfecta integritate et munditia tam in corde quam in corpore, ex qua virginalis castitas ipsi Christo, totius pulcritudinis fonti et origini, facit conformem. Unde Augustinus in libro de Virginitate[2]: « Indigni sunt qui ab immunditiae voragine liberati sunt, ut ad eos imitandos mittatur illibata virginitas; ad Regem caeli te mitto, ad eum, per quem creati sunt homines, et qui creatus est inter homines propter homines, ad *speciosum forma prae filiis hominum* et contemptum a filiis hominum pro filiis hominum ».

De praerogativa dignitatis. Quantum etiam ad *praerogativam dignitatis*, ob quam *sequi Christum, quocumque ierit, et cantare canticum novum*, quod est proprium virginum, erit in virginibus gloria singularis, secundum quod dicit beatus Ioannes decimo quarto Apocalypsis[3]. Unde Augustinus, in libro de Virginitate: « Pergite, Sancti Dei, pueri et puellae, mares et feminae, caelibes et innuptae, pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius, sperate felicius, cui servitis instantius, cui placetis attentius; *lumbis accinctis et lucernis ardentibus, exspectate Dominum, quando venit a nuptiis;* vos affertis ad nuptias Agni *canticum novum*, quod cantabitis in citharis vestris, non utique tale, quale cantat universa terra, cui dicitur: *Cantate Domino universa terra;* sed tale, quale nemo poterit dicere nisi vos, et quia *sequimini Agnum, quocumque ierit*, sicut prae ceteris dilectus ab Agno scripsit de vobis. Quo eum putamus ire, hunc Agnum, quo eum nemo sequi vel audeat vel valeat nisi vos? Quo putamus eum ire, in quos saltus vel prata? Ubi, credo, sunt gemina gaudia, non gaudia huius saeculi vana, insaniae mendaces, nec gaudia, qualia in ipso regno Dei ceteris non-virginibus; sed a reterorum omnium sorte distincta: gaudia virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. In hoc sequimini Agnum, quia Agni caro utique virgo; hoc enim in se retinuit quod Matri non abstulit conceptus et natus ».

Concedendum est igitur, quod cum virginitas non tantum dicat *continentiae habitum*, verum etiam dicat *statum* et *decorem praecipuum*, ratione enim est laudabilis, et similiter laudabilis propter *eminentiam virtutis, pulcritudinis* et *dignitatis*, praeterenda est aliis differentiis castitatis; unde et contrarium huius sentire non est catholicum, sed erroneum. Et quia hoc sentiebat Iovinianus, Hieronymus reprehendit eum tanquam haereticum in toto libro, quem fecit contra Iovinianum. Unde et in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus[4]: « Sacratae Deo virginitati nuptias coaequare, aut pro amore castificandi corporis abstinentibus a vino vel a carnibus nihil credere meriti accrescere, nec hoc Christiani, sed Ioviniani est ». Et Augustinus in libro de Virginitate[5]: « Cum error uterque sit vel aequare sanctae virginitati nuptias, vel damnare, adversus se invicem fugiendi isti duo errores adversa fronte confligunt, quia veritatis medium tenere noluerunt; quo et certa ratione et sanctarum Scripturarum auctoritate nec peccatum esse nuptias invenimus, nec eas bono vel virginalis continentiae vel vidualis aequamus ». — Concedendae sunt igitur rationes, quae ad hanc partem inducuntur.

Conclusio 2. Confirmatur.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod non est inquir meritum continentiae in Ioanne; dicendum, quod Augustinus nunquam loquitur ratione eius quod refertur ad *praemium aureolae*, quod respicit *decorem* et *statum;* sed loquitur ratione *habitus*. Unde ita dicit in libro de Bono coniugali[6]: « *Res ipsas* si comparemus, nullo modo dubitandum est, meliorem esse castitatem continentiae quam castitatem nuptiarum, cum tamen utrumque sit bonum; *homines* vero si comparamus, ille est melior, qui bonum amplius quam alius habet; porro qui amplius eiusdem generis habet et id quod minus est habet, et id quod amplius est utique habet ». Ex quo colligitur, quod quidquid sit de comparatione *personarum*, huius continentiae *usus* excellit usum illius. Unde et paulo ante

Notandum.

---

[1] Epist. 130. (alias 8.) n. 10. Originale: Sed quomodo *ibi* quartus [cfr. Dan. 3, 92.]... aliud oculis *comminari* [codd. non bene *communicari*], et aliud... ieiuniorum *rigore* [alias, frigore]... et *in* humano *corpore*. Vocabulum *Domini* post *se dicit* ex originali supplevimus. Circa finem loci respiciuntur Act. 9, 15. et 1. Cor. 7, 25.

[2] Cap. 37. n. 38. ubi respicitur Ps. 44, 2.

[3] Vers. 4. 3. — Locus libri de Virgin. est c. 27. n. 27, sed nonnullis hic omissis, vel transpositis. Ultima loci propositio incipit: *Ite in haec*, sequimini Agnum etc.; deinde: retinuit *auctus* quod Matri etc. In textu respiciuntur, vel citantur Luc. 12, 35. 36; Ps. 95, 1; Apoc. 14, 3. 4.

[4] Cap. 35. (inter opera August.), ubi pro *castificandi* legitur *castigandi*.

[5] Cap. 19. n. 19. Textus originalis pro *adversus se invicem fugiendi* habet *namque invicem fugiendo*.

[6] Cap. 23. n. 28: Res ergo ipsas si comparemus... castitatem *nuptialem* etc. Concludit autem recte sicut quod minus est habet; *qui autem hunc modo quod minus est habet*, id quod est amplius *non* utique habet.

Digitized by Google

praemittit [1]: « Si dicitur Christiano continenti et nuptias recusanti: tu ergo melior quam Abraham; dicat: ego quidem non sum melior quam Abraham; sed melior castitas caelibum quam castitas nuptiarum, quarum Abraham unam habebat in *usu* et ambas in *habitu*; et post dicat: non sum quidem melior quam Abraham in hoc duntaxat genere continentiae, qua ille non carebat, etsi non apparebat; sed sum talis, non aliud habens, sed aliud agens [2] ».

2. Ad illud quod obiicitur, quod fecunditas Mariae perfectior virginitate; dicendum, quod non est simile de fecunditate ipsius et fecunditate aliarum: quia fecunditas ipsius Virginis gloriosae fuit in conripiendo Dei Filium non per carnale commercium, sed per Spiritum sanctum; unde et concepit et peperit Filium non tantum sanctum, sed etiam Sanctum Sanctorum; sed fecunditas aliarum mulierum est in conripiendo peccatores, qui non sunt filii Dei, nisi iterum regenerantur in sancta matre Ecclesia. Unde Augustinus, in libro de Virginitate [3]: « Coniugatae quippe fideles feminae et Deo dicatae virgines sanctis moribus et *caritate de corde puro et conscientia bona et fide* non *ficta*, quia *voluntatem Patris faciunt*, Christi spiritualiter *matres sunt*; quae autem coniugali vita corporaliter pariunt non Christum, sed Adam parunt. Et ideo currunt, ut Sacramentis imbuti Christi membra fiant partus earum ». Et post: « Non enim Christiani ex earum carne nascuntur, sed postea fiunt, Ecclesia pariente, per hoc quod membrorum Christi spiritualiter mater est, cuius et spiritualiter virgo est. Nulla ergo carnis fecunditas sanctae virginitati etiam carnis comparari potest. Nec enim ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur; quae licet in carne servetur, spiritus tamen religione ac devotione servatur ». Et per hoc patet responsio ad illud. Notandum.

3. Ad illud autem quod obiicit, quod maiora bona sunt meliora mediis et minoribus, et virginitas est de bonis minimis, quia spectat ad carnem; dicendum, quod falsum est: quia, licet virginitas quantum ad *materiale* aliquid et *substratum* teneat se ex parte integritatis in carne, quantum ad *formale* tamen et *completivum* residet penes mentem, cui placet incorruptio perpetuo observanda in spiritu et in carne. Et ideo illa per *interemptionem* solvenda est. Unde Augustinus, in libro de Virginitate [4]: « Spiritualis est virginitas corporis, quam vovet et servat continentia pietatis. Sicut enim nemo impudice utitur corpore, nisi prius spiritu concepta nequitia; ita nemo pudicitiam servat in corpore, nisi prius spiritu [5] insita castitate. Porro, si pudicitia coniugalis, quamvis custodiatur in carne, animo tamen, non carni, tribuitur, quo praeside atque rectore, nulli praeter proprium coniugium caro ipsa miscetur; quanto magis quantoque honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsi Creatori animae et carnis vovetur, servatur et conseratur ». Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod virginitatem potest quis invitus perdere; dicendum, quod, sicut iam patet, illud est falsum quantum ad *meritum ipsius virtutis*. Unde et Luria dixit [6]: « Si me invitam violaveris, castitas mihi duplicabitur ad coronam ».

5. Ad illud quod obiicitur, quod bonum, quod non potest perdi sine peccato, est magis eligendum; dicendum, quod illud est falsum: quia bonum consilii sine peccato potest omitti [7], et tamen melius est quam bonum praecepti. — Prima *assumtio* est falsa, quia virginitas, de qua nunc loquimur, non est integritas carnis tantum, sed integritas Deo dicata per inviolabile propositum perpetuo continendi. Unde Augustinus, in libro de Virginitate [8]: « Nec hoc in virginibus praedicamus, quod virgines sunt, sed Deo dicatae pia conscientia, continentia virgines. Nam, quod non temere dixerim, felicior mihi nupta videtur quam virgo nuptura; habet enim iam illa quod ista adhuc cupit; illa oui studet placere, cui data est, ista multis, incerta, cui danda est ».

6. Ad illud quod obiicitur, quod circa difficile est ars et virtus; dicendum, quod duplex est difficultas: una, quae venit ex *genere operis*, et haec, cum maior est, attestatur perfectioni virtutis; alia est, quae venit ex *infirmitate vitiositatis*, et haec [9] ad maioritatem virtutis non facit, quia talis nec in Christo nec in Virgine fuit. Verbum autem Philosophi intelligitur de prima difficultate, non de secunda. Duplex difficultas.

7. Ad illud quod obiicitur, quod generatio reddit magis similem Deo quam incorruptio virginitatis; dicendum, quod non quaecumque similitudo facit ad complementum virtutis, sed illa quae manat ex vi *amoris assimilativi*; amor autem, qui est castus, magis appetit assimilari Deo in puritate plena utriusque hominis quam in fecunditate carnis, in qua etiam bruta animalia longinqua quadam similitudine sunt nata assimilari. Notandum.

---

[1] Ibid. c. 22. n. 27; sed hic plura omissa sunt.

[2] Hoc arg. IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 2. ad 4. brevius per distinctionem inter legem antiquam et novam solvitur. Ibid. solvuntur etiam argg. 2. 6. 9, et tangitur arg. 7; sed de 4. et 5. arg. cfr. ibid. q. 4.

[3] Cap. 6. n. 6, ubi respicitur I. Tim. 4, 5. et Matth. 12, 50. Seq. locus ibid. c. 7. n. 7: Non *tamen* Christiani etc. Duae ultimae propositiones sunt ibid. c. 8. n. 8.

[4] Cap. 8. n. 8: Spiritualis est *etiam* virginitas etc. Post *Porro*, *si pudicitia* substituimus ex originali *coniugalis* pro *virginalis*.

[5] Ita originale et codd.

[6] In Breviar. Romano in festo S. Luciae (13 Dec., II. Nocturn. lect. 6.). Cfr. tom. IV. pag. 756, nota 3.

[7] A *amitti*. — Inferius pro *inviolabile propositum perpetuo continendi* DE *immobile propositum continendi*.

[8] Cap. 11. n. 11: Nec *non* hoc in etc. In originali post *pia* omittitur *conscientia*, et subinde nonnulla adduntur.

[9] A *vitiositate infirmitatis et hoc*. Deinde ante *Christo* supplevimus *nec* (sive *non*).

Digitized by Google

8. Ad illud quod obiicitur, quod magis consonat statui innocentiae fecunditas etc.; dicendum, quod in statu innocentiae fuisset generatio absque omni libidine, cum munditia servata in mente et carne; et licet ratione prolis genitae maior sit similitudo in pudicitia coniugali [1], ratione tamen puritatis et munditiae maior est in virginitate; et quia haec est nobilior quam praemissa: ideo non concludit ratio illa. Notandum.

9. Ad illud quod obiicitur, quod plura bona paucioribus sunt magis eligenda; dicendum, quod illud est verum, ubi sunt paria bona. Nam contingere potest, quod unum magnum bonum praevaleat multis, sicut una marca auri praevalet centum solidis [2]. Et sic est in proposito; nam per virginitatem efficitur anima quodam modo *amica* et *soror* et *sponsa* et quodam modo *mater* Christi.

10. Ad illud quod obiicitur: quod magis consonat perfectioni naturae est magis laudabile; dicendum, quod perfectio naturae dicitur dupliciter: vel *naturae communiter*, vel *naturae rationalis* ut rationalis; ipse autem obiicit de perfectione primo modo dicta, et verbum praemissum intelligitur de secunda. Nam quod homo generet et possit generare, hoc attestatur perfectioni *naturae communiter*; quod autem spiritus praesit carni, et ratio sensualitati, ipsius compescendo pravitates et [3] rebelliones, hoc attestatur perfectioni rationalis naturae, sicut supra ostensum est. Duplex perfectio naturae.

11. Ad illud quod obiicitur, quod species praefertur individuo etc.; dicendum, quod illud veritatem habet in bonis privatis [4], quae faciunt ad conservationem naturae; virginitas autem est bonum spirituale et quodam modo perpetuum, faciens ad consummationem civitatis supernae; et ideo merito coniugio anteponitur, sicut caelestia temporalibus, pro eo quod coniugium replet mundum, et virginitas paradisum. Notandum.

QUAESTIO IV.

De obedientia.

Postquam quaesitum est de humilitate et de paupertate et de continentia, restat nunc quarto quaerere de obedientia. Et circa obedientiam tria possunt quaeri.

Primum est, utrum sit consonum iuri naturali, quod homo obediendo subiaceat alteri.

Secundum est, utrum sit consonum evangelicae perfectioni, quod unus astringat se voto ad obediendum alteri.

Tertium est, utrum sit conveniens christianae religioni, quod omnes obediant uni.

ARTICULUS I.

Utrum sit consonum iuri naturali, quod homo obediendo subiaceat alteri.

Quantum ad primum [5] sic proceditur. Videtur, quod sit consonum iuri naturali, quod homo obediat homini.

1. Pietas enim naturalis dictat, parentes esse honorandos [6]; sed honor parentum est in exhibitione reverentiae, exhibitio autem reverentiae est obtemperando et obediendo: ergo etc. Fundamenta.

2. Item, lex decalogi scripta in corde hominis dictat per dictamen naturae [7]; sed ipsa hoc praecipit, scilicet parentes honorari: ergo illud est consonum iuri naturali. Hoc autem fit per obsequium obedientiae: ergo etc.

3. Item, ad Ephesios sexto [8]: *Filii, obedite parentibus vestris per omnia;* sed paternitas et filiatio maxime consonant iuri naturali: ergo et filios parentibus obedire.

4. Item, ius naturae dictat ordinem; sed «ordo est parium disparimque sua loca cuique tribuens dispositio», ut dicit Augustinus decimo nono de Civitate Dei [9]: si ergo ordo est, quod unus subdatur alteri, et ius naturae dictat ordinem; dictat ergo, quod unus alteri debeat subiri.

5. Item, ius naturae dictat pacem inter domesticos; sed pax in domo est «ordinata imperandi obe-

---

[1] Codd. corrupte *virginali*.

[2] Cfr. supra Quaest. de Mysterio Trin. q. 2. a. 1. ad 7.

[3] Ita A, sed E *prontates* [*proniores?*] *rebelliones*, D *per vires* [?] *rebelliones*.

[4] Ita codd. Cfr. S. Thom. S. II. II. q. 152. a. 4. ad 3: Bonum commune potius est bono privato, si sit eiusdem generis; sed potest esse, quod bonum privatum sit medius secundum suum genus etc.

[5] Hic articulus sumtus est ex codd. A D.

[6] Cicero, II. Rhetor. c. 54: *Natura ius* est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis insevit, ut religionem, pietatem, gratiam... *pietas* [est], per quam sanguine coniunctis patriaeque benevolis officium et diligens tribuitur cultus. Cfr. ibid. c. 22, et August., 83 Qq. q. 31. n. 1.

[7] Vide Rom. 2, 14. seq., et III. Sent. d. 37. a. 1. q. 3.

[8] Vers. 1, ubi Vulgata *in Domino* pro *per omnia*. Col. 3, 20: Filii, obedite parentibus per omnia. — De *maiori* cfr. Isidor., V. Etymolog. c. 4. n. 1.

[9] Cap. 13. — Pro *maiori* cfr. verba August., l. de Lib. Arb. c. 6. n. 15, infra in principio corp. quaest. allegata.

Digitized by Google

diendique concordia [1] »: ergo iuri naturae competit imperare et obedire.

6. Item, ius naturale dictat, gradum esse servandum, « quia, si essent omnia aequalia, non essent omnia [2] »; ubi autem gradus, ibi est superioritas et inferioritas; sed si inferius non subiaceat superiori, non servatur gradus: ergo etc.

7. Item, ius naturae dictat ordinem hierarchicum, qui descendit a summa hierarchia per angelicam usque ad humanam [3]; sed ordini hierarchico consonat, quod inferior superiori obtemperat: ergo etc.

8. Item, ius naturae dictat « reddere unicique quod suum est [4] »; sed honor maxime debetur homini stanti seu in statu innocentiae; honor autem exhibetur homini, dum obeditur: ergo etc.

9. Item, de dictamine legis naturae est « quod commune est apud omnes [5] »; sed omnibus commune est regimen et imperium, sive subiectio et obedientia: ergo etc.

10. Item, de dictamine iuris naturalis est, quod homo totus obediat rationi rectae in se [6]: ergo pari ratione ius naturae dictat, quod minus peritus et ignorans obediendo subiaceat magis perito et scienti: ergo videtur, quod homo obtemperet homini, consonum esse iuri naturali.

Sed contra hoc obiicitur sic. 1. Genesis primo [7]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris* etc.; super quo verbo dicit Augustinus decimo nono de Civitate Dei: « Rationalem hominem ad Dei imaginem factum dominari noluit Deus nisi irrationabilibus »; sed de dictamine naturae est, quod homo servet institutionem divinam: ergo iuri naturali consonat, quod homo non imperet homini, nec unus obediendo subiaceat alteri.

Ad oppositum.

2. Item, Gregorius [8]: « Omnes homines natura fecit aequales »: ergo ius naturae dictat aequalitatem; sed ubi aequalitas, nulla est ibi superioritas et inferioritas; sed obedientia dicit superioritatem et inferioritatem: ergo etc.

3. Item, vigesima secunda distinctione [9]: « Cum culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis aequales sumus »; sed in statu naturae institutae nulla fuisset culpa: ergo fuisset aequalitas, ergo nulla fuisset praelatio nec subiectio: ergo etc.

4. Item, ius naturae dictat, *dignitatem* imaginis esse servandam; sed imago est immediate a Deo et soli Deo subiecta, quia, « nulla interposita natura, a prima Veritate formatur [10] »: ergo videtur, hoc, quod homo subiaceat obediendo homini, esse contra dignitatem imaginis.

5. Item, lex naturae dictat, *libertatem* esse servandam; sed liberum arbitrium aequaliter est in omnibus [11]: ergo aequaliter libertas in omnibus est servanda. Sed ubi subiectio et obedientia, non aequalis libertas: ergo etc.

6. Item, ius naturae dictat, *caritatem* esse servandam; sed caritas facit unionem, conformitatem et aequalitatem [12]: ergo privat omnem subiectionem et superpositionem: ergo etc.

7. Item, quod lex naturae dictat semper habet *esse* perpetuum; sed omnis subiectio et obedientia evacuatur, quia primo ad Corinthios decimo quinto [13]: *Cum evacuaverit principatus* etc.; Glossa: « Dum durat mundus, homines hominibus praesunt »: ergo etc.

8. Item, si lex naturae dictat unum correlativorum, dictat et reliquum [14]: ergo si dictat esse obediendum, dictat etiam imperandum: ergo sicut potest appeti obedire et subesse sine peccato, pari ratione et appeti poterit imperare et praeesse. Sed hoc est falsum et inconveniens: ergo et illud, ex quo sequitur: ergo lex naturae non dictat imperare, ac per hoc nec etiam obedire.

9. Item, lex naturae dictat, honorem debitum Deo nulli alii esse reddendum [15]; sed honor debitus Deo exhibetur obediendo et obtemperando: ergo *obedire* est soli Deo reddendum, non ergo homini.

10. Item, lex naturalis est impressio facta a lege aeterna [16]; sed illa impressio movet animam in

---

[1] August., XIX. de Civ. Dei, c. 13: Pax domus ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. — De *maiori* cfr. supra pag. 46, nota 3.

[2] Ut ait August., 83 Qq. q. 41, supra pag. 124, nota 5. allegatus. — De notione *gradus* vide I. Sent. d. 25. dub. 4.

[3] Cfr. Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 3. et 4; c. 8. § 2, c. 10; de Ecclesiast. Hierarch. c. 1. et c. 5. § 4. Vide etiam II. Sent. d. 9. Praenotata, et ibid. pag. 28, nota 3.

[4] De hac *iustitiae* definitione cfr. tom. III. pag. 728, nota 1.

[5] Secundum Boeth., de Divisione: Nam quod apud omnes idem est naturae est etc. Cfr. tom. IV. pag. 14, nota 5. et pag. 436, nota 2.

[6] Aristot., II. Ethic. c. 2: Agere igitur secundum rectam rationem commune [omnium] est.

[7] Vers. 26. — Verba August. inferius allegati habentur XIX. de Civ. Dei, c. 15.

[8] Libr. XXI. Moral. c. 15. n. 22. Cfr. tom. II. pag. 1007, nota 6.

[9] Can. *De Constantinopolitana* (1.), qui sumtus est ex duabus epistolis Gregorii; verba hic allegata inveniuntur in IX. Epistolarum, epist. 59. (alias 65.).

[10] August., 83 Qq. q. 51. n. 2. 4. et de Spiritu et anima (inter opera August.) c. 11. Cfr. tom. II. pag. 45, nota 5.

[11] De quo vide II. Sent. d. 25. p. II. q. 1. — Isidor., V. Etymolog. c. 4. n. 1. ad ius naturale pertinere dicit, quod sit « omnium una libertas ».

[12] Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 15: Amorem... unitivam quandam et concretivam intelligemus virtutem.

[13] Vers. 24: Cum evacuaverit omnem principatum etc. — De Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, cfr. Haymo, in hunc loc., et Petr. Lombard., II. Sent. d. VI. c. 4. Inferius in corp. quaest. Glossa plenior datur.

[14] Quia secundum Aristot., de Praedicam. c. de *His quae ad aliquid*, relativa simul sunt natura.

[15] Cfr. supra pag. 124, nota 2.

[16] Psalm. 4, 7: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Cfr. Rom. 2, 14. seq. et Glossa *ordinaria* ibid.; nec non inferius principium corp. quaest.

Digitized by Google

arduum, se autem subdere alteri obtemperando contrariatur arduo: ergo etc.

CONCLUSIO.

Lex naturalis dictat in generalitate quadam, quod inferior superiori obediendo subiaceat, diverso tamen modo secundum diversas superioritatis et inferioritatis differentias; hoc autem consonat legi scriptae et legi gratiae.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod, secundum quod dicit Augustinus in libro Octoginta trium Quaestionum [1], lex naturalis est impressio facta in anima a lege aeterna; lex autem aeterna est itta, qua incommutabili permanente, cetera ordinantur. Unde Augustinus, primo de Libero Arbitrio: « Ut breviter aeternae legis notionem, quae impressa est mihi, quantum valeo, verbis explicem: ea est, qua iustum est, ut omnia sint ordinatissima ». Sed sicut dicitur decimo nono de Civitate Dei, decimo tertio capitulo: « Ordo est parium disparium que sua cuique loca tribuens dispositio ». Si ergo superioris est praeesse, et inferioris subesse, lex naturalis, quae manat a lege aeterna, naturaliter dictat, quod inferior superiori obediendo subiaceat; et hoc quidem dictat in generalitate quadam, diversimode tamen, secundum quod superioritatis et inferioritatis reperire contingit differentias diversas.

Quid lex naturalis et aeterna.

Quid ordo.

Conclusio 1.

Dicitur enim alter alteri esse superior aut quantum ad *originem naturae*, aut quantum ad *dominium potentiae* seu praesidentiae, aut quantum ad *regimen providentiae*. Prima superioritas competit ipsi naturae ratione *sui*, quia « natura est vis insita rebus ex similibus similia procreans [2] »; secunda vero ratione *vitii*, quia, ut dicit Ambrosius, servitus est poena peccati; tertia autem competit ratione *remedii*, secundum illud Numerorum vigesimo septimo [3]: *Provideat Deus spirituum universae carnis hominem, qui sit super hanc multitudinem, ne sint sicut oves absque pastore.* — Primae superioritati debetur obedientia *filialis*, secundae obedientia *servilis*, tertiae vero obedientia *iurisdictionalis*, quae respicit dignitatem praelationis.

Triplex modus superioritatis.

Triplex modus obedientiae.

Hinc est igitur, quod lex naturalis dictat obedientiam *filialem*, sive secundum statum naturae *lapsae*, sive secundum statum naturae *institutae*. — Obedientiam autem *servilem* dictat non simpliciter, sed in statu naturae *lapsae* ad peccati punitionem, secundum dictamen iuris gentium, quod manat ex ratione et instinctu naturae [4]. — Obedientiam vero *iurisdictionalem* dictat secundum statum naturae *reparabilis* seu reparatae, et hoc in statu *viae*, secundum illud primae ad Corinthios decimo quinto [5]: *Cum evacuaverit omnem principatum* etc.; Glossa: « Dum durat mundus, Angeli Angelis, homines hominibus praerunt ad utilitatem viventium; sed omnibus collectis, iam omnis praelatio cessabit, quia necessaria non erit ». — Cum igitur secundum triformem differentiam superioritatis triplex sit modus obediendi; primum natura dictat *simpliciter*, quia universaliter et explicite et secundum omnem statum; secundum autem et tertium *implicite* et secundum *statum determinatum*.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Conclusio 4.

Epilogus.

Unde quaelibet dictarum obedientiarum consonat legi *naturae*, nec tantum legi naturae, verum etiam legi *gratiae* et legi *scriptae*. — Quia enim lex *gratiae* considerat naturae *ortum*, *lapsum* et *remedium*; ideo ipsius est *approbare* triplicem modum et differentiam obedientiae supradictae. Approbat enim obedientiam *filialem* ad Ephesios sexto [6]: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim iustum est.* Approbat etiam obedientiam *servilem*, primae ad Timotheum sexto: *Quicumque sunt sub iugo servitutis, dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Laudat etiam obedientiam *iurisdictionalem* ad Hebraeos ultimo: *Obedite praepositis vestris et subiacete eis; ipsi enim pervigilant* etc. — Econtra autem, quia lex *scripta* erat lex rigoris, non tantum *approbat* istam triplicem obedientiam, sed etiam *punit* istius obedientiae transgressores. Punit enim *filium contumacem*, Deuteronomii vigesimo primo [7]: *Si ge-*

Conclusio 5.

Probatur.

Corollarium de lege scripta.

---

[1] Quaest. 53. n. 2, ubi, agens de ablatis ab Hebraeis in Aegypto (Exod. 12, 35. seq.), ait: Ex hac igitur ineffabili atque sublimi rerum administratione, quae fit per divinam providentiam, quasi transcripta est naturalis lex in animam rationalem, ut in ipsa vitae huius conversatione moribusque terrenis homines talium distributionum imagines servent. Cfr. q. 54, ubi ostendit, animam humanam, eo ipso quod imago Dei, divinae sapientiae participem esse et ab ipsa Veritate formari. — Seq. loc. est I. de Lib. Arb. c. 6. n. 15.

[2] Vide supra pag. 63, nota 10. — Seq. sententia Ambrosii colligi potest ex lib. de Elia et ieiunio, c. 5. n. 11, allegato II. Sent. d. 44. a. 2. q. 2. ad 3; II. de Iacob et vita beata, c. 3. n. 12; Epist. 37. n. 6. et 9; Comment. in Epist. ad Phil. 2, 7. (inter opera Ambrosii), ubi dicitur: Servi autem ex peccato fiunt, sicut Cham filius Noe, qui primus merito nomen *servi* accepit (Gen. 9, 25.), et ad Col. 4, 1. Cfr. II. Sent. d. 44. a. 2. q. 2. fundam. 3, ubi eadem sententia Augustino tribuitur.

[3] Vers. 16. seq.: Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis... multitudinem hanc... ne sit populus Domini sicut oves etc. — Interius pro *iurisdictionalis* D *iurisdictionis*.

[4] Iustinian., Institut. imperial. lib. I. tit. 2. lege unica *Ius naturale* § *Ius autem civile* a iure gentium distinguitur... quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos peraeque custoditur vocaturque *ius gentium*, quasi quo omnes gentes utuntur. Cfr. ibid. § *Ius autem gentium*, et Isidor., V. Etymolog. c. 6, ubi ad hoc ius reducuntur *captivitates* et *servitutes*.

[5] Vers. 24. — In Glossa, de qua vide supra pag. 180, nota 13, textus originalis post *circumdum* addit *vel ad deceptionem*; ultima propositio *quia necessaria non erit* non exhibetur a Strabo, habetur tamen apud Petr. Lombard., in hunc loc. — Interius pro *triformem* D *omnem*.

[6] Vers. 1. — Seq. locus est I. Tim. 6, 1, ubi Vulgata *servi* pro *servitutis*; tertius Hebr. 13, 17.

[7] Vers. 18. seq. Post *patris* Vulgata addit *aut matris*. — Seq. locus est Exod. 21, 20. seq.: Qui percusserit servum suum

Digitized by Google

nuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris imperium, et coercitus obedire contempserit; apprehendent eum et ducent ad seniores etc. — Punit etiam *servum rebellem*, Exodi vigesimo primo: *Qui percusserit servum vel ancillam virga, si uno die vel duobus supervixerit, non subiacebit damno, quia pecunia illius est.* — Punit etiam *subditum non obedientem*, Deuteronomii decimo septimo: *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille.* — Ex dictis igitur manifeste colligitur, quod obedientia hominis ad hominem consona est legi *gratiae* et legi *scriptae* et legi *naturae*. — Unde rationes, quae ad hanc partem inducuntur, concedendae sunt.

Solutio oppositorum.

1. 2. 3. Ad illud ergo quod primo obiicitur de auctoritate Augustini, Gregorii et canonis, dicendum, quod in verbis illis non intendunt excludere subiectionem et obedientiam, sed servitutem coactam, quae quidem non fuit nec esse debuit, nisi interveniente reatu peccati tanquam morbo contrario ipsi naturae; in cuius etiam detestationem secundum dictamen rectae naturae subsequi debet punitio servitutis, propter contemptum maiestatis divinae et captivationem libertatis humanae et deformationem dignitatis rationalis naturae. Unde licet hoc non dictet natura pro se stante, dictat tamen pro se a statu culpae, secundum quod in praecedentibus dictum est [1].

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de dignitate imaginis, iam potest patere responsio: quia, licet huius subiectio non competat imagini *formatae*, competit tamen imagini *deformatae*, vel etiam *reformandae*; sicut videmus in Sacramentis, quod homo reparandus quodam modo subiicitur sensibilibus elementis, licet homini stanti conveniat subiici respectu solius Dei [2]. — Aliter etiam potest dici, quod dupliciter est habere de imagine: vel *in se*, vel in *relatione ad carnem*; et licet ipsa anima ratione *sui* a solo Deo habeat infundi et illi soli subiici, ratione tamen *carnis*, quae habet per vim humani ministerii propagari, subiici habet suae origini, sicut proles parenti, ita tamen, quod ex hoc in nullo dignitati imaginis praeiudicium generetur.

Alia solutio cum distinctione.

5. Ad illud quod obiicitur, quod lex naturae dictat, libertatem voluntatis esse servandam etc.; dicendum, quod cum sit libertas a *miseria*, a *culpa* et a *coactione*; libertas a *coactione* duplex est, scilicet a coactione *sufficiente* et *inducente* [3]. Primam quidem dictat natura esse servandam omnino *simpliciter et semper*. Secundam autem, scilicet a coactione *inducente*, non dictat nisi pro *eo tempore*, in quo quis abutitur libertate; et quia hoc est in statu *naturae lapsae*: ideo dictat pro hoc tempore, quod improbitas voluntatum restringatur per imperia praesidentium potestatum.

Triplex libertas. Subdistinctio.

6. Ad illud quod obiicitur, quod ius naturae dictat, caritatem esse servandam; dicendum, quod sicut ad perfectionem corporis vivi requiritur *aequalitas complexionis*, in qua omnia membra conformantur, et *multiformitas organizationis*, in qua membra distinguuntur et ordinantur et secundum variam influentiam alia aliis praeponuntur; sic intelligendum est circa corpus Christi mysticum [4]. Et ideo unitas caritatis non excludit multiformitatem charismatum et discretionem dignitatum et officiorum, secundum quae unum membrum alteri habet subiici et secundum legem praelationis et subiectionis ab altero gubernari.

Simile notandum.

7. Ad illud quod obiicitur, quod illud quod dictatur a natura habet durationem perpetuam; dicendum, quod illud est verum de eo quod natura dictat *simpliciter*, sed non est verum de eo quod natura dictat *pro statu*; sicut in statu innocentiae dictabat, omnia esse communia, quod quidem non dictat in natura corrupta [5]. Et ideo propositio illa falsa est, universaliter intellecta.

Distinctio.

8. Ad illud quod obiicitur, quod si lex naturae dictat unum correlativorum, dictat et reliquum; dicendum, quod sicut lex naturae dictat subiectionem, sic et praelationem. Sicut enim dictat, quod quis debet subiici alteri ad obedientiam; sic dictat, quod alter debet praeesse alteri per providentiam. Sed ex hoc non sequitur, quod ibi debeat appeti praelatio, sicut appetitur subiectio. Nam appetitus subiectionis consonat humilitati et reverentiae; appetitus vero praelationis degenerat ut plurimum in fastum ambitionis et arrogantiae: ideo, quamvis locus dignitatis recte possit administrari secundum dictamen naturae, non tamen debet appeti propter annexum typum superbiae [6].

Notandum.

9. Ad illud quod obiicitur, quod honor Deo debitus nulli alii est reddendus; dicendum, quod honor debetur Deo et in *propria natura* et in *imagine sua*; honor enim, qui exhibetur homini propter Deum, ad Deum refertur; et ideo quod proprium est Dei, scilicet honor latriae, non debet alteri attribui [7]. Quod autem convenit Deo operanti per ministrum, scilicet gubernatio et regnum et imperium respectu

Axioma notandum.

---

vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus eius, criminis reus est. Sin autem unus... non subiacebit poenae, quia etc. In tertio loco (Deut. 17, 12.) Vulgata post *Qui* addit *autem*, et post *imperio* plures propositiones subiungit.

[1] Cfr. etiam II. Sent. d. 44. a. 2. q. 2. — D his *per se* loco *pro se*.

[2] Vide IV. Sent. lit. Magistri, d. 1. c. 5, et ibid. Comment. p. 1. q. 1. in corp. — Superius fide A supplevimus *vel etiam reformandae*.

[3] Cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 1. et 4. seq. — Post pauca pro *omnino simpliciter* A *cum* [omni?] *tempore*; de illa divisione cfr. IV. Sent. d. 26. a. 1. q. 3. In corp. subinde pro *Secundum autem, scilicet* A *Secundam, quae est*.

[4] Vide I. Cor. 12, 12. seqq.

[5] Cfr. II. Sent. d. 44. a. 2. q. 2. ad 4. et IV. Sent. d. 26. a. 1. q. 3. in corp.

[6] Vide Gregor., XVII. Moral. c. 21. n. 31, ubi haec verba Iob 24, 5: *Ecce, gigantes gemunt sub aquis*, explicat de his qui ceteris praeesse ambiunt.

[7] Cfr. III. Sent. d. 9. a. 1. q. 5.

Digitized by Google

subiectorum, non est inconveniens, quod per Deum et propter Deum et secondom Deum alii tribuatur, quia totum refertur ad ipsum secundum rectum ordinem, quem quidem servat in gubernando mundum.

10. Ad illud qood obiicitur, quod impressio legis naturalis movet in ardnum; dicendum, quod est *arduum honoris* et *arduum virtutis; arduum honoris* competit animae secundum statum patriae, *arduum virtutis* secundum statum viae. Ideo enim aliquis honoratur et excellenter laudatur, quia hoc meruit per arduum et excellens et difficile opus virtutis [1]; et quia tale opus est opus humilitatis et obedientiae, quod superbis mentibus est arduum et inaccessibile: ideo consonum est ipsi legi naturae et gratiae, quod homo per opus humilitatis et obedientiae sublevetur ad culmen honoris et felicitatis aeternae.

Duplex arduum.

ARTICULUS II.

Utrum sit consonum evangelicae perfectioni, quod unus se astringat voto ad obediendum alteri.

Secundo quaeritur, utrum sit consonum evangelicae perfectioni, quod unus astringat se voto ad obediendum alteri. Et videtur, quod non.

1. Lex enim evangelica est libertatis [2]; sed subdere se homini per votum est necessitatis: ergo astringere se voto ad obediendum homini repugnat libertati evangelicae legis.

Ad oppositum.

2. Item, Anselmus, in libro Cur Deus homo [3]: « Deus hominem per semetipsum redimere voluit, ut in pristinam libertatem hominem revocaret »; sed in statu pristinae libertatis nullus erat astrictus ad obediendum alteri: ergo ad pristinam libertatem per Redemptorem reductos nulli ad obedendom debet esse astrictus.

3. Item, Gregorius [4]: « Servitia, quanto minus debita, tanto magis grata »: ergo *ab oppositis*, quanto magis debita, tanto minus grata; sed astringens se voto ad obediendum homioi tenetur illi obedire: ergo hic est minus gratus Deo. Sed illud, per quod efficitur homo minus gratus Deo, est contrarium evangelicae perfectioni: ergo etc.

4. Item, lex evangelica est *iugum suave et onus leve* [5]; sed grave est homini per omnia obtemperare: ergo astringere se ad obediendum homini non concordat levitati evangelicae perfectionis.

5. Item, lex evangelica, quia est *onus leve*, non compatitur secum onus et servitutem legis scriptae: ergo cum gravius sit obedire indistincte praeceptis hominis, quam distincte obtemperare caeremoniis et praeceptis veteris legis; videtur, quod astringere se ad obediendum homini non possit esse cum perfectione evangelica.

6. Item, grave est obedire mandatis divinis: ergo multo gravius est obedire mandatis divinis pariter et humanis; sed qui ex voto subiicit se homini astringit se [6] mandatis illius: ergo etc.

7. Item, Lucae sexto [7]: *Perfectus erit omnis, si sit sicut magister eius*; sed de Christo non legitur, quod fuerit sub alio per votum: ergo alteri subdere se per votum non est perfectum, sed, ut videtur, potius superstitiosum.

8. Item, si votum obedientiae auget perfectionem virtutis obedientiae; cum iste gradus non fuerit in Christo, videtur, quod implens hunc gradum sit perfectior Christo; sed hoc est absurdum et inconveniens: ergo et inconveniens est dicere, quod voto se alteri subdere [8] augeat perfectionem virtutis obedientiae.

9. Item, Apostoli evangelicam perfectionem potissime in se habuerunt; sed nulli obedientiam devoverunt: ergo etc.

10. Item, videtur, quod istud facere sit *praesumtuosum*: quia aut talis *reputat* se sufficientem ad mandata divina implenda, aot *non*. Si *non*: ergo stulte facit, cum astrictus ad divina praecepta se obligat ad mandata humana implenda; si autem *reputat* se sufficientem ad implenda mandata divina, praesumtuosus est: ergo ulterius se obligare ad mandata homiois maius videtur iudicium praesumtionis.

---

[1] Vide supra pag. 139, nota 4. verba Aristot., qui etiam I. Ethic. c. 12. ait: Laus enim virtutis est.

[2] Cfr. Gal. 4, 22. seqq.

[3] Libr. I. c. 5: An non intelligis, quia quaecumque alia persona [quam persona divina] hominem a morte aeterna redimeret, eius servus idem homo recte indicaretur? Quod si esset, nullatenus restauraturus esset in illam dignitatem, quam habiturus erat, si non peccasset; cum ipse, qui non nisi Dei servus et aequalis Angelis bonis per omnia futurus erat, servus esset eius, qui Deus non esset, et cuius Angeli servi non essent.

[4] Haec sententia ab aliis, v. g. Guliel. Antissiodor., S. p. III. tr. 8. c. 2. q. 2. *Augustino* attribuitur, at, ut videtur, elicitur ex illis August. verbis: « Tales enim servos suos meliores esse Deus iudicavit, si ei servirent *liberaliter* » (de Vera Relig. c. 14. n. 27.); de quo cfr. III. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. arg. 3. et 4. ad oppos. Ambros., Serm. 13. n. 3. et Serm. 14. n. 24. in Ps. 118. docet, quod « Dominus operationes servulorum spontaneas probat potius quam coactas »; et in Serm. 41. (inter Serm. hactenus Ambrosio ascriptos) n. 4. ait: Et cum utique acceptius voluntarium obsequium esse soleat, quam coactum, et servitium plus placeat, non quod imperio exigitur, sed quod sponte defertur, cur ergo etc. De Gregor. cfr. XV. Moral. c. 18. n. 22.

[5] Matth. 11, 30: Iugum enim meum suave est et onus meum leve.

[6] Supplevimus *se*, vel substituendum *astringitur*.

[7] Vers. 40: Perfectus autem omnis erit etc.

[8] D *subdere*.

11. Item, si hoc est perfectionis vovere: ergo qui profitetur hoc, profitetur, se esse perfectum; sed hoc est praesumtuosum: ergo etc.

12. Item, velle praeesse iusto viro et perfecto est superbia et praesumtio: ergo consentire alii et cooperari, ut praesit, est consentire superbiae et praesumtioni; sed qui astringit se ad obediendum alteri consentit et cooperatur illi, ut praesit: ergo etc.

13. Item, hoc videtur esse *periculosum*: quia committere se homini, de cuius scientia et conscientia ignorat, est periculum; sed qui astringit se voto ad obediendum homini ignorat frequenter, an sit sapiens, vel bonus, seu de ipsius scientia et conscientia: ergo etc.

14. Item, quanto maioribus et pluribus homo astringitur, tanto est in maioribus periculis constitutus; sed qui vovet obedientiam homini pluribus astringitur, quam prius esset astrictus: ergo maioribus exponitur periculis: ergo etc.

15. Item, lex evangelica dissuadet iuramentum propter periurii periculum [1]; sed qui vovet obedientiam homini est in periculo transgressionis voti: ergo talis offert se discrimini.

16. Item ostenditur, quod istud sit *imperfectum*. Qui enim peccat, alio suggerente, minus peccat, quam ille qui peccat, proprio motu instigante [2]: ergo similiter qui obedit, alio imperante, minus meretur, quam qui sponte agit, seu solo Deo iubente: ergo qui astringit se voto ad obediendum alteri imperfectius agit, quam qui se non astringit; sed quod diminuit de perfectione dissonat ab evangelica lege: ergo etc.

17. Item, tanto perfectius quis movetur, quanto immediatius fertur in Deum; sed qui solo Deo obedit immediatius fertur in Deum, quam qui subiicit se homini: ergo etc.

18. Item, optimum genus monachorum est anachoretarum, secundum quod dicit beatus Benedictus in principio regulae suae [3]; sed tales non astringebantur voto ad obediendum homini: igitur ex voto subiicere se alii non est evangelicae perfectionis.

19. Item, qui infirmo praecludit viam sanitatis non curat perfectionem, sed a perfectione recedit; sed qui astringit [4] se voto ad obediendum alteri claudit sibi multas vias ad salutem, cum talis ante votum multimode aliter salvari possit, quod non potest post votum: ergo talis imperfectissime agit.

20. Item, quanto quis pluribus *subiicitur*, tanto humilius et perfectius agit; sed qui *vovet obedientiam pluribus* male facit: ergo vovere obedientiam alteri non est humilitatis nec perfectionis.

Sed contra hoc sic obiicitur. 1. Matthaei tertio [5]: *Sic decet nos implere omnem iustitiam;* Glossa: « Perfecta humilitas habet tres gradus: primus est subdere se maiori, secundus subdere se pari, tertius subdere se minori, in quo est omnis iustitia; et hoc Christus implevit »: ergo si perfecta iustitia est subdere se alteri, hoc autem maxime fit per obedientiae votum; videtur, quod istud sit maxime perfectioni evangelicae consonum. Fundamenta.

2. Item, primae Petri secundo [6]: *Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum:* ergo quanto quis hoc efficacius facit, tanto perfectius agit; sed qui per votum alteri se subiicit, hoc efficacissime facit: ergo talis perfectissime agit.

3. Item, Gregorius [7]: « Maius est relinquere se ipsum quam sua »; sed qui propter Deum relinquit sua perfecte facit: ergo qui relinquit se ipsum, perfectius. Sed hoc maxime fit in abnegatione voluntatis per obedientiae votum: ergo etc.

4. Item, Anselmus [8]: « Sicut voluntas Dei est origo omnis boni, sic voluntas propria est origo omnis mali »; sed qui perfecte amovet originem omnis mali perfectissime facit: ergo qui totaliter voluntatem propriam abnegat per votum obedientiae agit perfectissime.

5. Item, Hugo [9]: « Obedientia est virtus, quae, propria voluntate postposita, animo amplectitur iniuncta opere implenda »; sed qui alteri obedientiam vovet maxime postponit propriam voluntatem: ergo etc.

6. Item, Bernardus, homilia quadragesima secunda super Cantica [10]: « Parum est, subditum esse Deo, nisi sis et omni humanae creaturae propter Deum: subdere paribus, subdere minoribus; *sic enim decet nos implere omnem iustitiam* »; sed hoc potissime fit astringendo se voto ad obediendum alteri: ergo etc.

---

[1] Matth. 5, 34: Ego autem dico vobis, non iurare omnino etc. Cfr. loc. 5, 12, et III. Sent. d. 39. a. 2. q. 1. seq.

[2] Cfr. II. Sent. d. 21. a. 3. q. 2. fundam. 2. et q. 3. arg. 2. pro parte negativa.

[3] Cap. 1, in quo anachoritae laudantur propter fervorem etc. Cfr. supra q. 2. a. 3. ad 12. Cassian., Collat. 18. c. 4. ait: Tria sunt in Aegypto genera monachorum [coenobitae, anachoretae, sarabaitae], quorum duo sunt optima, tertium tepidum atque omnimodis evitandum.

[4] D *alligat.*

[5] Vers. 15: Sic enim decet etc. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Lyranum, est secundum Bernard., Serm. in Octava Epiphan. n. 4. In textu originali Glossae plura interseruntur, et pro *et hoc* substituitur *et hunc*, quod etiam infra in corp. quaest. ponitur in eadem Glossa. — Superius pro *obiicitur* A *dicitur*.

[6] Vers. 13: Subiecti igitur estote etc.

[7] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 1: Et fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare quod habet, valde autem multum est abnegare quod est.

[8] Potius Eadmerus in libro de Similitudinibus S. Anselmi, c. 8: Sicut propria voluntas Dei fons est et origo totius boni, ita propria voluntas hominis totius est exordium mali.

[9] Haec definitio habetur in libro, cui titulus: Tractatus de statu virtutum (inter opera Bernardi), p. II. n. 20. Vide tom II. pag. 1013, nota 2, ubi etiam verba Hugonis sunt allata. — In hoc arg. desinit A. Sequentia ex solo D sumta sunt.

[10] Num. 9: At parum est esse subiectum Deo... propter Deum; sive abbati tanquam praecellenti, sive proximis tanquam ab eo constitutis. Ego plus dico, subdere paribus, subdere et minoribus; *sic enim decet nos*, inquit [Matth. 3, 15.], *omnem implere iustitiam.*

Digitized by Google

7. Item, *sufficiens iustitia* est servare divina mandata, ergo *abundans*[1] super haec servare humana; sed hoc facit qui alteri ad obediendum se subiicit.

8. Item, *humilitas* est consona perfectioni evangelicae: ergo summa humilitas est maxime consona eidem; sed astringere se voto ad obediendum alteri est maximae humilitatis: ergo etc.

9. Item, *liberalitas* est consona evangelicae perfectioni; sed hoc est summa liberalitas, cum homo propter Deum non solum dat sua[2], sed se ipsum, propriam voluntatem postponendo, per obedientiae votum: ergo etc.

10. Item, *conformitas ad Christum* est consona perfectioni evangelicae; sed Christus mera liberalitate subiecit se homini, Lucae secundo[3]: *Et erat subditus illis:* ergo se ipsum alteri subiicere facit Christo conformem. Sed hoc maxime fit per obedientiae votum: ergo etc.

11. Item, quod maxime nos *elongat a mundo* maxime consonat perfectioni evangelicae; sed astringere se voto ad obediendum homini maxime elongat nos a mundo, quia *omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitae*[4], a quibus maxime elongamur per obedientiae votum: ergo etc.

12. Item, quod maxime nos *elongat a diabolo* maxime spectat ad perfectionem evangelicam; sed velle subesse et non praeesse maxime nos elongat a peccato diaboli, qui omnino voluit praeesse sine subesse[5]: ergo etc.

13. Item, *unde*, quod *confirmat nos caelesti hierarchiae*, consonum est perfectioni evangelicae; sed in hierarchia caelesti videmus quod unus Angelus subiicit se obediendo alteri, et Angeli inferiorum ordinum sine repugnantia obediunt Angelis superiorum[6]: ergo in hierarchia ecclesiastica quod unus homo subiciat se obediendo alii, conformat nos ordini caelesti, ac per hoc est maxime consonum evangelicae perfectioni.

CONCLUSIO.

Astringere se voto ad obediendum alteri, non in omnem eventum, sed ad ea quae evangelicis consiliis sunt consona, hoc est perfectionis constitativum, expeditivum et consummativum.

Duplex obligatio. RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam notandum est, quod dupliciter aliquis potest se astringere ad obediendum alteri homini: vel in omnem eventum et omnia beneplacita voluntatis illius, vel ad ea quae evangelicis consiliis sunt consona secundum aliquam certam vivendi normam, a fonte legis evangelicae derivatam. Primo modo nec est perfectioni nec perfectioni consonum, immo temerarium et stultum; secundo modo perfectum est, quia hoc et perfectionis est *constitativum* et *expeditivum* et *consummativum*. Sic enim obedientiam vovere ad hominem et est ipsius perfectionis *pars constitativa* et *via praeambula* et *completio ultimata*. — Pars, inquam, *constitativa* est, quia ipsa est unum de illis tribus consiliis evangelicis, in quibus consistit principaliter integritas evangelicae perfectionis. Conclusio. Est pars constitutiva.

Via praeambula est, quia consilia illa melius et perfectius et expeditius servari possunt, cum quis alicui consortii et adiutorio et exemplo fulcitur, quam si sibi soli relinquatur. Consortium autem non iuvat, nisi sit pacificum; nec pacificum esse potest, nisi sit connexum et ordinatum[7]; hoc autem esse non potest, nisi per reductionem plurium voluntatum ad unius imperantis, secundum cuius nutum ordinentur et dirigantur et per consequens connectantur. Via praeambula.

Est etiam *completio ultimata*, propter hoc quod in ipsa completur potissime iustitia *abundans*, cuius modi est iustitia evangelica, secundum illud Matthaei quinto[8]: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.* — Est enim iustitiae triplex actus, scilicet *rectificare*, *coordinare* et *compensare*. Iustitia namque nihil aliud est quam *recta* voluntas, *ordinata* et *recompensativa*, quia per ipsam « redditur unicuique quod suum », secundum quod competit *rectitudini iuris* et *ordinis dignitati*. — Perfecta ergo *rectificatio* iustitiae abundantis attenditur secundum conformitatem voluntatis ad veritatem; veritas autem unumquemque humiliat, ut de se minora quam de alio sentiat. Ille igitur perfecte et abundanter rectificatur, qui, secundum quod veritas dictat, non invite, sed voluntarie voluntatem suam sub alio humiliat et quodam modo in servitutem quandam redigit et captivat[9]; quod quidem fit per obedientiam alteri homini exhibitam, quae maxime repugnat arrogantiae et ambitioni, qua quis vult aliis se praeferre. Unde Bernardus, quadragesima secunda homilia super Cantica[10]: « Time Deum et noli hanc rem Completio ultimata. Triplex actus iustitiae. Primo, de perfecta rectificatione.

---

[1] Deficit in D, sed supplendum esse divinum.

[2] Substinimus, contextu requirente, *sua* pro *se*. Cfr. Gregor., XXXV. Moral. c. 14. n. 28. [3] Vers. 51.

[4] Epist. I. Ioan. 2, 16. Vulgata omittit *aut* et substituit *his et* pro *vel*.

[5] Gregor., XXXIV. Moral. c. 21. n. 10: Levitatis vero iste, eius [Dei] celsitudinis culmen aspiciens, ius perversae libertatis appetit, ut et praeesset ceteris et nulli subesset. Cfr. tom. II. pag. 140, nota 7.

[6] Cfr. II. Sent. d. 10. a. 1. q. 2. et dub. 2.

[7] August., XIX. de Civ. Dei, c. 13. n. 1: Pax hominum [est] ordinata concordia. Pax domus ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium.

[8] Vers. 20. — De definitione *iustitiae* infra posita cfr. tom. III. pag. 728, nota 1. Cicero, II. Rhet. c. 54. eam definit: Iustitia est habitus animi, communi utilitate conservata, suum cuique tribuens dignitatem.

[9] Respicitur I. Cor. 9, 27: Sed castigo corpus meum et in servitutem redigo. Et II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

[10] Nam, 8. Post *voluntas* textus originalis addit *hoc enim resistere est veritati, hoc pugnare contra Deum.*

Digitized by Google

pessionem facere, ut quem humiliat veritas extollat voluntas. Magis autem acquiesce Deo, et sit voluntas subdita veritati ».

Secundo, de perfecta ordinatione.

Perfecta etiam *ordinatio* secundum regulam abundantis iustitiae est, ut non solum inferior superiori, et par pari, verum etiam ut superior inferiori voluntarie se supponat, iuxta quod Matthaei tertio[1] dicitur: *Sic decet nos implere omnem iustitiam*; ubi Glossa: « *Sic*, subdendo se servo et inferiori, *omnem iustitiam*, id est humilitatem, quae est omnis iustitia, *decet implere*. — Et haec humilitas tres habet gradus: primus, subdere se maiori, et hic vocatur *sufficiens*; secundus est subdere se aequali, et hic dicitur *abundans*; tertius est subdere minori, in quo est *omnis iustitia*. Hunc Christus implevit ». Quoniam ergo perfecte tunc subiicitur homo homini, quando se astringit voluntarie, in his quae secundum Deum sunt, alterius imperiis obedire, maxime eius[2] qui maior ei non erat, sed vel aequalis, aliquando etiam minor — quia omnis homo in aliquo alium excedit, saltem secundum animam — hinc est, quod ad perfectionem institutae *ordinatis* secundum viam ordinis *dignatiri*, qui currit secundum legem gratiae, quo maior reputat se minorem, concurrit et plurimum facit obedientia, quae uni homini ab altero exhibetur.

Gradus tres humilitatis.

Tertio, de perfecta recompensatione.

Perfecta nihilominus *recompensatio* iustitiae abundantis in hoc attenditur, ut quis totum dati totum reddat. Quoniam ergo Christus Dominus non tantum debet *nos* nobis, sed etiam *se* debet nobis; et propter nos non tantum se hominem fecit, sed etiam hominibus subdidit: hinc est, quod, ad hoc quod pro modulo nostrae imbecillitatis *recompensemus*, secundum quod possumus, non tantum Deo, verum etiam homini, non solum quae habemus et membra, sed etiam quod sumus, id est voluntatem nostram, congruit ut subdamus. Unde Bernardus, super Cantica[3]: « Constat, Deum caritate exinanitum, caritate minoratum ab Angelis, caritate parentibus subditum, caritate Baptistae manibus inclinatum, caritate carnis infirma passum, caritate postremo morti obnoxium, cruce inglorium exstitisse ». Ex quo concludit, quod mera voluntate in horum recompensationem debet homo homini propriam subdere voluntatem. — Et in hoc vere perfectio consistit, cum quis voluntatem libertatis pro ipso donat, quae est impretiabile bonum[4], quo nihil maius ab homine dari potest; qua data, et omnia dantur. Unde si perfectum vere dicitur « cui nihil deest », quod etiam « propriam virtutem attingit[5] »; in hoc potissime convenit consummatio perfectionis, ita ut inchoetur ab abrenuntiatione bonorum temporalium per paupertatem, proficiat in castificatione membrorum corporalium per castitatem; consummetur autem in dedicatione virtutum interiorum et mentalium per voluntatis abnegationem et votum obedientiae, in qua proprie dicitur homo semetipsum abnegare, iuxta illud Domini, Lucae nono[6]: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me;* ubi praecipue et potissime votum obedientiae commendatur.

Quod sit perfectio.

Notandum.

Tria consilia evangelica et vota.

Ex his igitur liquide colligitur, quod cum sint tria consilia evangelica, secundum bonum exterius, inferius et interius, quae opponuntur triplici origini vitiorum[7]; triplex debet esse votum integrativum perfectionis evangelicae, scilicet paupertatis, continentiae et obedientiae, inter quae obedientia, sicut iam ostensum est, dat toti perfectioni evangelicae altissimum et nobilissimum complementum. — Unde et concludendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Solutio oppositorum.

Duplex necessitas.

1. Ad illud quod obiicitur primo, quod lex evangelica est lex libertatis, quae repugnat necessitati; dicendum, quod duplex est necessitas: qua est *coactionis*, et altera *tentionis*. Prima repugnat, secunda non. Nam praeceptum obligat, sicut et votum, et ipsum non excludit libertatem legis evangelicae; dicitur ergo lex Evangelii esse *lex libertatis*, non per exclusionem *obligationis* ex praecepto seu voto venientis, sed per exclusionem *oneris servitutis* legalis ex timore servili procedentis[8].

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur de Anselmo, quod in pristinam libertatem Christus reducendo hominem revocavit; dicendum, quod illud intelligitur respectu totalis speciei, non respectu cuiuslibet individui. Nam omnis servitutis corporalis stare potest cum gratia Spiritus sancti et Sacramento baptismi[9]; ac per hoc multo fortius omnis subiectionis voluntariae, quod ex mera voluntate manat, libertati gratiae non repugnat.

Duplex ratio debiti.

3. Ad illud quod obiicitur, quod servitia, quanto minus debita, tanto magis grata; dicendum, quod ratio debiti est duplex: una, quae venit ex promissione liberali; alia, quae venit ex obligatione pacti et commercii mercimonialis. Prima in nullo repugnat

---

[1] Vers. 15. — De Glossa *ordinaria* apud Lyranum vide supra pag. 181, nota 5.

[2] Substinimus *eum* pro *eum*, quod D perperam exhibet.

[3] Serm. 42. n. 8. Respicitur Phil. 2, 7; Hebr. 2, 9; Luc. 2, 51; Matth. 3, 13. seqq. et 16, 21.

[4] Iustinian., Institut. imper. lib. I. tit. 6. lege *Non homen*, § *Cum ergo*, dicit, quod « libertas inaestimabilis res sit ». — Post *bonum* D addit *quoque*.

[5] Aristot., III. Phys. text. 63. (c. 6.): Cuius autem nihil est extra, id est perfectum et totum; sic enim definimus totum, cuius nihil abest. Ibid. VII. text. 18. (c. 3.): Virtus enim perfectio quaedam est; unumquodque enim hunc maxime perfectum est, cum adeptum est propriam virtutem. Cfr. V. Metaph. text. 21. et 31. (IV. c. 16. et 26.). — D incongrue *propense virtuti attingit*.

[6] Vers. 23. Vulgata post *crucem suam* addit *quotidie*.

[7] Epist. I. Ioan. 2, 16: Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est etc. — Interius supplevimus *obedientia*, quod in D desideratur.

[8] Cfr. III. Sent. d. 40. q. I. et 3.

[9] Vide I. Cor. 7, 21. seq. et 12, 13.

Digitized by Google

gratiositati obsequii, sed solum secunda. Et ratio
Notandum. huius est: quia, licet secunda fundetur super amorem privatum et mercenarium, prima fundatur super amorem liberalissimum, quo aliquis non solum vult offerre Deo arboris fructum, verum etiam stipitem et radicem. Unde sicut exemplificat Anselmus[1] de duobus, quorum unus offert Deo arboris fructum, proprietatem sibi reservans; alter vero offert utrumque; et ille magis placet, qui utrumque offert: sic et in proposito intelligendum est.

4. Ad illud quod obiicitur, quod lex evangelica
Duplex onus. est iugum suave; dicendum, quod duplex est onus, scilicet onus *aggravans*, et onus *exonerans* et adunculans, et per consequens allevians et supportans. Iugum igitur obedientiae, superadditum evangelicae sarcinae, simile est oneri non gravanti, sed confortanti; sicut currus non aggravat pondus equi, sed alleviat, et multitudo pennarum aves sursum potius sublevat, quam deorsum trahat[2]: sic et obedientia, quae superponit hominem simili, pondus superbiae et arrogantiae, quod venieiat ex amore proprii sensus et propriae voluntatis, excludit, quod maxime repugnat evangelicae perfectioni; ideo ad illam ferendam habilem facit et agilem.

5. Ad illud quod obiicitur, quod lex evangelica non rumpatur secundum servitutem legis scriptae; di-
Notandum. cendum, quod non est simile: quia servitus caeremonialium et iudicialium praeceptorum a nova lege dissonat et propter velamina figurarum et propter gravamina poenarum affligentium; ideo lex Evangelii, quae introducta est per Christum, per quem *facta est gratia et veritas*[3], excludit utrumque genus illorum praeceptorum et servitutem in observantia eorumdem, non propter difficultatem, sed propter imperfectionem. Quoniam ergo, licet difficile sit homini obedire, haec difficultas non repugnat nec veritati nec gratiae nec perfectae virtuti, quae est « circa arduum et difficile »; non repugnat per consequens evangelicae perfectioni, immo potius complementum dat illi.

6. Ad illud quod obiicitur, quod grave est obedire mandatis divinis; iam patet responsio: quia, sicut ostensum est, gravitas et difficultas operis perfectioni evangelicae potius consonat, quam repugnat; et ille vere perfectus est, qui gravia portat cum promptitudine voluntatis.

7. Ad illud quod obiicitur de Christo, dicendum, quod Christus, quantum conveniebat redemptioni humani generis, hominibus se subiecit, et hoc voluntate optima et perfecta; et quia voluntas eius in bono confirmata erat nec erat vertibilis, sicut nostra: ideo non erat onus, quod esset per votum astricta.

8. Ad illud quod obiicitur, quod additio voti non facit ad complementum obedientiae, quae non fuit in Christo; iam patet responsio: quia in Christo fuit Notandum. aliquid loco voti tam respectu obedientiae quam paupertatis quam castitatis, scilicet *confirmata voluntas*, quae est excellentior voto[4]; et quia ad illam accedunt per propositi roborationem et voti emissionem: hoc est, quod votum, nos astringendo et quodam modo roborando, sua inviolabilitate reddit conformes Christo; et ideo perfectionis cumulus crescit ex ipso, licet in Christo non fuerit secundum emissionem vocalis verbi.

9. Ad illud quod obiicitur, quod tale votum obedientiae non fuit in Apostolis; dicendum, quod tripliciter contingat loqui de obedientia, scilicet quan- Distinctio. tum ad *actum* et *habitum* et *modum*. Fuit igitur in Apostolis promptitudo obediendi per *habitum* perfectum; fuit etiam *actus*, quo Christo obedientes fuerunt usque ad mortem et ad diversa genera tormentorum, ita quod non solum obedientes fuerunt ad *operationes* exsequendas, verum etiam ad *passiones* sustinendas. *Modus* autem obedientiae, quo quis subiciat se alii tanquam praelato, non fuit eis competens nisi pro tempore, quo fuerunt cum Christo; quia ipsi erant praelati Ecclesiae et a plenitudine Spiritus sancti agebantur, et recti alios gubernabant. Fuerunt tamen et ipsi prius obedientes ipsi Christo, et post reverentiam debitam exhibebant Apostolo Petro[5]; et ideo ex hoc concludi non potest nec debet, obedientiam non debere vovere ab illis potissime, quibus competit ab aliis gubernari.

10. Ad illud quod obiicitur, quod praesumptuosum sit vovere, quia aut reputat se sufficientem etc.; dicendum, quod attribuere sufficientiam virtutibus Distinctio. suis et libero arbitrio, hoc praesumptionis est respectu quantumcumque parvi boni, cum dicat Apostolus secundae ad Corinthios tertio[6]: *Non quod simus sufficientes* etc.; sed attribuere hoc gratiae di- Notandum. vinae, quam speret sibi non defuturam propter divinam munificentiam, non est hoc praesumptionis, sed fiduciae et certitudinis spei, qua credimus, Deum adiutorem esse hominum, qui vult suis consiliis adhaerere. Propter quod et idem Apostolus statim post praemissum verbum subiungit: *Sufficientia nostra ex Deo est*; et idem, ad Philippenses ultimo: *Omnia possum in eo qui me confortat*; et hac spe debet fulciri qui, divino afflatus Spiritu, evangelicorum consiliorum perfectionem non tantum proponit, verum etiam vovendo promittit.

11. Ad illud quod obiicitur, quod profiteri, se esse perfectum, est praesumptuosum; dicendum, quod Duplex perfectio. est perfectio quantum ad *meritum* et quantum ad

---

[1] Potius Eadmerus, de Similitudinibus S. Anselmi, c. 81.

[2] De duplici hoc exemplo *currus* et *pennarum*, quod afert Bernard. ex August., cfr. tom. III. pag. 892, nota 2. — Il incongrue prosequitur ita: *sic et obedientia deaeque pondus hominem sustulit, pondus superbiae, arrogantiae, quod* etc.

[3] Ioan. 1, 17. Cfr. de hac solut. III. Sent. d. 40. q. 3. — Inferius allegatur sententia Aristot. de virtute, de qua vide supra pag. 139, nota 4.

[4] Il *vere*, et inferius *quod vere* pro *quod votum*.

[5] Cfr. Ioan. 20, 4. seqq.; Act. 12, 5. et 15, 7.

[6] Vers. 5, ubi etiam seq. locus habetur; tertius est Phil. 4, 13.

Digitized by Google

statum. Profiteri, se esse perfectum quantum ad *meritum*, hoc praesumptionis est, non perfectionis, cum Paulus dicat ad Philippenses tertio[1]: *Non quod iam perfectus sim*. Profiteri autem se perfectum quantum ad *statum* non est praesumptionis, quia hoc ponit laudem non circa ipsum *personam* in se, quae potest esse culpabilis per merita propria, sed circa *eiusmodi communem* et modum vivendi per Christi oris consilium approbatum. Notandum.

12. Ad illud quod obiicitur, quod superbia est velle praeesse viro iusto; dicendum, quod praeesse alii potest quis velle dupliciter: vel quia vult praeesse *simpliciter*, vel quia vult praeesse *sublimiter* per amorem excellentiae propriae[2]; et sic voluntas haec depravata est et in illo qui vult, et in aliis, qui sibi consentiunt, sicut fuit in Lucifero et daemonibus ceteris adhaerentibus sibi. — Alio modo vult aliquis praeesse, ut praesit *utiliter*, per amorem reipublicae et universalis Ecclesiae, excitatus spiritu caritatis superiae; et hoc modo nec ipse peccat, nec alii, qui sibi consentiunt, cum Deus sic ordinaverit corpus Christi mysticum gubernandum secundum praecellentias gradum, officiorum et dignitatum. Distinctio.

13. Ad illud quod obiicitur, quod periculosum est committere se homini ignoto ex voto; dicendum, quod si quis committeret se, nulla lege, nulla norma, nulla regula praefixa, sed in omnem eventum, hoc absque dubio esset stultum; cum autem quis voveat obedientiam secundum formam regulae approbatam, nullum est ibi periculum: quia, cum sint quaedam *secundum* regulam, quaedam *citra* regulam, quaedam *supra* regulam, quaedam *contra* regulam; ad prima se astringit etiam sine mandato superioris, ad secunda vero ex mandato, ad tertia autem non astringitur, nisi velit ex perfectione facere, sicut dicit beatus Benedictus[3], quod utique perfecte obediens aggredi debet, si sibi imponatur etiam impossibile; quod tamen non est necessitatis, sed supererogationis ipsis etiam perfectis. Quod autem est *contra regulam* nullo modo, nullo porro per obedientiam astringitur observare[4]; similiter et quod est *contra legem Dei*, quale est omne, quod vergit in dispendium nostrae salutis vel divini honoris: et ideo nullum incurrit periculum in emittendo votum secundum modum praedictum. Notandum. Distinctiones notandae.

14. Ad illud quod obiicitur, quod quando homo maioribus et pluribus astringitur, tanto est in maioribus periculis constitutus; dicendum, quod hoc est verum, ceteris paribus; sed hic non sunt cetera paria, quia in emissione voti gratia iuvans additur, opportunitas peccandi diminuitur, et vis impediens in periculum enervatur, quia, quanto quis magis recedit a mundanis et accedit ad Christum, tanto minus periculorum mundanorum laqueis implicatur, ac per hoc liberior et securior ad caelestia sublevatur. Notandum.

15. Ad illud quod obiicitur, quod lex evangelica auferet iuramentum; dicendum, quod non est simile: quia iuramentum de se propinquum est malo et medicae utilitatis est[5]; votum autem perfectionis propinquissimum est bono et optimo, ac per hoc maximae utilitatis; et ideo a lege Evangelii vetari non debet, sed potius suaderi. Notandum.

16. Ad illud quod obiicitur, quod imperfectum est, quia fit, alio imperante, sicut peccatum est minus, quod fit, alio suggerente; dicendum, quod non est simile: quia impulsio ad *peccatum* minuit rationem peccati, quia diminuit rationem voluntarii[6]; sed imperium respectu *boni* rationem voluntarii non minuit, quia ex mera caritate et voluntate imperium fieri potest; unde salva libertate voluntatis, fiet ad complementum voluntatis, ac per hoc ad cumulum perfectionis meriti perfecti.

17. Ad illud quod obiicitur, quod tanto quis perfectius movetur, quanto immediatius movetur in Deum: dicendum, quod illud habet veritatem in his qui ita plene uniti sunt Deo, quod non indigent aliquo medio *deducente*[7], sicut sunt beati in patria. In his autem, qui sunt in statu viae et indigent per gradus ascendere, non habet hoc veritatem, immo melius conscendunt, et non inordinate[8] mediantibus gradibus creaturarum perveniunt ab imo usque ad summum — propter quod etiam oramus non solum Deum, sed etiam Sanctos, ut per ipsos deducamur in Deum — sic etiam voluit Deus, quod homo homini subderetur, ut per hominis ministerium reduceretur in ipsum, et meritum obedientiae augeretur. Notanda distinctio. Oratio ad Sanctos.

---

[1] Vers. 12: Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim.

[2] Respicitur definitio superbiae supra pag. 118, nota 8, ex August. allata. — De peccato Luciferi et aliorum angelorum cfr. II. Sent. d. 5. a. 1. et 2. — Superius 0 *in viro* pro *viro*.

[3] In regula c. 68. Cfr. tom. II. pag. 1012, nota 7.

[4] S. Franciscus in regola sua c. 10. ait: Firmiter praecipio eis, ut obediant suis ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare, et non sint contraria animae suae et regulae nostrae. Bernard., de Praecepto et dispens. c. 5. n. 11: Quamobrem quisque professus in quovis genere salutiferae vitae nec *ultra* obedientiae leges cogendus, nec *citra* est inhibendus, quam sua ipsius videtur completi professio. Quanto minus *contra?*... Vota mea nec angeat [praelatus] sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate; necessitas quippe non *habet* legem etc.

[5] Cfr. III. Sent. d. 39. a. 2. q. 1.

[6] August., de Vera Relig. c. 14. n. 27: Nunc vero usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.

[7] De hoc medio aliisque cfr. II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. ad 7.

[8] 0 perperam *non ordinate*.

Digitized by Google

18. Ad illud quod obiicitur de anachoretis, dicendum, quod anachoretae per obedientiam eligebantur; et hoc quidem non concelebatur nisi adeo iam profectis in observantia obedientiae regularis, ut indubitanter esse crederentur idonei ad immediatum regimen Spiritus sancti interius gubernantis[1]; ad quod pervenire nequaquam potuissent, nisi per subiectionem voluntariam ad obedientiam hominis se prius astrinxissent. Notandum.

19. Ad illud quod obiicitur, quod per hoc eliminatur iudicium vel salutis; dicendum, quod falsum est; sed de multis vis, in quibus vagari potest et etiam aberrare, aliqua certior et melior eligitur tanquam compendiosa via et efficacior medicina.

20. Ad illud quod obiicitur, quod duritiis se subiicere maioris perfectionis est; dicendum, quod istud est verum per reverentiam et condescensionem benignitatis et exhibitionem honoris, non autem est verum per votum obedientiae et professionem regularem, quia secundum hanc certis personis debent certi homines subiici, ut in omnibus videtur confusio, et rectitudo ordinis observetur. Distinctio.

ARTICULUS III.

De obedientia summo Pontifici debita.

Ultimo quaeritur, utrum christianae religionis sit, quod omnes obediant uni[2]. Et quod sic, videtur et per *vetus testamentum* et per *novum* et per *iura communia* et per *evidentiam rationum*.

Primo igitur per *vetus* testamentum ostenditur sic. Per vetus testamentum.

1. Deuteronomii decimo septimo[3]: *Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, et iudicium verba videris variari; surge et ascende ad locum, quem elegit Dominus Deus tuus. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille*; ibi Glossa: «Hic appellandi tribunal facultatem». Ex hoc textu et Glossa colligitur, quod in veteri lege unus erat summus Pontifex, ad quem recurrendum erat in iudicis, et cui obediendum erat ab universis. Si hoc ergo erat in lege figurae, multo fortius videtur quod esse debet in lege gratiae. Et hoc tripliciter ratione: primo, quia maior est unitas nunc quam tunc: ergo multo fortius debet esse Pontifex unus. — Item, pontificatus est dignior et altior: ergo multo fortius nunc debent uni Pontifici subiici quam tempore legis Moysi. — Postremo, quia hic debet esse obedientia maior et hierarchia ordinatior. Ex quibus omnibus colligitur, quod si uni summo Pontifici obtemperandum erat tempore legis Moysi, multo fortius tempore legis Christi. Fundamentum. Triplex ratio.

2. Item, Psalmus[4]: *Constituit principes super omnem terram*; constans est, quod hoc dictum est de Apostolis: ergo omnis terra est sub principatu Apostolorum; sed principatus iste est principatus stabilis, secundum illud Psalmi: *Ninis confortatus est principatus eorum*; sed non est stabilis, nisi sit unitus, quia *omne regnum in se ipso divisum desolabitur*; nec est unitus, nisi iudicet unum principem principum: ergo secundum testimonium prophetiae omnis terra subiacere debet uni, qui sit princeps universorum.

3. Item, ad hoc confirmandum facit quod dicit Bernardus in tertio libro ad Eugenium[5]: «Orbe ei exceptum, qui forte voluit explorare, quae non ad tuam pertinent curam. Parentes tui destinati sunt, non aliquas regiones, sed ipsum debellaturi orbem; et quidem *in omnem terram exivit sonus eorum*» etc. Et post: «*Ninis confortatus est principatus eorum; constituti sunt principes super omnem terram*. Eius tu successisti in hereditatem, ita tu heres, et orbis hereditas». Ex hoc ergo apparet, quod secundum testimonium prophetiae uni debetur universalis obedientia omnium. Confirmatur.

Item, hoc ipsum ostenditur per *novum* testamentum. Per novum testamentum.

4. Matthaei decimo sexto[6]: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* etc., usque ibi: *erit solutum et in caelis*; sed constans est, quod ei qui omnes potest solvere et ligare, debet ab omnibus obediri: ergo Deus sic Ecclesiam insti-

---

[1] Isidor., II. de Eccles. Officiis, c. 16. agit de generibus monachorum. Sub n. 4. tertium genus eorum, scil. anachoretarum, describit et iuxta antiquiorem ed. [in ed. Migne haec propositio omittitur] addit: Sed isti, examinatione coenobiorum probati in omnibus disciplinis monasterii per triginta [iuxta alios *viginti*] annos, ad hanc contemplationem *per obedientiam eligantur*. Cfr. S. Benedicti regula commentata, c. 4. [Migne? Patrol. lat. tom. 66. col. 250. seq.], ubi inter alia etiam haec Isidori verba et canon VI. Synodi allegatur. — Superius post *per obedientiam* ex cit. loco Isidori supplevimus *eligebantur*, cum in codice aliquod verbum manifeste exciderit.

[2] Hic articulus exhibetur a codd. DE.

[3] Vers. 8. et 12. Vulgata plura interseri. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum in hunc loc.

[4] Psalm. 44, 17: Constines eos etc.; secundus locus est Ps. 138, 17; tertius Luc. 11, 17. (Vulgata *in se ipsum*).

[5] Sive de Consideraf. III. c. 4. n. 4. Pro *forte voluit* originale *forte volet*. Post *orbem* originale prosequitur: «*Ite in orbem universum* [Marc. 16, 15], dictum est illis». Pluribus demde additis, ponuntur verba: *Et quidem in omnem terram* etc. [Ps. 18, 5.], et, interiectis aliis, seq. locus, ubi citantur Ps. 138, 17. et 44, 17.

[6] Vers. 18. 19.

Digitized by Google

tuit, quod ab omnibus obediretur mihi. Sed Ecclesia sic est regenda et gubernanda, sicut fuit a Domino instituta: ergo etc.

5. Item, Ioannis ultimo [1]: *Pasce oves meas*, dictum est Petro; sed oves Christi sunt omnes, qui per viam salutis incedunt: ergo omnibus talibus praelatus est Petrus: meus ergo fuit omnium ovium Christi pastor secundum Ecclesiae limitationem: ergo et secundum progressum et consummationem ab omnibus obediendum est mihi.

6. Item, Bernardus, tractans verba praemissa, in secundo ad Eugenium [2] dicit sic: « Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi mihi universi crediti sunt, mihi unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu meus omnium pastor. Unde probem, quaeris? Ex verbo Domini: *Si me amas, Petre, pasce oves meas.* Quas? Illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut regni? *Oves meas*, inquit. Cui non planum, non designasse *aliquas*, sed assignasse *omnes?* Nihil excipitur, nihil inhil distinguitur ». Et post [3]: « Stat incorrussum privilegium tuum tibi, tam in clavibus quam in ovibus commendatis, nempe signum singularis pontificii Petri, per quod non navem meam, ut ceteri quique suam, sed saeculum ipsum suscepit gubernandum; ita, cum quisque ceterorum habeat suam, tibi una commissa est grandissima navis, facta ex omnibus, ipsa universalis Ecclesia, toto orbe diffusa ». — Ex hoc manifeste habetur, quod secundum divinam institutionem mihi, scilicet summo Pontifici, debet ab omnibus obedire.

7. Item, Augustinus, ad Optatum [4]: « In Romana Ecclesia semper apostolicae Cathedrae viguit principatus »; sed hoc non dicitur sola ratione ipsius urbis tantum, qua sic posset dici de aliis locis et aliis episcopis; ergo dicitur respectu totius orbis: ergo secundum hoc omnis orbis debet obedire Pontifici Romano tamquam principi mundi et universali.

8. Item, Hieronymus, ad Damasum Papam [5]: « Emendari cupiens a te, qui Petri et Sedem tenes et fidem; si autem haec nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, aut etiam non catholicum, sed haereticum comprobabit »: ergo iudicio unius summi Pontificis et correctioni, secundum Hieronymum, ab omnibus debet stari, non ab alind, nisi quia Sedem tenet Petri et auctoritatem, quam Dominus dedit ei.

9. Item, Gelasius, distinctione vigesima prima [6]: « Quamvis per orbem catholicae Ecclesiae institutae unus thalamus Christi sint, tamen sancta Romana Ecclesia nullis synodicis institutis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: *Tu es*, inquit Dominus, *Petrus, et super hanc petram* » etc.

10. Item, Nicolaus, distinctione vigesima secunda [7]: « Omnes cuiuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia, illam vero solus ipse fundavit et supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato aeternae vitae clavigero terreni simul et caelestis imperii iura commisit. Non ergo quaelibet terrena sententia, sed illud Verbum, quo instructum est caelum et terra, per quod utique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam; illius certe privilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur; quod qui auferre conatur, hic procul dubio in haeresim labitur. *Et infra:* Unde et ipse S. Ambrosius se in omnibus sequi magistram sanctam Romanam Ecclesiam profitetur ».

11. Item, Anacletus, idem [8]: « Sacrosancta Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, sicut beato Petro Apostolo dixit: *Tu es Petrus* ». Et post pauca: « Inter beatos Apostolos quaedam fuit discretio potestatis; et licet omnes essent Apostoli, Petro tamen concessum est a Domino — et ipsi inter se voluerunt idipsum — ut reliquis omnibus praeesset Apostolis; qui et eandem formam suis successoribus et reliquis episcopis tenendam tradiderunt; et non solum hoc in novo testamento, verum etiam in veteri fuit ». — Ex his manifeste colligitur, quod secundum testimonium *utriusque* testamenti ab omnibus est obtemperandum mihi. Concluditur.

Item, hoc ipsum ostenditur per *ius canonicum:* Per ius canonicum.

12. Quia cuius est *ceteros iudicare et a nemine iudicari*, ei debet ab omnibus obedire; sed talis est aliquis unus, utpote Pontifex summus: ergo ei est ab omnibus obtemperandum. *Maior* est per se manifesta; *minor* vero probatur per multiplicia iura.

---

[1] Vers. 17.

[2] Cap. 8, n. 15. Ed. Maurina (cuius opus paucos errores manifestos eodem correximus) omittit *unus* ante *universi crediti*, subiungit plura post *Ex caelo Dominus* [Ioan. 21, 17.], et addit *certa* (alias *certe*) ante *regni*.

[3] Ibid, n. 16. Originale addit *dotis* ante *clavibus*, plurescque propositiones post *commendatis*, et post *gubernandum*. Codd. corrupte legunt: *nempe sa non singularis Pontifex Petri est, quod non navem unam* etc.

[4] Epist. 53. (alias 162.) c. 3, n. 7. Epistola haec non est ad Optatum, sed ad Glorium, Eleusium etc. directa.

[5] Explanatio Symboli, in fine (inter opera Hieron.); ubi pro *si autem* in textu originali ponitur *sic autem*, et pro *me culpare* habetur *me mordere*, et *non me haereticum* pro *sed haereticum*.

[6] Can. *Quamvis unaeccae per orbem* (3.). Codd. perperam *Pelagius* pro *Gelasius;* textus originalis post *Romana* prosequitur *cathedra et apostolica Ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris Ecclesiis praelata est* etc. In fine citatur Matth. 16, 18.

[7] Can. *Omnes sunt Patriarchae* (1); aliqua tamen a codd. omissa vel mutata sunt.

[8] Can. *Sacrosancta Romana* (2. et § 3.). Tam in primo quam in secundo loco textus originalis quaedam interseriit.

Digitized by Google

Causa nona, quaestione tertia[1] dicit Nicolaus Papa: « Patet profecto, Sedis apostolicae, cuius auctoritate maius non est, iudicium a nemine retractandum esse, nec cuiquam liceat de eius iudicio iudicare ». — Item, Innocentius Papa, ibidem: « Nemo iudicabit primam apostolicam Sedem, iustitiam temperare desiderantem; neque enim ab Augusto neque ab omni clero neque a populo iudex iudicabitur ». — Item, Anterus Papa, ibidem: « Facta subditorum iudicantur a nobis, nostra vero a Domino iudicantur » — Item, Gelasius Papa omnibus Episcopis, ibidem: « Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi, neque cuiquam liceat de eius iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus ». — Item, idem episcopis per Dardaniam constitutis, ibidem: « Cuncta Ecclesia per mundum novit, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum Sedes beati Petri ius habeat rescindendi, utpote quae de omni Ecclesia fas habeat iudicandi ». — Ex his igitur manifeste colligitur, quod summo Pontifici est ceteros iudicare et a nemine iudicari, ac per hoc ei debeat ab omnibus obediri. Concluditur.

13. Item, ruius est *decreta statuere ab omnibus observandi*, ei debet ab omnibus obediri; sed hoc est summus Pontifex: ergo ei ab omnibus est obtemperandum. *Maior* per se patet; *minor* vero probatur multipliciter. Primo, decima nona distinctione[2] Agatho Papa sic: « Omnes apostolicae Sedis sanctiones accipiendae sunt tanquam ipsius beati Petri Apostoli divina voce firmatae ». — Item, eadem distinctione Stephanus quintus: « Enimvero, quia in speculum et exemplum sancta Romana Ecclesia, cui nos Christus praeesse voluit, posita est omnibus, quidquid statuerit, quidquid ordinaverit, perpetuo et irrefragabiliter observandum est ». — Item, Gregorius Papa, in eadem: « Nulli fas est vel velle, vel posse transgredi apostolicae Sedis praecepta ». Et post: « Sit ergo ruinae suae dolore prostratus, quisquis voluerit apostolicae Sedis contraire decretis; quoniam iam damnatus a sancta Synodo et apostolica Ecclesia sua de inobedientia atque praesumptione a quoquam esse non dubitatur ». — Item, vigesima distinctione Nicolaus Papa: « Si decreta Romanorum Pontificum non habetis, de negletu atque incuria estis arguendi; si habetis et non observatis, de temeritate estis corripiendi ». — Item, Causa vigesima quinta, quaestione prima Hilarius Papa: « Nulli fas sit sine status sui periculo divinas constitutiones, vel apostolicae Sedis decreta temerare ». — Item, eadem Adrianus Papa: « Generali decreto constituimus, ut exsecrandum anathema fiat et velut praevaricator fidei catholicae semper apud Deum reus existat, quicumque regum seu episcoporum vel potentium deinceps Romanorum Pontificum decretorum consuetudinem in quoquam crediderit vel permiserit violandum ». — Ex his omnibus manifeste ostenditur, quod summi Pontificis est decreta statuere ab omnibus observanda, et ex hoc ei ab omnibus obedientia exhibenda. Concluditur.

14. Item, illi, *sine cuius obedientia non potest unitas Ecclesiae conservari*, debet ab omnibus obediri; sed talis est unus, scilicet summus Pontifex: ergo etc. *Maior* est per se nota; *minor* vero probatur. Cyprianus, Causa vigesima quarta, quaestione prima[3]: « Ut unitatem manifestaret, unitatis Ecclesiae originem ab uno incipiendam sua auctoritate disposuit ». — Item, idem, eadem quaestione: « Alienus est, profanus est, hostis est; habere non potest Deum patrem qui universalis Ecclesiae non tenet unitatem ». — Item, Hieronymus, in eadem quaestione[4]: « Cum successore piscatoris et discipulo Christi loquor. Ego nullum praeeminui nisi Christum sequens, beatitudini vestrae, id est Cathedrae Petri, communione consocior; supra illam petram fundatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum *agnum comederit*, profanus est; si quis in Noe arca non fuerit, peribit, regnante diluvio ». Et post: « Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est antichristi est ». — Item, Beda, supra Matthaeum, in eadem quaestione[5]: « Quicumque ab unitate fidei, vel societatis Petri Apostoli quodlibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi nec tamen possunt ingredi regni caelestis ». — Item, nonagesima tertia distinctione[6] Cyprianus dicit: « Qui Cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit in Ecclesia se esse non confidat ». — Non potest ergo intra unitatem ecclesiasticam esse qui ab obedientia recedit illius qui sedet in Cathedra Petri. Concluditur.

Item, hoc idem ostenditur per *evidentiam rationum*. Per evidentiam rationum.

---

[1] Can. 10. (Cfr. supra pag. 153, nota 3.), seq. locus est C. *Nemo iudicabit primam Sedem* [ipsum Concilium praesupponit: quoniam omnes Sedes a prima Sede iustitiam desiderant temperari] (13.); tertius C. *Facta subditorum* (15.); quartus C. *Cuncta per mundum* (17.); quintus C. *Cuncta per mundum novit Ecclesia* (18.), ubi textus originalis *resedendi* pro *rescindendi*.

[2] Can. *Sic omnes apostolicae* (2.), ubi textus originalis *divini* pro *divina*; seq. locus C. *Enimvero quia* (4.); tertius C. *Nulli fas est* (5.) et ibid. § 1. (ubi post *decretis* plura adduntur, et in fine legitur: damnatus a sancta et apostolica Ecclesia ac auctoritate sua de inobedientia etc.); quartus (Nicolai) C. *Si decreta* (2.); quintus (Hilarii) C. *Nulli fas* (1.); codd. falso omittunt *temerare*; sextus (Adriani) C. *Generali decreto* (11.). Pro *anathema fiat* can. *anathema sit*; in nota adiecta exhibetur etiam lectio nostra.

[3] Can. *Loquitur Dominus* (18.). Eiusdem Cypriani est seq. locus C. *Alienus est* (19.), sed ibi in hoc legitur: « qui Ecclesiam non habet matrem ». In nota adiecta refertur ex Anselmo tertio nostro.

[4] Can. *Quoniam relatum* (25, post medium), ex Hieron. Epist. 15. [alias 57.] n. 2, ubi pro *discipulo Christi*, quod, ut in nota adiecta dicitur, etiam Anselmus habet, originale *discipulo crucis*, et *hoc* pro *extra*, ac *aedificatam* pro *fundatam*. Respicitur Exod. 12, 3. seqq. et Num. 7, 17. seqq. — Seq. locus, in quo respicitur Luc. 11, 23, est ibid. paulo inferius.

[5] Can. *Quicumque ab unitate* (27.).

[6] Can. *Qui Cathedram* (3.).

15. Ecclesia Dei est unum corpus, in quo est diversitas membrorum [1]; sed sic est in corpore *materiali*, quod omnia membra subiciuntur et obtemperant uni membro principali, scilicet capiti: ergo sic erit in corpore *spirituali*, quod omnia membra spiritualia uni debent subici tanquam capiti principali. Hoc autem fit per obedientiam: ergo etc.

16. Item, Ecclesia habet ordinem secundum *ministeria*, sicut etiam secundum *charismata et gratiarum dona* [2]; sed influentia *charismatum et gratiarum* est ab uno capite, scilicet Christo: ergo et derivatio *ministeriorum et iurisdictionum* debet esse ab uno capite, scilicet Pontifice summo. Hoc autem non potest esse sine obedientia omnium respectu unius: ergo etc.

17. Item, Ecclesia est una hierarchia: ergo debet habere unum praecipuum et summum hierarcham [3], cum ab unitate principis descendere debeat unitas principatus; sed uni et summo hierarchae ab omnibus obediendum est: ergo etc.

18. Item, Ecclesia conformatur superiori hierarchiae [4]; sed omnes spiritus ministrant et obtemperant uni summo Spiritui: ergo et omnes homines in Ecclesia obtemperare debent uni homini. Hic autem est summus Pontifex: ergo etc.

19. Item, maior est unio in *esse* gratiae quam in *esse* naturae [5]; sed omnes homines habent unum patrem corporalem: ergo debent habere unum patrem spiritualem. Sed patri ab omnibus filiis obediendum est: ergo etc.

20. Item, in *minori mundo* sic est, quod omnes vires inferiores obtemperare debent uni, scilicet rationi seu libero arbitrio [6]: ergo et in ordine ecclesiastico omnes obtemperare debent uni homini; hic autem est summus Pontifex: ergo etc.

21. Item, in *maiori mundo* videmus quod omnia mobilia et omnes motores regulantur secundum primum motorem et primum mobile [7]: ergo similiter in ordine ecclesiastico regulari debent omnes principatus et potestates secundum aliquem unum et solum principalem motorem; hoc autem fit obtemperando Pontifici summo: ergo etc.

22. Item, Ecclesia est una sponsa, ergo debet habere unum sponsum; sed omnes particulares Ecclesiae reducuntur ad Ecclesiam unam: ergo omnes sponsi, loco Christi constituti, scilicet episcopi [8], ad unum debent reduci, qui principaliter tenet locum Christi. Sed non haberet unum sponsum, nisi uni ab omnibus esset obtemperandum: ergo etc.

23. Item, omnis controversia temporalis habet terminari per unum iudicem temporalem; sed si essent duo vel plures, quibus aequaliter esset obediendum, non possent iudicia terminari: ergo necesse est, ad iudiciorum terminationem in Ecclesia unum esse, cui ab omnibus debeatur obedientia.

24. Item, « in quodlibet genere est unum primum, per quod mensurantur et ad quod reducuntur omnia, quae sunt in illo genere [9] »: ergo in genere potestatum humanarum est ponere unam summam et principalem potestatem, secundum quam omnes aliae potestates mensurentur et regulentur: hoc autem fit illi obediendo et obtemperando: ergo etc.

SED CONTRA: 1. Matthaei vigesimo [10]: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*: ergo primi et maioris est magis servire quam imperare: ergo magis debet obedire omnibus, quam omnes sibi, secundum dictamen et imperium evangelicae legis. Ad oppositum.

2. Item, Matthaei vigesimo tertio [11]: *Patrem nolite vocare vobis super terram*; constat, quod non intelligit de patre carnali, intelligit ergo de patre spirituali: ergo contra dictamen evangelicae legis est, quod unus vocetur *pater* ab omnibus, et quod ceteri tanquam patri obediant ei.

3. Item, ad Galatas secundo [12]: *In faciem ei restiti*; Glossa: « tanquam par ». « Hoc enim non auderet facere, nisi se sciret non inparem esse »: ergo Paulus fuit par Petro; pari ratione et alii Apostoli: ergo et successores Apostolorum pares sunt successori Petri secundum institutionem dominicae legis: non ergo est christianae religionis, quod omnes obediant uni.

4. Item, Cyprianus dicit, et habetur Causa vigesima quarta, quaestione prima [13]: « Hoc erant reliqui Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio praediti et honoris et potestatis »: si ergo omnes Apostoli sunt pares, ergo et omnes successores Apostolorum: ergo

---

[1] Cfr. I. Cor. 12, 12. seqq.

[2] Cfr. I. Cor. 12, 4. seqq.

[3] Codd. male transponunt *hierarcham* post *principatus*. De *hierarcha praecipuo* cfr. supra Quaest. de Pauperi. pag. 155, in fine replicationis, et Dionys., de Ecclesiast. Hierarch. c. 1. § 3.

[4] Cfr. supra pag. 180, nota 3.

[5] Vide Rom. 8, 35. seqq.; Gal. 3, 28.

[6] Cfr. Aristot., I. Ethic. c. 13. et I. Polit. c. 3. (c. 2.).

[7] Vide II. Sent. d. 2. p. II. a. 1. q. 1; d. 14. p. I. a. 3. q. 2. et p. II. a. 1. q. 3.

[8] In consecratione episcopi secundum Pontificale Romanum consecrator, humilitatis anulum in digitum anularem dextrae manus consecrati, dicit: Accipe anulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custodias. Cfr. IV. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. in fine corp. quaest. — Inferius post *Christi* in U omittitur *Sed non haberet unum sponsum, nisi uni ab omnibus esset obtemperandum.*

[9] De hoc axiomate, quod Averroes ex Aristot. dictis formavit, cfr. tom. II. pag. 94, nota 4. — Inferius verba *et ac potestatem* desiderantur in U.

[10] Vers. 26. 27.

[11] Vers. 9.

[12] Vers. 11. Glossa ibi est *interlinearis* apud Lyranum. Petr. Lombard. et hunc loc.: « tanquam pari ». Seq. est Glossa *ordinaria* apud Strabum, sumta ex Comment. olim Ambrosio tributo.

[13] Can. *Loquitur Dominus* (18.).

non magis tenetur unus obedire alteri, quam e converso: non est ergo de iure divino, quod omnes sint sub capite uno.

5. Item, illud idem, quod dicitur Petro Matthaei decimo sexto[1]: *Tibi dabo claves; et quaecumque ligaveris super terram* etc., dicitur et ceteris Apostolis Matthaei decimo octavo: *Amen dico vobis, quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram* etc.: ergo videtur, quod par potestas fuerit Petri et ceterorum Apostolorum: non ergo secundum dictamen legis evangelicae necesse est, omnes reduci ad caput unum, cui obedire teneantur.

6. Item, super illud Matthaei decimo sexto[2]: *Quodcumque ligaveris* etc.: Glossa « Habent quidem eandem iudiciariam potestatem ceteri Apostoli, quibus post resurrectionem ait: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis* » etc.: si ergo in ceteris Apostolis eadem est potestas iudiciaria, non ergo videtur, quod principaliter resideat penes unam personam.

7. Item, nonagesima tertia distinctione[3], Hieronymus ad Evangelum presbyterum: « Si auctoritas quaeritur, orbis maior est urbe. Ubicumque fuerit episcopus, sive Eugubii, sive Romae, eiusdem meriti est et sacerdotii »: ergo omnes episcopi secundum Hieronymum pari sunt dignitatis: ergo non est necesse secundum dictamen legis Dei, quod omnes obtemperent uni.

8. Item, regimen ecclesiasticae hierarchiae dividitur in potestatem *regalem* et *sacerdotalem*; sed non est necessarium ad salutem, quod omnes reges obtemperent uni regi: ergo pari ratione videtur, quod non sit necessarium, quod omnes uni obtemperent sacerdoti.

9. Item, qui habet potestatem ordinariam et iurisdictionem totaliter[4] potest eam alteri committere; sed cum Pontifex summus statuit episcopos, *passe* ordinarium eis tribuit per ordinem terrarum: ergo iam videtur, quod iurisdictionem in alios transtulerit: ergo non videtur, quod necesse sit ei unqdius obedire.

10. Item, omnes sacerdotes pares sunt in potestate conficiendi, ergo pari ratione et in potestate ligandi atque solvendi: non ergo videtur, quod omnes subiaceant uni.

11. Item, post Petrum potestas universalis esse non potest in aliquo nisi per electionem concorditer factam a multis: ergo immediatius potestas Petri devoluta est ad collegium quam ad unam personam: non ergo videtur, quod secundum illius potestatis derivationem omnes quoriteat subaici uni.

12. Item, aut primus pastor Ecclesiae Petrus *habuit* in se plenitudinem auctoritatis et potestatis, aut *non*. Si *habuit* plene, ergo superflue scribit summus Pontifex, se agere quod agit auctoritate *Apostolorum Petri et Pauli*, cum in solo Petro fuerit plenitudo auctoritatis; si vero in Petro *non fuit*, multo minus nec in successoribus suis.

13. Item, si omnes debent obedire uni, ergo unus debet providere omnibus; sed providere omnibus non est in potestate humana, sed in sola potestate divina: si ergo omnibus providere est solius Dei, omnes non debent obedire uni nisi Domino soli.

14. Item, si omnes debent obedire uni, aut sicut praelato *immediato*, aut sicut *mediato*. Si sicut *immediato*: ergo superfluunt alii; si sicut *mediato*: sed in omni genere *immediatum* est potentius et excellentius *mediato*[5]: ergo secundum hoc minuit vel nulla erit auctoritas in illo uno, et minime astringuntur alii ad obtemperandum sibi.

15. Item, si omnes tenentur obedire uni tanquam praelato, ergo ille videtur esse tanquam praelatus communis, ergo et universalis; sed universalis causa non potest in effectum nisi mediante particulari, sicut sol non potest in productionem hominis nisi per hominem[6]: ergo secundum hoc, si unus est Pontifex summus, videtur, quod nihil possit nisi per alios: ergo videtur, quod minime astringuntur alii ad hoc, quod subiaceant uni.

16. Item, hierarcha caelestis non habet aliquem unum, cui subiaceat per obedientiam, nisi solum Deum: ergo videtur, quod nec terrestris sive ecclesiastica habere debeat aliquem unum nisi solum *mediatorem Dei et hominum Iesum Christum*[7].

CONCLUSIO.

Licet diversi homines pluribus ligaminibus ad subiectionem obedientiae diversis sint astricti, secundum diversitatem graduum, officiorum et potestatum; tamen haec varietas ad unum reduci debet summum et primum Antistitem, in quo principaliter residet universalis omnium principatus; et non solum ad ipsum Christum, sed etiam iure divino ad eius Vicarium; et hoc quidem congruentissime, cum istud requirat ordo universalis institutae, unitas Ecclesiae et stabilitas in utroque.

Responsio: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod licet diversi diversis, pluribus liga- Conclusio I.

[1] Vers. 19: Tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque etc.; alter locus est ibid 18, 18, ubi codd. bis pro *quaecumque* habent *quodcumque*; Vulgata porro *alligaveris* pro *ligaveris*.

[2] Vers. 19. Glossa, Hieronymo tributa (Vale tom. IV. pag. 197, nota 4. et pag. 303, nota 1.), est *ordinaria* quod Strabum et Lyranum; locus Scripturae ibi allegatus est Ioan. 20, 22.

[3] Can. *Legimus in Isaia* (24. § 1.), ex Hieron. Epist. 116. (alias 85.). n. 4. Pro *Evangelum* Gratianus *Evangelium*.

[4] E: omissi *totaliter*.

[5] Cfr. I. Sent. d. 12. q. 3. ad 1. Vide etiam 4.Eth. de Causis, propos. 1.

[6] Cfr. I. Sent. d. 10. dub. 7. et d. 15. a. 2. q. 2. in corp. — Respiciatur illud Aristot., II. Phys. text. 26. (c. 2.): Homo enim hominem generat et sol. Cfr. XII. Metaph. text. 26. (XI. c. 3.).

[7] Respiciatur I. Tim. 2, 5: Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.

Digitized by Google

minibus ad subiectionem obedientiae sint astricti, secundum id quod dicit Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ad Romanos decimo tertio[1], et hoc secundum diversitatem gradum, officiorum et potestatum; omnis tamen haec varietas ad unum habet reduci summum et primum, in quo principaliter residet universalis omnium principatus; non solum ad ipsum Deum et *Christum*, *mediatorem Dei et hominum*, verum etiam ad eius Vicarium; et hoc non per statutum humanum, sed per statutum divinum, quo Christus Petrum statuit principem Apostolorum, quos *constituit principes super orbem terrarum*[2]. Fecit autem hoc Christus congruentissime, quia hoc requirebat *ordo universalis institiae*, *unitas Ecclesiae* et *stabilitas in utroque*.

Conclusio 2. Conclusio 3. Conclusio 4. Conclusio 5.

Ratio 1. ex triplici ordine universalis institiae.

Requirebat enim hoc *ordo universalis institiae* et quantum ad institiam *naturalem* et quantum ad *civilem* et quantum ad *caelestem* sive spiritualem. — *Naturalis* namque institia, per quam ordinantur *elementa mundi* et tota machina universi, requirit, quod inter corpora *locantia* unum sit primum corpus locans, inter *mobilia* unum primum mobile, inter *lucentia* unum principaliter irradians, inter *motores* unus primus motor, et universaliter « in *quolibet genere* sit unum primum, per quod mensurentur omnia, quae in illo genere continentur[3] ». — Naturalis etiam institia in *minori mundo* requirit, quod unum sit *membrum* principale, a quo cetera recipiant influentiam secundum *veritatem*, ut cor, secundum *evidentiam*, ut caput[4]; quod una etiam sit *virtus* principaliter omnium virium animae et totius hominis regitiva, scilicet liberum arbitrium.

Ordo naturalis institiae duplex. In maiore mundo. In minore mundo.

Civilis etiam *institia* requirit, quod unus sit principalis *index*, a quo fiat causarum finalis decisio; unus etiam principalis *dux* et rector, a quo fiat iuris latio, ne pro divisione capitum schisma et divisio in corpore reipublicae oriatur, et paribus contradicentibus iudicibus, si nullus sit iudex supremus, nunquam litigium terminetur.

Ordo civilis institiae.

Caelestis etiam *ordo* hoc habet, quod omnes spiritus sub obedientia unius supremi Spiritus[5], quem praesentialiter intuentur, ordinatissime disponuntur.

Ordo caelestis institiae.

Quoniam igitur haec inferior hierarchia et ordini *naturali* consonat et *morali* et *caelesti*, quia naturam perficit et mores ornat et a superna Ierusalem emanat; hinc est, quod ipsa reduci habet secundum rationem obedientiae ad unum primum et summum. Sicut enim non est ordo *prioritatis et posterioritatis* nisi per reductionem ad *primum*[6], sic non est ordo completus secundum *sub et supra* nisi per reductionem ad *summum*. Unde ibi solum est ordo *perfectissimus*, ubi est reductio perfecta ad summum, quod est *summum simpliciter*, cuiusmodi est Deus[7]; et hoc est in Ierusalem superna, ubi est plena institia. — Ubi vero est reductio ad *summum in genere* hominum, cuiusmodi est Christi Vicarius, Pontifex summus; ibi est ordo *perfectus*, quantum competit perfectioni praesentis Ecclesiae, qui formatus est ad instar supernae Ierusalem. — Unde Bernardus, tertio ad Eugenium[8]: « Nec vilem reputes formam hanc, quae in terris est; formam habet in caelo. Viderat hoc qui dicebat: *Vidi civitatem sanctam descendentem de caelo, a Deo paratam*. Ego enim propter similitudinem dictum reor, quod, sicut illic Cherubim et Seraphim ceterique usque ad Archangelos et Angelos ordinantur sub uno capite Deo; ita hic quoque sub uno summo Pontifice primates vel patriarchae, archiepiscopi, episcopi, presbyteri vel abbates et reliqui in hunc modum. Non est parvipendendum quod et Deum habet auctorem et de caelo ducit originem ». — Sic ergo unus debet esse, ad quem reducatur universalis subiectio; et hoc, quia, sicut ostensum est, sic exigebat *universalis institiae ordo*.

De ordine perfectissimo. De ordine perfecto. Confirmatur.

Requirit etiam hoc *unitas ipsius Ecclesiae*. Cum enim ipsa Ecclesia una sit *hierarchia*, *unum corpus* et *una sponsa*; necesse est, quod unum habeat *hierarchum* praecipuum, *unum caput* et *unum sponsum*; et quoniam huiusmodi unitas non tantum est in Ecclesia secundum *interiorem influentiam* charismatum, verum etiam secundum *exteriorem dispensationem* ministeriorum: hinc est, quod ipsius Ecclesiae non tantum est hierarcha praecipuus, caput et sponsus ipse Iesus Christus, qui *interius* ipsam Ecclesiam regit, vivificat et fecundat[9]; verum etiam *exterius* unus debet esse minister praecipuus, tenens locum *hierarchae* primi, *capitis* et *sponsi*, ut Ecclesia non tantum *interius*, verum etiam *exterius* in unitate habeat conservari. — Et hoc est quod dicit Cyprianus, et habetur Causa vigesima quarta, quaestione prima[10]: « Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego tibi dico, quia tu es Petrus, et super hanc petram* etc. Super unum aedificat Ecclesiam, et ab unitate exordium proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur; episcopatus unus est, cuius singularis in solidum pars tenetur; et Ecclesia una est, quae

Ratio 2. ex unitate Ecclesiae. Confirmatur.

---

[1] Vers. 1.

[2] Respicitur Ps. 44, 17: Constitues eos principes super omnem terram.

[3] Vide pag. 192, nota 9.

[4] Cfr. III. Sent. d. 13. a. 2. q. 3. sol 1.

[5] In F. deest *Spiritus*.

[6] Vide supra pag. 57, nota 6.

[7] Cfr. Aristot., XII. Metaph. text. 52. seqq. (XI. c. 10.). Cfr. supra pag. 61, nota 5.

[8] Cap. 5. n. 17. 18. Originale post *formam hanc* prosequitur: quia in terris est, exempla habet e caelo... Viderat etc. Locus Scripturae est Apoc. 21, 2: Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem etc.

[9] Vide III. sent. d. 13. a. 2. q. 1. seqq.

[10] Can. *Loquitur Dominus* (18.), ubi allegatur Matth. 16, 18. — Textus originalis praecipue circa initium multa addit, inter quae est illud Cant. 6, 8: *Una est columba mea* etc.; pro *cuius singularis* habet *cuius a singulis*, et pro *multitudine latius incrementa fecunditatis extendit* substituit *multitudinem latius incrementa fecunditatis extenditur*.

Digitized by Google

in multitudine latius incrementa fecunditatis extendit. Quomodo multi radii sunt, sed unum lumen, et rami arboris multi sunt, sed robur unum tenaci radice fundatum; et quomodo de fonte uno rivi plurimi defluunt, et numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur integra in origine: sic et Ecclesia Dei luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit; unum tamen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur ». Vult igitur Cyprianus, quod Ecclesia [1] quia una est columba, unus episcopatus, unum corpus; super unum pastorem praecipuum fundari debuit, scilicet Petrum, tanquam super unum episcopum et caput et sponsum.

Ratio 3. et triplex stabilitate in utroque.

Requirit etiam hoc *soliditas utriusque*. Nam, sicut dicit Philosophus [2], « virtus, quanto est magis unita, tanto plus est infinita »; quod quidem verum est et quantum ad *permanentiam* et quantum ad *influentiam* et quantum ad *praeeminentiam*. —

Quod permanentiam.

Quantum ad *permanentiam*: quia, sicut divisio parit interitum [3], sic unior unitio dat firmitatem et robur, unde et tota firmitas ipsius Ecclesiae principaliter manat a soliditate unius Petrae et unius Petri, qui est Vicarius Petrae; in cuius rei signum dictum est Petro [4]: *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*; dictum est etiam ei: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*; nec fuit haec oratio

Confirmatur.

cassa. Unde Hieronymus, et habetur Causa vigesima quarta, quaestione prima [5]: « Sancta Romana Ecclesia, quae semper immaculata permansit, Domino providente, et beato Petro Apostolo apem ferente, in futuro manebit sine ulla haereticorum insultatione, et firma et immobilis omni tempore persistet ». Facit ergo haec unitas Pontificis summi ad ipsius Ecclesiae soliditatem quantum ad *permanentiam*. — Quantum

Quod influentiam.

etiam ad *influentiam*: quia virtus magis unita magis est potens; et quanto potentior est in efficacia, tanto eius influentia potior in effectum: unde plenitudo po-

Confirmatur.

testatis in solo uno Pontifice debuit collocari. Unde Leo Papa, distinctione decima nona [6]: « Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo principe, principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi a quodam capite, dona sua velut in omne corpus diffunderet, ut exsortem se intelligeret divini mysterii qui ausus fuerit a Petri soliditate recedere ». — Postremo, etiam quantum ad *praeeminentiam* facit: quia virtus magis unita minus est *alii obnoxia*, ac per hoc magis est libera; quia etiam magis unita magis tenet rationem *primi et summi*, sicut arca fuit in cubito consummata [7]: unde unitas summi Pontificis sola est, quae confert totali Ecclesiae praeeminentiam dignitatis. Ac per hoc, sicut in capite ad totius corporis ornamentum collectio fit sensuum universorum; sic in ipso summo Pontifice debet esse universarum collectio dignitatum.

Quod praeeminentiam.

Confirmatur.

Et hoc est quod dicit Bernardus ad Eugenium [8]: « Indagemus, age, indagemus adhuc diligentius, quis sis, quanti geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex; tu princeps episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus ».

Epilogus.

Ex his igitur aperte colligitur, quod unitas summi Pontificis manet ex lege Dei, exigente hoc *ordine universalis iustitiae*, tam *naturalis* quam *civilis* quam etiam *caelestis*; exigente etiam hoc *unitate Ecclesiae* tanquam unius *hierarchiae*, unius *corporis* et unius *sponsae*; exigente etiam hoc *stabilitate et sublimitate utriusque*, tam in *permanentia durationis* quam *influentia virtutis* et *praeeminentia dignitatis*. Unde licet illud mutaverit ex *lege gratiae*, quae est lex Iesu Christi, consonat tamen *legi naturae* et *legi scriptae*, *iuri pontificio* et *iuri canonico*; consonat *visibilibus*, consonat *invisibilibus*; consonat etiam *pietati* cunctorum fidelium et *intelligentiae* rectae omnium animorum; sicut et rationes supra positae ostendunt, unde et concedendae sunt.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod qui voluerit esse maior debet esse servus; dicendum, quod *servus* dicitur duplici-

Duplex servitus.

ter: vel *subiectione obligatoria*, vel *humilitate perfecta*. Primum repugnat *summae* auctoritati, et non

Notandum.

potest aliquis simul aliis teneri ad subiectionem et praeesse ad regimen. Secundum autem non repugnat, sed maxime consonat; et de hoc loquitur Dominus, quia docet aliis summe praepositum praecipue imitari Christum, qui aliis reliquit humilitatis

---

[1] Supplevimus *quod Ecclesia*.

[2] Scil. auctor libri de Causis, propos. 17. — Infra pro *praeeminentiam*, quod praebere videtur E, D *praesentiam*, tamen infra semel habet recte *praeeminentiam dignitatis*.

[3] Cfr. August., II. de Ordine, c. 18. n. 48; Boeth., III. de Consol. prosa 11, et Damasc., I. de Fide orthod. c. 4, ex quo attulimus verba tom. II. pag. 464, nota 4. — Subinde D *emanat* pro *manat*.

[4] Matth. 16, 18; seq. locus est Luc. 22, 32. — August., Serm. 270. n. 2: *Ego dico tibi: Tu es Petrus*, quia ego Petra, in Petrus; neque enim a Petro Petra, sed a Petra Petrus... *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, non supra Petrum, quod tu es, sed supra Petram, quam confessus es etc.

[5] Can. *Haec est fides* (14.) § 1. Auctor sententiae non est Hieron. (prima pars huius canonis sumta est ex Expositione symboli ad Damasum, quae est inter opera Hieron.), sed Marcus Papa in epist. ad Athanasium.

[6] Can. *Ita Dominus* (7.). In fine pro *fuerit* can. *fuisset*. — Infra E *Postremo, in quantum*.

[7] Ita E, at D perperam *conservata*. Gen. 6, 16. dicitur de arca facienda: Et in cubito consummabis summitatem eius. Glossa *ordinaret* in hunc loc. apud Strabum: Sic Ecclesia in unitate collecta sublimatur atque perficitur etc. Cfr. Ambros., de Noe et arca, c. 7. n. 17. seqq., ubi haec verba adaptantur *capiti humano*, quod est decus hominis, et ex quo omnes sensus ad ceteras partes corporis transfunduntur.

[8] Sive de Consideral. II. c. 8. n. 15: Age, indagemus adhuc etc.

Digitized by Google

exemplum praecipue imitandum; in cuius etiam rei signum summus Pontifex scribit se *servum servorum Dei*. Unde Bernardus, in secundo libro ad Eugenium [1], loquens de humilitate: « Nulla splendidior gemma in omni praecipue ornamento summi Pontificis; quo enim celsior ceteris, eo apparet illustrior et se ipso ».

2. Ad illud quod obicitur, quod non debemus *patrem* vocare super terram; dicendum, quod *pater* dicitur communicator naturae, *magister* dicitur communicator scientiae; et quoniam solus Deus est, qui principaliter naturam tribuit et scientiam infundit; ideo sibi tanquam principio principali et scientiae et naturae utrumque nomen, ut *auctoritatem principalem* insinuat, debet attribui, et non alii, *patris* scilicet et *magistri* [2]. Sed quia Deus in iis etiam forinsecus operatur per ministerium humanum, ideo nomen utrumque, ut dicit *ministerium*, potest communicari homini, non sicut principali actori, sed sicut dispensatori. Notandum.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de Paulo, quod par fuit Petro; dicendum, quod auctoritas apostolatus duplicem habet comparationem, scilicet ad eum, a quo traditur, et ad eos, super quos traditur; quia *apostolus* dicitur missus ab aliquo et ad aliquos. Secundum *primam* comparationem dicit Glossa [3], Paulum parificari Petro, quia uterque immediate missus erat a Christo. Unde et Paulus dicit, se esse *Apostolum, non ab homine nec per hominem, sed per Iesum Christum*. Secundum autem comparationem *secundam* non parificatur ei; nam Petrus dicitur *princeps Apostolorum* quod numquam dicitur de Paulo, quia secundum hanc comparationem erat inferior Petro. Unde et Glossa dicit ibi [4]: « Ipse Petrus exemplum posteris praebuit, quo non dedignarentur maiores, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam a posterioribus corripi ». — Et per hoc patet sequens, quod obiicit de auctoritate Cypriani. Duplex comparatio auctoritatis.

5. 6. Ad illud quod obiicitur, quod illud verbum dictum fuit Apostolis, quod prius dictum fuerat Petro; dicendum, quod longe aliter dictum fuit eis et Petro. Nam Petro *divisim et singulariter* dictum fuit, quia in eo potestatis plenitudo erat principaliter et singulariter colloranda; aliis vero dictum fuit *simul: Quaecumque ligaveritis* etc., quia vocati erant « in partem sollicitudinis [5] ». Unde licet *consimilem* haberent potestatem, non tamen habebant *aequalem*; et idco illud verbum dici debuit Apostolis et Petro; non tamen simul nec sub eodem contextu, sed alio et alio modo. — Et per hoc patet responsio ad sequens de Glossa; quia dicuntur Apostoli habere eandem iudiciariam potestatem, id est *consimilem*; sed ex hoc non sequitur, quod *aequalem*, sed est *figura dictionis* ex mutatione praedicati, quia similitudo in *qualitate*, aequalitas autem in *quantitate* consistit [6]. Notandum.

7. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Hieronymi, quod episcopus, ubicumque sit, eiusdem est sacerdotii; dicendum, quod Hieronymus loquitur, quod magnitudo divitiarum et multitudo hominum subiectorum non facit, quod propter hoc homo sit excellentior praelatus [7]; nec Papa propter hoc dicitur excellentior aliis, quia sit episcopus Urbis, quae est maximae populositatis; sed quia est successor Petri, cui collata est plenitudo potestatis, non ex statuto hominis, sed Dei et Christi. Notandum.

8. Ad illud quod obiicitur, quod non est necesse, omnes reges obtemperare uni; dicendum, quod non est simile: quia non sic ex statuto legis Evangelii procedit sceptrum regis, sicut clavis Pontificis. Lex enim evangelica spiritualis est, unde et Christus lator illius legis, ad spirituale pontificium, non ad carnale imperium oculos mentis suae direxit [8]. — Posset tamen dici, quod secundum veritatem utraque potestas in summo Pontifice concurrit in unam personam. Cum enim ipse sit summus *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, qui fuit *rex Salem et sacerdos Dei altissimi* [9], et Christus utrumque habuerit; Vicarius Christi in terris utrumque a Christo potestatem accepit; unde et sibi uterque gladius competit. Unde Bernardus, quarto ad Eugenium [10]: « Uterque est Ecclesiae, et spiritualis scilicet gladius et materialis, sed is quidem *pro* Ecclesia, ille vero *ab* Ecclesia exserendus; ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis et ad iussum imperatoris ». Ex quo aperte colligitur, quod utraque potestas ad ipsum reducitur sicut ad unum hierarcham primum et summum. Alia solutio. De utroque gladio.

---

[1] Cap. 6. n. 13: Nulla... ceteris, *eo humilitate* apparet etc.

[2] Matth. 23, 9. seq. in quem locum ad Hieron. distinguens: Aliud esse *natura* patrem vel magistrum, aliud *indulgentia*. Nos si hominem patrem vocamus, honorem aetati deferimus, non auctoritatem nostrae ostendimus vitae. Magister quoque dicitur ex consortio veri Magistri etc.

[3] Vide supra 3, ad oppos. Paulo inferius respicitur Gal. 1, 1.

[4] Gal. 2, 11. — Glossa est *ordinaria* quod Petrum Lombard. et Lyranum, sumta ex August., Epist. 82. (alias 19.) c. 2. n. 22. Post *praebuit* textus originalis Glossae nonnulla addit, et in hac pro *corrupi* substituit *corrigi*.

[5] Bernard., II. de Consideral. c. 8. n. 16: Ergo iuxta rationes tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Cfr. Innocent. III, serm. 21. de Sanctis et 2. de Diversis, ubi etiam verbum Domini eodem modo explicatur.

[6] Cfr. supra pag. 7, nota 11. De *figura dictionis* vide supra pag. 76, nota 3.

[7] Respiciuntur verba eiusdem ran.: Potentia divitiarum et paupertatis humilitas vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum non facit. — Paulo superius codd., verbis male transpositis, *propter hoc quod*. Inferius pro *excellentior aliis* E *excelsior aliis*, et *magnae* pro *maximae*.

[8] Matth. 16, 19: Tibi dabo claves *regni caelorum*. Cfr. Ioan. 18, 36: Regnum meum non est de hoc mundo. — Pro *carnale* E *corporale*.

[9] Psalm. 109, 1; Gen. 14, 18; Hebr. 7, 1. et 21. — De utroque gladio cfr. Luc. 22, 38.

[10] Cap. 3. n. 7; cfr. eiusdem Epist. 256. ad Eugenium, n. 4. Vide IV. Sent. d. 37. dub. 4.

Digitized by Google

9. Ad illud quod obiicitur, quod qui habet potestatem ordinariam potest eam alteri committere; dicendum, quod iurisdictio est in triplici differentia: quaedam *semiplena* et totaliter aliunde descendens, et haec non potest committi pro sui imperfectione; quaedam autem e contrario *plenissima*, et haec, quia summa est, non potest esse nisi in uno simul et semel; et ideo non potest committi alteri, unde Papa non potest facere alios Papas; quaedam autem est *media*, quae *ordinaria* est, nec tamen est *summa*; et haec quidem, quia quodam modo perfecta est et multiplicabilis, committi potest alteri; nec tamen amittitur, cum etiam datur, in quantum est *spiritualis* potestas: quia in hoc differunt *spiritualia* a *corporalibus*, quod *corporalia*, cum dantur, minus integre possidentur; *spiritualia* vero, cum distribuuntur, tunc plenius possidentur, sicut etiam in dono scientiae manifeste videtur. Unde licet summus Pontifex communicet aliis iurisdictionem, non tamen ex hoc patitur aliquod detrimentum, quia unquam sic committit nec committere potest, quod aliquem a sua eximat potestate.

Triplex iurisdictio. Notandum. Notandum. Notandum.

10. Ad illud quod obiicitur, quod omnes sacerdotes pares sunt in potestate conficiendi; dicendum, quod non est simile: quia potestas conficiendi est *essentialis* characteri, et ideo, sicut character non recipitur in diversis magis nec minus, sic nec illa potestas. Non sic est de potestate absolvendi, quia ista consequitur characterem sacerdotalem tanquam sibi *annexa*[1]. — Ratio autem huius est, quia prima potestas est potestas *absoluta*, haec autem est *relata ad alterum*, videlicet ad personas subiectorum; et ideo diversificari habet secundum diversitatem potestatum et graduum faciendum ordinem in ecclesiastico principatu.

Duplex potestas sacerdotis. Ratio notanda.

11. Ad illud quod obiicitur, quod plenitudo potestatis a Petro immediate manavit in collegium: dicendum, quod potestas dupliciter dicitur esse in aliquo: vel sicut in subiecto *sustinente*, vel sicut in *deferente*[2]. Primo modo plenitudo potestatis nunquam est nec fuit nisi in uno, primo quidem in Christo, secundo in Petro, deinceps in successore ipsius, scilicet Pontifice Romano. Sed quia subiectum illius potestatis est persona mortalis; ideo sic ordinavit Christus et Spiritus eius, quod ab uno deferretur potestas haec ad unum, non per viam carnis, sed spiritus, quae quidem est electio, in qua in conformitate animorum operari debet Spiritus sanctus ad constituendum unum. Et quia principaliter residet in uno, ideo principaliter obedientia universorum referitur ad unum, citra quem nec statum habet nec complementum.

Duplex subiectum. Notandum.

12. Ad illud quod obiicitur, quod si summus Pontifex plenitudinem habet auctoritatis a Petro, non debet simul iungere auctoritatem Petri et Pauli; dicendum, quod plenitudo *auctoritatis* principaliter fuit in Petro et singulariter. Sed quoniam Paulus plenitudine suae *sapientiae* et litteraturae efficacissimus fuit in[3] infidelium conversione et prudentissimus in ipsius Ecclesiae gubernatione, ita quod quasi in aliquibus videbatur Apostolis ceteris esse praecelsior; ne contentio surgeret inter successores, Spiritu sancto dictante, hoc factum est, ut uterque in unum deveniret civitatem, in qua et simul morientes unus pontificatum Ecclesiae in urbe Romana fundarent, ut ex hoc scrupulus omnis controversiae cessaret. Unde Paulus nihil addidit summo Pontifici quantum ad *plenitudinem potestatis*, quae fuit in Petro, sed quantum ad *evidentiam*, ut *obstruatur os loquentium iniqua*[4], et maxime Graecorum, qui de pari contendere volebant cum Ecclesia Romana. Propter quod et iusto Dei iudicio, minus bene sentientes de unitate rapitis et male servantes unitatem Ecclesiae, excaecati sunt, ut minus bene sentiant de unitate Spiritus sancti, qui tanquam amor Patris et Filii ab utroque procedit. Unde Paulus, veniens Romam, ut viveret sub alis Petri usque ad mortem, nihil aliud fecit quam communicare Graecorum Ecclesiam subesse Romanae Ecclesiae usque in finem, ne sancti Spiritus perderet unitatem. Quia ergo summus Pontifex exprimere debet in suis litteris potestatis plenitudinem, non tantum universaliter[5], verum etiam evidenter, non tantum sufficienter, verum etiam abundanter; ideo auctoritatem exprimit utriusque.

Duplex plenitudo. Notandum. De Graecis schismaticis.

13. Ad illud quod obiicitur, quodsi omnes debent obedire uni, quod unus debet providere omnibus; dicendum, quod etsi omnes debeant *uni* obedire, non tamen *uni soli*, quia nec unus utique potest esse, nec unus utique potest singulis providere. Ideo providit divina providentia, plures esse intermedios praepositos et distinctos, per quos virtus provisiva a summo descenderet usque ad ima. Unde Bernardus, ad Eugenium libro tertio[6]: « Non sola tua potestas a Domino; sunt et mediocres, sunt et inferiores; et quomodo *quos Deus coniunxit* non sunt separandi, sic nec quos *subiunxit* sunt comparandi ». Propter quod, sicut particularium praelatorum est curae particulari intendere, sic et ipsius summi Pontificis super statum Ecclesiae generalem. Unde Bernardus subiungit ibidem: « Superest, ut

Notandum.

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 19. a. 2. q. 2. — Codd. perperam *annexum*.

[2] Cfr. II. Sent. d. 44. a. 3. q. 2. in fine corp. et quaest.

[3] Supplevimus *in*; E scribit *fuit in fidelium*, D *fuit infidelium*.

[4] Respicitur Ps. 62, 12. Cfr. C. *Quaeris universae* (3.), Dist. 21. et C. *Successoribus romanae* (2.), Dist. 22. § 1. — De errore Graecorum cfr. I. Sent. d. 11. q. 1. — Inferius post *Propter quod* E omittit *et*.

[5] Ita legi potest in D, vel etiam *naturaliter*; E habet lacunam.

[6] Cap. 4. n. 17: Non ergo tua sola etc. Respicitur Matth. 19, 6. Seq. locus ibid. c. 5. n. 19, ubi in textu originali *universum* pro *unitem*.

Digitized by Google

generaliter super omnem Ecclesiae statum intendat consideratio tua ».

14. Ad illud quod obiicitur, quod si omnes debent obedire uni, aut hoc est sicut praelato mediato, aut immediato; dicendum, quod *immediatus praelatus* dicitur dupliciter: vel secundum *gradum*, vel secundum *virtutem* [1]. Dicendum est igitur, quod Pontifex unus et summus, licet ab infimis membris maxime distet secundum *gradum*, quia multi sunt gradus intermedii inter ipsum et infimam plebem: secundum *influentiam* tamen virtutis immediatissimus est. Non enim obeditur sibi propter auctoritates aliorum, sed aliis propter auctoritatem suam; sicut non obeditur regi propter baliivum, sed baliivo potius propter regem. Unde ipsius auctoritas est sicut causa proxima et immediata, quae movere debet omnes et singulos ad obedientiam suis praepositis exhibendam.

Duplicitter dicitur immediatus praelatus.

Notanda doctrina.

15. Ad illud quod obiicitur, quodsi omnes obedire tenentur uni, quod tunc ille est praelatus communis; dicendum, quod causa *universalis* est duplex: quaedam, quae est omnino *alterius generis et virtutis* quam *particularis*, sicut ad alterius generis quam homo; et haec non potest in effectum proprium, nisi per propriam [2] causam. Alia est causa *universalis*, quae habet in se *omnem virtutem*, quam habet *particularis*; et hoc modo Deus potest dici causa universalis rerum, et de tali causa universali non valet quod obiicit; summus autem Pontifex non assimilatur universali causae *primo* modo, sed *secundo*, qua locum Christi tenet in terris; unde etsi ipse solus esset, et omnia essent destructa in Ecclesia, reparare posset universa: et ideo non concludit ratio illa.

Duplex causa universalis.

Quo sensu Deus causa universalis.

16. Ad illud quod obiicitur de hierarchia illius supernae Ierusalem; dicendum, quod non est simile: quia illi tanquam Beati habent semper Deum praesentem, unde *semper vident faciem veri Salomonis*. Nos autem in statu viae tanquam *parvuli*, quia nec Deum videmus nec ad ipsum immediate in causis humanis recurrere possumus, indigentes manuductione et regimine hominis videntis, qui nos tanquam pastor deducat et reducat ad *ovile* summi Pastoris [3].

Notandum.

---

[1] De hac distinctione cfr. I. Sent. d. 8. p. I. a. 2. q. 1. ad 4. et d. 43. a. 4. q. 2. cum schedio.

[2] D *primam*; sed *propriam* hic idem esse videtur quod *particularem*. Cfr. I. Sent. d. 37. q. 2. ad 3. Inferius II omittit *rerum*.

[3] Respicitur Ioan. 10, 16, et superius Matth. 18, 10, nota cum Cant. 3, 11.

De primatu Romani Pontificis et de infallibili eiusdem magisterio S. Doctor saepissime, oblata occasione, in aliis suis libris loquitur, breviter quidem, sed sanctae Sedis dignitatem, praerogativas et iura magnificis verbis extollens. Cfr. inter alia supra de Perfectione evangelica q. 2. a. 2. ad 19. (pag. 147) et illud, in fine (pag. 155); infra Breviloquium p. VI. c. 10. et c. 12; I. Sent. d. 11. q. 1. in corp. circa finem; II. Sent. d. 11. dub. 2; IV. Sent. d. 18. p. II. q. 3. in corp.; d. 19. a. 3. q. 1. in corp. et dub. 6; d. 20. p. II. q. 3. in corp. et q. 6. fundam. 3; d. 25. a. 1. q. 2. ad 4; Apologia pauperum praecipue resp. I. c. 1. in principio, resp. III. c. 2. in fine; Opusculum, Quare fratres Minores praedicent (in principio); Expositio in Lucam, c. 9, 20; Sermones in Hexaëmeron, sermo 22. ante med.; Expositio in regulam, in Prologo et in c. 3. et 9.

Praeclara autem de primatu summi Pontificis doctrina, quae locis cit. sparsim in medium proferitur, in hac quaestione disputata consulto et copiose probatur et defenditur. Est autem eadem eo maioris pretii, quia ab aliis et praecipuis Scholasticis saeculi XIII. de primatu summi Pontificis in schedis vix data opera, sed tantum obiter tractabatur, cum eiusdem plenitudo potestatis in occidente propatam, publice, et omnibus Christianis consentientibus, exerceretur. Sed a saeculo XIV, praesertim post funestum illud schisma occidentale, et saeculis subsequentibus etiam a doctoribus catholicis vera de praerogativis summi Pontificis doctrina falsis opinandis passim impugnata est. Hinc necessarium fuit, ut nostra aetate Pius IX, Concilio Vaticano approbante, per constitutionem dogmaticam *Pastor aeternus* catholicum dogma antiquum definiret et plures contrarias errores reprobaret. Manifestum autem est, doctrinam nostri Doctoris ita perfecte convenire cum decretis Vaticanis, ut ipse quasi praeoccupasse videatur ea quae a Concilio illo docentur de apostolici primatus *institutione* (c. 1.), *perpetuitate* (c. 2.), *vi et ratione* (c. 3; de quo cfr. praesertim supra solutiones ad 9. 11. 13. 14. 15.) atque *infallibili magisterio* (c. 4.). Licet autem haec ultima quaestio hic non proponatur eisdem verborum formulis expressa, tamen ipsa doctrina clare proponitur. Nam *obedientia* illa, quae medietur, comprehendit etiam *obedientiam fidei* (cfr. Rom. 1, 5.), *omnemque notitiam* a Summo doctore et pastore omnibus proposita ut penitus *irrefragabilem* praedicantur (cfr. fundam. 12. 13. 14. 21. et imprimis in corp. ratio 3). Observatione etiam digna sunt verba (in solut. ad 1.), quod alicuius potestati subiectum esse « repugnat *summae* auctoritati, et non potest aliquis simul aliis teneri ad subiectionem et praesse ad regimen ». — In fine saec. XIII. etiam famosus Petrus Ioannis Olivi Ord. Min. scripsit pro privilegiis « Sedis quaestionem disputatam, sed minoris hac Bonaventuriana pretii. Hinc transcriptam apud nos habemus in inscriptione: « An Romano Pontifici in fide et moribus sit ab omnibus tanquam regulae inerrabili obediendum ».

Digitized by Google

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

BREVILOQUIUM

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLOGUS

SANCTI BONAVENTURAE

IN BREVILOQUIUM

Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute, corroborari per Spiritum eius in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris; in caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei[1].

Magnus doctor gentium et praedicator veritatis, divino repletus Spiritu, tanquam vas electum et sanctificatum, in hoc verbo aperit sacrae Scripturae, quae *theologia* dicitur, *ortum*, *progressum* et *statum*: insinuans, *ortum* Scripturae attendi secundum influentiam beatissimae Trinitatis, *progressum* autem, secundum exigentiam humanae capacitatis, *statum* vero sive fructum, secundum superabundantiam superplenissimae felicitatis. Insinuatur Scripturae ortus, progressus et status.

Ortus namque non est per humanam investigationem, sed per divinam revelationem, quae fluit *a Patre luminum*[2], *ex qua omnis paternitas in caelo et in terra nominatur*, a quo per Filium eius, Iesum Christum, manat in nos Spiritus sanctus, et per Spiritum sanctum, dividentem et distribuentem *dona singulis, sicut vult*, datur fides, et *per fidem habitat Christus in cordibus nostris*. Haec est notitia Iesu Christi, ex qua originaliter manat firmitas et intelligentia totius sacrae Scripturae. Unde et impossibile est, quod aliquis in ipsam ingrediatur agnoscendam, nisi prius Christi fidem habeat sibi infusam, tanquam totius Scripturae *lucernam* et *januam* et etiam *fundamentum*. Est enim ipsa fides omnium supernaturalium illuminationum, quamdiu *peregrinamur a Domino*[3], et *fundamentum* stabilens et *lucerna* dirigens et *janua* introducens; secundum cuius etiam mensuram necesse est mensurari sapientiam nobis divinitus datam, ne quis sapiat *plus quam oportet sapere, sed ad sobrietatem, et unicique sicut Deus divisit mensuram fidei*[4]. Mediante igitur hac fide, datur nobis notitia sacrae Scripturae, secundum influentiam Trinitatis beatae, iuxta quod expresse insinuat Apostolus in prima parte auctoritatis prius inductae. De ipso ortu. Ex fide manat firmitas et intelligentia Scripturae. Fides est fundamentum, lucerna, janua.

Progressus autem sacrae Scripturae non est coarctatus ad leges ratiocinationum, definitionum et divisionum iuxta morem aliarum scientiarum et non est coarctatus ad partem universitatis[5]; sed potius, cum secundum lumen supernaturale procedat ad dandam homini viatori notitiam rerum sufficientem, secundum quod expedit ad salutem, partim per plana verba, partim per mystica describit totius universi *continentiam* quasi in quadam summa, in qua attenditur *latitudo*; describit *decursum*, in quo attenditur *longitudo*; describit *excellentiam finaliter salvandorum*, in quo attenditur *sublimitas*; describit *miseriam damnandorum*, in quo *profunditas* consistit non solum ipsius universi, verum etiam divini iudicii. — Et sic describit totum universum, quan- De ipso progressu in genere. Describit universum secundum quatuor.

---

[1] E F M addunt *Ephes.* 3. [14-19.]. Vulgata *gloriae suae, virtute corroborari* pro *gloriae suae virtutem, corroborari* et *in interiorem hominem* [ita etiam B U] pro *in interiori homine*. Plures codd. *det nobis* et *in cordibus nostris* pro *det vobis* et *in cordibus vestris*, sed incongrue, nisi cum B substituatur *ut possimus* pro *ut possitis* [et *ut impleamur* pro *ut impleamini*]. Solae edd. 1, 3 incipiunt cum inscriptione: § 1. *De ortu progressu et statu s. Scripturae.* — Inferius respicitur Act. 9, 15: Vas electionis est mihi iste etc. — Subinde post *aperit* P addit *nobis*, et 1 *suae fructum* post *statum*.

[2] Iac. 1, 17. — Inferius respicitur I Cor. 12, 11: Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis *prout* [ita etiam P Q] vult; et ibid. v. 9: Alteri [datur] fides in eodem Spiritu. — Post paucis pro *ex qua* K *ex quo*.

[3] Epist. II. Cor. 5, 6. — Superius voci *Scripturae* A K addunt *sacrae*, Vat. *ipsius*; subinde pro *ipsa fides* E *fides tamen*, H autem post *illuminationum* addit *lumen*.

[4] Rom. 12, 3, ubi Vulgata et C F N O P nec non 2 post *sed* addunt *sapere*, Vat. *sapiat*. — Inferius fide plurimorum codd. et 2 substituimus *beatae* pro *beatissimae*.

[5] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 7. seqq. et VI. Metaph. text. 1. seqq. (V. c. 1.). — Inferius post *expedit* Vat. et 1 subiungunt *ei*. Subinde post *summa* D E F H I M O P Q T et 1 *in qua* pro *in quo*, et pro *damnandorum* Vat. *damnatorum*.

Digitized by Google

tum expedit de ipso habere notitiam ad salutem, secundum ipsius *latitudinem*, *longitudinem*, *altitudinem* et *profundum*[1], habens etiam ipsa in suo progressu haec quatuor, secundum quod posterius[2] declarabitur; quia sic exigebat conditio capacitatis humanae, quae magna et multa nata est magnifice et multipliciter capere, tanquam speculum quoddam nobilissimum, in quo nata est describi non solum naturaliter, verum etiam supernaturaliter rerum universitas mundanarum; ut sic progressus sacrae Scripturae attendatur secundum exigentiam capacitatis humanae.

Anima est speculum nobilissimum.

Status vero sive fructus sacrae Scripturae non est quicumque, sed *plenitudo aeternae felicitatis*. Nam haec est Scriptura, in qua *verba sunt vitae aeternae*[3], quae ideo scripta est, non solum ut credamus, verum etiam ut vitam possideamus aeternam, in qua quidem videbimus, amabimus, et universaliter nostra desideria implebuntur; quibus impletis, vere tunc sciemus *supereminentem scientiae caritatem*, et ita impleti erimus *in omnem plenitudinem Dei*. Ad quam quidem plenitudinem conatur nos divina introducere Scriptura, iuxta praedictae sententiae apostolicae veritatem[4]. Hoc igitur fine, hac intentione sacra Scriptura perscrutanda est et docenda et etiam audienda.

De ipsius statu et fructu.

Finis doctrinae et studii.

Et ut ad istum fructum et terminum recto pervenitamus progressu per viam recti itineris Scripturarum, inchoandum est ab exordio, hoc est, ut cum mera fide[5] ad *Patrem luminum* accedamus, flectendo genua cordis nostri, ut ipse per Filium suum in Spiritu sancto det nobis veram notitiam Iesu Christi et cum notitia amorem eius, ut sic ipsum cognoscentes et amantes, et tanquam in fide solidati et *in caritate radicati*, possimus ipsius sacrae Scripturae noscere *latitudinem*, *longitudinem*, *altitudinem* et *profundum*, et per hanc notitiam pervenire ad plenissimam notitiam et excessivum amorem beatissimae Trinitatis[6], quo Sanctorum desideria tendunt, in quo est status et complementum omnis veri et boni.

Quid ad eum statum requiratur.

Finis ultimus omnis veri et boni.

Huius[7] sacrae Scripturae *fine* concupito et intento, et *principio* credito simul et invocato, videndus est *progressus* quantum ad ipsius *latitudinem*, *longitudinem*, *sublimitatem* et *profundum*, secundum viam et ordinem apostolici documenti.

De progressu in specie quatuor considerandis.

Consistit autem ipsius *latitudo* in multitudine suarum partium, *longitudo* vero in descriptione temporum et aetatum, *altitudo* in descriptione hierarchiarum gradatim ordinatarum, *profunditas* in multitudine[8] mysticorum sensuum et intelligentiarum.

§ 1. *De latitudine sacrae Scripturae.*

Si igitur velimus *latitudinem* sacrae Scripturae speculari, prima fronte occurrit nobis Scriptura secunda in duo testamenta, scilicet in vetus et novum. — Vetus autem occurrit[9] cum multitudine librorum. Habet enim libros *legales*, *historiales*, *sapientiales* et *prophetales*, ita quod *primi* sunt quinque, *secundi* decem, *tertii* quinque et *quarti* sunt sex, ac per hoc in *universo* viginti sex[10]. — Novum testamentum similiter habet libros his correspondentes secundum quadruplicem formam. Nam *legalibus* correspondent libri evangelici, *historialibus*, Actus

Divisio prima.

Divisio secunda.

Divisio tertia.

---

[1] Vat. *profunditatem*, quae etiam cum aliis edd. contra B C D E F G H L N immediate post substituit *ipsa enim habet* pro *habens etiam ipsa* [I M O Q *habens etiam et ipsa*]; in subnexis plurimi codd. habent *processu* pro *progressu*, et infra etiam *processus* pro *progressus*. Superius post *quantum* K addit *secundum quod*, I *tamen*, quae etiam post *habere* subiungit *homini*, H *nonnullis*.

[2] In sequ. 32.

[3] Respicitur Ioan. 6, 69: « Domine... verba vitae aeternae habes », et ibid. 20, 31: « Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius ». Verbis *videbimus, amabimus* [P recte addit *laudabimus*] exprimitur sententia August. supra pag. 111, nota 1, allata. — Mox pro *scripta est* E I K L *scripta sunt*. Inferius post *universaliter* [M *universa*] edd., contradicentibus codd., addunt *omnia*, et post *caritatem* B I cum textu originali [Eph. 3, 19.] subiungunt *Christi*.

[4] P *iuxta praedictam Apostoli auctoritatem*. Post pauca verbis *hoc intentione* Vat. et 1, 2, 3 inserunt *etiam*. Inferius pro *fructum* L *finem*, quod substituit P pro *terminum*.

[5] S *Haec est cum ea, ut cum vera* [H I etiam *vera*; quae lectio magis placet] *fide*. Inferius Vat. *ipsius* pro *eius*; ante *tanquam* A D F G H L omittunt *et*, ac non paucl codd. *sacrae* ante *Scripturae*. Vat. *nosse* pro *noscere* et *profunditatem* pro *profundum* (idem recurrit interius).

[6] Vide supra Quaest. de scientia Christi, q. 7. in fine corp. — Pro *et excessivum* H O *et excellentissimum*, Vat. *et excellentissimum et excessivum*.

[7] E praemittit tanquam rubricam *De progressu sacrae Scripturae*. Mox plures codd. omittunt *simul*.

[8] Q V *multiplicitate*, quod etiam inferius in principio § 1. habetur. Pro *altitudo* I *sublimitas*.

[9] A supplet *solus*.

[10] Quinque libri *legales* sunt: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; decem *historiales* sunt: Iosue, Iudicum, libri quatuor Regum, libri Paralipomenon duo, libri Esdrae tres, libri Tobiae, Iudith, Esther, Iob et libri Machabaeorum duo; quinque *sapientiales*: Parabolae, Ecclesiastes, Cantica, liber Sapientiae et Ecclesiasticus; sex *prophetales*: Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, liber Psalmorum et libri duodecim Prophetarum minorum (ita exhibentur libri veteris testamenti in Centiloq. p. III. sect. 32, quod opusculum hucusque communiter S. Bonaventurae adiudicatur). Cfr. Iamen Conc. Trident. sess. 4, ubi recensetur tantum liber Esdrae *primus et secundus* (non *tres*), additur liber *Ruth* et dicitur Ieremias *cum Baruch*. — Ex prologo Hieron. in I. Reg. colligitur, librum Ruth considerandum fuisse ut partem libri Iudicum, « quia in diebus Iudicum facta eius narratur historia »; mirum igitur non erit, quod ipse in praenotata enumeratione librorum veteris testamenti speciatim non nominetur. Quod attinet ad *Baruch*, constat ex scriptis Seraphici Doctoris, verba Prophetae saepe saepius esse ab ipso allegata. Demum respecto *tertii libri Esdrae* subiungimus, quod ipse [et quartus] communiter in hac ed. Vulgatae exhibetur. — Notum est, post Tridentinum Concilium nunc in schola vulgo numerari 46 (vel 45, si Threni uniuntur cum Ieremia) libri veteris T. et 27 novi T.

Digitized by Google

apostolici, *sapientialibus*, Epistolae Apostolorum et maxime Pauli, *prophetalibus* correspondet liber Apocalypsis; ut sic mira sit conformitas inter vetus et novum testamentum, non solum in continentia sensuum, verum etiam in quadriformitate partium. — In cuius figuram et consignationem vidit Ezechiel[1] rotas quatuor facierum et rotam in medio rotae, quia vetus est in novo, et e converso; et in libris legalibus et evangelicis est facies *leonis* propter excellentiam auctoritatis; in historialibus est facies *bovis* propter exempla virtutis; in sapientialibus est facies *hominis* propter prudentiam sagarem; in libris prophetalibus est facies *aquilae* propter intelligentiam perspicacem.

Figurae horum.

Recte autem sacra Scriptura dividitur in vetus et novum testamentum, et non in theoricam et practicam, sicut philosophia[2]: quia, cum Scriptura fundetur proprie super cognitionem fidei, quae virtus est et fundamentum morum et institiae et totius rectae vitae, non potest in ea sequestrari notitia rerum sive credendorum a notitia morum. Secus autem est de philosophia, quae non tantum de veritate morum, verum etiam agit de vero nuda speculatione considerato. Quoniam igitur Scriptura sacra est notitia movens ad bonum et revocans a malo; et hoc est per timorem et amorem: ideo dividitur in duo testamenta, quorum « brevis differentia est timor et amor[3] ».

De divisione prima.

Notandum.

Et quia quadrupliciter potest quis moveri ad bonum et revocari a malo, scilicet per *praecepta* potentissimae maiestatis, vel per *documenta* sapientissimae veritatis, vel per *exempla* et *beneficia* innocentissimae bonitatis, vel *ex his omnibus* in unum collectis; ideo tam in novo quam in veteri testamento sunt quadriformiter traditi libri continentes sacram Scripturam secundum correspondentiam ad quatuor praemissa. Nam libri *legales*[4] movent per praecepta maiestatis omnipotentissimae; *historiales*, per exempla bonitatis innocentissimae; *sapientiales*, per documenta veritatis providentissimae; *prophetales* movent ex omnium praedictorum aggregatione, sicut manifeste in eis apparet. Unde ipsi sunt quasi rememorativi totius legalis sapientiae et doctrinae.

De divisione secunda et tertia.

Quatuor motivita.

Est igitur Scriptura sacra similis latissimo fluvio, qui ex concursu multarum aquarum aggregatur magis ac magis, secundum quod longius decurrit. Nam cum primo in Scriptura essent libri *legales*, postea supervenit aqua sapientiae *historialium* librorum, tertio vero superadvenit doctrina *sapientissimi Salomonis*, post haec[5] etiam doctrina *sanctorum Prophetarum* et tandem doctrina *evangelica* revelata est, per os carnis Christi prolata, per Evangelistas conscripta, per sanctos Apostolos divulgata; additis etiam documentis, quae Spiritus sanctus, super eos veniens, docuit nos per eos: ut sic omnem veritatem, per Spiritum sanctum iuxta divinum promissum edocti[6], mundi veritatis salutaris doctrinam Ecclesiae Christi darent et sacram Scripturam consummando veritatis notitiam dilatarent.

Similis est fluvio.

§ 2. *De longitudine sacrae Scripturae.*

Habet etiam haec Scriptura sacra *longitudinem*, quae consistit in descriptione tam *temporum* quam *aetatum*, a principio scilicet mundi usque ad diem iudicii. Describit autem[7] per tria *tempora* mundum decurrere, scilicet per tempus legis *naturae*, legis *scriptae* et legis *gratiae*, et in his tribus temporibus septem distinguit *aetates*. Quarum prima est ab Adam usque ad Noe, secunda a Noe usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad David, quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis, quinta a transmigratione usque ad Christum, sexta a Christo usque ad finem mundi, septima decurrit cum sexta, quae incipit a quiete Christi in sepulcro, usque ad resurrectionem universalem, quando incipiet resurrectionis octava[8]. — Et sic Scriptura est longissima, quia in tractando incipit a mundi et temporis exordio in principio Genesis, et pervenit usque ad finem mundi et temporis, scilicet in fine Apocalypsis.

Tria tempora.

Septem aetates.

Scriptura est longissima.

---

[1] Cap. 1, 15. seq. De quatuor faciebus, scil. leonis etc., ibid. v. 10. Cfr. Hieron. in hunc loc. et Gregor., l. Homil. in Ezech. homil. 6. n. 12. — Pro *consignationem* A I O Q S *consignificationem*, E P U *significationem*. Immediate post fide rodd. substituimus *rotas* pro *rotam* (Ezech. loc. cit.: Apparuit rota una... habens quatuor facies. Et aspectus rotarum etc.). Subinde plurimos codd. secuti posuimus *et in libris* pro *Nam in libris*.

[2] Cfr. Aristot., II. Metaph. text. 3. (l. brevior, c. 1.) et II. Ethic. c. 1. seq. — De fide vide III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. in corp. — Mox voci *Scriptura* edd. praeiunxi *sacra*.

[3] Ut dicit August., contra Adimant. c. 17. n. 2. Cfr. tom. III. pag. 884, nota 2. — Inferius ante *omnibus* multi codd. omiserunt *his*.

[4] D F hic addunt *et evangelici*, subinde *et Actus apostolici* post *historiales*, demum *et Epistolae Apostolorum* post *sapientiales*, ubi etiam substituimus ex fere omnibus codd. et ex 1, 2, 3 *providentissimae* [A *prudentissimae*] pro *sapientissimae*, et ex multis codd. cum ed. 3 *manifeste* pro *manifestissime*. Post pauca G H *legis* pro *legalis*.

[5] Ita I M N T V pro *hoc*. Subinde ex S V post *revelata* supplevimus *est*, pro quo alii habent vel *et*, vel omissionem; A O omittunt *carnis*.

[6] Ioan. 16, 13.

[7] S *etiam*, Vat. et 1, 3 *enim*.

[8] August., IV. de Gen. ad lit. c. 11. n. 21, ad solvendam quaestionem: quare Deus in die *septimo* requievit ab operibus suis, adducit etiam quietem Christi in sepulcro: Ipse quippe die sabbati requievit in sepulcro etc. Idem, Epist. 55. (alias 119.) c. 13. n. 23, docet, *octavo* numero significari resurrectionem, ideoque nunc diem dominicum celebrari: « Erat antea requies mortuorum; resurrectio autem nullius erat... ut postquam facta est talis resurrectio in corpore Domini, ut praeiret in capite Ecclesiae quod corpus Ecclesiae sperarel in fine, iam etiam dies dominicus, id est *octavus*, qui et primus, inciperet celebrari ». Cfr. Hexaëm. serm. 16; tom. III. pag. 33, nota 12. et tom. IV. pag. 854, nota 10, ubi loci August. de sex aetatibus mundi allegati sunt, inter quos excelli I. de Gen. contra Manich. c. 23. n. 35. seqq., utpote in quo dantur duae subnexae expositiones. — S addit *aetas*.

Digitized by Google

De 3 temporibus et 6 aetatibus.

Recte autem universum *tempus*, quod decurrit secundum triplicem legem, scilicet inditam interius, illatam exterius et desuper[1] infusam, decurrit per septem *aetates* et consummatur in fine sextae; ut sic mundi *decursus* respondeat *exordio* et *maioris* mundi decursus correspondeat decursui vitae *minoris* mundi, scilicet hominis, propter quem factus est[2]. Nam prima aetas mundi, in qua facta est ipsius mundi formatio, casus daemonum et confirmatio Angelorum, recte respondet primae diei, in qua *facta est lux* et distincta est *a tenebris*[3]. — Secunda, in qua per arcam et diluvium et salvati sunt boni et deleti mali, respondet secundae diei, in qua per firmamentum facta est distinctio *aquarum ab aquis*. — Tertia, in qua vocatus est Abraham, et inchoata synagoga, quae fructificare et generare debebat prolem ad Dei cultum, correspondet diei tertiae, in qua apparuit *terra et protulit herbam virentem*. — Quarta, in qua viguit regnum et sacerdotium, quia David rex amplavit cultum divinum, respondet diei quartae, in qua facta est formatio *luminarium* et stellarum. — Quinta, in qua transmigrantes inter populos multos versati sunt et tribulati, respondet diei quintae, in qua facta est formatio *piscium ex aquis*[4]. — Sexta aetas, in qua natus est *Christus* in hominis effigie, qui est vere imago Dei, respondet sextae diei, in qua formatus est *homo primus*. — Septima, quae est quies animarum non habens finem, respondet septimae diei, in qua *requievit Deus ab omni opere, quod patrarat*[5].

Aetas prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima.

Et sic distinguuntur hae septem aetates propter insignia facta, quae fuerunt in earum exordiis, ratione quorum respondent diebus formationis mundi. Vocatur autem prima aetas *infantia*, qua, sicut infantia tota oblivione deletur, sic illa prima aetas per diluvium est consumta[6]. — Secunda, *pueritia*; sicut enim in pueritia loqui incipimus, sic in secunda aetate facta est distinctio linguarum. — Tertia dicitur *adolescentia*, quia, sicut vis generativa incipit tunc in actum suum exire, sic tunc vocatus est Abraham, et data est ei circumcisio, et facta est promissio de semine. — Quarta dicitur *iuventus*, quia, sicut in iuventute floret hominis aetas, sic quarta aetate sub regibus floruit synagoga. — Quinta, *senectus*, quia sicut in senectute vires minuuntur, et decidit pulcritudo, sic et in transmigratione factum est de Iudaeorum sacerdotio. — Sexta aetas dicitur *senium*, quia, sicut illa est, quae copulatur cum morte, habens tamen magnam lucem sapientiae; sic sexta aetas mundi terminatur cum die iudicii, et in ea viget sapientia per doctrinam Christi.

Respondent de bus creationis et humanae aetatibus.

Sic igitur totus iste mundus ordinatissimo decursu a Scriptura describitur, procedere a principio usque ad finem, ad modum cuiusdam pulcherrimi carminis ordinati, ubi potest quis speculari secundum decursum temporis *varietatem, multiplicitatem* et *aequitatem, ordinem, rectitudinem* et *pulcritudinem* multorum divinorum iudiciorum, procedentium a sapientia Dei gubernante mundum[7]. Unde sicut nullus potest videre pulcritudinem carminis, nisi aspectus eius feratur super totum versum; sic nullus valet pulcritudinem ordinis et regiminis universi, nisi eam totam speculetur. Et quia nullus homo tam longaevus est, quod totam possit videre oculis carnis suae, nec futura potest per se praevidere; providit nobis Spiritus sanctus librum Scripturae sacrae, cuius longitudo commetitur se decursui regiminis universi.

Similis est carmini.

Sex proprietates in hoc exarat Deo.

Notandum.

§ 3. *De sublimitate sacrae Scripturae.*

Habet utilibominus sacra Scriptura in suo processu *sublimitatem*, quae consistit in descriptione hierarchiarum gradatim ordinatarum, quae sunt hierarchia *ecclesiastica*, *angelica* et *divina*, seu *subcaelestis*, *caelestis* et *supercaelestis*[8]; ita quod *primum* describit patenter, *secundum* aliquantulum magis occulte et *tertium* adhuc magis occulte. Ex descriptione *ecclesiasticae* hierarchiae est alta; ex descriptione *angelicae* altior; ex descriptione *divinae* altissima, ita ut possimus dicere illud Prophetae[9]:

Descriptio triplex hierarchiae.

---

[1] B C I M *superius*, multi codd. omittunt *interius* et *desuper*. Interius fere codd. deleviimus *mundi* ante *exordio* et *etiam* ante *factus est*.

[2] Aristot., II. Phys. text. 21. (c. 2.): Finis tanquam propter nos omnibus, quae sunt; sumus enim quodam modo et nos fines. Cfr. II. Sent. d. 15. a. 2. q. 1.

[3] Gen. 1, 3. seqq. Ibid. vv. seqq. narratur creatio et distinctio primorum dierum usque ad *sextum*. — De mundi formatione, casu daemonum etc. cfr. II. Sent. d. 2. p. I. a. 2. q. 3; d. 3. p. II. a. 1. q. 1. seq. et d. 12. a. 1. et 2. — De arca et diluvio Gen. 7, 1. seq. — De Abraham cfr. Gen. 12, 1. seqq. — De David vide II. Reg. c. 1. seqq. — De transmigratione cfr. IV. Reg. 17-25. et Tob. 1, 1. seqq. — De Christo nato vide Luc. 2, 1. seqq.; Colos. 1, 13. de ipso dicitur: Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae.

[4] I. V addunt *et ovium*. Pro *versati* A D C *vexati*.

[5] Gen. 2, 2. — Superius pro *quae est* Vat. et 1, 3 *in qua est*.

[6] Gen. 7, 21. seqq. — August., I. de Gen. contra Manich. c. 23. n. 35: Quasi vespera huius diei fit diluvium, quia et infantia nostra tanquam oblivionis diluvio deletur. — De distinctione linguarum in turris Babel aedificatione vide Gen. 11, 6. seqq. Ibid. 12, 1. seqq. et 17, 4. seqq. de Abraham et circumcisione. — Superius post *prima aetas* D F addunt *ostium mundi*.

[7] Cfr. August., Epist. 138. (alias 5.) c. 1. n. 5. — E F G I. O *quae gubernat* [F G *gubernavit*] *mundum*. Superius pro *multiplicitatem et aequalitatem* I *multiplicem aequalitatem*. Interius pro *ordinis* Vat. et 3 *ordinationis*.

[8] Vide II. Sent. d. 9. Praenotata. — Superius post *hierarchiarum* K addit *trium*.

[9] Psalm. 138, 6. — De diverso *esse* rerum cfr. I. Sent. d. 36. a. 2. q. 2. in corp. et II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. Inudum. 6, ubi in nota adicta loci August. hac de re allegantur. — Interius post *in materia* [N *in natura*] Vat. et 1, 3 addunt *vel natura* (infra p. II. c. 12. additur *propria*), quae subinde ter post *habeant* subiungunt *etiam*.

Digitized by Google

Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam.

Et hoc quidem satis recte. Nam cum res habeant *esse* in materia, habeant *esse* in anima per notitiam acquisitam, habeant etiam *esse* in ea per gratiam, habeant *esse* in ea per gloriam et habeant *esse* in arte aeterna; philosophia quidem agit de rebus, ut sunt in natura[1], seu in anima secundum notitiam naturaliter insitam, vel etiam acquisitam; sed theologia, tanquam scientia supra fidem fundata et per Spiritum sanctum revelata, agit et de eis quae spectant ad gratiam et gloriam et etiam ad Sapientiam aeternam. Unde ipsa, substernens sibi philosophorum cognitionem et assumens de naturis rerum, quantum sibi opus est ad fabricandum speculum, per quod fiat repraesentatio divinorum; quasi scalam erigit, quae in sui infimo tangit terram, sed in suo cacumine tangit caelum[2]; et hoc totum per illum unum hierarcham, Iesum Christum, qui non tantum ratione naturae humanae assumitur est hierarcha in *ecclesiastica* hierarchia, verum etiam in *angelica* et media persona in illa *supercaelesti* hierarchia beatissimae Trinitatis; ita quod per ipsum a summo capite Deo *descendit* unctionis gratia non solum *in barbam*, verum etiam *in oram vestimenti*[3], quia non tantum in Ierusalem superiorem, verum etiam usque in Ecclesiam militantem.

Est enim pulcritudo magna in machina mundana, sed longe maior in Ecclesia pulcritudine sanctorum charismatum adornata, maxima autem in Ierusalem superna, supermaxima autem in illa Trinitate summa et beatissima. Ideo ipsa Scriptura non tantum habet altissimam materiam, per quam delectat et per quam in altum levat intelligentiam mentis, verum etiam ipsa est venustissima et mirro quodam modo intellectum nostrum delectat[4], et sic magis ac magis delectando assuefacit ad divinorum spectaculorum contuitus et anagogias.

Triplicatur

De obiecto philosophiae et theologiae.

Scala, quam facit theologia.

Christus hierarcha in triplici hierarchia

Pulcritudo triplex hominum ac Scripturae.

§ 4. *De profunditate sacrae Scripturae.*

Habet postremo ipsa Scriptura *profunditatem*, quae consistit in multiplicitate mysticarum intelligentiarum. Nam praeter *litteralem* sensum habet in diversis locis exponi tripliciter, scilicet *allegorice*, *moraliter* et *anagogice*. Est autem *allegoria*, quando per unum factum indicatur aliud factum, secundum quod credendum est. *Tropologia* sive moralitas est, quando per id quod factum est, datur intelligi aliud, quod faciendum est. *Anagogia*, quasi sursum ductio, est, quando datur intelligi illud quod desiderandum est, scilicet aeterna felicitas Beatorum[5].

Quotuplex sensus Scripturae.

Recte autem hic triplex sensus debet esse in Scriptura praeter intelligentiam *litteralem*: quia sic competit ipsius *Scripturae subiecto*, ipsius[6] *auditori* seu discipulo, ipsius *origini*, ipsius etiam *fini*.

Probatur 4 rationibus.

Subiecto, inquam, competit, quia ipsa est doctrina, quae est de *Deo*, de *Christo*, de *operibus reparationis* et de *credibili*. Subiectum enim illius quoad *substantiam* Deus est; quoad *virtutem*, Christus; quoad *operationem*, reparationis opus; quoad *omnia haec* est ipsum *credibile*[7]. *Deus* autem est trinus et unus: in essentia unus et in personis trinus. Ideo Scriptura, quae est de ipso, habet in unitate litterae triformitatem intelligentiae. — *Christus* etiam cum sit unum Verbum, *omnia per ipsum facta* dicuntur[8] et in ipso relucent, ita quod eius sapientia est multiformis et una. — *Opera reparationis*, cum sint multa, omnia ad Christi oblationem principalem habent aspectum. — *Credibile* ut credibile diversimode relucet secundum diversum statum credentium. Ideo propter

Primo competit subiecto.

De subiecto theologiae quadruplici.

---

[1] E *in materia vel natura*.

[2] Gen. 28, 12: Vidique [Iacob] in somnis scalam stantem super terram et cacumen illius tangens caelum. — Superius pro *substernens* 2 cum pluribus codd. *subiecens*, et post *decorum* T addit *operum*. Inferius pro *illum unum* D *illum verum*.

[3] Psalm. 132, 2. Cum Vulgata A post *barbam* addit *Aaron*, et *eius* post *vestimenti*. — De influentia Christi in homines et Angelos vide III. Sent. d. 13. a. 2. q. 1-3. — Infra pro *supermaxima autem* L O *suprema vero*.

[4] August., Enarrat. in Ps. 32. enarrat. 3. n. 25: Spectemus pulcra et a Patre spectemur. Spectemus nos mente ea quae dicuntur in sensibus divinarum Scripturarum, et gaudeamus tali spectaculo.

[5] Cfr. Origin., in Gen. Homil. 47. n. 9. et in Lev. Homil. 5. n. 5; Hieron., V. Comment. in Ezech. 16, 30. seq. et II. Comment. in Amos, c. 4, 4. seq.; Hugo a S. Vict., de Scripturis et scriptor. sacris, c. 3. seqq. et V. Eruditi. didascal. c. 2. seqq.; Alex. Hal. S. p. I. q. 4. m. 4. a. 3. seqq. — Propter oppositionem ad sensum *litteralem* (historicum), i. e. qui per voces significatur, distinguitur sensus *spiritualis* (mysticus), i. e. qui per res significatur; et hic triplex est: allegoricus, tropologicus sive moralis et anagogicus. Quid quilibet sensus significet [cfr. Hexaem. serm. 2.], continetur his versibus apud Lyranum in Prologo ad Biblium:

> Littera gesta docet, quid credas allegoria,
> Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

[6] Ed. 2. cum pluribus codd. *ipsi* pro *ipsius*.

[7] Plenius ostenditur hoc I. Sent. Proaem. q. 1, licet sub alio respectu; nam hic in tribus primis membris divisionis potius opinio Alex. Hal. (S. p. I. q. 1. m. 3.) proponitur, quae, ut ipse dicit, fundatur in *illo* verbo Dionys. de Caelest. Hierarch. c. 11. § 2: «in tria dividuntur supernaturalem rationem omnes divini intellectus: in *essentiam*, *virtutem et operationem*». Auctoritate Alex. Hal. et Dionys. nec non M F fundati substituimus *quoad virtutem* (I. Cor. 1, 24.) pro *quoad veritatem*, quod hucusque exhibebatur.

[8] Ioan. 1, 3. — Col. 2, 3: In quo [Christo] sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. Cfr. supra Quaest. de scientia Christi, q. 7. — Inferius ibi plurimorum codd. et 2 substituimus *principalem* pro *principaliter*, et deleximus *autem* post *Credibile*. Pro *aspectum* C *respectum*, D F G H N *respectum et aspectum*.

Digitized by Google

conformitatem ad omnia praemissa sacra Scriptura in una littera multiformem parit intelligentiam.

Secundo competit auditori contra 6 vitia.

Competit etiam hoc *auditori:* quia nullus est conveniens eius auditor nisi *humilis, mundus, fidelis* et *studiosus*[1]. Ideo sub cortice litterae apertae occultatur mystica et profunda intelligentia ad comprimendum superbiam, ut ipsius profunditate in humilitate litterae latente et *superbi* comprimantur, et *immundi* repellantur, et *fraudulenti* declinentur, et *negligentes* excitentur ad intelligentiam mysteriorum. — Et quia auditor istius doctrinae non est unius generis, sed cuiuslibet; omnes enim salvandos oportet aliqua de hac doctrina scire[2]; ideo ipsa *multiformem* habet intelligentiam, ut sic omnem intellectum *capiat*, unum intellectum *condescendat*, omnem intellectum *superexcedat* et omnem intellectum sibi diligenter intendentem multitudine radiositatis suae *illuminet* pariter et *accendat*.

Quatuor affectus.

Competit etiam *principio, a quo est:* quia est a *Deo* per *Christum* et *Spiritum* sanctum loquentem per ora Prophetarum et aliorum, qui hanc doctrinam scripserunt[3]. Quoniam autem *Deus* non tantum loquitur per *verba*, verum etiam per *facta*, quia ipsius *dicere* facere est, et ipsius *facere* dicere; et omnia creata tanquam Dei effectus innunt suam causam: ideo in Scriptura divinitus tradita non tantum debent significare *verba*, verum etiam *facta*. — Christus etiam doctor, licet esset humilis in carne, altus tamen erat in deitate: ideo decebat ipsum et eius doctrinam habere *humilitatem in sermone* cum *profunditate sententiae*, ut, sicut Christus fuit pannicullis involutus[4], ita sapientia Dei in Scriptura figuris quibusdam humilibus involveretur. — Spiritus etiam sanctus diversimode illustrabat et revelationes faciebat in cordibus Prophetarum; ipsum etiam nullus latere potest intellectus, et missus erat omnem docere veritatem[5]: ideo competebat eius doctrinae, ut in uno sermone multiplices laterent intelligentiae.

Tertio, ore Dei.

Patri, cum Deus loquitur verbis et factis.

Christo humilis et alto.

Spiritus S. multifariam illustrandi.

Competit nihilominus ipsi *fini:* quia Scriptura data est, ut per ipsam dirigatur homo in *cognoscendis* et *agendis*, ut tandem perveniat ad *optanda*. Et quia omnes creaturae ad hoc factae sunt, ut serviant homini tendenti ad supernam patriam[6]; ideo Scriptura assumit ipsarum creaturarum species diversas, ut sic per illas doceat nos sapientiam dirigentem nos ad *aeterna*. Et quia homo non dirigitur ad aeterna, nisi *cognitiva* agnoscat verum credendum, et *operativa* faciat bonum operandum, et *affectiva* suspiret ad Deum videndum et amandum et perfruendum: hinc est, quod Scriptura sacra, per Spiritum sanctum data, assumit librum creaturae, referendo in finem secundum triplicem modum intelligentiae; ut sic per *tropologiam* habeamus notitiam *agendarum* viriliter[7]; per *allegoriam credendorum* veraciter; per *anagogiam desiderandorum* delectabiliter; ut sic purgati per virtuosam operationem, illuminati per radiosam fidem et perfecti per ardentissimam caritatem, perveniamus tandem ad bravium felicitatis aeternae.

Quarto, fini quod tra.

Triplex modus intelligentiae.

§ 5. *De modo procedendi ipsius sacrae Scripturae.*

In tanta igitur multiformitate sapientiae, quae continetur in ipsius sacrae Scripturae *latitudine, longitudine, altitudine* et *profundo*, unus est communis modus procedendi *authenticus*[8], videlicet intra quem continetur modus *narrativus, praeceptorius, prohibitivus, exhortativus, praedicativus*[9], *comminatorius, promissivus, deprecatorius* et *laudativus*. Et omnes hi modi sub uno modo authentico reponuntur, et hoc quidem satis recte.

In uno modo procedendi novem modi.

Quia enim haec doctrina est, *ut boni fiamus*[10] et salvemur; et hoc non fit per mutam considerationem, sed potius per inclinationem voluntatis: ideo Scriptura divina eo modo debuit tradi, quo modo magis possemus inclinari. Et quia magis movetur affectus ad *exempla* quam ad argumenta, magis ad *promissiones* quam ad ratiocinationes, magis per *devotiones* quam per definitiones; ideo Scriptura ista non debuit habere modum *definitivum, divisivum* et *collectivum* ad probandum passiones aliquas de subiecto ad modum aliarum scientiarum[11]; sed oportuit, quod haberet modos proprios, secundum varias inclina-

Explicatur.

---

[1] Cfr. August., II. de Doctr. christiana, c. 11. n. 62. seq. De seq. propositione vide ibid. c. 6. n. 7. seq., et Clement. Alexandr. VI. Stromat. c. 15. — Inferius pro *apertae* F *apte*.

[2] Vide III. Sent. d. 25. a. 1. q. 3. — Aliquanto inferius pro *multitudine* A *multimode lumine*.

[3] Cfr. II. Petr. 1, 21. — De seq. propositione cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 2. — Nonnulli codd. *sunt scriptum*. Inferius plurimi codd. et 2 omittunt *et ipsius facere dicere*.

[4] Respicitur Luc. 2, 7: Et pannis eum involvit. Cfr. Origen., in Lev. homil. 1. n. 1.

[5] Ioan. 16, 13: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. — Pro *et missus* Vat. et 1, 3 *qui missus*. Inferius pro *ipsi fini* E H *ipsius finis*. Subinde fide multorum codd. et 2 substituimus *optanda* pro *optata*.

[6] Cfr. II. Sent. d. 15. a. 2. q. 1. — Mox pro *ipsarum* plurimi codd. et 2 *ipsas*. Subinde pro *agnoscent* D F G H I. *cognoscent*.

[7] Ita M P, ad Q *terribiliter*, T *universaliter*, alii vel cum 2 *materialiter*, vel cum Vat., 1 et 3 *moraliter*. Voci *notitiam* D F praemittunt *intelligentiam sive*.

[8] Du Cange, Glossarium etc. refert ex Io. de Janua: *Authenticus* [ab αὐθεντεῖν i. e. dominari], *auctoritate plenus, fide dignus*, cui primo credebatur ex sui dignitate. Item, authenticus dicitur etiam *nobilis*. — Verbis transpositis 1 *videlicet authenticus*.

[9] Ita P Q S, alii *praedicatorius*; in aliis codd. et edd. *praedictorus*, quod minus convenire videtur verbis *benepcut sibi ostensa*, quibus hoc adiectivum respondet.

[10] His verbis describit Aristot., II. Ethic. c. 2, finem scientiae moralis. Cfr. I. Sent. Prooem. q. 3.

[11] Aristot., I. Poster. c. 7: Tria enim sunt in demonstrationibus: unum quidem quae demonstratur conclusio... unum autem dignitates [axiomata]; dignitates autem sunt, ex quibus est demonstratio; tertium autem genus subiectum, cuius passiones [i. e. proprietates] et per se accidentia ostendit demon-

Digitized by Google

tiones animorum diversimode animos inclinantes; ut, si quis non movetur ad *praecepta* et *prohibita*, saltem moveatur per *exempla* narrata; si quis non per haec movetur, moveatur per *beneficia* sibi ostensa; si quis nec per haec movetur, moveatur per *monitiones* sagaces, per *promissiones* veraces, per *comminationes* terribiles, ut sic saltem excitetur ad *devotionem* et *laudem* Dei, in qua percipiat gratiam, per quam dirigatur circa opera virtuosa.

Quoniam igitur hi modi *narrativi* non possunt fieri per viam certitudinis rationum, quia particularia gesta probari non possunt [1]; ideo, ne Scriptura ista tanquam dubia vacillaret, ac per hoc minus moveret, loco *certitudinis rationis* providit Deus huic Scripturae *certitudinem auctoritatis*, quae adeo magna est, quod omnem perspicacitatem humani ingenii superexrellit. Et quia non est certa auctoritas eius qui potest fallere vel falli; nullus autem est, qui falli non possit et fallere nesciat, nisi [2] Deus et Spiritus sanctus: hinc est, quod ad hoc, quod Scriptura sacra modo sibi debito esset perfecte authentica, non per humanam investigationem est tradita, sed per revelationem divinam. — Ideo nihil in ipsa contemnendum tanquam *inutile*, nihil respuendum tanquam *falsum*, nihil repudiandum tanquam *iniquum*, pro eo quod Spiritus sanctus, eius auctor perfectissimus, nihil potuit dicere *falsum*, nihil *superfluum*, nihil *diminutum*. Et propterea *caelum et terra transibunt, verba autem* Scripturae sacrae *non praeteribunt* [3], quin impleantur. *Donec* enim *caelum et terra transeat, iota unum aut unus apex non praeteribit a Lege, donec omnia fiant*, Salvatore testante. *Qui ergo solverit* ea quae Scriptura docet, *et docuerit sic homines, hic minimus vocabitur in regno caelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.*

Duplex certitudo.

Revelatio divina.

Excellentia Scripturae.

§ 6. *De modo exponendi* [4] *sacrum Scripturam.*

Quemadmodum autem Scriptura haec specialem habet modum procedendi, sic iuxta suum procedendi modum speciali suo modo debet *intelligi* et *exponi*. Cum enim ipsa sub una littera multiplicem tegat intelligentiam, expositor debet *abscondita producere in lucem* [5] et illam eductam manifestare per aliam Scripturam magis patentem: sicut si exponerem illud Psalmi [6]: *Apprehende arma et scutum, et exsurge in adiutorium mihi*, et velim explicare, quae sint *arma* divina; dicam, quod eius veritas et bona voluntas; et quod ita sit, probandum per Scripturam apertam. Nam et scribitur alibi: *Scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos;* et iterum: *Scuto circumdabit te veritas eius.* — Ad quod non potest quis de facili pertingere, nisi per assuefactionem lectionis textum et litteram Biblicae commendet memoriae; alioquin in expositione Scripturarum unquam poterit esse potens. Fide sicut qui deliguatur prima addiscere elementa, ex quibus dictio integratur, nunquam potest noscere nec dictionum significatum nec rectam legem constructionum; sic qui litteram sacrae Scripturae spernit ad spirituales eius intelligentias unquam assurget.

Habet modum proprium.

Explicatur methodus.

Requiritur lectio assidua litterae.

Notandum.

Attendat autem expositor, quod non ubique requirenda est allegoria, nec omnia sunt mystice exponenda. Propter quod notandum est, quod Scriptura sacra quatuor habet partes. Una est, in qua secundum litteram agit de mundanis naturis, et per illas significat reparationem nostram, sicut apparet in descriptione formationis mundi. — Alia est, in qua agit de actibus et processibus illius populi Israelitici, et per illos significat reparationem generis humani. — Tertia est, in qua nudis verbis [7] significat et exprimit quae pertinent ad nostram salutem quantum ad fidem vel mores. — Quarta est, in qua praenuntiat nostrae salutis mysterium, partim verbis nudis, partim aenigmatis et obscuris. Et propterea Scriptura in his locis variis non est uniformiter exponenda.

Non omnia mystice exponenda.

Partes quatuor Scripturae.

Debet autem expositor dirigi in expositione sacrae Scripturae secundum triplicem regulam, quae trahi potest de verbis beati Augustini in libro de Doctrina christiana [8].

Tripler regula.

Prima.

Prima est haec. Ubicumque in hac Scriptura prima verborum significatio significat *res creationis*, sive *singulares actus humanae conversationis*, ibidem res significatae per verba primo significantur, deinde nostrae reparationis mysteria; ubi vero prima

---

stratio. Cfr. August., II. de Doctr. christiana, c. 31. 36. n. 48. 51. — Pro *collectionem* L O P V *collaturum*. Inferius pro *ad praecepta*, quod habent fere omnes codd. et 2, aliae edd. *per praecepta*.

[1] Aristot., I. Poster. c. 14. (c. 18.): Singularium enim sensus est; non enim contingit accipere ipsorum scientiam. Cfr. ibid. c. 24. (c. 31.) et II. de Anima, text. 60. (c. 5.). Vide etiam III. Sent. d. 24. dub. 3, ubi exponitur dictum August., quod facta historica nunquam intelliguntur, sed tantum creduntur. — Inferius pro *superexrellit* K L M O V *superexcellit* (respiciuntur verba August., II. de Gen. ad lit. c. 5. n. 9: Maior est quippe Scripturae huius auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas).

[2] D F G H addunt *solus*. Inferius post *perfecte authentica*, pro quo 1 *perfectae auctoritatis vel authentica*, A C D H I N S subiungunt *quod*, F G *quia*.

[3] Matth. 24, 35. — Seq. locus est ibid. 5, 18. seq.

[4] V *intelligendi et exponendi*, I *intelligendi et procedendi*.

[5] Inquiritur Iob 28, 11: Profunda quoque fluviorum scrutatus est et abscondita in lucem produxit, D *abscondita*.

[6] Psalm. 34, 2. — Seq. locus est Ps. 5, 13; tertius est Ps. 90, 5. — Cfr. Hexaem. serm. 19. — Inferius pro *et velum* M *ut velum*, et ex permultis codd. et 2 substituimus *probandum* (A D E F D addunt *est*) pro *probetur*, Q *probetur*.

[7] B C addunt *et apertis*. Inferius pro *praenuntiat* A B *pronuntiat*, T *significat*.

[8] Libr. III. c. 10. n. 14. seqq. Cfr. ibid. II. c. 9. n. 14. seqq. — Inferius vori *fidem* L praebigal *modum*.

Digitized by Google

significatio verborum exprimit fidem sive caritatem, ibi nulla est allegoria quaerenda.

Secunda regula est ista. Ubi verba huius Scripturae significant *res creationis*, aut *conversationis populi Israelitici;* ibi quaerat ex alio Scripturae loco, quid quaelibet res significet, et deinde significationem suam eliciat per verba nude significantia *fidei veritatem*, vel *morum* etiam *honestatem;* utpote si dicatur: *Oves parient gemellos fetus* [1], ostendat, quod *oves* significant ibi homines, et *geminus fetus* geminam caritatem. Secunda

Tertia regula est ista. Quando aliqua Scriptura habet aliquem intellectum *litteralem* et *spiritualem*, debet discutere expositor, utrum illa attributio conveniat *historico*, an *spirituali* significato, si forte *utrique* non poterit convenire; si autem utrique competit, tunc *litteraliter* et *spiritualiter* debet affirmari; si vero *altero modo tantum*, tunc *spiritualiter* solum debet intelligi: sicut sabbatum Legis [2] esse perpetuum, sacerdotium aeternum, possessionem terrae aeternam, et pactum circumcisionis esse aeternum; quae omnia ad spirituale significatum referenda sunt. Tertia.

Ad hoc autem, quod per sacrarum Scripturarum silvam quis secure incidendo et exponendo incedat, opus est, ut prius noverit ipsius sacrae Scripturae veritatem per verba explicita, videlicet ut attendat, quomodo Scriptura describat initium, progressum et consummationem duplicis corporis, quasi ex opposito se respicientium, bonorum scilicet, qui hic se humiliant, ut exaltentur sempiternaliter in futuro, et malorum, qui hic se exaltant, ut aeternaliter deprimantur [3]. Unde ipsa agit de toto universo quantum ad summum et imum, primum et ultimum, et quantum ad decursum intermedium, sub forma cuiusdam crucis intelligibilis, in qua describi habet et quodam modo videri lumine mentis tota machina universi; ad quam quidem intelligendam oportet nosse rerum *principium*, Deum, ipsarum rerum *creationem*, *lapsum*, *redemptionem* per sanguinem Iesu Christi [4], *reformationem* per gratiam, *curationem* per Sacramenta, et tandem *retributionem* per poenam et gloriam sempiternam. Alia regula. Habet formam crucis intelligibilis.

Et quia haec doctrina tam in scriptis Sanctorum quam etiam doctorum sic diffuse tradita est, ut ab accedentibus ad Scripturam sacram audiendam non possit per longa tempora videri nec audiri — propter quod etiam novi theologi frequenter ipsam Scripturam sacram exhorrent tanquam incertam [5] et inordinatam et tanquam quandam silvam opacam — rogatus a socris [6], ut de pauperula scientiola nostra aliquid breve in summa dicerem de veritate theologiae, eorumque precibus devictus, assensi *breviloquium* quoddam facere, in quo summatim non omnia, sed aliqua magis opportuna ad tenendum breviter tangerentur, addens simul cum hoc rationem aliquam ad intelligendum, secundum quod occurrebat pro tempore. Causa scribendi Breviloquium.

Quia vero theologia sermo est de Deo et de primo principio, utpote qua ipsa tanquam scientia et doctrina altissima omnia resolvit in Deum tanquam in principium primum et summum: ideo in assignatione rationum in omnibus, quae in hoc toto opusculo vel tractatulo continentur, conatus sum rationem sumere a primo principio, ut sic ostenderem, veritatem sacrae Scripturae esse a Deo, de Deo, secundum Deum et propter Deum, ut merito ista scientia appareat *una* esse et *ordinata* et *theologia* non immerito nuncupata. — Si quid igitur imperfectum, vel obscurum, vel superfluum, vel minus rectum ibi fuerit, venia occupationi et brevitati temporis et pauperculae scientiae concedatur; si quid vero rectum, *soli Deo honor et gloria* [7] referatur. Quare rationes sumit a primo principio.

Ut autem sequentia clarius elucescant, titulos particulares capitulorum praemittere curavi, ad faciliorem memoriam et lucidiorem continuum dicendorum, quae septem partitionibus et septuaginta duobus capitulis distinguuntur.

EXPLICIT PROLOGUS.

---

[1] Cant. 4, 2: Dentes tui sicut greges tonsarum... omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eos. Cfr. ibid. 6, 5. — Mox pro *geminus* L Q *gemelli*.

[2] Cfr. Exod. 12, 16. seq.; de sacerdotio Exod. 40, 13. et Num. 25, 13; de possessione terrae Gen. 17, 8, ubi etiam v. 13. de circumcisione. — Inferius post *terrae* K addit *promissionis*, et pro *spirituale significatum* B *spiritualem intellectum*.

[3] Respicitur Matth. 23, 12: Qui autem se exaltaverit etc. — Plures codd. et 2 *et aeternaliter deprimuntur* (K *deprimentur*), H *sempiternaliter deprimuntur*.

[4] In codd. et 2 omittitur *Iesu Christi*.

[5] Q *incultum*.

[6] D F *fratribus;* in verbis seqq. secuti sumus S; *de pauperculo* exhibent etiam I K L M N O U V, Vat. *ut pauperculo portunculo scientiolae nostrae;* 1, 2, 3 cum plurimis codd. *ut de pauperculo* [C *pauperule*, T *perticulo*, A H *pauperculo*] *scientiolae nostrae* [A K M O U V *meae*]. (Apud Hieronymum occurrit *pauperculus*, diminutivum *pauperculus*). Mox pro *breve* I *breviter*, qui etiam inferius pro *tangerentur* substituit *tangerem*.

[7] Epist. I, Tim. 1, 17. — Aliquando superius verbo *sumere* A praemittit *ducere et*.

Digitized by Google

INCIPIUNT CAPITULA BREVILOQUII[1].

Pars I.

Prima pars, de Trinitate Dei, habet capitula novem, et sunt haec.

Primum est de illis septem, de quibus est theologia, in summo.

Secundum, quid tenendum est de trinitate personarum et unitate essentiae.

Tertium, de istius fidei intelligentia sana.

Quartum, de istius fidei expressione catholica.

Quintum, de unitate divinae naturae in multiformitate apparitionum.

Sextum, de unitate divinae naturae in multiplicitate appropriatorum.

Septimum, de omnipotentia Dei.

Octavum, de Dei sapientia, praedestinatione et praescientia.

Nonum, de voluntate Dei et providentia.

Pars II.

Secunda pars, de creatura mundi, habet capitula duodecim.

Primum, de productione mundi totalis.

Secundum, de natura corporali quantum ad *fieri*.

Tertium, de natura corporali quantum ad *esse*.

Quartum, de natura corporali quantum ad *influere* et *operari*.

Quintum, de modo describendi praedicta in sacra Scriptura.

Sextum, de productione supernorum spirituum.

Septimum, de apostasia daemonum.

Octavum, de confirmatione Angelorum bonorum.

Nonum, de productione hominis quantum ad spiritum.

Decimum, de productione hominis quantum ad corpus.

Undecimum, de productione eius quantum ad totum coniunctum.

Duodecimum, de completione et ordinatione totius mundi consummati.

Pars III.

Tertia pars, de corruptela peccati, habet capitula undecim.

Primum est de origine mali in communi.

Secundum, de primorum parentum tentatione.

Tertium, de primorum parentum transgressione.

Quartum, de primorum parentum punitione.

Quintum, de originalis peccati corruptione.

Sextum, de originalis peccati transfusione.

Septimum, de originalis peccati curatione.

Octavum, de origine peccatorum actualium.

Nonum, de origine et distinctione capitalium peccatorum.

Decimum, de origine et qualitate peccatorum poenalium.

Undecimum, de origine peccatorum finalium, quae sunt peccata in Spiritum sanctum.

Pars IV.

Quarta pars, de incarnatione Verbi, in qua sunt decem capitula.

Primum, de ratione, qua Verbum Dei debuit incarnari vel decuit.

Secundum, de incarnatione quantum ad unionem naturarum.

Tertium, de incarnatione quantum ad modum.

Quartum, de incarnatione quantum ad plenitudinem temporum.

Quintum, de plenitudine gratiae Christi quantum ad charismata in affectu.

Sextum, de plenitudine sapientiae in intellectu.

Septimum, de perfectione meriti in effectu.

Octavum, de passione Christi quantum ad statum patientis.

Nonum, de passione quantum ad modum patiendi.

Decimum, de passione quantum ad exitum passionis.

Pars V.

Quinta pars, de gratia Spiritus sancti, habet capitula decem.

Primum, de gratia, in quantum est donum divinitus datum.

Secundum, de gratia, in quantum educit liberum arbitrium extra peccatum.

Tertium, de gratia, in quantum iuvat ad bonum.

Quartum, de ramificatione gratiae in habitus virtutum.

Quintum, de ramificatione ipsius in habitus donorum.

Sextum, de ramificatione ipsius in habitus beatitudinum et per consequens fructuum et sensuum.

Septimum, de exercitio gratiae respectu credendorum.

Octavum, de exercitio gratiae respectu diligendorum.

Nonum, de exercitio gratiae respectu agendorum, praeceptorum et consiliorum.

Decimum, de exercitio gratiae respectu petendorum et orandorum.

Pars VI.

Sexta pars, de medicina sacramentali, cuius capitula sunt tredecim.

Primum est de Sacramentorum origine.

Secundum est de Sacramentorum variatione.

Tertium, de Sacramentorum numero et distinctione.

Quartum, de Sacramentorum institutione.

Quintum, de Sacramentorum dispensatione.

Sextum, de Sacramentorum iteratione.

Septimum, de constitutione et integritate baptismi.

Octavum, de integritate confirmationis.

Nonum, de integritate eucharistiae.

Decimum, de integritate poenitentiae.

Undecimum, de integritate unctionis extremae.

Duodecimum, de integritate ordinis.

Decimum tertium, de integritate matrimonii.

---

[1] Haec capitula in aliis recentioribus edd. cum ed. Veneta anni 1504 omissa sunt hoc loco, ubi in omnibus codicibus et praecedentibus edd. ponuntur. Codd. et antiquae edd. verba capitulorum hic ita exhibent, ut vix nisi in rebus levissimis, vel manifestis erroribus inter se differant. Maior tamen inter eos occurrit differentia, cum in decursu operis titulus singulis capitulis inscribitur, immo a nonnullis indicatur tantum numerus capituli. Cum autem primitiva forma capitulorum etiam ibi retinenda sit, supersedendum esse putavimus, infra referre occurrentes lectiones variantes.

Digitized by Google

Pars VII.

Septima pars, de statu finalis iudicii, habet capitula septem.

Primum est de iudicio in communi.

Secundum, de antecedentibus ad iudicium, cuiusmodi est poena purgatorii.

Tertium, de antecedentibus ad iudicium, cuiusmodi sunt suffragia ecclesiastica.

Quartum, de concomitantibus, sicut est conflagratio ignium.

Quintum, de concomitantibus, sicut est resurrectio corporum.

Sextum, de consequentibus, sicut est poena infernalis.

Septimum et ultimum, de gloria paradisi.

PARS PRIMA.

De Trinitate Dei.

Cap. I.

De illis septem, de quibus est theologia, in summa.

In principio intelligendum est, quod sacra doctrina, videlicet theologia, quae principaliter agit de primo principio, scilicet de Deo trino et uno, de septem agit in universo, scilicet primo[1], de Trinitate Dei; secundo, de creatura mundi; tertio, de corruptela peccati; quarto, de incarnatione Verbi; quinto, de gratia Spiritus sancti; sexto, de medicina sacramentali, et septimo, de statu finalis iudicii. Theologia agit de septem.

Ratio autem[2] huius veritatis haec est: quia, cum sacra Scriptura sive theologia sit scientia dans sufficientem notitiam de primo principio secundum statum viae, secundum quod est necessarium ad salutem; et Deus non tantum sit rerum principium et exemplar *effectivum* in creatione, sed etiam *refectivum* in redemptione et *perfectivum* in retributione: ideo non tantum agit de Deo *creatore*, sed etiam de *creatione*[3] et *creatura*. Et quia creatura rationalis, quae est quodam modo finis omnium, non stetit, sed sua culpa indigut reparari; ideo agit de *corruptela peccati*, *medico*, *sanitate* et *medicina* et tandem de *curatione perfecta*, quae erit in gloria, impiis proiectis in poenam. — Et ideo ipsa sola est *scientia perfecta*, quia incipit a *primo*, quod est primum principium, et pervenit ad *ultimum*, quod est praemium aeternum; incipit a *summo*, quod est Deus altissimus, creator omnium, et pervenit ad *infimum*, quod est infernale supplicium. Ratio sapientiae dictionis. Theologia est scientia perfecta.

Ipsa etiam sola est *sapientia perfecta*, quae incipit a causa summa, ut est *principium* causatorum, ubi terminatur cognitio philosophica[4]; et transit per eam, ut est *remedium* peccatorum; et reducit in eam, ut est *praemium* meritorum et finis desideriorum. Et in hac cognitione est sapor[5] perfectus, vita et salus animarum; et ideo ad eam addiscendam inflammari debet desiderium omnium Christianorum. Est sapientia.

Ex his patet, quod licet theologia sit de tot et tam variis, est tamen *scientia una*, cuius subiectum, ut *a quo* omnia, est Deus; ut *per quod* omnia, Christus; ut *ad quod* omnia, opus reparationis; ut *circa quod* omnia, unicum caritatis vinculum, quo caelestia et terrestria connectuntur; ut *de quo* omnia in libris canonicis comprehensa, credibile ut *credibile*; ut *de quo* omnia in libris expositorum, credibile ut *intelligibile*, secundum Augustinum, de Utilitate credendi[6], quia « quod credimus, debemus auctoritati, quod intelligimus, rationi ». Est scientia una. De subiecto cuius multiplex.

Cap. II.

Quid tenendum est de trinitate personarum et unitate essentiae.

Primo igitur de Trinitate Dei tria consideranda sunt, scilicet qualiter unitas substantiae et naturae suum stet cum pluralitate personarum[7]; secundo, qualiter cum pluralitate apparitionum; tertio, qualiter cum pluralitate appropriatorum. Dei in creatura in tria.

De pluralitate igitur personarum in unitate[8] naturae hoc dictat recta fides esse tenendum, scilicet quod in unitate naturae sunt tres personae, Pater et Filius et Spiritus sanctus, quarum prima a nulla est, secunda a sola prima per generationem, tertia a prima et secunda per spirationem sive processionem; De unitate personae.

---

[1] Ex omnium antiquiore cod. S cum E supplevimus numeros ordinales *primo* etc.

[2] Contra fere omnes codd. edd. addunt *ad intelligendum*; pro *huius veritatis* T et 2 *praedictorum*. Inferius pro *secundum quod est necessarium* A B D E F H K M *iuxta quod expedit*, et vocibus *rerum principium* I inserunt *primum*.

[3] Ita B C D F G H K L P Q et 2, E omittit *de creatione et*, aliae edd. legunt *de creatore*. Subinde plures codd. omittunt *quae est quodam modo finis omnium* (cfr. supra pag. 204, nota 2.).

[4] Vide supra pag. 120, nota 11. — Voci *causatorum* S praemittit *causarum vel etiam*.

[5] *Sapentia* enim idem esse dicitur ac *sapida scientia*; cfr. tom. III. pag. 773, nota 5. — Mox pro *et ideo* A B S *ac per hoc* et pro *addiscendam* E *adipiscendam*.

[6] Cap. 11. n. 25. — Cfr. supra pag. 205, nota 7. — De praenotatis cfr. Prooemium in I. Sent. — Superius pro *reparationis* C M *separationem*, plures alii codd. *reparatorium*.

[7] De hoc c. 2-4; de secundo c. 5; de tertio c. 6-9.

[8] B addit *substantiae et*, B H *divinae*.

Haec trinitas non excludit 7 proprietates. ita quod trinitas personarum non excludit ab essentia divina summam *unitatem*, *simplicitatem*, *incomensitatem*, *aeternitatem*, *incommutabilitatem*, *necessitatem* et etiam *primitatem*; quin potius includit summam *fecunditatem*, *caritatem*, *liberalitatem*, *aequalitatem*, *germanitatem*, *conformitatem* et *inseparabilitatem*; quae omnia sana fides intelligit esse in beatissima Trinitate [1].

Includit 7 notitias.

Ratio autem huius veritatis haec est: quia fides, cum sit principium cultus Dei et fundamentum eius *quae secundum pietatem est doctrinae* [2], dictat, de Deo esse sentiendum *altissime* et *piissime*. Non autem sentiret *altissime*, si non crederet, quod Deus posset se summe communicare; non sentiret *piissime*, si crederet, quod posset et nollet; et ideo, ut *altissime* et *piissime* sentiat, dicit, Deum se summe communicare, aeternaliter habendo dilectum et condilectum, ac per hoc Deum unum et trinum.

Ratio. Fides dictat deo. Concluditur.

Huic autem fidei, in quantum dictat, de Deo *piissime* sentiendum esse, attestatur tota sacra Scriptura, quae dicitur *doctrina secundum pietatem*: quia Deum fatetur habere prolem, quam summe diligit, Verbum sibi coaequale, quod « ab aeterno genuit, in quo cuncta disposuit [3] »; per quod cuncta produxit et gubernat; per quod etiam carnem factum pro summa benignitate hominem redemit pretiosissimo eius sanguine redemptumque reduxit; per quod etiam in fine mundi, summam misericordiam impertiendo, ab omni miseria liberabit, ut per Christum omnes electi sint filii summi Patris, in quo erit omnis pietatis consummatio et Dei ad nos, et e converso.

Primum confirmatur et applicatur.

In quantum autem fides dictat, de Deo sentiendum *altissime*, non tantum attestatur ei sacra Scriptura, verum etiam omnis creatura, iuxta quod dixit Augustinus decimo quinto de Trinitate, capitulo quarto [4]: « Neque enim divinarum librorum tantummodo auctoritas praedicat, esse Deum, sed omnis quae nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, se habere praestantissimum Conditorem, qui nobis mentem rationemque naturaliter dedit, qua viventia non viventibus, sensu praedita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, iniustis iusta, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris praeferenda iudicamus. Ac per hoc, quoniam rebus creatis Creatorem sine dubitatione praeponimus, oportet, ut eum et summe vivere et cuncta sentire atque intelligere, et mori et corrumpi mutarique non posse, nec corpus esse, sed spiritum omnipotentissimum, iustissimum, speciosissimum, optimum beatissimumque fateamur ». — Ecce, in his duodecim includuntur altissimae nobilitates divini *esse*. Sed post, ut ipse ostendit [5], haec duodecim reducuntur ad tria, scilicet *aeternitatem*, *sapientiam* et *beatitudinem*; et haec tria ad unum, scilicet ad *sapientiam*, in qua includuntur mens generans, Verbum proles et amor nectens utrumque, in quibus fides dictat beatissimam consistere Trinitatem. Et quoniam summa sapientia ponit Trinitatem, ponit etiam nihilominus omnes prius habitas nobilissimas conditiones, videlicet unitatem, simplicitatem et ceteras consequentes; necesse est, omnes praedictas nobilitates divini *esse* simul stare cum beatissima Trinitate.

Duodecim nobilitates. Reducuntur.

CAP. III.

De istius fidei intelligentia sana.

Ad istius autem fidei intelligentiam sanam docet doctrina sacra, quod in divinis sunt *duae communitates*, *tres hypostases*, *quatuor relationes*, *quinque notiones*, et ex his tantum *tres proprietates personales* [6].

Thesis 3.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum *primum* et *summum* principium, hoc ipso quod *primum*, sit *simplicissimum*; hoc ipso quod *summum*, sit *perfectissimum*; idcirco perfectissime se communicat, qua *perfectissimum*; et indivisionem communicam servat, hoc ipso quod *simplicissimum*: et ideo, salva unitate naturae, sunt ibi modi emanandi perfecte [7]. Modi autem emanandi perfecte sunt duo tantum, scilicet per modum *naturae* et *voluntatis*. Primus est *generatio*, secundus *spiratio* sive processio, et ideo bi sunt ibi.

Ratio. Deo modi emanandi.

Et quia duabus emanationibus substantificis necesse est emanare duas hypostases, necesse est

Tres hypostases.

---

[1] Cfr. supra Quaest. de mysterio Trinitatis, et I. Sent. d. 2. per totam.

[2] Epist. I. Tim. 6, 3. — Post *Ratio autem* A addit *ad intelligentiam*, et pro *quia fides* cum pluribus aliis codd. substituit *fides enim* [D F addunt *nostra*]. Inferius pro *et nollet* L S *sed nollet*, A B D F H ibi legunt: *si crederet, eum posse, sed* [A *et*] *nolle, ideoque ut etc.*

[3] Ita Glossa *ordinaria* in Ps. 61, 12, cfr. tom. III. pag. 215, nota 4. — Inferius pro *gubernat* A S et 2 *regit*, F H Q *regit et gubernat*, et pro *ut... sint* Vat. et 3 *et... sint*.

[4] Num. 6. Textus originalis, quem Vat. 1 et 3 sequuntur, *videamus* pro *iudicamus*. Post *circumstat* D F H I K L M O P et 2 suppleunt *creatura*, et inferius permodi codd. et 2 omittunt *naturalem*.

[5] Cap. 5, seq. n. 7-10. — Pro *dicini esse*, quod plures codd. et 2 omittunt, Vat., 1 et 2 *essentiae dicunt*. Mox pro *reducuntur* E S *possunt reduci*; A B Q post *divini esse* prosequuntur *quae tamen possunt ad tres reduci*. Inferius pro *proles* cdd., excepta 2, *nascens*.

[6] De *duabus* emanationibus et *tribus* hypostasibus cfr. I. Sent. d. 2. q. 4; d. 9. q. 1. et d. 10. a. 1. q. 1; de relationibus, notionibus et proprietatibus vide I. Sent. d. 26. q. 4.

[7] Vat. hic et paulo inferius *perfecti*. Inferius ante *duabus emanationibus* A praedigit *ex*, pro quo Q habet *vero*.

etiam ponere, hypostasim primo producentem ab alio[1] non emanare, ne sit in infinitum abire: ideo sunt ibi tres hypostases.

Et quia cuilibet emanationi respondet duplex habitudo relativa, ideo sunt ibi *quatuor relationes*, scilicet paternitas, filiatio, spiratio et processio. Quatuor relationes

Qui vero per has habitudines innotescunt nobis divinae hypostases; et praeter hoc etiam hypostasis illa, in qua est prima ratio principiandi, innotescit, quia non producitur — nam hoc est nobilitatis in ipsa — ideo *quinque sunt notiones*, scilicet quatuor relationes praedictae cum *innascibilitate*. Quinque notiones.

Et quia quaelibet personarum unam habet proprietatem, per quam principaliter innotescit; ideo tres tantum sunt *proprietates personales*, quae his nominibus exprimuntur proprie et principaliter, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus. Tres proprietates personales.

Cum enim proprium sit Patris esse *innascibilem* sive ingenitum, esse *principium non de principio* et esse *Patrem*; *innascibilitas* notificat ipsum per modum negationis, licet ex consequenti per modum positionis, quia innascibilitas in Patre ponit fontalem plenitudinem; *principium non de principio*, per modum positionis cum negatione; *esse Patrem*, per modum positionis et habitudinis, proprie, complete et determinate[2]. De proprietatibus et nominibus Patris.

Similiter, cum Filius sit *imago*, *verbum* et *filius*; *imago* nominat illam personam ut similitudinem *expressam*; *verbum*, ut similitudinem *expressivam*; *filius*, ut similitudinem *hypostaticam*; rursus *imago*, ut similitudinem *conformem*; *verbum*, ut similitudinem *intellectualem*; *filius*, ut similitudinem *connaturalem*[3]. Item, Filii. Aliter.

Per hunc modum, cum proprium sit Spiritus sancti esse *donum*, esse *nexum* seu *caritatem* amborum, esse etiam *Spiritum sanctum*; *donum* nominat ipsum ut datum *voluntarium*; *caritas* sive nexus, ut datum *voluntarium et praecipuum*; *Spiritus sanctus*, ut datum *voluntarium*, *praecipuum* et *hypostaticum*[4]. — Hinc est, quod per haec tria nomina, quae sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, trium personarum proprietates personales insinuantur. — Haec igitur tenenda sunt ad fidei Trinitatis intelligentiam sanam. Item, Spiritus S.

Cap. IV.

De istius fidei expressione catholica.

Ad istius etiam fidei expressionem catholicam tenendum est secundum sanctorum Doctorum documenta, quod in divinis sunt duo modi *praedicandi*, scilicet per modum substantiae et relationis; tres modi *supponendi*, scilicet essentiae, personae et notionis; quatuor modi *significandi substantiam*, scilicet nomine essentiae, substantiae, personae et hypostasis; quinque modi *dicendi*, scilicet *quis*, *qui*, *quae*, *quod* et *quid*; et tres modi *differendi*, scilicet secundum differentem modum *existendi*, secundum differentem modum *se habendi* et secundum differentem modum *intelligendi*[5]. Tres quinque que.

Ratio praedictorum haec est: quia, cum primum principium sit perfectissimum simul et simplicissimum, omnia, quae perfectionis sunt, de ipso dicuntur proprie et vere; quae autem imperfectionis sunt aut non dicuntur, aut si dicuntur, secundum assumtionem humanae naturae dicuntur, vel translative. Cum igitur decem sint praedicamenta, scilicet *substantia*, *quantitas*, *relatio*, *qualitas*, *actio*, *passio*, *ubi*, *quando*, *situs* et *habere*[6]; quinque ultima proprie spectant ad corporalia seu mutabilia; ideo non attribuuntur Deo nisi transsumtive modo et figurative. Alia vero quinque praecedentia Deo attribuuntur, secundum id quod completionem dicunt, ita tamen, quod divinam simplicitatem non impediunt. Omnia ergo haec praedicamenta sunt id ipsum, quod est illud, de quo praedicantur; et ita per comparationem ad subiectum, in quo sunt, omnia dicuntur transire in substantiam, *relatione* tamen excepta; quae, cum dupliceu habeat comparationem, scilicet ut ad *subiectum in quo*, et ut ad *terminum ad quem*, primo modo transit, ne faciat compositionem, secundo modo manet, ut faciat distinctionem. Et hinc est, quod « substantia continet unitatem, et relatio multiplicat trinitatem[7] »; ut ideo manent ibi hi tantum duo modi praedicandi differentes. — De quibus talis datur regula, quod quae dicuntur secundum *substantiam* de *omnibus* dicuntur et *singillatim* et *simul* et *singulariter*; quae vero secundum Ratio. Modi duo praedicandi. Regula.

---

[1] S *alio*. Mox pro *emanare* K O V *emanatem*, et pro *respondet* U *respondere debet*. Subinde pro *Et quia per* substituimus ex A B D F S *Quia vero per*; porro pro *et praeter hoc* A *et principaliter*, denique pro *nam hoc* multi codd. *quia hoc*.

[2] Cfr. I. Sent. d. 27. p. I. q. 2. et d. 28. q. 1. seqq. — Aliquanto superius post *et esse Patrem* B H addunt *non de patre*.

[3] Vide I. Sent. d. 27. p. II. q. 1. seqq. et d. 31. p. II. a. 1. q. 1. seq. ac non d. 37. p. II. dub. 2. — Superius post *nexus imago* plures codd. repetunt *nominat*.

[4] Cfr. I. Sent. d. 10. a. 1. et 2. et d. 18. q. 5. praecipue ad 4, ubi etiam de tribus nominibus Filii. — Plures codd., etiam M *voluntarium primum et* [K omittit *et*] *hypostaticum*. Superius post *Per haec* K addit *etiam*. Subinde pro *ipsum*, quod non pauci codd. et 2 omittunt, A S *illum personam*.

[5] De duobus modis praedicandi cfr. I. Sent. d. 22. q. 4; de modis supponendi vide I. Sent. d. 5. a. 1. q. 1; d. 25. a. 1. q. 2. ad 3. et d. 33. q. 2. ad 5; de modis significandi substantiam cfr. I. Sent. d. 23. a. 1. q. 3, ubi etiam tangunter modi dicendi, de quibus et de modis differendi vide etiam d. 26. q. 1. — Mox post *Ratio* edd. cum pluribus codd. addunt *autem ad intelligentiam*. Inferius edd., 2 excepta, *vel transsumtive* pro *vel translative* (cfr. I. Sent. d. 22. q. 3.).

[6] Ex Aristot., de Praedicam. (Edd., excepta 2, *habitus*; Aristot.: ἔχειν i. e. habere). Cfr. Boeth., de Trin. c. 4. seqq., ubi ostendit, quaenam praedicamenta sint in Deo etc. — Inferius voci *ideo* B H K S praetigunt *et*, ac post *nisi* V addit *tantum*.

[7] Boeth., de Trin. c. 6. Cfr. I. Sent. d. 26. q. 2; d. 27. p. I. q. 3. ad 1-4. et d. 33. q. 1. De seq. regula cfr. I. Sent.

Digitized by Google

relationem aut non de *omnibus* dicuntur, aut si de pluribus, *pluraliter*, ut *relati*, *distincti*, *similes*, *aequales*, propter relationem intrinsecam. Nomen autem trinitatis comprehendit utrumque.

Et quoniam plures possunt esse relationes in una persona [1], sicut sunt plures personae in una natura; ideo distinctio in *notione* non infert diversificationem personae, nec distinctio *personae* plurificationem naturae. Et propterea non quidquid convenit essentiae convenit *notioni*, vel *personae*, nec e converso. Et hinc est, quod sunt ibi tres modi *supponendi*; de quibus talis consuevit dari regula: supposita *essentia*, non supponitur notio nec persona; et supposita *notione*, non supponitur essentia nec persona; et supposita *persona*, non supponitur essentia nec notio, sicut patet per exempla [2]. (Modi tres supponendi. Regula.)

Et quoniam vera distinctio est in suppositis substantiae, manente essentia una; ideo necesse est, ibi multipliciter significari substantiam, scilicet ut *communicabilem* et *incommunicabilem*. Et *communicabilem*, per modum *abstractionis* per nomen *essentiae*, et per modum *concretionis* per nomen *substantiae*; ut *incommunicabilem* vero, vel ut distinguibilem per nomen *hypostasis*, vel ut distinctam per nomen *personae*. — Vel aliter, scilicet ut *distinctam qualitercumque*, et sic *hypostasis*; vel *notabiliter et perfecte*, et sic *persona* [3]. — Exempla horum quatuor sunt in creatura: *humanitas*, *homo*, *aliquis homo*, *Petrus*; primum *essentiam*, secundum *substantiam*, tertium *hypostasim*, et quartum *personam* dicit. (Modi quatuor significandi. Aliter. Exempla.)

Et quia in persona, quae distinguitur, non solum est considerare eum *qui* distinguitur, sed etiam illud *quo* distinguitur; et hoc est *proprietas* sive notio: ideo necesse est, quod in divinis sint quinque modi dicendi pariter et quaerendi, scilicet *quis*, ratione personae; *qui*, ratione hypostasis, quia dicit suppositum substantiae indistincte [4]; *quae*, ratione notionis; *quod*, ratione substantiae; *quid* sive *quo*, ratione essentiae. (Modi quinque dicendi.)

Et quoniam omnes hi modi in unitate essentiae radicantur, quia quidquid est in Deo est ipse Deus unus et solus; ideo non ponunt ibi differentiam, nec secundum essentiam nec secundum *esse*. Et propterea sunt ibi tantum tres modi *differendi*, scilicet secundum modos *essendi* sive emanandi, sicut differt persona a persona; secundum modos *se habendi*, sicut differt persona et essentia — quia una *persona* ad alteram refertur, et ideo distinguitur [5], *essentia* vero non refertur ad alteram, et ideo non distinguitur — secundum modos etiam *intelligendi*, sicut differt una proprietas substantialis ab altera, ut bonitas et sapientia. — Prima differentia est maior, quae possit reperiri in divinis; est enim in suppositis, ita quod unum non dicitur de altero. — Secunda differentia est *minor*, quia est in attributis; licet enim unum possit dici de alio, ut persona de essentia, aliquid tamen dicitur de uno, quod non de altero, ut: persona distinguitur et refertur, essentia vero non. — Tertia vero differentia est *minima*, quia est in connotatis. Licet enim unum de altero dicatur ad invicem, et idem possit dici de utrisque [6]; non tamen idem *connotatur* utrobique, nec per idem intelligitur utrumque. — Ex primo modo differendi oritur pluralitas personarum; ex secundo modo pluralitas praedicationum substantialium et relativarum; ex tertio pluralitas proprietatum essentialium et notionum, sive ab aeterno, sive ex tempore; sive proprie, sive transmutive; sive communiter, sive appropriate [7]. Dictorum exempla manifesta sunt. — His intellectis, satis claret, et quid sentiendum, et qualiter loquendum sit de summa trinitate divinarum personarum. (Modi tres differendi. De differentia prima. De secunda. De tertia. Quod ex his oriatur.)

Cap. V.

De unitate divinae naturae in multiformitate apparitionum.

Secunda autem de pluralitate *apparitionum* docet divina doctrina hoc esse tenendum, quod cum Deus sit incircumscriptibilis, invisibilis et incommutabilis; nihilominus tamen *habitat specialiter* in sanctis viris, *apparuit* Patriarchis et Prophetis, *descendit* de caelis, *misit* etiam Filium et Spiritum sanctum ad salutem humani generis. — Et licet in Deo sint indivisa natura, virtus et operatio Trinitatis; *missio* tamen vel *apparitio* unius personae non est (Quatuor speciales effectus. Tribuuntur diversis personis.)

---

d. 22. dub. 2; d. 31. p. I. q. 2. (ubi de terminis *relati*, *distincti*, *similes* etc.) et d. 24. a. 3. q. 1. seq. (ubi de nomine trinitatis). Propositio: *Nomen autem trinitatis comprehendit utrumque*, in multis codd. omittitur.

[1] Ut paternitas et spiratio activa in Patre.

[2] Alex. Hal., S. p. I. q. 56. m. 5. in corp. explicat sensum, quem hoc loco habet vocabulum *supponendi*: Illud dicitur *supponi*, altero supposito, quod est in intentione [rationem] eius in rectitudine, ut, supposito homine, supponitur animal, et supposito Petro, supponitur homo; essentia autem in ratione personae non est secundum rectitudinem, sed obliquo; similiter, supposita notione, non supponitur persona. Cfr. tom. I. pag. 576, nota 1.

[3] Vide I. Sent. d. 23. a. 1. q. 1-3. et d. 25. a. 1. et 2.

[4] I M bene *indefinite*. Edd. scribunt *indistincte*, non falso (cfr. praecedentia); sed adverbium *(indistincte dicit)* clarius rem exprimit. Codd. unquam habent diphtongum *ae*.

[5] H addit *persona*. Inferius post *distinguitur* A subiungit *essentia*. Pro *secundum modos*, quod ter hoc loco occurrit, T *secundum differentem modum*. Subinde pro *maior*, quod praebent S V, A E I D Q *minor* (H *maior perfecta*) *et summa*, alii codd. et 2 *perfecta et summa*, Vat., I, 3 *perfectissima et summa*.

[6] H *utroque*.

[7] Cfr. I. Sent. d. 30. q. 1. seqq., ubi de proprietatibus ex respectu ad tempus; d. 22. q. 3, ubi de propriis et translativis; d. 31. q. 3. ubi de appropriatis, de quibus vide etiam infra c. 6. — Pro *et notionum* H *et connotatorum* (F G *et connotatorum*). Inferius pro *sentiendum* A B S *scientum*, H F *sentiendum vel sciendum*.

missio vel apparitio alterius. Licet etiam sit illi summa aequalitas, solius tamen Patris est *mittere* et *non mitti*; Spiritus sancti est tantummodo *mitti* respectu divinarum personarum, nisi forte dicatur mittere hominem assumptum: Filii autem est *mittere* et *mitti*, sicut ex Scripturis potest colligi [1].

De generali manifestatione.

Intelligentia autem et ratio praedictorum haec est: quia, licet primum principium sit immensum et incircumscriptibile, sit incorporeum et invisibile, sit aeternum et incommutabile; principium tamen est rerum spiritualium et corporalium, naturalium et gratuitarum, ac per hoc rerum etiam mutabilium, sensibilium et circumscriptarum, per quas, licet ipse sit immutabilis, insensibilis, incircumscriptibilis [2], se ipsum reddit manifestum et notum. Reddit autem se manifestum et notum *generaliter* per universitatem suorum effectuum ab ipso emanantium, in quibus dicitur esse per *essentiam*, *potentiam* et *praesentiam* [3], quod se extendit ad omnia creata. — Reddit etiam se *specialiter* notum per aliquos effectus, qui in ipsum specialiter ducunt, ratione quorum dicitur *habitare*, *apparere*, *descendere*, *mitti* et *mittere*. — *Habitare* namque dicit effectum *spiritualem* [4] cum acceptatione, sicut est effectus gratiae gratum facientis, quae est deiformis et in Deum reducit et Deum facit nos habere, et haberi a nobis, ac per hoc et inhabitare in nobis. Et quia gratiae effectus communis est omnibus personis; ideo una persona non inhabitat sine alia, immo simul tota Trinitas [5].

De specialibus effectibus.

Quid sit habitare.

Notandum.

Apparere vero dicit effectum *sensibilem* cum expressa significatione, sicut Spiritus sanctus apparuit in columba. Et quoniam, sicut personae divinae distinctae sunt, sic distincte significari possunt et signis et nominibus; ideo *quaelibet persona* potest *per se apparere*, et *apparitio* potest *omnibus competere*, sive insimul, sive cuilibet per se. Inde quod Spiritus sanctus dicitur in linguis igneis et in columba apparuisse, hoc non est propter *novam vinculum*, vel *effectum* specialem; sed propter unionem, quae est inter *signatum* et *signum* sibi speciliter et modo et origine deputatum [6].

Quid apparere.

Notandum.

Descendere autem dicit utrumlibet effectuum praedictorum cum *inchoatione*. Deus enim beatissimis Angelis semper est praesens in caelis, quia in eis semper *inhabitat* et *apparet*. Peccatoribus autem in terris est modo ut absens et quantum ad *gratiam* et quantum ad *notitiam*; et ideo, cum *incipit* apparere vel inhabitare, de praesente caelis [7] et quasi absente nobis fit praesens terris: et ideo, licet in se non mutetur, nobis tamen *descendere* dicitur.

Quid descendere.

Mitti vero dicit effectus praedictos cum *aeterna productione*. Tunc enim Pater mittit Filium, quando, faciendo eum nobis praesentem per notitiam vel gratiam, insinuat, quod ab ipso procedit. Et quia Pater a nullo procedit, ideo nusquam dicitur *mitti* [8]. Quia vero Filius et producit et producitur, ideo *mittit* et *mittitur*. Quia vero Spiritus sanctus aeternaliter producitur, sed non producit nisi ex tempore; ideo ipsius est proprie *mitti*, *mittere* vero non competit sibi nisi respectu creaturae. — Ex quo apparet, quod hae sunt impropriae et exponendae: Spiritus sanctus mittit se; Spiritus sanctus mittit Filium; Filius mittit se ipsum, nisi intelligatur: in quantum est de Virgine natus. — Patet etiam, quare *mittere* et *mitti* non competit omnibus: quia, licet dicat effectum in creatura, dicit tamen relationem intrinsecam, ita quod *mittere* dicit auctoritatem, *mitti* subauctoritatem, ratione productionis aeternae interius importatae.

Quid mitti.

Notandum.

Impropriae locutiones.

Cap. VI.

De unitate divinae naturae in multiplicitate appropriatorum.

Tertio vero de pluralitate *appropriatorum* hoc docet sacra Scriptura esse tenendum, quod licet omnia essentialia omnibus personis aequaliter et indifferenter conveniant; tamen Patri dicitur appropriari *unitas*, Filio *veritas*, Spiritui sancto *bonitas*. — Et iuxta hanc sumitur secunda appropriatio Hilarii [9], scilicet « *aeternitas* in Patre, *species* in Imagine, *usus* in Munere ». — Iuxta hanc sumitur tertia, scilicet in

Appropriatio prima.

Secunda.

Tertia.

---

[1] De habitatione Dei in viris sanctis cfr. I. Sent. d. 21. dub. 2; vide etiam ibid. d. 14. a. 2. q. 1. et d. 15. p. II. q. 1. seqq. De apparitione et missione visibili cfr. ibid. d. 16. per totam. De missione in genere, et cui competat mittere vel mitti, vide ibid. d. 15. p. I. q. 1-4, ubi etiam loci Scripturae afferuntur. — Plurimi codd. *ex Scripturis apparet*. Aliquanto superius post *ad salutem* B addit *nostram vel*. E I. O T V hic prosequuntur: *Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est etc.*

[2] C I M O P Q *incircumscriptus*, B *incircumscriptibilis in se*. Pro *sensibilium* O V *visibilium*, et Q *invisibilis* pro *insensibilis*.

[3] Vide I. Sent. d. 37. p. I. a. 3. q. 2. — Mox pro *quod* B *qua*. Inferius pro *dicunt* B *dicuntur*, et pro *dicitur habitare* E F H T *dicitur inhabitare*.

[4] Vat. 4 et 3 addunt *et spiritualem*.

[5] Cfr. Ioan. 14, 23: Et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Inferius respicitur Ioan. 1, 32, ubi de apparitione Spiritus sancti in columba, et subinde Act. 2, 3, ubi de ipsius apparitione in linguis igneis.

[6] Vide I. Sent. d. 16. q. 2. — Mox pro *utrumlibet* B I *utrumque*.

[7] B *in caelis*, et post paucis cum C D F *in terris*. Inferius post *nobis tamen* I addit *cum praesens est*.

[8] August., II. de Trin. c. 5. n. 8: Pater enim nobis nusquam legitur missus. — Superius post *Tunc enim* I. M V addunt *Deus*. Inferius pro *mittere vero non competit sibi* edd. cum aliquot codd., inter quos est M, *et non mittere*, et pro *apparet* A S *potest*.

[9] Libr. II. de Trin. n. 1. Cfr. I. Sent. d. 31. p. II. a. 1. q. 3. De aliis appropriationibus vide ibid. a. 2. q. 3; d. 34. q. 4. et d. 2. p. I. dub. 3. et 4. — Superius pro *sacra Scriptura* plures codd. *Scriptura divina*, K *sacra fides*, M S legunt *appropriationum docet Scriptura*. Subinde pro *omnibus* B *tribus*.

Digitized by Google

Patre *ratio principiandi*, in Filio *ratio exemplandi*, in Spiritu sancto *ratio finiendi*. — Et iuxta hanc sumitur quarta, scilicet *omnipotentia* Patri, *omniscientia* Filio, *voluntas* seu benevolentia Spiritui sancto. — Haec autem dicuntur *appropriari*, non quia fiant *propria*, cum semper sint *communia*; sed quia ducunt ad intelligentiam et notitiam propriorum, videlicet trium personarum.

Quarta. Quod sit appropriari.

Intelligentia autem et ratio praedictorum haec est. Quia enim primum principium est nobilissimum et perfectissimum, ideo conditiones entis nobilissimae et generalissimae in eo reperiuntur in summo. Hae autem sunt *unum*, *verum*, *bonum*, quae non contrahunt ens secundum *supposita*, sed secundum *rationem*. Nam *unum* nominat ens ut *connumerabile*, et hoc habet per indivisionem sui in se; *verum*, secundum quod *cognoscibile*, et hoc habet per indivisionem sui a propria specie; *bonum*, secundum quod *communicabile*, et hoc habet per indivisionem sui a propria operatione[1]. Et quia haec triplex indivisio se habet secundum ordinem quantum ad rationem intelligendi, ita quod *verum* praesupponit *unum*, et *bonum* praesupponit *unum* et *verum*: hinc est, quod haec attribuuntur primo principio in summo, quia *perfecta* et *generalia*; et appropriantur tribus personis, quia *ordinata*; et ideo *summae unum* Patri, qui est origo personarum; *summae verum* Filio, qui est a Patre ut verbum; *summae bonum* Spiritui sancto, qui est ab utroque ut amor et donum.

Ratio. De appropriatione prima. Secundum.

Et quia summe *unum* est summe primum, quia caret omni inceptione; et quia summe *verum* est summe aequale et pulcrum; et quia summe *bonum* est summe utile et proficuum: hinc oritur secunda appropriatio Hilarii, quae est *aeternitas* in Patre, quia non habet initium, sed est omnino primum; *species* in Imagine, id est in Verbo, quia summe pulcrum; *usus* in Munere, id est in Spiritu sancto, quia summe proficuum et communicativum. Quod per alia verba sic insinuat Augustinus[2]: « In Patre *unitas*, in Filio *aequalitas*, in Spiritu sancto *unitatis aequalitatisque concordia* ».

De secunda.

Rursus, quia summe *unum et primum* tenet *rationem principiandi* et originandi; summe *pulcrum et speciosum* tenet *rationem exprimendi* et exemplandi; summe *proficuum et bonum* tenet *rationem finiendi*, quia « bonum et finis idem[3] »: hinc oritur tertia ratio appropriandi *efficientiam* Patri, *exemplaritatem* Filio, *finalitatem* Spiritui sancto.

De tertia.

Rursus, quia a primo et summo principio fluit omne *posse*, a primo et summo exemplari omne *scire*, ad summum finem tendit omne *velle*[4]; ideo necesse est, primum esse omnipotentissimum, omnisapientissimum et benevolentissimum. Unitas autem prima et summa, redeuns supra se ipsam reditione completa et perfecta, est omnipotentissima, sic et veritas sapientissima, et bonitas benevolentissima; et haec appropriantur, quia ordinem insinuant. Voluntas enim dat praeintelligere cognitionem, et voluntas et cognitio praesupponunt potentiam et virtutem, quia « *posse scire* est aliquid *posse*[5] ».

De quarta.

Ex his apparet, *quae* sint appropriata et *quibus* et *qua de causa*. Haec tamen ultima, scilicet *potentia*, *sapientia* et *voluntas*, sunt potissime illa, ex quibus in Scripturis laudatur Trinitas summa. Et ideo de his aliquid dicendum est breviter et summatim.

De ultimis infra agitur specialiter.

Cap. VII.

De omnipotentia Dei.

De *omnipotentia* Dei secundum doctrinam sacram haec tenenda sunt; quod Deus est omnipotens, ita tamen, quod ei non attribuuntur actus *culpabiles*, utpote mentiri et male velle; nec actus *poenales*, ut metuere et dolere; nec actus *corporales* sive materiales, ut dormire et ambulare, nisi forte transsumptive; nec actus *inconvenientes*, ut posse facere maiorem se, vel alium Deum sibi aequalem, vel infinitum actu, et consimilia: « quia, ut dicit Anselmus[6], quodlibet inconveniens, etiam minimum, quod Deum est impossibile ». Licet autem haec non possit, est tamen omnipotens vere, proprie et perfecte.

Exclusione quatuor aliorum.

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 14. p. II. a. 1. q. 1. in corp. Vide August., de Vera Relig. c. 7. n. 13; 83 Qq. q. 18; XI. de Civ. Dei, c. 28. et VI. de Trin. c. 10. n. 12. — Pro seq. propositione Alex. Hal., S. p. I. q. 13. m. 2. in fine hanc affert rationem: Absolutior [est] intentio *unius*, quae est entis, in quantum consideratur absolutum, quam intentiones veri et *boni*, quae sunt entis comparati. Item, intentio *veri* absolutior est intentione *boni*, sicut *esse* rei consideratum sine sua unitate vel ordine, et *esse* rei cum sua unitate et ordine.

[2] Libr. I. de Doctr. christiana, c. 5. n. 5.

[3] Secundum Aristot.; vide tom. II. pag. 808, note 5. — Cfr. I. Sent. d. 27. p. I. q. 2. ad 3; d. 6. q. 3; d. 27. p. II. q. 2; d. 35. q. 1; d. 36. dub. 1. et Hexaem. serm. 1. — Superius ante *summae pulcrum* et *summae proficuum* edd., excepta 2, repetunt *quia*.

[4] Aristot., I. Ethic. c. 2, loquens de fine ultimo seu summo bono, ait, quod sit ille, « quem propter ipsum et propter quem alia volumus ». — Paulo inferius respicitur Lib. de Causis, propos. 15: Omnis sciens, qui scit essentiam suam, est redens ad essentiam suam *reditione completa*... et hoc non est ita, nisi quia sciens et scitum sunt res una etc. Cfr. ibid. propos. 17: Omnis virtus unita plus est infinita quam multiplicata [i. e. divisa]... Quod est quia virtus quando incipit multiplicari, hinc destruitur unitas eius, et quando destruitur eius unitas, destruitur eius infinitas... Virtus, quanto plus approximat ad purum et verum, fit vehementior eius unitas, et quanto vehementior fit eius unitas, est adhuc in ea magis apparens etc. — Huius loci rationem habentes, retinuimus lectionem Vat. (confirmatam ab edd. 1, 3 et Bixiana an. 1597), *reditione* [K *reditio*] pro *reductione*, quod plurimi codd. et 2 exhibent.

[5] Ut dicit Richard. a S. Vict. supra pag. 19, nota 7. allegatus. Vide etiam Hexaem. serm. 21. — Interius pro *Haec tamen* C I L O et 1 *Haec enim*, et pro *summatim* B E T *in summa*.

[6] Libr. I. Cur Deus homo, c. 29. et de Fide Trin. c. 5. Cfr. tom. I. pag. 52, nota 4. — Vide de his I. Sent. d. 42. (praesertim q. 2.) et d. 43. — Superius pro *male velle* A *malum velle*, et pro *metuere* B *tristari*. Inferius post *hoc* [F M V *haec*] B suppleat *facere*.

Intelligentia autem et ratio praedictorum haec est: quia primum principium est potens potentia, quae est potentia *simpliciter;* et ideo distributio addita ei[1] distribuit pro his quae *posse* est *posse simpliciter*. Haec autem *sunt*, quae egrediuntur a potentia *completa* et *ordinata*. — Potentiam autem *completam* dico, quae non potest *deficere* nec potest *succumbere* nec potest *indigere*. Potentia autem in peccando *deficit*, in patiendo *succumbit*, in corporalibus actionibus *indigentiam includit*. Divina vero potentia, quia potentia summa et perfectissima, ideo nec est de nihilo nec est sub aliquo nec eget aliquo alio, ac per hoc nec *culpabilis* nec *poenalis* nec *materialis* potest; et hoc, quia omnipotens est potentia *completa*.

Ratio.

Potentia Dei est completa et ordinata.

Completa potentia excludit tria.

Potentiam autem *ordinatam* contingit tripliciter dici: vel[2] secundum *actum*, vel secundum *aptitudinem* ex parte *creaturae*, vel secundum *aptitudinem* ex parte solius *virtutis increatae*. Quod possibile est potentiae primo modo dictae est non tantum *possibile*, sed etiam *actuale;* quod secundo modo et non primo, est *possibile simpliciter*, licet non actuale; quod autem tertio modo, non primo vel secundo, est *possibile Deo*, sed impossibile creaturae. Quod autem nullo praedictorum modorum est possibile, sicut illud quod directe repugnat ordini secundum rationes et causas primordiales[3] et aeternas, *simpliciter est impossibile:* sicut quod Deus faciat aliquod actu infinitum, quod simul faciat aliquid esse et nullo modo esse, quod faciat id quod fuit, non fuisse, et cetera talia; quae *posse* est contra ordinem et complementum divinae potentiae. — Ex his patet, respectu quorum est divina potentia; patet etiam, quae debent dici *simpliciter possibilia*, et quae *simpliciter impossibilia*, et quod aliquorum impossibilitas simul stet cum vera omnipotentia.

Ordinata dicitur tripliciter.

Notandum de possibilibus.

Cap. VIII.

De Dei sapientia, praedestinatione et praescientia.

De *sapientia* vero Dei haec tenenda sunt, scilicet quod ipsa divina sapientia limpidissime cognoscit omnia bona et mala, praeterita, praesentia et futura, actualia et possibilia, ac per hoc incomprehensibilia nobis et infinita; ita tamen, quod ipsa in se nullo modo diversificatur, licet diversa nomina sortiatur. — In quantum enim est cognoscitiva omnium possibilium, dicitur *scientia* sive cognitio; in quantum est cognoscitiva omnium, quae in universo fiunt, dicitur *visio;* in quantum est cognoscitiva omnium, quae bene fiunt, dicitur *approbatio;* in quantum est cognoscitiva eorum quae futura sunt, dicitur *praescientia* sive praevisio; in quantum est cognoscitiva eorum quae ab ipso Deo facienda sunt, dicitur *dispositio:* in quantum est cognoscitiva eorum quae praemiranda sunt, dicitur *praedestinatio;* in quantum vero est cognoscitiva eorum quae damnanda sunt, dicitur *reprobatio*[4].

De sapientia in se.

Sex nominantur, quatenus ipsa est cognoscitiva.

Et quia ipsa non tantum est *cognoscitiva*, sed est etiam *ratio cognoscendi;* ideo, in quantum est ratio cognoscendi omnia cognita, dicitur *lux;* in quantum est ratio cognoscendi visa et approbata, dicitur *speculum;* in quantum est ratio cognoscendi praevisa et disposita, dicitur *exemplar;* in quantum vero est ratio cognoscendi praedestinata et reprobata, dicitur *liber vitae*. — Est igitur *liber vitae* respectu rerum, ut recentium; *exemplar*, ut exentium; *speculum*, ut eurtium; *lux* vero respectu omnium[5]. — Ad *exemplar* autem spectat *idea*, *verbum*, *ars* et *ratio: idea*, secundum actum praevidendi; *verbum*, secundum actum proponendi; *ars*, secundum actum prosequendi; *ratio*, secundum actum perficiendi, quia superaddit intentionem finis. — Quia vero haec omnia unum sunt in Deo, ideo unum frequenter accipitur pro alio.

Quatenus sapientia, quatenus est ratio cognoscendi.

Alter.

Ad exemplar spectant alia quatuor.

Et licet divina sapientia ratione diversitatis scitorum et connotatorum diversa sortiatur vocabula, non tamen diversificatur secundum rationem intrinsecam. Cognoscit enim *contingentia* infallibiliter, *mutabilia* immutabiliter, *futura* praesentialiter, *temporalia* aeternaliter, *dependentia* independenter, *creata* increate, *alia a se* in se et per se[6]. — Et cum infallibiliter contingentia cognoscat, simul stat libertas et vertibilitas voluntatis cum praedestinatione et praescientia.

Non diversificatur in se.

Notandum.

Simul stat libertas.

Intelligentia autem et ratio praedictorum haec

Ratio.

---

[1] Scil. signum distributivum *omne* (cfr. I. Sent. d. 1. q. 1. scholion.), quod intrat in nomen *omnipotentia*. — Inferius post *Potentia autem* [A D F H Q S *Sed potentia*] codd., 2 excepta, addunt *incompleta*.

[2] I. F H S *scilicet vel*.

[3] Cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. in corp., ubi dicitur, quod causae primordiales dicuntur *primordiales* « per privationem prioris... (et) in quantum respiciunt Deum ut principium primum ». — Plures codd. *primordialissimas*.

[4] Cfr. I. Sent. d. 35. dub. 3; d. 36. dub. 3. et d. 48-52. — Pro *fienda* A F *facienda*.

[5] Vide IV. Sent. d. 43. a. 2. q. 1-3. De seq. vide I. Sent. d. 27. p. II. q. 3. seq.; d. 35. q. 1. seqq.; d. 36. a. 2. q. 1. et supra Quaest. de scientia Christi, q. 2. seqq. — Alex. Hal., S. p. I. q. 23. m. 4. a. 1: *Ratio* respicit finem, *idea* formam, *exemplar* efficientem, *sapientia* cognitionem, sicut *ars* operationem. Unde in quantum efficiens, *ars*, qualiter debeat operari; secundum exemplar dicitur *sapiens*; in quantum vero *potest* operari, cum vult, dicitur *artifex*. — Superius post *sed est etiam ratio cognoscendi* cum pluribus codd. et 2 omissum *omnia*. Pro *cognita* I M O U V substituunt *conditio*. Pro *eurtium* multi codd. *eutium*.

[6] Cfr. I. Sent. d. 39. a. 2. q. 1-3. De seq. propositione vide ibid. d. 38. a. 2. q. 1; et d. 40. a. 2. q. 1. — Inferius pro *voluntatis* A *arbitrii*, B *libertatis*, S *libertatis vel rationis*. Subinde I. V legunt *Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est* etc.

Digitized by Google

De excellentia divinae sapientiae.

est: quoniam primum principium, hoc ipso quod primum et summum, cognitionem habet simul *simplicissimam* et *perfectissimam*: quia *perfectissimam*, ideo cognoscit omnia[1] distinctissime sub omnibus conditionibus, quas res habent vel habere possunt; et propterea futura scit esse futura, et praesentia praesentia; et bona scit approbanda, et mala reprobanda: hinc est, quod diversa sortitur vocabula, secundum quod dictum est supra.

Primo propter perfectionem.

Sed quia simul stat *perfectio* sapientiae cum *summa simplicitate*, hinc est, quod omnia *alia a se* cognoscit in se et per se; ex quo sequitur secundum, quod *creata* cognoscit increate; ex quo sequitur tertium, quod *dependentia* cognoscit independenter; ex quo oritur quartum, quod *temporalia* cognoscit aeternaliter; ex quo quintum, quod *futura* cognoscit praesentialiter; ex quo sextum, quod *mutabilia* cognoscit immutabiliter; ex quo septimum, quod *contingentia* cognoscit infallibiliter.

Secundo propter simplicitatem sequuntur septem.

Et ita *contingentia*, manentia contingentia, sunt divinae sapientiae praesens infallibilia, tam in contingentibus, quae subiacent naturae, quam libertati voluntatis humanae. — Unde qui vult hoc verum[2] intelligere, quomodo simul stet libertas voluntatis creatae cum infallibilitate praedestinationis aeternae, resolvendo ab hoc ultimo procedat per illos septem gradus usque ad primum, quod primum principium perfectissime cognoscit omnia per se ipsum, quod est verum certissimum; ex quo cetera praedicta ratiocinando infallibiliter concluduntur.

Contingentia primum.

Sicut autem divinae cognitionis *certitudo* simul stat cum contingentia rerum cognitarum, quia simul est *simplicissima* et *perfectissima* divina sapientia; sic *unitas* simul stat cum multiformitate rationum et idearum ex eadem causa. Quia enim *perfectissima* est, ideo distinctissime[3] cognoscit universa et singula et illa omnia distinctissime et perfectissime repraesentat; et ideo singulorum dicitur habere rationes et ideas tanquam rerum similitudines perfectissime expressivas. — Quia vero *simplicissima* est, ideo omnes similitudines illae sunt unum in ipsa. Unde sicut Deus *una virtute* omnia producit ex tempore secundum omnimodam rerum integritatem, sic *una veritate*[4] omnia exprimit sempiternaliter. Et sicut una est in Deo altissimo, omnipotente *operatio activa* secundum rem, dicuntur tamen plures rerum productiones ratione pluralitatis productorum: sic una est *veritas* unius actus intelligentiae in Deo; dicuntur tamen plures similitudines, ideae et rationes ratione pluralitatis ideatorum vel *existentium*, vel *futurorum*, vel *possibilium*. Hae autem rationes vel ideae, licet sint una *veritas* et *lux* et *essentia*[5], non tamen dicuntur esse *una ratio* vel idea. *Ratio* enim vel idea dicitur ut *ad alterum* secundum rationem intelligendi. Nominat enim similitudinem cognoti, quae realiter tenet se ex parte Dei, licet secundum rationem intelligendi dicere videatur aliquid ex parte ideati.

Secundo.

Secundo.

De unitate rationum in multiplicitate rationum.

Primo.

Secundo.

Notandum.

Quid ratio.

Si autem hanc simile in creatura respiratur, dicendum, quod hoc est illius exemplaris *propinqua*: quia, sicut dictum est, simul est *simplex* et *infinitum* et *perfectissimum*, quae praeintellecta, cetera consequenter innotescunt. Quia enim exemplar illud est *simplicissimum et perfectissimum*, ideo actus purus; quia vero *infinitum et immensum*, ideo extra omne genus[6]. Et hinc est, quod existens unum, potest esse similitudo expressiva multorum.

Non est simile in creatura.

Cap. IX.

De voluntate Dei et providentia.

De *voluntate* autem Dei haec tenenda sunt, quod ipsa *sic est recta*, ut nullo modo possit obliquari; *sic est efficax*, ut nullo modo possit impediri; *sic est una*, ut tamen multiformiter habeat significari.

Tres propositiones.

Significatur enim divina voluntas, quae est voluntas *beneplaciti*, per voluntatem *signi* secundum quinque differentias signorum, quae sunt *praeceptio*, *prohibitio*, *consilium*, *impletio* et *permissio*; secundum quae disponuntur a voluntate *beneplaciti* quaecunque in universo fiunt. « Est enim voluntas Dei prima et summa causa omnium specierum ac motionum. Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter in ista totius creaturae amplissima quadam immensaque republica, quod non de interiore invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem institiam praemiorum atque poenarum, gratiarum et retributionum[7] ».

Una voluntas cum quinque signis.

---

[1] A addit *nunc et*. B H L O Q S *simul*. Subinde pro *possunt* B F H S *valent*, M *valeant*, et post *hinc est* A B E H M S ac 2 addunt *igitur*.

[2] A *hoc ultimum*. Inferius vocibus *ex quo* A B S praeeligunt *et*.

[3] Edd., excepta 2, addunt *et perfectissime*.

[4] Fide plurimorum codd. et 2 substituimus *veritate* pro *virtute*, quod contextui repugnat. Cfr. supra Quaest. de scientia Christi, q. 2 et 3; I. Sent. d. 35, q. 2. Mox post *altissimo* ex E H L M S supplevimus *omnipotente*, quod substituit A pro *altissimo*. Subinde pro *unius* B C G H K M O P Q T *nunc*.

[5] Edd., excepta 2, *lux in essentia*. Inferius pro *dicitur*, post quod B H addunt *esse*, A *dicit respectum*, et pro *ideati* M *cognoti*, B *ideati connotati*.

[6] Cfr. I. Sent. d. 8, p. II. q. 4.

[7] August., III. de Trin. c. 4, n. 9. Textus originalis et B vocibus *omnium specierum* interserunt *corporalium*, I *temporalium*. Vat., quam sequuntur 1, 3: Est enim... ille *visibile aut intelligibile* in ista... qualum *universaque* republica, quod non de *illa imperiali* aula etc. Post *sensibiliter* A H addunt *vel intelligibiliter*. — De voluntate Dei cfr. I. Sent. d. 45-48, ubi etiam quaedam de *providentia* divina tanguntur; plenius autem de ipso agit Alex. Hal., S. p. I. q. 26, per totam. — Post pauca verbis *rationes regulae* E H H interserunt *gubernata vel*.

Digitized by Google

Et quia ista voluntas, ratione regulata, dicitur *providentia*; hinc est, quod omnia, quae in universo fiunt, aguntur et reguntur divina providentia, quae per omnia est irreprehensibilis, quia nihil nisi iuste *praecipit*, *prohibet*, vel *consulit*; nihil *agit* nisi bene, nihil *permittit* iniuste.

Quid providentia.

Intelligentia autem et ratio praedictorum haec est. Primum principium, cum sit summe nobile, et *voluntatem* habet et *nobili modo* habet. Cum igitur voluntas de se dicat illud, secundum quod in *agentibus a proposito*[1] attenditur regula rectitudinis et efficacia operationis; necesse est, quod voluntas in Deo sit *rectissima* et *efficacissima*: ideo *rectissima*, quia idem est in Deo voluntas et veritas; ideo *efficacissima*, quia idem prorsus in Deo est *voluntas* et *virtus* sive potestas. — Et quia non potest divina voluntas carere *veritate*, ideo non tantum est *recta*, verum etiam *regula rectitudinis*. Quia vero nullo modo potest carere *virtute*, ideo non tantum est *efficax*, verum etiam *fons et origo totius efficaciae*; ita ut nihil sine illa possit effici, nihil contra illam possit fieri, nihil etiam sit, a quo valeat impedri.

Ratio.

Est recta et efficax.

Est regula rectitudinis et origo efficacias.

Et quia *rectissima* est, nullus potest esse rectus, nisi conformetur ei[2]; nullus autem potest ei conformari, nisi voluntas illa innotescat sibi: oportuit ergo, voluntatem divinam ut regulam rectitudinis notificari nobis. Rectitudo autem quaedam est *necessitatis*, et haec est in faciendo bonum necessarium et declinando malum[3]; quaedam est *perfectionis*, et haec est in supererogando ultra debitum; et secundum hoc innotescit nobis per triplex signum, scilicet *praeceptionem*, *prohibitionem* et *consilium*; quod quidem significat divinum beneplacitum acceptare tanquam iustum; quod fit secundum divinum *praeceptum*, quod declinatur secundum divinum *prohibitionem* et adimpletur secundum divinum *consilium*. Signa vero haec infallibilia signa sunt divinae voluntatis, ut est regula rectitudinis.

De tribus signis primis.

Rursus, quia *efficacissima* est, nullo modo potest aliquis aliquid *efficere*, nisi ipsa operante et coefficiente; nullus *deficere* vel peccare potest, nisi ipsa iuste deserente[4]. Et secundum hoc duo sunt eius signa, scilicet *impletio*, quod est signum voluntatis ut efficientis; et *permissio*, quod est signum voluntatis iuste deserentis. Iuste autem deserit, quia iustum est, ut sic administret res, quas condidit, ut non infringat leges, quas indidit; et sic cooperetur « rebus, quas creavit, ut eas agere proprios motus sinat[5] »: et ideo, si liberum arbitrium ad utrumque vertibile de lege naturae in malum dimittat cadere, hoc non *permittit* nisi iuste.

De duobus signis.

Rursus, si per gratiam praeveniat et sustentet, nulli iniuriam facit; ideo non agit *iniuste* nec *omnino iuste* secundum exigentiam meritorum, quia merita ad hoc non sufficiunt; sed *gratis et misericorditer* et *quodam modo iuste*, quantum est ex condecentia bonitatis suae. Cum ergo damnat et reprobat, operatur secundum *iustitiam*; quando vero praedestinat, secundum *gratiam et misericordiam*, quae non excludit iustitiam[6]. Quia *ergo* omnes, secundum quod de massa perditionis erant, deberent damnari; ideo plures reprobantur quam eligantur, ut ostendatur, quod *salvatio* est secundum gratiam specialem, sed *damnatio* secundum iustitiam communem. Nullus ergo potest conqueri de divina voluntate, quia omnia agit rectissime, immo in omnibus debemus gratias agere et honorificare regimen divinae providentiae. — Si quis autem quaerat, quare magis omni peccatori nimus gratiae largiatur quam alteri, hic oportet silentium imponere humanae loquacitati et exclamare cum Apostolo[7]: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis eius consiliarius fuit, aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in saecula saeculorum. Amen.*

De iustitia in delinquentibus gratiae et reprobatione.

Quaestio incidens.

---

[1] De hac dictione cfr. tom. I. pag. 714, nota 3.

[2] Cfr. I. Sent. d. 48. — Superius voci *efficacissima* B H praemittunt *efficientiae vel* [H *et*], ubi M omitti *totius*.

[3] Respicitur Ps. 36, 27: Declina a malo et fac bonum.

[4] Vide II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. — Pro *operante* edd. et pauci codd. *cooperante*.

[5] August., VII. de Civ. Dei, c. 30: Sic itaque administrat omnia, quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat. — Pro *creavit*, quod plures codd. omittunt, plures alii (inter quos B L M S) *creat*.

[6] Cfr. Anselm., Proslog. c. 9-11, ex quo quaedam attulimus tom. IV. pag. 961, nota 3. — August., Enchirid. c. 99. n. 25: Sola enim gratia redemptos discernit a perditis, quos *in unum perditionis concreverat massam* ab origine ducta causa communis. — Ante *secundum gratiam* B L H repetunt *operatur*. Aliquanto inferius pro *in omnibus* B *de omnibus* (I. Petr. 4, 11: Ut in omnibus honorificetur Deus).

[7] Rom. 11, 33-36. Cfr. I. Sent. d. 41. a. 1. q. 2. — Paulo superius pro *manus gratiae* plures codd. et 2 *manus gratiae*, Vat. et 1, 3 *gratiam*.

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

De creatura mundi.

Cap. I.

De productione mundi totalis.

His summatim praeintellectis de Trinitate Dei, dicenda sunt aliqua de creatura mundi. Circa quam haec tenenda sunt in summa: videlicet quod universitas machinae mundialis producta est in *esse* ex tempore et de nihilo ab uno principio primo, solo et summo; cuius potentia, licet sit immensa, disposuit tamen *omnia in certo pondere, numero et mensura* [1]. — Haec generaliter intelligenda sunt circa rerum productionem, ex quibus veritas colligitur, et error rejudicatur. Per hoc enim, quod dicitur *ex tempore*, excluditur error ponentium mundum aeternum. Per hoc, quod dicitur *de nihilo*, excluditur error ponentium aeternitatem circa principium materiale. Per hoc, quod dicitur *ab uno principio*, excluditur error Manichaeorum ponentium pluralitatem principiorum. Per hoc, quod dicitur *solo et summo*, excluditur error ponentium, Deum produxisse inferiores creaturas per ministerium intelligentiarum. Per hoc autem, quod additur *in certo pondere, numero et mensura*, ostenditur, quod creatura est effectus Trinitatis creantis sub triplici genere causalitatis: *efficientis*, a quo est in creatura *unitas, modus* et *mensura; exemplaris*, a quo est in creatura *veritas, species* et *numerus; finalis*, a quo est in creatura *bonitas, ordo* et *pondus*. Quae quidem reperiuntur in omnibus creaturis tanquam vestigium Creatoris, sive corporalibus, sive spiritualibus, sive ex utrisque compositis.

De creatione in genere thesis contra 5 errores.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Ratio pro primis quatuor thesibus.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia ad hoc, quod sit ordo perfectus et status in rebus, necesse est, quod omnia reducantur ad unum principium, quod quidem sit *primum*, ut det ceteris *statum*; et *perfectissimum*, ut det ceteris omnibus *complementum* [2]. Quoniam igitur primum principium, in quo est *status*, non potest esse nisi *unum* solum; si mundum producit, cum non possit ipsum producere de se ipso, necesse est, quod producat *ex nihilo*. Et quia productio ex nihilo ponit *esse* post *non-esse* ex parte *producti*, et immensitatem in virtute producente ex parte *principii*, cum hoc sit solius Dei; necesse est, quod creatura mundi sit producta *ex tempore* ab ipsa *virtute immensa*, agente per se et immediate.

Rursus, quoniam principium perfectissimum, a quo manet perfectio universorum, necesse est agere *a se* et *secundum se* et *propter se* — quia nulla in agendo indiget extra se — necesse est, quod habeat respectu huiusmodi creaturae intentionem triplicis causae, scilicet *efficientis, exemplaris* et *finalis;* necesse est etiam, omnem creaturam secundum hanc triplicem habitudinem comparari ad causam primam. Omnis enim creatura constituitur in *esse* ab efficiente, conformatur ad exemplar et ordinatur ad finem; ac per hoc est *una, vera, bona; modificata, speciosa, ordinata; mensurata, discreta* et *ponderata;* est enim *pondus* inclinatio ordinativa [3]. — Et haec quidem generaliter dicta sunt de omni creatura, sive corporea, sive incorporea, sive ex utrisque composita, sicut est natura humana.

Ratio pro quinta thesi.

Causa triplex.

Proprietates mundi.

Cap. II.

De natura corporali quantum ad fieri.

Natura vero corporea modis considerandi est quantum ad *fieri*, quantum ad *esse* et quantum ad *operari* [4].

Tria considerandi.

De natura vero corporea quantum ad *fieri* haec specialiter tenenda sunt, quod sex diebus sit in *esse* producta, ita quod *in principio*, ante omnem diem *creavit Deus caelum et terram* [5]. — Prima vero die formatus est lux; secunda firmamentum factum est *in medio aquarum;* tertia die separatae sunt aquae a terra et congregatae *in locum unum*; quarta vero die caelum ornatum est luminaribus; quinta, aer et aqua volatilibus et piscibus; sexta die, terra animalibus et hominibus; *septima die requievit Deus*, non a labore nec ab opere, cum usque nunc operetur,

Quod fieri.

De sex diebus.

Explicatur requies.

---

[1] Sap. 11, 21. — De sapp. cfr. II. Sent. d. 1, p. 1. a. 1. et 2. De creatura sub triplici respectu ad Creatorem cfr. I. Sent. d. 3. p. 1. dub. 3, et Alex. Hal., S. p. II. q. 7. — Pro *disposuit* A II P *disponit*.

[2] Vide supra pag. 12, nota 9. et pag. 19, nota 8. — *Omnibus* omittitur a plurimis codd. et 2, sicut et paulo superius non paucl codd. omittunt *quidem*.

[3] Sive ut August., Enarrat. in Ps. 29, enarrat. 2. n. 10, ait: Pondus enim est impetus quidam cuiusque rei velut conatus ad locum suum. Cfr. supra p. I. c. 6. — Voci *discreta* A praefigit *numerata sive*, et inferius cum pluribus aliis codd. et 2 voci *composita* addit *sive* [alii et 2 *vel*] *constituta*.

[4] De his agitur in hoc c. 2. et 3. 4. 5.

[5] Gen. 1, 1. — Sep. locus est ibid. v. 6; tertius v. 9; quartus ibid. 2, 2. Suffitale respicitur Ioan. 5, 17: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. — Cfr. de his II. Sent. d. 12-17; de *ratione seminali* vide ibid. d. 7. p. II. a. 2. q. 1; d. 15. a. 2. q. 3. et dub. 1. et d. 18. a. 1. q. 2. seq.

Digitized by Google

sed a novarum specierum conditione; quia omnia fecerat vel in *simili*, sicut illa quae propagantur, vel in *seminali ratione*, sicut illa quae aliis modis introducuntur in *esse*.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est. Quia enim res manant a primo principio et perfectissimo; tale autem est *omnipotentissimum*, *sapientissimum* et *benevolentissimum*: ideo oportuit, quod sic producerentur in *esse*, ut in earum productione relucceret triplex nobilitas praedicta et excellentia. Et ideo triformis fuit operatio divina ad mundanam machinam producendam, scilicet *creatio*, quae appropriate respondet *omnipotentiae*; *distinctio*, quae respondet *sapientiae*, et *ornatus*, qui respondet *bonitati* largissimae. (Ratio. — Triformis operatio.)

Et quoniam *creatio* est de nihilo, ideo fuit *in principio*, ante omnem diem [1], tanquam omnium rerum et temporum fundamentum. (De prima.)

Rursus, quia *distinctio* corporum mundi attenditur secundum triplicem modum, ideo facta fuit per triduum. Est enim distinctio naturae *luminosae* a *perspicua et opaca*, et haec facta est in prima die in divisione lucis a tenebris; et est distinctio naturae *perspicuae* a *perspicua*, et haec facta est secunda die in divisione aquarum ab aquis; et est distinctio naturae *perspicuae* ab *opaca*, et haec facta est tertia die in divisione aquarum a terris. In his autem implicite datur intelligi distinctio caelestium et elementarium, secundum quod post [2] declarabitur. Sic igitur distinctio fieri debuit per triduum. (De secunda sec. triplicem modum.)

Et quia *ornatus* correspondet distinctioni, ideo similiter tribus diebus debuit consummari. Est enim ornatus naturae *luminosae*, et hic factus est quarta die in formatione stellarum, solis et lunae; et est ornatus naturae *perspicuae*, et hic factus est quinta die, in qua ex aquis facti sunt pisces et aves ad ornatum [3] aquae et aeris; est et ornatus naturae *opacae*, scilicet terrae, et hic factus est sexta die, in qua factae sunt bestiae, facta sunt et reptilia, facta est etiam ad consummationem omnium natura humana. (De tertia similiter.)

Haec autem omnia, licet potuerit Deus facere in instanti, maluit tamen per successionem temporum, tum propter distinctam et clarum repraesentationem potentiae, sapientiae et bonitatis; tum propter convenientem correspondentiam dierum sive temporum et operationum; tum etiam, ut sicut in prima mundi conditione fieri debebant seminaria operum fiendorum, sic fierent et praefigurationes temporum futurorum. — Unde in illis septem diebus quasi seminaliter praecessit distinctio omnium temporum, quae explicantur per decursum septem aetatum [4]. Et hinc est, quod sex diebus operum additur septimus quietis; qui dies non scribitur habere vesperam, non quia non habuerit dies illa noctem succedentem; sed ad praefigurandam animarum quietem, quae nunquam habebit finem. — Si autem diceretur alio modo, quod omnia essent simul facta [5]; tunc omnes hi septem dies referuntur ad angelicam considerationem. Verumtamen primus modus dicendi est magis Scripturae consonans et auctoritatibus Sanctorum, et qui praecesserunt, et etiam qui secuti sunt beatum Augustinum. (Corollarium. — De septimo die. — Alius modus sec. Augustinum.)

(Ratio tripliciter possunt correspondentes operum.)

Cap. III.

De natura corporali quantum ad esse.

De natura corporea quantum ad *esse* haec tenenda sunt, quod corporalis mundi machina tota consistit in natura *caelesti* et *elementari*, ita quod *caelestis* distincta est in tres caelos principales, scilicet empyreum, crystallinum et firmamentum. — Intra firmamentum autem, quod est caelum stellatum, continentur septem orbes septem planetarum, quae sunt: saturnus, iupiter, mars, sol, venus, mercurius, luna. — Natura vero *elementaris* in quatuor sphaeras distinguitur, scilicet ignis, aeris, aquae et terrae; et sic procedendo a summo caeli cardine usque ad centrum terrae, decem occurrunt orbes caelestes [6] et quatuor sphaerae elementares; ex quibus integratur et constituitur tota machina mundi sensibilis distincte, perfecte et ordinate. (Quod esse est duplex natura. — Tres caeli. — Septem orbes et planetae in tres. — Quatuor elementa. — Decem orbes in universo.)

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum natura *corporalis* ad perfectionem sui et expressionem sapientiae multiformis primi principii requirat multiformitatem formarum, sicut apparet in mineralibus, plantis et animalibus; necesse fuit ponere aliqua corpora *simplicia*, quae multiformiter *possent misceri* ad introductionem formarum multiformium; et talis est natura subiecta contrarietati, et haec est *elementaris*. Necesse etiam fuit, fieri naturam, per quam haberent haec contraria *in virtu conciliari*; et talis est natura elongata a (Ratio. — De natura elementari. — De caelesti.)

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 12. a. 2. q. 2; d. 1. p. I. dub. 2. et 4. — Superius pro *triformis* plures codd. *triplex*.

[2] Cap. 3. et 5. — Post *elementarium*, pro quo A E *elementorum*, B addit *rerum*.

[3] B D *ornamentum*.

[4] Vide supra Prolog. § 3. — De seq. propositione cfr. August., Epist. 55. (alias 119.) c. 10. n. 19. seqq.; IV. de Gen. ad lit. c. 9. n. 16. seqq.; ibid. c. 18. n. 31. seqq. exponitur, cur septimus dies nunc habuerit, non vesperam. — Ed. 4 *Unde in illis sex diebus... sex aetatum*. Superius pro *in prima* B *in ipsa*.

[5] Eccli. 18, 1: Qui vivit in aeternum creavit omnia simul. De hac secunda opinione Augustini cfr. II. Sent. d. 12. a. 1. q. 2, ubi etiam auctoritates aliorum Sanctorum allegatae sunt, et in solut. ad 2. alia datur istius loci interpretatio. Vide etiam infra c. 5. (pag. 223, col. I. et II.).

[6] Vide II. Sent. d. 2. p. II. a. 1. q. 1; d. 14. p. I. a. 1. q. 1. et p. II. a. 1. q. 3. in corp. De sphaera *ignis* cfr. ibid. pag. 321, nota 4. — Pro *occurrunt*, quod praebent B I S T V, alii codd. et edd. *concurrunt*. Superius pro *crystallinum* K *aqueum*, N *caelum medium*, H *et caelum medium scilicet crystallinum*. Inferius pro *sensibilis* C *materialis*.

Digitized by Google

contrarietate, cuiusmodi est natura *lucis et corporis supercaelestis* [1].

Et quoniam *mixtio* fieri non potest nisi per contraria agentia et patientia, ideo necesse fuit, duplicem contrarietatem fieri in elementis, scilicet quantum ad qualitates *activas*, quae sunt calidum et frigidum; et quantum ad *passivas*, quae sunt humidum et siccum. Et quia quodlibet elementum agit et patitur, ideo habet duas qualitates, unam activam et alteram passivam, ita tamen, quod unam principalem et propriam: ac per hoc necesse est, tantum quatuor esse elementa secundum quatuor qualitates praedictas, quadrupliciter combinatas. Quatuor elementa et qualitates.

Natura vero *caelestis* aut est *uniformis et immobilis*, et haec est empyreum, quia *lux pura;* aut *mobilis et multiformis*, et sic *firmamentum;* aut *mobilis et uniformis*, et sic caelum medium inter empyreum et stellatum [2], quod est *caelum crystallinum*. Quartum autem membrum, scilicet quod sit multiforme et immobile, non potest stare, quia multiformitas disponit ad motus varietatem, non ad uniformem quietem. Tres caeli.

Sunt igitur tres caeli, quorum primum per totum est luminosum, scilicet *empyreum;* secundum per totum perspicuum, scilicet *crystallinum;* tertium ex utroque commixtum, scilicet *firmamentum*. Cum igitur tres sint caeli incorruptibiles et quatuor elementa variabilia; ut fiat debita connexio, concordia et correspondentia, disposuit Deus septem orbes planetarum, qui sua varietate motuum et incorruptibilitate formarum quasi quoddam vinculum essent et iunctura inferiorum elementarium orbium et superiorum caelestium ad perficiendum et decorandum universum; quod secundum numerales proportiones [3] ordinatum dicitur et connexum denario caelestium orbium et quaternario elementorum, reddentibus ipsum proportionaliter tam pulchrum quam perfectum et ordinatum, ut suo modo suum repraesentet principium. Septem orbes planetarum.

Cap. IV.

De natura corporali quantum ad operari *et* influere.

Quantum vero ad *operari* hoc tenendum est de natura corporea, scilicet quod caelestia influunt in terrestria et elementaria quantum ad *distinctivam significationem temporum*, scilicet dierum, mensium et annorum. Sic enim dicit Scriptura [4], quod *sint in signa et tempora et dies et annos.* — Influunt etiam quantum ad *effectivam productionem* rerum generabilium et corruptibilium, scilicet mineralium, vegetabilium, sensibilium et corporum humanorum. — Sic tamen sunt in signa temporum et regimen operationum, ut non sint certa signa futurorum contingentium nec influant super liberum arbitrium per vim constellationum, quam dixerunt aliqui philosophi esse *fatum*. Quoad operari duplex influxus. Restrictio.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum in corporibus caelestibus propter proximitatem ad primum principium sit *lux, motus, calor* et *virtus* — *lux* ratione suae formae et speciei, *motus* respectu superioris influentis, *calor* respectu inferioris naturae suscipientis, *virtus* vero omnibus modis praedictis — cum, inquam, ita sit, caelestia corpora per *lumen* et *motum* sunt in *distinctiones temporum*, scilicet *dies*, secundum lucem solis et motum firmamenti; *menses*, secundum motum lunae in circulo obliquo [5]; *anni*, secundum motum solis in eodem circulo; *temporum* vero, secundum varium planetarum motum, distantiam et concursum, ascensum et descensum, retrogradationem et statum, ex quibus oritur diversitas in temporibus. Ratio. Quatuor in corporibus caelestibus. Distinguunt tempora.

Per *virtutem* autem et *calorem* influunt *ad productionem* eorum quae ex elementis generantur, excitando, promovendo, conciliando; ita quod secundum conciliationem contrariorum ab aequalitate remotam influunt in *minerala;* secundum conciliationem ab aequalitate minus longinquam, in *vegetabilia;* secundum conciliationem aequalitati proximantem, in *sensibilia;* secundum vero conciliationem aequalem, in *corpora humana*, quae disposita sunt ad nobilissimam formam, quae est anima rationalis [6]; ad quam ordinatur et terminatur appetitus omnis naturae sensibilis et corporalis, ut per eam quae est *forma, ens, vivens, sentiens* et *intelligens*, quasi ad modum circuli intelligibilis reducatur ad suum principium, in quo perficiatur et beatificetur [7]. Influunt ad productionem quadripliciter. Ad summum ordinatur totus natura sensibilis.

Et quoniam in illud tendit per liberum arbitrium, ideo quantum ad arbitrii libertatem praecellit omnem virtutem corporalem; ac per hoc cuncta mala sunt sibi servire, nihil autem sibi dominari habet nisi solus Deus, non fatum seu vis positionis siderum. Ad restrictionem.

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 14. p. I. a. 1. q. 2. fundam. 6. et in corp.; d. 17. a. 2. q. 2. — De mixtione et requisitis ad ipsam agit Aristot., I. de General. et corrupt. text. 43-90. (c. 6-III.) et ibid. II. text. 1. sequ. de elementis eorumque qualitatibus activis et passivis.

[2] M *et firmamentum stellatum.*

[3] Cfr. supra Quaest. de scientia Christi, q. 3. ad 8. Vide etiam Boeth., I. de Arithmetica, c. 1. seq. et II. c. 40. seqq.

[4] Gen. 1, 14. — De seqq. cfr. II. Sent. d. 2. p. II. a. 1. q. 2. et d. 14. p. II. a. 2. q. 2. seq.

[5] Scil. in zodiaco (vel a ζῴδιον i. e. parvum animal, eo quod signa zodiaci plerumque figuris expeimantur animalium; vel a ζωή i. e. vita, quasi secundum motum planetarum in isto circulo in sublunaribus sit omnis vita). Vide II. Sent. d. 14. p. II. dub. 4. — Pro *mensis* L *mensium.*

[6] Cfr. II. Sent. d. 45. a. 1. q. 3. et d. 17. a. 2. q. 2. seq. — Superius voci *contrariorum* K praemittit *elementorum* (vide rap. praeced.).

[7] Cfr. Rom. 8, 19. seqq., et tom. II. pag. 421, nota 4.

Digitized by Google

Et propterea indubitanter verum est, quod summus[1] finis omnium eorum quae sunt; et omnia corporalia facta sunt ad humanum obsequium, ut ex illis omnibus accendatur homo ad amandum et laudandum Factorem universorum, cuius providentia cuncta disponuntur. Haec igitur sensibilis corporalium machina est tanquam quaedam *domus* a summo opifice homini fabricata, donec ad *domum* veniat *non manufactam in caelis*[2]; ut, sicut *anima* modo ratione corporis et status mertii nunc est in terris, sic aliquando *corpus* ratione animae et status praemii sit in caelis. Corollarium.

Cap. V.

De modo describendi praedicta in sacra Scriptura.

Ex iam dictis colligitur, quod, sicut Deus res ordinate *condidit* quantum ad tempus et ordinate *disposuit* quantum ad situm; sic etiam ordinate *gubernat* quantum ad influentiam; et Scriptura ordinate *narrat* quantum ad doctrinae sufficientiam; licet non ita explicite describat distinctionem orbium nec caelestium nec elementarium, parum aut nihil dicat de motibus et virtutibus corporum superiorum et de mixtionibus elementorum et elementatorum, et quod plus est, nihil explicite narret de conditione superiorum spirituum, maxime cum describit istud universum in *esse* productum. De modo describendi in Scriptura.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum primum principium redeat se nobis cognoscibile et per *Scripturam* et per *creaturam*, per librum *creaturae* se manifestat ut principium *effectivum*, per librum *Scripturae* ut principium *reparativum*; et quia principium *reparativum* non potest cognosci, nisi cognoscatur et *effectivum*: ideo sacra Scriptura, licet principaliter agat de operibus *reparationis*, agere nihilominus debet de opere *conditionis*, in quantum tamen ducit in cognitionem primi principii efficientis et reficientis; et ideo ipsa est cognitio *sublimis* et *salutaris*: *sublimis*, quia de principio[3] *effectiva*, quod est Deus creator; *salutaris*, quia de principio *reparativo*, quod est Christus salvator et mediator. Scriptura sublimis et salutaris.

Rursus, quia *sublimis* est, utpote quia agit de primo principio et ente summo; ideo non descendit ad describendas speciales earum naturas, motus, virtutes et differentias; sed stat in generalitate quadam, in qua implicantur specialia, describendo scilicet conditionem mundi quantum ad dispositionem et influentiam quoad naturam luminosam, opacam et pervium in generalitate quadam. Primo agitur, quia sublimis.

Et quoniam primum principium, de quo agit, habet in *se ordinem naturae* in existendo, ordinem *sapientiae* in disponendo, *ordinem bonitatis* in influendo: ita quod *ordo naturae* habet simultatem et aequalitatem[4]; *ordo sapientiae* consderat prioritatem et posterioritatem; *ordo influentiae* superioritatem et inferioritatem: ideo ad insinuandum *ordinem naturae* determinat Scriptura, iuxta quod Deum operari decebat: quod *in principio*, ante temporis decursum, fuerit illa triplex natura de *non-esse* in *esse* producta, cum dicit[5]: *In principio creavit Deus* Tria in Deo. De ordine naturae.

---

[1] B addit *quadam modo*. Aristot., II. Phys. text. 24. (c. 2.): Summus enim quodam modo et nos finis. Cfr. II. Sent. d. 15 a. 2. q. 1. et d. 16. a. 1. q. 1. in corp. — Superius pro *virtutem* P *creaturam*. Inferius pro *cuncta* fere omnes codd. et 2 minus congrue *cetera*.

[2] Epist. II. Cor. 5, 1: Domum non manufactam, aeternam in caelis. — Mox I. V omittunt *modo*, S autem *nunc*. — In fine capituli A praedict longius additamentum, quod etiam in cod. 671. monasterii Admontensis et in cod. CXLII. monasterii Lambacensis (in Austria) invenitur. Comparatione horum codd. restituta, vitia innumerosque cod. propria a nobis emendata sunt, et sequens textus formatus: Influentia a corporibus in haec inferiora est per naturam lucis; illi autem multipliciter: aut enim influunt corpora superiora alterando tantum per naturam *luminis et splendoris*, ut in corporibus diaphanis est lumen in habitu et non in actu, fulgor autem completae irradiationis participatur ab influentia, ut luna splendorem habet ab aspectu solis. Aut influunt alterando per naturam *luminis et caloris*, ut in corporibus diaphanis sub suo toto actu non completis, sed possibilibus ad suos actus, sicut illi alteratio caloris et splendoris in elementis superioribus, ignis scilicet et aëris. Aut influunt per naturam *caloris* tantum, ut in corporibus opacis, sicut in terra et aqua per reflexionem radiorum ad terrenam soliditatem per angulos aequales, ex qua reflexione causatur diversitas caloris in diversis temporibus. Quarto modo influunt per naturam *caloris et humoris deferentis virtutem spiritualem*; et haec influentia diversificatur secundum diversos situs terrarum et secundum diversum aspectum planetarum et secundum cursum solis in zodiaco circulo; et ab ista influentia causantur diversae impressiones in aere, sicut venti, pluviae, nives, grandines, fulgura, tonitrua, colores iris, a sub descendens [cfr. tom. IV. pag. 979, nota 6.] et ascendens; et ab ista etiam influentia fit generatio mineralium in profundo terrae et generatio plantarum, qua horum omnium generatio fit per virtutem caelestem, incorporatam vapori, regentem operationem naturae ignis. Aut influunt per naturam *humoris deferentis virtutem spiritualem*, quae virtus occulte delata in humine regit vegetationem in plantis et complet generationem in seminibus [Monac. et Lambac. *sensibus*]; complet etiam generationem hominis, quia, sicut expositor super II. Physicorum [ait], generans particulare relinquit generatum, antequam completur, generans vero universale, sicut sol et reliquae stellae, complet et supplet et perficit generationem. Unde in II. Phys. [text. 26. c. 2.]: « Sol et homo generant hominem ». Et in libro Vegetalibium: Per virtutem stellarum fit forma in materia (cfr. Aristot., II. de Plantis, c. 1. alias 4: Virtute stellarum scilicet [provenient] illorum seminum species; sed materia necessaria aqua est etc.). Item, Albertinus: « Lux est virtus divina nobis deferens virtutem divinam fontis habens proprietatem ». Fontem igitur luminis invocemus, ut lucis suae radio mentis nostrae tenebras dissolvat et ab erroris nubilo nos reducat. — Haec explicatio alius partis, quae incipit: Per *virtutem* autem etc., sperta esse videtur. A Additamentum.

[3] Edd. cum pluribus codd. hic et paulo inferius [2 excepta] *de primo principio*.

[4] Cfr. I. Sent. d. 20. a. 2. q. 1. seq. et d. 19. p. 1. q. 4. — Post *habet* edd., excepta 2, addunt *in se*.

[5] Gen. 1, 1. — Seq. locus est ibid. v. 2. — Aliquanto inferius post *elevata* H P Q S addunt *supponitur*.

Digitized by Google

caelum et terram; et *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Ubi nomine *caeli* insinuatur natura luminosa; nomine *terrae*, opaca; nomine *aquae*, pervia sive perspicua, sive contrarietati subiecta, sive supra contrarietatem elevata. — Ubi etiam insinuatur Trinitas aeterna, scilicet Pater in nomine *Dei creantis*, Filius in nomine *principii*, Spiritus sanctus in nomine *Spiritus Dei*. — Et sic intelligendum est illud quod dicitur [1]: *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul;* non quia ea creaverit in chaos omnimodae confusionis, secundum quod fuxerunt poetae, cum produxerit hanc tripliceni naturam, *summum* in summo, *medium* in medio et *infimum* in infimo; nec etiam in *esse* omnimodae distinctionis, cum *caelum* esset perfectum, et *terra incompovita* [2], natura *media*, quasi medium tenens, nondum esset ad perfectam distinctionem deducta.

Insinuatur primo. Secundo. Explicatio Scripturae.

Ad insinuandum autem *ordinem sapientiae* in disponendo determinat, quod haec triplex natura non *simul* fuit *distincta* et *ornata*, sed iuxta triplicis naturae creatae exigentiam per triduum *distincta* et per triduum aliud *ornata;* ut, sicut Deus in principio tripliceni naturam simul creavit in primordio temporis, sic successione temporis in triplici mensura temporis, scilicet tripliciis diei, tripliceni faceret distinctionem naturae tripliciis creatae; et rursus in alio triduo, tripliceni ornatum tripliciis naturae distinctae.

De ordine sapientiae.

Ad insinuandum vero ordinem *bonitatis* in infinetulo determinat, quod haec triplex natura collocata est in mundo secundum *sub* [3] et *supra* iuxta suam *dignitatem* et *influentiam*. — Et quia *luminosum* plurimum habet de specie, ideo sibi debetur *circumferentia;* quia *opacum* minimum habet de specie, ideo sibi debetur *centrum;* quia vero [4] *pervia* tenet medium, ideo *medium* sortita est *situm*. Et quoniam natura *pervii et perspicui* communis est naturae caelesti et elementari, et rursus *luminosa* utrique convenit: ideo recte dicitur firmamentum factum *in medio aquarum* [5], non quia aquae supra caelos sint aquae fluxibiles, frigidae, graves et corruptibiles; sed quia subtiles et incorruptibiles, perviae et super omnem contrarietatem sublimatae, ac per hoc caelestis naturae et in caelestibus collocandae ratione *nobilitatis formae*.

De ordine bonitatis. Ratio collocationis primae.

Collocantur etiam ratione *virtutis* et *influentiae*. Quia enim omnis actio corporalis in rebus inferioribus regulam, originem et vigorem sumit a natura caelesti; cum duae sint qualitates activae, scilicet *calidum* et *frigidum* [6], et aliquod sit caelum principaliter influens et *calidum*, utpote caelum *sidereum* ratione luminositatis: congruum fuit, quod aliquod influeret super *frigidum*, et sic *crystallinum*. — Et sicut caelum *sidereum*, licet influat ad calorem, non tamen est formaliter calidum; sic etiam caelum, quod dicitur *aqueum* sive crystallinum, non est essentialiter frigidum. — Unde quod Sancti dicunt, quod aquae sunt ibi constitutae ad reprimendum calorem superiorum corporum et cetera similia, non secundum formalem praedicationem, sed secundum efficientiam et influentiam sunt intelligenda. — Competit ergo conditio creaturae secundum ordinem praedictum ordini creatricis sapientiae et divinae Scripturae, quia est *scientia sublimis*.

Alia ratio collocationis. Nota.

Rursus, quia ipsa est *scientia salutaris;* ideo non determinat de opere conditionis nisi propter opus reparationis. Et quoniam Angeli sic conditi sunt, ut labentes nullatenus reparentur, sicut apparebit in sequentibus [7]; ideo locetur secundum litteram exteriorem Angelorum lapsus et conditio, quia non deleleat subsequi reparatio.

Secundo, quia salutaris. Litteri tacet de Angelis.

Quia vero *sublimitatem* Scripturae non decebat prorsus reticere de conditione sublimissimae creaturae; ideo sic sacra Scriptura describit rerum conditionem, iuxta quod exigit scientia *sublimis* et *salutaris;* ut tamen secundum *spiritualem* intelligentiam tota conditio *litteraliter* descripta *spiritualiter* referatur ad describendam hierarchiam angelicam et ecclesiasticam: ideo secundum *spiritualem* intellectum describitur in illis tribus naturis primo productis hierarchia *angelica* nomine *caeli* [8], et *ecclesiastica* nomine *terrae*, et *gratia*, per quam irrigatur utraque, nomine *aquae*.

De spirituali intelligentia quadrieris caelos.

Rursus, per *septenarium* dierum intelligitur septiformis Ecclesiae status secundum decursum septem aetatum [9]. Per eundem etiam septenarium intel-

Item, quod septenarium.

---

[1] Eccli. 18, 1.

[2] Secundum translationem septuaginta interpretum, Gen. 1, 2. Vulgata: Terra... vacua. — Edd., excepta 2, prosequuntur: *natura vero media*, quae etiam superius post *nec etiam* repetunt *creavit*. Inferius pro *deducta* plures codd. *praedicta* (cfr. II. Sent. d. 12. a. 1. q. 3.).

[3] Fide codd. et 2 omnimus *medium*, quod atque edd. hic addunt.

[4] Supple cum Vat., 1, 3 *natura*. De seq. propositione, in qua eadem edd. voci *pervii* praefigunt *corporis*, cfr. Aristot., II. de Anima text. 68. (c. 7.) et de Sensu et sens. c. 3. — Haec et quaedam alia dicta sunt iuxta opiniones tunc communes.

[5] Gen. 1, 6. — De natura et influentia aquarum supra firmamentum positarum sive caeli crystallini cfr. II. Sent. d. 14. p. 1. a. 1. q. 1, ubi etiam dictum Basilii occurrit (pag. 338, nota 3.), secundum quod aquae supra firmamentum « constitutae sunt ad reprimendum calorem » etc., ut aliquanto inferius dicitur. — Inferius pro *collocandae* S *collocatae*.

[6] Cfr. supra c. 3. — Inferius post *luminositatis* E I O addunt *suae*.

[7] Cap. 7. — Pro *nullatenus* A E F S *nullo modo*.

[8] Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. 11. c. 1. in fine et c. 1. seq.; Comment. ibid. p. 1. a. 2. q. 3. — Pro *intellectum* A H. M *intelligendum*.

[9] De quo supra in Prologo § 2. — In seq. propositione tangitur opinio Augustini docentis, per septem dies intelligi septemplicem considerationem sive illuminationem intellectus angelici respectu eorum quae in Scriptura diversis diebus narrantur creata. Cfr. II. Sent. d. 12. a. 1. q. 2. et d. 13. a. 1. q. 4, ubi etiam haec opinio eodem modo, sicut hic fit, cum sententia aliorum Sanctorum reconciliatur. — Inferius substantivus fide plurium codd., ut H I K L M, *quae sibi* pro *qui sibi*.

Digitized by Google

ligitur septiformis Angelorum conversio a creatura ad Deum. — Et sic ex praedictis apparet sufficientia et veritas Scripturae in diversis opinionibus Sanctorum, scilicet Augustini et aliorum, quae sibi non contradicunt, cum verae sint, si recte intelligantur.

Cap. VI.

De productione superiorum spirituum.

Tria considerandum. Consequenter vero agendum[1] est de natura spirituali et incorporea, cuiusmodi est angelica, de qua considerari oportet quantum ad *conditionem superiorum spirituum*, quantum ad *ruinam daemonum* et quantum ad *confirmationem bonorum Angelorum*.

Attributa principalia 4. Sciendum est igitur, quod Angelis a primordio suae conditionis quatuor sunt attributa, scilicet *simplicitas essentiae*, *personalis discretio*, propter rationem insitam *memoria*, *intelligentia et voluntas*, et *libertas arbitrii* ad eligenda bona et respuenda mala[2]. — Haec autem quatuor attributa principalia alia quatuor comitantur, scilicet *virtuositas* in operando, *officiositas* in ministrando, *perspicacitas* in cognoscendo et *immutabilitas* post electionem sive in bono, sive in malo. Quatuor principalia alia 4.

De duobus principaliter primis. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium, hoc ipso quod primum, omnia de nihilo produxit; ideo non tantum *prope nihil*, sed etiam *prope se*[3]; non tantum substantiam a se longinquam, scilicet naturam corpoream, producere debuit, verum etiam propinquam; et haec est substantia intellectualis et incorporea, quae hoc ipso, quod Deo simillima est, *simplicitatem* habet *naturae* et *discretionem personalem*, ut Deo assimiletur ex parte substantiae sive *communis*, sive *individuae*[4]. — Habet etiam in mente imaginem Trinitatis secundum *memoriam*, *intelligentiam* et *voluntatem*; habet etiam *libertatem voluntatis*, ut assimiletur Deo ex parte potentiae sive *naturalis*, sive *electivae*, ut sic potentia *naturalis* insignita sit Dei imagine, *electiva* vero arbitrii libertate. Nequaquam enim perveniret meritorie ad praemium gloriosum, quod facit quemque beatum, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium; hoc autem esse non potest nisi in substantia rationali, quam comitatur memoria, intelligentia et voluntas. Ubi autem est ratio, oportet, quod sit « rationalis naturae substantia individua[5] »; necesse est etiam, quod sit substantia spiritualis et incorporea, ac per hoc *simplex*, omni carens dimensione quantitativa. De duobus aliis.

De minus principalibus. Talis autem substantia hoc ipso, quod simplex, est *virtuosa in operando*[6]; hoc ipso, quod virtuosa et personaliter distincta, competit ei *distinctio officii in ministrando*; hoc ipso, quod simplex et virtuosa, competit ei *perspicacitas in discernendo*; hoc ipso, quod simplex et perspicax, habens *intellectum deiformem*[7]; ideo *stabilitatem* habet post electionem in electo sive in bono, sive in malo. — Et hae conditiones ipsam generalem conditionem superiorum spirituum generaliter comitantur.

Cap. VII.

De apostasia daemonum.

Thesis prima. De *apostasia daemonum* hoc tenendum est, quod Deus Angelos omnes fecit bonos, medios tamen inter se, summum bonum, et commutabile bonum, quod est creatura; ita quod, si converterentur ad annulum quod est *supra*, ascenderent ad statum gratiae et gloriae; si vero ad bonum commutabile, quod est *infra*, hoc ipso ruerent in malum culpae et poenae; quia non est « dedecus peccati sine decore institiae[8] ». — Thesis secunda. Primus inter Angelos lucifer, praesumens de privato bono, privatam appetiit excellentiam, volens aliis superferri; et ideo cecidit cum ceteris consentientibus sibi. Cadens autem factus est *impoenitens*, *obstinatus* et *obraecatus* et *exclusus a Dei contemplatione* et *deordinatus in operatione*, toto nitens commune ad *subvertendum hominem* per tentationem multiplicem.

Ad primam. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum primum principium sit summe bo-

---

[1] Pro *vero agendum*, quod plures codd. omittunt, E *decendum*, M *videndum*, et inferius pro *considerari* plures codd. et 2 *considerare*. — De his tribus agitur c. 6. 7. 8.

[2] Secundum Hug. a S. Vict., quem sequitur Magister Sent., II. Sent. d. III. c. 1. — Superius post *discretio* S addit *eo quod unus differt ab alio*, inferius post *immutabilitas* T subiungit *in perseverando*.

[3] August., XII. Confess. c. 7. n. 7: Tu eras, et aliud nihil; unde fecisti caelum et terram duo quaedam: unum prope te, alterum prope nihil. — Superius pro *produxit* plures codd. et 2 *producit*, H H *in esse producit*.

[4] Cfr. II. Sent. d. 3. p. I. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. seqq.

[5] Id est persona, secundum Boeth.; cfr. I. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. — Quod liberum arbitrium competat soli substantiae rationali, fusius ostenditur II. Sent. d. 25. p. I. q. 1. — Superius pro *quemque* M *quantibet*, Vat., 1, 3 *quemquam*. Inferius pro *dimensione* codd. cum pluribus codd. *diversione*, multi codd. sunt dubiae lectionis.

[6] Vide supra pag. 215, nota 1. (Lib. de Causis).

[7] Secundum Dionys.; cfr. tom. II. pag. 50, nota 1. et pag. 177, nota 5. (allegatus in solvendis quaest. de obstinatione voluntatis daemonum). — Immediate post 1 et 2 prosequuntur: *ideo post electionem stabilientem stabilitatem habet in electo* etc. (terminus *stabilientem* occurrit etiam in Q).

[8] August., III. de Lib. Arb. c. 15. n. 44, docet, nullo temporis intervallo peccatum a poena esse divisum, « ne vel puncto temporis universalis pulcritudo turpetur, ut sit in ea *peccati dedecus sine decore vindictae* ». Ibid. II. c. 19. n. 53. insinuatur definitio peccati: Aversio ab incommutabili bono et conversio ad mutabilia bona. — Quod Deus Angelos non creaverit malos, ostenditur II. Sent. d. 3. p. II. a. 1. — De peccato luciferi et minorum angelorum vide ibid. d. 5. a. 1. et 2. — De loco, in quem ceciderint, cfr. ibid. d. 6. a. 2. — De potestate tentandi homines vide ibid. d. 8. p. II. per totum. — Superius post *amandum* A addit *summum bonum*, et O *bonum incommutabile*.

Digitized by Google

num, nihil facit, quod non sit bonum; quia a bono non procedit nisi bonum[1]; quod tamen fit ab ipso hoc ipso minus est eo, et ideo non potest esse summum bonum. Fuit igitur Angelus a Deo conditus bonus quidem, sed non summus, perfectibilis tamen, si affectu tenderet in summum.

Ad secundam. Et quoniam per liberum arbitrium voluntatis poterat tendere in bonum summum, vel converti ad bonum privatum; lucifer, suae pulcritudinis et altitudinis consideratione excitatus ad se diligendum et Propter pecccatum. summum privatum bonum, *praesumsit* de altitudine habita et *ambivit* excellentiam proprium, non tamen obtentam; ac per hoc *praesumendo* constituit se sibi principium, in se ipso gloriando; et *ambiendo* constituit se sibi summum bonum, in se ipso quiescendo. Cum autem ipse nec summum esset principium nec summum bonum; necesse fuit, quod inordinato ascensu[2] iueret; pari ratione et omnes in Poena in cadendo. hoc consentientes. — Et quia « non est decorus peccati sine decore institutio »; ideo statim, cum cecidit in peccatum, cum reteris adhaerentibus sibi perdidit locum summum, scilicet empyreum, descendens ad imum, scilicet caliginosum aereum, vel inferium, ita quod lapsus in culpam fuit per liberum arbitrium, lapsus vero in poenam per divinum iudicium. — Et Quadruplex immutatio. quoniam immutabilitatem habebat post electionem, ideo statim *obstinatus* est in malo, et per hoc *excaecatus* a vero et *desordinatus* est in operatione et *infirmatus* in virtute: ideo *voluntas* eius impia et *actio* aversa a Deo conversa est ad hominis *odium* et *incidiam*; et *perspicacitas* rationis a vero lumine excaecata conversa est ad *decepciones* per divinationes et cautelas[3]; et *officiositas* in ministrando a vero ministerio amota conversa est ad tentamenta: et *virtuositas* imminuta et coarctata, quantum permittitur, convertitur ad miraculia facienda per transmutationes repentinas, quas facit circa corpoream creaturam. — Et quia haec omnia desordinata sunt per voluntatem depravatam per superbiam; ideo haec omnia convertit ad fomentum suae superbiae, quaerens ab hominibus coli et adorari ad modum Dei. Hinc est, quod « omnia male agit[4] »; quod tamen iuste Deus modo permittit ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, sicut apparebit per finale iudicium. Iustitia divina.

Cap. VIII.

De confirmatione bonorum Angelorum.

De *confirmatione* vero Angelorum hoc tenendum est, quod sicut angeli *a Deo aversi* statim sunt obstinati per impoenitentiam; sic *ad Deum conversi* statim fuerunt *confirmati* per gratiam et gloriam in Immutabilitas quod 1 attributa. voluntate, perfecte *illuminati* in ratione secundum cognitionem *mutatinam* et *respectivam*, perfecte *fortificati* in virtute sive *imperativa*, sive *exsecutiva*[5], et perfecte *ordinati* in operatione sive *contemplativa*, sive *ministrativa*; et hoc secundum *triplicem* hierarchiam, scilicet supremam, mediam et infimam. Secundum triplicem hierarchiam.

Ad supremam autem spectant Throni, Cherubim et Seraphim; ad mediam Dominationes, Virtutes et Potestates; ad infimam Principatus, Archangeli, Angeli. Ex quibus plurimi sunt *in ministerium missi*[6] et ad custodiam hominum deputati, quibus ministrant purgando, illuminando et perficiendo, secundum imperium voluntatis Dei. Novem ordines Angelorum.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum Angeli propter expressam similitudinem et propinquitatem ad primum et summum principium habeant *intellectum deiformem*[7] et *immutabilitatem* post consensum ex libertate arbitrii; divina supervenente gratia, ad summum bonum conversi, cum totaliter in Deum tenderent, per gloriam fuerunt *confirmati* pariter et *perfecti*: ideo quantum Ratio. Pro intellectu. Ob vel voluntatem et intellectum.

---

[1] Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 19: Neque enim ignis est infrigidare, neque boni non bona producere. Cfr. tom. II. pag. 113, nota 7. — Inferius pro *voluntatis* B I K M O Q V *voluntas*, et pro *excitatus* plures codd. et 2 *excaecatus*. Subinde post *principium* Vat. et 1, 3 cum uno alterique cod. (M a secunda manu) addunt *summum*.

[2] A D F L M O addunt *descensu*, F insuper substituit *appetitu* pro *ascensu*. Vat. et 1, 3 legunt: *ut inordinato ascensu appetitu, descensu iueret*; alii codd. et 2 exhibent nostram lectionem.

[3] Du Cange, Glossarium etc.: *Cautela*, *cautelis*, *cautella* saepius in malam partem accipiuntur pro fraude, astutia, dolo. — B *incantationes*, T *cantationes*. Superius post *et actio*, quod G et 2 omittunt (B omittit tantum *actio*) A repetit *eius*. Inferius pro *tentamenta* A *tentandum*. Porro cum A B I K (M a secunda manu) substituimus *immutata* pro *immutabilia* (B *immutata et immutabilia*).

[4] Ut dicit Glossa apud Petr. Lombard. in II. Cor. 6, 15. Cfr. tom. III. pag. 194, nota 4. — Superius pro *hominibus* F M O P et 2 *omnibus*. Mox edd. cum plurimis codd. legunt: *quod tamen iusto iudicio Deus* [P addit *modo*] *permittit*. Nostra lectio est in S et confirmatur a B C D G K, qui eo differunt, quod *modo* (i. e. *nunc*) ponunt ante *Deus* et habent *iusto*.

[5] Ita B H M, quorum lectio per explicationem huius membri inferius datam approbatur; C P *imperativa sive operativa*, Q *sive mutativa imperativa sive exsecutiva, expeditiva* (cfr. circa finem explicationis), alii codd. et edd. *sive mutativa sive operativa*. Superius voci *Angelorum* I praemittit *beatorum*, edd. *bonorum*.

[6] Hebr. 1, 14. — De triplici actu hierarchico, scil. purgandi, illuminandi et perficiendi, ex Dionysio sumto, cfr. tom. II. pag. 127, nota 2, et pag. 267, nota 4. — Quae hic summatim tangunuur, plenius exponuntur in II. Sent., scil. d. V. lit. Magistri, c. 1. sequ., et ibid. Comment. a. 3. q. 1. seq.; d. VII. lit. Magistri, c. 1-4, ac ibid. Comment. p. 1. a. 2. q. 3. de *confirmatione* Angelorum; d. 3. p. II. a. 2. q. 1. seq. et d. 4. a. 3. q. 1. seq. de eorum *coniunctione*; d. 9-11. de eorum *ordinibus*, *missione* et *ministerio* sive custodia respectu hominum.

[7] Cfr. supra pag. 224, nota 7. — Mox pro *immutabilitatem* I *immutabilem*. Subinde pro *ex libertate arbitrii* plures codd. *ex* [P in] *libero arbitrio*, et B verbo *tenderent* praefigit *convertereutur sicc*.

ad *voluntatem* fuerunt *stabiles et felices;* quantum ad *rationem, perspicaces,* ita ut non tantum cognoscerent res in *proprio genere,* sed etiam in *arte,* ac per hoc non tantum haberent cognitionem *vespertinam,* sed etiam *matutinam,* vel etiam *diurnam,* propter illius lucis plenitudinem et omnimodam puritatem, respectu cuius omnis creatura merito potest dici tenebra[1]. — Quantum autem ad *virtuositatem* perfecte *fortificati* sive in *imperando,* sive in *exsequendo,* vel assumto corpore, vel etiam non assumto. — Quantum vero ad *operationem* perfectissime *ordinati,* ut iam non possint deordinari nec *ascendendo* ad contemplationem Dei nec *descendendo* ad ministrandum hominibus; quia, cum Deum *facie ad faciem*[2] contemplentur, quocumque mittantur, intra Deum currunt.

Quoad virtuositatem. — Quoad operationem.

Aguntur enim et agunt secundum ordinem hierarchicum in eis *initiatum* per naturam et *consummatum* per gloriam, quae, stabiliendo liberi arbitrii *vertibilitatem,* illustravit *perspicacitatem,* ordinavit *officiositatem* et roboravit *virtutem,* secundum quatuor attributa superius[3] nominata. — *Perspicacitas* autem rationis in contemplando aut principaliter respicit ad *maiestatem* divinam *veneranda,* aut ad *veritatem intelligenda,* aut ad *bonitatem desideranda;* et secundum hoc sunt tres ordines in prima hierarchia, scilicet *Throni,* ad quos *reverentia;* *Cherubim,* ad quos *sapientia,* et *Seraphim,* ad quos spectat *benevolentia.* — Ad perfectam autem *virtuositatem* spectat virtus *imperativa,* virtus *exsecutiva* et virtus *expeditiva*[4]. Prima ad *Dominationes,* secunda ad *Virtutes,* tertia vero ad *Potestates* spectat, quarum est arcere potestates contrarias. — Ad perfectam *officiositatem* spectat *regere, revelare* et *reconcinnare.* Primum est *Principatuum,* secundum *Archangelorum* et tertium *Angelorum,* qua custodiunt, ne stantes cadant, et cadentes adiuvant, ut resurgant. — Et sic patet, quod haec omnia sunt in Angelis secundum plus et minus, gradatim a superioribus descendendo usque ad ima. Ordo autem denominari debet ab eo quod « excellentius accepit in munere[5] ».

Triplex hierarchia. — Ordinatio novem ordinum secundum tres. — Unde nominatur ordo.

Cap. IX.

De productione hominis quantum ad spiritum.

Post naturam corpoream et incorpoream dicenda sunt aliqua de natura ex utrisque[6] composita, primo ex parte *mentis,* secundo ex parte *carnis,* tertio ex parte *totius hominis.*

De *anima* igitur *rationali* haec in summa tenenda sunt secundum sacram doctrinam, scilicet quod ipsa est forma *ens, vivens, intelligens* et *libertate utens.* Forma quidem *ens* non a se ipsa nec de divina natura, sed a Deo de nihilo per creationem in *esse* deducta. — Forma autem *vivens;* non ex natura extrusera, sed se ipsa; non vita mortali, sed vita perpetua. — Forma vero *intelligens* non tantum creatam, sed etiam « creatricem essentiam[7] », ad cuius imaginem facta est per memoriam, intelligentiam et voluntatem. — Forma quoque *libertate utens,* quia semper est libera a *coactione;* a *miseria* vero et *culpa* libera fuit in statu innocentiae, licet non in statu naturae lapsae; haec autem libertas a *coactione* nihil aliud est quam facultas voluntatis et rationis, quae sunt potentiae animae principales[8].

Anima est forma cum 4 conditionibus. — Triplex libertas.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum primum principium sit *beatissimum* et *benevolentissimum;* ideo sua summa benevolentia beatitudinem suam communicat creaturae, non tantum *spirituali* et proximae, sed etiam *corporali* et longinquae. *Corporali* tamen et longinquae communicat *mediate,* quia « lex divinitatis haec est, ut infima per media reducantur ad summa[9] ». Et ideo non tantum spiritum angelicum et separatum fecit beatificabilem, sed etiam spiritum coniunctum, sci-

Ratio.

---

[1] Secundum August.; cfr. tom. II. pag. 141, nota 5. — De corpore ab Angelis assumto cfr. II. Sent. d. 8. p. 1. per totum. — B *tenebrosa vel tenebra.* Superius pro *in arte* edd., excepta 2, *in ipsa arte aeterna,* quae etiam Inferius post *in exsequendo* addunt *sive in contemplando.*

[2] I Cor. 13, 12. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 13: Et mittuntur igitur et assistunt; quia, etsi circumscriptus est angelicus spiritus, summus tamen spiritus ipse, qui Deus est, circumscriptus non est. Angeli itaque et missi et ante ipsum sunt, quia quoliet missi veniant, intra ipsum currunt. Cfr. II. Moral. c. 3. n. 3.

[3] Cap. 6. — De *numero* ordinum Angelorum eorumque officiis cfr. II. Sent. d. 9. Praenotata; ibid. q. 2. exponitur, quomodo ordinum distinctio sit a natura et a gratia (gloria). — Inferius voci *desideranda* P praefigit *amanda seu.*

[4] Libr. II. Sent. d. 9, Praenotata, triplex haec virtus consistere dicitur in *praesidendo, operando* et *resistendo.*

[5] Secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 14. Cfr. II. sent. d. 9. q. 4. — Superius pro *reverentia* B H *custodire,* et vocibus *in Angelis* edd. interserunt *beatis,* H *bonis.*

[6] B *ex utroque parte,* qui etiam inferius cum H *producta* pro *deducta.* — De his tribus agitur hic et 2 sequ. capp.

[7] Quo decidi modo utitur Anselm., Monolog. c. 14. — B *increatam essentiam.* Pro *creatam* B 108 et 1, 2 *creatorum,* nonnulli codd. *creata* [ratio]. Inferius ex H substituimus *et culpa* pro *et coactione,* quod alii codd. et edd. falso exhibent.

[8] Cfr. de his II. Sent., in quo d. 17. a. 1. q. 1. et d. 18. a. 2. q. 3. ostenditur, animam non esse a se nec de divina natura, sed ex nihilo productam; d. 19. a. 1. q. 1, ipsam esse immortalem; d. 16. per totam (cfr. I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1.), ipsam esse ad Dei imaginem factam; d. 25. p. 1. et II., eam esse praeditam libertate, quae est facultas rationis et voluntatis, libertate a coactione quidem semper, libertate a culpa et miseria vero non semper.

[9] Secundum Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 4. § 3, c. 8. § 2. et de Ecclesiast. Hierarch. c. 5. § 4. Cfr. tom. II. pag. 28, nota 3. — Superius pro *sua summa* A *suavissima* alii codd. omittunt *sua,* et *communicat* inferius ante *immediate.*

Digitized by Google

Est forma beatificabilis. licet humanum. Est igitur anima rationalis *forma beatificabilis*. Et quia ad beatitudinis praemium pervenire non est gloriosum nisi per *meritum*; nec mereri *contingit*, nisi in eo quod voluntarie et libere Et libera. fit: ideo oportuit, animae rationali dari *libertatem arbitrii* per remotionem omnis *coactionis*; quia hoc est de natura voluntatis, ut nullatenus possit *cogi*, licet per culpam *misera* efficiatur et serva peccati [1].

Rursus, quia forma beatificabilis est *capax* Dei per memoriam, intelligentiam et voluntatem; et hoc est esse ad imaginem Trinitatis propter unitatem in essentia et trinitatem in potentiis: ideo animam necesse fuit esse *intelligentem* Deum et omnia, ac per Est intelligens omnia. hoc Dei imagine insignitam. — Et quia nihil beatum potest beatitudinem amittere, nihil poterat esse beatificabile, nisi esset incorruptibile et immortale; necesse fuit, animam rationalem immortali vita de sui natura esse viventem. Est immortalis.

Postremo, quia omne, quod ab alio beatificabile est et immortale, est mutabile secundum *bene esse* et incorruptibile secundum *esse*; ideo anima nec *a se* est nec *de divina natura*, quia *mutabilis*; nec *producta de aliquo* nec *per naturam generata*, quia est *immortalis* et incorruptibilis; et ita haec forma non Est creata. potest per generationem in *esse* introduci, quia omne naturaliter generabile est naturaliter *corruptibile* [2]. — Ex his apparet, qualiter finis beatitudinis necessitatem imposuit praedictarum conditionum ipsi animae ad beatitudinem ordinatae.

Quoniam autem ut beatificabilis est immortalis; ideo, cum unitur mortali corpori, potest ab eo separari; ac per hoc non tantum *forma* est, verum etiam Est substantia prima. *hoc aliquid* [3]; et ideo non tantum unitur corpori ut *perfectio*, verum etiam ut *motor*; et sic *perficit* per Est perfectio et motor. essentiam, quod *movet* pariter per potentiam. Et quoniam ipsa non tantum dat *esse*, verum etiam *vivere* et *sentire* et *intelligere*; ideo potentiam habet *vegetativam*, *sensitivam* et *intellectivam*, ita quod per potentiam *vegetativam* generat, nutrit et augmentat: generat ut *quid*, nutrit ut *quale*, augmentat ut *quantum* [4]. — Per *sensitivam* apprehendit sensibilia, retinet apprehensa, componit et dividit retenta: *apprehendit* quidem per sensitivam exteriorem quinque portitam secundum correspondentiam ad quinque mundi corpora principalia [5]; *retinet* per memoriam, *componit* et *dividit* per phantasiam, quae est prima virtus collativa. — Per *intellectivam* autem *discernit* verum, *refugit* malum et *appetit* bonum: verum quidem *discernit* per rationalem, malum *repellit* per irascibilem, bonum *appetit* per concupiscibilem [6].

Rursus, quia *discretio veri* est cognitio, *fuga* et *appetitus* est affectio; ideo tota anima dividitur in *cognitivam* et *affectivam*. Divisio animae totius.

Amplius, quoniam *cognitio* veri est duplex: vel veri ut *veri*, vel veri ut *boni*; et hoc vel *aeterni*, quod est supra animam, vel *temporalis*, quod est infra: hinc est, quod potentia cognitiva, utpote intellectus et ratio, dividitur ita, quod *intellectus* in speculativum et practicum, *ratio* in superiorem portionem et inferiorem; quae potius nominant diversa *officia* quam diversas *potentias* [7]. Divisio intellectus.

Postremo, quoniam *appetitus* dupliciter potest ad aliquid ferri, scilicet secundum *naturalem instinctum*, vel secundum *deliberationem* et arbitrium; hinc est, quod potentia *affectiva* dividitur in voluntatem *naturalem* et voluntatem *electivam*, quae proprie *voluntas* dicitur [8]. Et quoniam talis electio indifferens est ad utrumque partem, ideo est a *libero arbitrio*. — Et quia haec indifferentia consurgit ex deliberatione praeambula et voluntate adunata: hinc est, quod *liberum arbitrium* est facultas rationis et voluntatis; ita quod, sicut dicit Augustinus, omnes praedictas rationales potentias comprehendit. Ait enim [9]: « Cum de libero arbitrio loquimur, non de parte animae loquimur, sed certe de tota ». Ex concursu enim illarum potentiarum, rationis supra se ipsam redeuntis et voluntatis concomitantis, consurgit integritas libertatis, quae est principium meriti, vel demeriti, secundum electionem boni, vel mali. Divisio voluntatis. Quid liberum arbitrium.

Cap. X.

De productione hominis quantum ad corpus.

De *corpore* vero humano in statu primae conditionis tenenda sunt haec secundum doctrinam fidei

---

[1] Ioan. 8, 34: Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXV. c. 8. — Bernard., serm. 81. in Cantic. n. 6: Ubi autem non est libertas, nec meritum. Vide tom. III. pag. 350, nota 9. et pag. 381, nota 1.

[2] Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 126. (c. 12.): Generabile enim et corruptibile sequuntur se invicem. — Inferius pro *Quoniam autem* O *Quoniam anima*, I legit *Quoniam autem natura beatificabilis* etc.

[3] Scil. *prima* seu singularis substantia, secundum Aristot.; cfr. tom. IV. pag. 273, nota 3; II. Sent. d. 15. a. 1. q. 1. et d. 17. a. 1. q. 2. — Aristot., II. de Anima, text. 24. (c. 2): Anima autem id est, quo vivimus et sentimus et movemur et intelligimus primo.

[4] Cfr. Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 39. seqq. (c. 5.) et II. de Anima, text. 47. seqq. (c. 4.).

[5] Explicatur hoc ab E H, qui adiunxit: *Terra* correspondet tactui, *aqua* gustui, *aër* auditui, *ignis* [vapor] odoratui, *quinta essentia* sive quintum corpus, quod comprehendit totam luminosam sanam cum orbibus et sphaeris suis suosum ab elemento ignis usque ad caelum empyreum inclusive, correspondet visui. Cfr. de hoc Ioan. de Rupella, Sum. de anima, p. II. c. 11, qui allegat August., III. de Gen. ad lit. c. 4. n. 6. Vide tom. II. pag. 319, nota 8.

[6] Vide tom. III. pag. 379, nota 9. verba auctoris libri de Spiritu et anima.

[7] Vide II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 1. seqq., et Damasc., II. de Fide orthod. c. 22. — Ex AHM et 2 substituimus *dicitur* pro *dividuntur*.

[8] Cfr. II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 3.

[9] Libr. III. Hypognosticon (inter opera August.), c. 5. n. 7: Cum de libero arbitrio agimus, non de parte hominis agimus, sed de toto (Cfr. II. Sent. d. 25. p. 1. q. 3.). — P omittit *certe*.

Digitized by Google

Tria de corpore. orthodoxae, videlicet quod corpus primi hominis sic constitutum fuit et *de limo terrae*[1] formatum, ut tamen esset animae *subiectum* et suo modo *proportionabile*, *proportionabile*, inquam, quantum ad *complexionem* aequalem, quantum ad *organizationem* pulcherrimam et multiformem et quantum ad *rectitudinem staturae*; *subiectum* autem, ut esset *obtemperans* sine rebellione, esset etiam *propagans* et propagabile sine libidine, esset *vegetabile* sine defectione, esset etiam *immutabile* ad[2] omnimodam incorruptionem, non intervenente morte; et secundum hoc datus est sibi locus paradisi terrestris in habitationem tranquillam. — Formata est *mulier* de latere viri in consortium et adiutorium ad propagationem immaculatam; datum est etiam *lignum vitae*[3] ad vegetationem continuam, et tandem ad immutationem perfectam per immortalitatem perpetuam.

Proportionabile triplicitor. Subiectum quadruplicitor. Mulier. Lignum vitae.

Ratio autem ad intelligentiam praeliborum hanc est: quia, cum primum principium sit in producendo potentissimum, sapientissimum et optimum, et in omnibus effectibus suis hoc aliquo modo manifestet; potissime debuit hoc manifestare in ultimo effectu et nobilissimo; cuiusmodi est homo, quem inter reliquas creaturas produxit ultimo, ut in hoc potissime appareret et relucret divinorum operum consummatio.

Ratio.

Ut igitur in homine manifestaretur Dei *potentia*, ideo fecit eum ex naturis maxime distantibus, coniunctis in unam personam et naturam; huiusmodi sunt corpus et anima, quorum unum est substantia corporea, alterum vero, scilicet anima, est substantia spiritualis et incorporea; quae in genere substantiae maxime distant[4].

Manifestatur Dei potentia.

Ut vero idem manifestaretur Dei *sapientia*, fecit tale corpus, ut *proportionem* suo modo haberet ad animam. Quoniam ergo corpus unitur animae ut *perficienti* et *moventi* et *ad beatitudinem sursum tendenti*[5]; ideo, ut conformaretur animae *vivificanti*, habuit *complexionem* aequalem non a *pondere*, vel *mole*, sed ab *aequalitate naturalis instituae*, quae disponit ad nobilissimum modum vitae. — Ut autem conformaretur *moventi* per multiformitatem potentiarum, habuit *multiformitatem organorum* cum summa venustate et artificiositate et ductibilitate; sicut patet in facie et in manu, quae est « organum organorum[6] ». — Ut autem conformaretur animae *sursum tendenti ad caelum*, habuit *rectitudinem staturae* et caput sursum erectum; ut sic corporalis rectitudo mentali rectitudini attestaretur.

Deus sapientia. Distinctio. Membrum 1. Membrum 2. Membrum 3.

Postremo, ut in homine manifestaretur Dei *bonitas* et benevolentia, ideo fecit hominem absque omni macula et culpa et absque omni poena sive miseria. Cum enim primum principium simul sit *optimum* et *iustissimum*; quia *optimum*, non debuit facere hominem nisi bonum, ac per hoc innocentem et rectum[7]; quia *iustissimum*, poenam non debuit infligere ei qui nullum omnino habebat peccatum: ac per hoc tale corpus constituit illi animae rationali, quod ita sibi esset *obtemperans*, ut nulla esset in eo pugna rebellionis, nulla promitas libidinis, nulla minutio vigoris, nulla corruptio mortis; ita etiam esset *animae conforme*, ut, sicut anima erat immortalis, et tamen poterat cadere in culpam, sic corpus esset impassibile, et tamen posset cadere in poenam; et ideo « poterat non mori, et poterat mori[8] »; poterat habere sufficientiam, et poterat habere indigentiam; poterat animae obtemperare, et poterat etiam adversus eam rebellionem et pugnam habere.

Item bonitas. Status primativus.

Et propterea in statu illo corporis erat tale, ut ab eo fieret *decisio seminalis* ad propagationem prolis per adminiculum sexus muliebris pariter comprincipiantis; fieret etiam *humoris nutrimentalis consumptio* per actionem caloris; fieret etiam nihilominus *restauratio* per abundantiam lignorum paradisi, restauratio per lignum vitae, seu praeservato humido radicali; quod quidem lignum hanc virtutem habuit, ob quam, ut dicit Augustinus[9], fuit non solum in cibum, verum etiam in Sacramentum. — Incorruptio igitur et immortalitas corporis Adae principaliter veniebat ab *anima* sicut a continente et influente, a *corporis bona et aequali complexione* sicut a disponente et susciptente, a *ligno* autem *vitae* sicut a

De materia carnis et ligno vitae. Origo immortalitatis.

---

[1] Gen. 2, 7. — Pro *orthodoxae* plures codd. *authoritatem*.

[2] S habet *per*.

[3] Gen. 2, 9. — De formatione corporis humani ratione proportionabilitatis cfr. II. Sent. d. 17. a. 2. q. 1-3; de productione corporis mulieris de latere viri vide ibid. d. 18. a. 1. q. 1; de immortalitate corporis agitur ibid. d. 19. a. 2. q. 1. seq., et de propagatione eius ibid. d. 20. per totam. — Inferius pro *per* I O U V *et*. Subinde post *sapientissimum* I. U V addunt et *benevolentissimum*.

[4] Tipede supremae species substantiae.

[5] Cfr. cap. praeced. — De aequalitate *a pondere* et *a mole* cfr. II. Sent. d. 17. a. 2. q. 3.

[6] Aristot. supra pag. 161, nota 2. allegatus. — De seq. propositione cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 81. m. 2, qui ad ipsam evolvendam praeter alios adhibet Ovid., I. Metamorph. v. 84-86, et August., 83 Qq. q. 51. n. 3. — Inferius pro *mentali* Q S *mentis*.

[7] Eccle. 7, 30: Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum. Cfr. supra pag. 225, nota 1. — August., III. de Lib. arb. c. 18. n. 51: Omnis autem poena, si iusta est, peccati poena est etc. — Superius H. M omittunt *et culpa*, non pauci codd. et 2 autem *mortale et*.

[8] August., VI. de Gen. ad lit. c. 25. n. 36. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XIX. c. 1. seqq. — Inferius fide B H Q (M a secunda manu) supplevimus *animae*, et subinde fide A D D F H M S *etiam adversus eam* (Q *etiam adversus animam*).

[9] Idem, XIII. de Gen. ad lit. c. 4. n. 8: Erat ei ergo in lignis reliquis alimentum, in illo autem Sacramentum. Cfr. XIII. de Civ. Dei, c. 20. et VI. Op. imperf. contra Iulian. c. 30. — De *humido radicali* vide tom. I. pag. 316, nota 12. verba Scoti. — I. H legunt: *Fuit non solum in sustentationis cibum, verum etiam in Sacramentum; et hoc propter latentem virtutem eius, qua scilicet praeter sustentationem ipsius manifestam occultam virtutem, conservandi scilicet ipsos et omnes posteros, habuit, ne veterascerent et vetustate perirent*. Inferius pro *complexione* multi codd. et 2 *compositione*.

Digitized by Google

vegetante et adminiculante, a *regimine* vero *divinae providentiae* sicut interius conservante et exterius protegente.

Cap. XI.

De productione hominis quantum ad totum coniunctum.

Thesis quinque.

De *toto* autem *homine* in paradiso collocato[1] haec tenenda sunt, scilicet quod datus est ei duplex *sensus*, scilicet interior et exterior, mentis et carnis. — Datus est ei duplex *motus*, scilicet imperativus in voluntate et exsecutivus in corpore. — Datum est ei duplex *bonum*, unum visibile, alterum invisibile. — Datum est ei duplex *praeceptum*, scilicet *naturae* et *disciplinae*: praeceptum *naturae*: *Crescite et multiplicamini*[2]; praeceptum *disciplinae*: *De ligno scientiae boni et mali ne comedas*. — Iuxta quae datum est sibi *quadruplex adiutorium*, scilicet scientiae, conscientiae, synderesis et gratiae, ex quibus sufficienter laetatur, ut posset stare in bono et proficere et a malo cavere et declinare.

Ratio.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium fecit mundum istum sensibilem ad declarandum se ipsum, videlicet ad hoc, quod per illum tanquam per speculum et vestigium reduceretur homo in Deum[3] artificem amandum et laudandum. Et secundum hoc duplex est *liber*, unus scilicet scriptus *intus*, qui est aeterna Dei ars et sapientia; et alius scriptus *foris*, mundus scilicet sensibilis. Cum igitur esset una creatura, quae sensum habebat *intus* ad cognitionem libri *interioris*, ut Angelus; et alia, quae totum sensum habebat *foris*, ut quodlibet animal brutum: ad perfectionem universitatis debuit fieri creatura, quae hoc sensu duplici esset praedita ad cognitionem libri scripti *intus et foris*, id est Sapientiae et sui operis. Et quia in Christo simul concurrit aeterna Sapientia et eius opus in una persona; ideo dicitur *liber scriptus intus et foris*[4] ad reparationem mundi.

Duplex liber.

Duplex sensus.

Et quia cuilibet sensui respondet motus, ideo duplex datus est homini *motus*: unus secundum instinctum *rationis* in mente, alius secundum instinctum *sensualitatis* in carne[5]. Primi est *imperare*, secundi est *obtemperare*, secundum rectum ordinem; quando autem fit e converso, tunc rectitudo et regimen animae praecipitatur de statu suo.

Duplex motus.

Et quia cuilibet motui et sensui respondet appetitus ad aliquod *bonum*, ideo praeparatum est homini duplex *bonum*: « unum visibile, alterum invisibile; unum temporale, aliud aeternum; unum carni, alterum spiritui. Ex his bonis Deus unum dedit, alterum promisit, ut unum gratis possideretur, alterum per meritum quaereretur[6] ».

Duplex bonum.

Et quia frustra datur bonum, nisi custodiatur; frustra promittitur, nisi ad ipsum perveniatur: ideo duplex datum est homini *praeceptum*: unum *naturae* ad custodiendum bonum datum, alterum *disciplinae* ad promerendum bonum promissum, quod nullo modo melius poterat mereri quam per *meritum obedientiae*. *Obedientia* autem *mera* est, quando praeceptum ex se solo obligat, non ex aliqua alia causa; et tale dicitur *praeceptum disciplinae*, quia per ipsum discitur, quanta sit virtus obedientiae, quae suo merito ducit ad caelum, suo vero contrario[7] praecipitat in infernum. Non ergo datum est illud mandatum homini propter indigentiam aliquam, quam Deus haberet de humano obsequio; sed ad dandam viam merendi coronam per meritum et voluntariam obedientiam.

Duplex praeceptum.

Quid mera obedientia.

Et quoniam homo ratione naturae defectivae, ex nihilo formatae nec per gloriam confirmatae poterat cadere; benignissimus Deus *quadruplex* ei contulit *adiutorium*: duplex *naturae* et duplex *gratiae*. Duplicem enim indidit rectitudinem ipsi *naturae*: unam ad recte iudicandum, et haec est *rectitudo conscientiae*; aliam ad recte volendum, et haec est *synderesis*[8], cuius est remurmurare contra malum et stimulare ad bonum. — Duplicem etiam superaddidit perfectionem *gratiae*: unam gratiae *gratis datae*, quae fuit scientia illuminans intellectum ad cognoscendum se ipsum, Deum suum et mundum istum, qui factus fuerat propter ipsum; aliam gratiae *gratum facientis*, quae fuit caritas habilitans affectum ad diligendum Deum super omnia et proximum

Quadruplex adiutorium.

De synderesi.

Duplex gratia.

---

[1] Definimus cum Vat., I et 3 *collocato*, pro quo codd. et 2 *formato*; sed Gen. 2, 8. dicitur: In quo [paradiso] posuit hominem, quem formaverat. Cfr. II. Sent. d. 17. dub. 2, ubi ratio affertur, propter quam homo *extra* paradisum productus sit.

[2] Gen. 1, 28. — Seq. locus est ibid. 2, 17. — Inferius respicitur Ps. 36, 27: Declina a malo et fac bonum. — De duplici bono cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XX. c. 6; de duplici praecepto vide ibid. Comment. dub. 7; de scientia ibid. lit. Magistri d. XXIII. c. 3, et Comment. a. 2; de conscientia et synderesi agitur ibid. d. 39. per totum; de gratia vide ibid. lit. Magistri, d. XXIV. c. 1. seq., d. XXIX. c. 1, et Comment. ibid. n. 1-3. — Inferius pro *sibi* A *ei*, et pro *sufficienter* C *sufficientium*.

[3] C D G O Q *redireturr* [N *redireat*] *in Deum*. Aliquanto inferius pro *universitatis* 1 *universi*.

[4] Ezech. 2, 9. Cfr. Apoc. 5, 1. — Eadem expositio habetur apud Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. VI. c. 3, in quo agitur de duplici sensu animae. — Mox pro *mundi* edd. cum aliquot codd. *generis humani*.

[5] Vide II. Sent. d. 24. p. II. dub. 3. — De seq. propositione cfr. ibid. pag. 601, nota 5.

[6] Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. VI. c. 6. Textus originalis plura interserit. Ibid. et c. 7. fusius exhibentur quae mox de duobus praeceptis proponuntur. De praecepto disciplinae ad *obedientiam* hominis prolsandam cfr. II. Sent. d. 17. dub. 5, et August., VIII. de Gen. ad lit. c. 6. n. 12 — II *inquireretur*, edd., excepta 2, *aequireretur*.

[7] Edd., excepta 2, *suo autem demerito*(?).

[8] Edd., excepta 2, *rectitudo synderesis*. Superius voci *adiutorium* II praebet *beneficium sive*.

Digitized by Google

sicut se ipsum [1]. — Et sic ante lapsum homo perfecta habuit naturalia, supervestita nihilominus divina gratia. Ex quo manifeste colligitur, quod si cecidit, hoc non fuit nisi ex culpa sua, quia obedire contempsit.

Cap. XII.

De completione et ordinatione totius mundi consummati.

Ex praedictis autem colligi potest, quod creatura mundi est quasi quidam *liber*, in quo relucet, repraesentatur et legitur Trinitas fabricatrix secundum triplicem gradum expressionis, scilicet per modum *vestigii*, *imaginis* et *similitudinis*; ita quod ratio *vestigii* reperitur in omnibus creaturis, ratio *imaginis* in solis intellectualibus seu spiritibus rationabilibus, ratio *similitudinis* in solis deformibus; ex quibus quasi per quosdam scalares gradus intellectus humanus natus est gradatim ascendere in summum principium, quod est Deus [2]. Liber cum triplici gradu expressionis.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum omnes creaturae respectum habeant et dependentiam ad suum Creatorem, tripliciter ad ipsum comparari possunt, scilicet aut sicut ad *principium creativum* [3], aut sicut ad *obiectum motivum*, aut sicut ad *domum inhabitativam*. Primo modo comparatur ad ipsum omnis eius *effectus*, secundo modo omnis *intellectus*, tertio modo omnis *spiritus iustus et Deo acceptus*. Omnis enim *effectus*, quantumcumque parum habens de *esse*, habet Deum sicut principium. Omnis *intellectus*, quantumcumque parum habens de lumine, natus est per cognitionem et amorem capere Deum. Omnis autem *spiritus iustus et sanctus* habet domum Spiritus sancti sibi infusum. Ratio. Triplex comparatio ad Deum.

Et quoniam creatura habere non potest Deum sicut *principium*, quin *configuretur* ei secundum unitatem, veritatem et bonitatem; nec Deum sicut *obiectum*, quin eum *capiat* per memoriam, intelligentiam et voluntatem; nec Deum sicut *domum infusum*, quin *configuretur* ei per fidem, spem et caritatem, seu triplicem dotem [4]; et prima conformitas est longinqua, secunda propinqua et tertia proxima: hinc est, quod prima dicitur *vestigium* Trinitatis, secunda *imago* et tertia *similitudo*. Vestigium, imago, similitudo.

Est igitur spiritus rationalis medius inter primam et ultimam, ita quod primam habet inferius, secundam interius, tertiam superius. Et ideo in statu innocentiae, cum imago non erat vitiata, sed deformis effecta per gratiam, sufficiebat *liber creaturae*, in quo se ipsum exerceret homo ad contemplandum lumen divinae sapientiae; ut sic sapiens esset, cum universas res videret *in se*, videret *in proprio genere*, videret etiam *in arte*; secundum quod res tripliciter habent *esse*, scilicet in *materia* vel natura propria, in *intelligentia creata* et in *arte aeterna*; secundum quae tria dicit Scriptura [5]: *Dixit Deus: fiat; fecit*, et *factum est*. Rationalis spiritus est medius. Triplex visio.

Propter quam triplicem visionem triplicem homo accepit oculum, sicut dicit Hugo de sancto Victore [6], scilicet *carnis*, *rationis* et *contemplationis*: oculum *carnis*, quo videret mundum et ea quae sunt in mundo; oculum *rationis*, quo videret animum et ea quae sunt in animo; oculum *contemplationis*, quo videret Deum et ea quae sunt in Deo; et sic oculo *carnis* videret homo ea quae sunt extra se, oculo *rationis* ea quae sunt intra se, et oculo *contemplationis* ea quae sunt supra se. Qui quidem oculus *contemplationis* actum suum non habet perfectum nisi per gloriam, quam amittit per culpam, recuperat autem per gratiam et fidem [7] et Scripturarum intelligentiam, quibus mens humana purgatur, illuminatur et perficitur ad caelestia contemplanda; ad quae lapsus homo pervenire non potest, nisi prius defectus et tenebras proprias recognoscat; quod non facit, nisi consideret et attendat ruinam humanae naturae. Triplex oculus. Notandum.

---

[1] Respicitur Matth. 22, 37. seqq. — Inferius post non I, 3 cum nonnullis codd. addunt *alienate*, et pro *obedire* S substituit *obedientiae regimen*.

[2] Vide I. Sent. d. 3. p. I. q. 2; p. II. a. 1. q. 1. ad 5. et II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3. — Pro *summum* nonnulli codd., ut I L M, *suum*.

[3] B H P Q *creativum*. — De his cfr. supra pag. 24, col. I.

[4] Cfr. IV. Sent. d. 49. p. I. q. 5. in corp.

[5] Gen. 1, 3. seqq. Cfr. August., II. de Gen. ad lit. c. 8. n. 16-20; IV. c. 29. n. 46. et c. 31. n. 48. Vide etiam supra pag. 204, nota 9.

[6] Libr. I. de Sacram. p. X. c. 2. — Pro *animum* et *animo* A *animam* et *anima* (textus originalis *se ipsum* et *ipsi*).

[7] Hugo a S. Vict., loc. cit.: Postquam autem tenebrae peccati in illam [animam] intraverunt, oculos quidem contemplationis extinctos est, ut nihil videret... Fides ergo necessaria est, qua credantur quae non videntur etc. — Mox respiciuntur tres actus hierarchici, scil. purgare etc.; cfr. supra pag. 225, nota 6. — Pro *et sic* post *Deo* I L Q *ut sic*, B *ut sicut*; deinde pro *amittit* codd., excepta 2, *amisit*, quae etiam in fine cap. cum uno alterove cod. *diligenter*.

Digitized by Google

PARS TERTIA.

De corruptela peccati.

Cap. I.

De origine mali in communi.

Praedeterminatis igitur aliquibus breviter de Trinitate Dei et creatura mundi, restat nunc, aliqua breviter tangere de corruptela peccati. De qua in summa tenendum est, quod peccatum non est *essentia* aliqua, sed *defectus et corruptela*, qua scilicet corrumpitur *modus, species* et *ordo* in voluntate creata [1]; ac per hoc corruptio peccati est ipsi bono *contraria*, nec tamen habet *esse* nisi in bono nec *ortum* trahit nisi a bono, quod quidem est liberum voluntatis arbitrium; et ipsum nec est summe malum, cum possit velle bonum; nec summe bonum, cum possit declinare in malum.

De peccato in genere.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium, cum sit ens *a se ipso*, non ab alio, necesse est, quod sit ens *propter se ipsum*, ac per hoc summe bonum, nullum prorsus habens defectum. Non est igitur aliquid nec esse potest, quod sit primum et summe malum, quia primum principium dicit summum *complementum*, et summum malum *defectum* dicit permaximum. Quoniam igitur primum principium, ut summe ens et completum [2], nec deficere potest in essendo nec in operando; nec *summe* malum est nec *aliquod* malum est nec aliquo modo malum *principiare* potest. — Quia tamen omnipotens est, potest bonum de *non-esse* in *esse* deducere, etiam sine adminiculo alienius materiae. Quod et fecit, cum creaturam fluxit, cui dedit *esse, vivere, intelligere* et *velle*; quae quidem, quia a summo bono fuit secundum triplicis causae habitudinem [3]; oportuit, quod haberet in sua substantia et voluntate *modum, speciem* et *ordinem*. Nata ergo fuit agere opera sua *a Deo* et *secundum Deum* et *propter Deum*, et hoc secundum modum, speciem et ordinem sibi insitum.

Ratio.

Non est primum et summe malum.

Nec Deus malum facere potest.

Creavit bonum, quod haberet tria in substantia et voluntate.

Sed quia de nihilo fuit et defectiva, potuit *deficere* ab agendo *propter Deum*, ut aliquid faceret propter *se*, non propter Deum, ac per hoc nec *a Deo* nec *secundum Deum* nec *propter Deum*; et hoc est *peccatum*, quod est *modi, speciei* et *ordinis* corruptivum; quod, quia defectus est, non habet causam *efficientem*, sed *deficientem*, videlicet defectum voluntatis creatae [4].

Quomodo fit defectus et peccatum.

Quia vero corruptio est et non nisi boni; et omnis corruptio in re corruptibili est: ideo non est nisi in bono; ac per hoc, cum voluntas libera corrumpat in se ipsa modum, speciem et ordinem, deficiendo a vero bono, peccatum omne in quantum huiusmodi et est *a voluntate*, sicut a prima origine, et est *in voluntate*, sicut in proprio subiecto; quod quidem facit voluntas, quando sua defectibilitate, mutabilitate et vertibilitate, spreto bono indeficiente et incommutabili, bono commutabili inhaeresit [5].

Non est nisi a bono et in bono.

Ex quibus colligitur, quod «peccatum non est appetitio malarum rerum, sed desertio meliorum»; et ideo in appetitu voluntatis est *modi, speciei et ordinis corruptivum*, ac per hoc «adeo voluntarium, quod si non est voluntarium, iam non est peccatum». — His autem praeintellectis, manifeste cadit impetus Manichaeorum [6] ponentium summe malum omnium malorum principium primum. Apparet etiam, quae sit mali origo, et quid sit mali subiectum.

Corollarium.

Cadit error Manichaeorum.

Cap. II.

De primorum parentum tentatione.

Ad intelligendum autem, qualiter corruptela peccati introivit in mundum, considerare oportet *lapsum* primi parentis, *traductionem* culpae originalis et *ortum* seu radicem peccati actualis. — Circa *lapsum* igitur primi parentis haec tria nobis consideranda occurrunt, scilicet *tentatio* diabolica, *culpa* commissa et *poena* inflicta [7].

Tria considerandi.

Circa primum hominem tria.

---

[1] August., XI. de Civ. Dei, c. 9: Mali enim nulla natura est, sed amissio boni *mali* nomen accepit. Lib. de Natura boni, c. 4: Quod [malum] nihil aliud est quam corruptio vel modi, vel speciei, vel ordinis naturalis. — De hoc cap. cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 3; d. 34. et 35. per totam. — Superius voci *essentia* B praefigit *natura vel*.

[2] S *ut summe ens, ut summe bonum et complementum*, qui etiam inferius voci *omnipotens* praemittit *spiritus*. Subinde pro *deducere* plures codd. *producere*, A *reducere*, P *ducere*.

[3] Scil. efficientis, formalis seu exemplaris et finalis; cfr. I. Sent. d. 3. p. I. dub. 3.

[4] August., XII. de Civ. Dei, c. 7: Nemo igitur quaeret efficientem causam malae voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens.

[5] Ut insinuat August., II. de Lib. Arb. c. 19. n. 53. Cfr. II. Sent. d. 35. dub. 6, ubi etiam seq. definitio peccati ab August., de Natura boni, c. 34. et 36, data affertur. Subinde proponitur sententia August., de Vera Relig. c. 14. n. 27; de qua vide supra pag. 188, nota 6.

[6] Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 1. et d. 31. a. 2. q. 1.

[7] De his tribus agitur in hoc et 2 sequ. capp.; de peccato originali c. 5-7; de actuali c. 8-11.

Digitized by Google

Haec autem de *tentatione* tenenda sunt, quod cum Deus hominem condidisset in felicitate paradisi in duplici sexu, virili scilicet et muliebri; diabolus invidens homini, assumta specie serpentina, aggressus est mulierem, primo *quaerendo: Cur praecepit vobis Deus, ne comederetis*[1]? secundo *asserendo: Nequaquam moriemini*; tertio *promittendo: Eritis sicut dii, scientes bonum et malum*; volens ista tentatione deiicere mulierem infirmiorem et per illam postea prosternere sexum virilem; quod et fecit, Domino permittente. Diabolus tentat tria.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, sicut primum principium est potentissimum in producendo, sic etiam est rectissimum in gubernando; et ideo « res, quas condidit, ita administrat, ut tamen eas agere proprios motus sinat[2] ». Ratio.

Quoniam ergo homo sic factus erat, ut per victoriam pugnae pervenire ad praemium quietis aeternae; licet Deus sciret, hominem tentationi succumbere, debuit tamen permittere, hominem tentari ab eo qui *sciret, posset* et *vellet*[3]. — Quoniam igitur diabolus, qui prius erat sciens et rectus, per superbiam cadendo factus est versutus et invidus; et ideo per invidiam tentare *volebat* et per astutiam *sciebat*: ideo tentavit, iuxta quod *potuit*, et Deus permisit. Quod ergo in tentando speciem serpentinam assumsit, hoc fuit dispensationis divinae, ut non solum posset deprehendi eius versutia, verum etiam ex illa effigie versutia diabolica in tentando innotescere posset cunctis filiis Adae. Tentationem permittere congruit. Diabolus tentare sciebat, volebat et potuit.

Rursus, quod tentavit de praecepto *disciplinae*[4], hoc similiter fuit dispensationis divinae, ut, sive vinceretur, sive vinceret, cunctis innotesceret meritum obedientiae, sive demeritum inobedientiae. — Quod autem incepit a *muliere*, hoc fuit versutiae suae, quia facilius est deiicere minus fortem; unde versutia hostis ex infirmiori parte aggreditur civitatem. Contra praeceptum disciplinae. Primo mulierem.

Similiter *modus*, quo in tentatione processit, magnae fuit versutiae, quia *experiendo, impellendo* et *allicendo* processit. *Experientiam* enim sumsit in interrogatione, *impulit* in assecurationem, *allexit* autem in promissione. Primo enim *interrogavit* de causa mandati, ut rationem diceret in dubium; secundo, dulcedine habita: *Ne forte moriamini*[5], *assecuravit*, ut irascibilem diceret in contemptum; tertio, *promisit*, ut concupiscibilem diceret in appetitum, et sic his tribus modis libertatem arbitrii traheret ad consensum, quae facultas est *rationis et voluntatis*, complectens nihilominus tres praedictas vires, rationalem, irascibilem et concupiscibilem[6]; respectu quarum diabolus allexit mulierem per triplex appetibile, scilicet per *scientiam*, quae est appetibilis rationali; per *excellentiam* ad modum Dei, quae est appetibilis irascibili; per *suavitatem ligni*, quae est appetibilis concupiscibili. Et sic tentavit omne, quod erat in muliere tentabile, per omne illud, per quod poterat in tentationem induci, quod est triplex appetibile mundi, scilicet *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae*[7]; secundum quae tria attenditur omnis tentationis origo, sive a mundo, sive a carne, sive a diabolo. Tres modi.

Cap. III.

De primorum parentum transgressione.

De *culpa* vero primorum parentum haec tenenda sunt, quod mulier, consentiens tentationi diabolicae, appetit *scientiam* et *excellentiam* ad modum Dei, appetit nihilominus experiri *suavitatem ligni* vetiti; et tandem incidit in *transgressionem* praecepti. — Nec hoc contenta, offerendo fructum ligni vetiti, induxit virum, qui, nolens delictis suis contristare, mulierem non corripuit, sed potius consensum praebuit male suadenti; et oblatum pomum gustando, factus est transgressor divini mandati[8]. De peccato mulieris. De peccato viri.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum a primo principio, ut supra[9] dictum fuit, datus esset homini duplex *sensus* et *appetitus* respectu duplicis *libri* et respectu duplicis *boni*, ut secundum libertatem arbitrii homo posset ad utrumque converti; mulier, audita suggestione serpentis exteriori, non recurrit ad librum *interiorem*, qui legislatorem se praebet recto iudicio rationis; sed *sensum* suum circa *exteriorem* librum tenuit et circa *exterius bonum* negotiari coepit. Et quia *sensus* eius non accessit ad verum infallibile, *appetitus* eius converti coepit ad bonum commutabile. *Appetiit* ergo quod diabolus promisit, et ideo consensit, ut faceret quod suggessit. Appetendo igitur excellentem *scien-* Ratio. Quomodo mulier peccavit.

---

[1] Gen. 3, 1. Vulgata *ut non* pro *ne*. — Seq. locus est ibid. v. 4: Ne quaquam morte [ita etiam H] moriemini; tertius ibid. v. 5. — Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXI. c. 1. sqq., et Comment. a. 1. q. 1-3.

[2] August., VII de Civ. Dei, c. 30. Cfr. supra pag. 218, nota 5. — Superius ante *in producendo* edd., excepta 2, ponunt *in operando sive*.

[3] Vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXIII. c. 1, et Comment. a. 1. q. 1. sqq.

[4] De quo supra p. II. c. 11. — Inferius pro *versutia* V *versutus*.

[5] Gen. 3, 3. — Paulo ante pro *rationem* P *rationalem*, et aliquanto superius pro *magnae* edd. cum pluribus codd. *maximae*.

[6] Vide II. Sent. d. 25. p. 1. q. 6. ad 2.

[7] I. epist. I. Ioan. 2, 16. — De praecellentibus cfr. Gen. 3, 5. sqq., et de variis speciebus tentationum vide II. Sent. d. 21. a. 2. et dub. 3. — Edd. cum pluribus codd. *scilicet secundum concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae* (VII et 2 *per* pro *secundum*). Pro *mundo* P *mundi*. Superius post *ligni* E addit *vetiti*.

[8] Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXII. c. 1-4, et Comment. a. 1.

[9] Partis II. c. 11. — Inferius post *sed* edd. cum aliquot codd. addunt *potus*, et verbo *negotiari* E praemittit *evagari vel* (H *vagari* pro *negotiari*).

Digitized by Google

tiam, erecta est in *superbiam*, et erecta in *superbiam*, hoc ipso illecta est ad *gulam*; ac per hoc tertio prostrata est per *inobedientiam*. Primum fuit in *mente*, secundum in *sensualitate*, tertium in *operatione*[1]. — Et sicut *tentatio*, ab *inferiori* incipiens, pervenit usque ad summum, quia ab auditu per appetitum venit ad consensum; sic e converso *deordinatio*, a *superiori* incipiens, pervenit usque ad imum et fecit unum peccatum consummatum, quod in humana natura omnis peccati initium est et origo malorum. Via decoll. mulieris.

Nam mulier illecta illexit virum, qui similiter ad *libitum exterioreum* conversus et ad *bonum commutabile*, minus appetendo mulieris consortium et suae societatis solatium, nec mulierem voluit *corripere* nec proprias delicias *contristare*. Et quoniam deluit eam *corripere* et non corripuit, ideirco imputatur ei peccatum mulieris. Quia vero noluit suas delicias *contristare*, a se repellendo mulierem; incepit minimum se ipsum ulcisci, ac per hoc recedens a divina amicitia incidit in *gulam* et *inobedientiam*. Quomodo vir peccavit.

Fuit ergo transgressio praecepti utrique communis, licet ex alia et alia causa, quia non vir, sed *mulier seducta fuit*[2]; in utraque tamen, scilicet viro et muliere, fuit deordinatio a summo usque ad imum, quia primo in *mente* sive in ratione, deinde in *sensualitate* et postremo in *opere*. Ideo enim utrique prostratus fuit per *inobedientiam* et illectus per *gulam*, quia utrique erectus fuit in *superbiam*, mulier quidem appetendo et ambendo quod nondum acceperat, vir minis aurando et appetendo quod iam habebat; inde mulier manducando cecidit sublimari, Adam vero, existimans se aliquid magnum et Deo carum, minus graviter puniri. Nondum enim expertus fuerat rigorem divinae severitatis[3]. — Et sic utrique, dum inordinate *se* erexit *supra se*, cecidit miserabiliter *infra se* a statu misericordiae et gratiae ad statum culpae et miseriae. Duo peccata utrique pro.

Cap. IV.

De primorum parentum punitione.

De *poena* autem primis parentibus inflicta hoc tenendum est, quod vir et mulier statim post *culpam* senserunt *poenam* rebellionis et erubescentiae in carne; et ideo ad cooperiendum verecundi *fecerunt sibi perizomata*[4]. — Post autem divino iudicio *vir* incurrit poenam *laboris* et angustiae, poenam *famis* et indigentiae, poenam *mortis* et resolutionis in cinerem; sicut dicit Scriptura: *Maledicta terra in opere tuo* etc. — *Mulieri* autem *duplicata* est poena, quia inflicta est ei poenalitas multiplicium *ac ruminarum* in conceptu, poena *dolorum* in partu, poena quoque *subiectionis* ad virum in convictu; ac per hoc, secundum quod apparet, satis graviter punitum fuit illud peccatum, scilicet ligni vetiti esus, licet fuerit breviter perpetratum. Poena 1. Poena 2. multipl. v. Poena mulieri duplicata.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum primum principium sit providentissimum in gubernando et rectissimum in praesidendo, nihil prorsus in universo deinde inordinatum; et quia cuncta recte ordinatur in poena, ideo statim in primis parentibus *debitus peccati* subsecutum est *decus iudicii*, ut quod inordinatum fuit cadendo ab ordine naturae caderet statim in ordinem iustitiae. Hic enim duplex ordo sic cuncta complectitur, ut quod ab uno recederit in alterum relabatur[5]. Ratio. Poena reordinat.

Quoniam ergo utrique parens, superbiendo in mente et gustando in carne, inobediens fuit suo superiori, iusto Dei iudicio factum est, ut sibi fieret *inobediens* suum inferius, et maxime quantum ad partes illas, secundum quas est commutatio utriusque sexus, quae suae membra deserviendi virtuti generativae. Et quia hoc inerat eis non ex natura, sed ex propria culpa; ideo erubescerent et cooperiebant se. De peccat.

---

[1] Plures codd. et edd. *opere*. Aliquanto inferius vori *mutorum* A praetigit *manium*, et pro *illexit* M N *ollexit*.

[2] Epist. I. Tim. 2, 14: Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit. — Inferius pro *fuit in superbiam* K L M P Q U V *per superbiam*.

[3] August., XIV. de Civ. Dei, c. 11. n. 2: Inexpertus divinae severitatis [Adam] in eo falli potuit, ut venialiter crederet esse commissum... Et credendo [serpentis verba] non sunt ambo decepti, peccando tamen ambo sunt capti et diabolo laqueis implicati. — Edd. *divinae iustitiae et severitatis*, quae etiam paulo ante *credidit se quamvelum* pro *pauci*. Pro *aliquod magnum* A U et 2 *aliquem magnum*. Mox plures codd., inter quos A L M S T, omittunt *inordinate*, et H L O Q T U *in statum* pro *ad statum*.

[4] Gen. 3, 7. — Sequ. locus est ibid. v. 17. Poena *mulieris* insinuatur ibid. v. 16. — Cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 103. per totum. — In principio cap. secunda summa S, dum alii codd. omittunt vel *primis parentibus inflicta*, vel *primis parentibus*, alii cum edd. substituunt *primorum parentum* (omisso *inflicta*).

Inferius pro *resolutionis in cinerem* B *incinerationis* (Q ib. addit *vel incineationes*), qui etiam inferius pro *scilicet ligni vetiti esus* substituit *inobedientiae primorum parentum* (H addit ibi *vel inobedientiae primorum parentum*. Pro *licet fuerit* multi codd. *licet esset*.

[5] Boeth., IV. de Consol. prosa 6: Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc ideo, licet in alium, tamen in ordinem relabitur, ne quid in regno providentiae liceat temeritati. August., Epist. 140. (alias 120.) c. 2. n. 4: Qui enim iniuste se ordinat in peccatis, iusto ordinatur in poenis. Cfr. supra pag. 221, nota 8. et I. Sent. d. 16. q. 5. sequ. — Secuti sunt S VII. S, alii codd. et edd. in [Vat., I et 3 *statim in*] *alterum differentiam* [T *partem*] *relabitur*. H quaedam minus recte addit. Superius post *in poena* edd. cum una alteraque cod. addunt: convenientius enim iniustus dolet [2 addit *tantum*] in supplicio, quam [V *qui*] laetatur [2: *quantum delectatur*] est in delicto, quoniam melius est dolere damnum salutis, quam laetari in damno aequitatis.

Digitized by Google

De poena 2. multiplici.

Rursus, quia vir, spreto summo delectabili, quaesivit in carne delectari; ideo iusto Dei iudicio inflictus est ei *labor* et *defectus famis et sitis*.

Postremo, quia propter bonum carnis separari elegit a bono mentis, ideo iusto Dei iudicio anima invita separatur a carne per *mortem* et *incinerationem*; ac per hoc, sicut Deus dederat homini secundum ordinem naturae corpus *subiectum* animae, *propagabile* sine labore, *vegetabile* sine defectione, *immutabile* sine morte interveniente; sic, homine peccante, secundum ordinem institiae factum est[1], ut subtraheret cuncta praedicta et infligeret opposita; ut sic culpa non remaneret impunita et inordinata, quod neutiquam pati debet divina providentia.

De poena mulieris.

Et quoniam a muliere peccatum sumsit exordium; ideo poena ipsius *geminatur*. Quia cum superbiens fuit in mente, incurrit *subiectionem*; quia vidit et appetiit lignum ad vescendum suave, incurrit *dolorem*; postremo, quia fregit iugum obedientiae, incurrit vinculum et pondus *multiplicis necessitatis*.

Et sic patet, quanto ordine divinae providentiae inflictae sunt multiplices poenae *viro* et duplicatae in *muliere*, ut sic «deberus peccati non esset sine decore institiae[2]».

Cap. V.

De originali peccati corruptione.

Post lapsum primi parentis dicenda sunt aliqua de *traductione* peccati originalis. Circa quod primo consideranda est modus *corruptionis*, secundo modus *traductionis*, tertio modus *curationis*[3].

De culpa originali.

Modus autem, quo genus humanum per originale peccatum *corrumpitur*, hic est. Nam quilibet per concubitum generatus nascitur natura *filius irae*[4], quia privatus rectitudine originalis institiae; propter cuius absentiam *incurrimus* quantum ad *animam* quadruplicem poenam, scilicet *infirmitatem*, *ignorantiam*, *malitiam* et *concupiscentiam*; quae quatuor inflicta sunt propter originale peccatum; quas

De poena quoad animam.

Quoad corpus.

sane poenas spirituales comitatur in *corpore* multiplex poenalitas, multiplex defectus, multiplex labor, multiplex morbus et multiplex dolor. Ad has poenas subsequitur poena *mortis* et *incinerationis*, poena *carentiae visionis Dei* et amissionis gloriae caelestis, non solum in adultis, verum etiam in parvulis non baptizatis; qui quidem parvuli «poena mitissima[5]» inter ceteros puniuntur, quia solam poenam *damni* habent sine poena *sensus*.

Poena mortis.

Amissio gloriae.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum primum principium omnia agat *a se* et *secundum se* et *propter se*; necesse est, ipsum esse optimum et rectissimum, ac per hoc iussionum et institissimum; et inde est, quod *universae viae eius misericordia et veritas*[6] sive iudicium. Si autem Deus *a principio* hominem in tantis miseriis condidisset, nec pietas esset nec institia, quod scilicet tanta opus suum opprimeret miseria, nulla praecedente culpa. Similiter, si tantis miseriis repleret nos vel repleri permitteret sine culpa, nec pie nec iuste gubernaret nos divina providentia. Si igitur certissimum est, primum principium et in *praeducendo* et in *procedendo* rectissimum et clementissimum esse; necesse est, quod taliter genus humanum *fecerit*, ut a principio nulla esset in eo nec *culpa* nec *miseria*; necesse est etiam, quod taliter *administret*, ut non permittat in nobis esse miseriam nisi propter aliquam culpam praecedentem. Quoniam igitur certissimum est, quod a *nostra* origine multiplicem contrahimus miseriam *poenae*; certum est, quod omnes nascimur *natura filii irae*, ac per hoc privati rectitudine originalis institiae, quam privationem vocamus *culpam originalem*[7].

Deus fecit hominem sine culpa et miseria.

Poena indicat culpam originalem.

Et quia omnis *culpa* dicit recessum a bono incommutabili et accessum ad bonum commutabile[8]; et *recedere* a bono incommutabili est recedere a summa virtute, veritate et bonitate; *accedere* autem ad bonum commutabile est plus debito tendere in illud per amorem: hinc est, quod perdens originalem institiam incurrit *infirmitatem*, *ignorantiam*, *malitiam* et *concupiscentiam*.

Poena quod animam.

Rursus, quia desertus bonum incommutabile propter bonum commutabile efficitur indignus utroque: hinc est, quod ratione carentiae originalis institiae perdit anima[9] quoddam temporalem in *corpore* per multiplicem *corruptionem* et *mortem*, et tandem separatur a visione luris aeternae, amittendo *felicitatem gloriae* tam in anima quam in corpore.

Poenae aliae.

Poena parvulorum.

Postremo, quia *carentia* luius institiae in nascentibus non est per modum voluntatis propriae nec

---

[1] Plurimi codd. et 2 omittunt *factum est*, *ut*, quae lectio eligi posset, si etiam in codd. nonnulis substitueretur *subtraxit* et *inflixit*. [Pro *homine peccante* F *homini peccanti*, B M *ab homine peccante*]. Inferius vocabus *divina providentia* Q U interserunt *superata et* [U *et*], et pro *ipsum geminatur* codd. cum uno alieroque cod. *eius debuit duplicari* [Q addit *et geminari*, 2 substituit *multiplicari*].

[2] Secundum August.; Vide supra pag. 224, nota 8. — Edd. solae addunt: *Tanta est enim beatitudo institiae, ut nemo ab ea usque ad miseriam possit abscedere.*

[3] De his agitur hic et 2 sequ. capp.

[4] Lib. 2, 3: Homo natura filii irae, sicut et ceteri. — Quemadmodum peccatum originale secundum Anselmum consistat in privatione originalis institiae, explicatur II. Sent. d. 30. a. 2. q. 1. — De quadruplici poena secundum Bedam vide ibid. d. 22. dub. 2.

[5] Ut dicit August., Enchirid. c. 93. n. 23. Cfr. II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1. sequ.

[6] Psalm. 24, 10.

[7] Vide II. Sent. d. 30. a. 1. q. 1. sequ.

[8] Cfr. supra pag. 231, nota 5.

[9] B *homo*.

Digitized by Google

per actualem delectationem; hinc est, quod originali peccato non debetur post hanc vitam poena *sensus* in gehenna, pro eo quod non supra condignum, sed citra punit divina iustitia, quam semper comitatur superabundans misericordia. — Hoc credendum est sensisse beatum Augustinum [1], licet verba eius exterius propter detestationem errores Pelagianorum, qui aliqualem felicitatem eis concedebant, aliud sonare videantur. Ut enim eos reduceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum.

De opinione Augustini.

Cap. VI.

De originalis peccati transfusione.

Modus autem *traductionis* peccati originalis hic est, quod licet *anima* non sit ex traduce, originalis tamen *culpa* ab anima Adae transit ad animas posterorum, mediante carne per concupiscentiam generata, ita quod, sicut ab anima peccante infecta fuit caro Adae et prona effecta ad libidinem, sic, per libidinem seminata et semen tradens infectionem vitiosam, inficit et vitiat animam; quae quidem infectio in anima non tantum est *poena*, verum etiam *culpa*. Et sic persona corrumpit naturam, et natura corrupta corrumpit personam [2], salva in omnibus divina iustitia, cui nullo modo potest imputari infectio animae, licet eam creando infundat et infundendo unitat cum carne infecta.

Mediante carne fit traductio originalis.

Notandum.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum primum principium hominem fecerit ad suam imaginem propter sui ipsius expressionem; sic condidit eum ex parte *corporis*, ut omnes homines propagarentur a primo homine tanquam ab uno radicali principio; sic ex parte *animae*, ut propter expressam similitudinem, tam in essendo et durando quam intelligendo et amando, immediate emanarent omnes spiritus rationales ab ipso Deo tanquam a primo principio et immediato. Et quoniam *spiritus*, tanquam excellentior, magis accedit ad primum principium; sic condidit Deus hominem, ut spiritus corpori praeesset, et corpus subesset spiritui creato, quamdiu ille obediret [3] Spiritui increato; et econtra, si spiritus non obediret Deo, iusto Dei iudicio *corpus* suum inciperet sibi rebellare; quod et factum est, cum Adam peccavit.

Ratio.

Corpus corporum et animarum.

Iustitia originalis.

Sicut igitur, si Adam stetisset, corpus suum obediens spiritui fuisset, et Deo ad posteros transmitteret, et Deus illi animam infunderet, ita quod, unita corpori immortali et sibi obedienti, haberet ordinem iustitiae et immunitatem omnis poenae: sic, ex quo Adam peccavit, et caro facta est rebellis spiritui, oportet, quod idem ad posteros transmittat, et quod Deus animam infundat secundum institutionem primorum; anima vero, cum unitur carni rebelli, incurrit defectum ordinis naturalis institutae, quo debebat omnibus inferioribus imperare. Et quia anima carni unita est, oportet, quod ipsam trahat, vel traducatur ab ipsa; et quia ipsam non potest trahere tanquam rebellem, necesse est, ut ab ipsa traducatur et incurrat *morbum concupiscentiae*. Et sic incurrit simul *privationem* debitae iustitiae et *morbum* concupiscentiae; ex quibus duobus tanquam ex aversione et conversione dicitur *integrari*, secundum Augustinum et Anselmum, peccatum originale [4].

Transmittenda ad posteros.

Ren defectus esse transmittitur.

Duo in peccato originali.

Quoniam ergo ordinatissimum fuit, quod natura humana ita *conderetur*, et quod condita ita *propagaretur*, et quod peccans ita *puniretur*, sicut dictum est prius [5], ita quod in *conditione* servatur ordo sapientiae; in *propagatione*, ordo naturae; in *punitione*, ordo iustitiae: patet, quod non est contra divinam institutionem, si ad posteros transmittitur culpa.

Concluditur.

Rursus, quia *culpa* originalis in animam transfundi non posset, nisi *poena* rebellionis in carne praecederet; et *poena* non esset, nisi culpa praecessisset; nec *culpa* processit [6] a voluntate ordinata, sed inordinata, ac per hoc non a voluntate divina, sed humana: patet ergo, quod originalis peccati transfusio est a *peccato* primi hominis, non a Deo, non a natura condita, sed a vitio perpetrato. Et sic verum est quod dicit Augustinus [7], quod « peccatum originale non transmittit ad posteros propagatio, sed libido ».

---

[1] In libro de Fide ad Petrum (inter opera August., est Fulgentii), c. 3. n. 36. et 27. n. 70, ubi dicebat, parvulos sine baptismatis Sacramento decredentes « interminabilia gehennae supplicia sustinere » et « aeterni ignis supplicio semperna puniendos ». Cfr. II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1. arg. 1. et 2. ad oppos. — August., I. contra Duas Epist. Pelagian. c. 22. n. 40: Novimus, quomodo non secundum Paulum Apostolum, sed secundum Pelagium haereticum ista dicentis, parvulis videlicet baptismum necessarium non propter remissionem peccatorum, sed tantummodo propter regnum caelorum. Dans enim eis extra regnum Dei locum *salutis et vitae aeternae*, etiam si non fuerint baptizati etc. — Inferius cum cdd., ex epta 2, et codd., excepis A S, retinuimus *aliquadem* pro *aliquam*. Subinde ex codd. A E S T et 2 substituimus *sonare* pro *sentire* (III *sonare vel sentire*). Verba *Ut enim... extremum* desiderantur in multis codd.

[2] Anselm., de Concepto Virgin. et orig. peccat. c. 23: Sic spoliavit persona naturam bono iustitiae in Adam, et natura egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et iniustas facit. — De modo traductionis cfr. II. Sent. d. 31. per totum; quod originale peccatum non tantum sit poena, sed etiam culpa, ostenditur ibid. d. 30. a. 1. q. 2; de aequitate divini iudicii in infusione animae agitur ibid. d. 32. a. 3. — In principio seq. cap. pro *hoc est* 2 *est latis*, alae cdd. *videtur esse latis*.

[3] Ita A B S, alii codd. et edd. *subesset*, Q *obediret et subesset*. Inferius pro *factum est* A B et 2 *fecit*; post *obedisset* edd., excepta 2, addunt *in obedientia Dei*; pro *fuisset* edd. cum pluribus codd. *esset*, et pro *transmitteret* P *transmisisset*.

[4] Vide II. Sent. d. 30. a. 2. q. 1, ubi sententia August. et Anselmi conciliatur.

[5] Hic et cap. praeced. nec non p. II. c. 11.

[6] Codd. et edd. *processit*; sed est error.

[7] Potius Fulgentius in libro de Fide ad Petrum, c. 2. n. 16. Cfr. supra pag. 170, nota 3.

Digitized by Google

Cap. VII.

De originalis peccati curatione.

Postremo, morbus *curationis* originalis hic est[1],
Thesis 1. quod sic curatur *culpa*, quod remanet *poena* temporalis, sicut patet in parvulis baptizatis; sic cura-
Thesis 2 tur quantum ad *reatum poenae aeternae*, quod remanet quantum ad *actum et motum concupiscentiae;*
Thesis 3. sic curatur in *parvulo*, quod nihilominus ab eo qui curatus est per baptismum, transmittitur in *prolem*
Thesis 4. originale peccatum; sic tollitur originalis peccati *macula*, quod remanet *sequela*, cum qua oportet pugnare, quamdiu vivimus in hac vita, quia in nullo prorsus exstinguitur concupiscentia per gratiam con-
Excepto. tumeni; quod dico praeter beatissimam Virginem, in qua in conceptione Filii Dei exstincta fuit per gratiam singularem[2].

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec
Ratio est: quia, sicut *infectio* derivatur in omnes a prin-
Pro thesi 4. cipio *creato*, a quo fit corporum propagatio, et hoc a parte inferiori, scilicet carnis; sic *curatio* fieri debet a principio *increato*, a quo fit animarum infusio, et hoc a parte superiori, scilicet mentis. Quoniam igitur ex parte mentis distinctio est in hominibus, ita quod secundum illam non propagatur unus ab alio, sed immediate exit a Deo[3]; gratia curativa, mentis nostrae a Deo infusa respicit unumquemque, in quantum tenet rationem personae singularis et individuae, non in quantum tenet rationem productivi secundum virtutem naturae. Quia ergo originale est morbus inficiens *personam* pariter et *naturam*, *personam* in voluntate, *naturam* in carne; ideo sic curatur macula originalis in *mente*, quod remanet infectio et sequela in *carne*.

Et quia homo generat, non secundum quod *cu-*
Pro thesi 3. *ratus* in mente, sed secundum quod *concepta* in carne, non secundum quod *spiritualis*, sed secundum quod *carnalis*; hinc est, quod quamvis sit baptizatus et sic ab originali mundatus in se, transmittit tamen originale in prolem.

Iterum, quia *reatus* poenae aeternae respicit
Pro thesi 2. deformitatem mentis et personae, *motus* autem respicit inclinationem carnis et naturae; ideo transit originale per baptismum quantum ad *reatum* et remanet quantum ad *motum*[4].

Postremo, quia temporalis afflictio resultationem
Pro thesi 1. respicit ex parte carnis; cum caro remaneat semper subiecta quidam *infectioni*, remanere debet semper subiecta *poenalitati;* et ideo, sicut poenalitas et corruptio per gratiam non auferitur a carne; sic *sequela* illa sive concupiscentia et languor membrorum simul stare potest cum gratia curativa. Et ideo, quamvis paulatim minuatur, quia tamen radix non tollitur, numquam omnino auferitur in viatore nisi in beatissima Virgine per gratiam singularem. Quia enim De excepta.
Virgo concepit eum qui erat expiatio omnis culpae, ideo data fuit ei gratia singularis, qua exstincta fuit in ea relicitus omnis concupiscentia, ad concipiendum Dei Filium absque omni[5] peccati labe et corruptela. « Nempe decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium, quem de corde suo genitum sibi aequalem tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque nonnunquam Dei Patris et Virginis Filius; et quem ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegebat, et de qua Spiritus sanctus volebat et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedebat[6] ».

Cap. VIII.

De origine peccatorum actualium.

Postquam dictum est de traductione peccati originalis, dicenda sunt aliqua de *origine peccati actualis.* — De *actu* igitur *peccati actualis* haec tenenda sunt in summa, quod actuale peccatum originem Thesis 1.
traht a libera voluntate minuendusque per *suggestionem, delectationem, consensum* et *operationem*, secundum illud Iacobi primo[7]: *Unusquisque tentatur, a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.* — Si autem *suggestio* et *delectatio* Thesis 2
sistat citra consensum, est peccatum *veniale.* — Si vero consequatur consensus et opus in his quae divina lege prohibita sunt, peccatum est *mortale con-* Thesis 3.
summatum. — Quod si medio modo fit, ut consensus sit sine opere, aut quia *vult* in opus procedere, Thesis 4. cum dictis cessat.
sed non potest; tunc voluntas reputatur pro facto, nec minus culpabilis est, quam si in ipso facto deprehenderetur; aut quia *non vult* in opus procedere, sed vult interius voluptari in delectatione, et tunc manducat *malier*, sed non *vir;* et licet peccatum

---

[1] Lib. *Postremo, diligenter attende, quod modus curationis culpae originalis est ita, scilicet.*

[2] Vide III. Sent. d. 3. p. 1. per totum. De praeexistentibus cfr. II. Sent. d. 32. a. 1.

[3] Cfr. exp. praeced. — Infer ex pro *producheri* II *producti.*

[4] August., l. de Nuptiis et concupisc. c. 26. n. 29: Sed quomodo manent [peccata actualia], si praeterita sunt, nisi quia praeterierunt actu, manent reatu? Sic itaque fieri e contrario potest, et etiam illud [originale] manent actu, praeterit reatu. — Superius edd., excepta 2, pro *motus autem* substituunt *actus autem sive motus*, et subinde *per baptismum* omittitur a plurimis codd.

[5] Ita G K O Q S U et 2, alii codd. et edd. *omnis.* Paulo ante plures codd. omittunt *singularis* et *nasus.*

[6] Anselm., de Concepto Virgin. et orig. peccat. c. 18. Post *Filium* I cum textu originali addit *suum*, et pro *ita dare disponebat* H. M V *communicandi.* Verba Anselmi omittuntur ab E F G H K N O P S.

[7] Vers. 14. seqq.: Unusquisque vero tentatur etc.

Digitized by Google

quod sit plenus consummatum, est tamen inter mortalia computandum, quia, *mulier* manducante, totus homo damnari meretur; quod maxime intelligi habet in peccatis carnalibus[1].

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est. Cum *peccatum* dicat recessum voluntatis a primo principio, in quantum voluntas nata est agi *ab ipso, secundum ipsum* et *propter ipsum*; omne peccatum est inordinatio mentis sive voluntatis, circa quam nata sunt esse virtus et vitium[2]. Peccatum igitur actuale est actualis inordinatio voluntatis. Inordinatio autem ista aut est tanta, quod ordinem institiae *exterminat*; et hoc modo dicitur *mortale* peccatum, quia natum est auferre vitam[3], separando ipsum a Deo, per quem vivificatur anima iusta; aut tata modica est, quod ordinem illum *non perimit*, sed in aliquo perturbat; et tunc dicitur *veniale* peccatum; quia de ipso cito adipisci possumus veniam, pro eo quod per ipsum gratia non tollitur, nec incurritur inimicitia divina. Est autem ordo institiae, ut bonum incommutabile praeferatur bono commutabili, ut bonum honestum praeferatur utili, et voluntas Dei praeferatur voluntati propriae, ut iudicium rectae rationis praesit sensualitati. Et quoniam lex Dei istum ordinem praecipit et vetat oppositum; quando *bonum commutabile* praefertur aeterno, et *bonum utile* praefertur honesto, et *voluntas nostra* praefertur divinae voluntati, et *sensualis appetitus* praefertur rationi rectae: tunc committitur peccatum mortale; de quo dicit Ambrosius[4], quod est « praevaricatio legis divinae et caelestium inobedientia mandatorum ». Hoc autem committitur, sive omittatur quod lex divina praecipit, sive fiat id quod prohibet; ex quo oritur duplex genus peccati, *delictum* scilicet et *commissum*[5].

Quando vero bonum commutabile plus debito diligitur, sed non praefertur incommutabili; et utilitas non praefertur honestati; et voluntas nostra plus debito amatur, ita tamen quod non praefertur divinae; et raro concupiscit, nec tamen praefertur iudicio rationis rectae: tunc non est mortale, sed *veniale*, quia, licet hoc sit *praeter* legem, non tamen directe est *contra* legem[6]. Sensualis autem appetitus non praefertur rationi rectae, nisi quando ratio ei consentit; et idem peccatum *mortale* non committitur citra consensum.

Si tamen sensualitas inordinate moveatur, cum illa inordinatio ad malum inclinet, licet ratio non consentiat; peccatum est aliquod, quia aliquo modo laedit ordinem institiae. — Et quia in statu innocentiae non movebatur sensualitas nisi secundum rationis motum; idem, stante homine, non poterat ibi esse veniale peccatum. — Nunc autem quia rationi repugnat sensualitas, velimus nolimus; idem necesse habemus committere aliquod veniale peccatum per primos motus; qui, etsi particulariter et singillatim possint declinari, omnes tamen nullo modo possunt caveri; quia sic sunt *peccata*, quod sunt etiam *poenae peccati*: et idem merito dicuntur *reatus*, quia hoc ipso digna sunt venia[7].

Verum quia ratio his consentire non compellitur, si post sensum delectationis consentiatur in *opus*; tunc est plenus consensus, ac per hoc peccatum *consummatum*, quia venit usque ad *circum*, id est usque ad supremum partem rationis, ex qua pendet plenitudo consensus.

Quia vero non solum in *opus*, verum etiam in *delectationem* est consensus, in quo inferior pars sequitur sensualitatem: idem, si in delectatione sensuali ratio sensualitati succumbat, *mulier* serpenti obedit[8], ac per hoc fit subversio recti ordinis, et ita subversio institiae; propter quod committitur peccatum mortale, licet minus grave, quod non solum imputatur *mulieri*, sed etiam *viro*, a quo mulier debuit compesci et coherceri, ne obtemperaret serpenti. — Et sic potest, quod in perpetratione omnis peccati actualis fit aliqualis imitatio primi peccati, secundum explanationem Doctoris praecipui, scilicet Augustini, duodecimo de Trinitate[9].

Pro thesi 1.

Quod peccatum veniale.

Mortale.

Veniale.

De mortali.

Duplex genus peccati.

De veniali.

Pro thesi 2.

Corollarium 1.

Corollarium 2.

Pro thesi 3.

Pro thesi 4.

Notandum.

Cap. IX.

De origine et distinctione capitalium peccatorum.

Consequenter descendendum est ad ortum peccatorum *in speciali*; inter quae quaedam sunt *capi-*

---

[1] Vide II. Sent. Ut. Magistri, d. XXIV. c. 1. sqq., et Comment. p. II. per totum. — Post *mulierem manducante* H I addunt *et circa non prohibente*, quae lectio concordat verbis Magistri, loc. cit. c. 12: Si vero diu in delectatione cogitationis teneatur, etsi voluntas perficiendi desit, *mortale* est, et pro eo damnabitur simul vir et mulier, id est totus homo, quia et nunc vir non, sicut dicunt, mulierem cohibebat, unde potest dici consensisse.

[2] Cfr. II. Sent. d. 41. a. 2. q. 2. Arisot., de Praedicam. c. *de Oppositis* et II. Topic. c. 3. (c. 7.) docet, quod circa idem nata sunt fieri contraria, sive quod idem est contrariorum susceptivum. — Pro *esse* E *peri*.

[3] A B supplent *ab anima*, T *animae*, F vero mox pro *ipsum* substituit *animam*. Post *a Deo* A prosequitur: *et a gratia, per quam vivificatur* etc. (Cfr. tom. II. pag. 633, nota 3.). Inferius post *sed* Vat., 1 et 3 addunt *bonum*.

[4] Lib. de Paradiso, c. 8. n. 39. Pro *mandatorum* textus originalis *praeceptorum*, Vat. *praeceptorum vel mandatorum*. — Superius post *sensualitati* edd. cum multis codd., retinentibus multipliciter, addunt *humanae*.

[5] Cfr. tom. II. pag. 976, nota 8, in qua affirmatur verba August. ex Alex. Hal., S. p. II. q. 112. m. 2, qui etiam dicit, quod haec divisio per oppositionem correspondet verbo Ps. 36, 27: De bono a malo et fac bonum.

[6] Vide II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1.

[7] Cfr. II. Sent. d. 21. dub. 4. et d. 41. a. 2. q. 1. — Superius pro *declinari* S *citari*, D H T *vitari vel declinare*.

[8] Edd., excepta 2, *obtemperat*. Superius post *non solum* plures codd. addunt *consensus*, et pro *in delectatione sensuali* non paucl codd. et 2 *in delectationem sensualem*.

[9] Cap. 12. n. 17. sqq.

Digitized by Google

talia, quaedam *poenalia*, quaedam *finalia* sive irremissibilia, quasi prima, media et postrema [1].

Quatuor de octo capitalibus peccatorum.

Circa ortum *capitalium* peccatorum hoc in summa tenendum est, quod peccatorum actualium unum est *initium*, duplex *radix*, triplex *fomentum*, septiforme *caput* sive capitale peccatum.

Unum est *initium*, scilicet superbia, iuxta quod scriptum est [2]: *Initium omnis peccati est superbia;* duplex *radix*, scilicet *timor* male humilians et *amor* male accendens; triplex *fomentum*, secundum tria, quae sunt in mundo, scilicet *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae;* septiforme autem *caput*, scilicet superbia, invidia, ira, accidia, avaritia, gula et luxuria. Inter quae quinque praecedentia sunt peccata spiritualia, duo vero ultima carnalia.

Ratio.

Ratio autem ad intelligendum praedictorum haec est: quia, cum peccatum mortale sit actualis recessus a primo principio; recedere [3] autem a primo principio non potest esse nisi per contemptum ipsius vel in se ipso, vel in suo praecepto; contemptus autem primi principii est superbia: necesse est igitur, quod omnis mortalis culpa seu offensa *initium* sumat a superbia.

Pro primo.

Pro secundo.

Quia vero nullus contemnit principium summum, vel eius praeceptum per se, nisi per hoc, quod aliquid aliud ab ipso vel *vult* acquirere, vel *timet* perdere: hinc est, quod necesse est, omne peccatum actuale originem trahere a duplici *radice*, scilicet *timore* et *amore;* quae radices sunt malorum, licet non aeque primae.

Pro tertio.

Nam omnis timor ortum habet ab amore; nullus enim timet aliquid perdere, nisi quia amat illud habere [4]; et ideo timor habet foveri per ea, per quae fovetur et amor. Amor autem inordinatus est respectu commutabilis boni; et quoniam illud est triplex: interius, scilicet *excellentia;* exterius, *pecunia;* inferius, carnis *luxuria*: hinc est, quod necesse est, tria esse radicalia *fomenta* actualium peccatorum, quae superius praetacta sunt, ad quae dum anima inordinate fertur, omnia peccata actualia oriuntur.

Pro quarto.

Et quia hoc fit secundum septiformem modum, ideo septem sunt *capitalia* peccata, ex quibus generatur universitas vitiorum. Voluntas enim nostra

Duplex ratio

aut deordinatur, quia *appetit* quod non est appetendum, aut quia *refugit* quod non est refugiendum.

De prima.

Si quia *appetit* quod non est appetendum, utpote bonum *ut unus* seu commutabile seu apparens bonum; aut est *interius*, et sic est *privata excellentia*, quam amat superbia; aut est *exterius*, et sic est *sufficientia*, quam amat avaritia; aut *inferius* [5], et sic aut delectabile, quia est ad conservationem *individui*, et sic est alimentum, quod est delectabile secundum *gustum* et appetitur a *gula;* aut quia est ad conservationem *speciei*, et sic est coitus, qui est delectabilis secundum *tactum* et appetitur a *luxuria*.

De secunda.

— Si autem voluntas deordinatur, quia *refugit* quod non est refugiendum; hoc potest esse tripliciter, secundum triplicem modum refugiendi. Aut enim refugit secundum perversum instinctum *rationalis*, et sic est *invidia;* aut secundum instinctum *irascibilis*, et sic est *ira;* aut secundum instinctum *concupiscibilis*, et sic est *accidia*. Unde quia quatuor sunt principalia *appetibilia* et tres *vires*, secundum quarum instinctum est fuga [6]; ideo tantum septem sunt peccata capitalia.

Corollarium.

Rursus, quia sensus rei appetibilis est cum delectatione, sensus autem rei fugiendae est cum dolore; hinc est, quod quatuor habent coniunctam laetitiam, tria vero alia habent adiunctam tristitiam et poenam; omnia tamen dicuntur capitalia, quia deordinationes sunt principales et multarum aliarum deordinationum principia suo modo influentia. Unde licet quaedam ex his principaliter *fugam* respiciant, habent tamen et ipsa delectabilia sua. Nam *invidia* vult privatum bonum possidere sine *socio*, et ita integraliter; *ira* sine *contrario*, et ita imperturbabiliter; *accidia* sine *labore aliquo*, et ita infatigabiliter. Et quia hoc non de facili obtinent [7], ideo magnum exercitum secum trahunt vitiorum ad huiusmodi quae appetunt consequenda, vel ad ea quae respiunt declinanda, respectu quorum dicuntur peccata capitalia, quasi capita, ex quibus alia manant quam plurima.

Notandum.

Cap. X.

De origine et qualitate peccatorum poenalium.

Thesis I.

De peccatis autem *poenalibus* hoc tenendum est, quod licet malum culpae et malum poenae sint diversae malorum differentiae; quaedam tamen sic sunt *peccata*, quod etiam sunt *poenae* [8] peccati. *Speciali*

---

[1] De his tribus agitur hic et 2 sequ. capp.

[2] Eccli. 10, 15. — Seq. locus est 1. Ioan. 2, 16. — De timore male humiliante et amore etc. vide tom. II. pag. 116, nota 7; de capitalibus peccatis II. Sent. d. 12. dub. 3. et 4.

[3] Ita A C K M P S W, alii codd. et edd. *recessus*. Mox pro *potest* et subinde pro *est superbia* nonnulli codd., et I L, *possit* et *sit superbia* (Vat., 1, 3 et aliqui codd. *cum sit superbia*). Inferius pro *principium summum* I M O *primum principium*, A I Q S et 2 *primum principium* [V Q 2 addunt *vel*] *summum*, alii codd. *primum et summum principium*.

[4] August., XIV. de Civ. Dei, c. 7. n. 2: Amor ergo... fugiens quod ei adversatur, timor est. Libr. de Beata Vita, n. 11. ipse ait: Ergo quod amat quisque, si amittere potest, potesne non timere? Non potest. Cfr. tom. III. pag. 766, nota 3.

[5] II addit *quod est extrema luxuria* (cfr. paulo superius).

[6] I. M O V *est omnis fuga*. Superius plures codd. omittunt *perversum*. Inferius ex S et 2 ante *appetibilis* supplevimus *rei*.

[7] Ita S (scil. privatum bonum possidere), alii codd. et edd. *hoc non de facili obtineatur*. Mox pro *exercitum* Vat. cum pluribus codd. perperam *exercitium*. Subinde pro *exsequendo* substituimus cum II T *consequendi*, 2 *assequendi*.

[8] Edd., excepta 2, cum paucis codd. *poenae*.

Digitized by Google

Hoc dicitur triplicitur. namque modo *peccatum* et *poenae* peccati dicuntur illa quae habent adimentum dolorem et moestitiam, sicut invidia, accidia et consimilia. — *Minus specialiter* dicuntur illa quae habent adimentum vel veram depravationem naturae, vel ignominiam, sicut sunt illa, quantum ad quae dicitur peccator *tradi in reprobum sensum* [1]. — *Generaliter* autem peccata, quae « sunt inter primam apostasiam et ultimam poenam gehennae, et *peccata* dici possunt et *poena* peccati [2] », iuxta quod dicit Gregorius, crimina

Thesis 2. criminibus vindicari. — Licet autem idem dicatur *peccatum* et *poena* peccati, tenendum tamen est, quod omnis poena in quantum *poena* iusta est et a Deo; nulla vero *culpa* iusta hoc a Deo, sed tan-

Thesis 3. tum a libero voluntatis arbitrio. — Poena vero, quae mere poena est, a Deo est inflicta; quae vero est *culpa*, vel inclinans ad culpam est *contracta*, vel *acta* [3].

Ratio. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum malum dicat recessum a primo prin-

Pro thesi 1. cipio, per hoc quod nocet bono; non autem nocet bono nisi aliquid adimendo de bono; bonum autem consistit in modo, specie et ordine: malum est malum, quod non sit corruptivum modi, speciei et or-

Duplex ordo et malum. dinis [4]. Ordo autem duplex est, scilicet ordo *naturae* et ordo *iustitiae*. Ordo *naturae* est in bono *naturali*, ordo *iustitiae* in bono *morali*; et quia bonum *naturale* est in omni natura, bonum *morale* in voluntate habet consistere: ideo ordo *naturae* est in omni natura, ordo vero *iustitiae* in voluntate electiva consistit. Et quia *voluntas* « est instrumentum se ipsum movens [5] », *natura* vero minime; hinc est, quod ordo *iustitiae* est ordo non tantum *factus*, sed etiam *factivus*; ordo vero *naturae* est ordo *factus*. Quoniam ergo malum privare potest ordinem *iustitiae* et ordinem *naturae*; hinc est, quod duplex est malum, scilicet *culpae* et *poenae*.

Hursus, quia ordo *iustitiae* est ordo voluntarius;

Culpa est voluntaria, poena involuntaria. hinc est, quod « malum *culpae* est affectio voluntaria, malum autem *poenae* est affectio involuntaria [6] ».

Postremo, quia ordo *iustitiae*, qui est in voluntate, est ordo *factivus*; ideo « malum culpae, quod est eius privatio, est malum, quod facimus, et ordinem poenae est malum, quod patimur ». Et quia passio non est, nisi naturaliter praecedat actio; nec actio, ad quam non sequatur aliqua passio [7]: hinc

Se conclusio. est, quod nulla est *poena* sine praecedente merito *culpae*, nulla est etiam *culpa*, quin comitetur aliqua *poena*.

Et quoniam quod facimus a nobis est, quod patimur potest esse a nobis et ab aliis, utpote a causa superiori, vel inferiori: ideo, licet omnis *culpa* sit a nobis, non tamen omnis *poena* est a nobis, immo Triplex poena. quaedam a nobis *acta*, quaedam *inflicta*, quaedam *contracta*.

Et quia eum qui fecit quod non debet, iustum Pro thesi 2. est pati quod debet; ideo omnis poena in quantum *poena* iusta est et a divina providentia, qua ordinata ad culpam et ipsius culpae ordinativa.

Quia vero passio illa potest esse per adeumptionem Pro thesi 3. boni *naturalis*, vel boni *moralis* cum naturali; hinc est, quod quaedam poena est *mere poena*, quaedam Distinctio. vero est *poena et culpa*; quia bonum *morale*, quod est iustitia, non adimitur nisi per iniustitiam, quae est culpa. — Prima igitur poena est a Deo et secundum quod *poena*, et secundum id quod *est*: a Deo, inquam, non *instituente*, sed *vindicante*. Secunda vero, cum sit culpa, secundum id quod *est* [8], a Deo non est, sed solum quantum ad *ordinem*. Ipsi vero vel est *acta*, si sequatur ad actuale, vel est *contracta*, si sequatur ad originale.

Si ergo propriae accipiatur malum, secundum Corollarium. quod est privatio boni naturalis et affectio involuntaria et malum, quod patimur; sic non concidit cum ordo *culpae* in idem, licet sit annexum eidem. Si autem accipiatur *large*, ut dicatur malum, quod patimur sive a nobis, sive aliunde, sive in natura, sive in voluntate; sic concidunt *in idem*, sed non *ad idem*, vel *secundum idem*: quia quod est *culpa* in se dicitur praecedentis [9] *poena*; vel: *culpa* ratione *actionis* dicitur *esse poena* ratione *passionis*. — Et sic patet, quomodo, pro quanto et quare aliquid simul dicatur *peccatum* et *poena peccati*.

---

[1] Rom. 1, 28: Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt. Cfr. Ibid. v. 24. et 26, ubi dicitur, quod « tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immundiciam » et « in passiones ignominiae ». — Pro *ignominiam* I P et 2 *ignorantiam*, atque edd. *ignominiam vel ignorantiam*.

[2] His verbis complectitur Magister in II. Sent. d. XXXVI. c. 1. sententiam August., Enarrat. in Ps. 57, 9. n. 18. Ibid. c. 1. et 3. habetur etiam sententia Gregorii, quae, si *verba* attendantur, ab August., I. contra Adversarium Legis et Prophet. c. 24. n. 51, exhibetur in exponendo praenotatum verbum Apostoli (Rom. 1, 26: Tradidit illos Deus in passiones ignominiae): « ut crimina criminibus vindicarentur ».

[3] Vide tom. II. pag. 826, nota 4. de hac poenae distinctione verba Praepositivi. — Materia huius cap. exponitur II. Sent. d. 36. per totam. — Superiores litt. S ponimus *libero* pro *liberae*.

[4] Cfr. supra c. 1., et II. Sent. d. 35. per totam, ubi etiam (praesertim a. 2. q. 1.) quae sequuntur fusius declarantur. — Inferius non parci codd. omittunt *habet consistere*, et pro *consistit*, quod praebent A S et 2, alii codd. et edd. ponunt *habet considere*.

[5] Ut dicit Anselm., de Concord. grat. et lib. arb. q. 3. c. 11.

[6] Secundum August., III. de Lib. Arb. c. 9. n. 26. Cfr. tom. II. pag. 825, nota 4. Ibid. nota 3. seq. ipsius sententia seq. ex I. de Lib. Arb. c. 1. n. 1. habetur. — Mox voci *factivus* A praeeuntibus *activus sive*.

[7] Gilbert. Porret., de Sex Princip. c. *de Actione*: Omnis enim actio passionis est effectiva, et omne passionem inferens actio est. — Inferius pro *quin* A C E H *quam non*.

[8] Edd., excepta 2, cum aliquot codd. *quod culpa est*. Pro *vindicante* H M Q et 2 *indicante*. Mox pro *sed solum* edd. cum uno alterique cod. *nisi solum*.

[9] Edd., excepta 2, *dicitur respectu praecedentis culpae*.

Digitized by Google

Cap. XI.

De origine peccatorum finalium, quae sunt peccata in Spiritum sanctum.

De peccatis autem *finalibus* sive irremissibilibus, cuiusmodi sunt peccata in Spiritum sanctum,
Thesis 1. haec tenenda sunt, quod licet omne peccatum *generaliter* sit contra Deum truncum et unum, *appropriate* tamen dicitur aliquod peccatum esse *in Patrem*, aliquod *in Filium*, aliquod *in Spiritum san-*
Thesis 2. *ctum*. — Hoc autem peccatum in Spiritum sanctum *irremissibile* dicitur in hoc saeculo et in futuro[1], non quia in hoc saeculo non possit dimitti, sed quia raro dimittitur aut vix in hoc saeculo quantum ad *culpam*, modicum autem et quasi nihil fit sibi re-
Thesis 3. missio in futuro quantum ad *poenam*. — Huius autem peccati sex sunt differentiae, scilicet *invidia fraternae gratiae, impugnatio veritatis agnitae, desperatio, praesumptio, obstinatio mentis* et *impoenitentia finalis*.

Ratio autem ad intelligentiam praedictarum haec
Ratio est: quia, cum peccatum dicat recessum a primo
Pro thesi 1. principio trino et uno, omne peccatum imaginem Trinitatis deformat et ipsam animam faedat quantum ad triplicem potentiam, scilicet irascibilem, rationalem et concupiscibilem; et a libero arbitrio procedit, quod gerit in se insigne Trinitatis: Patris, ratione *facultatis*; Filii, quia *rationis*; Spiritus sancti, quia *voluntatis*[2].

Licet autem haec tria concurrant simul ad omnem culpam, quaelibet tamen harum per suum
Tres species et fit a quinta peccati defectum potest esse ratio deordinandi alias. Defectus autem circa *facultatem* est impotentia, circa *rationem* est ignorantia, circa *voluntatem* est malitia. Et hinc est, quod cum quaedam sint peccata ex *impotentia*, quaedam ex *ignorantia*, quaedam ex *malitia*;
Hic agens principaliter. et potentia attribuatur Patri, sapientia Filio et voluntas Spiritui sancto[3]; quod quaedam dicuntur esse *in Patrem*, quaedam *in Filium*, quaedam *in Spiritum sanctum*. Et quoniam nihil magis est in voluntate quam ipsa voluntas[4]; et voluntas ipsa est origo peccati: nullum peccatum est adeo voluntarium et mere, sicut illud quod provenit ex corruptione existente in *voluntate*. — Cum enim dupliciter dicatur involuntarium, scilicet per *violentiam* et per
Duplex involuntarium. *ignorantiam*: primum per defectum potentiae, secundum per defectum scientiae[5]; quando voluntas sola corruptione sua, licet possit resistere et scit, hoc malum esse, aliquid eligit; tunc dicitur pec-
Quid sit peccatum in Spiritum s. care *ex certa malitia*; et tale peccatum mere proceslit ex improbitate voluntatis liberi arbitrii et directe impugnat gratiam Spiritus sancti. — Et quia mere
Pro thesi 2. procesit ex libero arbitrio, ideo non habet colorem excusationis, et propterea modicum et quasi nihil debet ei qui punitur, de *poena*[6] relaxari. Quia vero directe impugnat gratiam Spiritus sancti, per quam fit remissio peccati; ideo dicitur *irremissibile*, non quia nullo modo possit remitti, sed quia, quantum est de se, directe est impugnativum medicamenti et remedii, per quod fieri habet remissio peccati.

Et quoniam remissio peccati fit a Deo per gra-
Pro thesi 3. tiam paenitentialem intra ecclesiasticam unitatem; ideo differentiae huius peccati accipiuntur, secundum quod directe impugnant illa tria. Aut enim impu-
Impugnant tria. gnant ipsam gratiam poenitentialem *in se*; aut in *comparatione ad Deum*, a quo datur; aut in *comparatione ad Ecclesiam*, in qua suscipitur. Si in
De prima. *comparatione ad unitatem Ecclesiae*; sic, quia unitas Ecclesiae consistit in fide et caritate, sive in gratia et veritate[7]: sic est duplex peccatum, scilicet *invidia fraternae gratiae* et *impugnatio veritatis agnitae*. — Si in *comparatione ad Deum* dantem;
De secunda. cum *universae viae eius* quantum ad iustificationem maxime sint *misericordia et veritas*[8], sic est duplex peccatum: unum scilicet, quod impugnat misericordiam, et hoc est *desperatio*; aliud, quod impugnat iustitiam, et hoc est *impunitatis praesumptio*. — Si
De tertia. vero impugnat ipsam gratiam poenitentialem *in se* vel secundum se, sic est duplex: quia gratia poenitentialis facit *resilire* a commissis[9] et *praecavere* a committendis. Contra primum est *obstinatio mentis*, contra secundum est *impoenitentia finalis*, se-
Duplex impoenitentia finalis. cundum quod *finalis impoenitentia* dicitur propositum non poenitendi; sic enim est species peccati in Spiritum sanctum. Secundum autem quod *finalis impoenitentia* dicit continuationem peccati usque in finem; sic est sequela omnium mortalium, quae in hac vita non remittuntur, et maxime omnium speciemum peccati in Spiritum sanctum.

---

[1] Matth. 12, 32: Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro (ibid. mentio fit peccati contra *Filium* hominis). — De hoc cap. cfr. II. Sent. d. 43. per totum.

[2] Ibid., excepta 2. *Filii, ratione rationis; Spiritus sancti, ratione voluntatis*. Pro *utique* plures codd. *magnum*.

[3] Cfr. supra p. I. c. 6. — De triplici peccato, scil. ex infirmitate, ignorantia et malitia, eiusque diversa gravitate vide Gregor., XXV. Moral. c. 11. n. 28, et Isidor., II. Sent. sive de sum. Bono, c. 17. n. 3. sqq., ex quo Magister Sent. quaedam recepit II. Sent. d. XXII. c. 4. in hac.

[4] August., I. de Lib. Arb. c. 12. n. 26: Quid enim tam in voluntate quam ipsa voluntas sita est? Ibid. III. c. 3. n. 7: Nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas est. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XLI. c. 1. — Pro *et mere* I. et S *et merum* (sed. peccatum).

[5] Vide Aristot., III. Ethic. c. 1, et Damasc., II. de Fide orthod. c. 24. Cfr. II. Sent. d. 22. a. 2. q. 3. — Interius post *Spiritus sancti* Vat., I et 3 addunt *per quam fit remissio peccati*.

[6] Plures codd., inter quos etiam E. I. M. S., *de culpa*.

[7] Ioan. 1, 17: Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.

[8] Psalm. 24, 10: Universae viae Domini [ita etiam D] misericordia etc. Cfr. IV. Sent. d. 16. a. 2. q. 3.

[9] Edd. cum aliquot codd. praeeligunt *peccatis*.

Digitized by Google

Et sic omnis peccatum *initium* sumit a superbia[1] et *consummationem* sive finem habet in finali impœnitentia; in quam qui pervenerit corruit in gehennam, a qua nullus peccans mortaliter potest liberari, nisi intervenit gratia mediatoris Christi. Et ideo incarnationem ipsius desiderabat universitas salvandorum, cui mediatori Domino nostro omnis *honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen*[2].

PARS QUARTA.

De incarnatione Verbi.

CAP. I.

De ratione, qua Verbum Dei debuit incarnari vel decuit.

Postquam aliqua prædicta sunt de Trinitate Dei, de creatura mundi et de corruptela peccati; restat nunc aliqua breviter dicere de incarnatione Verbi, per quod quidem Verbum incarnatum factum est salus et reparatio generis humani, non quia aliter Deus non potuerit humanum genus salvare vel liberare, sed quia nullus alius modus erat ita congruus et convenienS ipsi *reparatori* et *reparabili* et *reparationi*[3].

Congruit reparatori tripliciter.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia, cum principium effectivum rerum non potuerit nec decuerit esse nisi Deum; et non minus sit res conditas reparare quam in *esse* producere[4], sicut non minus est *bene esse* quam *simpliciter esse*: decentissimum fuit, rerum principium reparativum esse Deum summum, ut, sicut omnia creaverat Deus per Verbum increatum, sic omnia curaret per Verbum incarnatum[5]. Quoniam ergo Deus omnia fecit potenter, sapienter et optime seu benevolenter; decuit, ut sic repararet, quod suam *potentiam*, *sapientiam* et *benevolentiam* ostenderet. Quid autem *potentius* quam coniungere extrema summe distantia in unam personam[6]? Quid *sapientius* et congruentius, quam quod ad perfectionem totius universi fieret coniunctio primi et ultimi, Verbi scilicet Dei, quod est omnium principium, et humanæ naturæ, quæ fuit ultima omnium creaturarum? Quid *benevolentius*, quam quod Dominus propter servi salutem accipiat *formam servi*[7]? homo hoc tantæ benignitatis est, ut nihil clementius, nihil benignius, nihil amabilius cogitari possit. — Convenientissimus ergo erat hic modus Deo *reparatori* propter commendandam divinam potentiam, sapientiam et benevolentiam.

Congruit reparabili tripliciter.

Rursus, quia homo, cadens in culpam, averterat se et recesserat a principio[8] potentissimo, sapientissimo et benevolentissimo; ideo corruerat in *infirmitatem*, *ignorantiam* et *nutiquitatem*, ac per hoc de spirituali effectus est carnalis, animalis et sensualis; et ideo inaptus erat ad divinam *virtutem imitandam*, ad *lucem cognoscendam*, ad *bonitatem diligendam*. Ad hoc igitur, quod homo ab isto statu repararetur, congruentissimum fuit, ut ei condescenderet primum principium, reddendo se illi *noscibile*, *amabile* et *imitabile*. Et quia homo carnalis, animalis et sensualis non noverat nec amabat nec sequebatur nisi sibi proportionalia et consimilia; ideo ad eripiendum hominem de hoc statu *Verbum caro factum est*[9], ut ab homine, qui caro erat, et *cognosci* posset et *amari* et *imitari* ac per hoc et homo Deum cognoscens et amans et imitans remoliretur a morbo peccati.

Congruit reparationi tripliciter.

Postremo, quia homo perfecte reparari non poterat, nisi recuperaret *nativa innocentiam*, *Dei amicitiam* et *suam excellentiam*, qua soli Deo suberat; et hoc non poterat fieri nisi per Deum in forma servi: ideo congruum fuit, Verbum incarnari. — *Excellentiam* namque recuperare non poterat, nisi reparator esset Deus: quia, si mera creatura, tunc homo esset illi meræ creaturæ subiectus, et sic non recuperaret statum excellentiæ[10]. — *Amicitiam* quoque Dei

Primo.

Secundo.

---

[1] Vide supra c. 9. — Inferius post *a quo* cdd. addunt *quidem impœnitentia finali*. I. M V autem posse putamus: *nullus mortalis potest liberari, nisi, dum vivit, pœniteat, adiuvante et intervenente gratia mediatoris* etc.

[2] Epist. 1. Tim. 1, 17. Hebr. 2, 3: Unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.

[3] Cfr. III. Sent. d. 1. a. 2. q. 1. 3; d. 20. q. 1. 2. et 6.

[4] August., de Verbis Apostoli, serm. 176. (alias 10.) c. 5. n. 5: Nemo timeat, nisi qui creat etc. Cfr. tom. III. pag. 28, nota 2. — Superius cdd., excepta 2, *Aoci principium* praeferunt *pronum*, et I *Deus* pro *Deum*.

[5] Cfr. Ioan. 1, 3. et 14. Vide tom. III. pag. 30, nota 4. — Pro *curaret* A W *reconciliaret*, Vat., I et 3 *repararet*, quae etiam inferius post *repararet* addunt *reparandi*.

[6] Vide Bernard., Serm. 3. in Vigilia Nativit. Domini, n. 8. et Serm. 2. in Nativit. Domini, n. 1. — Sed ratio est secundum hereticum; cfr. tom. III. pag. 19, nota 2.

[7] Phil. 2, 7.

[8] III. M V *a primo principio*. Inferius scribunt *divinam virtutem* S intercedit *nativam vel*, et pro *statu* C I P substituunt *esse*.

[9] Ioan. 1, 14. Cfr. August., de Vera Relig. c. 16. n. 30. seqq. et c. 55. n. 110. — Post *cognoscendum* III addunt *vel cognoscendum*. Inferius permulti cdd. et 2 omittunt *et imitari*.

[10] Vide supra pag. 183, nota 3. — I cdd., excepta 2, *statum pristinae excellentiae*. Superius pro *namque* P S *autem*. Inferius post *et ideo* P breviius concludit *Deus factus est similis homini* etc.

Digitized by Google

recuperare non poterat nisi per mediatorem convenientem, qui manum posset ponere in utrumque et utrique parti conformis esset et utrique amicus, et ideo, sicut similis Deo per Divinitatem, sic similis homini per humanitatem. — *Innocentiam* vero mentis recuperare non poterat, nisi dimissa culpa; quam dimittere non decebat divinam iustitiam nisi per satisfactionem condignam; et quia satisfacere non *poterat* nisi Deus pro toto humano genere, nec *debebat* nisi homo, qui peccaverat: ideo congruentissimum fuit, humanum genus reparari per Deum-hominem natum [1] de genere Adae. — Quoniam ergo *excellentia* recuperari non poterat nisi per reparatorem excellentissimum, nec *amicitia* reformari poterat nisi per mediatorem amicabilissimum, nec *innocentia* reacquiri poterat nisi per satisfactorem sufficientissimum; *excellentissimus* autem reparator non est, nisi sit Deus; *amicabilissimus* mediator non est, nisi sit homo; *sufficientissimus* satisfactor non est, nisi sit Deus pariter et homo: *congruentissima* fuit nostrae reparationi incarnatio Verbi, ut, sicut genus humanum in *esse* exierat per Verbum *increatum* et in culpam ceciderat descendendo [2] Verbum *inspiratum*; sic a culpa resurgeret per Verbum *incarnatum*.

Tertio. Concludit.

Cap. II.

De incarnatione quantum ad unionem naturarum.

Circa ipsum autem Verbum incarnatum tria notis considerandi occurrunt, scilicet *unio naturarum*, *plenitudo charismatum* et *perpessio passionum* propter redimendum genus humanum [3]. — Circa *naturarum unionem* haec tria considerandi sunt ad intelligendum incarnationis mysterium, scilicet *opus*, *modus* et *tempus*.

Tria considerandi

De *opere* autem incarnationis haec tenenda sunt secundum fidem christianam, quod incarnatio est operatio Trinitatis, per quam fit assumptio carnis a Deitate et unio Deitatis cum carne; ita quod assumptio non tantum est carnis sensibilis, sed etiam spiritus rationalis secundum potentiam vegetandi, sentiendi et intelligendi; ita etiam, quod unio non fit in unitate *naturae*, sed *personae*, non *humanae*, sed *divinae*, non *assumptae*, sed *assumentis*; non personae *cuiuslibet*, sed personae *solius Verbi*; in qua tanta fit unio, ut quidquid dicitur de Filio Dei dicatur de filio hominis, et e converso, his tamen exceptis, in quibus exprimitur unio, vel claudit negatio [4].

Thesis 1. Thesis 2. Thesis 3. Thesis 4. Thesis 5.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia incarnationis opus non solum est a primo principio, in quantum est effectivum in producendo, verum etiam, in quantum est reparativum *remediando*, *satisfaciendo* et *reconciliando*. Quoniam ergo incarnatio, in quantum dicit aliquem effectum, est a primo principio, quod omnia facit ratione summae virtutis; et substantia, virtus [5] et operatio unita est et indivisa omnimode in tribus personis: hinc est, quod necesse est, incarnationis operationem a tota Trinitate manare.

Ratio. Pro thesi 1. Reparatio fit triplicitur.

Quia vero est a primo principio, in quantum est reparativum *remediando*; et totum genus humanum ipsum fuerat et vitiatum, non solum ratione animae, verum etiam carnis: hinc est, quod necesse fuit, quod totum assumeretur, ut totum curaretur [6]. — Et quoniam nobis magis nota est pars carnis et magis a Deo distat; ut expressior fiat nominatio, et maior exprimatur humiliatio, et profundior explicetur dignatio: hinc est, quod ipsa illud non *inanimatio*, sed *incarnatio* nominatur.

Pro thesi 2. Corollarium.

Rursus, quia est a primo principio, in quantum est reparativum *satisfaciendo*, et satisfactio non fit, nisi ab eo qui *debet* et *potest*; et non *debet* nisi homo, nec *potest* nisi Deus: oportuit, quod in satisfactione simul esset concursus utriusque naturae, divinae scilicet et humanae. Et quia impossibile est, quod divina natura concurrat cum alia sicut pars ad constitutionem tertii; nec quod ipsa transeat in aliam naturam, nec alia natura transeat in ipsam, propter simplicitatem et immutabilitatem ipsius perfectissimam: hinc est, quod Deitas et humanitas non miscentur in unitate *naturae* nec *accidentis*, miscentur ergo in unitate *personae* et *hypostasis*. Et quoniam divina natura in nullo supposito potest subsistere praeterquam in propria hypostasi; ideo unio illa non potest esse in hypostasi seu persona *hominis*, sed *Dei*; ac per hoc per illam unionem primum principium in una suarum hypostasium fecit se ipsum suppositum humanae naturae: et ita una tantum est ibi personalitas et unitas personalis, ex parte scilicet *assumentis*.

Pro thesi 3.

Postremo, quia est a primo principio, ut est reparativum *reconciliando*; et reconcilians est mediator, mediatio autem proprie convenit Dei Filio: ideo

Pro thesi 4.

---

[1] A E addunt *de Virgine*.

[2] Val. et 3 cum uno alterove cod. tantum (ut K) pro *descendo* substituunt *per*, referentes *verbum inspiratum* ad verba serpentis in paradiso. Quae lectio nec codd. nec modo loquendi S. Doctori familiari (cfr. infra Itinerar. c. 4.) convenit.

[3] De primo agitur c. 2-4; de secundo c. 5-7; de tertio c. 8-10.

[4] Cfr. III. Sent. d. 1. a. 1. q. 2. ubi de operatione Trinitatis in incarnatione; d. 2. a. 2. ubi de natura assumta, scil. carne et spiritu; d. 5-7. de ipsa unione; d. 11. a. 2. q. 3. ad 3. ubi de exceptis a communicatione idiomatum. — Pro *his tantum* 1, 2, 3 cum pluribus codd. *his tantum*. Superius vocibus *ita quod* A C S T et 2 inserunt *hinc*.

[5] Ed. 1, omisso *substantia*, legit *et summa virtus*. S. Doctor respicere videtur illam trinomiam divisionem superius pag. 265, nota 7. ex Dionysio allatam; de qua, I. Sent. d. 8. p. 2. q. 2, docet, quod in omni creato, sed non in Deo, illa membra realiter differant. — T *et summa substantia, virtus*.

[6] Secundum loquendi modum Damasc.; cfr. tom. III. pag. 268, nota 2. — Inferius pro *inanimatio* fere omnes codd. et 2 *animatio*.

Digitized by Google

et incarnatio. Mediatoris namque est esse *medium* inter hominem et Deum ad reducendum hominem ad divinam *cognitionem*, ad divinam *conformitatem* et ad divinam *filiationem*. Nullum autem magis decet esse *medium* quam personam, quae producit et producitur, quae est media trium personarum; nullumque magis decet reducere hominem ad divinam *cognitionem* quam Verbum, quo se Pater declarat, quod est mediale carni, sicut et verbum voci [1]; nullum etiam magis decet reducere ad divinam *conformitatem*, quam eum qui est imago Patris; nullum magis decet ad *filiationem adoptivam* reducere quam Filium naturalem: ac per hoc nullum magis decet fieri filium hominis quam ipsum Filium Dei [2].

Pro thesi 3. Quoniam ergo omnino idem est Filius hominis et Dei ratione incarnationis; et « quaecumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem [3] »: hinc est, quod necessario fit communicatio idiomatum, nisi sit vocabulum, in quo aliqua repugnantia includatur; sicut sunt illa, in quibus includitur respectus unionis unius naturae ad alteram, sicut *unire*, *incarnari*, *assumere* et *assumi*; vel negatio alicuius, cuius oppositum alteri competit, sicut *incipere esse*, *errari* et consimilia, in quibus instantia fertur contra regulam praehabitam propter causam praedictam.

Cap. III.

De incarnatione quantum ad modum.

De *modo* incarnationis hoc tenendum est, quod Thesis 1. Angelo nuntiante beatissimae Virgini Mariae mysterium incarnationis perficiendum in ipsa, Virgo credidit, appetiit et consensit; Spiritus sanctus in eam supervenit [4] ad sanctificandum et fecundandum, cuius virtute « Virgo concepit Dei Filium, quem Virgo peperit et Thesis 2 post partum Virgo permansit ». — Concepit autem non solum carnem, verum etiam carnem animatam et Verbo unitam, nulli peccato obnoxiam, sed omnino sanctam et immaculatam, ratione cuius *mater Dei* dicitur et est dulcissima Virgo Maria.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia incarnatio est opus humanum a primo principio, in quantum est reparativum modo *congruentissimo*, *communissimo* et *completissimo*. Decet enim eius *sapientiam* operari *congrue*, decet eius *largitatem* operari [5] *communiter*, et *virtutem*, operari *perfecte*. Triplex modus.

Quoniam ergo incarnatio est a primo principio reparante modo *congruentissimo*; et congruus modus est, quod medicina ex opposito respondeat morbo, et reparatio lapsui, et remedium nocumento; cum genus humanum lapsum fuerit per *diabolicam suggestionem* et per *consensum mulieris* deceptae et per *generationem concupiscentialem*, transfundentem originale in prolem [6]: oportuit, quod e contrario hic esset *Angelus bonus* suadens bonum, et *Virgo credens* et consentiens in bonum suasum, et *virtus Spiritus sancti* sanctificans et fecundans ad conceptum immaculatum; ut sic « contraria contrariis curarentur [7] ». Ac per hoc, sicut mulier, per diabolum decepta et per virum concupiscibiliter cognita et corrupta, transfudit in omnes culpam, morbum et mortem; sic mulier, per Angelum erudita et per Spiritum sanctum sanctificata et fecundata, absque omni corruptione tam mentis quam corporis prolem generaret, quae omnibus ad ipsam venientibus daret gratiam, sanitatem et vitam. Pro thesi 1. theses 2 et 3 congruentissimo modo.

Rursus, quia incarnatio est a primo principio reparante modo *communissimo* — nam per Verbum incarnatum reparatur lapsus hominum et angelorum, utpote caelestium et terrestrium [8] et hominum lapsus reparatur secundum utrumque sexum — ut medicamentum sit *commune omnibus*, decentissimum fuit, quod ad incarnationis mysterium fieret concursus *Angeli*, *mulieris* et *viri*: *Angeli* ut denuntiantis, *mulieris Virginis* ut concipientis, *viri* vero ut concipiendae prolis; ut sic *Angelus Gabriel* esset nuntius Patris aeterni, *Virgo immaculata* esset templum Spiritus sancti, *proles concepta* esset ipsa persona Verbi; ac per hoc in communi reparatione omnium communis fieret concursus trium de triplici hierarchia, scilicet divina, angelica et humana, ad insinuandam non solum Trinitatem Dei, verum etiam generositatem beneficii et liberalitatem reparatoris summi. Et quoniam *liberalitas* Spiritui sancto appropriatur et *sanctificatio Virginis*, in qua peracta fuit Verbi conceptio; hinc est, quod licet opus illud sit a tota Trinitate, *per appropriationem* tamen dicitur Virgo concepisse de Spiritu sancto [9]. Item, et communissimo.

Postremo, quoniam est a primo principio reparante modo *completissimo*; hinc est, quod in conceptione completio debita fuit in *prole*, fuit in *concepta*, fuit et in *virtute concipiente*. Quia completio debita deficit esse in *prole*, hinc est, quod in Pro thesi 2. ratione ex modo completissimo implicitus.

---

[1] Vide I. Sent. d. 27. p. II. q. 4. Cfr. etiam supra p. I. c. 2. seqq.

[2] Cfr. III. Sent. d. 4. a. 2. q. 3.

[3] Aristot., I. Elench. c. 5. (c. 6.).

[4] Vide Luc. I, 26. seqq. — Seq. sententia est ex August., Serm. 196. (alias 59. de Diversis) c. 1. n. 1. Cfr. Serm. 51. (alias 63. de Diversis), c. 11. n. 18. — De hoc cap. vide III. Sent. d. 3-5. — Superius pro *perficiendum* I M V *completum*.

[5] Multi codd. non repetunt *decet eius* nec *operari*, quod etiam paulo post omittitur a pluribus codd. Superius ante *communissimo* et *completissimo* codd. et plures codd. repetunt *modo*.

[6] Vide supra p. III. c. 2-7. — Post *originale* 2 eum pluribus codd. addit *peccatum*, II legit *originalem culpam*.

[7] Secundum Gregor. Vide tom. IV. pag. 37, nota 4. — Inferius pro *concupiscibiliter* E I O P Q T U *concupiscentialiter*, et pro *sanitatem* K *salutem*.

[8] Cfr. Col. I, 20. — Vide III. Sent. d. 2. dub. 4.

[9] Diffusius explicatur hoc III. Sent. d. 4. a. 1. q. 1. — Pro *peracta* P *operata*.

Digitized by Google

instanti conceptionis non tantum fuit seminis decisio, verum etiam consolidatio, configuratio, vivificatio per animam et dedicatio per Deitatem unitam; ut sic Virgo Dei Filium vere conciperet propter[1] unionem carnis ad Deitatem, mediante spiritu rationali, per quem tanquam per medium congruentiae caro erat idonea ad unionem. — Quia vero completio debita deluit esse in *conceptu;* cum ex quatuor modis tres modi producendi hominem praecessissent: primus nec de viro nec muliere, sicut in Adam; secundus de viro sine muliere, sicut in Eva; tertius de muliere et viro, sicut in omnibus concupiscibiliter natis: decuit, ad complementum universi quartum modum introduci, qui scilicet esset de muliere sine semine virili per virtutem summi operatoris[2]. — Quia vero completio debita deluit esse in *virtute;* hinc est, quod in conceptione Filii Dei simul concurrit virtus *innata*, virtus *infusa* et virtus *increata:* virtus *innata* materiam praeparavit, virtus *infusa* purificando segregavit, virtus *increata subito* perfecit quod non poterat a virtute creata nisi *successive* fieri. Et sic beatissima Virgo Maria mater fuit completissimo modo, ipsum Dei Filium concipiendo absque viro, fecundante Spiritu sancto. Quia enim in mente Virginis amor Spiritus sancti singulariter ardebat; ideo in carne eius virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat, gratia scilicet partim *excitante*, partim *adiuvante*, partim *elevante* naturam, iuxta quod conceptus ille mirabilis exigebat.

Modi 3 producendi hominem.

Virtus compleX.

Cap. IV.

De incarnatione quantum ad plenitudinem temporum.

De *tempore* vero incarnationis hoc tenendum est, quod licet Deus a principio potuerit incarnari, noluit tamen nisi in fine saeculorum, praecedente lege naturae et lege figurae, post Patriarchas et Prophetas, quibus et per quos fuit incarnatio repromissa. — Post quos incarnari dignatus est tanquam in *fine temporum* et *plenitudine*, iuxta quod dicit Apostolus[3]: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret.*

Post duplicem legem, post Patriarchas et Prophetas.

In fine temporum et plenitudine.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia incarnatio est opus primi principii reparantis, iuxta quod decet et convenit secundum *libertatem arbitrii*, secundum *sublimitatem remedii* et secundum *integritatem universi;* nam sapientissimus Artifex in agendo omnia haec attendit. — Quoniam ergo *libertas arbitrii* hoc requirit, ut ad nihil trahatur invita; sic deluit Deus genus humanum reparare, ut salutem inveniret qui vellet quaerere Salvatorem, qui vero nollet Salvatorem quaerere nec salutem per consequens inveniret. Nullus autem quaerit *medicum*, nisi recognoscat morbum[4]; nullus quaerit *doctorem*, nisi recognoscat se ignorantem; nullus quaerit *adiutorem*, nisi recognoscat se impotentem. Quia igitur homo in principio sui lapsus adhuc superbiebat de *scientia* et *virtute;* ideo praemisit Deus tempus legis naturae, in quo convinceretur de *ignorantia*; et post, cognita ignorantia, sed permanente *superbia de virtute*, qua dicebant: non deest qui faciat, sed deest qui iubeat; addidit legem praeceptis moralibus erudientem et caeremonialibus aggravandem; ut *habita scientia*, et *cognita impotentia*, confugeret homo ad divinam misericordiam et gratiam postulandam, quae data est nobis in adventu Christi. Ideo post legem naturae et Scripturae subsequi deluit incarnatio Verbi[5].

Ratio.

Congruit 1° libertati arbitrii.

Congruit 2° libertati arbitrii.

Post duplicem legem.

Rursus, quoniam *sublimitas remedii* requirit, ut *credatur* fide firmissima et *ametur* caritate ardentissima tanquam mysterium secretissimum et salutiferrimum; ideo congruentissimum fuit, ut ante Christi adventum praeirent multa *testimonia* Prophetarum, tam explicita in verbis quam implicita in figuris, ut multis et firmis testimoniis quod erat secretum fieret certum et indubitabile ad credendum; praeirent etiam multiplicia *promissa* et ardentissima *desideria*, ut promissum beneficium exspectaretur, exspectatum differretur, dilatum amplius desideraretur, et diu desideratum ferventius amaretur et gratiosius susciperetur et sollicitius servaretur[6].

Item, sublimitati remedii.

Post Patriarchas et Prophetas.

Postremo, quoniam *integritas et perfectio universi* requirit, ut universa sint ordinata quantum ad loca et tempora; et hoc opus incarnationis erat perfectissimum inter omnia opera divina; et processus debet esse ab imperfecto ad perfectum, et non e converso[7]; hinc est, quod opus illud deluit fieri in *fine temporum*, ut, sicut primus homo, qui erat totius mundi sensibilis ornamentum, ultimo fuerat conditus, scilicet sexto die, ad totius mundi completionem: sic secundus homo, totius mundi reparati complementum, in quo primum principium omnium

Item, integritati universi.

In fine temporum.

---

[1] Ita D E S, in aliis et edd. per. — De medio congruentiae vide III. Sent. d. 2. a. 3. q. 1.

[2] Secundum Anselm., II. Cur Deus homo, c. 8; idem, verbis notatis, invenitur in opusculo, cui titulus: Sermones ad fratres in eremo (inter opera August.), serm. 28. — Pro *concupiscibiliter* plures codd. *concupiscentialiter*. Paulo inferius post *in virtute* D P W addunt *concipiente*. Subinde multi codd. omittunt *beatissima*.

[3] Gal. 4, 4. seq. — Vide de hoc cap. III. Sent. d. 1. a. 2. q. 4. et dub. 1. — Superius pro *a principio* [2 cum aliquot codd. *a primo principio*] Vat., 1 et 3 *in principio*, et pro *saeculorum* B *temporum*.

[4] Pro *morbum* 1 *se negligentem*.

[5] Secundum Hug. a S. Vict.; cfr. IV. Sent. d. 1. p. 1. q. 5. fundam. 1. — Superius pro *dicebant* non pauci codd. et 2 *dicebat* (homo), et pro *non deest... sed deest* A G M N T *non desse... sed desse*.

[6] Vat., 1 et 3 *et amatum gratiosius susciperetur et susceptum sollicitius servaretur*.

[7] Cfr. tom. II. pag. 349, nota 5. in fine.

Digitized by Google

gitur cum ultimo, scilicet «Deus cum limo[1]», fieret in fine temporum, hoc est in sexta aetate, quae est aetas apta ad exercitium sapientiae et ad enervationem concupiscentiae et ad transitum a statu turbinis ad quietem; quae omnia competunt sextae aetati decursus mundi propter incarnationem Filii Dei.

In plenitudine temporum.

Quoniam ergo adventus Christi fuit in tempore legis *gratiae* et in *exhibitione misericordiae reparamissae* et in *principio aetatis sextae*; et haec omnia dicunt plenitudinem; quia lex *gratiae* implet legem Scripturae, et *salutio promissi* implet promissionem, et *sexta aetas* ratione perfectionis senarii[2] sonat in plenitudinem: hoc est, quod in adventu Filii Dei dicitur esse *plenitudo temporum*, non propter hoc, quod in eius adventu tempus finitur, sed quia temporalia mysteria implentur. Sicut autem Christus non debuit venire in *principio temporis*, quia adventus eius nimis fuisset festinus; sic nec debuit[3] differre usque in *finem ultimum*, quia tunc nimium esset tardus. Decebat enim *salvatorem* inter tempus *morbi* et tempus *iudicii* in medio introducere tempus *remedii*. Decebat *mediatorem* quasdam suorum membrorum praecedere, quaedam sequi. Decebat *ductorem* perfectum tunc se ostendere, cum esset opportunitas currendi ad bravium; et hoc est in fine temporum et citra terminum et in approximatione ad finale iudicium: ut, per timorem iudicii stimulati et per spem praemii attracti et per perfectionem exemplii animati, vigorose et perfecte sequamur durem *de virtute in virtutem*, usque quo perveniamus *ad bravium felicitatis aeternae*[4].

Cap. V.

De plenitudine gratiae Christi quantum ad charismata in affectu.

Postquam innotuit nobis Verbum incarnatum quantum ad unionem naturarum, considerandum est quantum ad *plenitudinem charismatum* spiritualium. Circa quae primo consideranda est plenitudo *gratiae in affectu*, deinde[5] plenitudo *sapientiae in intellectu*, et postremo plenitudo *meriti in opere* vel effectu[6].

De plenitudine igitur *gratiae in affectu* in Christo haec tenenda sunt, quod in Christo a sui conceptione fuit plenitudo omnis gratiae quantum ad gratiam *singularis personae* et quantum ad gratiam *capitis* et quantum ad gratiam *unionis*; ita quod per gratiam *singularis personae* habuit omnis culpae immunitatem et quantum ad *actum* et quantum ad *posse*, quia nec peccavit nec peccatum potuit habere. — Per gratiam autem *unionis* dignus est non tantum felicitate gloriae, verum etiam adoratione latriae, quae est cultus reverentiae soli Deo debitae. — Per gratiam vero *capitis* influit motum et sensum in universos, qui ad eum accidunt vel per fidem rectam, vel per fidei Sacramenta, sive adventum eius praecesserint, sive fuerint subsecuti. *Nam et qui praeibant et qui sequebantur clamabant: Hosanna filio David*[7].

Triplex gratia. Thesis 1. Thesis 2. Thesis 3.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia reparatio est operatio primi principii, ita quod ab ipso *manat* secundum literalitatem et ad ipsum *reducit* secundum conformitatem; ideo oportet, quod fiat per gratiam et deformitatem. Gratia enim et manat a Deo literaliter et reddit hominem deformem. Quoniam ergo reparativum principium per gratiam reparat, et omnis res plenius et perfectius est in suo fonte et origine[8] quam alibi; necesse est, quod in principio nostro reparativo, scilicet Christo Domino, fuerit omnis gratiae plenitudo. Et quoniam reparativum principium in reparando non tantum tenet rationem *principii*, verum etiam *medii* et *extremi*, *extremi* quidem in satisfaciendo, *medii* in reconciliando, et *principii* in superinfundendo: ideo necesse est, quod in Christo fuerit plenitudo gratiae ratione *extremi* satisfacientis, *medii* reconciliandis et *principii* superinfundentis. Quoniam igitur extremum ad *satisfaciendum* idoneum necesse est esse Deo placens, ac per hoc ab omni peccato perfecte[9] immune; et hoc non potest esse nisi per donum divinae gratiae in aliquo homine: necesse fuit ponere in Christo gratiam ipsum sanctificantem et confirmantem, quam vocamus *gratiam singularis personae*.

Ratio. Pro thesi 1. Triplex ratio. Extremum satisfaciens.

Rursus, quoniam medium ad *reconciliandum* conveniens non est, nisi habeat in se utramque naturam, superiorem scilicet et inferiorem, adorabilem et adorantem; et hoc nullo modo fieri potest nisi per summe

Pro thesi 2. Medium reconcilians.

---

[1] Secundum Bernard., Serm. 3. in Vigilia Nativ. Domini, n. 8. — Superius respicitur I. *Cor.* 15, 47: *Primus homo* de terra, terrenus; *secundus homo* de caelo, caelestis. — De *sexta aetate* cfr. supra Prolog. § 2. — Inferius pro *turbinis* F G H N P *tribulationis*, H *laboris*, I *de labore a statu turbinis*.

[2] Vide I. Sent. d. 2. q. 4. scholion. — Superius pro *misericordiae* D F H N *gratiae*.

[3] In codd. et 2 omittitur *debuit*. Inferius libr. plurimorum codd. et 2 supplevimus *in medio*, pro quo B F *ut in medio*; G N legunt *ut in medio introducevet*; I, post *salvatorem* additio *venire*, legit: *ut in medio introduceretur*.

[4] Psalm. 83, 8. — Phil. 3, 14: Ad destinatum persequor ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu. — Pro *usque quo* E *quousque*. Superius pro *citra* non pauci codd. et 2 *inter*.

[5] D E S *secundo*, et mox *tertio* pro *postremo*. Subinde pro *agitur*, quod B G M omittunt, E T *autem*.

[6] De his agitur hic et 2 seqq. capp.

[7] Marc. 11, 9. et Matth. 21, 9. — De hominitate a culpa cfr. III. Sent. d. 12. a. 2. q. 1; de gratia singularis personae, unionis et capitis vide ibid. d. 13 per totam; de latria ibid. d. 9. a. 1. q. 1. — Superius pro *debitae* A H *debitus*.

[8] H. M N *omnis res in suo principio et plenius et perfectius sicut in suo fonte et origine*. Mox pro *quam alibi* I *quam in suo exordio et effectu*. Superius pro *reducit* non pauci codd. *reformat*, Q *reducit et reformat*.

[9] H M N Q omittunt *perfecte*. Inferius codd. *ipsum* pro *ipsum*, quod habent I. M N, aliique propter compendiosam scripturam ita legi possunt.

Digitized by Google

dignitivam et gratuitam unionem; ideo necesse est in Christo ponere gratiam super omnem gratiam et omnimoda reverentia venerandam, quam vocamus *gratiam unionis*, ratione cuius Christus homo *est super omnia benedictus Deus*[1], et ideo cultu latriae venerandus.

Postremo, quia principium ad influendum efficax non est, nisi habeat in se plenitudinem fontalem et originalem, quae non tantum est plenitudo sufficientiae, sed etiam superabundantiae; ideo necesse est, Verbum incarnatum esse *plenum gratiae et veritatis*[2], ita quod *de plenitudine eius accipere* valeant universi iusti, sicut universa membra a capite recipiunt influentiam motus et sensus. Et propter hoc vocatur haec gratia *gratia capitis*, pro eo quod, sicut caput habet in se sensuum plenitudinem et ceteris membris est conforme ceterisque praesidet ac ceteris beneficium praestat influentiae, quae ipsi capiti connectuntur: sic Christus, habens in se gratiae superabundantiam[3] et nobis consimilis in natura, prae ceteris sanctus et iustus, ceteris, qui ad ipsum accedunt, praestat beneficium gratiae et spiritus, per quae fit sensus et motus in spiritualibus. Pro thesi 3. Principium superfluens.

Et quoniam ad ipsum accedere est per fidem, vel per fidei Sacramentum; et fides Christi eadem est in praeteritis, praesentibus et futuris: idem ratio influendi in Christo ponitur respectu omnium, tam praeteritorum quam praesentium quam etiam futurorum, in Christum credentium et in Christo renatorum, qui per fidem copulantur Christo et per gratiam influentem fiunt *membra Christi* et *templa Spiritus sancti*[4], ac per hoc *filii Dei Patris*, connexi ad invicem per indivisibile vinculum caritatis. Quod sicut distantia locorum non dividitur, sic nec diuturnitate temporum separatur; ac per hoc omnes iusti, ubicumque sint et quandocumque fuerint, unum efficiunt corpus Christi mysticum, sensum et motum suscipiendo ab uno capite influente, secundum fontalem, radicalem et originalem plenitudinem omnis gratiae in Christo habitantis[5] sicut in fonte. Corollarium.

Cap. VI.

De plenitudine sapientiae in intellectu.

De plenitudine autem *sapientiae* Christi *in intellectu* hoc tenendum est, quod in Verbo incarnato, Christo scilicet Domino nostro, fuit omnis sapientiae plenitudo[6] non solum quantum ad *cognita*, verum etiam quoad *cognoscendi modos* et differentias. — In Christo namque fuit cognitio *sempiternalis* ex parte Deitatis, cognitio *sensibilis* ex parte sensualitatis et carnis, cognitio *scientialis* ex parte mentis et spiritus; et haec fuit triplex: quaedam scilicet per *naturam*, quaedam per *gratiam* et quaedam per *gloriam*. Unde sapientiam habuit et ut Deus et ut homo, ut comprehensor et ut viator, ut illuminatus per gratiam et ut recte formatus per naturam; et ita in universo fuerunt in Christo quinque modi cognoscendi. — Primus est secundum *divinam naturam*; et hoc modo cognovit omnia actualia et possibilia, finita et infinita, cognitione *actuali* et *comprehensiva*. — Secundus est per *gloriam*; et hoc modo cognovit omnia actualia et finita, cognitione *actuali* et *comprehensiva*; infinita vero[7] non nisi forte cognitione *habituali*, vel *excessiva*. — Tertius, per *gratiam*; et hoc modo cognovit omnia spectantia ad humani generis redemptionem. — Quartus, secundum *naturam integram*, cuiusmodi fuit in Adam; et hoc modo cognovit omnia, quae spectant ad universi constitutionem. — Quintus, secundum *sensibilem experientiam*; et hoc modo cognovit ea quae veniunt ad organa sensuum, secundum quem modum dicitur, quod *didicit ex his quae passus est, obedientiam*[8]. Thesis generalis. Duplex plenitudo sapientiae. Modi cognoscendi ipsum quo. Modus primus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, sicut reparativi principii est nos reparare per liberalissimam gratiam; sic etiam per providentissimam sapientiam. Quod enim secundum ordinem sapientiae conditum fuit non potest absque luce et ordine sapientiae reparari; et ideo, sicut Christus debuit esse immunis ab omni *culpa*, sic elongatus debuit esse ab omni *ignorantia*, ac per hoc totaliter repletus superiore sapientiae luce et circumfulgentia. Quapropter cognitionem perfectam habuit secundum utramque naturam et potentiam cognoscitivam et secundum omnem rerum existentiam. Ratio. Pro thesi generali.

Quia ergo res habent *esse* in *aeterna arte* et in *humana mente* et in *proprio genere*[9]; necesse fuit, Christum habere hanc triformem rerum cognitionem. Quia vero res dupliciter potest cognosci in *arte*, scilicet vel ab ipso artifice, vel ab alio contemplante artem; similiter habet dupliciter esse et cognosci in De quinque modis.

---

[1] Rom. 9, 5. — Paulo ante pro *venerandam* A H L *reverendam*.

[2] Ioan. 1, 14. Ibid. v. 16: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus etc. — Superius post *originalem* B addit *et radicalem*, H legit *originem radicalem* (cfr. finis cap.).

[3] Ita non pauci codd., inter quos E M P S V, edd. *gratiam superabundantem*.

[4] Epist. I. Cor. 6, 15. et 19. — Superius pro *Sacramentum* L M Q *Sacramenta*, et pro *in Christo* plures codd. et 1, 2, 3 *in ipso*. Paulo interius pro *indivisibile* Vat., 4, 3 cum uno alteroque cod. non bene *inalienabile*.

[5] Col. 1, 18. seq.: Et ipse est caput corporis Ecclesiae... quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare.

[6] Col. 2, 3: In quo [Christo] sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. — Mox pro *quoad* plures codd., ut F G H M N R et 2 *quantum ad*. Subinde pro *differentias* M *causas*, et pro *sensibilis* D E K S *sensualis*, ac pro *scientialis* E *spiritualis*.

[7] Fide plurium codd., inter quos D S T, post *vero* hoc loco et infra in explicatione adiecimus *non nisi forte*. Superius pro *possibilia* edd., excepta 2, *potentialia*. Inferius post *gratiam* C H addunt *unionis*.

[8] Hebr. 5, 8. — De hoc cap. vide supra Quaest. de scientia Christi, q. 1. et 5. seqq.; III. Sent. d. 14. per totam. — Pro *cognovit ea* plures codd., Vat., 1 et 3 *cognovit omnia*.

[9] Cfr. supra pag. 239, nota 5. — Post pauca pro *potest*

mente, etiam praeter *acquisitionem*, quae Christo non competit propter imperfectionem, scilicet vel secundum *habitum innatum*, vel secundum *habitum infusum*: hinc est, quod necessarium fuit ad perfectam sapientiae plenitudinem, quinque modos praedictos reperiri in Christo Deo et homine, ut in *arte aeterna* cognoscat[1] res et per *naturam Deitatis* et per *gloriam comprehensionis*; in *mente* sua per habitum naturalem et *innatum*, sicut cognoverunt Adam et Angeli; et per habitum gratuitum et *infusum*, sicut Sancti Dei per Spiritum sanctum illuminati; in *proprio* vero *genere* cognosceret via sensus, memoriae et experientiae, quae in *nobis* facit rem incognitam cognosci[2], in *Christo* vero rem cognitam secundum unum modum cognosci fecit secundum alium.

De cognitione et. 1. modum. Quoniam autem divina substantia, virtus et operatio est immensa, hinc est, quod secundum *primum* modum, qui est per naturam Deitatis, *infinita actualiter comprehendit*; quodam enim ineffabili modo summe infinito omnis infinitas est finita.

Secundum 2. modum. Quia vero creaturae quantumcumque sublimatae finita est substantia, virtus et operatio, ita tamen, quod mens humana non quiescit nisi in bono infinito, nec tamen illud proprie comprehendit, quia infinitum non comprehenditur a finito, accepta comprehensione proprie: hinc est, quod quantum ad *secundum* modum cognoscendi anima Christi per gloriam comprehensionis capit quantumcumque potest capere natura finita, per bonum infinitum beatificata, cui est summe unita; ac per hoc ad *finita* se extendit *actualiter comprehendendo*, ad *infinita* vero non nisi forte *habitualiter*, vel etiam *excedendo*. Non enim potest anima[3] aequari Verbo, nec in scientia nec in aliquo alio.

Secundum 3. modum. Rursus, quia gratia maxime respicit opus reparationis; hinc est, quod secundum *tertium* modum cognoscendi per gratiam perfectissimam cognovit Christus omnia, quae spectant ad reparationem nostram, longe excellentius et melius quam aliquis Prophetarum, vel etiam Angelorum.

Secundum 4. modum. Amplius, quia natura hominis bene instituta nata erat omnibus creaturis praeesse et ipsas nosse tanquam eas quae debent sibi servire, sicut patuit in primi hominis conditione[4]: hinc est, quod quantum ad *quartum* modum cognoscendi cognovit Christus omnia, quae spectant ad mundanam machinam construendam, longe excellentius quam Adam.

Secundum 5. modum. Postremo, quia sensus non est perceptivus rerum nisi ad obiecti praesentiam[5]; hinc est, quod secundum cognitionem sensitivam non simul cognoscebat omnia, sed modo haec, modo illa, iuxta quod opportunum erat ad reparationem humani generis faciendam.

Cap. VII.

De perfectione meriti in effectu.

De plenitudine autem *meriti* Christi hoc tenendum est, quod in Christo Domino fuit omnis meriti perfectio et plenitudo: primo, quantum ad *eum qui merebatur*, quia non tantum erat homo, verum etiam Deus. — Secundo, quantum ad *tempus*, in quo merebatur, quia ab instanti conceptionis usque ad horam mortis. — Tertio, quantum ad id, *per quod* merebatur, quia per perfectissimum habitum caritatis et perfectissimum exercitium virtutis in orando, in agendo et in patiendo. — Quarto, quantum ad *eum cui merebatur*, quia non tantum *sibi*, verum etiam *nobis*, immo omnibus iustis. — Quinto, quantum ad id *quod merebatur nobis*, quia non tantum gloriam, verum etiam gratiam et veniam, non tantum gloriam spiritus, sed etiam stolam carnis et apertionem ianuae caelestis[6]. — Sexto, quantum ad *id quod merebatur sibi*, quia, licet non mereretur glorificationem mentis, quam iam habebat; merebatur tamen glorificationem corporis et accreditationem resurrectionis et clarificationem sui nominis et dignitatem iudiciariae potestatis. — Septimo, quantum ad *modum*, quo merebatur. Cum enim tripliciter dicatur aliquis mereri: vel de indebito faciendo debitum, vel de debito faciendo magis debitum, vel de debito uno modo faciendo debitum alio modo[7]; omnibus his modis meruit *nobis*, tertio tantum modo meruit *sibi*, faciente hoc plenitudine gratiae Spiritus sancti, per quam Christus simul erat beatus et in statu merendi, ita quod super eius meritum omnia merita nostra habent fundari[8]. Theses 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Ratio. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum in principio reparativo, Christo scilicet Domino nostro, necessario fuerit plenitudo gratiae et sapientiae, quae sunt nobis origo recte et sancte vivendi; necesse est, quod in Christo fuerit plenitudo et perfectio omnis meriti secundum omnem Pro thesi 1. et 2.

A *possunt*, et *habent* pro *habet*. Subinde cum A B C F G I K L M N O et 2 vocibus *dupliciter cognosci* inseruimus *esse et*.

[1] Edd., excepta 2, *cognosceret*.

[2] Respiciuntur verba Aristot. supra pag. 21, nota 10, allegata. — Mox pro *cognitam* plures codd., inter quos E I M P S, *notam*, B *innotam*.

[3] Vat., 4 et 3 addunt *Christi*.

[4] Partis II. c. 4. circa finem et c. 11. — Superius pro *perfectissimam* A *perfectissime*. Inferius pro *construendam* A *constituendam*.

[5] Cfr. II. Sent. d. 8. p. I. a. 3. q. 2. ad 5; tom. III. pag. 342, nota 7, et pag. 738, nota 4.

[6] F H L *iamque regni caelestis*.

[7] Pro explicando hoc triplici modo D affert exemplum de homine, cui vita aeterna debetur vel propter gratiam de novo susceptam (quae, licet ad ipsam sese disposuerit, tamen ipsi non debebatur), vel gratiae cooperando, vel non solum operando, sed etiam patiendo.

[8] De hoc cap. vide III. Sent. d. 18. per totum et d. 17. a. 2. q. 1, ubi de *oratione* Christi.

Digitized by Google

modum plenitudinis. Quia enim in Christo fuit plenitudo *gratiae unionis*[1], per quam erat Deus ab instanti conceptionis, habens gloriam comprehensionis et modum liberi arbitrii; hinc est, quod necessario fuit in Christo perfectio meriti et quantum ad excellentissimam *dignitatem merendi* et quantum ad celerrimum *opportunitatem temporis*.

Pro thesi 3 Rursus, quia fuit in eo plenitudo *gratiae singularis personae*, per quam habuit firmissimam caritatem et omnes virtutes perfectas quantum ad habitus et exercitia; necesse fuit, quod in eo esset plenitudo meriti quantum ad id, *per quod* contingit mereri, cuiusmodi est radix caritatis et actus multiplicis nobilitatis[2].

Pro thesi 4 et 5 Amplius, quia fuit in eo plenitudo *gratiae capitis*, per quam plenissimam habuit influentiam in membra sua; hinc est, quod plenitudinem habuit meriti non tantum respectu *sui*, sed etiam respectu *nostri*, quibus, sicut omnia spiritualia, quae habemus, influit ratione Deitatis, sic meruit ratione assumptae humanitatis, sive sint bona status praesentis, sive aeternae felicitatis.

Pro thesi 6. Postremo, quia tantorum charismatum plenitudo necessario poenitat in Christo summam et perfectam felicitatem secundum sui partem superiorem, licet dispensative propter nos esset in statu viae; hinc est, quod perfectionem habuit meriti, quantum ad id quod meruit *sibi*, quia non[3] gloriam et beatitudinem animae concreatam, quae naturaliter in ipso omne meritum antecedit, sed solum illa, cum quibus status viae stare non poterat, sicut stolam carnis cum glorificatione suae excellentissimae dignitatis.

Pro thesi 7. Hinc est etiam, quod perfectionem habuit meriti quantum ad *modum* merendi. Quia enim in ipso ab instanti conceptionis fuit perfectissima plenitudo, statim omnia meruit, quae potuit mereri respectu sui; ac per hoc de debito uno modo facere potuit debitum alio modo; de indebito autem debitum, vel de debito magis debitum facere non potuit *sibi*; quia nullo modo potuit in sanctitate proficere, cum a principio esset sanctissimus. Fecit tamen hoc *nobis*, qui merito ipsius *iustificamur per gratiam*[4], praedicimus in iustitia et per aeternam gloriam coronamur.

Corollarium. Ac per hoc in merito Christi reducta sunt omnia merita nostra, sive satisfactoria poenae, sive meritoria vitae aeternae, quia nec ab offensa summi boni digni sumus absolvi, nec immensitatem aeterni praemii, quae Deus est, digni sumus lucrari nisi per meritum hominis-Dei, cui dicere possumus et debemus: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine*[5]. Ipse, inquam, est Dominus, cui Propheta dicit: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Cap. VIII.

De passione Christi quantum ad statum patientis.

Postquam circa Verbum incarnatum considerata est unio naturarum, considerata nihilominus plenitudo charismatum, deinde consideranda est *tolerantia passionum*; circa quam consideranda est *status patientis, modus patiendi* et *exitus passionis*[6].

De *statu patientis* haec tenenda sunt, scilicet quod Christus assumsit non tantum humanam naturam, sed etiam *defectus* circa naturam. Assumsit enim poenalitates *corporales*, ut famem, sitim et lassitudinem; assumsit etiam *spirituales*, ut tristitiam, gemitum et timorem; nec tamen *omnes corporales* assumsit, sicut sunt defectus aegritudinum multiformium, nec *omnes spirituales*, sicut sunt ignorantia et rebelliones carnis ad spiritum; nec *qualitercumque*, quia sic necessitatem patiendi suscepit, ut nihil pati posset *invite*, nec secundum voluntatem *Deitatis* nec secundum voluntatem *rationis*, licet passio fuerit contra voluntatem *sensualitatis et carnis*, sicut exprimit oratio Salvatoris, quae dicit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis*[7].

Ratio. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum principium reparativum in reconciliando necessario habeat mediatoris officium; idem Pro thesi 1 necesse est, quod habeat convenientiam cum utroque extremorum non solum quantum ad *naturam*, verum etiam quantum ad *ea quae sunt circa naturam*. Quoniam ergo Deus est iustus et beatus, impassibilis et immortalis; homo vero ipsius est peccator et miser, passibilis et mortalis: necesse fuit, mediatorem *Dei et hominum*[8], ut hominem posset reducere ad Deum, cum Deo communicare in iustitia

---

[1] Cfr. supra c. 3, ubi etiam de gratia *singularis personae* et *capitis*.

[2] Ita communiter codd. et 2, aliae edd. *virtutis*. A Q *nobilitatis et* [Q *vel*] *virtutis*. H *nobilitatis virtutis*. Hieron., Epist. 148, (alias 11), n. 21: Summa apud Deum nobilitas, ditum esse virtutibus [Cfr. I. Cor. 1, 26. seqq.]. — Pro *radix* U *habetur*.

[3] Ed. 1 addit *meruit*. Mox pro *gloriam* B K *gratiam*. Sed inde plures codd. et 2 *corporis* pro *carnis* et B C H. M O Q *claripotione* pro *glorificatione*.

[4] Rom. 3, 24: Iustificati gratis per gratiam ipsius. — Pro *ut iustitia* I, P V *per iustitiam*.

[5] Isai. 26, 12: Domine, dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis. — Seq. locus est Ps. 15, 2. — Cfr. III. Sent. d. 20. q. 3. seq. et IV. Sent. d. 15. p. 1. q. 1.

[6] De his tribus agitur in hoc et 2 sequ. capp. — Superius post *consolerandus est* B H addunt *primo*, et post *status patientis* cum pluribus aliis codd., exceptis tamen F M P S, praesupponunt *secundo modus patiendi, tertio exitus passionis*.

[7] Matth. 26, 39. Vulgata et Lomaniani *vis*. — De hoc cap. cfr. III. Sent. d. 15-18. — Superius vicinus ut *nostri* edd. cum aliquot codd. interserunt *tamen*.

[8] Epist. 1, Tim. 2, 5. — Vide III. Sent. d. 19. a. 2. q. 2, in cuius fine allegatur pro hac expositione August., IX. de Civ. Dei, c. 15, ex quo etiam hoc quaedam verbotenus (v. g. *mortalitatem transeundem et beatitudinem permanentem*) praeterniitur.

Digitized by Google

et beatitudine, cum homine vero in passibilitate et mortalitate; ut sic, habendo « mortalitatem transeuntem et beatitudinem permanentem », hominem reduceret de praesenti miseria ad vitam beatam; sicut econtra angelus malus, habendo immortalitatem cum miseria et iniustitia, fuit mediator faciens cadere in culpam et miseriam per suggestionem suam. Quoniam ergo Christus mediator debuit habere innocentiam et beatitudinem fruitionis cum mortalitate et passibilitate; hinc est, quod simul debuit esse Corollarium. *viator* et *comprehensor*. — De omni enim statu aliquid habuit in se, secundum quod dicitur [1] assumsisse de statu *innocentiae* peccati immunitatem, de statu *naturae lapsae* mortalitatem, de statu vero *gloriae* beatitudinem fruitionis perfectae.

Rursus, quoniam poenalitates vitiosae, sicut sunt Pro thesi 2. illa quatuor propter peccatum originale inflicta, scilicet ignorantia, infirmitas, malitia et concupiscentia [2], stare non possunt cum perfectissima innocentia; hinc est, quod has nec assumere debuit nec assumsit. — Quia vero poenae, quae sunt *exercitativae* virtutis perfectae et *testificativae* humanitatis verae, non simulatae, potissime illae sunt, quae respiciunt naturam in communi, sicut fames et sitis in absentia alimenti, tristitia et timor in praesentia nocumenti; hinc est, quod illas debuit assumere et assumsit.

Postremo, quia nullus innocens debet invitus Pro thesi 3. aliquam poenam sustinere [3], quia hoc esset contra ordinem divinae iustitiae; nullus etiam mortalis vult mori et pati secundum *appetitum naturae*, quae naturaliter refugit mortem: hinc est, quod Christus habere debuit huiusmodi poenalitates, sic tamen, ut nihil posset pati *invite secundum rationem*, non solum propter beatitudinem et Deitatem omnipotentem sibi unitam, per quam poterat repellere omnia; sed etiam propter perfectissimam innocentiam, quae [4] secundum ordinem naturalis iustitiae nihil permittitur pati invite; sic etiam pateretur, ut tamen hoc esset *contra naturalem inclinationem* et appetitum natu- De oratione Christi. rae, qui est in sensualitate et carne. — Et hinc est, quod Christus, orans secundum rationem, voluntatem *carnis* exprimebat, qua passionem refugiebat, cum dicebat: *Transeat a me calix iste* [5]; voluntatem tamen *rationis* voluntati Patris conformabat et appetitui carnis praeponebat, cum dicebat: *Non mea voluntas, sed tua fiat*. — Et sic una voluntas non erat Corollarium. alteri contraria: quia « secundum voluntatem *divinam* quod iustum erat voluit, secundum voluntatem *rationis* iustitiae consensit, sed secundum *voluntatem carnis* poenam recusavit, sed tamen iustitiam non accusavit. Et sic unaquaeque voluntas quod suum erat operabatur et quod ad se pertinebat sequebatur: voluntas *divina* iustitiam, voluntas *rationalis* obedientiam, voluntas *carnis* naturam [6] »; ac per hoc non erat in Christo colluctatio et pugna, sed pacata ordinatio et tranquillitas ordinata.

Cap. IX.

De passione Christi quantum ad modum patiendi.

De *modo* autem *patiendi* hoc tenendum est, quod Christus passus est passione *generalissima*, Thesis 1. generalis. passione *acerbissima*, passione *ignominiosissima*, passione *interemptoria*, sed *vivificativa*. — Passione, Thesis 2. inquam, *generalissima* quantum ad naturam humanam, non solum secundum omnia membra corporis principalia, verum etiam secundum omnem animae potentiam, licet nihil pati posset secundum divinam naturam. — Passus est etiam passione *acer-* Thesis 3. *bissima*, quia non solum *dolendo*, ut patiens per vulnera, sed etiam *condolendo*, ut compatiens propter nostra delicta. — Passus est etiam passione *ignomi-* Thesis 4. *niosissima* et propter patibulum crucis, quae erat supplicium pessimorum, et propter consortium iniquorum, videlicet latronum, *cum quibus fuit deputatus* [7]. — Passus est etiam passione *interemptoria* Thesis 5. per separationem animae a corpore, salva tamen unione utriusque cum Deitate. Anathema enim est qui dicit, Dei Filium naturam, quam semel assumserat, aliquando reliquisse.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec Ratio. est: quia reparativum principium, sicut ordinate Pro thesi generali. produxit, sic et ordinate reparare debuit genus humanum. Sic igitur reparare debet, ut salva sit *libertas arbitrii*, salvus sit nihilominus *honor Dei*, Duplex respectus. salvus sit etiam *ordo regiminis universi* [8]. — Quia ergo Primus. reparare debuit, salva *libertate arbitrii*, reparavit illaudo exemplum efficacissimum; exemplum autem Duplex efficacitas. illud efficacissimum est, quod *invitat* et *informat* ad

---

[1] A Boethio, de Una Persona et duabus naturis, c. 8. Vide III. Sent. d. 12. a. 2. q. 1. ad 4. et d. 16. a. 1. q. 3. ad 2. — Supra pro *enim* D M P aliique *etiam*, A Q *ergo*.

[2] Vide supra pag. 234, nota 4. in fine. — Pro *originale* Vat. *mortale*.

[3] Cfr. supra pag. 228, nota 7. — Inferius pro *quae* edd. cum nonnullis codd. *quia*.

[4] Edd., excepta 2, *qua*. Inferius pro *ut tamen* (G K omittunt *tamen*) edd., excepta 1, *ut etiam*.

[5] Matth. 26, 39. — Seq. locus habetur ibid. non iisdem verbis, quae summa sunt ex Luc. 22, 42.

[6] Hugo a S. Vict. in Libello de Quatuor Voluntat. in Christo. In textu originali plura interseruntur. Cfr. I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2. in corp. et III. Sent. d. 17. a. 1. q. 3. in corp.

[7] Isai. 53, 12: Cum sceleratis reputatus est. Marc. 15, 28. et Luc. 22, 37: Cum iniquis reputatus [Luc. deputatus] est. — De poena Christi generalissima et acerbissima cfr. III. Sent. d. 16. per totam; de passione interemptoria vide ibid. d. 21. per totam, in qua a. 1. q. 1. fundam. 1. legitur: Augustinus et Damascenus: Anathema sit qui dicit, Verbum deposuisse quod semel assumsit. — Superius pro *delicta* A *debita*.

[8] Vide III. Sent. d. 20. q. 5. — Superius pro *debet* D E H *debuit*, et pro *libertas arbitrii* S *veritas liberi arbitrii*. Inferius post *et informat* Vat., 1 et 3 addunt *hominem*.

Digitized by Google

culmen virtutum. Nihil autem magis *informat* hominem ad virtutem quam exemplum tolerandi mortem propter institutum et obedientiam divinam, mortem, inquam, non quamcumque, sed poenalissimam. Nihil vero magis *incitat* quam tanta benignitas, qua *pro nobis* altissimus Dei Filius absque nostris meritis, immo cum multis nostris demeritis *posuit animam suam*[1]; quae benignitas tanto maior ostenditur, quanto pro nobis graviora et abiectiora sustinuit vel pati voluit. Deus *enim proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Ex quo invitamur ad ipsum amandum et amatum imitandum.

Secundus.

Rursus, quia reparare debuit, salva *honore Dei*, ideo reparavit offerendo obsequium satisfactorium. « Est autem *satisfacere* honorem Deo debitum rependere[2] ». Honor autem Deo subtractus per superbiam et inobedientiam respectu rei, ad quam homo astringitur, nullo modo melius restituitur quam per *humiliationem* et *obedientiam* ad eam rem, ad quam nullatenus tenebatur. Quoniam ergo Christus Iesus in quantum Deus aequalis erat Patri *in forma Dei;* in quantum homo innocens nullatenus erat debitor mortis; ubi *semetipsum exinanivit* et *factus est obediens usque ad mortem*[3], exsolvit Deo quae non rapuit per obsequium satisfactionis perfectae, et obtulit sacrificium suavitatis summae pro perfecta Dei placatione.

Duplex modus.

Tertius.

Postremo, quia reparare debuit, salva *ordine reginiinis* universi, ideo per remedium convenientissimum reparavit. Convenientissimum autem est, ut contraria contrariis curentur[4]. Quia ergo homo, volens esse sapiens ut Deus, peccavit, in ligno vetito volens delectari, ita quod inclinatus est ad *libidinem*, erectus in *praesumptionem;* ac per hoc totum genus humanum infectum est et perdidit immortalitatem et incurrit debitam mortem: hinc est, quod ad hoc, quod homo repararetur convenienti remedio, Deus factus homo voluit *humiliari* et in ligno *pati:* et contra universalem infectionem pati passione *generalissima*, contra libidinem passione *acerbissima*, contra praesumptionem passione *ignominiosissima*, contra mortem debitam et invitam pati voluit mortem non meritam[5], sed *voluntariam*.

Duplex peccatum et remedium.

Quia ergo generalitas corruptionis in nobis infecerat non solum corpus et animam, sed etiam omnem corporis partem et omnem animae potentiam[6]; hinc est, quod Christus passus est in omni corporis parte et in omni potentia animae et in superiori portione rationis, quae summe in Deo *delectabatur* ut *ratio* et propter unionem sui ad superius, et summe *patiebatur* ut *natura* et propter coniunctionem ad inferius, quia Christus erat *cibator* et *comprehensor* simul. Pro thesi 2.

Rursus, quia libido vehementer infecerat in nobis animam et carnem et quantum ad carnalia et quantum ad spiritualia peccata[7]; hinc est, quod Christus et acerbissima passione *passus* est in *carne* et amarissima *compassus* est in *anima*. Et quia in *carne* erat maxima aequalitas complexionis et perfecta vivacitas sensuum, in *anima* vero summa caritas ad Deum et summa pietas ad proximum; hinc est, quod uterque dolor fuit intensissimus. Pro thesi 3.

Amplius, quia tumor superbiae aliquando consurgit interius ex *praesumptione*, aliquando exterius ex *ostentatione* et *aliena laude;* ideo ad remedium omnem superbiam Christus passus est utrumque genus ignominiae et in *se patiente* et in *comitatu*, quem habuit in passione. Pro thesi 4.

Postremo, quia haec omnia non attingebant divinam naturam impassibilem, sed solum humanam; hinc est, quod in morte Christi sic facta est divisio animae a carne, ut tamen salva esset unitas personae et non tam carnis quam animae cum Deitate. — Et quia unio animae cum corpore facit *hominem* et facit *virum;* hinc est, quod Christus non fuit *homo* in illo triduo, licet anima et caro essent unitae cum Verbo[8]. Unde quia mors in *humana natura* non potuit mortem inducere in *personam*, quae semper fuit viva; ideo mortua est mors in vita, et per Christi mortem *absorpta est mors in victoria*[9], et princeps mortis devictus, ac per hoc homo a morte et causa mortis per meritum mortis Christi tanquam per medium efficacissimum liberatus. Pro thesi 5. Corollarium.

Cap. X.

De passione Christi quantum ad exitum passionis.

De *exitu* autem passionis Christi et *fructu* haec indubitanter tenenda sunt, quod anima Christi post Thesis 1.

---

[1] Epist. I. Ioan. 3, 16. — Seq. locus est Rom. 8, 32: Qui etiam proprio etc. — Superius pro *incitat* D *invitat*. Inferius fide A D E S T supplevimus *sustinuit vel*, pro quo 2 *sufficienter*. Immediate post plurimi codd., exceptis A K et edd. variata interpunctione, legunt: *pati voluit Deus. Qui enim etc.* Pro *abiectiora* H N *acerbiora*.

[2] Secundum Anselm., I. Cur Deus homo, c. 11. et 20. Cfr. IV. Sent. d. 15. p. 1. q. 1. et p. II. a. 1. q. 1] in primo loco cit. pro *rependere* cum T substituitur *reddere;* in secundo cum I N *impendere*. Inferius pro *tenebatur* A D K et 2 *teneter*.

[3] Phil. 2, 6-8. — Immediate post respicitur Ps. 68, 5: Quae non rapui tunc exsolvebam. Cfr. August. in hunc loc., ex quo quaedam referuntur II. Sent. lit. Magistri, d. XXII. c. 4.

[4] Vide supra pag. 123, nota 4. — De seqq. vide supra p. III. c. 3. et 4. — Inferius Vat., 1, 3 *in praesumptione*, refragantibus codd. et 2.

[5] Edd., excepta 2, *non invitam*, P *non debitam*.

[6] Cfr. supra p. III. c. 5. seq.

[7] Vide supra p. III. c. 8. — Inferius post *amarissima* A I addunt *compassione*.

[8] Cfr. III. Sent. d. 22 q. 1.

[9] Epist. I. Cor. 15, 54. — Cfr. III. Sent. d. 19. a. 1. per totum. — Superius post *mortua est* A addit *semper*.

Digitized by Google

passionem descendit ad infernum sive ad limbum, ad liberationem non omnium, sed eorum qui inter membra Christi decesserunt per fidem vivam, vel per
Thesis 2. fidei Sacramenta. — Post haec *tertia die resurrexit* a mortuis resumendo corpus, quod prius vivificaverat, sed non tale, quale prius fuerat; quia prius fuit passibile et mortale, postquam autem resurrexit, im-
Thesis 3. passibile et immortale, vivens perpetuo. — Deinde post quadraginta dies ascendit ad caelos, ubi, super omnem creaturam exaltatus, sedet ad dexteram Patris[4]. Quod dictum intelligitur non quantum ad situm, qui non competit Deo Patri, sed quantum ad excellentiam bonorum, quia residet in potioribus bonis
Thesis 4. Patris. — Postremo, interiectis decem diebus, misit in Apostolos promissum Spiritum sanctum, per quem congregata est Ecclesia gentium et ordinata secundum diversas distributiones officiorum et gratiarum.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec
Ratio. est: quia, sicut Christus in quantum Verbum increatum perfectissime omnia formavit, sic in quantum incarnatum omnia perfectissime reformare debuit. Decet enim perfectissimum principium opus non dimittere citra perfectum, debuit ergo reparatorium principium redemptionis humanae remedium perducere[2] ad perfectum. Ad hoc autem, quod esset per-
Ratio duplex in remedio. fectissimum, oportuit, quod esset *sufficientissimum* et *efficacissimum*.

Quia ergo *sufficientissimum*, ideo se extendit
Augetur ex primo. ad *caelestia*, *terrestria* et *infernalia*. Quia ergo per Christum sunt *infernalia* recuperata, *terrestria* remediata, *caelestia* redintegrata; ita quod primum horum fecit per *veniam*, secundum per *gratiam* et tertium per *gloriam*: ideo post passionem anima *descendit* ad inferos ad liberandum in inferno detentos; deinde *resurrexit* a mortuis ad vivificandum in peccatis mortuos; *ascendit* ad caelos reducendo captivitatem[3] ad redintegrandum Ierusalem caelestem; *misit Spiritum sanctum* ad aedificandum Ierusalem terrestrem. Quae omnia necessario consequuntur et exiguntur ad sufficientiam reparationis humanae.

Rursus, quia remedium illud fuit *efficacissi-*
Ratio ex secundo. *mum* tam in eos qui Christi adventum *praecesserunt*, quam in eos qui *sequuntur*, qui tamen ad ipsum Christum accesserunt et accedunt et eius membra fuerunt et sunt; tales autem sunt qui adhaerent ei per fidem, spem et caritatem: ideo remedium il- Pro thesi 1.
lud efficacem habere debuit primo in eos qui in Christum crediderunt, credendo speraverunt et sperando amaverunt; ac per hoc statim debuit ad inferos *descendere* ad ipsorum liberationem. Unde aperta iuma caeli per Christi passionem, qui satisfaciendo amoverat rhomphaeam[4] mutando sententiam divinam eripuit de inferno omnia membra sua.

Debuit etiam habere efficaciam praecipuam in eos Pro thesi 2.
qui Christi adventum *sequuntur*, ut attrahendo ad *fidem*, *spem* et *caritatem* tandem ad gloriam perduceret caelestem. Ut igitur *aedificaret ad fidem*, qua Resurrexit ad fidem aedificandam.
credimus Christum verum hominem et verum Deum, qua etiam credimus, cum voluisse nos redimere per mortem et ad vitam nos reducere posse per resurrectionem; ideo voluit *resurgere* ad vitam immortalem, interiecto tamen spatio temporis dilato, scilicet triginta sex horarum; in quo ostenditur, quod vere mortuus fuit; nec magis accelerare debuit, ne, si citius resurgeret, crederetur, quod non vere mortuus fuisset, sed se mortuum finxisset; nec amplius differre, ne, si semper faceret in morte, crederetur impotens, et quod nullos posset ad vitam revocare; ideoque *resurrexit tertia die*[5].

Amplius, ut *erigeret ad spem*, ad caelestem Pro thesi 3.
ascendit gloriam, quam speramus. Sed quia spes Ascendit ad spem erigendam.
non oritur nisi ex fide immortalitatis futurae; ideo non statim ascendit, sed spatio quadraginta dierum interiecto, in quo per multa signa et argumenta veram astruerel resurrectionem, per quam animus solidaretur in fide et sublevaretur ad sperandam gloriam caelestem[6].

Postremo, ut *inflammaret ad caritatem*, *misit* Pro thesi 4.
ignem Spiritus sancti in die Pentecostes. Et quia Misit Spiritum S. ad caritatem inflammandam.
nullus hoc igne impletur, nisi qui petit, quaerit et pulsat cum instanti et importuno spei desiderio; ideo non statim post ascensionem misit, sed decem dierum spatio interiecto, in quo discipuli ieiunantes, orantes et gementes disposuerunt se ad Spiritus sancti susceptionem. — Ac per hoc, sicut debitum servavit horam in *patiendo*[7], sic in *resurgendo*, sic in

---

[1] Cfr. Marc. 16, 19. et Act. 1, 1. sequ.; Ibid. 2, 1. sequ. de missione Spiritus sancti. — Explicatio annexa distichis *sedere ad dexteram Patris* est secundum Glossam hic Ps. 109, 1; de qua vide tom. III. pag. 395, nota 7. Cfr. etiam II. Sent. d. 2. p. II. dub. 2. — De hoc cap. vide III. Sent. d. 22. q. 4-6. — Edd. *dextram Dei Patris*. Superius pro *perpetuo* E I M U I S *in sempiternum*, D *in aeternum*. Inferius pro *Apostolos* B *discipulos*.

[2] Ed. I *per remedium ducere*.

[3] Respicitur Ps. 67, 19: Ascendisti in altum, cepisti captivitatem. Cfr. Eph. 4, 8. — De redintegranda Ierusalem caelesti vide II. Sent. d. 9. q. 7.

[4] Respicitur Gen. 3, 21, ubi dicitur, quod Deus eiecit Adam ex paradiso « et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim et flammeum gladium » etc. Iuxta August., Enarrat. in Ps. 149, 6. n. 12, et Isidor., XVIII. Etymolog. c. 6, rhomphaea (graece ῥομφαία) et framea et spata significant gladium bis acutum; cfr. Eccli. 21, 4. et Apoc. 2, 12. — Vide III. Sent. d. 18. a. 2. q. 3. — Post *aperta* H I O Q V addunt *est*, et pro *qui* non paucі codd. et 2 subsitiunt *quae*.

[5] Epist. I. Cor. 15, 4. — Superius pro *debuit*, quod plures codd. et 2 omittunt, B H *voluit*.

[6] Vide I. Cor. 15, 5. sequ. et I. Thess. 1, 12. sequ.

[7] Secundum Glossam Bedae in Marc. 15, 33. Christus eadem hora mortem moriendo destruxit, quam Adam peccando mortem huic mundo invexerat. Cfr. tom. III. pag. 163, nota 9. Ibid. pag. 458, nota 2. ex Augustino affertur ratio mystica horarum 36, quibus Christus requievit in sepulcro. — Aliquanto superius edd. *repletur* pro *impletur*.

Digitized by Google

ascendendo in caelum, sic in *mittendo Spiritum sanctum*, et propter fundationem trium virtutum praedictarum et propter multa mysteria, quae in his temporibus implicantur.

Et quoniam Spiritus sanctus, qui caritas est et per caritatem habetur, est omnium origo charismatum; ideo, cum descendit Spiritus sanctus, effusa est plenitudo charismatum ad corpus Christi mysticum consummandum. Et quia diversa membra debent esse in corpore perfecto et diversorum membrorum diversa officia et exercitia et diversorum officiorum diversa charismata; hinc est, quod *uni datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum; quae omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult*[1], secundum suam liberalissimam providentiam et providentissimam largitatem.

Plenitudo ac diversitas charismatum.

PARS QUINTA.

De gratia Spiritus sancti.

Cap. I.

De gratia, in quantum est donum divinitus datum.

Post tractatum de incarnatione Verbi, quod est origo et fons omnis doni gratuiti, dicenda sunt aliqua de *gratia* Spiritus sancti, quae nobis quadrupliciter consideranda occurrit. Primo, in quantum est donum divinitus datum. — Secundo, in comparatione ad liberum arbitrium. — Tertio, in comparatione ad habitus virtutum. — Quarto, in comparatione ad exercitia meritorum.

Partes huius tractatus.

De gratia igitur, in quantum est *donum divinitus datum*, haec tenenda sunt, quod ipsa est donum, quod a Deo immediate donatur et infunditur. Etenim cum ipsa et in ipsa datur Spiritus sanctus, qui est donum increatum, *optimum et perfectum, quod descendit a Patre luminum*[2] per Verbum incarnatum, secundum quod Ioannes in Apocalypsi *fluvium splendidum ad modum* vidit *crystalli procedere de sede Dei et Agni*. — Ipsa nihilominus est donum, per quod anima perficitur et efficitur sponsa Christi, filia Patris aeterni et templum Spiritus sancti; quod nullo modo fit nisi ex dignativa condescensione et condescensiva dignatione Maiestatis aeternae per donum gratiae suae. — Ipsa denique est donum, quod animam purgat, illuminat et perficit[3]; vivificat, reformat et stabilit; elevat, assimilat et Deo iungit, ac per hoc acceptabilem facit; propter quod donum huiusmodi *gratia gratum faciens* recte dicitur et debuit appellari[4].

Thesis 1.
Thesis 2.
Thesis 3.
Thesis 4.
Efficiens donum.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum primum principium *productivum* pro sua summa benevolentia fecerit spiritum rationalem capacem beatitudinis aeternae[5]; et *reparativum* principium capacitatem illam infirmatam per peccatum reparavit ad salutem; et beatitudo aeterna consistit in habendo summum bonum; et hoc est Deus et bonum excellens improportionaliter omnem humani obsequii dignitatem: nullus omnino ad illud summum bonum dignus est pervenire, cum sit omnino supra omnes limites naturae, nisi, Deo condescendente sibi, elevetur ipse supra se. Deus autem non condescendit per sui *essentiam* incommutabilem, sed per *influentiam* ab ipso manantem; nec spiritus elevatur supra se per *situm localem*, sed per *habitum deiformem*. Necesse est igitur spiritui rationali, ut dignus fiat aeternae beatitudinis, quod particeps fiat influentiae deiformis. Haec autem influentia deiformis, quia est a Deo et secundum Deum et propter Deum, ideo reddit imaginem nostrae mentis conformem beatissimae[6] Trinitati non tantum secundum *ordinem originis*, verum etiam secundum *rectitudinem electionis* et secundum *quietudinem fruitionis*. Et quoniam qui hoc habet immediate ad Deum reducitur, sicut immediate ei conformatur; ideo donum illud immediate donatur a Deo tanquam a principio influxivo; ut, sicut immediate emanat a Deo Dei *imago*, sic immediate manet ab ipso Dei *similitudo*, quae

Ratio.
Pro thesi 1.
Triplex conformitas.

---

[1] Epist. I. Cor. 12, 8-11. Vulgata hinc inde plura addit. — Superius vocibus *diversa officia* 1 interseri *sunt*.

[2] Iac. 1, 17. — Seq. locus est Apoc. 22, 1: Et ostendit mihi fluvium aquae vitae splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede etc. — Inferius verba *perficitur et* desiderantur in aliquibus codd., in Vat., 1 et 3.

[3] Cfr. supra pag. 225, nota 6.

[4] Cfr. II. Sent. d. 26. q. 1. seq. — A pluribus codd., ut B C I M, omittitur *dicitur et*.

[5] Ut ostensum est supra p. II. c. 9, et seq. propositio exposita est p. IV. c. 1. seqq. — Inferius pro *reparavit ad salutem* [2 cum pluribus codd. addit *aeternam*] C I Q U et 1 *reparaverit ad salutem*, ac subinde pro *consistit* D E I *consistat*.

[6] I M *beatipcatae*.

Digitized by Google

est divinae imaginis perfectio deiformis, et ideo dicitur *imago recreationis*[1].

Rursus, quoniam qui fruitur Deo Deum habet;
Pro thesi 2. ideo cum gratia, quae sua deiformitate disponit ad Dei fruitionem, datur donum *increatum*, quod est Spiritus sanctus, quod qui habet habet et Deum[2].

Et quoniam nullus Deum habet, quin ab ipso
Pro thesi 3. specialius habeatur; nullus habet et habetur a Deo, quin ipsum praecipue et incomparabiliter diligat et diligatur ab ipso sicut sponsa a sponso; nullus sic diligitur, quin ad aeternam hereditatem adoptetur pro *filio*: hinc est, quod gratia gratum faciens facit animam *templum Dei*, *sponsam Christi* et *filiam Patris* aeterni. Et quia hoc non potest esse nisi ex summa dignatione et condescensione Dei; ideo illud non potest esse per habitum aliquem naturaliter insertum, sed solum per donum divinitus gratis infusum; quod expresse apparet, si quis ponderet, quantum est esse Dei templum, Dei filium, Deo nihilominus indissolubiliter et quasi matrimonialiter per amoris et gratiae vinculum copulatum[3].

Postremo, quia mens nostra non efficitur con-
Pro thesi 4. formis beatissimae Trinitati secundum rectitudinem electionis nisi per *vigorem victutis*, *splendorem veritatis* et *fervorem caritatis*; et *vigor virtutis* animam *purgat*, *stabilit* et *elevat*; *splendor veritatis* animam *illuminat*, *reformat* et Deo *assimilat*; *fervor caritatis* animam *perficit*, *vivificat* et Deo *iungit*, et ex his omnibus homo Deo *placens et acceptus* existit: hinc est, quod illa influentia deiformis dicitur habere omnes decem actus praedictos, ita tamen, quod denominatur ab ultimo sicut a completissimo. —
Corollarium. Dicitur enim *gratia gratum faciens*, quia habentem facit Deo gratum, cum non solum gratis detur *a Deo*, verum etiam sit *secundum Deum* et *propter*
Notandum. *Deum*; cum ad hoc sit, ut per ipsum opus manans a Deo revertatur in Deum, in quo ad modum circuli intelligibilis consistit omnium spirituum rationalium complementum[4].

Cap. II.

De gratia, in quantum iuvat ad bonum meritorium.

Secundo, Spiritus sancti gratia nobis occurrit consideranda in *comparatione ad liberum arbitrium*, et hoc secundum duplicem modum. Primo scilicet, in quantum ipsa est *adiutorium ad meritum*; secundo vero, in quantum est *remedium contra peccatum*[5].

De gratia igitur Dei, in quantum est *adiutorium ad merendum*[6], haec tenenda sunt, quod cum gratia dicatur *generaliter*, *specialiter* et *proprie*; *generaliter* dicitur adiutorium divinum creaturae liberaliter et gratis impensum et indifferenter ad quemcumque actum; et sine huiusmodi adiutorio gratiae nec possumus aliquid efficere nec durare in *esse*. — *Specialiter* dicitur gratia adiutorium divinitus datum, ut quis praeparet se ad suscipiendum Spiritus sancti donum, quo perveniat ad meriti statum; et talis dicitur gratia *gratis data*, et sine hac nullus sufficienter facit quod in se est, ut se praeparet ad salutem. — *Proprie* vero gratia dicitur adiutorium datum divinitus ad merendum, quod quidem dicitur donum *gratiae gratum facientis*, sine quo nullus potest mereri nec in bono proficere nec ad aeternam pervenire salutem. Ipsa enim tanquam radix merendi omnia merita antecedit; propter quod dictum est[7], quod « praevenit voluntatem, ut velit; subsequitur autem, ne frustra velit ». Unde nullus ipsam mereri potest merito *condigni*, sed « ipsa meretur augeri a Deo in via, ut aucta mereatur et perfici » in patria et gloria sempiterna ab ipso Deo, cuius est gratiam *infundere*, *augere* et *perficere* secundum cooperationem voluntatis nostrae et secundum propositum sive beneplacitum praedestinationis aeternae.

Gratia dicitur triplicitet. Primo. Secundo. Tertio.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec
Ratio. De sensu primo. est: quia, cum primum principium sua omnipotenti virtute et benignissima largitate creaturam omnem de nihilo produxerit ad *esse*; ac per hoc creatura de se habeat *non-esse*, totum autem *esse* habeat aliunde: sic facta fuit, ut ipsa pro sua defectibilitate semper suo principio indigeret et primum principium pro sua benignitate influere non cessaret[8]. Cum ergo spiritus rationalis, hoc ipso quod de nihilo, sit in se *defectivus*; hoc ipso quod natura limitata et egena, sit *in se recurvus*, amans proprium bonum; hoc ipso quod totus a Deo, sit totaliter *Deo obnoxius*; et quia *defectivus* est, de se tendit in *non-esse*; quia *recurvus*, per se non assurgit ad rectitudinem perfectae iustitiae; quia totaliter *Deo obnoxius*, et Deus bonis eius non indiget[9], nihil potest

---

[1] Vide II. Sent. d. 26. q. 3. et 4. ac I. Sent. d. 14. a. 2. q. 2.

[2] Cfr. I. Sent. d. 14. a. 2. q. 1. — Subinde substituimus ex pluribus codd., ut A B E M P cum 2 *specialius* pro *specialiter*; post *sicut* D F prosequuntur *sponsus a sponsa, et e converso*; et ante *hereditatem* edd. 4, 3 addunt *beatitudinis*.

[3] Vide II. Sent. d. 29. a. 1. q. 1. in corp.

[4] Cfr. supra p. II. c. 12. — Pro *revertatur* A *referatur*.

[5] De his agitur hic et seq. cap. Sed observandum, quod in tabula supra pag. 209 secundum codd. relata ordo 2. et 3. capituli invertitur cum quadam differentia verborum.

[6] B C E I M T *meritum*.

[7] Ab August., Enchirid. c. 32. n. 9. — Seq. locus est August., Epist. 186. (alias 106.) c. 3. n. 10. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXVI. c. 2, et Comment. ibid. d. 27. dub. 1, in cuius fine triplex gratiae acceptio explicatur; ibid. n. 2. per totum et d. 28. dub. 2. ostenditur, quid mereri contingat et quid non.

[8] Vide I. Sent. d. 37. p. I. a. 1. q. 1. in corp.; II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. et 2. — Superius pro editionum lectione *de se non habent esse* cum B I O P Q S substituimus *de se habent non-esse* (I *de se habet non-esse*, quae etiam paulo ante cum aliis edd. *pro-tuxit* pro *produxerit*).

[9] Psalm. 15, 2: Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. — Gen. 15, 1: Ego [Deus] pro-

Digitized by Google

facere de se et propria virtute, per quod Deum sibi constituat debitorem, et maxime mercedis aeternae, quae Deus est, nisi per divinam condescensionem: hinc est, quod ad hoc, quod *salvetur in esse*, cum sit *defectivus*, indiget semper adiutorio divinae praesentiae, manutententiae et influentiae, per quam manutenetur in *esse*; quae, quamvis sit universalis in creaturas omnes, nominatur tamen nomine *gratiae*, quia non ex debito procedit, sed ex liberalitate bo-
De secundo. nitatis divinae. — Hinc est etiam, quod ad hoc, ut se *praepareet ad donum superaae gratiae*, cum sit *recurvus*, indiget dono alterius *gratiae gratis datae*, maxime post naturam lapsam, per quam habilis efficitur ad bona moralia, quae sunt bona ex *circumstantia* [1], quae nullo modo possunt dici bona, nisi procedant ex intentione recta, videlicet quod non propter nos, sed propter summum bonum fiant, ad quod non assurgit spiritus noster recurvus, nisi praeveniatur a Deo per aliquam gratiam gratis datam.
De tertio. — Hinc nihilominus est, quod ad hoc, quod *faciat opera meritoria* mercedis aeternae; cum totaliter sit *Deo obnoxius* et debitor sui totius, indiget dono *gratiae gratum facientis*, per quam Deus sibi condescendat, prius acceptans suam imaginem et voluntatem quam operationem ex ipso manantem; quia, cum « causa nobilior sit effectu [2] », nullus potest se facere meliorem nec facere opus Deo placens, nisi prius placeat ipse, ut Deus prius *ipsum* respiciat
Est radix mercedis. quam *ad munera eius* [3]. Et ideo omnis radix mercedis fundatur in gratia gratum faciente, cuius est facere hominem Deo dignum; propter quod nullus potest eam mereri merito *condigni*, sed solum merito *congrui*.

Ipse autem habita *meretur sui ipsius augmentum* in statu viae per bonum eius usum merito
Habita meretur augeri. *digni*. Nam cum solus Deus sit ipsius gratiae fontale principium influendi, *ipse* solus est principium augmentandi per modum infundentis, et *gratia* per modum meriti et dignitatis, et *liberum arbitrium*
Notandum. per modum cooperantis et merentis, pro eo quod liberum arbitrium *cooperatur* gratiae et quod est gratiae *suum fiat*.

Et ideo non tantum liberum arbitrium per gratiam meretur gratiae augmentum in statu viae me-
Meretur condigne gratiam. rito *digni*, verum etiam *complementum* in statu patriae merito *condigni*, tum propter *sublimitatem* Rationes sequentes.
doni Spiritus sancti cooperantis in merito; tum propter *veracitatem* Dei promittentis; tum propter *verabilitatem* liberi arbitrii consentientis et finaliter perseverantis; tum propter *difficultatem* status merendi [4]; tum propter *dignitatem* Christi nostri capitis intervenientis, quod debet glorificari cum suis membris; tum propter *liberalitatem* Dei retribuentis, quem non decet parva reddere propter obsequium sibi fideliter obtemperantis; tum propter *nobilitatem* operis, quod ex caritate procedit, quod tantum ponderat in conspectu iudicis, quantum amor, ex quo procedit, qui Deum incomparabiliter praeponit omnibus creaturis, et ideo non sufficienter et competenter potest nisi in Deo et summo bono remunerari. — Ex quibus omnibus tanquam ex septem rationibus gloriam aeternam merito non tantum *congrui*, sed etiam *condigni* mereri facit gratia septiformis.

Cap. III.

De gratia, in quantum est remedium peccati.

De gratia vero, in quantum est *remedium contra peccatum*, haec tenenda sunt, quod liberum ar-
Thesis 1. bitrium, licet sit « sub Deo potentissimum [5] », potest tamen per se in peccatum corruere, sed nullatenus potest resurgere sine adiutorio divinae gratiae, quae
Thesis 2. dicitur *gratum faciens*. — Illa autem gratia, licet sit sufficiens remedium contra peccatum, non tamen infundatur adulto, nisi adsit liberi arbitrii consensus.
Requiruntur quatuor. Ex quo colligitur, quod ad iustificationem impii quatuor concurrant, scilicet *infusio gratiae*, *expulsio culpae*, *contritio* et *motus liberi arbitrii*. — Ex-
Thesis 3. pellitur ergo culpa a Dei dono, non a libero arbitrio, non tamen sine libero arbitrio. Nam gratiae *gratis*
Gradus 3 in hoc processu. *datae* est liberum arbitrium revocare a malo et excitare ad bonum; et *liberi arbitrii* est consentire, vel dissentire; et *consentientis* est gratiam suscipere; et *suscipientis* cooperari eidem, ut tandem *perveniat* ad salutem [6].

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec
Ratio. est: quia, cum primum principium, hoc ipso quod
Pro thesi 1. primum et potentissimum, sit causativum omnium, quae fiunt in universo praeterquam peccatorum, quae

---

tector tuus sum et merces tua magna nimis. — Mox pro *et propter* 1 *ex propter*, quae etiam cum aliis edd. et nonnullis codd. pro *per quod* substituit *propter quod*. Inferius pro *manutenentae et influentae* 2 cum aliquot codd. *manutenente et influente*, et pro *universalis* H C et 1 *generalis*.

[1] Cfr. II. Sent. d. 36. dub. 5. et d. 41. a. 1. q. 1. in corp.

[2] Ut notat Avicenna, Metaph. tr. 6. c. 3. Vide tom. IV. pag. 19, nota 9. — De gratiae subiecto cfr. II. Sent. d. 26. q. 3. — Pro *ex ipsa* 2 cum pluribus codd. perperam *ex ipso*, aliae edd. *ex eo*.

[3] Gen. 4, 4: Et respexit Dominus ad Abel et ad munera eius. — Inferius edd., excepta 2, cum pluribus codd. *condigni* pro *digni*; subinde pro *augmentandi* et *infundentis* plures codd. *augendi* et *influentis*.

[4] Plures codd. et 1 *merentis*. Superius pro *digni* M *congrui* (cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp.), econtra in fine cop. G H K N *digni* pro *congrui*.

[5] De hac dictione Bernardo a Scholasticis tributa cfr. tom. II. pag. 115, nota 6. — Quid valeat liberum arbitrium absque gratia gratum faciente et gratis data, ostenditur II. Sent. d. 28. per totam. — Inferius pro *illa autem* 2 cum pluribus codd. *ipsa autem*. Subinde verba *concurrunt* M praemittit *sunt necessaria et*.

[6] De his quatuor requisitis vide IV. Sent. d. 17. p. 1. per totam.

Digitized by Google

Cum, sed non resurgit per se. sunt « transgressiones legis divinae et caelestium inobedientiae mandatorum [1] », nihil habet sibi rebelle, injuriosum et offensivum nisi peccatum, quod, contemnendo Dei praeceptum et avertendo nos a bono incommutabili, *offendit* Deum, *deformat* liberum arbitrium, *perimit* donum gratuitum et *obligat* ad supplicium aeternum. Cum igitur deformatio imaginis et peremptio gratiae sit quasi annihilatio in *esse* moris et vitae gratuitae; cum offensa Dei sit tantum [2] ponderanda, quantus est ipse; cum reatus poenae aeternae rationem teneat infiniti: impossibile est, quod homo resurgat a culpa, nisi *recreetur* in vita gratuita, nisi *remittatur* offensa, et poena *relaxetur* aeterna. Solus igitur, qui fuit principium *creativum*, est et principium *recreativum*, Verbum scilicet Patris aeternum, quod est *Christus Jesus, mediator Dei et hominum* [3], quod quia omnia de nihilo creat, ideo creat se ipso solo sine aliquo intermedio.

Facit quatuor.

Quia vero recreat, *deformatum* per vitium culpae reformando per habitum gratiae et justitiae, *obligatum* ad poenam absolvendo per satisfactionem condignam; hinc est, quod nos reparat, sustinendo pro nobis poenam in natura assumta et infundendo gratiam reformativam, quae, quoniam continuat nos suae origini [4], facit nos membra Christi; ac per hoc animam peccatricem, quae fuerat inimica Dei, prostibulum diaboli et serva peccati, facit sponsam Christi, templum Spiritus sancti et filiam Patris aeterni; quod totum fit per gratuitam et condescensivam infusionem doni gratuiti.

Modus reparationis.

Rursus, quoniam Deus sic reformat, quod leges naturae inditas non infirmat [5]; ideo sic hanc gratiam tribuit libero arbitrio, ut tamen ipsum non cogat, sed eius consensus liber maneat; et ideo ad hoc, quod *culpa expellatur*, non solum necesse *est*, quod *gratia introducatur*, verum etiam, quod liberum arbitrium in adultis — in adultis dico, quia in parvulis sufficit fides Ecclesiae et meritum Christi, et excusat impotentia sui [6] — necesse est, inquam, quod conformet se *expulsioni culpae* per detestationem minimum peccatorum, quam vocamus *contritionem;* est etiam necesse, quod conformet se *introductioni gratiae*, per complacentiam et acceptationem doni divini, quam vocamus

Pro thesi 2.

motum liberi arbitrii. Et sic necesse est, ista quatuor concurrere ad justificationem impii.

Postremo, quia praedispositio ad formam completivam debet esse ei conformis; ad hoc, quod liberum arbitrium se disponat ad gratiam gratum facientem, indiget adminiculo gratiae *gratis datae;* et quia gratiae est liberum arbitrium non cogere, sed praevenire, et simul utrinsque est in actum prodire: hinc est, quod in nostra justificatione concurrit actus *liberi arbitrii* et *gratiae*, consone quidem et ordinate, ita quod gratiae gratis datae est *excitare* liberum arbitrium; liberi arbitrii autem est huiusmodi excitationi *consentire*, vel *dissentire;* et [7] *consentientis* est ad gratiam gratum facientem se praeparare, qua hoc est facere quod in se est; et sic disposito gratia *gratum faciens* habet infundi, cui liberum arbitrium potest *cooperari*, si vult, et tunc meretur; vel *contrariari* per peccatum, et tunc demeretur. Si ergo cooperetur ei usque in finem, meretur *pervenire* ad aeternam salutem.

Pro thesi 3.

De 3 gradibus.

Verum est igitur quod dicit Augustinus [8], quod « qui creavit te sine te non justificabit te sine te ». — Verum est etiam, quod *non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* — Verum est etiam, quod nullus potest superbire de meritis, quia nihil in nobis Deus praeter sua dona coronat. Reservavit enim sibi Deus munera gratiae liberaliter largienda, ut discat homo non esse ingratus nec in se, quasi non acceperit, sed in Domino gloriari [9]. — Verum est etiam, quod licet liberum arbitrium per se legem implere non possit nec gratiam in se efficere, inexcusabile tamen est, si non facit quod potest, quia gratia *gratis data* semper est praesto ad commonitionem, cuius adminiculo facere potest quod in se est; quo facto, habeat gratiam *gratum facientem;* qua habenta, divinam implent legem et faciat Dei voluntatem; qua facta, eandem ad beatitudinem perveniat sempiternam propter opera meritoria, quae totaliter sunt *a gratia*, totaliter etiam *a libero arbitrio*, licet principalius a gratia: quia, ut dicit Augustinus [10], « gratia ad liberum arbitrium comparatur, sicut sessor ad equum », qui quidem sessor liberum arbitrium *dirigit, deducit* et *perducit* ad portum aeternae

Corollaria 4.

Notandum.

---

[1] Secundum Ambros. supra pag. 237, nota 4, allegatum.

[2] Plures codd. *tanta*, G legit *tanta ponderans*, E *tanti ponderis, quantus est ipse, qui offenditur, cum* etc.

[3] Epist. I. Tim. 2, 5. — Cfr. supra pag. 241, nota 4. — Post *recreativum* edd. addunt *et reparativum* contra plurimos codd., inter quos sunt A B M P. Pro *aeternum* F G M *aeterna*.

[4] Vide II. Sent. d. 26. p. 4. in corp.

[5] Cfr. supra pag. 218, nota 5. — De seq. propositione vide supra p. I. c. 8. et II. Sent. d. 25. p. II. q. 5, ubi ostenditur, quod, licet Deus *immutet* voluntatem, non tamen ipsam *cogat*. — K P *infringat*.

[6] Cfr. IV. Sent. d. 4. p. I. dub. 2.

[7] A D K et 2 addunt *ita in justificatione*.

[8] Serm. 169. (alias 15. de Verbis Apostoli) c. 11. n. 13. Cfr. tom. IV. pag. 327, nota 2. — Seq. locus est Rom. 9, 16. — Subinde respicitur verbum August., quod « cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua »; cfr. tom. II. pag. 698, nota 3. — Interius vocibus *quin nihil* D F interserunt *homo quidquid habet meriti praecentrae gratia donat et.*

[9] Cfr. I. Cor. 1, 31. et 4, 7. — Inferius *quod potest* omittitur ab E H I K M S et 2, pro quo A *quantum in se est*, B D F et 4 *quod in se est*, et pro *commonitionem* I *communicationem*.

[10] Libr. III. Hypognost. (inter opera August.) c. 11; cfr. etiam Serm. 30. (alias 12. de Verbis Apostoli) c. 8. n. 10. Verba vide tom. II. pag. 600, nota 6, quae Hal. d. 26. q. 6. explicantur. — Superius voci *voluntatem* ex G I K M O Q praeximus *Dei*.

Digitized by Google

felicitatis, exercendo nos in operibus perfectae virtutis secundum donum ipsius gratiae septiformis.

Cap. IV.

De ramificatione gratiae in habitus virtutum.

Tertio restat agere de gratia *in comparatione ad habitus virtutum*, circa quam consideranda sunt tria. Primum est, qualiter gratia una ramificatur in habitus *virtutum;* secundum est, qualiter ramificatur in habitus *donorum*; tertium est, qualiter ramificatur in habitus *beatitudinum*[1].

De ramificatione igitur gratiae in habitus *virtutum* haec tenenda sunt, quod cum una sit gratia gratificans animam, septem tamen sunt *virtutes gratuitae*, quibus regitur vita humana: tres quidem theologicae, scilicet fides, spes et caritas; et quatuor cardinales, scilicet prudentia, temperantia, fortitudo et iustitia, quae uno modo est virtus *communis* et generalis, alio modo *specialis* et propria. — Hae autem septem virtutes, licet sint *distinctae* et proprias excellentias habentes, sunt tamen *connexae* et *aequales* ad invicem in eodem; et licet sint *gratuitae* per gratiam informatae, possunt tamen fieri *informes* per culpam, sola caritate exempta, et iterum *informari* per poenitentiam, adveniente gratia, quae est habituum virtualium *origo*, *finis* et *forma*[2].

Virtutes theologicae. Cardinales.

Sunt connexae. Gratuitae, vel informes.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, sicut principium *productivum* sua summa perfectione in dando vitam naturae non tantum dat *vivere* quantum ad actum primum, verum etiam quantum ad actum secundum, qui est *operari;* sic necesse est, quod principium *reparativum* vitam tribuat spiritui in *esse* gratuito et in quantum ad *esse* et quantum ad *operari*. Et quoniam unius viventis secundum unam vitam primam multae sunt operationes vitales ad illius vitae perfectam manifestationem; cum actus diversificentur per obiecta, et diversitas actuum requirat distinctionem habituum[3]: hinc est, quod licet una sit gratia vivificans, ramificari tamen necessario habet in varios habitus propter varias operationes. — Et quoniam quaedam sunt opera moralia *primaria*, sicut credere; quaedam *media*, sicut intelligere credita; quaedam vero *postrema*, sicut videre intellecta; et in primis anima *rectificatur*, in secundis *expeditur*, in tertiis *perficitur:* ideo gratia gratum faciens ramificatur in habitus *virtutum*, quorum est animam *rectificare;* in habitus *donorum*, quorum est animam *expedire;* et in habitus *beatitudinum*, quorum est animam *perficere*[4].

De habitibus superioribus.

Divisio operum.

Tria genera habituum.

Rursus, quoniam rectitudo animae perfecta requirit, quod ipsa rectificetur secundum duplicem faciem, scilicet *superiorem* et *inferiorem*, et respectu *finis*, et respectu eorum *quae sunt ad finem;* ideo necesse est, animam quantum ad *superiorem* faciem, in qua consistit imago Trinitatis aeternae, rectificari per tres *theologicas* virtutes, ut, sicut imago creationis consistit in trinitate potentiarum cum unitate essentiae, sic imago recreationis in trinitate habituum cum unitate gratiae, per quos anima fertur recte in summam Trinitatem secundum tria appropriata tribus personis[5]; ita quod *fides* dirigit in summe verum credendo et assentiendo, *spes* in summe arduum innitendo et exspectando, *caritas* in summe bonum desiderando et diligendo.

De virtutibus theologicis.

Necesse est etiam, quantum ad *inferiorem* faciem animam rectificari per quatuor *cardinales* virtutes. Nam *prudentia* rectificat rationalem, *fortitudo* irascibilem, *temperantia* concupiscibilem, *iustitia* vero rectificat omnes has vires in comparatione ad *alterum*. — Et quia illud *alterum* determinate potest esse *proximus*, potest etiam idem homo comparari ad *se ipsum* ut ad alterum, potest etiam esse ipse *Deus;* hinc est, quod *iustitia* circuire dicitur[6] omnes vires. Dicitur etiam non tantum virtus *cardinalis*, verum etiam *generalis*, comprehendens totius animae rectitudinem, cum ipsa dicatur «rectitudo voluntatis». Unde ipsa non tantum comprehendit virtutes ordinantes ad *proximum*, sicut est aequitas et liberalitas; verum etiam ad *se ipsum*, sicut est poenitentia et innocentia; nec non ad *Deum*, sicut est latria, pietas et obedientia.

De cardinalibus.

Iustitia duplex.

Postremo, quoniam omnis rectitudo virtutum secundum *esse gratuitum* manat a gratia tanquam ab *origine* et radice; et secundum *esse meritorium* comparatur ad caritatem sicut ad *originem*, *formam* et *finem:* hinc est, quod ceterae virtutes gratuitae quoad *habitus* sunt *connexae* et quoad *actus meritorios* sunt *aequales*. — Hinc est etiam, quod ceteri

Sunt connexae.

Gratuitae, vel informes.

---

[1] De his agitur hic et 2 seqq. capp.

[2] De unitate gratiae eiusque diversitate a virtutibus cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. seq.; de virtutibus theologicis et cardinalibus vide III. Sent. d. 23-33; de connexione virtutum earumque forma (caritate) agitur ibid. d. 36. — Supra pro *gratum informatae* O P Q U satis bene *gratiam informantem*.

[3] Secundum Aristot.; vide supra pag. 69, nota 8. — Idem etiam II. de Anima, text. 36. seq. (c. 4.) insinuat distinctionem inter actum vitae primum et secundum. — In hac propositione voci *multae* edd. cum paucis codd. praefigunt *membrorum*. Aliquanto superius post *actum primum* B H addunt *qui est vivere*. Inferius pro *vivificans* S *gratificans*.

[4] Cfr. III. Sent. d. 34. p. 1. a. 1. q. 4.

[5] Vide supra p. 1. c. 6. — Pro *innitendo*, quod recte exhibent B M (cfr. III. Sent. d. 36. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 4, ubi inter actus spei recensentur *confidere*, *innitti* [summae largitati] et *exspectare*), edd. *imitando*, Q *in vincendo*, I K O V *in laudando*. Superius verbo *rectificari* G H N addunt *a Deo*.

[6] Ab August., II. de Gen. contra Manich. c. 10. n. 14. Cfr. tom. III. pag. 720, nota 11. — Seq. locus est Anselm., de Conceptu virg. et orig. pecc. c. 3. et Dialog. de Veritate, c. 12: Iustitia est rectitudo voluntatis propter se servata. — Post *omnes vires* I prosequitur: *est enim non tantum virtus cardinalis specialis, verum etiam* etc. Superius pro *potest etiam idem homo comparari* I K M O V *potest esse idem homo comparatus*.

Digitized by Google

habitus virtutum possunt esse *informes*, sola caritate excepta, quae est virtutum forma. Cum enim habentur sine gratia et caritate, in quibus consistit vita virtutum, tunc *sunt informes*. Cum autem superinfunditur gratia, tunc *formantur* et decorantur et Deo acceptabiles fiunt; sicut et colores alioquin luce sunt invisibiles, superveniente autem lumine, fiunt lucidi, puleri et aspectui complacentes. Unde quemadmodum ex luce et coloribus fit unum in ratione motivi, et una lux sufficit ad multos colores illuminandos; sic ex gratia et habitibus informibus, cum formantur, fit unum secundum rationem meritorii et gratuiti; et una nihilominus gratia sufficit ad informationem et gratificationem habituum diversorum [1]. Simile.

Cap. V.

De ramificatione gratiae in habitus donorum.

De ramificatione autem gratiae in habitus *donorum* haec tenenda sunt, quod licet plurima sint dona gratiae gratis datae, et *generaliter* omnes habitus divinitus dati *dona Dei* non absurde dici possunt; *specialiter* tamen et *appropriate* septem sunt dona Spiritus sancti, quae enumerat et nominat Isaias [2], loquens de flore, qui processit de radice Jesse, id est Christo, de quo dicit, quod *requiesset super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* In hac autem enumeratione descendendo processit a summo et combinando, ut simul ostendatur donorum *distinctio, connexio, origo* et *ordo*. Septem dona. Ostendunt quatuor.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum principium reparativum per summam liberalitatem non tantum det gratiam ad *rectificandum* contra obliquitates vitiorum per habitus *virtutum*, verum etiam ad *expediendum* contra impedimenta symptomatum [3] per habitus *donorum*; ideo plurificari debent dona gratuita, secundum quod necessarium est ad expeditionis sufficientiam. Quoniam igitur anima nostra indiget septiformiter expediri; hinc est, quod ex septiformi causa necesse est Spiritus sancti dona esse septiformia. Indiget namque expediri contra *vitiorum obliquitates*, quantum ad *vires naturales* et quoad *superaddita virtutes*, in *patiendo*, in *agendo*, in *contemplando* et *utroque modo*. Ratio. Septiformis causa expeditionis.

Primo igitur, propter *vitiorum obliquitates* expeditissime repellendas septem sunt dona Spiritus sancti, utpote *timor* contra superbiam; *pietas* contra invidiam; *scientia* contra iram, quae quasi est quaedam insania [4]; *fortitudo* contra accidiam, quae mentem reddit ad bona invalidam; *consilium* contra avaritiam; *intellectus* contra gulam, et *sapientia* contra luxuriam. Primo. Causa primi.

Secundo, propter expediendas *vires naturales* Spiritus sancti dona debent esse septem. Nam *irascibilis* indiget expediri ad bona tam in prosperis quam in adversis; in prosperis expeditur per *timorem*, in adversis per *fortitudinem*. *Concupiscibilis* indiget expediri quantum ad affectionem respectu *proximi*, et hoc fit per *pietatem*; et quantum ad affectum respectu Dei, et hoc fit per *gustum sapientiae*. *Rationalis* vero indiget expediri in veritatis *speculatione, electione* et *executione*; per donum *intellectus* expeditur ad verum speculandum, per donum *consilii* ad verum eligendum, per donum *scientiae* ad electum exsequendum; per donum enim *scientiae* recte conversamur *in medio nationis pravae et perversae* [5]. Secunda.

Tertio, propter expediendas *septem virtutum officia* septem debent esse Spiritus sancti dona. Nam *timor* expedit ad temperantiam, timor enim carnes configit [6]; *pietas* ad veram iustitiam; *scientia* ad prudentiam; *fortitudo* ad fortitudinem seu patientiam; *consilium* ad spem; *intellectus* ad fidem; *sapientia* ad caritatem. Unde sicut « caritas est mater et consummatio omnium virtutum », sic *sapientia* donorum, ita ut vere dicat Sapiens [7]: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa et innumerabilis honestas per manus illius.* Tertia.

Quarto, propter expeditionem in *patiendo* conformiter ad Christum septem sunt habitus donorum. Christum autem ad patiendum movit *paterna voluntas, humana necessitas* et *virtutis strenuitas*. *Divina* [8] quidem *voluntas* movit, ut cognita per *intellectum*, ut amata per *sapientiam*, ut in reverentia habita per *timorem*. Movit etiam *nostra necessitas*, ad quam cognoscendam necessaria est *scientia*, ad quam miserandam superadditur *pietas*. Movit nihilominus *virtutis strenuitas*, ut provida in eligendo per *consilium*, ut vigorosa in perferendo per *fortitudinem*. Et sic dona debent esse septem. Quarta.

Quinto, propter expeditionem in *agendo* septem dona dantur a Spiritu sancto. Nam ad actionem expeditam [9] necesse habemus expediri ad *declinandum* Quinta.

---

[1] Cfr. III. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. — Superius post *motivi* II addit *ad videndum*.

[2] Cap. 11, 2. et 3. — De hoc cap. vide III. Sent. d. 34. et 35.

[3] Scil. accidentium, quae morbum vitiorum sequuntur, sive sequelae morbi vitiorum. Cfr. tom. III. pag. 736, nota 7.

[4] Iram, ut ait Cicero, IV. Disp. Tusc. c. 23, « bene Lucius initium dixit insaniae ». — Inferius pro *bona* K M H P *bonum*.

[5] Phil. 2, 15. Cfr. III. Sent. lib. Magistri, d. XXXV. c. 1.

[6] Edd., 2 excepta, addunt: *unde: Confige timore tuo carnes meas* [Ps. 118, 120.].

[7] Sap. 7, 11. — Praecedens sententia de caritate est Hieron., Epist. 82. (alias 62.) n. 11. V de III. Sent. lib. Magistri, d. XXIII. c. 3, ubi ipsa attribuitur Ambrosio. — Vocl *donorum* edd., excepta 2, praemittunt *omnium*.

[8] Vat., 4 et 3 *Paterna*.

[9] Edd. *expediendum*.

Digitized by Google

a malo, quod fit per *timorem*. Necesse etiam habemus expediri ad *proficientiam in bono* duplici: vel *necessitatis*, vel *supererogationis*. Circa primum expedimur per *scientiam* et *pietatem*, ita quod unum est dirigens, et aliud exsequens; circa secundum, per *consilium* dirigens et per *fortitudinem* exsequentem. Necesse etiam habemus *quiescere in optimo*, et hoc quantum ad *intellectum* veri et quantum ad *affectum* boni; primum fit per donum *intellectus*, secundum per donum *sapientiae*, in quo est quies.

Sexta. Sexto, ad expeditionem in *contemplando* dona Spiritus sancti sunt in septenario numero. Nam ad vitam hierarchicam et contemplativam necessarium est animam *purgari*, *illuminari* et *perfici*[1]. *Purgari* autem oportet a concupiscentia, a malitia, ab ignorantia, ab infirmitate seu impotentia; primum facit *timor*, secundum *pietas*, tertium *scientia*, quartum *fortitudo*. *Illuminari* autem indigemus in operibus reparationis et primariae conditionis; primum dat *consilium*, secundum *intellectus*. *Perfici* autem habemus per accessum ad summum, quod consistit in uno, et hoc per donum *sapientiae*; et sic arcanum contemplationis a lato consummatur quasi in cubito[2].

Septima. Septimo denique, ad expeditionem in *actione et contemplatione* septem debent esse dona Spiritus sancti. Nam *contemplativa* propter conversionem ad Trinitatem tria debet habere dona expeditiva: quantum ad reverentiam maiestatis, *timorem*; quantum ad intelligentiam veritatis, *intellectum*; quantum ad saporem seu gustum bonitatis, *sapientiam*[3]. *Activa* vero, quae versatur in agendis et sustinendis, debet habere quatuor, scilicet *pietatem* ad agendum et *fortitudinem* ad sustinendum; et directiva harum duarum, scilicet *scientiam* et *consilium*. Unde quia ad expeditionem necessaria est *directio*, ideo fit donorum combinatio; et plura sunt dona ad intellectum spectantia, quia lux cognitionis vehementer expedit *ad dirigendos pedes in viam rectam*[4].

Cap. VI.

De ramificatione gratiae in habitus beatitudinum, et per consequens fructuum et sensuum.

De ramificatione autem gratiae in habitus *beatitudinum* haec tenenda sunt, quod septem sunt *beatitudines*, quas Salvator enumerat in sermone de monte[5] scilicet *paupertas spiritus*, *mititas*, *luctus*, *esuries iustitiae*, *misericordia*, *munditia cordis* et *pax*. — Ad has beatitudines propter sui perfectionem et plenitudinem duodecim *fructus Spiritus* et quinque *sensus spirituales* consequuntur; qui non dicunt novos *habitus*, sed *status* delectationum et *usus* spiritualium speculationum, quibus replentur et consolantur spiritus virorum iustorum. Septem beatitudines. Duodecim fructus. Quinque sensus spirituales.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum reparativum principium sit perfectissimum et perfectissime reparativum et reformativum per donum gratuitum; ideo gratiae donum ab ipso manans liberaliter et abunde ramificari debet usque ad habitus perfectionem, qui, cum fini approximent, recto vocabulo numerantur ex nomine *beatitudinum*; quarum *sufficientia*, *numerus* et *ordo* colligitur ex *integritate perfectionis*, ex *modis perfectionum* et ex *dispositionibus ad perfectionem*. De beatitudinibus. Tria colligunt ex integritate.

Primo igitur ad *integritatem perfectionis* requiritur necessario perfectus *recessus a malo*, perfectus *processus in bono* et perfectus *status in optimo*. Quoniam autem *malum* aut procedit ex tumore superbiae, aut ex rancore malitiae, aut ex languore concupiscentiae[6]; ideo ad perfecte elongandum ab hoc triplici genere mali tres sunt necessariae beatitudines, scilicet *pauperbus spiritus* elongans a malo tumoris, *mititas* elongans a malo rancoris, et *luctus* elongans a malo libidinis et languoris concupiscentialis. — Quia vero perfectus *processus in bono* attenditur secundum divinam imitationem; et *universae viae Domini misericordia et veritas*[7]: hinc est, Primo ratio ex triplici radice. Subdistinctio.

---

[1] Cfr. supra pag. 225, nota 6. — De seq. propositione vide supra pag. 234, nota 4. in fine.

[2] Respicitur Gen. 6, 15. et 16, ubi agitur de structura arcae. Vide supra pag. 195, nota 7. — Origen., Homil. 2. in Gen. n. 5: Ad unum autem totius constructionis numerum summa revocatur, quia *unus Deus Pater, ex quo omnia* [I. Cor. 8, 6.], et *unus Dominus, et una* Ecclesiae *fides* est, *unum baptisma, unum corpus et unus spiritus* [Eph. 4, 4. seq.], et ad unum perfectionis Dei finem cuncta festinant. Hugo a S. Vict., I. Allegor. in Veteri testam. c. 13: Arca deorsum *lata* erat, quia multi sunt vocati; sursum *stricta*, quia pauci electi. Deorsum *lata*, quia multi sunt activi; sursum *stricta*, quia pauci contemplativi. Deorsum *lata*, quia multi imperfecti; sursum *stricta*, quia pauci perfecti. Cfr. Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 4. n. 16. seq. — Pro *a lato*, quod I K L M O V omittunt, I perperam *ab alto*, quae etiam cum Vat. et 3 *cubito* pro *cubito* (contra Vulgatam).

[3] Cfr. supra pag. 210, nota 5. — Substituimus ex B *saporem seu* (quod P omittit) pro pristina, sed incongrua lectione *sapientiam sive*.

[4] Luc. 1, 79: Ad dirigendos pedes nostros [ita et I K] in viam pacis [ita et P, edd. *rectam et pacis*]. — Superius postimus *horum duorum* hic plurium codd., inter quos L M, pro *horum duorum*; ac subinde ex A Q *plura* pro *plurima*.

[5] Matth. 5, 3. seqq. — Fructus Spiritus S. enumerantur Gal. 5, 22. seq. — Quae proponuntur in hoc cap. tangunur III. Sent. d. 31. p. I. a. 1. q. 1. in fine corp. et a. 2. q. 1. in hoc corp. Quoad numerum beatitudinum (*septem*, non *octo*) cfr. ibid. d. 36. q. 1. scholion.

[6] Cfr. supra p. III. c. 8.

[7] Psalm. 24, 10. — Superius pro *concupiscentiae* plures codd. vel *concupiscentia*, vel *concupiscentiae*, vel cum 2 *concupiscibilis*. Terminus *concupiscentialis* et adverbium occurrit apud Augustin.; cfr. Magister II. Sent. d. XXX. c. 7.

Digitized by Google

quod duplex est beatitudo secundum has duas vias, scilicet *esuries* sive zelus *iustitiae*, et *affectus misericordiae*. — Quoniam autem *status in optimo* est vel per limpidam cognitionem, vel per tranquillam affectionem; hinc est, quod sunt duae ultimae beatitudines, scilicet *munditia cordis* ad Deum videndum et *pax mentis* ad perfecte fruendum.

Secundo etiam, si *modi perfectionum* attendantur, debent esse septem habitus beatitudinum. Nam est perfectio *religionis*, *praelationis* et *internae sanctitudinis*[1]. Ad perfectionem autem *religionis* necessario requiritur abdicatio boni privati, acceptatio boni fraterni et appetitio boni aeterni; primum fit per *paupertatem spiritus*, secundum per *mititatem affectus*, tertium per *aumritudinem luctus*. — Ad perfectionem vero *praelationis* duo necessario requiruntur, scilicet *zelus iustitiae* et *affectus misericordiae; misericordia* enim *et veritas custodiunt regem*[2]. Secundum haec duo disponi debet regimen praelationis in Ecclesia militante. — Ad perfectionem autem *internae sanctitudinis* necessario requiritur *puritas conscientiae* et tranquillitas totius animae per *pacem Dei* omnem humanum sensum exsuperantem. Secunda, item.

Tertio, si attendantur *dispositiones praeambulae*, septem debent esse beatitudines. *Timor* enim facit recedere a malo et a mali occasione; et quia *radix omnium malorum est cupiditas*[3]: ideo *timor* disponit ad *spiritus paupertatem*, in qua simul iungitur humilitas cum paupertate, ut sic elongetur vir perfectus a fonte omnis culpae, scilicet a superbia et cupiditate. Et hinc est, quod *paupertas spiritus* est fundamentum totius perfectionis evangelicae. Unde primo oportet hoc fundamentum sternere qui vult ad culmen perfectionis venire, secundum illud Matthaei decimo nono[4]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes*; ecce, perfecta *paupertas*, quae nihil sibi prorsus retinet; *et sequere me*; ecce, *humilitas*, quae facit, quod homo abnegando se ipsum tollat crucem suam et sequatur Christum, qui est totius perfectionis principalissimum fundamentum. Disponit ergo timor ad spiritus paupertatem. — *Pietas* autem ad *mititatem*; nam qui pie ad aliquem afficitur nec illum irritat nec ab illo irritatur. — *Scientia* disponit ad *luctum*, quoniam per scientiam cognoscimus nos a statu beatitudinis relegatos in hanc vallem miseriae et lacrymarum. — *Fortitudo* autem disponit ad *esuriem iustitiae*; qui enim fortis est tam avide se tenet cum iustitia, ut malit a vita corporali quam a iustitia separari. — *Consilium* disponit ad *misericordiam*; nihil enim Deus magis consulit in Scriptura quam facere misericordiam, quod super omnia reputat holocausta[5]. — *Intellectus* disponit ad *cordis munditiam*; nam speculatio veritatis mundat cor nostrum ab omnibus phantasiis. — *Sapientia* disponit ad *pacem*; nam sapientia iungit nos summo vero et bono, in quo est finis et tranquillitas totius nostri rationalis appetitus. Tertia secundum 7 dona.

Qua pace adepta, necessario sequitur superabundans delectatio spiritualis, quae in *duodenario fructuum* continetur ad insinuandam *superabundantiam* delectationum. Est enim duodenarius numerus *abundans*[6], in quo insinuatur spiritualium charismatum exuberantia, quibus fruitur et delectatur anima sancta; et tunc est homo ad contemplationem idoneus et ad aspectus et amplexus sponsi et sponsae, qui fieri habent secundum *sensus spirituales*, quibus *videtur* Christi sponsi summa pulcritudo sub ratione *Splendoris*; *auditur* summa harmonia sub ratione *Verbi*; *gustatur* summa dulcedo sub ratione *Sapientiae* comprehendentis utrumque. Verbum scilicet et Splendorem; *odoratur* summa fragrantia sub ratione *Verbi inspirati* in corde; *astringitur* summa suavitas sub ratione *Verbi incarnati*, inter nos habitantis[7] corporaliter et redditis se nobis palpabile, osculabile, amplexabile per ardentissimam caritatem, quae mentem nostram per ecstasim et raptum transire facit *ex hoc mundo ad Patrem*. De fructibus et sensibus spiritualibus. De numero duodenario.

Ex dictis igitur manifeste colligitur, quod habitus *virtutum* ad exercitium principaliter disponunt activae; habitus vero *donorum* ad otium[8] contemplativae; habitus autem *beatitudinum* ad perfectionem utrinsque. *Fructus* vero *Spiritus*, qui sunt *caritas*, *gaudium*, *pax*, *patientia*, *longanimitas*, *bonitas*, *benignitas*, *mansuetudo*, *fides*, *modestia*, *continentia*, *castitas*[9], dicunt delectationes consequentes Corollarium 1.

---

[1] Plures codd., inter quos L M, hic et inferius *sanctitatis*. Subinde pro *requiritur* H S *requiruntur*, pro *acceptatio* 2 cum pluribus codd. *acceptio*, et pro *appetitio* Q *appetitus*.

[2] Prov. 20, 28. — Inferius respicitur Phil. 4, 7: Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra etc.

[3] Epist. 1. Tim. 6, 10. — Inferius pro *fonte* G H K et 1 *fomite* (cfr. supra p. III. c. 9.).

[4] Vers. 21. — Seq. locus ibid.: Et veni, sequere me. — Subinde respicitur Matth. 16, 24: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Cfr. supra Quaest. de perfectione evang. q. 1. et 2. — Inferius pro *fundamentum* G H *exemplum*, F legit *perfectionis principium*.

[5] Cfr. Osee 6, 6; Matth. 9, 13. et 12, 7. — H *quae super omnia reputatur holocausta*, G substituit *quam* pro *quod*. Superius pro *hanc vallem* I K L H U P *hac valle*, et subinde plures codd., inter quos L I. M, omittunt *corporali*.

[6] Cfr. tom. IV. pag. 972, nota 3. — Quae sequuntur de sensibus spiritualibus habentur etiam quasi ad verbum in Compendio theolog. veritatis, lib. V. c. 56. — Superius pro *fructuum* F L N et 2 *fructu*, H *numero* (in cod., excepta 2, additur *Spiritus*).

[7] Respicitur Ioan. 1, 14. et paulo inferius Ioan. 13, 1. — Pro *astringitur* V *amplectitur*. Inferius pro *et raptum* P *raptum*.

[8] Ita P Q T U V Z et etiam in Centiloq. p. III. sect. 16, ubi eadem verba transcripta sunt. Ibid., excepta 2, *actum* (G et 2 *actus*), M O *datum*. Cfr. Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 11; Bernard., V. de Consideral. c. 13. n. 32. et Serm. in Cantic. serm. 62. n. 4.

[9] Gal. 5, 22. seq.

Digitized by Google

opera perfecta. *Sensus* vero *spirituales* dicunt perceptiones mentales circa veritatem contemplandam.

Revelatio per triplicem visionem. Quae quidem contemplatio in Prophetis fuit per *revelationem* quantum ad triplicem visionem, scilicet corporalem, imaginativam et intellectualem [1]; in aliis

Speculatio per 6 gradus. vero iustis reperitur per *speculationem*, quae incipit a sensu et pervenit ad imaginationem et de imaginatione ad rationem, de ratione ad intellectum, de intellectu ad intelligentiam; de intelligentia vero ad sapientiam sive noticiam excessivam, quae hic in via incipit, sed consummatur in gloria sempiterna.

Et in his gradibus consistit *scala Iacob, cuius cacumen attingit caelum* [2]; et *thronus Salomonis*,

Corollarium 2. in quo residet Rex sapientissimus et vere pacificus et amorosus ut sponsus speciosissimus *et desiderabilis totus; in quem desiderant Angeli prospicere*, et ad quem suspirat desiderium sanctarum animarum, sicut *cervus desiderat ad fontes aquarum*. Quo quidem desiderio ferventissimo ad modum ignis spiritus noster non solum ellicitur agilis ad ascensum,

Docta ignorantia. verum etiam quadam *ignorantia docta* supra se ipsum rapitur in caliginem et excessum, ut non solum cum sponsa dicat: *In odorem unguentorum tuorum curremus* [3], verum etiam cum Propheta psallat: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*. Quam nocturnam et deliciosam illuminationem nemo novit nisi qui probat, nemo autem probat nisi per gratiam divinitus datam, nemini datur, nisi ei qui se exercet ad illam; ideo deinceps consideranda sunt exercitia meritorum.

Cap. VII.

De exercitio gratiae respectu credendorum.

Quarto igitur restat considerare gratiam quantum ad *exercitia meritorum*. Et circa haec consideranda sunt quatuor. Primo, de exercitatione gratiae in *credendis*, cuiusmodi sunt articuli fidei; secundo, in *diligendis*, cuiusmodi sunt illa quae spectant ad ordinem diligendi; tertio, in *exsequendis*, cuiusmodi sunt praecepta legis divinae; quarto in *postulandis*, cuiusmodi sunt petitiones orationis dominicae [4].

De *articulis* autem *fidei* haec tenenda sunt,

Thesis 1. quod licet per fidem astringamur credere plurima, quae sunt supra rationem, et *generaliter* omnia, quae continentur et afferuntur in canone sacrae Scripturae; *specialiter* tamen et proprie articuli fidei dicuntur Thesis 2. illi qui continentur in serie Symboli apostolici; qui uno modo sunt *duodecim*, si habeatur respectus ad eos, qui Symbolum ediderunt, alio modo *quatuordecim*, si consideremus, quae radicaliter credenda sunt tanquam omnium credendorum fundamenta [5].

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec Ratio. est: quia, cum primum principium in se ipso sit summe *verum* et *bonum*, in opere vero suo sit summe *iustum* et *misericors*; et summe *vero* de- Gratia ordinat vel exercitat. leatur firma assensio, summe *bono* fervens dilectio, summe *iusto* universalis [6] subiectio, summe *misericordi* fiducialis invocatio; et gratia sit ordinativa mentis nostrae ad primi principii culturam debitam: hinc est, quod ipsa dirigit et regulat ad debita et meritoria exercitia in *credendis, amandis, exsequendis* et *postulandis*, secundum quod requirit summa veritas, bonitas, iustitia et misericordia in Trinitate beata.

Quoniam igitur *veritati* est credendum, et ma- Pro thesi 1. iori veritati magis credendum, et summae veritati per consequens summe credendum; et veritas primi principii in infinitum maior est omni veritate creata et luminosior omni lumine intellectus nostri: hinc est, quod ad hoc, quod intellectus noster recte sit ordinatus in *credendis*, necesse est, quod plus credat summae veritati quam sibi, et quod se redigat in obsequium Christi [7]; ac per hoc, quod non solum S. Augustin. credat quae sunt *secundum rationem*, verum etiam quae sunt *supra rationem* et *contra sensuum experientiam*; quod si recusat, non exhibet summae veritati debitam reverentiam, dum iudicium industriae propriae praefert dictamini lucis aeternae; quod esse non potest absque tumore superbiae et elationis improbandae.

Rursus, quia veritas *supra* rationem sive *praeter* Duo requiruntur ad credendum. rationem est veritas non visa nec apparens, sed magis *occulta* et ad credendum difficillima; ideo ad hoc, quod firmiter credatur, necessaria est *illustratio veritatis* animam elevans, necessaria est etiam *testificatio auctoritatis* animam firmans. Primum fit per *fidem infusam*, secundum per *Scripturam authenticam*, quarum utraque est a veritate summa

---

[1] Secundum August., XII. de Gen. ad lit. c. 6. n. 15. seqq. Cfr. supra pag. 8, nota 4. et tom. III. pag. 503, nota 4. — Distinctio virium animae, exhibita in seq. propositione et etiam in Itinerar. mentis in Deum, c. 1, summa est ex Lib. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 10-14.

[2] Gen. 28, 12. — De throno Salomonis cfr. III. Reg. 10, 18. seqq.; subinde allegatur Cant. 5, 16; I. Petr. 1, 12. et Ps. 44, 1.

[3] Cant. 1, 3. — Seq. locus est Ps. 138, 11. — Cfr. II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. in corp. et ad 6, nec non supra Quaest. de scientia Christi, q. 7. circa finem corp.; Incend. amoris, c. 3. circa finem, et Itinerar. mentis in Deum, c. 7, ubi in textu verba Dionysii de rapiu in caliginem et excessum allegantur aliique doctores citantur. — Interius ante *nemini* delevimus cum C K L M O P T *quae quae*; post *nemini* P T addunt *autem*.

[4] De his quatuor agitur in hoc et 3 seqq. capp. — Superius pro *articuli* E *illa quae spectant ad articulum*.

[5] Cfr. III. Sent. d. 23-25. — Superius pro *plurima* I K L V *plura*. Subinde pro *dicuntur* S *sunt dicenda*, et pro *edideruut* L *condiderunt*.

[6] E P W et 2 *humilis*.

[7] Respicitur II. Cor. 10, 5. Cfr. supra pag. 52, nota 7. — Ante *redigat* M addit *totum*. Interius pro *improbandae* O Q *improbitate* (plures codd. *improbatur*).

Digitized by Google

per Iesum Christum, qui est Splendor et Verbum [1], et per Spiritum sanctum, qui veritatem ostendit et docet et nihilominus credere facit. Hinc est, quod auctoritas praebet fulcimentum fidei, et *fides* assentit auctoritati. Et quia auctoritas principaliter residet in sacra Scriptura, quae per Spiritum sanctum est condita tota ad dirigendam fidem catholicam; hinc est, quod vera fides a Scriptura non dissonat, sed ei assentit assensione non ficta.

Pro thesi 2. Articuli 16. Postremo, quia veritas, ad quam credendam arctamur per fidem, et de qua sacra Scriptura agit principaliter, non est veritas quaecumque, sed veritas divina, vel ut est in natura propria, vel ut est in natura assumta — nam in huius veritatis cognitione consistit et praemium patriae et meritum viae [2] — hinc est, quod articuli fidei, qui sunt fidei fundamenta, aut spectant ad *Divinitatem*, aut ad *humanitatem*. Et quoniam *Divinitas* habet considerari in *tribus personis*, scilicet Patre generante, Filio genito et Spiritu sancto procedente, et *quadriformi operatione*, scilicet creatione in *esse* naturae, reparatione in *esse* gratiae, resuscitatione in reparatione vitae et glorificatione in collatione gloriae; hinc est, quod articuli spectantes ad *Divinitatem* sunt septem. — Similiter, quia Christi *humanitas* habet considerari ut concepta de Spiritu sancto, ut nata de Virgine, ut patiens in cruce, ut descendens ad inferum, ut resurgens a morte, ut ascendens in caelum, ut veniens ad iudicium finale; hinc est, quod septem sunt articuli *humanitatis*, et sic in universo *quatuordecim*, ad modum septem stellarum et septem candelabrorum aureorum, in quorum medio Filius hominis ambulabat [3].

Articuli 7 de Divinitate. Alii septem de humanitate.

Una tamen fides. Quoniam ergo unus est Christus in divina natura et humana; et una tantum est veritas summa, quae est ratio credendi una, prima, summa et sola, quae non mutatur per tempora: hinc est, quod de omnibus praedictis articulis una tantum est fides de eadem, non mutata tam in praesentibus quam in praeteritis quam in futuris, licet magis clara sit et explicita in eis qui Christum sequuntur, quam in eis qui praecesserunt eius adventum; sicut novum testamentum est clarius quam vetus, in quibus praedicti articuli continentur [4].

Vel articuli 12. Et quia Spiritus sanctus hos articulos fidei in Scripturarum profunditate contentos in unum compegit per duodecim Apostolos tanquam per testes firmissimos; hinc est, quod praedicti articuli in unum Symbolum Apostolorum collecti fuerunt. Et ideo secundum Apostolos componentes *duodecim* articuli dici possunt, quia quilibet Apostolus in aedificationem fidei posuit unum articulum quasi lapidem unum vivum; quod Spiritus sanctus recte praefiguravit in duodecim viris, qui duodecim lapides de Iordanis alveo extraxerunt ad altare dominicum construendum [5].

Cap. VIII.

De exercitio gratiae respectu diligendorum.

De *diligendis* autem haec tenenda sunt, quod licet omnia opera divina sint *valde bona* [6], quatuor tamen proprie sunt ex caritate diligenda, scilicet *Deus* aeternus, quod *nos* sumus, *proximus noster* et *corpus nostrum*. — In quorum dilectione servandus est *ordo* et *modus*, ut *Deus* diligatur primo et super omnia et propter se; secundo, quod *nos sumus* sub Deo et pro Deo; tertio, *proximus noster*, sicut et nos; quarto, *corpus nostrum* infra nos et infra proximum tanquam bonum minus praecipuum. — Ad hoc autem exsequendum datur *unus caritatis habitus* et *duplex mandatum*, in quo pendet universitas Legis et Prophetarum [7], non solum quantum ad vetus testamentum, verum etiam quantum ad novum.

Thesis 1. Thesis 2. Thesis 3.

Ratio. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium, hoc ipso quod primum, est summum; et hoc ipso quod summum, est summe bonum; et hoc ipso quod summe bonum, est summe beatum et summe beatificativum; et hoc ipso quod summe beatificativum, est ipso summe fruendum; et hoc ipso quod est eo summe fruendum, summe est ei inhaerendum per amorem et in eo quiescendum tanquam in fine [8]. Quoniam ergo amor rectus et ordinatus, qui *caritas* appellatur, principaliter fertur in illud bonum, quo fruitur et in quo quiescit; et ipsum est ratio diligendi [9]: hinc est, quod illud praecipue diligit tanquam beatificativum, et cetera per consequens, quae per illud idonea sunt beatificari. Quoniam igitur nobiscum ad beatitudinem natus est *proximus* pervenire; natum est etiam pervenire et *corpus nostrum* tanquam beatificabile cum

Pro thesi 1.

---

[1] Cfr. Heb. 1, 3. et Ioan. 1, 1. Ibid. 16, 13: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

[2] Ioan. 17, 3: Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.

[3] Apoc. 1, 12-16. Cfr. III. Sent. d. 25. a. 1. q. 1, ubi etiam de fine huius cap. (12 articulis). — Superius pro *humanitatis* Vat., 1 et 3 *spectantes ad humanitatem*.

[4] Cfr. III. Sent. d. 24. a. 1. q. 3; d. 24. a. 1. q. 2. et d. 25. a. 1. q. 1. seqq. — Superius post *eadem* supple: veritate.

[5] Ios. 4, 2. seqq. — Superius verbis *secundum Apostolos* A interserit *duodecim*, et pro *aedificationem* 2 cum nonnullis codd. substituit *aedificatione*.

[6] Gen. 1, 31. — Sententia de quatuor diligendis est August., I. de Doctr. christiana, c. 23. n. 22. — E hic addit *et idea diligenda*, inferius verbis *quod nos sumus* R praeligit *noster spiritus sive*, et pro *corpus nostrum* plures codd. *corpus proprium*.

[7] Matth. 22, 40. — De hoc cap. vide III. Sent. d. 28. et 29. per totum; de modo diligendi Deum cfr. ibid. d. 27. a. 2. q. 5. seq.

[8] Vide August., de Doctr. christiana, c. 32. n. 33.

[9] Cfr. III. Sent. d. 27. a. 1. q. 1-3. et dub. 1. — Aliquando inferius pro *quatuor tantum* ebd., excepta 2, *quatuor tanquam*.

Digitized by Google

spiritu: hinc est, quod quatuor tantum ex caritate diligenda esse dicuntur, scilicet *Deus* et *proximus*, *spiritus noster* et *corpus nostrum*.

Pro thesi 2. Rursus, quoniam Deus est supra nos tanquam bonum supremum, spiritus noster intra nos tanquam bonum intrinsecum, et proximus noster iuxta nos tanquam bonum cognatum, corpus vero nostrum infra nos tanquam bonum subiectum; hinc est, quod hic debet servari *ordo* in diligendo, ut primo *Deus* diligatur super omnia et propter se ipsum; secundo, *spiritus noster* sub Deo supra omne bonum caducum; tertio, *proximus noster* iuxta nos ad consimile bonum; quarto, *corpus nostrum* infra nos sicut bonum infimum; et in eodem gradu contineri debet corpus proximi, quia utrumque tenet rationem inferioris boni respectu spiritus nostri.

Pro thesi 3. Postremo, quia amor est pondus mentis[1] et origo omnis affectionis mentalis, qui de facili retrahitur in se et difficiliter tendit in proximum et difficilius elevatur in Deum; hinc est, quod licet quatuor sint diligenda ex caritate, duplex tamen datur *mandatum*: unum, quod dirigit in Deum, aliud, quod dirigit in proximum. — Et quia omnia praecepta vel ad Deum referuntur, vel ad proximum, tanquam in finem, et in illud quod est ad finem; hinc est, quod in hos duodus mandatis claudit collectio mandatorum et comprehensio omnium Scripturarum.

Duplex mandatum.

Unus habitus. Et caritas ipsa est radix, forma et finis virtutum, iungens omnes cum ultimo fine et ligans omnia ad invicem simul et ordinate[2]; ideo ipsa est pondus inclinationis ordinatae et vinculum colligationis perfectae, *ordinem* quidem servans respectu diligendorum diversorum quantum ad affectum pariter et effectum, *unitatem* autem habens in habitu quantum ad unum finem et unum principale dilectum, quod est ratio diligendi respectu omnium aliorum, quae per amoris vinculum nata sunt colligari in unum Christum quantum ad caput et corpus, quod universitatem in se continet salvandorum. Quae unitas nunc inchoatur in via, sed consummatur in aeterna gloria, iuxta quod Dominus orat[3], *ut sint unum, sicut et nos unum sumus; et ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum*; qua unitate consummata per vinculum caritatis, erit *Deus omnia in omnibus* aeternitate certa et pace perfecta, eruntque omnia per amorem communia communione ordinata et ordinatione connexa et connexione indissolubiliter alligata.

Unitas in Christo.

Deus omnia in omnibus.

Cap. IX.

De exercitio gratiae respectu agendorum, praeceptorum et consiliorum.

De *praeceptis* autem legis divinae hoc tenendum est, quod in lege *Moysaica* sunt praecepta *iudicialia*, *figuralia* et *moralia*, utpote decem praecepta decalogi in duabus tabulis conscripta *digito Dei*[4]. — Lex autem *evangelica* *iudicialia* temperat auferendo, *figuralia* evacuat adimplendo, *moralia* consummat adiciendo. Adiicit autem documenta instructiva, promissa excitantia et consilia perficientia; cuiusmodi sunt consilium paupertatis, consilium obedientiae et consilium castitatis, ad quae implenda invitat Christus Dominus noster eum qui vult esse perfectus[5]. Thesis 1. Thesis 2. Thesis 3.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium, sicut est summe *bonum* in se ipso, sic est summe *iustum* in opere suo et in universi regimine disponendo. Quoniam ergo summe *iusti* est zelare iustitiam non tantum in se, verum etiam in altero; iustitia autem consistit in conformando se regulis iuris: hinc est, quod divinae iustitiae est regulas iustitiae homini imprimere et exprimere, non tantum *dictando* per modum veritatis erudientis, sed etiam *praecipiendo* et *obligando* per modum voluntatis imperantis[6]. Et quoniam gratia facit voluntatem nostram divinae voluntati conformem, ipsius est disponere nos ad obtemperandum et subiacendum illis regulis iustitiae secundum dictamen legis divinitus datae. Ratio. Cuiusvis Deo praecepta dare.

Rursus, quoniam divinis imperiis dupliciter obtemperare contingit, videlicet ex *timore poenae*, vel ex *amore iustitiae*; et primum est imperfectorum, secundum autem perfectorum; ideo Deus duplicem homini contulit legem: unam timoris, alteram amoris, unam in servitutem generantem et alteram in adoptionem filiorum Dei transferentem[7]. Ac per hoc, quia timentibus et imperfectis competit, ut *terreantur* per indicia et *mansuescantur* per signa et *dirigantur* nihilominus per praecepta; hinc est, quod lex *Moysaica*, quae est lex timoris, continet *iudicialia* et *figuralia* et *moralia*. — Perfectis autem et amantibus convenit *aperta instructio* documentorum, *larga promissio* praemiorum et *alta perfectio* consiliorum; hinc est, quod lex *evangelica* continet Pro thesi 1. et 2.

---

[1] Vide tom. III. pag. 649, nota 3. — De origine affectionum mentalium ex amore cfr. supra pag. 248, nota 1. — Cfr. III. Sent. d. 27. dub. 2.

[2] Vide supra c. 1. — Edd. *finis virtutum, quae iungit omnes... et ligat omnia... et ordinat* [2 *ordinate*], *ac per hoc quod etc.*

[3] Ioan. 17, 22. seq. — Seq. locus est I. Cor. 15, 28. — Superius post *aliorum* Vat., 1 et 3 addunt *dilectorum* (2 *diligendorum*), quae etiam subinde pro *universitatem* substituunt *unitatem*. Pro *Quae unitas* 2 cum pluribus codd. perperam *Quae universitas*.

[4] Exod. 31, 18. — P *conscriptis digito Dei*.

[5] Matth. 19, 21: Si vis esse perfectus, vade, vende quae habes etc.

[6] Cfr. III. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. — Aliquanto superius Vat. et 3 *in universo regimine* pro *universi regimine*, refragantibus praeter 1 et 2 omnis codd., inter quos L M T, (A *in universi regimini dispositione*), et pro *summe iusti* cum E I K O et 2 *summae iustitiae*.

[7] Respicitur Rom. 8, 15. et Gal. 4, 24. seqq. — Inferius pro *documentorum* E *mandatorum*.

Digitized by Google

ista tria. Et ideo dicitur lex Moysaica differre ab evangelica, quia illa *figurae*, haec *veritatis;* illa lex poenae, haec *gratiae;* illa *litteralis*, ista *spiritualis;* illa *occidens*, ista *vivificans*[1]; illa *timoris*, ista *amoris;* illa *servitutis*, ista *libertatis;* illa *oneris* et ista *facilitatis*.

Decem praecepta moralia. Postremo, quoniam regulae spectantes ad institiae necessitatem continentur in divinis praeceptis; et institiae est « ius suum unicuique reddere[2] »: necesse est, quod praecepta moralia quaedam sint, quae ordinant nos ad *Deum;* quaedam ad *proximum* secundum duplex caritatis praeceptum; quod Spiritus sanctus voluit insinuare per duarum mysteriorum tabularum, et ideo *digito Dei scriptae* dicuntur. — Et quia Deus est trinus, Pater scilicet et Filius et Spiritus sanctus, cui competit summa maiestas *adoranda*, veritas *profitenda* et caritas *acceptanda*, secundum vim irascibilem, rationalem et concupiscibilem, per actum operis, oris et cordis: ideo triplex est mandatum primae tabulae, correspondens tribus praemissis, scilicet *adorationis* subiectivae, *invocationis* veridicae et *sabbatizationis* sacratae. In 1. tabula tria.

Quia vero proximus est imago Trinitatis, et ei, in quantum praefert imaginem Patris, debetur *pietas;* in quantum praefert imaginem Filii, debetur *veracitas*[3], in quantum praefert imaginem Spiritus sancti, debetur *benignitas:* hinc est, quod septem sunt mandata, quae ad secundam tabulam spectant. Nam penes *pietatem* sunt *duo:* unum, quod pietatem mandat, scilicet de patre honorando; alterum, quod impietatem vetat, scilicet de non occidendo. Penes *veracitatem*, quae principaliter consistit in verbo, accipitur *unum*, scilicet de falso testimonio non ferendo. Penes *benignitatem*, cui opponitur cupiditas et concupiscentia, quarum utraque potest esse in opere, vel in corde, accipiuntur *quatuor*, scilicet *non moechaberis, non concupisces uxorem, non furtum facies*, et *non concupisces rem alienam*[4]. Et habent haec ordinari secundum maiora vel minora nocumenta, per quae infringi potest institia. Et sic regulae spectantes ad institiae necessitatem debent contineri in decem praeceptis. In 2. tabula septem.

Quoniam autem institia ad perfectionem pervenit, dum perfecte se elongat a malo et quantum ad *culpam* et quantum ad *causam;* et omne malum oritur ex triplici radice, scilicet concupiscentiae carnis, concupiscentiae oculorum et superbiae vitae[5]: hinc est, quod tria sunt *consilia* evangelica, perfecte nos elongantia a triplici radice praedicta. Quae ideo sunt consilia, quia, ut perfecte faciant recedere a malo, non solum separant ab illicitis, verum etiam a licitis et concessis, quae possunt esse occasio mali; ac per hoc non solum institiam continent *sufficientem*, verum etiam *abundantem*[6], secundum quod competit perfectioni evangelicae legis et exercitationi gratiae perficientis. Pro thesi 3.

Cap. X.

De exercitio gratiae respectu petendorum et orandorum.

De *petitionibus* autem orationis dominicae hoc tenendum est, quod licet Deus sit liberalissimus et promptior ad dandum quam nos ad accipiendum; vult tamen orari a nobis, ut occasionem habeat largiendi dona gratiae Spiritus sancti. — Vult autem orari non solum oratione *mentali*, quae est, « ascensus intellectus in Deum », verum etiam *vocali*, quae est « petitio decentium a Deo[7] », non solum per *nos ipsos*, verum etiam per *Sanctos* tanquam per coadiutores nobis divinitus datos, ut quod nimis digni sumus impetrare per nos impetrare valeamus per Sanctos. — Et quia, *quid oremus, secundum quod oportet, nescimus*, ne vagaremur incerti, formam nobis tradidit in oratione, quam composuit; in qua sub septenario petitionum numero universitas comprehenditur petendorum. Thesis 1. Thesis 2. Thesis 3.

Ratio autem ad intelligendam praedictorum haec est: quia primum principium, sicut est summe verum et bonum in se ipso, sic *misericors* et *iustum* in opere suo. Et quoniam *misericordissimum* est, ideo libentissime condescendit humanae miseriae per infusionem gratiae suae. Quia vero simul cum hoc *iustum* est, ideo *donum perfectum*[8] non dat nisi desiderandi, non dat gratiam nisi regratiandi, non impendit misericordiam nisi miseriam cognoscenti, ut salva sit libertas arbitrii, et non vilescat nobilitas doni, et integer perseveret cultus honoris divini. Quoniam ergo grandis est divinum affectare subsidium, peccatum allegare defectum et gratias agere propter beneficium Ratio. Pro thesi 1.

---

[1] Epist. II. Cor. 3, 6: Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. — Ultima differentia insinuatur Matth. 11, 30. et Act. 15, 10. Cfr. III. sent. d. 40. q. 1-3.

[2] De hac institiae definitione cfr. tom. III. pag. 728, nota 1. — Inferius Vat., 1 et 3 *ordinent* pro *ordinant*, refragante 2 cum pluribus codd., M *sunt ordinantur*.

[3] Ld. 2 cum pluribus codd. hic *veritas*, et paulo inferius *veritatem*. Vat., 1 et 3 omittunt *praefert secundo* et *tertio* loco positum.

[4] Exod. 20, 12. sequ.; Deut. 5, 18. sequ. Cfr. III. Sent. d. 37. a. 2. q. 1. sequ. — Post *uxorem* E supplet *alterius*, 2 *proximi tui*. Inferius pro *nocumenta* E P T W *damna*. Subinde pro *ad institiae necessitatem* non pauci codd. *ad commandationem*, 10 *ad institiae necessitatem et commandationem*.

[5] Epist. I. Ioan. 2, 16. Cfr. supra p. III. c. 8. — De consiliis vide supra Quaest. de perfectione evang. q. 2. sequ.

[6] Similis distinctio occurrit in Glossa supra pag. 186, nota 1. allegata. — Superius pro *sunt consilia* S *dicuntur consilia*.

[7] Duplex hoc orationis definitio datur a Damasc., III. de Fide orthod. c. 24. — Seq. locus est Rom. 8, 26, ubi pro *secundum quod* Vulgata *sicut*. — Inferius substituimus cum 2 et pluribus codd. *tradidit* pro *tribuit*, ubi Vat., 1 et 3 addunt *Dominus et Deus noster Christus*.

[8] Iac. 1, 17. — Inferius non pauci codd. omittunt *misericors*.

Digitized by Google

gratis datum; hinc est, quod oratio disponit ad susceptionem divinorum charismatum, et Deus orari vult ad hoc, ut munera largiatur.

Pro thesi 2. Rursus, quia ad hoc, ut desiderium efficacifer sursum tendat ad impetrandum dona divina, necesse est, quod *affectio* nostra sit fervida, et *cogitatio* in unum collecta, et *exspectatio* nostra sit certa et firma; et quia cor nostrum frequenter est tepidum, frequenter dispersum, frequenter etiam pavidum propter peccati remorsum nec audens per se ipsum comparere ante divinum conspectum: hinc est, quod Dominus voluit, nos non tantum orare *mentaliter*, verum etiam *vocaliter* ad nostri affectus excitationem per verba et ad recollectionem cogitationum

Intercessio Sanctorum. per sensum verborum[1]. — Voluit etiam, nos orare per Sanctos, et Sanctos pro nobis, ad dandam fiduciam pavidis, ut qui non audent, vel non possunt impetrare per se per idoneos impetratores obtineant;

Triplex ratio. ac per hoc in orantibus *humilitas* conservetur, in Sanctis intercedentibus *dignitas* declaretur, in omnibus Christi membris *caritas* et *unitas* ostendatur, qua quae inferiora sunt ad superiora fiducialiter recurrant, et superiora inferioribus liberaliter condescendant.

Pro thesi 3. Postremo, quia Deus iustus et misericors exaudire non debet nisi in his quae spectant ad suum honorem et ad nostram salutem; huiusmodi autem sunt, quae spectant ad praemium patriae et ad viaticum viae, et prima sunt tria, sequentia quatuor: hinc est, quod petitiones orationis dominicae, quae docent, quid petere utiliter debeamus, sunt septem[2].

Primae 3 petitiones. — Quae enim spectant ad divinum honorem et praemium patriae sunt tria, scilicet *intelligentia* veritatis, *reverentia* maiestatis et *concordia* voluntatis, seu per alia verba, vel est *visio* summi veri, quod non videtur nisi a mundis et sanctis, et hoc petitur, cum dicitur: *Sanctificetur nomen tuum*, id est, tui nominis notitia perfectis, sanctis et mundis detur; vel est *tentio* summi arduii, quae reges facit, et per quam regnum habetur, et hoc petitur, cum dicitur: *Adveniat regnum tuum;* vel est *fruitio* summi boni, quae non datur nisi his qui voluntates suas habent divinae voluntati conformes, et hoc petitur, cum dicitur[3]: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra.* — Quae autem spectant ad transitum viae aut respiciunt *collationem* boni conferentis, aut *amotionem* mali nocentis. *Collatio* autem boni conferentis petitur in pane quotidiano sive supersubstantiali, in quo petitur quidquid necessarium est ad conservationem vitae praesentis sive secundum spiritum, sive secundum corpus. *Amatio* autem mali nocentis petitur in tribus petitionibus ultimis: quia omne malum aut tenet rationem *praeteriti*, aut *futuri*, aut *praesentis;* vel aliter, aut tenet rationem mali *culpae*, aut *poenae*, aut *poenae*. Primum petitur amoveri in *dimissione debitorum;* secundum, in *victoria tentationum;* tertium et ultimum, in *liberatione* ab oppressione malorum. — Et sic septem in universo sunt petitiones, in quibus universaliter[4] petitur quidquid petendum est; et hoc quidem satis recte, ut septenarius petitionum respondeat septenario divinorum charismatum et donorum gratiae septiformis.

Sequentes 4. Alter.

Corollarium. Propter quod notandum, quod septiformem septenarium proponit nobis sacra Scriptura considerandum, scilicet *vitiorum capitalium*, *Sacramentorum*, *virtutum*, *donorum*, *beatitudinum*, *petitionum* et *dotum gloriosarum*, trium spiritualium et quatuor corporalium, ut apparebit inferius[5]: septenarium *vitiorum* tanquam primum, a quo debemus recedere; septenarium *Sacramentorum* secundum, per quem debemus incedere; septenarium *dotum* ultimum, quem debemus appetere; septenarium *petitionum* penultimum, quo debemus petere; septenarium autem *virtutum*, *donorum* et *beatitudinum* triplicem intermedium, per quem debemus transire; ut sit, *septies in die*[6] laudantes nomen Domini et orantes, impetremus gratiam septiformem virtutum, donorum et beatitudinum, qua vincamus septiformem pugnam vitiorum capitalium et perveniamus ad septiformem coronam dotum gloriosarum, adiuvante nihilominus septiformi medicina Sacramentorum divinitus ad reparationem humani generis statutorum.

Septiformis septenarius.

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 15. p. II. a. 2. q. 3. circa finem; ibid. d. 45. a. 3. q. 4. sequ. agitur de suffragiis Sanctorum. — Mox H omittit *per*, et pro *ut qui* edit., excepta 2, *ut quod*.

[2] Matth. 6, 9. sequ. et Luc. 11, 2. sequ. — Inferius voci *mundis* (cfr. Matth. 5, 8.) O addit *perfectis*, ac pro *et hoc*, quod ter occurrit, Vat., 1 et 3 *et haec*.

[3] D F G M U et 2 *subdatur*.

[4] F N *utiliter*.

[5] Partis VII. c. 7. — De *septenario* peccatorum cfr. supra p. III. c. 9, virtutum, donorum et beatitudinum vide c. 4. sequ. huius partis, Sacramentorum c. 3. partis sequ. — Edd. cum paucis codd. immediate post reperiunt *peccatorum ergo*.

[6] Psalm. 118, 164.

Digitized by Google

PARS SEXTA.

De medicina sacramentali.

Cap. I.

De Sacramentorum origine.

Postquam actum est de Trinitate Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de incarnatione Verbi et gratia Spiritus sancti; iam nunc sexto agendum est de medicina sacramentali. Circa quam consideranda sunt septem. Agendum est enim de Sacramentorum *origine*, *variatione*, *distinctione*, *institutione*, *dispensatione*, *iteratione* et uniuscuiusque *integritate*.

Definitio. De *origine* igitur Sacramentorum hoc tenendum est, quod Sacramenta sunt signa sensibilia, divinitus instituta tanquam medicamenta, in quibus « sub tegumento rerum sensibilium divina virtus secretius operatur [1] »; ita quod ipsa « ex *similitudine* repraesentant, ex *institutione* significant, ex *sanctificatione* conferunt aliquam spiritualem gratiam », per quam anima curatur ab infirmitatibus vitiorum, et ad hoc principaliter ordinantur tanquam ad finem ultimum; valent tamen ad *humiliationem*, *eruditionem* et *exercitationem* sicut ad finem, qui est sub fine.

Finis principalis. Fines sub fine.

Ratio. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium reparativum, quod est Christus crucifixus, Verbum scilicet incarnatum, quod sapientissime dispensat omnia, quia divinum [2], et clementissime curat, quia divinitus incarnatum; sic debet reparare et sanare genus humanum aegrotum, secundum quod competit ipsi *aegrotanti*, *aegritudini* et *occasioni aegrotandi* et ipsius *aegritudinis curationi*. Ipse autem *medicus* est Verbum incarnatum, Deus scilicet invisibilis in natura visibili. Homo *aegrotans* est non tantum spiritus nec tantum caro, sed spiritus in carne mortali. *Morbus* autem est originalis culpa, quae per ignorantiam inficit mentem et per concupiscentiam inficit carnem. *Origo* autem huius culpae, licet principaliter fuerit ex consensu rationis, occasionem tamen sumsit a sensibus carnis [3]. — Ad hoc ergo, quod medicina correspondens esset omnibus supradictis, oportuit, quod non tantum esset spiritualis, verum etiam aliquid haberet de sensibilibus signis, ut, sicut haec sensibilia fuerant animae occasio labendi, ita essent ei occasio resurgendi. Quoniam ergo signa sensibilia, quantum est de se, non habent efficaciam ordinationem ad gratiam, licet habeant longinquam *repraesentationem* de sui natura; hinc est, quod oportuit, quod ab auctore gratiae *instituerentur ad significandum* et *benedicerentur ad sanctificandum*; ut sic essent ex naturali similitudine *repraesentantia*, ex adiuncta institutione *significantia*, ex superaddita benedictione *sanctificantia* et ad gratiam praeparantia, per quam sanetur et curetur [4] anima nostra.

Quadruplex ratio sacramentorum. De fine principali.

Bursus, quoniam gratia curativa non datur elatis, incredulis et fastidiosis; ideo oportuit, haec signa sensibilia divinitus dari, quae non solum *sanctificarent* et gratiam conferrent ac per hoc sanarent, verum etiam *significatione erudirent* et *susceptione humiliarent* et *diversificatione exercitarent*; ut sic, per *exercitationem* exclusa accidia a concupiscibili, per *eruditionem* exclusa ignorantia a rationali, per *humiliationem* exclusa superbia ab irascibili, tota anima curabilis fieret a gratia Spiritus sancti, quae reformat nos secundum has tres potentias *ad* imaginem Trinitatis et Christi.

De finibus sub fine.

Postremo, quoniam per huiusmodi signa sensibilia, divinitus instituta gratia Spiritus sancti suscipitur et in eis ab accedentibus invenitur; hinc est, quod huiusmodi Sacramenta dicuntur *gratiae vasa* [5] et *causa*, non quia gratia in eis substantialiter continetur nec causaliter efficiatur, cum in sola anima habeat collocari et a solo Deo habeat infundi; sed quia in illis et per illa gratiam curationis a summo medico Christo ex divino decreto oporteat hauriri, « licet Deus non alligaverit suam potentiam Sacramentis [6] ».

Quo sensu sint gratiae vasa et causa.

Ex praemissis igitur apparet non solum, quis sit Sacramentorum *ortus*, verum etiam, quis *usus*, et quis *fructus*. Nam *ortus* eorum est Christus Dominus; *usus* autem est actus exercitativus, eruditivus et humiliativus; *fructus* vero est hominum cura

De ortu, usu et fructu.

---

[1] Isidor., VI. Etymolog. c. 19. n. 40. Vide tom. III. pag. 895, nota 5. — Seq. sententia est Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. IX. c. 2, qui etiam, ibid. c. 3, docet, Sacramenta esse instituta « propter humiliationem, propter eruditionem, propter exercitationem ». — De hoc cap. cfr. IV. Sent. d. 1. p. 1. per totam. — Mox post *ex similitudine* Vat., I et 3 addunt *naturali*.

[2] A B C H *quia Verbum divinum*. Pro *dispensat* I K L O U *disponit*.

[3] Cfr. supra p. III. c. 3.

[4] Vat., I et 3 *sanaretur et curaretur*.

[5] Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. IX. c. 1. — Pro *accedentibus* E *accipientibus*.

[6] Ut docet Magister Sententiarum, IV. Sent. d. 1. c. 5. (cfr. Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. IX. c. 5.). — Fide D E I K M N et 2 substituimus *potentiam* pro *gratiam*.

De causa quadruplici. et salus. — Patet etiam, quae sit *causa efficiens*, quia divina institutio; quae *materialis*, quia signi sensibilis repraesentatio; quae *formalis*, quia gratuita sanctificatio; quae *finalis*, quia hominum medicinalis curatio. Et quia « denominatio fit a forma et a fine [1] »; hinc est, quod dicuntur *Sacramenta*, quasi medicamenta sanctificantia. Per haec enim anima a foeditate vitiorum reducitur ad sanctificationem perfectam. — Et ideo, licet sint corporalia et sensibilia, sunt tamen veneranda tanquam sancta, quia sacra significant mysteria, ad sacra praeparant charismata, a sacratissimo Deo data, sacra institutione et benedictione divinitus consecrata, ad cultum sacratissimum Dei in sacra Ecclesia constituta, ita ut merito dici deberent *Sacramenta*. Corollarium.

Cap. II.

De Sacramentorum variatione.

De *variatione* autem Sacramentorum hoc tenendum est, quod Sacramenta ab initio ad curationem hominis instituta sunt et semper cum morbo hominis concurrerunt et usque in finem saeculi perdurabunt; sed alia fuerunt in *lege naturae*, alia sub *lege scripta*, alia sub *gratia*. Et in his omnibus illa quae posteriora sunt, significatione sunt evidentiora et effectu gratiae digniora. — In lege enim naturae fuerunt *oblationes*, *sacrificia* et *decimationes*. In lege autem scripta introducta est *circumcisio*, superaddita est *expiatio*, et superadducta est *oblationum*, *decimationum* et *sacrificiorum multiformis distinctio*. — In lege autem nova « statuta sunt Sacramenta numero pauciora, utilitate potiora, virtute efficaciora [2] » et praeeminentia digniora; in quibus est impletio simul et evacuatio Sacramentorum omnium praedictorum. Thesis 1. Thesis 2. Thesis 3.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia Verbum incarnatum, quod est reparationis nostrae principium et fons et origo Sacramentorum, cum sit clementissimum et sapientissimum; eo quod clementissimum est, non permisit, quod curreret morbus peccati sine remedio Sacramenti; eo vero, quod sapientissimum est, ideo iuxta dictamen suae immutabilis sapientiae cuncta ordinatissime gubernantis diversa adhibuit medicamenta et varia, secundum mutationem variam temporum diversorum. Quoniam ergo « ab initio, procurrente tempore, et adventu Salvatoris magis ac magis appropinquante, semper magis ac magis *effectus* salutis crevit et *cognitio* veritatis; congruum fuit, et ipsa *signa* salutis per successionem temporum alia post alia variari, ut *effectus* gratiae divinae in salutem crescere, simulque et ipsa *significatio* in ipsis signis visibilibus evidentior appareret [3] ». Et ideo « primum per *oblationem* et postea per *circumcisionem*, ad ultimum per *baptismalem ablutionem* expiationis et iustificationis Sacramentum formari institutum est; quia eiusdem mundationis forma et similitudo in *oblatione* quidem occulte inventur, in *circumcisione* vero evidentius exprimitur, per *baptismum* autem manifestius declaratur ». Et hinc est, quod « illa primi temporis Sacramenta, sicut dicit Hugo [4], fuerunt sicut veritatis *umbra*, medii temporis sicut *figura* seu imago, postremi, scilicet gratiae, sicut *corpus* », quia intra se veritatem et gratiam curatricem continent, quam praesentant, et praesentialiter conferunt quod promittunt. Pro thesi 1.

Rursus, quoniam praesentia veritatis et gratiae [5], quae in lege gratiae exhibetur, ratione suae excellentiae et multiformitatis in opere et virtute per unum signum exprimi non poterat, ut decebat; hinc est, quod in omni tempore et lege plura fuerunt Sacramenta data ad illam veritatem et gratiam exprimendam: sed praecipue in tempore legis figurae, cuius est figurare, multa signa et varia praecesserunt, quae sua varietate Christi gratiam multipliciter exprimerent et excellentius commendarent, et multipliciter commendando nutrirent parvulos, exercerent imperfectos [6] et duros onerando frangerent et ad iugum gratiae domarent et quodam modo emollirent. Pro thesi 2.

Postremo, quoniam, veritate superveniente, cessat umbra, et figura praenuntians sortitur finem intentum, quo habito, cessare debet eius usus et Pro thesi 3.

---

[1] Secundum Arist., II. de Anima, text. 19. (c. 4.): A fine appellare omnia instituo est. — Superius pro *cura* D G H *curatio*, et post *efficiens* Vat., 1 et 3 suppleunt *Sacramentorum*, quae etiam inferius verbis *tamen veneranda* interserunt *medicinalia*, *et ob hoc*.

[2] August., IX. contra Faustum, c. 13, ubi pro *statuta* ponitur *instituta*, quod exhibent etiam D E. Cfr. Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. VIII. c. 12. et p. XI. c. 6. — De hoc cap. vide IV. Sent. d. 1. p. II. per totam et d. 2. a. 1. q. 1. seq. — Superius, communissimam lectionem codd. et 2 sententiae substituimus *sub gratia* (ita etiam Hug. a S. Vict., locis citt.) pro *sub lege gratiae*. Inferius pro *omnium praedictorum* I K L P V *omnium praeteritorum*.

[3] Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. XI. c. 6, nonnullis tamen mutatis. Pro *ipsa significatio* editio originalis *ipsa sanctificatio*; quae lectio potius videtur esse vitium editionis, quam, relatis codicibus, non satis consulte ipsi secuti sumus, referentes eundem locum tom. IV. pag. 50, col. II; cfr. nota 6. Ibid. et seq. sententia inventur, in qua pro *formari* Vat., 1 et 3 perperam *formaliter*.

[4] Loc. in praeced. nota cit. Cfr. etiam ipsius liber de Sacram. legis naturalis et scriptae.

[5] Ioan. I, 17: Quia Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. — Inferius pro *opere* I K L *operatione*, et pro *non poterat, ut decebat* P *non potest nec* (F I. T Z etiam *nec*) *decet*.

[6] Plurial codd. et 2 perperam *perfectos*. Respicitur Hug. a S. Vict., I de Sacram. p. XI. c. 4: Primum igitur ante Legem parvulos consilio nutrivit, postea sub Lege exercitatos praecepto tentavit, novissime sub gratia perfectos in libertate spiritus ambulare permittit.

Digitized by Google

actus; hinc est, quod gratia superveniente, vetera Sacramenta et signa inopeta sunt pariter et sublata, quia signa erant *prognostica* futurorum et quasi praenuntiantia de longinquo[1]; et nova nihilominus instituta tanquam *demonstrativa* praesentis gratiae et *rememorativa* quodam modo passionis dominicae, quae fons est et origo gratiae curativae sive in nobis, sive in his qui praecesserunt Christi adventum; sed in his qui praecesserunt, tanquam pretium *promissum*, in his qui sequuntur, tanquam pretium *persolutum*. Et quoniam non delectat gratia promissioni pretii nisi ratione persolutionis; et abundantior delectat persoluto pretio quam promisso: hinc est, quod passio Christi immediatius sanctificat Sacramenta temporis legis novae et plenori[2] gratia in eis redundat. Propter quod illa praeparaverunt et perduxerunt ad haec, sicut via ad terminum, sicut signum ad signatum, sicut figura ad veritatem, et sicut imperfectum reducit et praeparat ad perfectum.

Cap. III.

De Sacramentorum numero et distinctione.

De *distinctione* autem et numero Sacramentorum
Thesis 1. novae legis hoc tenendum est, quod ipsa sunt septem secundum correspondentiam ad gratiam septiformem, quae per septenarium temporis nos reducit ad principium, quietem et circulum aeternitatis, sicut ad ortavam resurrectionis universalis[3]. — Horum
Thesis 2. vero Sacramentorum summa est *baptismus*, deinde *confirmatio*, *eucharistia*, *poenitentia*, *unctio extrema*, *ordo* et *matrimonium*, quod licet ultimo collocetur propter morbum concupiscentiae annexum, ipsum tamen fuit ante omnia introductum in paradiso etiam ante peccatum.

Ratio autem ad intelligendam praedictorum haec
Ratio. est: quia principium nostrum reparativum, Chri-
Pro utraque thesi. stus Dominus, Verbum incarnatum, cum sit *Dei virtus et sapientia*[4] et misericordia nostra; sic potenter, sic sapienter, sic clementer, sic decenter sua dedit instituere Sacramenta in lege gratiae, ut nihil prorsus desit curationi nostrae, quantum competit
Tria concurrunt ad sanationem. statui praesentis vitae. Ad perfectam autem curationem aegritudinis concurrunt haec tria, scilicet *expulsio aegritudinis*, *introductio sanitatis* et *conservatio introductae salutis*[5]. — Primum igitur, quoniam
Congruentia septenarii et septemplicis morbi. ad perfectam curationem perfecta et universalis requiritur *morbi expulsio*; et morbus est septiformis, triplex *culpabilis*, scilicet culpa originalis, mortalis et venialis; et quadruplex *poenalis*, scilicet ignorantia, malitia, infirmitas et concupiscentia; et « non sunt aeqnum quod sunt calcaneum », sicut dicit Hieronymus[6]: hinc est, quod oportuit, adhiberi contra haec septenarium medicamentorum ad hunc septiformem morbum plenius expellendum, scilicet contra originalem *baptismum*, contra mortalem *poenitentiam*, contra venialem *unctionem extremam*, contra ignorantiam *ordinem*, contra malitiam *eucharistiam*, contra infirmitatem *confirmationem*, et contra concupiscentiam *matrimonium*, quod eam temperat et excusat.

Item, ex non septem virtutum. Rursus, quia perfecta curatio non potest esse sine *restitutione integrae sanitatis*; et sanitas animae integra consistit in usu septem virtutum, trium scilicet theologicarum et quatuor cardinalium: hinc est, quod ad horum usum summa restituendum institui oportuit septiforme Sacramentum. Nam *baptismus* sanando disponit ad fidem, *confirmatio* ad spem, *eucharistia* ad caritatem, *poenitentia* ad iustitiam, *unctio extrema* ad perseverantiam, quae est fortitudinis complementum et summa[7], *ordo* ad prudentiam, *matrimonium* ad temperantiam conservandam, quam maxime persequitur infirmitas carnis, sed honestas remedium impiarum.

Item, ex natura septiformis gratiae. Postremo, quoniam perfecta curatio esse non potest sine *conservatione salutis introductae*; et sanitas introducta conservari non potest in conflictu certaminis nisi in acie Ecclesiae, quae est *terribilis ut castrorum acies ordinata*[8]; et hoc quidem fit per septiformis gratiae armaturam: hinc est, quod necesse est, septem esse Sacramenta. Nam ut haec acies sit perfecte et continue communita; cum constet ex partibus corruptibilibus, indiget Sacramentis *munientibus*, *relevantibus* et *renovantibus*: *munientibus* pugnantes, *relevantibus* cadentes et *renovantibus* morientes. Sacramentum autem *muniens* aut munit *ingredientes*, et sic est *baptismus*; aut *stantes*, et sic est *confirmatio*; aut *exeuntes*, et sic est *extrema unctio*. — Sacramentum vero *relevans* aut relevat a casu *veniali*, et sic est *eucharistia*; aut a *mortali*, et sic est *poenitentia*. — Sacramentum autem *renovans* aut renovat in *esse spirituali*, et sic est

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 1. p. 1. q. 2. ad 4, ubi triplex genus signorum sacramentalium explicatur.

[2] A C T *plenior*. I K L O omittunt *tempore*. In fine cap. U addit *adipiscendum*.

[3] Cfr. supra pag. 203, nota 8. et p. V. c. 10, in fine. — De hoc cap. vide IV. Sent. d. 2. a. 1. q. 3. — Inferius voci *introductum* P praetigit *institutum et* (cfr. Gen. 2, 21.), quod Vat., 1 et 3 circa finem cap. eidem voci praemittunt.

[4] Epist. I. Cor. 1, 24, ubi Apostolus dicit: « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam » — Superius post *reparativum* Vat., 1 et 3 addunt *et curativum nostrorum morborum*, nonnulli codd. *scilicet*.

[5] Cfr. tom. III. pag. 750, nota 11. verba Augustini.

[6] In Comment. in Marc. 9, 28, (inter opera Hieron.); cfr. tom. IV. pag. 52, nota 9. — De septiformi morbo cfr. supra p. III. c. 5. et 8. — Inferius post *mortalem* B H addunt *actualem*.

[7] P *complementum summum*.

[8] Cantic. 6, 3. et 9.

ordo, cuius est administrare Sacramenta; aut in *esse naturali*, et sic est *matrimonium*, quod quia renovat multitudinem in *esse* naturae, quod est omnium fundamentum, ideo primo fuit ante omnia introductum; licet propter morbum concupiscentiae annexum, et quia minime est *sanctificativum*, quamvis *significatione* sit *Sacramentum magnum* [1], inter medicamenta spiritualia ultimo collocetur et locum sortiatur extremum. Unde quia baptismus est ingrediendum, confirmatio pugnantium, eucharistia vires resumentium, poenitentia resurgentium, extrema unctio exeuntium, ordo novos milites introducentium, matrimonium novos milites praeparantium; patet ex his sufficientia et ordo medicamentorum sacramentalium et armorum. Notandum.

Cap. IV.

De Sacramentorum institutione.

De *institutione* autem Sacramentorum hoc tenendum est, quod septem Sacramenta legis gratiae Christus instituit tanquam *novi testamenti mediator* [2] et praecipuus lator legis, in qua vocavit *ad promissa* aeterna, dedit *praecepta* dirigentia et instituit *Sacramenta* sanctificantia. — Instituit vero ea in *verbis* et *elementis* ad evidentiam significationis et efficaciam sanctificationis, ita quod semper habent *significantiam* veritatis, sed non semper *efficaciam* curationis, non propter defectum a parte sui, sed a parte suscipientis. — Instituit autem praedicta Sacramenta *diversimode*, quaedam scilicet ex eis *confirmando, approbando* et *consummando*, ut matrimonium et poenitentiam; quaedam autem *insinuando* et *initiando*, ut confirmationem et unctionem extremam; quaedam vero *initiando* et *consummando* et in semetipso *suscipiendo*, ut Sacramentum baptismi, eucharistiae et ordinis. Haec enim tria et plene instituit et etiam primus suscepit [3]. Thesis 1. Thesis 2. Thesis 3.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium reparativum nostrum est Christus crucifixus, Verbum scilicet incarnatum, quod quia Verbum est Patri coaequale et consubstantiale, est Verbum summae virtutis, summae veritatis et summae bonitatis, ac per hoc et summae auctoritatis; et ideo ipsius est proprie novum *testamentum* introducere, ipsius etiam est *legem* dare integram et sufficientem secundum exigentiam summae *virtutis* et *veritatis* ac *bonitatis* suae. Ratione igitur summae bonitatis *promissa* proposuit beatificantia; ratione summae veritatis *praecepta* dedit dirigentia; ratione vero summae virtutis *Sacramenta* statuit adminiculantia; ut sic per *Sacramenta* virtus repararetur ad implenda *praecepta* dirigentia, et per *praecepta* directiva perveniretur ad *promissa* aeterna, faciente hoc Verbo aeterno, Christo scilicet Domino, in lege evangelica, in quantum est *via, veritas et vita* [4]. Ratio. Pro thesi 1.

Rursus, quoniam reparativum principium non solum est Verbum in quantum Verbum, sed etiam in quantum incarnatum [5], quod, hoc ipso quod incarnatum, omnibus se offert ad notitiam veritatis et omnibus digne accedentibus se exhibet ad gratiam curationis; hinc est, quod tanquam *plenum gratiae et veritatis* [6] ad maiorem *evidentiam* significandi et *efficaciam* sanctificandi Sacramenta instituit in *elementis* simul et *verbis*, ut, dum *elementa* oculis, et *verba* auribus se offerrent, qui sunt duo sensus maxime cognoscitivi, *evidentiam* darent significationis expressae; deinde etiam *verba* sanctificarent *elementa*, ut plenior fieret *efficacia* curationis humanae, quae quoniam nulli datur repugnanti et impugnanti fontem gratiae interius in corde; ideo sic instituta sunt, ut *significarent* semper et universaliter, non autem *sanctificarent* nisi accedentes digne absque omni fictione [7]. Pro thesi 2.

Postremo, quoniam, etsi Verbum incarnatum sit fons gratiae sacramentalis, *aliqua* tamen gratia sacramentalis fuit *ante incarnationem*, *aliqua* vero non nisi *post Spiritus sancti missionem*, *quaedam* autem *medio modo se habens*; hinc est, quod oportuit, Sacramenta institui *diversimode*. Nam *ante incarnationem* necessaria fuit et compunctio *poenitentialis* et generatio *matrimonialis*; ideo haec duo Sacramenta non de novo instituit, sed iam a se instituta et naturali dictamini quodam modo impressa consummavit et confirmavit in lege evangelica, dum poenitentiam praedicavit et nuptiis interfuit et legem coniugii approbavit, secundum quod colligitur ex diversis Evangelii locis [8]. — Ante vero *Spiritus* Pro thesi 3.

---

[1] Eph. 3, 32: Sacramentum hoc magnum est. — Edd., refragantibus pluribus et melioribus codd., perperam *collocatur* et *sortitur* pro *collocetur* et *sortiatur*. In hac cap. ILOV addunt *spiritualium* (etiam K a secunda manu, sed primitus *supernaturalium*).

[2] Hebr. 9, 15. — Inferius pro *instituit vero* S *instituit enim*.

[3] Cfr. IV. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1; d. 7. a. 1. q. 1. seq.; d. 8. p. I. a. 2. q. 1-3. et dub. 1; d. 17. p. II. a. 1. q. 1-3; d. 23. a. 1. q. 2; d. XXIV. Et. Magistri, c. 1, et Comment. p. I. a. 2. q. 2. seq.; d. 26. a. 1. q. 1. seq. — Pro *plene instituit* multi codd. et 2 *plene statuit*.

[4] Ioan. 14, 6. — Superius pro *beatificantia* A S *beneficia*. Subinde pro *repararetur* 2 cum pluribus codd. *reparetur*, et E *perveniatur* pro *perveniretur*.

[5] Sensus videtur requirere, ut verba ita construantur: quoniam Verbum est reparativum principium non solum in quantum Verbum, sed etiam etc. Tamen codd. et edd. eandem positionem verborum habent, quam retinuimus.

[6] Ioan. 1, 14. — De duobus sensibus maxime cognoscitivis cfr. tom. III. pag. 529, nota 9. et 10. — Superius post *se offert* Vat., 1 et 3 addunt *quantum*.

[7] Cfr. IV. Sent. d. 1. p. I. q. 2. et d. 4. p. I. a. 2. q. 2. seq.

[8] Matth. 4, 17. et Marc. 1, 14. seq. — Ioan. 2, 1. seqq. — Matth. 19, 4. seqq.

Digitized by Google

sancti missionem nec fuit plena Spiritus sancti donatio ad *confirmationem* et nominis Christi publicam confessionem, nec *unctio* mentis plenaria ad evolationem; ideo haec duo Sacramenta, scilicet confirmationem et extremam unctionem, Christus solum initiavit et insinuavit, *confirmationem* manum parvulis imponendo et praedicendo discipulos baptizandos Spiritu sancto; *unctionem* vero *extremam* discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos *ungebant oleo*, sicut dicitur in Marco [1]. — *Medio* autem *tempore* et fuit *regeneratio* et Ecclesiae *ordinatio* et spiritualis *cibatio;* ideo Christus haec tria Sacramenta, scilicet baptismi, eucharistiae et ordinis, et complete et clare instituit: primo baptismum suscipiendo, deinde formam dando et ceteris publicando [2]; ordinem vero, dando primo potestatem ligandi et solvendi peccata humani generis et potestatem conficiendi Sacramentum altaris; eucharistiam vero, comparando se grano frumenti et conficiendo et dando discipulis, imminente passione, Sacramentum corporis et sanguinis sui. — Et ideo haec tria Sacramenta per Christum distincte et integre debuerunt institui et in lege veteri multipliciter figurari tanquam Sacramenta substantialia novi testamenti et propria legislatoris, Verbi scilicet incarnati.

Cap. V.

De Sacramentorum dispensatione.

De *dispensatione* autem Sacramentorum hoc tenendum est, quod potestas dispensationis Sacramentorum regulariter spectat ad solum genus humanum. — In omnibus autem Sacramentis dispensandis necessaria est in dispensante intentio. — In aliquibus etiam necessario cum intentione requiritur ordo *sacerdotalis* [3], vel *pontificalis; pontificalis*, inquam, necessarius est dispensationi *confirmationis* et *ordinis; sacerdotalis* vero dispensationi *eucharistiae, poenitentiae* et *unctionis extremae. Baptismus* autem et *matrimonium*, licet ad sacerdotes spectent, possunt tamen praeter ordinem sacerdotalem dispensari de facto, maxime in articulo necessitatis. — Illis autem existentibus, Sacramenta dispensari possunt a bonis et malis, a fidelibus et haereticis, *intra* Ecclesiam et *extra*, sed *intra* secundum veritatem et ad utilitatem, *extra* vero non ad utilitatem, licet dispensentur secundum veritatem [4]. Thesis 1. Thesis 2. Thesis 3. Thesis 4.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia reparativum principium nostrum, Verbum scilicet incarnatum, quia [5] in quantum Deus et homo Sacramenta instituit ad salutem hominum, ordinavit, sicut et congruum fuit, ut hominibus dispensarentur per ministerium hominum propter servandam conformitatem dispensatoris ad salvatorem Christum et ad ipsum hominem salvandum. Quoniam ergo Christus salvator humanum genus salvavit, secundum quod exigebat *aequitas iuris*, *dignitas ordinis* et *securitas salutis* — *operatus est* enim *salutem* [6] nostram modo recto, ordinato et certo — hinc est, quod secundum horum trium exigentiam Sacramenta commisit hominibus dispensanda. — Primo igitur, quia *rectitudo iuris* exigit, ut opera hominis, secundum quod *bona*, non fiant praecipitanter; et opera hominis ut *ministri Christi* aliquo modo referantur ad Christum; et opera hominis ut *ministri salutis* aliquo modo referantur ad salutem vel in generali, vel in speciali; et dispensatio Sacramentorum est opus hominis ut *rationalis*, ut *ministri Christi* et ut *ministri salutis:* hinc est, quod necesse est, quod fiat *ex intentione;* et ex intentione [7], qua quis intendat facere quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facere quod facit Ecclesia, in quo clauditur in generali intentio praedicta, quia ipsa Ecclesia, sicut Sacramenta a Christo accepit, sic ad fidelium salutem dispensat. Ratio. Pro thesi 1. Triplex exigentia. Ex prima argumentum pro thesi 2.

Rursus, quia *ordo dignitatis* exigit, ut maiora maioribus, minora minoribus et media mediocribus [8] committantur; et quaedam sunt Sacramenta, quae praecipue respiciunt *excellentiam virtutis* sive dignitatis, ut Sacramentum confirmationis et ordinis; quaedam, quae respiciunt *indigentiam necessitatis*, ut baptismus et matrimonium, quorum unum generat, alterum regenerat ad existentiam debitam; quaedam autem *media*, ut eucharistia, poenitentia et unctio extrema: hinc est, quod *prima* tanquam suprema Ex secunda pro thesi 3.

---

[1] Cap. 6, 13. — Ibid. 10, 13; Matth. 19, 13. et Luc. 18, 15. dicitur, quod parvuli sunt ei oblati, ut manus eis imponeret sive tangeret illos. Act. 1, 5: Vos autem baptizabimini Spiritu sancto etc. — Superius verbis *confirmationem manum* I K L O V intercerunt *signum*. Subinde pro *discipulos baptizandos* A E H Z *discipulis eos baptizandos*, I K L M O U V *discipulis baptizandis*.

[2] Matth. 3, 13; 28, 19; Marc. 16, 15. et Ioan. 3, 5. — De ordine cfr. Ioan. 20, 22. seq.; Luc. 22, 19. et I. Cor. 11, 24. seq.; ubi etiam de eucharistia. Ioan. 12, 24. seq.: Nisi granum frumenti etc. — Inferius pro *primo* H P W *Petro* (Matth. 18, 18.). Subinde plurimi codd. et 2 omittunt *discipulis*, et post *distincte* I K L. addunt *et aperte*.

[3] A P Q et 2 addunt *scilicet*, nonnulli alii *simul*.

[4] De hoc cap. cfr. IV. Sent. d. 6. p. II. a. 2, ubi de intentione; d. 5. a. 1. et 2, ubi de ministro baptismi (a. 1. q. 1. casus 1. ostenditur, non spiritum, sed hominem esse ministrum); d. 7. a. 1. q. 3. de ministro confirmationis; d. 13. a. 1. q. 1. seqq. de ministro eucharistiae; d. 17. p. III. a. 1. et d. 19. per totam de ministro poenitentiae; d. 23. a. 2. q. 1. de ministro extremae unctionis; d. 25. a. 1. de ministro ordinis; d. 27. a. 2. q. 1. et d. 28. q. 3. de ministro matrimonii. — Superius pro *haereticis* plures codd. *infidelibus*, B *infidelibus et haereticis*.

[5] Fide communissimae lectionis codd. et 2 adiecimus *quia*. Mox post *instituit* A et 1 addunt *et*, mutato subinde cum B *sicut* in *sic*.

[6] Psalm. 73, 12.

[7] Ex B I O P addidimus *et ex intentione*, D G *et ex tali intentione*. Infra pro *in quo* A L *in qua*.

[8] Val., 1 et 3 *medius*.

Digitized by Google

non possunt dispensari nisi ab episcopis et pontificibus, quantum est de iure communi; *alia* vero tanquam intima dispensari possunt a quibuscumque ordinibus et personis inferioribus, maxime in articulo necessitatis, quod dico ratione baptismi; *media* vero a solis sacerdotibus, qui inter episcopos et inferiores personas sunt quasi in medio constituti.

Ex certis arguitur ideo thesi 4.

Postremo, quia *securitas salutis* exigit, ut res sic fiat, ut in dubium non cadat; et nullus est, qui certus sit de bonitate et credulitate dispensatoris, et idem ipse non est certus de se, *utrum amore, an odio dignus sit*[1]; ideo, si Sacramenta dispensari solum possent a bonis, nullus esset *certus* de susceptione Sacramenti; et sic oporteret semper iterari, et *malitia* unius praeiudicaret alienae saluti; nulla etiam esset *stabilitas* in gradibus hierarchiae Ecclesiae militantis, quae maxime consistit in Sacramentis dispensandis. Et ideo congruum fuit, ut Sacramentorum dispensatio committeretur hominibus non ratione *sanctitatis*, quae variatur secundum voluntatem, sed ratione *auctoritatis*, quae semper manet, quantum est de se; ac per hoc oportuit, quod se extenderet ad bonos et ad malos, ad eos qui sunt *intra*, et ad eos qui sunt *extra* Ecclesiam. — Verum, quia *extra* unitatem fidei et caritatis, quae facit nos filios Ecclesiae et membra, nullus potest salvari; ideo, si Sacramenta *extra* recipiantur, non ad salutem recipiuntur, quamvis vera sint Sacramenta; sed nulla possunt fieri, si quis redeat ad sanctam matrem Ecclesiam, unicam Christi sponsam, cuius filios tantum Christus sponsus reputat dignos hereditate aeterna. Unde Augustinus contra Donatistas[2]: « Ecclesia paradisus comparata indicat nobis, posse quidem *baptismum* eius homines etiam foris accipere, sed *salutem beatitudinis* extra eam neminem vel percipere vel tenere. Nam et flumina de fonte paradisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter manaverunt; nominatim quippe commemorantur et per quas terras fluant, et quod extra paradisum constituta sint, omnibus notum est; nec tamen in Mesopotamia vel in Aegypto, quo illa flumina pervenerunt, est felicitas vitae, quae in paradiso commemoratur. Ita fit, ut, cum paradisi *aqua* sit extra paradisum, *beatitudo* tamen non sit nisi intra paradisum. Sic ergo *baptismus* Ecclesiae potest esse extra Ecclesiam, *manus* autem *beatae vitae* non nisi intra Ecclesiam reperitur, quae super petram etiam fundata est, quae ligandi et solvendi claves accepit. Haec est una, quae tenet et possidet omnem sponsi sui et Domini potestatem, per quam coniugalem potestatem etiam de ancillis parere filios potest, qui, si non superbiant, in sortem hereditatis vocabuntur, si autem superbiant, extra remanebunt. Magis ergo, quia pro Ecclesiae honore atque unitate pugnamus, non tribuamus haereticis quidquid apud eos eius agnoscimus, sed eos arguentes doceamus, quod ex unitate habent nec valere ad salutem, nisi ad eandem venerint unitatem ».

Extra unitatem deest salutis.

Confirmatur.

Cap. VI.

De Sacramentorum iteratione.

Thesis 1.

De *iteratione* autem Sacramentorum hoc tenendum est, quod licet commune sit omnibus Sacramentis non iterari super eandem personam et materiam et ex eadem causa, ne fiat contumelia Sacramento[3]; specialiter tamen tria sunt Sacramenta, quae non sunt aliquatenus iteranda, scilicet *baptismus*, *confirmatio* et *ordo*. In his namque tribus imprimitur triplex character interior, qui non delebitur; inter quos character baptismalis retinet fundamentum, nec alii possunt imprimi, nisi ille primitus imprimatur. — Unde si quis ordinatur non baptizatus, nihil prorsus efficitur, sed est totum de novo faciendum, quia « non intelligitur iteratum, quod constat non fuisse factum[4] ».

Thesis 2.

Thesis 3.

Ratio.

Ratio autem ad intelligentiam praemissorum haec est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, licet ratione summae virtutis et sapientiae et bonitatis suae nihil agat *inefficaciter*, nihil *incepte*, nihil *infructuose*; potissime tamen hoc observare[5] debet in nobilissimis suis operibus, cuiusmodi sunt illa, per quae reparatur genus humanum. Quoniam ergo Sacramenta sunt de genere huiusmodi operum divinorum; hinc est, quod contumelia quodam modo fit eis, quando super eandem materiam et personam et ex eadem causa iterantur; quia ex hoc ostenditur, quod prius dispensata fuerunt *inefficacia*, *incepta* et *infructuosa*, contra id quod exigebat ipsius reparativi principii virtus, sapientia et bonitas summa, quae semper assistit ad operandum in illis et per illa Sacramenta.

Pro thesi 1.

---

[1] Eccle. 9, 1. — Inferius pro *alienae* I K L O *alterius*.

[2] Libr. IV. de Baptismo contra Donat. c. 1. et 2. Respicitur in ipso textu Gen. 2, 8. et 10. seqq.; Matth. 16, 18. seq. et Gal. 1, 22. seqq.

[3] August., l. de Baptismo contra Donat. c. 1. n. 2: Nulli enim Sacramento iniuria facienda est.

[4] Innocent. III. in C. *Veniens* (3.), X. de presbytero non baptizato (lib. III. tit. 43.) et in C. *Tuae litterae* (1.), X. de clerico per saltum promoto (lib. V. tit. 29.). Primo loco ed. habetur etiam, quod « baptismus sit *fundamentum* omnium Sacramentorum », et quod « ante susceptionem baptismi non susciptatur aliud Sacramentum, quoniam, nisi fundamentum non est, *superaedificari* non potest »; ad quae verba respicitur infra circa finem huius cap. — De hoc cap. cfr. IV. Sent. d. 6. p. 1. per totam (praecipue q. 4. et 6.); d. 7. a. 3. q. 3; d. 24. p. II. a. 1. q. 1. seqq.

[5] Ed. 1 *servere*, quae etiam superius pro *praemissorum* cum I K L et 2 *praedictorum*. Inferius pro *ex hoc* I K L M *in hoc*.

Digitized by Google

Pro thesi 2.

Rursus, quoniam inter haec Sacramenta reparantia, in quibus est generaliter efficacia divinae virtutis ad reparationem humani generis, quaedam sunt, quae tantum introducta sunt propter *remedia morborum;* quaedam etiam[1] non solum ad hoc, sed ad statuendum, discernendum et ordinandum in Ecclesia *hierarchicos gradus;* et *morbi* possunt variari, expelli et iterum introduci, *gradus* autem Ecclesiae debent esse firmi, solidi et inconcussi: hinc est, quod Sacramenta, quae respiciunt *morbos* iterabiles, habent effectus transeuntes, ac per hoc et iterabiles ratione novae causae. Sacramenta vero illa, quae respiciunt *gradus hierarchicos* et status fidei determinatos, necesse est, quod praeter effectus remediantes aliquos effectus tribuant permanentes ad gradum et statum Ecclesiae distinctionem fixam et stabilem. Et quoniam hoc non potest fieri per dona naturalia, vel per dona gratuite gratum facientia; necesse est, quod fiat per aliqua signa substantiae incorruptibili, scilicet animae incorruptibili, a principio incorruptibili secundum conformitatem ad incorruptibile indeleb iliter et gratis impressa, quae *characteres* appellantur; qui, quoniam nunquam delentur, ideo nec iterari possunt, nec illa Sacramenta, in quibus huiusmodi characteres imprimuntur.

De characteribus.

Character in 3 Sacramentis.

Postremo, quoniam triplex est status fidei, secundum quem habet fieri distinctio in populo christiano, videlicet[2] in acie ecclesiasticae hierarchiae, scilicet status fidei *genitae, roboratae* et *multiplicatae;* secundum primum fit distinctio fidelium ab incredulis, per secundum fit distinctio fortium ab infirmis et debilibus; secundum tertium fit distinctio clericorum a laicis: hinc est, quod illa Sacramenta, quae respiciunt triplicem fidei statum praedictum, characteres imprimunt, per quos indeleb iliter impressos semper distinguunt, ac per hoc nunquam iterari possunt. Quoniam ergo *baptismus* respicit statum fidei *genitae*, in quo populus Dei distinguitur ab incredulis, ut Israelitae ab Aegyptiis; et *confirmatio* respicit statum fidei *roboratae*, in quo distinguitur populus fortis ab infirmis, sicut pugiles ab his qui ad pugnandum[3] non sunt idonei; et *ordo* respicit statum fidei *multiplicatae*, in quo distinguitur clerus a laicis, sicut levitae ab aliis tribubus: hinc est, quod in his tantum tribus Sacramentis characteres imprimuntur.

Pro thesi 3.

Quia vero distinctio populi a non-populo est prima et radicalis; hinc est, quod character baptismalis est fundamentum omnium aliorum characterum; et ideo, illo non substrato, nihil poterit superaedificari; ac per hoc oportet de novo fieri. Si autem ille substernatur, alii imprimi possunt nec unquam ulterius iterandi sunt; nec Sacramenta tria praedicta, quae hos imprimunt, ex causa aliqua iterantur, et gravis de facto iterantibus debet poena imponi[4] propter divini contumeliam Sacramenti; licet alia quatuor ex causis diversis possint sine sui contumelia iterari.

Cap. VII.

De constitutione et integritate baptismi.

Iam nunc septimo loco restat videre de *integritate* minisseriusque[5] Sacramenti; quae cum sint in numero septiformi, primo dicendum est de *integritate baptismi*, qui est ianua aliorum Sacramentorum.

Thesis 1.

De *integritate* igitur Sacramenti *baptismi* hoc tenendum est, quod ad hoc, quod aliquis baptizetur vere et plene, requiritur *expressio formae* vocalis, a Domino instituta[6], quae est haec: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen; absque omissione vocabuli et sine interpositione vocabuli, absque praeposteratione ordinis supradicti et sine commutatione nominis praenotati. — Requiritur etiam *mersio* vel ablutio per *elementum aquae* in toto corpore, vel saltem in digniori parte, ita quod *expressio* et *mersio* fiat ab uno et eodem et in eodem tempore. — Quibus concurrentibus, si non sit *fictio* in baptizando, datur ei gratia *regenerans, rectificans* et *purificans* ab omni culpa. — Quod ut efficacius fiat, *catechismus* et *exorcismus* tanquam praeparatorii praemittuntur tam in parvulis quam in adultis; ita tamen, quod in *adultis* requiritur *fides propria*, in *parvulis* autem sufficit *fides aliena*[7].

Thesis 2.

Thesis 3.

Thesis 4.

Ratio.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, tanquam perfectissimum et sufficientissimum principium reparare habeat genus humanum per medicamenta Sacramentorum, ita quod nihil sit in eis superfluum, nihil inordinatum, nihil etiam diminutum[8]; ita disponere debuit, quod Sacramentum baptismi et alia integrarentur, secundum quod exigebat *sua virtus*, *nostra salus* et etiam *noster morbus*. — Quoniam ergo *virtus* nos

Triplex exigentia.

---

[1] Ed. I addit *quae*. Mox post *sed* N addit *etiam*.

[2] Pro *videlicet*, quod edd. et pauci codd. omittunt, E F G H minus, aptae ponunt *et*. Inferius pro *incredulis* D P substituunt *infidelibus*.

[3] Ita I K L M O edd. *pugnam*; H prosequitur *non sunt habiles nec idonei*. Inferius pro *clerus* S *clericus*, et *christiani* pro *a non-populo*.

[4] Cfr. tom. IV. pag. 446, nota 7. — Inferius pro *sui*, quod C E T omittunt, multi codd. *suo*, 2 *alio*.

[5] C I K L M O V *cuiusdibet*. — De unoquoque septem Sacramentorum agitur specialiter capp. seqq.

[6] Cfr. Matth. 28, 19. — Inferius pro *mersio* A H Q R S et 2 *immersio*.

[7] De hoc cap. vide IV. Sent. d. 3-5. et d. 6. p. II. a. 3.

[8] Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 32. (c. 4.) et III. de Anima, text. 45. (c. 9.) docet, quod Deus et natura nihil faciunt frustra neque deficiunt in necessariis.

Digitized by Google

Pro thesi 1. reparans est virtus *totius Trinitatis*, quam sancta mater Ecclesia credit in animo, confitetur in verbo et profitetur in signo, sub trium personarum distinctione et proprietate, ordine et origine naturali; est etiam virtus *passionis Christi*, qui mortuus et sepultus fuit et *die tertia resurrexit*[1]: hinc est, quod ad horum expressionem in Sacramento, quod primum omnium Sacramentorum est, et in quo primo et principaliter haec virtus operatur, debuit fieri expressio *Trinitatis* in distincta, propria et ordinata nominatione, quantum est de forma communi, licet in tempore primitivae Ecclesiae potuerit fieri *in nomine Christi*[2], in quo intellectus clauditur Trinitatis. Debuit etiam fieri propria et ordinata nominatio verbi *baptizandi* cum trina mersione ad expressionem mortis Christi et sepulturae et resurrectionis post triduum factae, quantum est *de congruitate*. Et quia simul operatur utraque virtus et in uno Christo Salvatore, utrumque horum debet fieri ab *uno* et eodem simul et in eodem tempore, propter servandam unitatem in Sacramento et significandam unitatem in nostro Mediatore[3].

Pro thesi 2. Iterum, quoniam *salus nostra* requirebat inchoari per regenerationem seu renovationem in *esse* gratiae conferentis spiritualem *esse*, abstergendo *immunditiam*, effugando *tenebras* et refrigerando *concupiscentiam*, quae universaliter labefactat[4] omnem hominem descendentem seminaliter ab Adam; hinc est, quod Sacramentum primum, quod est regenerativum, debuit fieri in elemento, quod haberet conformitatem ex naturali repraesentatione ad triplicem effectum praedictum gratiae inchoantis nostram salutem. Quoniam ergo aqua sua puritate *mundat*, sua pervietate *luminis est delativa*, sua frigiditate *refrigerat*; et maxime communis est omnibus inter omnia liquida: hinc est, quod Sacramentum regenerationis nostrae perfici debuit in elemento *aquae indifferenter*; quia « omnis aqua omni aquae est eadem specie[5] », et etiam, ne aliquis propter defectum elementi periculum salutis posset incurrere.

Pro thesi 3. Postremo, quoniam *morbus noster*, contra quem principaliter est baptismus, est originale peccatum, quod animam privat vita gratiae et omnium virtutum rectitudine habilitante et pronam quodam modo reddit ad omne genus culpae, et traducitur aliunde et « parvulum facit concupiscibilem et adultum actu concupiscentem », religit etiam in diabolicam servitutem et in potestatem principis tenebrarum[6]: hinc est, quod ad hoc, quod per illud Sacramentum per contrarium sufficiens adhibeatur remedii medicamentum, congruit, in eo dari gratiam *regenerantem* contra privationem vitae gratuitae, gratiam *rectificantem* in septiformi virtute contra privationem virtutis habilitativae, gratiam *purificantem* ab omni culpa contra pronitatem ad omnem deordinationem vitiosam.

Pro thesi 4. Et quoniam originale peccatum trahitur aliunde et parvulum facit concupiscibilem et adultum actu concupiscentem, necessaria est *adulto fides propria* et *poenitentia*, sed *parvulo* sufficit *aliena*, quae scilicet est in universali Ecclesia. Quia vero baptismus debet eruere de servitute diaboli et de potestate principis tenebrarum[7] tam parvulos quam adultos; hinc est, quod utrique *exorcizari* debent ad expulsionem potestatis contrariae, utrique etiam *catechizari*: *adulti*, ut, expulsa caligine erroris, informentur ad fidem; *parvuli* vero, ut sciant patrini, quid eos debeant edocere, ne pro humano defectu impediatur baptismatis Sacramentum, quominus habeat finem suum.

Cap. VIII.

De integritate confirmationis.

Thesis 1. De Sacramento *confirmationis* hoc tenendum est, quod ad ipsius integritatem requiritur forma vocalis, quae secundum morem magis communem haec est: Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. — Thesis 2. Requiritur etiam chrisma, quod conficitur ex oleo olivarum et balsamo, de quo cum per manus episcopi signum crucis frontí imprimitur sub praedicta forma verborum confirmationis, suscipitur Sacramentum; Thesis 3. per quod confirmatur homo ut pugil ad nomen Christi audacter et publice confitendum[8].

Ratio. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia reparativum principium nostrum, Verbum scilicet incarnatum, sicut aeternaliter conceptum est in corde Patris et temporaliter in carne sensibiliter apparuit homini, sic neminem reparat, nisi ipsum et corde credendo concipiat et creditum exterius con-

---

[1] Epist. I. Cor. 15, 4. — Inferius post *in Sacramento* I addit *baptismi*.

[2] Cfr. Act. 2, 38; 8, 12. et 16; 10, 48; 19, 5, et de opinione illa IV. Sent. d. 3. p. I. a. 2. q. 2. scholion. — Mox voci *Trinitatis* Vat., 1 et 3 praeeligunt *totius*. Subinde pro *propriam et ordinatam nominatio* plures codd. *expressio*, et *immersione* pro *mersione*.

[3] Cfr. IV. Sent. d. 3. a. 1. q. 1. casus 3. — Plures codd. *in salvatore nostro et mediatore Christo*.

[4] Plures codd., inter quos B L M P et 2 *labefacit*, T W *labefecerat*. Superius pro *tenebras* non pauci codd. *tenebram*.

[5] Aristot., I. Topic. c. 6. (c. 5.). — Superius post *pervietate*, pro quo D F *perspicuitate*, Vat., 1 et 3 addunt *seu diaphanitate*. Mox pro *et etiam* plures codd., inter quos L M V Z, *et similiter*.

[6] Respicitur Col. 6, 12. — Praecedens sententia, quae etiam paulo inferius recurrit, est Magistri Sent., II. Sent. d. XXX. c. 9. Cfr. Hugo S. Vict., Sum. Sent. tr. 3. c. 11. et I. de Sacram. p. VII. c. 31. — Superius pro *pronam* ex I K L O Q V substituimus *pronum*, F vero post *reddit* suppleat *hominem*.

[7] Col. 1, 13: Qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae.

[8] Vide IV. Sent. d. 7. per totam. — Aliquando superius pro *requiritur* E *exigitur*, et pro *communem* A G K Q *communis*. — Forma illa indicata habetur in Pontificali Romano. Post *crucis* aliqui codd. addunt *et*.

Digitized by Google

fitendo depromat confessione debita; huiusmodi est confessio veridica veritate plena, quae non tantum est veritas speculativa, verum etiam practica. Haec autem est, in qua non tantum est « adaequatio intellectus, sermonis et rei [1] », verum etiam, in qua totus homo veritati conformatur secundum intelligentiam *rationis*, secundum complacentiam *voluntatis* et secundum adhaerentiam *virtutis*, ut sit *ex tota corde, tota anima et tota mente* [2], sit *ex corde puro, conscientia bona et fide non ficta*; et talis est confessio *integra*, *placida* et *intrepida*; ut sit *integra* ratione eius, de quo est; *placida* ratione eius, coram quo fit; *intrepida* ratione eius, a quo fieri habet illa confessio. Quoniam ergo ad hoc bonum pusillanimis non est idoneus, nisi per manum supernae gratiae confirmetur; ideo ad hoc Sacramentum confirmationis fuit divinitus institutum tanquam immediate sequens baptismum.

Triplex conformitio ad veritatem.

Praerogativae 3 confirmationis.

Qua vero « finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem [3] »; ideo integrari debet hoc Sacramentum secundum exigentiam confessionis praedictae et suarum conditionum, trium videlicet praedictarum. Primo ergo, quoniam confessio haec debet esse *integra*; et integritas confessionis non est, nisi quis confitetur Christum verum hominem pro hominibus crucifixum, rursumque verum Dei Filium incarnatum, in Trinitate Patri et Spiritui sancto per omnia coaequalem: hoc est, quod in forma vocali non tantum fit expressio actus credimandi, verum etiam ipsius signi crucis et nominis beatissimae Trinitatis.

Pro thesi 1.

Confessio sit integra.

Amplius, quoniam confessio debet esse *placida* ratione eius, coram quo fit, et fieri habet coram Deo et hominibus [4]; et Deo non potest placere, nisi adsit *lumen intelligentiae* et *nitor conscientiae*, nec proximo, nisi adsit *odor bonae famae* et *vitae honestae*: ideo ad horum designationem in elemento exteriori commiscetur *oleum* olivarum, quod est nitidum, et *balsamum*, quod est odoriferum; ut per hoc significetur, quod confessio, ad quam hoc Sacramentum ordinat et disponit, commodum debet habere *nitorem* conscientiae et intelligentiae cum suavi *odore* tam vitae quam famae, ne contrarietas aliqua sit inter linguam et conscientiam, vel inter linguam et famam, propter quam talis confessio non arceptetur ab homine nec approbetur a Christo.

Pro thesi 2.

Sit placida.

Postremo, quoniam talis confessio debet esse *intrepida*, ut nec pudore nec timore dimittat quis dicere veritatem, nec [5] tempore persecutionis ignominiosam mortem Christi in cruce confiteri pudice formidet quis vel erubescat, praecipue horrens incidere in consimilem poenam et ignominiam passionis; et huiusmodi timor et pudor potissime apparet in facie et maxime in fronte: ideo ad omnem verecundiam et formidinem propulsandam et *manus potestativa* imponitur, quae confirmet, et *crux* fronti imprimitur, ut non erubescat eam pudice confiteri nec formidet pro confessione nominis Christi, si opus fuerit, quantancumque poenam vel ignominiam sustinere, tanquam verus pugil unctus ad proelium et tanquam miles strenuus, ferens in fronte regis sui signum et crucis eius triumphale vexillum, cum quo paratus sit penetrare hostium cuneos securus. Non enim potest crucis gloria libere praedicari, si crucis poena et ignominia formidetur, iuxta quod sanctus docebat Andreas: « Ego, si crucis ignominiam expavescerem, crucis gloriam non praedicarem [6] ».

Si intrepida.

Cap. IX.

De integritate eucharistiae.

De Sacramento *eucharistiae* hoc tenendum est, quod in hoc Sacramento verum Christi corpus et verus sanguis non tantum significatur, verum etiam veraciter continetur sub duplici specie, panis scilicet et vini, tanquam sub uno, non sub duplici Sacramento; hoc autem est post consecrationem sacerdotalem, quae fit in prolatione vocalis formae a Domino institutae; super panem scilicet: Hoc est [7] corpus meum; super vinum vero: Hic est calix sanguinis mei. Quibus verbis cum intentione conficiendi a sacerdote prolatis, transsubstantiatur utrumque elementum secundum substantiam in corpus et sanguinem Iesu Christi; remanentibus specieibus sensibilibus, in quarum utraque continetur *totaliter*, non *circumscriptibiliter*, sed *sacramentaliter* totus Christus. — In quibus etiam proponitur nobis ut cibus, quem qui digne accipit, non solum sacramentaliter, verum etiam per fidem et caritatem spiritualiter manducando, corpori Christi mystico magis incorporatur et in se ipso

Thesis 1.

Thesis 2.

Thesis 3.

---

[1] De hac veritatis definitione cfr. tom. I. pag. 707, nota 5.

[2] Marc. 12, 30. — Sequ. locus est I. Tim. 1, 5. — Pro *ut sit* 1, 2 cum pluribus codd. *ut sic*. Immediate post pro *sit* plures codd. et 2 *sic*.

[3] Secundum Aristot., II. Phys. text. 88. seqq. (c. 9.). — Inferius plures codd., inter quos E L M, omittunt *in Trinitate*.

[4] Cfr. Matth. 10, 32. — De significatione olei et balsami cfr. verba Hug. a S. Vict. et Innocent. III. allegata tom. IV. pag. 167, nota 4. et pag. 593, nota 2. seq.

[5] Ita I K L M, sed edd. cum aliis codd. *et*, qui paulo inferius post *publice* prosequuntur *formidet et erubescat* (C O *formidet et erubescat*). Subinde pro *propulsandam* I M O V *propellendum*, L *repellendam*, et pro *potestativa* P *episcopi*, W *pontificum*.

[6] *Passio S. Andreae*, apud Surium, Histor. seu vit. Sanctor., tom. XI. pag. 715, § 1; et apud Galland. Biblioth. (tom. I. pag. 455, c. 4.). Edd. cum paucis codd.: *Ego, si crucem expavescerem... minime praedicarem*. D H cum Surio *crucis poenam*. — Superius respicitur 3. aut. I. Noct. festi S. Martini (11. Nov.): Hostium cuneos penetrabo securus (ex libro, cui titulus *Liber responsalis*, inter opera S. Gregorii).

[7] E K addunt *enim*. Inferius post *sanguinis mei* K addit *etc.*, et pro *in quarum* C I K L M O *sub quarum*. Subinde post *circumscriptibiliter* Vat., 1 et 3 addunt *nec localiter*.

Digitized by Google

relicitur et purgatur; qui vero indigne accedit *iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans* sanctissimum *corpus Christi*[1].

Ratio. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, et *sufficientissimum* est in virtute et *sapientissimum* in sensu; ideo sic nobis contulit Sacramenta, secundum quod exigit *sapientia* et *sufficientia* sua[2]. — Et quia *sufficientissimum* est, ideo in largiendo medicamenta morborum et charismata gratiarum non tantum instituit Sacramentum, quod nos in *esse* gratiae *generaret*, ut baptismum, et genitos *augmentaret* et roboraret, ut confirmationem, verum etiam quod genitos et augmentatos *contiret*, ut Sacramentum eucharistiae; propter quod haec tria Sacramenta omnibus dantur, qui accedunt ad fidem. Quoniam ergo nutrimentum nostrum quantum ad *esse* gratuitum attenditur in

Argumentum ex sufficientia pro thesi 1.

Triplex obedientia. unoquoque fidelium per conservationem *devotionis* ad Deum, *dilectionis* ad proximum et *delectationis* intra se ipsum; et *devotio* ad Deum exercetur per sacrificii oblationem, *dilectio* ad proximum per unius Sacramenti communionem, et *delectatio* intra se ipsum per viatici refectionem: hinc est, quod principium nostrum reparativum istud Sacramentum eucharistiae dedit in *sacrificium* oblationis et *Sacramentum* communionis et *viaticum* refectionis.

Triplex modus eucharistiae.

Item, ex sapientia. Quia vero principium nostrum reparativum non tantum est sufficientissimum, verum etiam *sapientissimum*, ruius est omnia agere ordinate; ideo sic dedit et disposuit nobis *sacrificium*, *Sacramentum* et *viaticum* exhibere, secundum quod competit *tempori gratiae revelatae, statui viae* et *capacitati nostrae*. — Primo igitur, quoniam *tempus gratiae revelatae* requirit, quod iam non offeratur *oblatio* qualiscumque, sed *pura, placida* et *plenaria*[3]; et nulla alia est talis, nisi illa quae fuit in cruce oblata, scilicet Christi corpus et sangnis: hinc est, quod necessario oportet in hoc Sacramento non tantum figurative, verum etiam veraciter corpus Christi tanquam *oblationem* huic tempori debitam contineri. —

Triplex congruentia.

Prima requisita tria. Primum.

Secundum. Similiter, quia *tempori gratiae* consonat, quod *Sacramentum* communionis et dilectionis non tantum sit communionem et dilectionem significans, verum etiam ad illam inflammans, ut «efficiat quod figurat[4]»; et quod maxime nos inflammat ad dilectionem mutuam et maxime unit membra est unitas capitis, a quo per vim amoris diffusivam, unitivam et transformativam manat in nos dilectio mutua: hinc est, quod in hoc Sacramento continetur verum Christi corpus et caro immaculata ut se nobis diffundens et nos invicem unions et in se transformans per ardentissimam caritatem, per quam se nobis dedit, se pro nobis obtulit et se nobis reddidit et nobiscum existit usque ad finem mundi[5]. — Per hunc etiam modum *refectio* competens *statui gratiae* est refectio *spiritualis, communis* et *salutaris*. Refectio autem spiritus est verbum vitae[6], ac per hoc refectio spiritualis *spiritus in carne* est Verbum incarnatum seu caro Verbi, quae cibus est *communis* et *salutaris*, quia, licet sit una, omnes tamen salvantur per ipsam. Quia ergo non est dare alium cibum *spiritualem, communem* et *salutiferum* nisi ipsum verum Christi corpus; hinc est, quod necesse est, ipsum in hoc Sacramento veraciter esse continendum, exigente hoc perfectione *sacrificii* placativi, *Sacramenti* unitivi et *viatici* refectivi; quae debent esse in tempore novi testamenti et gratiae revelatae et veritatis Christi.

Tertium.

Secunda conveniens ratio quare velamen obtegunt.

Rursus, quia *statui viae* non competit Christum aperte videre, propter velamen aenigmatis et propter meritum fidei; nec convenit Christi carnem dentibus attrectare et propter horrorem crudilitatis[7] et immaculatitatem ipsius corporis: ideo necesse fuit, corpus et sanguinem Christi tradi velatum sacratissimis symbolis et similitudinibus congruis et expressis. Et quoniam nihil magis est idoneum ad *refectionem* quam cibus panis et potus vini; nihil est etiam magis idoneum ad *significationem* unitatis corporis Christi veri et mystici, quam panis factus de mundissimis granis et vinum expressum de purissimis acinis in unum collectis[8]: ideo sub his speciebus magis quam sub aliis debuit Sacramentum istud exhiberi. Et quia Christus sub illis speciebus esse debebat non secundum mutationem factam in *ipso*, sed potius in *eis*; ideo ad probationem duplicis verbi praedicti, in quo insinuatur existentia Christi sub speciebus illis, fit conversio substantiae utriusque in corpus et sanguinem, remanentibus solis accidentibus tanquam signis ipsius corporis contentivis et etiam expressivis.

Pro thesi 2.

Quia vero corpus Christi beatum et gloriosum non potest dividi in partes suas nec separari ab anima neque a Divinitate summa; ideo sub utraque specie est unus Christus et totus et indivisus, scilicet corpus et anima et Deus; ac per hoc utrobique est *unum* et simplicissimum Sacramentum continens totum Christum. Et quoniam quaelibet pars speciei significat corpus Christi; hinc est, quod totum sic

---

[1] Epist. I. Cor. 11, 29. Ed. 4 cum Vulgata *corpus Domini*. — De eucharistia agitur IV. Sent. d. 8-13.

[2] Vat. *efficientia sua*.

[3] Cfr. Hebr. 9, 10.

[4] Quo loquendi modo utitur secundum Augustinum Magister Sent., in hi. IV. Sent. d. IV. c. 1.

[5] Matth. 28, 20: Et ecce, ego vobiscum sum etc. Tit. 2, 14: Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret etc. — Pro *ad finem* plures codd. *in finem*. Superius pro *diffundens* II unctius *infundens*.

[6] Cfr. Ioan. 6, 69.

[7] Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XI. c. 3. — Codd. et 2 *crudelitatis*.

[8] Secundum August., in Ioan. Evang. tr. 26. n. 17. Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. VIII. c. 7. — Inferius pro *in quo* Vat., 1 et 3 cum uno alteroque cod. *in qua*.

Digitized by Google

est in tota specie, quod in qualibet eius parte, sive sit integra, sive divisa; ac per hoc non est ibi ut circumscriptum, ut occupans locum, ut [1] habens situm, ut perceptibile per aliquem sensum corporeum et humanum, sed omnem latens sensum, ut fides habeat locum et meritum. Propter quod etiam, ut non deprehendatur, accidentia illa habent omnem operationem, quam etiam habebant prius, licet sint praeter subiectum, quandiu intra se continent Christi corpus; quod quidem est, quandiu durant in suis proprietatibus naturalibus et sunt idonea ad cibandum.

Tertia conclusio. Pro thesi 3. Postremo, quoniam *caparitas nostra* ad Christum efficaciter suscipiendum non est in carne, sed in spiritu, non in ventre, sed in mente; et mens Christum non attingit nisi per cognitionem et amorem, per fidem et caritatem, ita quod fides illuminat ad recogitationem [2], et caritas inflammat ad devotionem: ideo ad hoc, quod aliquis digne accedat, oportet, quod *spiritualiter* comedat, ut sic per recogitationem fidei masticet, per devotionem amoris suscipiat: per quae non in se transformet Christum, sed ipse potius transiciatur in eius mysticum corpus.

De indigne communicantibus. — Propter quod manifeste colligitur, quod qui temere, indevote et inconsiderate accedit *iudicium sibi manducat et bibit* [3], quia tanto Sacramento contumeliam facit. Et ideo consilium est his qui se sentiunt minus mundos mente, vel carne, vel etiam indevotos, ut differant, quousque parati ad esum veri Agni mundi, devoti et circumspecti accedant.

Propter quod etiam hoc Sacramentum praeceptum Corollarium. est celebrari cum solemnitate praecipua tam quantum ad *locum* quam etiam quantum ad *tempus* et quantum ad *verba* et *orationes* et quantum ad *vestimenta* in celebratione Missarum; ut tam ipsi sacerdotes conficientes quam etiam suscipientes percipiant [4] gratiae donum, per quam purgentur, illuminentur, pertriantur, reficiantur, vivificentur et in ipsum Christum per excessivum amorem ardentissime transferantur.

Cap. X.

De integritate poenitentiae.

De Sacramento *poenitentiae* hoc tenendum est, Thesis 1. quod ipsa est « secunda tabula post naufragium [5] », ad quam naufragans per mortale peccatum recurrere potest, quandiu est in statu praesentis vitae, quandocumque et quotiescumque divinam clementiam voluerit implorare. — Ipsius autem partes integrales Thesis 2. sunt *contritio* in animo, *confessio* in verbo et *satisfactio* in facto. Ex quibus tunc poenitentia integratur, cum peccator omnem mortalem culpam perpetratam et facto deserit et verbo accusat et animo detestatur, proponens nunquam iterare peccatum. — His autem debito modo concurrentibus cum absolu- Thesis 3. tione facta ab eo, in quo est ordo, clavis et iurisdictio; absolvitur homo a peccato et reunitur Ecclesiae et reconciliatur Christo, mediante clave sacerdotali; per cuius etiam iudicium non tantum habet fieri *ab-* Thesis 4. *solutio*, verum etiam *excommunicatio* et *relaxatio*, quae proprie habet fieri ab episcopo tanquam ab Ecclesiae sponso [6].

Ratio. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, ex ipso quod Verbum, fons est *veritatis* et *sapientiae;* ex ipso quod incarnatum, fons est *pietatis* et *indulgentiae*: ideo debet reparare genus humanum per medicamenta Sacramentorum, et praecipue contra praecipuum morbum, qui scilicet est peccatum mortale; iuxta quod decet *pontificem* pium, *medicum* peritum et *iudicem* aequum: ut sic in curatione nostra appareat Verbi incarnati Tria in curatione. summa *clementia*, summa *prudentia* et summa *iustitia*.

Primum igitur, quoniam in curatione nostra a Ex summa clementia sacerdotis pro thesi 1. mortali culpa per poenitentiam apparere debet ipsius Christi *pontificis* piissimi summa *clementia;* et summa clementia Pontificis superexcedit omnia peccata humana, qualiacumque et quantacumque sint et quotiescumque fuerint perpetrata: hinc est, quod peccatores suscipere ad veniam est ipsius Pontificis clementissimi, non [7] semel nec bis, sed quotiescumque supplicitER imploraverint clementiam Dei. Et quia divina clementia tunc vere et suppliciter imploratur, quando intervenit poenitentiae lamentum; et ad hoc potest homo convertere se, quandiu est in statu praesentis vitae, quia vertibilis est in bonum et in malum: hinc est, quod quantumcumque et quandocumque et quotiescumque peccator peccaverit, ad poenitentiae Sacramentum potest habere refugium, per quod sibi fiat remissio peccatorum.

---

[1] Edd., excepta 2, *vel*. Pro *ut perceptibile* 1 *aut perceptibile*. Aliquanto inferius pro *idonea* cum E substituimus *idonea*.

[2] Ed. 2 cum pluribus codd. *recognitionem* (sed vide IV. Sent. d. 9. a. 1. q. 2.), Vat., 1 et 3 *recognitionem vel recordationem*. Idem recurrit inferius, ubi pro *ut sic per recogitationem*, quod exhibent B M, alii codd. et edd. substituunt *ut sic* [Vat., 1 et 3 addunt *Christum*] *per recordationem*. Superius pro *in carne* permulti codd. et 2 *a carne*, ac pro *in spiritu* E P T W et 2 *a spiritu*.

[3] Epist. I. Cor. 11, 29. — Mox pro *contumeliam* plures codd. *iniuriam*. Subinde pro *ut differant* 2 *ire differant*.

[4] I M V *percipientes suscipiant*, qui etiam inferius cum nonnullis aliis codd. pro *excessivum* substituunt *excellentissimum;* 2 legit: *per excellentissimum amorem et excessivum*. Pro *transferantur* P *transformentur*.

[5] Hieron., Epist. 130. (alias 8.) n. 9.

[6] De Sacramento poenitentiae agitur IV. Sent. d. 14-22. — Pro *habet* A *habent;* voci *episcopo* F praefigit *solo*, qui etiam superius cum pluribus aliis codd. pro *reunitur* substituit *restituitur*, K Π et 2 *remittitur*.

[7] A addit *tantum*, Vat., 1 et 3 *solum;* P autem subiungit *tantum* post *bis*. Inferius pro *vertibilis* edd., excepta 2, *convertibilis*.

Digitized by Google

Rursus, quia in curatione nostra debet manifestari[1] ipsius Christi, peritissimi *medici* summa *prudentia*; et prudentia medici est in adhibendo remedia contraria, per quae non tantum morbus auferatur, verum etiam praescindatur causa; cum peccetur in Deum delectatione, consensu et perpetratione, scilicet corde, ore et opere: hinc est, quod prudentissimus Medicus instituit, ut contra deordinationem peccatoris secundum triplicem vim, scilicet affectivam, interpretativam et operativam, quae fit per *delectationis complacentiam* occultam, esset reformatio poenitentis secundum triplicem vim praedictam per *dolorem poenitentiae* conceptam[2] in corde per *compunctionem*, expressam in ore per *confessionem*, consummatam in opere per *satisfactionem*. Et quia omnia peccata mortalia ab uno Deo avertunt et uni gratiae opponuntur et unam principalem hominis rectitudinem pervertunt; hinc est, quod ad hoc, quod poenitentiae medicamentum sit sufficienter ex suis partibus integratum, necesse est, quod poenitentia habeatur de omnibus peccatis et quantum ad *praeteritum* per displicentiam de perpetratis, et quantum ad *praesens* per cessationem de perpetrandis, et quantum ad *futurum* per propositum nunquam recidivandi vel in idem, vel in aliud genus peccati[3]; ut sic totaliter recedendo a culpa per poenitentiam divina gratia suscipiatur, per quam obtineatur venia omnium peccatorum.

Item, ex prudentia pro thesi 2.

Tria separantur.

Postremo, quia in curatione nostra manifestari debet ipsius Christi *iudicia recta iustitia*; et ipsius in propria persona non est iudicare ante iudicium ultimum et finale: ideo ad particularia iudicia ante finem iudices debuit constituere[4]. Et quia iudices isti inter Deum offensum et hominem offendentem sunt quasi internuntii ut proximi Christo et praepositi populo; Domino autem illi praecipue sunt proximi et familiares ratione officii, qui sunt eius praecipue ministerio consecrati, scilicet sacerdotes: ideo *omnibus* in sacerdotali ordine constitutis et *soli* datur potestas duplicis clavis, scilicet clavis *scientiae* ad discernendum, et clavis, quae est *potestas ligandi et solvendi*, ad diiudicandum et absolutionis beneficium impendendum.

Item, ex iustitia pro thesi 3.

Quia vero propter confusionem vitandam non quilibet cuilibet est praelatus in Ecclesia militante, cum ipsa hierarchia ecclesiastica debeat esse secundum potestatem iudiciariam ordinata; ideo haec potestas *ligandi* et *solvendi* concessa est primo *uni* primo et summo sacerdoti, cui collata est tanquam summum capiti potestas universalis; et deinde secundum particulares Ecclesias dividitur in partes, ita quod primo in episcopos et deinde in presbyteros descendit a capite uno. Ideo, licet unusquisque sacerdos habeat ordinem et clavem, ad eos tamen usus clavis tantum se extendit, qui sibi ordinarie sunt subiecti, nisi sibi ab eo qui habet iurisdictionem ordinariam, committatur. Cum vero illa iurisdictio principaliter sit in capite summo et deinde in episcopo et postremo in sacerdote curato; potest quidem a quolibet horum committi alteri, sufficienter quidem ab intimo, magis a medio et maxime a supremo.

Ordo in iurisdictione.

Et quia in Pontifice summo et etiam in episcopis est huiusmodi iurisdictio non tantum ad iudicandum inter Deum et hominem in occulto, verum etiam ad iudicandum inter hominem et hominem in aperto, tanquam in illis quibus commissum est Ecclesiae regimen et custodia, sicut sponso committitur sponsa; hinc est, quod *gladium*[5] habent praelati, quo possunt percutere ad uris defensionem in *excommunicatione*, et *potestatem largiendi* de thesauris meritorum Ecclesiae, quos habent repositos et commendatos tam a capite quam a membris, et hoc in *relaxatione*; ut sic tanquam veri Dei iudices ligandi et solvendi integram possideant potestatem, per quam impoenitentes feriant et compescant rebelles, et nihilominus absolvant et reconcilient Deo et sanctae matri Ecclesiae veraciter poenitentes.

Pro thesi 1.

Cap. XI.

De integritate unctionis extremae.

De Sacramento *unctionis extremae* hoc in summa tenendum est, quod ipsa est Sacramentum exeuntium ex hac vita, praeparans et disponens ad sanitatem perfectam; valet etiam ad delenda venialia et ad recuperandam sanitatem praesentem, si infirmo expediat. — Ad huius autem Sacramenti integritatem requiritur oleum simplex, sed consecratum, vocalis expressio orationum, unctio infirmi in septem partibus determinatis, scilicet in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus et lumbis. — Nec debet istud Sacramentum dari nisi adultis et postulantibus, imminente periculo mortis, et hoc per manum et ministerium sacerdotis. — Ex quo colligitur, quod inter hoc Sacramentum et confirmationem est differentia septiformis, scilicet in *efficacia*, *materia*, *forma*, *suscipiente*, *dante*, *loco* et *tempore*[6].

Thesis 1. Thesis 2. Thesis 3. Thesis 4.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium nostrum reparativum, Verbum

Ratio. Pro thesi 1.

---

[1] Vat., 1 et 3 praeligunt *apparere et*. Inferius ante *cum peccetur* fide codd. communiter et 2 omittunt *et*.

[2] Vat., 1 et 3 *dolorem poenitentiae conceptum*; 4 insuper mox pro *expressam* et *consummatam* substituit *expressum* et *consummatum*. Superius post *delectationis* D E F addunt *complementum et*.

[3] Cfr. IV. Sent. d. 14. p. I. dub. 4, ubi sub hoc tridici respectu explicantur diversae definitiones poenitentiae. — Superius pro *medicamentum* I K L M D U V et 1 *Sacramentum*.

[4] M *iudices constituit*, qui etiam aliquanto inferius pro *diiudicandum* cum pluribus aliis codd. *iudicandum*.

[5] Cfr. tom. IV. pag. 186, nota 5. — Inferius pro *quos habent repositos* E *quos habet* [ita etiam L M] *reconditos*.

[6] De hoc cap. vide IV. Sent. d. 23. per totam.

Digitized by Google

scilicet incarnatum, nos reparat in quantum *mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*[1]; et in quantum *Iesus* habet salvare, in quantum autem *Christus*, unctus, habet unctionis gratiam in alios derivare: hinc est, quod ipsius est in Sacramentis suis *unctionem* membris suis tribuere *salutarem*. Quoniam autem anima ad hoc, quod perfecte sanetur, indiget triplici genere sanitatis, scilicet ad strenuitatem *actionis*, ad suavitatem *contemplationis* et ad felicitatem *comprehensionis;* et prima est *introitus* in aciem Ecclesiae, secunda est *praesidentium* in eadem, quorum est alios erudire, et tertia est *exeuntium* de eadem per mortem: hinc est, quod non solum unctionem *sacramentalem* instituit Dominus in *confirmatione*, veram etiam *medium* in *ordine pontificali* et *extremam*, imminente *periculo mortis*.

Ex fine dependent quatuor.

Quoniam igitur «finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem[2]»; hinc est, quod secundum exigentiam huius finis debet hoc Sacramentum *operari*, debet etiam *integrari*, *suscipi* et *dispensari*.

Primo, operatio.

— Primuo igitur, quia huius Sacramenti *operatio* debet regulari a fine; et finis est, quia introductum est ad salutem felicitatis perpetuae facilius et expeditius consequendam; et hoc fit per *devotionem* sursum levantem et per *exonerationem* a culpis venialibus et aliis sequelis, quae deorsuno deprimunt: hinc est, quod Sacramentum istud efficaciam habet et ad *devotionem excitandam* et ad *venialia dimittenda* et ad *peccatorum scoriam facilius abolendam*. Et quia pluribus infirmis expedit adhuc vivere ad suorum commodum meritorum; hinc est, quod Sacramentum istud et animam vigorando in bono et exonerando a malo frequenter etiam alleviat a morbo. Et hoc est quod dicit beatus Iacobus[3], quod *oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis fuerit, dimittentur ei*.

Secundo, materia et forma. Pro thesi 2.

Rursus, quia huius Sacramenti *institutio* debet esse secundum exigentiam finis: et hic est acquisitio spiritualis salutis per remissionem culparum: et haec salus respicit sanitatem et mundiciam conscientiae interioris, secundum quam indicat ille iudex caelestis: hinc est, quod in hoc Sacramento debet esse *oleum simplex* et *consecratum*, quia sanctitatem et nitorem designat in habitaculo conscientiae[4]. — Quia vero super illam salutem mortalis homo non habet potestatem: hinc est, quod *oratio* et *forma vocalis* exprimitur per verbum deprecativum ad impetrandum gratiae donum. — Et quoniam anima infirmitates spirituales contrahit in corpore secundum quatuor virtutes ipsius corporis regitivas, scilicet *sensitivam*, *interpretativam*, *generativam* et *progressivam*; hinc est, quod membra his virtutibus deservientia sunt inungenda. Quia igitur quinque sunt membra deservientia quinque sensibus, scilicet *oculi* visui, *aures* auditui, *nares* olfactui, *manus* tactui et *os* gustui et etiam alii virtuti, scilicet interpretativae, et *pedes* deserviunt progressui, et *lumbi* generationi — quia genitalia indignum et pudendum est contrectari et etiam nominari — hinc est, quod inunctio debet fieri in septem locis praedictis, ut sic disponatur homo per hoc Sacramentum ad plenitudinem sanitatis per deletionem omnis venialis peccati.

Tertio, susceptio. Pro thesi 3.

Postremo, quia istius Sacramenti *susceptio* a fine dependet; et finis est velocior transitus ad caelum per *depositionem omnis*[5] venialium et *conversionem* mentis ad Deum: ideo non debet dari nisi *adultis*, qui venialiter peccant; nec aliquibus nisi *petentibus*, qui devotione sursum eriguntur; nec aliquibus nisi in *periculo constitutis* et quasi in transitu ad aliud statum. — Et quia hoc Sacramentum est *periclitantium;* et tamen habet materiam sacram, scilicet oleum consecratum: hinc est, quod propter *periculum evitandum* communiter committi debet sacerdotibus, et propter *consecrationem* olei non est nisi a *consecratis manibus* contrectandum.

Quarto, dispensatio.

Pro thesi 4.

Differentiae 7.

Ex variatione igitur finis in *confirmatione* et *unctione extrema* oritur diversitas in *efficacia*, in *materia* et in *forma*, in *loco* et in *tempore*, in *suscipiente* et in *dispensante:* in *efficacia*, quia illud Sacramentum disponit ad melius[6] agonizandum, hoc ad celerius evolandum; in *materia*, quia illud in oleo permixto balsamo, hoc vero in oleo puro; in *forma*, quia illud in indicativa, hoc vero in deprecativa; in *loco*, quia illud in fronte, hoc vero in multiplici parte; in *tempore*, quia illud in sanitate, hoc autem in aegritudine; in *suscipiente*, quia illud non solum adultis, verum etiam parvulis, hoc vero tantum adultis; in *dante*, quia illud ab episcopis, hoc autem a sacerdotibus quibuscumque. Et haec omnis diversitas a fine procedit, quia, sicut claruit, diversitas in finibus proximis diversitatem introducit in his quae ad fines illos habent finaliter ordinari.

Notandum.

Cap. XII.

De integritate ordinis.

Thesis 1.

De Sacramento *ordinis* haec in summa tenenda sunt, quod «ordo est signaculum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato[7]». — Licet autem

Thesis 2.

---

[1] Epist. I. Tim. 2, 5. — Subinde respicitur Matth. 1, 21: Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum etc. Hebr. 4, 9: Propterea unxit te Deus etc.

[2] Secundum Aristot., II. Phys. text. 88. seqq. (c. 9.).

[3] Cap. 5, 15: Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.

[4] Cfr. supra pag. 273, nota 4.

[5] Ita permulti codd. et 2; aliae edd. et M *omnem*. Inferius post *in periculo* F K M O addunt *mortis*, et pro *communiter*, quod nonnulli codd. omittunt, F habet *convenienter*.

[6] H C E H I. T *citius*.

[7] Ut dicit Magister Sententiarum, IV. Sent. d. XXIV. c. 14. Ibid. in capp. praecedentibus et subsequentibus insinuantur quae hic subnectuntur. — De hoc cap. cfr. IV. Sent. d. 24.

Digitized by Google

ordo sit *unum* de septem Sacramentis, septiformis tamen est ordinis gradus. Primus est in *ostiariis*, secundus in *lectoribus*, tertius in *exorcistis*, quartus in *acolythis*, quintus in *subdiaconis*, sextus in *diaconis*, septimus in *presbyteris*. Iis autem quasi per modum cuiusdam praeparatorii supponitur *clericalis*
Thesis 3. *tonsura* et etiam *psalmistatus*; per modum autem complementi superponitur *episcopatus*, *patriarchatus*
Thesis 4. et etiam *papatus*; a quibus manant ordines et dispensari debent sub debitis signis, tam ex parte visus quam ex parte auditus, solemnitate debita nihilominus observata quantum ad *tempus*, *locum*, *officium* et *personam*.

Ratio. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium nostrum reparativum, Ver-
Pro thesi 1. bum scilicet incarnatum, quia ut Deus et homo Sacramentorum medicamenta ad salutem hominum instituit *ordinate*, *discrete* et *potestative* secundum exigentiam suae bonitatis, sapientiae et virtutis; hinc est, quod ipsa medicamenta Sacramentorum commisit hominibus dispensanda non quoliercumque, sed
Triplex exigentia et modus. eo modo, quo exigebat *ordo*, *discretio* et *potestas*. Oportuit ergo, aliquas personas ad huiusmodi officium exsequendum distingui et segregari, quibus ordinario iure potestas huiusmodi committeretur. — Et quia huiusmodi discretio non debuit fieri nisi per signa sacra, cuiusmodi sunt Sacramenta; hinc est, quod debuit esse aliquod Sacramentum, quod esset sacrum signaculum *ordinativum*, *distinctivum* et *potestativum* ad Sacramenta cetera dispensanda modo *distinctivo*, *potestativo* et *ordinativo*. Et ideo
Definitio ordinis. ordo definitur «signaculum quoddam, in quo spiritualis potestas traditur ordinato»; ita quod simul in eius notificatione claudunturtria praedicta, ex quibus colligi possunt in summa, quae ad integritatem ordinis exiguntur.

Primum igitur, quoniam ordo est signaculum
Pro thesi 2. *distinctivum* et sequestrativum ab omni populo, ut
Signaculum distinctivum. quis divino cultui sit totaliter mancipatus; ideo ordinis praecedit *distinctio* quaedam in *tonsura* et
Tonsura. *corona*, per quam intelligitur *resecatio* temporalium appetitum et mentis elevatio ad aeterna, ut totus ostendatur clericus deputatus esse ad divinum cultum; et ideo dicit in susceptione coronae: *Dominus pars hereditatis meae*[1] etc. — Et quia talis debet esse
Psalmistatus. instructus in divinis laudibus, quae maxime consistunt in Psalmis; ideo *psalmistatus* tanquam praeambulus ceteros ordines antecedit, quem tamen largo modo Isidorus inter ordines numeravit.

Secundo vero, quia ordo est signaculum *ordinativum* et in se ipso etiam ordinatum; et ordo Ordinativum.
consistit in graduum disparitate et distinctione completa, secundum quod exigit septiformis gratia, ad cuius dispensationem Sacramentum ordinis principaliter ordinatur: hinc est, quod septem sunt ordines Septem ordines.
gradatim ordinati usque ad sacerdotium, in quo *status* est ordinum; quia ipsius est consecrare Sacramentum corporis Christi, in quo est plenitudo omnium gratiarum; inde alii sex sunt tanquam subministrativi et quasi gradus quidam, per quos ascendtur ad thronum Salomonis[2]; qui et sex sunt propter numeri perfectionem, quia senarius est primus Senarius.
numerus perfectus, et propter hoc, quod sic exigit perfectio et sufficientia officii ministrandi. Nam oportet, aliquos ministrare quasi a remotiori, aliquos a propinquiori et aliquos a proximo, ut nihil desit in ministerio ordinato. Et quia quodlibet horum ministeriorum geminatur secundum actum purgandi et illuminandi[3]; hinc est, quod sex sunt ordines ministeriales et septimus omnium perfectissimus, in quo altaris conficitur Sacramentum, qui consummatur in ordine uno tanquam in termino ultimo et completo.

Postremo, quia ordo est signaculum *potestativum* non tantum respectu aliorum Sacramentorum Potestativum. Pro thesi 3.
dispensandorum, verum etiam respectu sui; et potestas super potestatem est potestas *excellens*: ideo sibi non tantum competit *potestas simplex*, cuius- Episcopatus
modi est in ordine simplici, verum etiam *eminentia potestatis*, cuiusmodi est in his quorum est ordines ordinarie dispensare[4]. Et quia excellentia, quanto magis descendit, tanto magis dilatatur et quanto magis ascendit, tanto magis unitur: hinc est, quod plures sunt episcopi, pauciores archiepiscopi, pauci- Papatus excellentia.
cissimi patriarchae et unus pater patrum, qui *Papa* merito appellatur, tanquam unus, primus et summus pater spiritualis omnium patrum, immo omnium fidelium et hierarcha praecipuus, sponsus unicus, caput indivisum, Pontifex summus, Christi vicarius, fons, origo et regula cunctorum principatuum ecclesiasticorum; a quo tanquam a summo derivatur ordinata potestas usque ad infima Ecclesiae membra, secundum quod exigit praecellens dignitas in ecclesiastica hierarchia[5].

Et quia haec dignitas praecipue manet in ordine, Pro thesi 4.
ideo hoc Sacramentum non debet dispensari nisi cum magna discretione et solemnitate, ac per hoc non *a quolibet* nec *cuilibet* nec in *quolibet loco* nec *quo-*

---

et 25. — P hic et infra *ordinando*. Inferius post *episcopatus* F bene addit *archiepiscopatus* (cfr. infra explicationem), et post *quam* plures codd. subiungunt *etiam*.

[1] Psalm. 15, 5. — Sententia Isidori inventur in VII. Etymolog. c. 12. n. 3; II. de Offic. ecclesiast. c. 12. et eius Epist. ad Ludifredum. Cfr. tom. IV. pag. 631, nota 1. — Inferius pro *praeambulus* cum pluribus codd. substituimus *praeambulus*.

[2] Libr. III. Reg. 10, 18. seqq., ubi dicitur, quod thronus, quem fecit Salomon, habebat sex gradus etc. — De perfectione numeri senarii cfr. I. Sent. d. 2. q. 4. schobon. — Plures codd. *ad gradum Salomonis*. Superius voci *principaliter* plures codd. praefigunt *specialiter et*. Inferius pro *a proximo* non pauci codd. et 2 *de proximo*.

[3] Cfr. supra pag. 225, nota 6. et pag. 195, nota 7. — H P et I addunt *et perficendi*. Inferius pro *termino* B I K O T U *fine*.

[4] Vat. cum pluribus codd., exceptis tamen I L M O P Q, *ordinare et dispensare*.

[5] Cfr. supra Quaest. de perfectione evang. q. 4. a. 3.

Digitized by Google

libet tempore; sed personis *litteratis, honestis* et a ruuntis *irregularitatibus alienis, ieiuno stomacho, loco sacro, tempore Missae* et *temporibus* ab ecclesiastico iure *sinitatis* debent huiusmodi ordines dispensari, et hoc ab *episcopis*, quibus propter sui eminentiam reservatur dispensatio ordinum, confirmatio per impositionem manuum, consecratio monialium et abbatum et dedicatio ecclesiarum [1]; quae propter sui celebritatem non debent dispensari nisi ab his qui habent praeeminentiam potestatis.

Cap. XIII.

De integritate matrimonii.

De Sacramento *matrimonii* hoc in summa te-
Thesis 1. nendum est, quod « matrimonium est coniunctio legitima maris et feminae, individuam vitae consuetudinem retinens [2] ». Haec autem commutatio non solum fuit post peccatum, verum etiam ante peccatum; sed prius fuit institutum Sacramentum coniugii in *officium*, nunc autem non solum in *officium*, verum etiam in *remedium* contra libidinis morbum; prius significabat coniunctionem Dei et animae, nunc autem praeter hoc significat coniunctionem Christi et Ecclesiae et duarum naturarum in unitate personae.
Thesis 2. — *Introducitur* autem haec coniunctio in *esse* per liberum consensum animorum ex parte utriusque personae, exterius expressum in aliquo signo sensibili, *consummari* autem habet in copula carnali. Nam per verba de futuro dicitur matrimonium *initiari*, per verba de praesenti *ratificari*, sed per car-
Thesis 3. nalem copulam habet *consummari*. — Huius autem Sacramenti tria sunt *bona*, « scilicet fides, proles
Thesis 4. et Sacramentum [3] »; et illoderim *impedimenta*, quae impediunt contrahendum et dirimunt iam contractum, quae in his versibus continentur:

> Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
> Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
> Si sis affinis, si forte coire nequibis:
> Haec secunda vetant coniugia, iuncta retractant.

Ratio. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium mostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, eo ipso quod *Verbum Dei*, est Pro thesi 1.
fons sapientiae in excelsis [4]; eo ipso quod *incarnatum*, est *clementiae* fons in terris; et ideo, eo ipso quod *Verbum increatum*, est humani generis *formativum* ex summa *sapientia;* eo ipso quod *incarnatum*, est ipsius *reformativum* ex summa *clementia*. Ideo enim humanum genus reparat per clementiam, quia prius reparabile fecit ex sapientia, quae pro suo summo ordine exigebat, quod genus humanum faceret potens *stare*, potens *labi*, potens etiam *reparari*, sicut in praecedentibus [5] ostensum fuit. Quoniam ergo Verbum Dei in sua sapientia hominem fecit, sicut et congruum fuit, potentem *stare, cadere* et *surgere;* hinc est, quod genus humanum eo modo propagandum ordinavit, quod ex ipso modo propagandi haberet quod mandaceret ipsum ad De statu et remedio.
statum; haberet etiam quod mandaceret ad *remedium*, sicut etiam in propagatione illa est aliquid per peccatum, scilicet libido, quod traducit morbum. Et quia *status* hominis erat ex coniunctione ipsius animae ad Deum per amorem motivum modo castissimo, singulari et individuo; *remedium* veniebat ex coniunctione divinae naturae et humanae in unitatem hypostasis et personae, unitatem, inquam, divina gratia introductam ut *singularem* et *individuam:* hinc est, quod Deus ab initio instituit, ut propagatio fieret per coniunctionem maris et feminae *individuam* et *singularem*, quae significaret *ante* pec- Significatio.
catum coniunctionem Dei et animae, seu Dei et sublaelestis [6] hierarchiae, *post* peccatum vero coniunctionem Dei et humanae naturae, seu Christi et Ecclesiae; et ideo utrobique est *Sacramentum*, sci- Sacramentum.
licet *ante* et *post*, licet alio et alio modo, quantum ad *significationem* et *usum*. Cum enim esset *Sacramentum*, antequam superveniret morbus; libido, quae supervenit per peccatum, potius habet per matrimonium excusari, quam ipsum valeat vitiare; quia non morbus medicamentum corrumpit, sed medicamentum habet curare morbum [7]. — Ex quo manifeste apparet, quid *sit* matrimonium, et qualiter divinitus *sit introductum* in *esse*.

Rursus, quia quaelibet praedictarum spiritua- Pro thesi 2.
linum unionum in Sacramento matrimonii significatarum est unio mens sicut *agentis* et influentis, alte-

---

[1] Vide tom. IV. pag. 643, nota 1. Cfr. tamen Benedict. XIV. *epist. prima ad Abbat. Campidon.* (in appendice tom. IV. eius Bullarii), ubi docet, administrationem confirmationis et consecrationem ecclesiarum fieri posse a simplici sacerdote, delegato tamen a solo summo Pontifice. Vide supra c. 5.

[2] Secundum Iustinian., Institut. Imper. lib. I. tit. 9. de Patria potestate. Cfr. tom. IV. pag. 681, nota 4. — Distinctio finis coniugii, scil. *in officium* et *in remedium*, est ex August., IX. de Gen. ad lit. c. 7. n. 12. — Subinde respicitur Epis. 5, 22. seqq. (ubi de coniunctione Christi et Ecclesiae).

[3] August., IX. de Gen. ad lit. c. 7. n. 12. De hoc cap. vide IV. Sent. d. 26-42. — Impedimentis post Tridentinum (praeter impedimentum *aetatis*, quod includitur secundum Bonav., IV. Sent. d. 36. Divis. textus, in impedimento *conditionis*) duo alia adiunguntur:

> Si parochi et duplicis desit praesentia testis,
> Raptave sit mulier nec parti reddita tuae.

[4] Eccli. 1, 5: Fons sapientiae verbum Dei in excelsis.

[5] Partis I. c. 1; II. c. 9. seq. et p. III. c. 1.

[6] Sive, ut supra Prolog. § 3. et p. IV. c. 3. dicitur, *ecclesiastiche* sive *humanae*, quae ibid. distinguitur *a divina* et *angelica*. — D 15 II et I *superaelestis* (I). Post pauca pro *coniunctionem Christi* substituimus ex M T *coniunctionem Dei*.

[7] Cfr. IV. Sent. d. 26. a. 2. q. 2. et d. 31. a. 2. q. 1. in corp.

Digitized by Google

rius sicut *patientis* et suscipientis; et hoc, faciente amoris vinculo, qui ex mera *voluntate* processit: hinc est, quod matrimonium delet esse coniunctio duplicis personae, differentis secundum rationem *agentis* et *patientis*, scilicet virilis sexus et muliebris, et hoc ex mero *consensu voluntatis*. — Et quia voluntas exterius non apparet nisi per signa ipsam exprimentia; hinc est, quod necesse est, ut consensus mutuus *exterius exprimatur* [1]. — Quia vero consensus ut de *futuro* non est proprie consensus, sed ipsius promissio; consensus vero ante commixtionem non facit plenariam unionem, quia nondum sunt *una caro*; hinc est, quod per verba de futuro dicitur matrimonium *esse initiatum*, de praesenti *confirmatum*, sed in carnali copula *consummatum*, quia tunc sunt *una caro* et *unum corpus* fiunt; ac per hoc plene significat unionem illam, quae est inter nos et Christum. Tunc enim plene traducitur corpus unius in corpus alterius secundum sui corporis potestatem [2] ad procreandam prolem.

Et ideo ipsius matrimonii sunt tria *bona*, scilicet *Sacramentum* propter vinculum insolubile, *fides* propter debiti solutionem, *proles* vero sicut effectus consequens ad utrumque. Pro thesi 3.

Postremo, quia dicta coniunctio matrimonialis delet esse ex libero consensu procedens ad copulationem personarum distantium in unam matrimonii legem; et hoc potest duodecim modis impediri; hinc est, quod duodecim sunt impedimenta matrimonii; quod patet sic. — Ad matrimonialem namque consensum requiritur *libertas in consensu*, *libertas in consentiente* et *idoneitas ad coniunctionem*. Sed *libertas in consensu* tollitur per duo secundum duas partes involuntarii, scilicet per *ignorantiam* et per *violentiam* [3]. Et sic sunt duo impedimenta, scilicet *error* et *violentia*. — *Libertas* autem *in consentiente* tollitur per hoc, quod quis est alligatus alteri, et hoc vel *Deo*, vel *homini*. Si *Deo*, hoc est vel per *votum expressum*, vel per aliquid, quod habet *votum annexum*. Primum est in *voto*, secundum in *ordine*. Si autem *homini*, hoc dupliciter: aut per *ligamen existens*, aut per *praecedens*. Primum est in *ligamine*, quo quis ligatus est uxori; secundum est in *crimine*, quando moechus, vel moecha machinatus est in mortem coniugis, vel, ipso vivente, fidem de contrahendo dedit. Et sic sunt quatuor impedimenta, scilicet *votum*, *ordo*, *ligamen* et *crimen*. — *Idoneitas* autem *ad unionem* est distantia personarum convenienus, quae tollitur per nimiam *proximitatem*, vel per nimiam *cognationem*. Nimia autem *proximitas* venit [4] per *generationem*, sive per aliquid *simile generationi*, ut est *cognatio legalis* et *spiritualis*; aut venit per *commixtionem sexuum*, aut per *contractionem sponsalium*. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet *cognatio*, *affinitas* et *publicae iustitiae honestas*. — Nimia autem *distantia* aut attenditur quantum ad ea quae sunt *naturae*, ut cum non possunt commisceri carnaliter; aut quantum ad ea quae sunt *fortunae*, quae non sunt in nostra potestate, ut patet, cum est unus servus, et alter liber; aut quantum ad ea quae sunt *religionis christianae*, ut cum quis est baptizatus, alter vero minime. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet *impotentia coeundi*, *error conditionis* et *disparitas religionis*. — Ac per hoc sunt in universo duodecim impedimenta, quae, Spiritu sancto dictante, introducta sunt in Ecclesia, cui, etsi omnia Sacramenta sint commissa, potissime [5] coniugii Sacramentum commissum est regulandum propter *varietates*, quae circa hoc Sacramentum incidere possunt, et propter *morbum* annexum, qui est maxime infectivus et minime tenens modum; et ideo ipsius Ecclesiae est *gradus cognationum* limitare, sicut pro tempore expedire videt, et *personas legitimas* vel *illegitimas* indicare et *divortia facere*. Sed unquam delet nec potest matrimonium, quod legitime introductum est, annullare, quia *quos Deus coniunxit* non potest *homo*, quantumcumque sit magnae potentiae, *separare* [6], cum ipsius Dei iudicio iudicandi remanent universi.

Consummatio 12 impedimentorum.

Libertas in consensu.

Libertas in consentiente

Idoneitas.

Nimia proximitas.

Nimia distantia.

Causae matrimonii spretae ab Ecclesia.

Notandum.

---

[1] Vide IV. Sent. d. 27. a. 2. q. 1. seq. — De seq. propositione, in qua respicitur Matth. 19, 6. et I. Cor. 6, 16, cfr. ibid. d. 28. q. 1. — Inferius post *de praesenti* Vat., 1 et 2 addunt *votum vel* (de isto triplici matrimonii distinctione cfr. IV. Sent. d. 27. dub. 5.).

[2] Respicitur I. Cor. 7, 4. — Inferius post *scilicet* M addit *pacis*, *proles* et *Sacramentum*, et pro *consequens* 2 cum H ponit *communis*.

[3] Cfr. supra pag. 240, nota 5.

[4] Plures codd. *aut est*, Vat., 1 et 3 *venit sicc*. Inferius ante *spiritualis* 1 omittit *et*, pro quo Vat. *aut*.

[5] E nihil *tamen*. Inferius pro *limitare* C *terminare*, et vocibus *et personas* plures codd. interserunt *inter*.

[6] Matth. 19, 6: Quod [ita etiam E K M] ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Digitized by Google

PARS SEPTIMA.

De statu finalis iudicii.

Cap. I.

De iudicio in communi.

Postquam aliqua breviter dicta sunt de Trinitate Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de incarnatione Verbi, de gratia Spiritus sancti et de medicina Sacramenti; restat nunc septimo et ultimo aliqua breviter tangere de *statu finalis iudicii*. De
Thesis 1. quo in *summa* tenendum est, quod sine dubio iudicium universorum futurum est, in quo Deus Pater per Dominum nostrum Iesum Christum iudicabit vivos et mortuos, bonos et malos, reddendo unicuique
Thesis 2. secundum exigentiam meritorum [1]. — In hoc autem iudicio fiet *apertio librorum*, scilicet conscientiarum, quibus merita et demerita universorum sibi ipsis et ceteris innotescent, faciente hoc virtute illius *libri*
Thesis 3. *vitae*, Verbi scilicet incarnati; qui in forma *Divinitatis* non videbitur nisi a bonis, in forma vero *humanitatis*, in qua et sententiam promulgabit, videbitur tam a bonis quam a malis, licet terribilis in eadem forma appareat reprobis et blandus iustis [2].

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec
Ratio. est: quia, cum primum principium, hoc ipso quod primum, sit a se ipso, secundum se ipsum et propter
Principia generalia. se ipsum, hoc ipso ipsum est *efficiens*, *forma* et *finis*, universa *producens*, *regens* et *perficiens*; ita quod, sicut *producit* secundum *altitudinem suae virtutis*, sic etiam *regit* secundum *rectitudinem veritatis* et *consummat* secundum *plenitudinem bonitatis*. Quoniam ergo *altitudo summae virtutis* requirebat, ut non tantum esset productio creaturae ad *vestigium*, verum etiam ad *imaginem*; non solum creaturae *irrationalis*, verum etiam *rationalis*; non solum creaturae, quae movetur secundum *impetum naturalem*, verum etiam secundum *libertatem voluntatis*; et creatura, quae est ad *imaginem*, quia Dei capax [3], est *beatificabilis*, creatura *rationalis* est *disciplinabilis*, creatura *habens libertatem* voluntatis est secundum legem institiae *ordinabilis* et
Necessitas legis. *deordinabilis*: hinc est, quod *rectitudo veritatis* legem homini imponere debuit, in qua ad beatitudinem *invitaret* et ad veritatem *ecuiliret* et ad institiam *obligaret*; ita tamen, quod libertatem voluntatis Salva libertate.
non cogeret, quin pro suae libitu voluntatis institiam relinquere posset et sequi, cum « sic res, quas condidit, administrat, ut eas agere proprios motus sinat [4] ». Et quia *plenitudo bonitatis* in consummando operatur, secundum quod exigit *altitudo virtutis* et *rectitudo veritatis*; hinc est, quod consummatio beatitudinis non datur a bonitate summa nisi his qui servaverunt *institiam* a rectitudine veritatis impositam, qui susceperunt *disciplinam* et amaverunt illam summam et perpetuam *felicitatem* plus quam bona transitoria. — Et quoniam quidam hoc agunt, quidam Pro thesi 1.
autem oppositum, pro suarum varietate voluntatum, quae interius occultantur et in statu viae secundum suum arbitrium currunt; hinc est, quod ad manifestationem *altitudinis virtutis rectitudinis veritatis* et *plenitudinis bonitatis*, necesse est, universale
iudicium sequi; in quo fiant instae *retributiones* praemiorum, apertae *declarationes* meritorum et irrevocabiles *lationes* sententiarum, ut in iustis *retributionibus* stipendiorum summae bonitatis appareat plenitudo, in apertis *declarationibus* meritorum veritatis appareat rectitudo, et in irrevocabilibus *lationibus* sententiarum summae virtutis et potestatis appareat altitudo. — Primum igitur, quoniam insta *retributio* Argumentum et poena.
respicit culpam, cui debetur poena, vel institiam, cui debetur gloria; et universi filii Adae habent hanc, vel illam: hinc est, quod necesse est, iudicio retributionis *omnes* iudicari, ut iusti glorificentur, et impii condemnentur [5].

Rursus, quia aperta *declaratio* meritorum re- Item ex secundo pro thesi 2.
quirit, quod simul appareat, quid agendum est, et quid actum est vel omissum a libertate voluntatis humanae secundum varietatem circumstantiarum; hinc est, quod et *libri conscientiarum* aperientur, Libri duo.
ut appareant merita, et *liber vitae*, ut appareat ipsa institia, secundum quam approbanda, vel reprobanda sunt merita illa. Et quoniam ille *liber vitae* est liber, in quo scripta sunt omnia, simul et lucidissime,

---

[1] Cfr. Matth. 16, 27; 25, 31; Apoc. 22, 12; ibid. 20, 15. *de libro vitae*.

[2] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 21. n. 3: Omnipotens Deus et terribilis peccatoribus et blandus est iustis. Cfr. tom. IV. pag. 987, nota 6. — De hoc cap. cfr. IV. Sent. d. 43. a. 2. et 3, ubi de libro vitae et conscientiae; d. 48, ubi de forma iudicii.

[3] Et insinuat August., XIV. de Trin. c. 8. n. 11. Cfr. supra p. II. c. 9 et 12. — Superius pro *suae virtutis* edd. *summae virtutis*. Interius post *disciplinabilis* D F addunt *creatura irrationalis indisciplinabilis*, et post *in qua* P supplet *hominem*, plures alii codd. *et*.

[4] Secundum August. supra pag. 218, nota 5, allegatum. — Superius pro *suae libitu voluntatis*, quod habent B C H. O, edd. *suo libito voluntatis*, P *suo velle*.

[5] Cfr. II. Cor. 5, 10. — Pro *iusti* Vat., I et 3 *boni*.

Digitized by Google

et in *conscientiis* scribuntur veraciter; ideo ex concursu apertionis horum librorum fiet aperta declaratio omnium meritorum, ita quod occulta cordis cuiuslibet et sibi et ceteris innotescant. Unde, ut vult Augustinus [1], liber ille est « vis, qua fiet, ut ad memoriam cuiuslibet cuncta mirabiliter revocentur », ut lucide appareat aequitas divinorum iudiciorum in apertissimo lumine veritatis.

Item, ex tertio pro thesi 3. Postremo, quia irrevocabilis *latio* sententiarum debet fieri ab eo qui possit audiri et videri, et a quo non possit appellari; et videri ab universis non potest summa lux, quam tenebrosi oculi videre non possunt, pro eo quod *facie ad faciem* [2] videri non potest sine deiformitate mentis et incunditate cordis: necesse est, quod iudex appareat in effigie creaturae. Quia vero pura creatura auctoritatem non habet summam, a qua appellari non possit; hinc est, quod necesse est, quod iudex noster et *Deus* sit, ut audiret per auctoritatem summam; et *homo* sit, ut videatur et disceptet cum peccatoribus in effigie humana. Et quia una vox disceptationis terret culpabiles et assecurat innocentes; hinc est, quod una eius effigies iustos laetificabit et e contrario impios deterrebit.

Cap. II.

De antecedentibus ad iudicium, cuiusmodi est poena purgatorii.

Deinde in *speciali* circa statum finalis iudicii consideranda sunt quaedam sicut *praeambula*, quaedam sicut *concomitantia*, quaedam sicut *consequentia*. *Praeambula* autem sunt duo, scilicet *poena purgatoria* et *suffragia ecclesiastica* [3].

Thesis 1. Primo igitur de *poenis purgatoriis* hoc tenendum est, quod ignis purgatorius est ignis corporalis, quo tamen spiritus iustorum, qui in hac vita non impleverunt poenitentiam et satisfactionem condignam, affliguntur secundum plus et minus, secundum quod plus vel minus de cremabili secum ex hac vita tra-
Thesis 2. xerunt. — Affliguntur autem minus graviter quam in inferno, et gravius quam in hoc mundo; non tamen ita graviter, quin semper sperent et sciant, se in inferno non esse, licet forte pro poenarum magnitudine
Thesis 3. hoc aliquoties non advertant. — Hac autem afflictione ab igne corporali inflicta purgantur spiritus a reatibus et scoriis et etiam reliquiis peccatorum; quibus sufficienter expurgatis, immediate evolant et introducuntur in gloriam paradisi [4].

Ratio. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum primum principium, eo ipso quod Pro thesi 1. primum, sit optimum et perfectissimum, et eo ipso quod optimum, sit summe amativum boni et summe detestativum mali; sicut summa bonitas non patitur, quod *bonum* remaneat irremuneratum, sic etiam pati non debet, quod *malum* remaneat impunitum [5]. Quoniam igitur viri iusti aliquando decedunt, qui poenitentiam in hac vita non totaliter impleverunt; cum meritum vitae aeternae in eis non possit remanere irremuneratum, et vitium culpae non possit remanere impunitum, ne perturbetur pulcritudo ordinis universi: necesse est, quod ipsi finaliter praemientur; necesse est etiam, quod iidem temporaliter puniantur secundum suarum culparum exigentiam et reatum. — Et quia culpa commissa et *offensiva* fuit maiestatis divinae et *damnificativa* Ecclesiae et *deformativa* imaginis divinae, menti nostrae impressae, maxime si fuit culpa mortalis, et venialis etiam disponit ad hoc; et de *offensa* requiritur punitio, de *damno* vero agenda est satisfactio, et de *deformatione* requirenda est expurgatio: hinc est, quod necesse est, Poenae proprietates 3. quod poena illa sit iuste *punitiva*, digne *satisfactoria* et sufficienter *expurgativa*.

Culpa facit ira.

Primum igitur, quoniam poena illa debet esse Arguitur ex prima. iuste *punitiva*; et spiritus, qui, contempto bono aeterno et summo, se subiecit infimo, iuste debet Punientur igne. inferioribus subiici, ut ab eis suscipiat poenam, ex quorum occasione perpetravit culpam, et ratione quorum et Deum contempsit et se ipsum vilem fecit: hinc est, quod ordo divinae institiae exigit, ut spiritus ab *igne materiali* habeat puniri; ut, sicut secundum ordinem naturae anima unitur *corpori*, ut influat vitam, sic uniatur *igni materiali* secundum ordinem institiae ut punibile punienti, a quo suscipiat poenam [6]. — Et quia viri iusti, qui sunt in gratia, non sunt digni nisi poena transitoria; et tanto Temporaliter et sine fine. maiori digni sunt poena, quanto maiora commiserunt peccata et minorem egerunt poenitentiam: hinc est, quod ab igne materiali puniuntur *temporaliter*, quidam tamen diutius, quidam vero brevius, quidam acerbius, quidam levius, secundum quod reatus exigit offensarum. « Necesse enim est, ut dicit egregius doctor Augustinus [7], quod tantum urat dolor, quantum haeserat amor ». Tanto enim difficilius quis pur-

---

[1] Libr. XX. de Civ. Dei, c. 13. Pro *cuncta* C *opera* (textus originalis *opera sua, vel bona vel mala cuncta*).

[2] Epist. I. Cor. 13, 12. — De seqq. cfr. Ioan. 5, 22. seqq. — Inferius pro *non habet summam* K *non habet ferendi sententiam*.

[3] De quibus in hoc et seq. cap. De *concomitantibus* c. 4. 5, de *consequentibus* c. 6. 7. — Mox pro *poenis purgatoriis* edd. *poena purgatorii*. Subinde ex I K M O P Q V et 2 substituimus *tamen* pro *tantum*.

[4] De hoc cap. vide IV. Sent. d. 20. p. I. per totum. — Pro *quibus sufficenter purgatis* P *a quibus sufficienter purgati*, et pro *reliquias* S *sordibus*; post *corporali* I addit *eis*.

[5] Cfr. tom. IV. pag. 356, nota 6. et supra pag. 221, nota 8. — Inferius pro *cari iusti* I K L O U *multi*.

[6] Vide IV. Sent. d. 44. p. II. a. 3. q. 2. — Vat., 1 et 3 post *ut influat eidem* addunt *ipsi corpori*. Aliquanto superius pro *inferioribus*, quod exhibent B I K L M O P V, alii codd. et edd. *inferiori*; verbo *contempsit* S praeligit *offendit sive*.

[7] Libr. XXI. de Civ. Dei, c. 26. n. 4. — Paulo ante pro *levius* B Q et 2 *lenius*.

Digitized by Google

gitur, quanto medullis cordis eius intimus amor inhaeserat mundanorum.

Amplius, quoniam poena illa debet esse *satisfactoria;* et satisfactio respicit libertatem voluntatis et statum viae; potissime cum ibi iam non sit status merendi, et poenae illae minime tenent rationem voluntarii: necesse est, quod illud quod deficit ex parte *libertatis* in voluntate sustinente, suppleatur in *acerbitate* ex parte poenae. — Quia vero gratiam habent qui purgantur, quam quidem ultra perdere non possunt; hinc est, quod nec a tristitia penitus absorberi nec in desperationem incidere nec in blasphemiam possunt nec volunt aliquatenus prosilire; ac per hoc, licet graviter punantur, longe tamen aliter et mitius quam in inferno; et statum etiam illum indubitanter sciunt alium esse quam istum, in quo sunt illi [1] qui in inferno irremediabiliter cruciantur. Ibm. ex secunda pro thesi 2.

Postremo, quia poena illa debet esse *expurgatoria;* et purgatio illa est spiritualis: necesse est, vel quod ignis ille spiritualem habeat virtutem divinitus sibi datam, vel, ut magis credo [2], ipsa virtus gratiae interius habitantis, adiuta a poena extrinseca, ipsam animam iam pro offensis punitam et a reatuum onere alleviatam purget *purgatione sufficienti*, ut iam nulla remaneat dissimilitudo ad gloriam. — Et quoniam tales spiritus dispositi sunt in summo ad deformitatem gloriae suscipiendam in se; cuoi iamia sit aperta et purgatio consummata, necesse est, illos spiritus evolare, in quibus est caritatis ignis sursum levans, et nihil retardans ex parte imperfectionis animae vel reatus. Nec enim decet divinam misericordiam seu iustitiam, ut amplius differat gloriam, cum inveniat [3] receptaculum idoneum, et magna sit poena in dilatione praemiorum, nec amplius puniri debeat spiritus iam purgatus. Item, ex tertia pro thesi 2. Propter sententia.

Cap. III.

De antecedentibus ad iudicium, cuiusmodi sunt suffragia ecclesiastica.

De *suffragiis* autem *ecclesiasticis* hoc tenendum est, quod suffragia Ecclesiae prosunt mortuis, suffragia, dico, quae Ecclesia pro mortuis facit, sicut sunt sacrificia, ieiunia, eleemosynae et aliae orationes et poenae voluntarie assumtae pro eorum culpis celerius et facilius expiandis. — Prosunt autem mortuis, non quibuscumque, sed «mediocriter bonis», utpote illis qui sunt in purgatorio; «non valde malis», scilicet illis qui sunt in inferno; «nec valde bonis [4]», scilicet his qui sunt in caelo, quin potius e converso eorum merita et orationes suffragantur Ecclesiae militanti, cuius membris multa beneficia impetrant Beati. — Prosunt autem secundum magis et minus vel pro diversitate meritorum in mortuis, vel pro caritate vivorum, quae magis sollicitatur pro aliquibus quam pro aliis; et hoc vel ad poenarum mitigationem, vel celeriorem liberationem, secundum quod superiae providentiae dispensatio melius eis viderit expedire. Thesis 1. Thesis 2.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quoniam primum principium, cum sit optimum, ac per hoc summae *severitatis* contra malum, debet pariter summae *suavitatis* esse ad bonum; et ideo, cum ratione *severitatis* instituit iusti, in quibus est reatus culpae, debeant post hanc vitam in purgatorio tormentari [5], debent etiam ratione *suavitatis* misericordiae relevari et habere auxilium et lumineu, maxime quia in miseria sunt constituti et suis operibus et meritis non possunt amplius se iuvare. Disponere igitur debuit regimen divinae providentiae, suffragia eis conferri ab his qui possunt, salva tamen *rectitudine iustitiae*, a quo nec debet nec potest *dulcedo divinae misericordiae* dissentire nec aliquatenus separari. Quoniam igitur *rectitudo iustitiae* exigit *conservationem honoris divini, reginiinis universi* et *qualitatis meriti humani;* ideo superni et primi principii providentia summa disposuit, haec suffragia valere defunctis secundum *dulcedinem misericordiae* et *rectitudinem iustitiae*, servantis honoris divini dignitatem, universi regimen et humani meriti qualitatem. Ratio. Pro thesi 1. Rectitudo iustitiae exigit ut detur suffragium secunda.

Primo igitur, quoniam in huiusmodi suffragiis servari debet *iustitia*, quae *divini* praecipue est *conservatica honoris;* et honor divinus nihilominus exigit opera satisfactoria et poenalia sibi persolvi pro culpis: hinc est, quod per illa opera habent suffragia fieri, per quae potissime *fit satisfactio*, et *honor recompensatur* Deo. Quoniam igitur huiusmodi sunt tres partes *satisfactionis: ieiunium, oratio* et *eleemosyna*, et altaris *sacrificium*, in quo maxime redditur *honor debitus Deo* propter placentiam illius qui in sacrificio illo offertur: hinc est, quod suffragia Ecclesiae consistunt in huiusmodi operibus satisfactoriis et maxime in Missis celebrandis; secundum quod Gregorius in quarto Dialogorum [6] insinuat, aliquos propter Missarum beneficia de poenis magnis celerrime liberatos. Ac per hoc pompa exsequiarum et accuratio funeris et huiusmodi non debent inter suffragia Ecclesiae computari. Propter quod et sanctus Es primo arguitur. Satisfactionis partes 3.

---

[1] I L O *aliam, quam ad eorum.* Superius pro *mitius* B G K *mous.* Inferius pro *est spiritualis* L M et 2 *debet esse spiritualis*, et pro *adiuta a* I K L M N O U V *adiuncta ei.*

[2] Cfr. IV. Sent. d. 21. p. I. a. 2. q. 1. et a. 1. q. 2.

[3] Ed. 1 *differant.., inveniat.* Pro *seu* P Q et 2 *vel.*

[4] De hac triplici distinctione cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XLV. c. 2, ubi allegat August., Enchirid. c. 109, n. 29. Ibid. in Comment. a. 2. agitur de suffragiis Ecclesiae pro defunctis, et a. 3, de suffragiis Sanctorum pro vivis.

[5] Ed. 1 addit *et expiare.* Mox pro *mumiuen* I K L O *iuvamen.* Inferius vocibus *dulcedo misericordiae* cum M S interseruimus *divinae;* pro *superni* I K O *supremi.*

[6] Cap. 55. De praecedente cfr. IV. Sent. d. 15. p. II. — Superius voci *debitus* ex G H I K L M V ad iunximus *Deo.*

Digitized by Google

Augustinus dicit in libro de Cura pro mortuis agenda [1], quod « curatio funeris, conditio sepulturae et pompa exsequiarum magis sunt solatia vivorum quam subsidia mortuorum ».

Amplius, quoniam debet ibi servari iustitia *conservativa ordinis et regiminis universi*; et haec exigit, ut in communicatione influentiarum salvetur ordo et symbolum [2] inter ea, a quibus et in quae influentiae illae manant; ac per hoc inferius non debeat influere in id quod est supra, neque in id quod est per omnimodam distantiam elongatum: hinc est, quod suffragia Ecclesiae non possunt valere his qui sunt in *inferno*, quia sunt a corpore Christi mystico penitus separati; unde nulla spiritualis influentia ad eos pervenit nec eis prodest, sicut nec influentia capitis prodest membris a corpore amputatis. — Hinc est etiam, quod non prosunt *Beatis*, quia sunt omnino superiores secundum statum, et iam in termino existentes non possunt ad altiora conscendere; sed magis e converso ipsi prosunt nobis et eorum orationes — nam et hoc meruerunt in carne — ideo disposuit ordo divinus, ut etiam ipsis Sanctis Dei orationes offerantur, ut et ipsi suffragentur nobis [3] ad divina beneficia impetranda. Non prosunt ergo eis ecclesiastica suffragia, sed magis nobis prosunt sua. — Restat igitur, quod prosunt solis *iustis*, qui sunt in *poenis purgatoriis*. Nam ipsi ratione *poenae* et *impotentiae* se iuvandi sunt vivis inferiores, ratione vero *iustitiae* ceteris membris Ecclesiae sunt connumeri; ita ut merito eis Ecclesiae sanctae merita possint propter symbolum et ordinem suffragari.

Item, ex secundo pro thesi 4.

Non prosunt damnatis.

Nec Beatis.

Intercessio Sanctorum.

sed purgandis.

Postremo, quoniam debet in his servari iustitia, quae pensat *exigentiam meritorum*; hinc est, quod suffragia illa, quae *communiter* fiunt pro defunctis, licet omnibus bonis valeant pro modulo suo, his tamen amplius valent, qui magis *meruerunt*, ut sibi prodessent et valerent, dum erant in statu viae [4]. Illa vero, quae *specialiter* fiunt pro aliquibus; quia intentio facientis est recta et secundum Deum procedit, et ecclesiastica institutio absque dubio non est cassa: ideo plus valent illis, pro quibus determinate fiunt, licet etiam aliis aliquo modo communicentur. Nec tamen possunt ita *aliis* subvenire, sicut illi principali personae, pro eo quod, licet sint spiritualia [5], tamen divina institia pro maiori culpa maiorem exigit emendam et pro pluribus culpis plures emendas. Unde exemplum de lumine, quod aequaliter illuminat ad unam mensam sedentes, non placet, quia huiusmodi suffragia potius assimilari habent pretiis redemptivis quam huiusmodi influentiis diffusivis. — Quantum autem cuilibet determinate valeant, ille certitudinaliter definire habet, cuius est in reatibus et poenis et suffragiis pondus attendere et numerum et mensuram [6].

Item, ex tertio pro thesi 4.

Suffragia communiter.

Specialia.

Secundum.

Cap. IV.

De concomitantibus iudicium, sicut est conflagratio ignium.

Deinde aliquid adiciendum est de *concomitantibus* iudicium, quae sunt duo, scilicet *conflagratio ignium* mundanorum et *resurrectio corporum* [7].

De *conflagratione* igitur hoc tenendum est, quod ignis praecedet faciem iudicis, quo terrae facies exuretur, ita quod *figura huius mundi* [8] mundanorum igniun conflagratione peribit, sicut factum est aquarum inundatione diluvium. — Dicitur autem *transire figura huius mundi* non quantum ad destructionem totalem huius mundi sensibilis, sed qua per actionem illius ignis omnia elementaria inflammantis *consumentur vegetabilia* et *animalia*, *purgabuntur* et *innovabuntur elementa*, maxime aer et terra, *purgabuntur iusti* et *adurentur reprobi*; quibus factis, cessabit etiam motus caeli, ut sic, completo numero electorum, fiat quodam modo *innovatio et praeventio* corporum mundanorum [9].

Tertia.

Thesis 2.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium rerum universale, cum sit sapientissimum; etsi in omnibus, quae agit, attendat ordinem sapientiae, potissime autem in his debet attendere, quae spectant ad consummationem; ut sic non discordet primum a medio, nec medium a postremo, sed in cunctis congruentissime ordinatis appareat illius primi principii sapientia ordinans et bonitas et altitudo. Quoniam ergo Deus secundum sapientiam suam ordinatissimam cunctum mundum istum sensibilem et maiorem fecit propter mundum minorem, videlicet hominem [10], qui inter Deum et res istas inferiores in medio collocatus est; hinc est, quod

Ratio.

Principia generalia.

---

[1] Cap. 2. n. 4. — Superius pro *curatio* F P *curatio*.

[2] Scilicet commercium sive convenientia. Eadem sensu ait Aristot., II. de Generat. et corrupt. c. 11, 27. (c. 4.): In habendis [elementis] symbolum facilis est transitus [transmutatio]. — Mox ex I K L M substituimus *a quibus* pro *in quibus*. Subinde post *ac per hoc* B addit *cum*, et aliquanto inferius post *spiritualia influentia* edd., excepta 2, addunt *capitis*.

[3] Pro *nobis* I K O Q V *meum idoneis*.

[4] Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XLV. c. 2, verbo August., Enchirid. c. 109. n. 29, allata. — Superius voci *exigentiam* I praemittit *secundum*.

[5] Vide supra Quaest. de perfect. evang. q. 4. a. 3. ad 9. — Post *personae* K L O addunt *pro qua fuerunt* (L. *fuerit*).

[6] Sap. 11, 21: Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.

[7] De his duobus agitur in hoc et seq. cap. — Superius posuimus *adiciendum* secundum multos codd., inter quos M P R, pro *dicendum*, F *addendum*.

[8] Epist. I. Cor. 7, 31: Praeterit enim figura etc. — De diluvio cfr. Gen. 7, 1. sequ. Vide etiam II. Petr. 2, 5. et 3, 6. sequ. Inferius pro *diluvium* E K M et 2 *diluvii*, aliae edd. *tempore diluvii*.

[9] De hoc cap. vide IV. Sent. d. 47. a. 2. et d. 48. a. 2. — I K L O V *praemetio caelestium et mundanorum*.

[10] Cfr. supra Prolog. § 2. et p. II. c. 4. in fine.

Digitized by Google

ut omnia sibi invicem congruant, et habitatio cum habitatore habeat harmoniam, homine *bene instituto*, debuit mundus iste in bono et quieto statu institui; homine *labente*, debuit etiam mundus iste deterio-
Pro thesi 1. rari; homine *perturbato*, debuit perturbari; homine *expurgato*, debuit expurgari; homine *innovato*, debuit innovari; et homine *consummato*, debuit quietari [1].

Mundus iste debet *innovari*.

Primo ergo, quoniam mundus iste *perturbari* debet, homine *perturbato*, sicut stetit cum stante
Homine perturbato, mundus commotus est. et quodam modo cecidit cum labente; et in futuro iudicio propter severitatem iudicis ostendendam necesse est omnium corda terreri, et peccatorum maxime, qui universorum Dominum contempserunt, ut sic omnis creatura divinum accipiat zelum [2] et conformetur auctori, conformetur etiam habitatori: necesse est, totius orbis cardines horribilissime *commoveri*. Et quia nihil intensius et vehemens et horribilius in agendo commovet alia elementa quam ignis hinc inde ex omni parte concurrens; hinc est, quod necesse est, quod ipsius iudicis faciem ignis praeveniat, non ex una parte tantum, sed ex omni parte mundi,
Triplex ignis. ut sit ibi concursus ignis *elementaris* et *terrestris*, ignis *purgatorii* et etiam *infernalis*, ut per *infernalem* reprobi adurantur, per *purgatorium* iusti purgentur, per *terrestrem* haec terrae nascentia consumantur, per *elementarem* elementa subtilientur et ad innovationis faciem disponantur, et simul cum hoc cetera conturbentur, ut non solum homines et daemones, verum etiam Angeli valentes terreantur.

Rursus, quoniam mundus iste *purgari* debet
Homine expurgato, expurgatur. cum homine *expurgando* [3]; et homo in statu finalis temporis indiget purgari a scoria *avaritiae* et *malitiae*, sicut in primo tempore a faece *luxuriae*; indiget etiam purgari et *velociter* et *intime* et *perfecte*: hinc est, quod sicut mundus prius deletus est et quodam modo purgatus per elementum *aquae*, quod est frigidum, contra ardorem et faecem luxuriae; sic finalis mundus per *ignem* propter refrigerium caritatis [4] et frigus malitiae et avaritiae, quae regnabunt in fine quasi in ipsius mundi senectute. Quae quia maximae sunt adhaerentiae, necesse est, quod purgans sit actionis *intimae*, *violentae* et *accelerataе*; quod non contingit reperiri in elemento alio quam in igne. Et ideo sicut factum est aquarum inundatione diluvium, sic per actionem ignis huius mundi sensibilis facies exuretur [5].

Amplius, quoniam mundus iste *innovari* debet
Pro thesi 2. cum homine *innovato* [6]; nec innovari potest aliquid
Mundus innovatur. in novam formam, nisi perdat vetustam et quodam modo disponatur dispositione nova superinducta: hinc est, quod cum ignis maxime habeat virtutem *expulsivam* formae extraneae, habeat etiam vim *subtiliativam* et caelesti naturae regnatam: idem per ipsum debet fieri *purgatio* simul et *innovatio*, ita quod, cum geminam habeat efficaciam, quantum ad *aliquam* indicis adventum praecedit, quantum autem ad *reliquam* habet sequi. Et cum innovatio sit ad novitatem, quae amplius non redit ad vetustatem; ac per hoc ad novitatem incorruptibilem, quam dare non est in potentia alicuius creaturae: hinc est, quod licet in illa purgatione et innovatione ignis aliquid agat per *naturalem* virtutem, ut inflammare, purgare, rarefacere et subtiliare, tamen necesse est, quod cum illa virtute naturali sit virtus operans *supra naturam*, cuius imperio fiet conflagrationis initium, et cuius etiam virtute fiet nihilominus complementum.
Ignis partim prius fit iudex, partim sequitur.
Virtus supernaturalis ignis.

Postremo, quoniam mundus iste debet *consummari*, homine *consummato*; et tunc est homo con-
Item, consummatur. summatus, quando in gloria completus erit numerus electorum, ad quem quidem statum omnia tendunt sicut ad finem ultimum et completum: necesse est, facta [7] completione illius numeri, terminari et
Fortasse motus caelorum, transmutationes elementorum ac generationes. quietari *motus naturae caelestis*; necesse est etiam, terminari *transmutationes elementares*; necesse est etiam per consequens, terminari *generationem*, quae est in *animalibus* et in *plantis*. Cum enim omnia ista ordinentur ad formam nobilissimam, quae quidem est anima rationalis; posito statu in animalibus [8], necesse est, statum et complementum poni in ceteris praecedentibus. — Et idem corpora *caelestia*, habita
Corollarium. quiete et humoris plenitudine, dicuntur *renovari*. *Elementa* vero, quae amplius non habent vim multiplicandi per transmutationem mutuam, dicuntur *interire*, non quantum ad substantiam, sed quantum ad actionem et passionem mutuam, et hoc maxime quantum ad qualitates activas. *Vegetabilia* vero et *sensibilia*, quia non habent potestatem ad vitam perpetuam et duationem sempiternam, qualis competit

---

[1] Vide Glossam in Isai. 30, 26. tom. IV, pag. 989, tota 7. — Plures codd., inter quos F I K L O U V, et 2 *consummari*.

[2] Respicitur Sap. 5, 18: Accipiet armaturam zelus illius et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Subinde respicitur Matth. 24, 29: Virtutes caelorum commovebuntur. — Inferius pro *commoveri* I K L O V *et commoverendo*.

[3] Vat., 1 et 3 *expurgato*. Subinde pro *faece* H M *foetore*; similiter inferius pro *faecem* M substituit *foetorem*, quod etiam edd., excepta 2, exhibent. Pro *sicut mundus prius* A D I K L O et 2 *sicut primus mundus*.

[4] Matth. 24, 12: Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum. — Serm. 48, ad Fratres in eremo (inter opera Augustini): Omnia in homine senescunt vita, sola avaritia in-
Vetescit. — Pro *refrigerium* H *refrigidationem*. I L V *refrigerationem*, K *frigidatem et refrigerationem*.

[5] Epist. II. Petr. 3, 10: Caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur.

[6] A C T *innovando*. Inferius pro *subtiliativam* plures codd. *subtilissimam*, P *subtiliando*.

[7] Pro *facta* I *terminata*, quae etiam subinde *conquietare* pro *quietari*. Pro *completum* F P I *completentatum*.

[8] Ita recte A B C H L O T V, edd. *animalibus*. Mox pro *statum* I K L O I *terminum*, qui etiam inferius verbo *multiplicando* praeeligunt *se*. Pro *quae amplius* B I K L T *quia amplius*.

Digitized by Google

statui illius nobilitatis; necesse est in propria natura consumi, ita tamen, quod salvantur in *principiis* et quodam modo in *simili*, videlicet in homine, qui similitudinem habet cum omni genere creaturae[1]; et ideo in ipsius innovatione et glorificatione possunt dici omnia *innovari* et quodam modo *praemiari*.

Cap. V.

De concomitantibus iudicium, sicut est resurrectio corporum.

De resurrectione autem corporum hoc tenendum
Thesis 1. est, quod omnium corpora hominum in generali resurrectione resurgent, nulla in eis existente distantia quantum ad ordinem temporis, sed magna quan-
Thesis 2. tum ad ordinem dignitatis. — Nam mali surgent cum suis deformitatibus et poenalitatibus, miseriis et defectibus, quos habuerunt in statu viae. In bonis autem « natura servabitur, et vitia detrahentur[2] », et omnes resurgent integro corpore et plena aetate et debita mensura membrorum; ut sic omnes Sancti occurrant *in virum perfectum, in mensuram*
Thesis 3. *aetatis plenitudinis Christi*. — Surgent autem tam in bonis quam in malis corpora eadem numero, quae prius et ex eisdem partibus constituta, salva totius veritate naturae non solum quantum ad membra principalia et humiditatem radicalem, verum etiam salvis capillis[3] et ceteris membris, quae faciunt ad decentiam corporis; ita quod « in quascumque auras vel sinus naturae pulvis humani corporis redat, ad eam animam redibit, quae ipsum primitus, ut viveret et crescere, animavit ».

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec
Ratio. est: quia primum principium, eo ipso quod primum
Principia. et summum, est *universalissimum* et *sufficientissimum*, ac per hoc principium est naturarum, gratiarum et praemiorum, principium etiam *potentissimum*, *clementissimum* et *iustissimum*; et licet secundum quandam *appropriationem*[4] sit *potentissimum* in constitutione naturarum et *clementissimum* in collatione gratiarum et *iustissimum* in retributione stipendiorum; tamen singula sunt in singulis, quia summa potentia, clementia et iustitia nullatenus possunt ab invicem separari. Et ideo in opere retributionis necesse est quod ipsa fiat, secundum quod exigit *rectitudo iustitiae* et *reformatio gratiae* et *completio naturae*. Quoniam ergo *iustitia* necessario Rationes 3 pro thesi 1.
requirit, ut homo, qui meruit vel demeruit non in anima solum nec in corpore solum, sed in anima simul et corpore, puniatur vel praemietur in utroque; *reformatio* etiam *gratiae* requirit, ut totum corpus assimiletur Christo capiti, cuius corpus mortuum necessarium fuit resurgere, cum unitum esset inseparabiliter Divinitati; *completio* vero *naturae* requirit, ut homo constet simul ex corpore et anima tanquam ex materia et forma, quae mutuum habent appetitum et inclinationem mutuam[5]: necesse est, resurrectionem esse futuram, exigente hoc *constitutione naturae*, *infusione gratiae* et *retributione iustitiae*, secundum quas tota universitas habet regi. Et ideo ex his tribus omnia clamant hominem resuscitandum, ut omnis tollatur excusatio illis qui contra hanc veritatem fidei obsurdescunt, et merito contra tales universus *pugnet orbis terrarum*[6].

Primo igitur, quoniam resurrectio debet esse Arguitur ex 1. ratione.
secundum exigentiam ordinis *divinae iustitiae*; et divina iustitia reddit unicuique quod suum est pro Resurgent omnes.
loco et tempore; et omnis anima corpori semel[7] et ad punctum temporis unita vel habet in eo *culpam*, vel *gratiam*: necesse est, quod omnes resurgant. — Et quia distinctus debet esse status retributionis a Simul.
statu viae, et resurrectio spectat ad statum retributionis; ut non confundatur ordo universi, et ut fides habeat meritum, quae credit quod non videt, et ut certius et clarius appareat aequitas divinae iustitiae, et ut simul fiat consummatio et retributio finalis in Angelis et hominibus: requirit hoc divina iustitia, ut omnes resurgant *simul*, quantum est de lege communi. Quod dico propter Christum et eius beatissimam matrem, gloriosam Virginem Mariam. — Quia Pro thesi 2.
vero malis debetur poena et miseria et bonis gloria; ideo, etsi simul resurgant in tempore, valde tamen *dissimiles* erunt in conditione. Nam quia malis resurrectio non est ad vitam, sed ad supplicium[8]; necesse est, quod ipsi cum infirmitatibus, deformitatibus et defectibus suscitentur.

Rursus, quia resurrectio debet esse secundum Ibem, ex 2. rationes.
exigentiam *consummationis gratiae*; et perfecta gratia fecit nos conformes Christo, capiti nostro, in quo nullus fuit defectus membrorum, sed perfecta aetas et statura debita et effigies formosa: opportunum est, quod boni suscitentur in optimis conditionibus; Vitia detrahentur.
ac per hoc necesse est, quod in eis vitia detrahan-

---

[1] Cfr. tom. III. pag. 10, nota 8. ex Augustino et Gregorio loci allegati. — Superius ex K C V substituimus *ad etiam* pro *et etiam*.

[2] August., XXII. de Civ. Dei, c. 17. — Seq. locus est Eph. 4, 13. — Superius Vat., I et 3 cum pluribus codd. pro *mensura* substituunt *magis*, et cum aliquot codd. hic *ordinatione* ante *temporis* et *dignitatis* pro *ordinem*.

[3] Luc. 21, 18: Et capillus de capite vestro non peribit. — Seq. sententia est August., Enchirid. c. 88. n. 23. — De hoc cap. Vide IV. Sent. d. 43. a. 1. et d. 41. p. 1. per totam.

[4] Cfr. supra p. I. c. 6. — Infertus pro *stipendiorum* I K L O P V *praemiorum*, D *praemiorum vel stipendiorum*, et post *tamen* cdd., excepto 2, nihilum *singulatim*.

[5] Vide Aristot., I. Phys. text. 81. (c. 9.), et August., XII. de Gen. ad lit. c. 35. n. 68. — Superius pro *reformatio etiam* cdd. *reformatio autem*, LM *reformatio autem gratiae etiam*, alii similiter, sed omittentes *autem*.

[6] Sap. 5, 21: Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

[7] F I K L O U V *simul*.

[8] Ioan. 5, 29: Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.

Digitized by Google

Inferius implenda

tur, et natura servetur. — Opportunum etiam est, ut, si aliquod membrum deerat, suppleatur; si aliqua erat superfluitas, auferatur; si aliqua membrorum deordinatio, corrigatur; si parvulus erat, ad quantitatem aetatis Christi, quam habebat in resurrectione, licet « non in mole [1] », divina virtute deducatur; si decrepitus, ad eandem aetatem reducatur; si gigas, si nanus, ad mensuram congruam limitetur; ut sic omnes integri et perfecti occurrant *in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.*

Item, ex ratione 3. pro thesi 3.

Postremo, quia resurrectio debet esse secundum exigentiam *perfectionis naturae;* et natura spiritus rationalis exigit, quod vivificet corpus proprium, quia « proprius actus in propria materia habet fieri [2] »: necesse est, quod idem corpus numero resurgat, alioquin non esset resurrectio vera. Requirit etiam natura animae rationalis et immortalis, quod sicut habet *esse* perpetuum, sic corpus habeat, cui perpetuo influat vitam; ac per hoc corpus, quod animae unitur, ex ipsa unione ordinationem habet ad incorruptionem perpetuam, ita tamen, quod illud, in quo consistit substantia totius corporis, sicut sunt membra principalia et etiam humilitas radicalis et raro *secundum speciem*, habeat ordinationem *necessariam;* alia vero, scilicet caro *secundum materiam* [3] et partes, quae sunt de *bene esse* corporis, habeant ordinationem *de congruo*: et ideo primae partes sunt ordinatae ad resurrectionem secundum ordinem *necessitatis*, aliae vero omnes secundum ordinem *congruitatis.* Quem quidem ordinem quia Deus impressit naturae; et natura non potest perficere, quia non potest mortuum suscitare; et ipsa divina providentia nihil debuit facere frustra [4]: necesse est, quod ipsius virtute reparetur corpus *idem numero* et *immortale* et *ex omnibus partibus constitutum*, et salva tota veritate naturae. — Cum autem haec natura non habeat in *potestate*, sed solum in *appetitu*, quia nec *idem* corpus numero destructum reparare potest, cum non possit in totam rei substantiam, nec corpus *immortale* possit efficere, cum omne per naturam generabile sit corruptibile [5], nec *dispersa* colligere: necesse est, quod resurrectio non *seminalibus* nec *naturalibus* causis, sed *primordialibus* attribuatur, ut fiat secundum cursum mirabilem et supernaturalem et divinae imperium voluntatis.

Corpus idem immortale, ex omnibus partibus constitutum.

Virtute supernaturali.

Cap. VI.

De consequentibus ad iudicium, sicut est poena infernalis.

Consequenter de *consequentibus* ad iudicium est dicendum; quae sunt duo, scilicet *poena infernalis* et *gloria caelestis* [6].

De *poena* igitur *infernali* hoc tenendum est, quod poena infernalis est in loco corporali deorsum, in quo aeternaliter affligentur omnes reprobi, tam homines quam spiritus mali. — Affligentur autem eodem igne corporali, qui concremabit et affliget spiritus et etiam corpora — nec tamen corpora illa consumet, sed semper affliget — alios plus, alios minus secundum exigentiam meritorum. — Huiusmodi autem afflictioni ignis connuncta erit afflictio secundum omnes sensus, connuncta erit poena vermis et carentia visionis Dei, ita quod in his poenis erit *varietas* et cum varietate *acerbitas* et cum acerbitate *interminabilitas*, ut ad reproborum supplicium *tormentorum fumus ascendit in saecula saeculorum* [7].

Thesis 1. Thesis 2. Thesis 3.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, cum primum principium, eo ipso quod primum, sit summum, quidquid habet habet in summo; ideo necesse est, ipsum esse *rectissimum.* Cum ergo in retribuendo agat secundum rectitudinem; sicut contra se facere non potest nec *se negare* [8] nec suam iustitiam impugnare: sic necessario, sua rectitudine exigente, oportet, quod peccatum puniatur secundum quantitatem culpae, in his maxime, qui, legem misericordiae contemnentes, per impoenitentiam impegerunt in severitatem iustitiae. Quoniam ergo severitatis iustitiae est considerare culpam non solum quantum ad *radicem*, verum etiam quantum ad *circumstantias aggravantes;* congruentissimum est, ut iudex iustus poenas debitas ab impiis exigat usque ad ultimum quadrantem [9], ut sic non remaneat « dedecus peccati sine decore iustitiae »; et sicut manifesta est *potestas* in creando et *sapientia*

Ratio. Principia generalia.

---

[1] Ut ait August. XXII. de Civ. Dei, c. 11. — Plures codd. et 2 *non mole.* Inferius verbo *limitetur* K praefigit *reducatur cet.*

[2] Aristot., II. de Anima, text. 26. (c. 2.). — Inferius post *ordinatione* » pro *habet* K P et 1 *habeat.*

[3] De hac Aristotelica distinctione carnis cfr. tom. II. pag. 734, nota 3. — Superius pro *substantia totius corporis* I K L V *natura totius corporis.*

[4] Cfr. supra pag. 271, nota 8. — Quod idem numero corpus destructum reparari non possit a natura, docet Aristot.; cfr. tom. IV. pag. 888, nota 2. — Inferius vocl *naturae* Vat., 1 et 3 praefigunt *humanae.*

[5] Vide supra pag. 227, nota 2. — De causis seminalibus etc. vide II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. in corp., ex qua quaedam supra pag. 216, nota 3. — Post *seminalibus* P addit *rationibus.*

[6] De quibus in hoc et seq. cap. — I K L O P V brevius: *Consequentur ad iudicium sunt duo* etc.

[7] Apoc. 11, 11. — De hac cap. vide IV. Sent. d. 44. p. II. per totam et d. 50. p. II. a. 2. (de vermo).

[8] Epist. II. Tim. 2, 13: Negare se ipsum non potest. — Superius Vat., 1 et 3 cum aliquot codd. omittunt *eo ipso quod primum.*

[9] Respicitur Matth. 5, 26: Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem (F *novissimum quadrantem*). — Seq. sententia est August. supra pag. 221, nota 8. allegata. — Inferius pro *manifesta est* P *manifestata est*, I K L O U V *manifestatur*, et pro *summa* D *dicim*, M *sum.*

Digitized by Google

in gubernando et *clementia* in reparando, sic manifestetur summa *iustitia* in puniendo. Quoniam ergo divina iustitia peccatorem impium debet punire secundum exigentiam culpae; et culpa mortalis, ad quam succedit finalis impoenitentia, ipsa habet rationem deordinationis *perpetuae*, deordinationis *libidinosae*, deordinationis *multimodae:* necesse est, quod ipsa puniatur poenarum *aeternitate, acerbitate* et *multiformitate*.

Deordinatio et poena triplex.

Primo igitur[1] deordinationis *perpetuae* poena debet esse *perpetua*, quia peccatum, quod quis committit et de quo nunquam poenitet, perpetuo in anima durat et a vita perpetua, scilicet Deo, separat et a voluntate procedit, quae in peccato vellet perpetuo delectari. Et licet *delectatio* illa transiens sit momentanea, quia tamen *deordinatio* tenet rationem perpetuitatis; poena *deordinationi* respondens debet habere carentiam finis; ut, sicut *homo* in suo perpetuo[2] finem non apposuit a peccato recedendo, sic *Deus* in suo perpetuo non desistat a puniendo; et sicut contra infinitum peccavit, sic poenam habeat infinitam; et quia non potest habere poenam infinitam *intensione*, habeat saltem *duratione*; et sicut voluntas eius post mortem semper malo adhaereat sine susceptione poenitentiae, sic Deus semper affligat sine immutatione sententiae, requirente hoc *perpetuitate deordinationis* in impiis damnatis.

Pro thesi 1. Poena perpetua.

Rursus, quoniam deordinationis *libidinosae* poena debet esse *afflictiva*, quia delectatio punitur per tristitiam contrariam; et spiritus rationalis in peccando convertit se ad bonum proprium et *ut nunc* et partiale[3] libidinose amandum, et ex hoc contemnit divinum imperium et dominium: hinc est, quod ad hoc, quod illa delectatio improba perfecte punitur, in qua simul est delectatio cum contemptu, necesse est, quod ad punitionem illius contemptus et delectationis peccator, sive homo sit, sive spiritus, praecipitetur in *locum infimum* et maxime a statu gloriae longinquum, hoc est in profundissimum inferium. — Necesse est etiam, quod ibi expunatur affligendus *infimae naturae*, ac per hoc non a substantia spirituali patiatur, *sed* a *corporali et infima*, hoc est a faecibus corporum mundanorum, ut in faecibus defigatur et *igne et sulphure* concremetur[4]. Et quoniam spiritus, qui per naturam praeponitur corpori et in corpus habet influere et ipsum movere, dignitatem naturae per culpam perverti et se subiicit quodam modo vilitati et nihilitati peccati; hinc est, quod secundum ordinem iustitiae debet ordinari, ut tam peccator spiritus quam homo igni corporeo alligetur, non ut in illum influat vitam, sed ut divino decreto suscipiat poenam. Cum enim rei, quam *horret* per timorem divinitus immissum et quam *sentit* per vim naturalis sensus, sit inseparabiliter alligatus; necesse est, quod acriter tormentetur. — Et quia ille ignis non agit nisi per dispositionem peccati et reatus et maculae ex improbitate libidinis procedentis; et haec non est aequaliter in omnibus: hinc est, quod ab eodem igne alii cremantur plus, alii vero minus, sicut ab eodem igne aliter uritur palea, et aliter comburitur lignum[5]. — Quoniam autem illa peccati distinctio et reatus, secundum quam actio ignis moderatur, in eodem est uniformis et nunquam crescit nec decrescit nec mutatur; hinc est, quod divino imperio ordinante, ille sic agit, quod semper urit et non consumit, semper affligit et non interimit, quia non agit ad suae formae multiplicationem, sed ad pacis animae in corpore perturbationem, sive ipsius spiritus in se ipso. Unde non fit nova ademptio, sed ademptae pacis continuatio; ut sic in eadem poena nec acerbitas aeternitatem, nec aeternitas tollat acerbitatem.

In loco infimo.

Pro thesi 2. In igne et sulphure.

Gradus diversus.

Semper urit non consumit.

Postremo, quoniam deordinationis *multimodae* poena debet esse *multimoda;* et in omni peccato actuali mortali est deordinata aversio a summa luce et bonitate et inordinata conversio ad bonum commutabile et deordinatio voluntatis contra dictamen rationis rectae[6]: hinc est, quod omnes actualiter peccantes, qui erunt damnati, punientur poena triplici: propter aversionem, *carentia visionis Dei;* propter conversionem, *poena incendii materialis;* propter pugnam voluntatis et rationis, *poena vermis;* ut sic ex hac multiplicitate poenarum afflicti et *varie* et *acerbe* et *aeternaliter* crucientur, et *tormentorum fumus ascendat in saecula saeculorum.* Amen.

Pro thesi 3. Poena damnat. ignis et vermis.

Cap. VII.

De gloria paradisi.

De *gloria* autem *caelesti* hoc in summa tenendum est, quod in ipsa est praemium *substantiale*, *consubstantiale* et *accidentale*. Praemium, inquam, *substantiale* consistit in visione, fruitione et tentione unius summi boni, scilicet Dei, quem Beati videbunt

Thesis 1.

---

[1] B H addunt *ratione*. Mox pro *anima*, quod habent plures codd., inter quos B E M, edd. *animo*.

[2] Libero arbitrio seu voluntate semper peccandi. Cfr. tom. IV. pag. 922, nota 1. — Superius vocl *momentanea* G H et 1 praeligunt *et*. Inferius pro *habere* I L O U V *portare*.

[3] G P et 2 *particulare* (P et 2 omittunt cum F I. M *et ut nunc*), M *speciale*, qui etiam subiiciunt cum E I K L O P substitutum *amandi* pro *amandum*.

[4] Apoc. 14, 10: Cruciabitur igne et sulphure. Soph. 1, 12: Visitabo super viros deliros in faecibus suis. Cfr. supra c. 2. — Superius pro *affligendus* K L D *punendus*, et *natura* pro *substantia*. Inferius post *decreto* M addit *ab eo*.

[5] Cfr. 1. Cor. 3, 12. seqq. — Superius pro *procedentis* T U et 1 *praecedentis* (vide tamen II. Sent. d. 31. a. 2. q. 3. in corp.), et pro *sicut ab eodem* plures codd., inter quos A I. M P V, et 2 *sicut sub eodem*. Inferius pro *ordinante* M *moderante*.

[6] Vide supra pag. 180, nota 6. et pag. 224, nota 8.

Digitized by Google

facie ad faciem[1], hoc est nude et sine velamine; quo fruentur avide et delectabiliter, quem etiam tenebunt sempiternaliter, ut sic verificetur illud Bernardi, quod « Deus futurus est rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis *et* memoriae continuatio aeternitatis ». — Praemium vero *consubstantiale* consistit in gloria corporis, quae *secunda stola* dicitur; qua[2] resumta, perfectus anima beata tendit « in summum caelum ». Et haec stola consistit in quadruplici dote corporis, scilicet in dote *claritatis, subtilitatis, agilitatis* et *impassibilitatis;* quae erunt secundum plus et minus, secundum maioritatem et minoritatem prius habitae caritatis. — Praemium autem *accidentale* consistit in quodam decore speciali superadicto, qui quidem *aureola* nuncupatur; et secundum doctorum sententiam debetur triplici generi operum, scilicet *martyrio, praedicationi* et *continentiae virginali*[3]. Et in mundus praedictis servabitur gradus et distinctio secundum exigentiam meritorum.

Ratio. Principia generalia. Ratio autem ad intelligendum praedictorum haec est: quia primum principium, hoc ipso quod primum, habet summam unitatem, veritatem et bonitatem; hoc ipso est ponere in eo summam potentiam, sapientiam, clementiam et iustitiam. Quoniam autem haec invisibilia Dei manifestari decet per opera[4]; ideo Deus mundum istum sensibilem principiatus sic *produxit*, sic *gubernat*, sic *reparat*, sic *remunerat* et *consummat*, quod in productione manifestatur summa *potentia*, in gubernatione *sapientia*, in reparatione *clementia* et in retributione *iustitia* consummata. Potentia in creatione. Ut ergo manifestaretur *potentia*, ad sui ipsius laudem, gloriam et honorem omnia produxit de nihilo, faciens aliquid prope nihil, scilicet materiam corporalem, et aliquid prope se[5], scilicet substantiam spiritualem, et simul haec imagens in uno homine in unitate naturae et personae, scilicet rationalem animam et materiam corporalem. — Ut manifestaretur *sapientia*, ipse quidem providentissime omnia gubernat et ordinate. Sapientia in gubernatione. Nam ipse *supremum* hominis regit per se ipsum, mentem scilicet, quam illustrat[6], et *infimum*, scilicet corpus, per liberum arbitrium voluntatis, ut sic corpus et corporalia quoad regimen subiaceat spiritui, spiritus vero Deo. — Ut manifestaretur *clementia*, lapsum hominem reparavit assumendo hominis naturam, suscipiendo poenalitates et tandem perferendo poenam, ut sic summa misericordia misera misericordem faceret esse conformem ad relevationem miseriae non solum in dignitate naturae conditae, verum etiam in defectibus naturae in miseria constitutae[7]. — Ut tandem manifestetur *iustitia*, retribuet unicuique secundum exigentiam meritorum, non solum malis poenam, verum etiam iustis gloriam sempiternam. Sic enim exigit *retributio aequa* et *reparatio gratuita* et *gubernatio ordinata* et *productio virtuosa*. Nam omnium horum consummatio est in fine.

Clementia in reparatione. Iustitia in retributione. Haec 4 perfecte in consummatione.

Pro thesi 1. Primum igitur, quoniam omnium iusturum praemiatio fieri debet, secundum quod exigit *retributio iusta* et etiam *productio virtuosa;* et *productio*[8] Dei fecit rationalem spiritum prope Deum, capacem Dei, capacem scilicet secundum vim inditae imaginis ipsius beatissimae Trinitatis, cui in iustis totus hominis spiritus secundum integritatem imaginis deservivit: hinc est, quod nullo minus Deo potest rationalis spiritus praemiari nec impleri, nec eius capacitas terminari; idem in praemium datur ei deiformitas gloriae, per quam Deo effectus conformis, et ratione ipsum *videat* clare et voluntate *diligat* plene et memoria *retineat* in aeternum; ut sic anima tota vivat, tota delectet in tribus animae viribus, tota Deo conligaretur, tota illi uniatur, tota in illo requiescat, in ipso sicut in omni bono inveniens pacem, lucem et sufficientiam sempiternam, per quam « in statu omnium bonorum congregatione perfecto[9] » constituta et aeterna vivens vita, dicatur beata et etiam gloriosa. Animae dotes 3.

Pro thesi 2. Iterum, quoniam retributio illa debet fieri, secundum quod exigit non solum retributio iusta et productio virtuosa, verum etiam *gubernatio ordinata;* et Deus in productione corpus animae alligavit et naturali et mutuo appetitu invicem copulavit, ad gubernationem vero subiecit et in statu merili fecit, ut spiritus condescenderet et intenderet corpori gubernando propter exercitium in merendo: nec *naturalis appetitus* patitur, quod anima sit plene beata, nisi restituatur *ei* corpus, ad quod resumendum habet inclinationem naturaliter insertam[10]; nec *regiminis*

---

[1] Epist. I. Cor. 13, 12. — Sententia Bernardi habetur in serm. 41. in Cantic. n. 5.

[2] A addit, *ut dicit Augustinus*, scilicet XII. de Gen. ad lit. c. 35. n. 68. Cfr. tom. III. pag. 585, nota 8. — Inferius post *minus* edd., excepta 2, addunt *in diversis*.

[3] Vide IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 3; ibid. d. 49. p. I. et II. agitur de beatitudine animae et dotibus corporis gloriosi.

[4] Rom. 1, 20: Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur etc. — Inferius ante *sapientia* et *clementia* Vat., 1 et 3 repetunt *summa*.

[5] Vide supra pag. 224, nota 3. verba Augustini. — Inferius pro *in unitate* A H F *in unitatem*.

[6] Praeter Quaest. de scientia Christi, q. 4. cfr. II. Sent. d. 10. a. 2. q. 2. — August., de Quantitate animae, c. 36. n. 80: Subiicit [Deus] animae corpus, animam sibi et sic omnia sibi. Cfr. VI. Music. c. 5. n. 13. et Enarrat. in Ps. 145. n. 5. — Paulo ante pro *ordinate* C D F G H *ordinat*.

[7] Cfr. supra p. IV. c. 8. seqq. — Mox pro *manifestetur* I cum pluribus codd. *manifestaretur*, sed sequitur futurum.

[8] I O V *productio virtuosa*. Inferius voci *nullo*, pro quo T *nullo modo aliquo*, Vat., 1 et 3 praeeunt *a* III. Sent. d. 8. p. II. q. 2. fundam. 2: Imaginem Dei nihil minus Deo implere potest, sicut dicit Augustinus et Beda).

[9] Quibus verbis Boeth., III. de Consol. prosa 2, detinit beatitudinem. — Superius pro *unitur* E F O P *illuminetur*.

[10] Vide supra c. 5. — Superius pro *plene beata* K H V *vere beata et plene*.

Digitized by Google

ordo sustinet, quod restituatur corpus spiritui beato nisi per omnia illi conforme et subiectum, quantum potest corpus spiritui conformari. Quoniam ergo spiritus est visione lucis aeternae clarificatus; ideo debet in eius corpore *claritas* lucis permaxima resultare. Quia vero dilectione illius summi Spiritus est summe spiritualis effectus; ideo in corpore habere debet correspondentem *subtilitatem* et spiritualitatem. Quia tentione aeternitatis factus est omnino impassibilis; ideo in corpore eius debet esse *impassibilitas* omnimoda tam intra quam extra. Quia vero ex his omnibus spiritus promptissimus est ad tendendum in Deum; ideo in corpore glorioso debet summa *agilitas* reperiri. Quoniam igitur per has quatuor proprietates fit corpus *spiritui conforme*[1] et etiam subiectum; hinc est, quod in his quatuor praecipue *dotari* dicitur, ratione quorum idoneitatem habeat sequi spiritum et *locari in regione caelesti*, quae est regio Beatorum. In istis enim proprietatibus caelestibus corporibus assimilatur, per quas quasi gradatim distat corpus caeleste a quatuor elementis; et sic dos corporum quadruplicata et corpus in se perfectum reddit et conforme habitationi caelesti et Spiritui beato, per quem a summo *capite* Deo usque *in ortum vestimenti*[2], scilicet corporis, plenitudo dulcedinis et beatitudinis eloriatas redundat, et quantum est possibile, derivatur.

Claritas. Subtilitas. Impassibilitas. Agilitas. In regione caelesti.

Postremo, quoniam illa praemiatio debet fieri, secundum quod exigit retributio iusta et productio virtuosa et gubernatio ordinata et etiam *reparatio gloriosa*; et in diversis Christi membris diversa sunt charismata gratiarum non solum quantum ad interiora dona, verum etiam quantum ad exercitia exteriora[3]; non solum quoad habitus, verum etiam quoad status; non solum quoad perfectionem caritatis in mente, verum etiam quoad perfectionis decorem et pulcritudinem in opere corporali: hinc est, quod aliquibus membris non solum *stola animae* cum tribus eius dotibus et *stola corporis* cum quatuor, verum etiam *excellentia quaedam decoris et gaudii* debetur propter praecellentiam perfectionis et decoris habiti in opere virtuoso. Quoniam igitur triplex est genus operis praecellenter perfectum et pulcrum et speciali[4] formositate formosum secundum triplicem vim animae: secundum rationalem, *praedicatio veritatis* perducens alios ad salutem; secundum concupiscibilem, *perfecta declinatio concupiscentiarum* per integritatem perpetuam continentiae virginalis; secundum irascibilem, *perpessio mortis* ad honorem Christi: hinc est, quod his tribus generibus iustorum, scilicet *praedicatoribus, virginibus* et *martyribus*, debetur illa excellentia praemii *accidentalis*, quod *aureola* nuncupatur; quod ad decorem facit non solum animae, verum etiam corporis, quia non redditur voluntati tantum, sed operi extrinseco, substernens sibi meritum et praemium caritatis, quod consistit in septiformi dote, triplici animae et quadruplici corporis, in quibus clauditur consummatio, integritas et plenitudo omnium bonorum spectantium ad gloriae complementum.

Pro thesi 3. Aureola triplex.

Qualia autem et *quanta* sint illa, non verba mea, sed beati Anselmi ponantur. Ait enim in fine[5] Proslogii: « Excita te nunc, anima mea, et erige totum intellectum tuum et cogita, quantum potes, *quale* et *quantum* sit illud *bonum*. Si enim singula bona delectabilia sunt, rogita intente, quam delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum, non qualem in creatis rebus sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt Creator a creatura. Si enim bona est vita creata, quam bona est vita creatrix? Si iucunda est salus facta, quam iucunda est salus, quae facit omnem salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum, quam amabilis est sapientia, quae omnia condidit ex nihilo? Denique, si multae et magnae delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis et quanta est delectatio in illo qui fecit ipsa delectabilia »?

Conclusio de gloria Beatorum. De ipso bono fruitionis in se.

« Qui hoc bono fruetur[6], quid illi erit, et quid illi non erit? Certe quidquid volet erit, et quod nolet non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animae, qualia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit*. Cur ergo per multa vagaris, hominucio, quaerendo bona animae tuae et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est. Quid enim amas, caro mea, quid desideras, anima mea? Ibi est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulcritudo; *fulgebunt iusti sicut sol*[7]. Si velocitas, aut fortitudo, aut li-

De hoc bono in comparatione.

---

[1] I K L O V *totaliter conforme*, qui etiam (O excepto) inferius cum E *perfecte reddit conforme* pro *perfectum reddit et conforme*. Pro *fit* H M *sic est*.

[2] Psalm. 132, 2: Sicut unguentum in capite... quod descendit in oram etc. Cfr. Prolog. § 3.

[3] Cfr. I. Cor. 12, 4. seqq. — Aliquanto inferius pro *opere virtuoso* Vat., I et 3 *corpore virtuoso*.

[4] Ita F et 2, in aliis minus bene *spiritualis*. Mox pro *secundum* plures codd. *scilicet*, F O *scilicet secundum*.

[5] Cap. 24: Excita nunc etc. — Vat., 4 et 3 *Excitare nunc*. Inferius post *potes* codd. et 2 omittunt *quale et quantum sit illud bonum*, et a pluribus codd. et 2 transponuntur haec verba post *quam delectabile sit illud bonum*. Subinde post *vita creata* P *quanto melior vita creatrix... quanto iucundior salus... quanto amabilior sapientia*; cod. P primum locum Anselmi tantum affert, ceteros omnit. Pro *facit omnem* edd. cum originali *fecit omnem*.

[6] Anselm. loc. cit. c. 25. — Post pauca allegatur I. Cor. 2, 9: Quod oculus non vidit... nec in cor hominis ascendit (ita etiam A). — Post *volet* I K L O addunt *habebit et*. Inferius M finem Breviloquii ponit *Ibi est quidquid amas, quidquid desideras*.

[7] Matth. 13, 43. — Secundus locus est Matth. 22, 30: Erunt sicut Angeli Dei. Tertius I. Cor. 15, 41; quartus Sap. 5, 16; quintus Ps. 36, 39; sextus Ps. 16, 15: Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Septimus Ps. 35, 9. — Pro *corporis*, *cui* permulti codd. *corporis tui*, *ut*.

Digitized by Google

bertas corporis, cui nihil obsistere possit; *erunt similes Angelis Dei*, quia *seminatur corpus animale, et surget corpus spirituale*, potestate utique, non natura. Si longa et salubris vita; ibi est sana aeternitas et aeterna sanitas, quia *iusti in perpetuum vivent*, et: *Salus iustorum a Domino*. Si satietas; *satiabuntur, cum apparuerit gloria Dei*. Si ebrietas; *inebriabuntur ab ubertate domus Dei*. Si melodia; ibi Angelorum chori concinunt sine fine Deum laudantes[1]. Si quaelibet non immunda, sed munda voluptas; *torrente voluptatis tuae potabis eos* Deus. Si sapientia; ipsa Dei sapientia ostendet eis se ipsam. Si amicitia; diligent Deum plus quam se ipsos et invicem tanquam se ipsos, et Deus illos plus, quam illi se ipsos, quia illi illum et se et invicem per illum, et ille se et illos per se ipsum. Si concordia; omnibus illis erit una voluntas, quia nulla illis erit nisi Dei voluntas. Si potestas; omnipotentes erunt sine voluntatis, ut Deus suae. Nam sicut poterit Deus quod volet per se ipsum, ita poterunt illi per illum quod volent; quia sicut illi non aliud volent, quam quod ille, ita ille volet quidquid illi volent; et quod ille volet non poterit non esse. Si honor et divitiae; Deus servos suos bonos et fideles *supra multa constituet*[2], immo *filii Dei* et *dii vocabuntur* et erunt, et ubi erit Filius eius, ibi erunt et illi, *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*. Si vera securitas; certe ita certi erunt, nunquam et nullatenus ista, vel potius istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt, se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum et illos separaturum ».

« *Gaudium* vero, quale aut quantum est[3], ubi tale ac tantum bonum est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum aerumnas, immo obrutum aerumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possunt gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed certe, si quis alius, quem omnino sicut te ipsum diligeres, eandem beatitudinem haberet; duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo quam pro te ipso: Si vero duo, vel tres, vel multo plures idipsum haberent; tantumdem pro singulis, quantum pro te ipso gauderes, si singulos sicut te ipsum amares. Ergo in illa perfecta caritate innumerabilium Angelorum et hominum beatorum, ubi nullus minus alium quam se ipsum diligit, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis quam pro se ipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet suum gaudium, quomodo capax erit tot et tantorum gaudiorum? Et utique, quia, quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono eius gaudet; sicut in illa perfecta felicitate unusquisque plus amabit sine comparatione Deum quam se et omnes alios secum, ita gaudebit plus absque aestimatione de felicitate Dei quam de sua et omnium aliorum secum. Sed si Deum sic diligent *toto corde, tota mente, tota anima*[4], ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis; profecto sic gaudebunt *toto corde, tota mente, tota anima*, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudii ».

De gaudio fruitionis.

Notandum.

« Nondum ergo[5], Domine, dixi aut cogitavi, quantum gaudebunt illi Beati tui. Utique tantum gaudebunt, quantum amabunt; tantum amabunt, quantum cognoscent. Quantum cognoscent te et quantum amabunt te? Certe *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* in hac vita, quantum te cognoscent et amabunt in illa vita. — Oro, Deus, cognoscam te, amem te, ut gaudeam de te; et si non possum ad plenum in hac vita, vel[6] proficiam in dies, usque dum veniat illud ad plenum; proficiat hic in me notitia tui et ibi fiat plena, crescat hic amor tuus et ibi sit plenus; ut hic gaudium meum sit in spe magnum et ibi sit in re plenum. Domine, per Filium tuum iubes, immo consulis petere, et promittis accipere, *ut gaudium* nostrum *plenum sit*[7]. Deus verax, peto, accipiam, *ut gaudium* meum *plenum sit*. Peto, Domine, quod per admirabilem Consiliarium nostrum consulis; accipiam, quod promittis per Veritatem tuam, ut *gaudium* meum *plenum sit*. Meditetur interim inde mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, sermocinetur os meum, esuriat illud anima mea, sitiat caro mea, desideret tota substantia mea, donec intrem *in gaudium Domini* mei, qui est trinus et unus Deus *benedictus in saecula saeculorum. Amen*[8] ».

Origo gaudii ex amore et cognitione.

Oratio pro cognoscendo et amore.

EXPLICIT BREVILOQUIUM FRATRIS BONAVENTURAE.

---

[1] Pro *Deum laudantes* textus originalis *Deo*. — Subinde allegatur Ps. 35, 9. — Inferius codd. ante *invicem* omittunt *et* contra textum originalem, qui etiam vocibus *nisi Dei* interserit *sola*, quod exhibet etiam B et 1.

[2] Matth. 25, 21. et 23. — Seq. locus est ibid. 5, 9. (Ps. 81, 6. et Ioan. 10, 34: Ego dixi: dii estis. Ibid. 12, 26: Ubi sum ego, illic et minister meus erit); tertius est Rom. 8, 17.

[3] I K L O V *Gaudium vero consequens quantum est*. Inferius pro *possunt* H cum textu originali *possint*.

[4] Matth. 22, 37.

[5] Anselm. loc. cit. c. 26. — Pro *cogitavi*, quod cum textu originali praebent H Q, alii codd. et edd. *cognovi*.

[6] Id est: saltem; edd., excepta 2, *ut*.

[7] Ioan. 16, 24: Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. — Multi codd. et 2 *sit in te plenum*. Inferius textus originalis propositiones *Deus verax* et *Peto, Domine*, transponit ita ut quae hic est prima, ibi sit secunda.

[8] Rom. 1, 25. Praecedens locus est Matth. 25, 21. — Textus originalis pro *est trinus* substituit *ex trinus*.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

ITINERARIUM MENTIS IN DEUM

Digitized by Google

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGUS

IN

ITINERARIUM MENTIS IN DEUM

Invocatio.

1. In principio primum principium, a quo cunctae illuminationes descendunt tanquam *a Patre luminum*, a quo est *omne datum optimum et omne donum perfectum*[1], Patrem scilicet aeternum, invoco per Filium eius, dominum nostrum Iesum Christum, ut intercessione sanctissimae Virginis Mariae, genitricis eiusdem Dei et domini nostri Iesu Christi, et beati Francisci, ducis et patris nostri, *det illuminatos oculos*[2] mentis nostrae *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* illius, *quae exsuperat omnem sensum*; quam pacem evangelizavit et dedit dominus noster Iesus Christus; cuius praedicationis repetitor fuit pater noster Franciscus, in omni sua praedicatione pacem in principio et in fine annuntians, in omni salutatione pacem optans[3], in omni contemplatione ad ecstaticam pacem suspirans, tanquam civis illius Ierusalem, de qua dicit vir ille pacis, qui *cum his qui oderunt pacem, erat pacificus: Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem*[4]. Sciebat enim, quod thronus Salomonis non erat nisi in pace, cum scriptum sit: *In pace factus est locus eius, et habitatio eius in Sion.*

S. Franciscus praedicator pacis.

Scribendi occasio, tempus, locus.

2. Cum igitur exemplo beatissimi patris Francisci hanc pacem anhelo spiritu quaererem, ego peccator, qui loco ipsius patris beatissimi post eius transitum septimus in generali fratrum ministerio per omnia indignus succedo; contigit, ut nutu divino circa Beati ipsius transitum, anno trigesimo tertio[5] ad montem Alvernae tanquam ad locum quietum amore quaerendi pacem spiritus declinarem, ibique existens, dum mente tractarem aliquas mentales ascensiones in Deum, inter alia occurrit illud miraculum, quod in praedicto loco contigit ipsi beato Francisco, de visione scilicet Seraph alati ad instar Crucifixi[6]. In cuius consideratione statim visum est mihi, quod visio illa praetenderet ipsius patris suspensionem in contemplando et viam, per quam pervenitur ad eam.

Visio Francisci.

3. Nam per senas alas illas recte intelligi possunt sex illuminationum suspensiones, quibus anima quasi quibusdam gradibus vel itineribus disponitur, ut transeat ad pacem per ecstaticos excessus sapientiae christianae. Via autem non est nisi per ardentissimum amorem Crucifixi, qui adeo Paulum ad *tertium caelum raptum*[7] transformavit in Christum, ut diceret: *Christo confixus sum cruci, vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus;* qui etiam adeo mentem Francisci absorbuit, quod mens in carne patuit, dum sacratissima passionis stigmata in corpore suo ante mortem per biennium deportavit. Effigies igitur sex alarum seraphicarum insinuat sex illuminationes scalares, quae a creaturis incipiunt et perducunt usque ad Deum, ad quem nemo intrat recte nisi per Crucifixum. Nam *qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro*[8]. *Si quis* vero per hoc ostium *introierit, ingredietur et egredietur et pascua inveniet.* Propter quod dicit Ioannes in Apocalypsi: *Beati qui lavant vestimenta*

Applicatio eiusdem.

Christus ostium.

---

[1] Iac. 1, 17. — Superius pro *illuminationes* C D E F *illustrationes*.

[2] Eph. 1, 17. seq. — Seq. locus est Luc. 1, 79; tertius Phil. 4, 7. — Subinde respicitur Ioan. 14, 27: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis etc.

[3] Cfr. Vitae primae S. Franc. pars I, a Thoma de Celano, c. 10; Legenda trium sociorum, c. 8. et Legenda S. Francisci a Bonav. scripta, c. 3.

[4] Psalm. 119, 7. et Ps. 121, 6. — Seq. locus est Ps. 75, 3.

[5] Scilicet 1259. — Ed. 1 *anno 32*. Edd. *post Beati ipsius transitum*, codd. refragantibus (verba: *circa... transitum*, qui fuit 4. Octob. 1226, determinant tempus autumni). Inferius pro *locum quietem* [D G K L *quietu*] A substituit *montem quietum*.

[6] Cfr. Vitae primae S. Franc., pars II. c. 3; Legenda trium sociorum, c. 17. et Legenda S. Francisci a Bonav. scripta, c. 13, ubi etiam insinuatur, quod visio haec et stigmatizatio Francisci fuerit biennio ante ipsius mortem, scil. anno 1224. — De Seraph alato cfr. Isai. 6, 2. — Mox post *In cuius* A C addunt *rei*, qui etiam inferius cum 1, 2 *venitur* pro *pervenitur*.

[7] Epist. II. Cor. 12, 2. (A H I E F M omittunt *tertium*). — Seq. locus est Gal. 2, 19. seq. — Superius post *ut transeat* D F H K L M N addunt *ex hoc mundo* (Ioan. 13, 1.).

[8] Ioan. 10, 1. Edd. post *ostium* addunt *in ovile*, cui Vulgata subnectit *ovium*. — Seq. locus est ibid. v. 9; tertius est Apoc. 22, 14. Pro *ingredientur civitatem* Vulgata *intrent in civitatem*.

Digitized by Google

sua in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae, et per portas ingrediantur civitatem; quasi dicat, quod per contemplationem ingredi non potest Ierusalem supernam, nisi per sanguinem Agni intret tanquam per portam. Non enim dispositus est aliquo modo ad contemplationes divinas, quae ad mentales ducunt excessus, nisi cum Daniele sit *vir desideriorum* [1]. Desideria autem in nobis inflammantur dupliciter, scilicet per *clamorem orationis*, quae rugire facit *a gemitu cordis*, et per *fulgorem speculationis*, qua mens ad radios lucis directissime et intensissime se convertit.

Dispositiones necessariae.

4. Igitur ad gemitum orationis per Christum crucifixum, per cuius sanguinem purgamur a sordibus vitiorum [2], primum quidem lectorem invito, ne forte credat, quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exsultatione, industria sine pietate, scientia sine caritate, intelligentia sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata. — Praeventis igitur divina gratia, humilibus et piis, compunctis et devotis, unctis *oleo laetitiae* [3] et amatoribus divinae sapientiae et eius desiderio inflammatis, vacare volentibus ad Deum magnificandum, admirandum et etiam degustandum, speculationes subiectas propono, insinuans, quod parum aut nihil est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostrae tersum fuerit et politum. Exerce igitur te, homo Dei, prius ad stimulum conscientiae remordentem, antequam oculos eleves ad radios sapientiae in eius speculis relucentes, ne forte ex ipsa radiorum speculatione in graviorem incidas foveam tenebrarum.

Invitat lectorem ad dispositiones acquirendas.

Quibus serviperit.

5. Placuit autem distinguere tractatum [4] in septem capitula, praemittendo titulos ad faciliorem intelligentiam dicendorum. Rogo igitur, quod magis pensetur intentio scribentis quam opus, magis dictorum sensus quam sermo incultus, magis veritas quam venustas, magis exercitatio affectus quam eruditio intellectus. Quod ut fiat, non est harum speculationum progressus perfunctorie transcurrendus, sed morosissime ruminandus.

Distinctio tractatus.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIUNT CAPITULA.

Primum capitulum, de gradibus ascensionis in Deum et de speculatione ipsius per vestigia eius in universo.

Secundum capitulum, de speculatione Dei in vestigiis suis in hoc sensibili mundo.

Tertium capitulum, de speculatione Dei per suam imaginem naturalibus potentiis insignitam.

Quartum capitulum, de speculatione Dei in sua imagine donis gratuitis reformata.

Quintum capitulum, de speculatione divinae unitatis per eius nomen primarium, quod est *esse*.

Sextum capitulum, de speculatione beatissimae Trinitatis in eius nomine, quod est *bonum*.

Septimum capitulum, de excessu mentali et mystico, in quo requies datur intellectui, affectu in Deum per excessum totaliter transeunte.

EXPLICIUNT CAPITULA [5].

INCIPIT SPECULATIO PAUPERIS IN DESERTO.

Cap. I.

De gradibus ascensionis in Deum et de speculatione ipsius per vestigia eius in universo.

1. *Beatus vir, cuius est auxilium ab te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit* [6]. Cum beatitudo nihil aliud sit, quam summi boni fruitio; et summum bonum sit supra nos: nullus potest effici beatus, nisi supra semetipsum ascendat, non ascensu corporali, sed cordiali. Sed supra nos levari non possumus nisi per virtutem superiorem nos elevantem. Quantumcumque enim gradus interiores disponantur, nihil fit, nisi

Beatitudo supra nos.

Virtus elevans.

---

[1] Dan. 9, 23. — Inferius respicitur Ps. 37, 9: Rugiebam a gemitu cordis mei. — Superius pro *Non enim dispositus est* [K L N *disponitur*] H *Nullus enim potest disponi.*

[2] Hebr. 1, 3, dicitur « purgationem peccatorum faciens », I. Ioan. 2, 20. et 27, ubi insinuatur, quod unctio divina docet de omnibus.

[3] Psalm. 44, 8. — Erfd. *divinae laetitiae*, quae etiam post pauca pro *admirandum* substituunt *amandum*. Inferius pro *nihil est* L *nihil prodest*, et pro *remordentem* G K L M N *remordentis*.

[4] E P *tractatulum*. Inferius vocl *venustas* edd. praefigunt *sermonum*.

[5] Haec capitula cum quibusdam nullius momenti variantibus lectionibus hic ponuntur in codd. et 1, 2, 3, 4; B aliique codd. non hic, sed in ipso textu ad cc. 3. 4. 5 post vocem *capitulum* adiciunt *et tertius* (*quartus... quintus*) *gradus;* Verba *Incipit speculatio pauperis in deserto* habentur in B E F K P Q et 1, 2, 3, 4.

[6] Psalm. 83, 6. seq.

Digitized by Google

divinum auxilium comitetur. Divinum autem auxilium comitatur eos qui petunt ex corde humiliter et devote; et hoc est ad ipsum suspirare in hac *lacrymarum valle*, quod fit per ferventem orationem.

Oratio mater sursum-actionis. Oratio igitur est mater et origo sursum-actionis, ideo Dionysius in libro de Mystica Theologia [1], volens nos instruere ad excessus mentales, primo praemittit orationem. Oremus igitur et dicamus ad Dominum Deum

De gradibus in genere. nostrum: *Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua; laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.*

Gradus 3 ascensionis principales. 2. In hac oratione orando illuminamur ad cognoscendum divinae ascensionis gradus. Cum enim secundum statum conditionis nostrae ipsa rerum universitas sit scala ad ascendendum in Deum; et in rebus quaedam sint *vestigium*, quaedam *imago* [2], quaedam *corporalia*, quaedam *spiritualia*, quaedam *temporalia*, quaedam *aeviterna*, ac per hoc quaedam *extra nos*, quaedam *intra nos*: ad hoc, quod perveniamus ad primum principium considerandum, quod est *spiritualissimum* et *aeternum* et *supra nos*, oportet nos *transire* per *vestigium*, quod est *corporale* et *temporale* et *extra nos*, et hoc est *deduci in via Dei*; oportet, nos *intrare* ad mentem nostram, quae est *imago* Dei *aeviterna*, *spiritualis* et *intra nos*, et hoc est *ingredi in veritate* [3] *Dei*; oportet, nos *transcendere* ad *aeternum*, *spiritualissimum*, et *supra nos*, aspiciendo ad primum principium, et hoc est *laetari in Dei notitia et reverentia maiestatis*.

Comparatur ad quatuor. 3. Haec est igitur via trium dierum in solitudine [4]; haec est triplex illuminatio unius dei, et prima est sicut vespera, secunda sicut nunc, tertia sicut meridies; haec respicit triplicem rerum existentiam, scilicet in materia, in intelligentia et in arte aeterna, secundum quam dictum est: *fiat*, *fecit*, et *factum est* [5]; haec etiam respicit triplicem substantiam in Christo, qui est scala nostra, scilicet corporalem, spiritualem et divinam.

Mentis aspectus tres. 4. Secundum hunc triplicem progressum mens nostra tres habet aspectus principales. Unus est ad corporalia exteriora, secundum quem vocatur *animalitas* seu sensualitas; alius intra se et in se, secundum quem dicitur *spiritus*; tertius supra se, secundum quem dicitur *mens*. — Ex quibus omnibus disponere se debet ad conscendendum in Deum, ut ipsum diligat *ex tota mente, ex toto corde et ex tota anima* [6], in quo consistit perfecta Legis observatio et simul cum hoc sapientia christiana.

Gradus 6 primaliter. 5. Quoniam autem quilibet praedictorum modorum geminatur, secundum quod contingit considerare Deum ut *alpha et omega* [7], seu in quantum contingit videre Deum in unoquoque praedictorum modorum ut *per speculum* et ut *in speculo*, seu quia una istarum considerationum habet commisceri alteri sibi commutae et habet considerari in sua puritate: hinc est, quod necesse est, hos tres gradus principales ascendere ad senarium, ut, sicut Deus Gradus sex. sex diebus perfecit *universum mundum* et in septimo requievit; sic *minor mundus* sex gradibus illuminationum sibi succedentium ad quietem contemplationis ordinatissime perducatur. — In cuius rei figura Figura 6. sex gradibus ascendebatur ad thronum Salomonis [8]; Seraphim, quae vidit Isaias, senas alas habebant; post sex dies *vocavit* Dominus *Moysen de medio caliginis*, et Christus *post sex dies*, ut dicitur in Matthaeo, *duxit discipulos in montem et transfiguratus est ante eos*.

6. Iuxta igitur sex gradus *ascensionis* in Deum sex sunt gradus *potentiarum* animae, per quos ascendimus ab imis ad summa, ab exterioribus ad intima, a Gradus sex potentiarum. temporalibus conscendimus ad aeterna, scilicet *sensus*, *imaginatio*, *ratio*, *intellectus*, *intelligentia* et *apex mentis* seu synderesis scintilla [9]. Hos gradus in nobis habemus plantatos per naturam, deformatos per culpam, reformandos per gratiam; purgandos per institiam, exercendos per scientiam, perficiendos per sapientiam.

7. Secundum enim primam naturae institutionem creatus fuit homo habilis ad contemplationis quietem, et ideo *posuit eum Deus in paradiso deliciarum* [10]. Sed avertens se a vero lumine ad Peccatum originale.

---

[1] Cap. 1, § 1. Vide infra c. 7. n. 3. — Seq. locus est Ps. 85, 11. Cfr. Breviloq. p. V. c. 1. et 10. — Superius pro *sursum-actionis* A B G M *sursum-ascensionis*; edd. *sursum-actionis in Deum*, B K L *sursum tendentia actionis in Deum*. Nostra lectio est ex B C I K L N P. Inferius A B G M et 1, 2 omittunt *orando*.

[2] Cfr. supra Breviloq. p. II. c. 12. — Inferius (bis occurrit) pro *aeviterna* non pauci codd. perperam *aeterna* (praeter subnexa, cfr. etiam II. Sent. d. 2. p. I. a. 1. q. 1.), et pro *perennanas* plures codd. *perrenatur*.

[3] Ita A C G I. M N; quae lectio respondet Vetusto Psalmi superius allegati; edd. *veritatem*; paulo superius et inferius post *oportet* ibi plurimorum et meliorum codd. his omnibus *etiam*.

[4] Exod. 3, 18: Ibimus viam trium dierum in solitudinem [ita etiam K L], ut immolemus Domino Deo nostro. — Plures codd. omittunt *igitur*.

[5] Gen. 1, 3. seqq. Cfr. supra pag. 230, nota 5.

[6] Marc. 12, 30. Cfr. Matth. 22, 37; Luc. 10, 27. — Superius post *alius* A addit *ad spiritualis*, et post *tertius* cum 1 et 2 *ad aeterna*. Pro *conscendendum* plures codd. *ascendendum*.

[7] Apoc. 1, 8. — De differentia, quae est inter cognitionem Dei *per* speculum creaturarum et *in* speculo, cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 3. — De senario creationis vide supra Breviloq. Prolog. § 2. et p. II. c. 2. — Inferius pro *una* edd. *unaquaeque*, et pro *ascendere* plures codd. non bene *conscendere*.

[8] Libr. III. Reg. 10, 19. — Subinde respicitur Isai. 6, 2; Exod. 24, 16. et Matth. 17, 1. seq. Post in *montem* Vulgata addit *excelsum seorsum*.

[9] Cfr. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 10-14. et 38. — Inferius pro *exercendos* L *illuminandos*.

[10] Gen. 2, 15. Secundum septuaginta interpretes, Vulgata *voluptatis* pro *deliciarum*. — De originali peccato cfr. Breviloq. p. III. c. 5. seq. Subinde respicitur Tob. 5, 12: Et sit Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo et lumen caeli non video? — Superius pro *enim* Vat. *etiam*. Mox post *Sed avertens se* K L addunt *a summo bono*.

Digitized by Google

commutabile bonum, incurvatus est ipse per culpam propriam, et totum genus suum per originale peccatum, quod dupliciter infecit humanam naturam, scilicet *ignorantia* mentem et *concupiscentia* carnem; ita quod *excaecatus* homo et *incurvatus* in tenebris sedet et caeli lumen non videt, nisi succurrat gratia cum iustitia contra *concupiscentiam*, et scientia cum sapientia contra *ignorantiam*. Quod totum fit per Iesum Christum, *qui factus est nobis a Deo sapientia et iustitia et sanctificatio et redemptio*[1]. Qui cum sit Dei *virtus* et Dei *sapientia*, sit Verbum incarnatum *plenum gratiae et veritatis*, *gratiam* et *veritatem* fecit, *gratiam* scilicet *caritatis* infudit, quae, cum sit *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta*, totam animam rectificat secundum triplicem ipsius aspectum supradictum; *scientiam veritatis* edocuit secundum triplicem modum theologiae, scilicet *symbolicae*, *propriae* et *mysticae*, ut per *symbolicam* recte utamur sensibilibus, per *propriam* recte utamur intelligibilibus, per *mysticam* rapiamur ad supermentales excessus.

Homo excaecatus et incurvatus.

In Christo gratia et veritas.

Triplex theologia.

8. Qui igitur vult in Deum ascendere necesse est, ut vitata culpa deformante naturam, naturales potentias supradictas exerceat ad *gratiam reformantem*, et hoc per orationem; ad *iustitiam purificantem*, et hoc in conversatione; ad *scientiam illuminantem*, et hoc in meditatione; ad *sapientiam perficientem*, et hoc in contemplatione. Sicut igitur ad *sapientiam* nemo venit nisi per gratiam, iustitiam et scientiam; sic ad *contemplationem* non venitur[2] nisi per meditationem perspicuam, conversationem sanctam et orationem devotam. Sicut igitur gratia fundamentum est rectitudinis voluntatis et illustrationis perspicuae rationis; sic primo orandum est nobis, deinde sancte vivendum, tertio veritatis spectaculis intendendum et intendendo gradatim ascendendum, quousque veniatur ad *montem excelsum*, ubi *videatur Deus deorum in Sion*[3].

Quadruplex exercitium.

9. Quoniam igitur prius est ascendere quam descendere in scala Iacob[4], *primum* gradum ascensionis collocemus in imo, ponendo totum istum mundum sensibilem nobis tanquam speculum, per quod transeamus ad Deum, opilicem summum, ut simus veri Hebraei transeuntes de Aegypto ad terram Patribus repromissam, simus etiam Christiani cum Christo transeuntes *ex hoc mundo ad Patrem*[5], simus et sapientiae amatores, quae vocat et dicit: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini. A magnitudine namque speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.*

Incipit primus gradus.

10. Relucet autem Creatoris summa potentia et sapientia et benevolentia in rebus creatis, secundum quod hoc tripliciter nuntiat sensus carnis sensui interiori. Sensus enim carnis aut deservit intellectui *rationabiliter investiganti*, aut *fideliter credenti*, aut *intellectualiter contemplanti*. *Contemplans* considerat rerum existentiam actualem, *credens* rerum decursum habitualem[6], *ratiocinans* rerum praecellentiam potentialem.

Tria officia intellectus et tres aspectus.

11. Primo modo aspectus *contemplantis*, res in se ipsis considerans, videt in eis *pondus*, *numerum* et *mensuram*[7]: *pondus* quoad situm, ubi inclinantur, *numerum*, quo distinguuntur, et *mensuram*, qua limitantur. Ac per hoc videt in eis *modum*, *speciem* et *ordinem*, nec non *substantiam*, *virtutem* et *operationem*. Ex quibus consurgere potest sicut ex vestigio ad intelligendum potentiam, sapientiam et bonitatem Creatoris immensam.

Aspectus contemplantis videt tria.

12. Secundo modo aspectus *fidelis*, considerans hunc mundum, attendit *originem*, *decursum* et *terminum*. Nam *fide* credimus, *aptata esse saecula Verbo vitae*[8]; fide credimus, trium legum tempora, scilicet naturae, Scripturae et gratiae sibi succedere et ordinatissime decurrisse; fide credimus, mundum per finale iudicium terminandum esse: in primo potentiam, in secundo providentiam, in tertio iustitiam summi principii advertentes.

Aspectus credentis videt tria.

13. Tertio modo aspectus *ratiocinabiliter investigantis*[9] videt, quaedam tantum *esse*, quaedam autem *esse* et *vivere*, quaedam vero *esse*, *vivere* et *discernere*; et prima quidem esse minora, secunda media, tertia meliora. — Videt iterum, quaedam esse tantum *corporalia*, quaedam *partim corporalia*, *partim spiritualia*; ex quo advertit, aliqua esse *mere spiritualia* tanquam utrisque meliora et digniora. — Videt nihilominus, quaedam esse *mutabilia et corruptibilia*, ut terrestria, quaedam *mutabilia et*

Aspectus ratiocinantis videt tria.

---

[1] Epist. I. Cor. 1, 30. Ibid. v. 24. Apostolus vocat « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam ». — Subinde allegatur Ioan. 1, 14. Ibid. v. 17: Gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Tertius locus est I. Tim. 1, 5.

[2] Edd. cum aliquot codd. *nemo venit*.

[3] Psalm. 83, 8: Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus etc. — Cfr. supra pag. 297, nota 1. — Pro *spectaculis* I, 2 *speculo*.

[4] Gen. 28, 12. Cfr. supra pag. 205, nota 2. — De Hebraeis exeuntibus de Aegypto cfr. Exod. 13, 3. seq.

[5] Ioan. 13, 1. — Seq. locus est Eccli. 24, 26; Vulgata *implemini*. Tertius est Sap. 13, 5; Vulgata habet *enim* pro *namque*.

[6] Cfr. supra Breviloq. Prolog. § 2.

[7] Respicitur Sap. 11, 21; cfr. supra pag. 54, nota 7. — De seqq., quae I. Sent. d. 3. p. I. dub. 3. explicantur, cfr. supra pag. 82, nota 5; pag. 219, nota 1. et pag. 242, nota 5. — Inferius post *potest* G H K L M N addunt *spiritus*.

[8] Hebr. 11, 3: Fide intelligimus aptata... Verbo Dei (E etiam exhibet *Dei*, C *Dei vitae*). Cfr. Breviloq. Prolog. § 2. — Superius pro *fidelis*, *considerans*, H *fideliter considerantis*, L *fideliter credentis*, *considerantis*. Mox pro *trium legum* D G M *trinae legis*, et pro *succedere* D G K M N *successisse*, econtra H P *decurrere* pro *decurrisse*.

[9] Edd. *ratiocinantis investigans*; fere omnes codd. *viri investigantis*, K *rationabiliter viri investigantis*; quo confirmatur nostra lectio summa ex H L. Infra pro *media* D G M *mediocria*; denique Q *colligit*, *quaedam* pro *advertit*, *aliqua*.

Digitized by Google

incorruptibilia, ut caelestia; ex quo advertit, quaedam esse *immutabilia et incorruptibilia*, ut supercaelestia.

Ex his ergo visibilibus consurgit ad consideran-
Se ostendit trina Dei attributa.
dum Dei potentiam, sapientiam et bonitatem ut entem, viventem et intelligentem, mere spiritualem et incorruptibilem et intransmutabilem [1].

14 Haec autem consideratio dilatatur secundum
Dilatatur consideratio 1. gradus.
septiformem conditionem creaturarum, quae est divinae potentiae, sapientiae et bonitatis testimonium
Septem conditiones rerum.
septiforme, si consideretur cunctarum rerum *origo, magnitudo, multitudo, pulcritudo, plenitudo, opera-*
Prima.
ratio et *ordo*. — *Origo* namque rerum secundum creationem, distinctionem et ornatum quantum ad opera sex dierum divinam praedicat potentiam cuncta de nihilo producentem, sapientiam cuncta lucide distinguentem et bonitatem cuncta largiter adornan-
Secunda.
tem [2]. — *Magnitudo* autem rerum secundum molem longitudinis, latitudinis et profunditatis; secundum excellentiam virtutis longe, late et profunde se extendentis, sicut patet in diffusione lucis; secundum efficaciam operationis intimae, continuae et diffusae, sicut patet in operatione ignis, manifeste indicat immensitatem potentiae, sapientiae et bonitatis trini Dei, qui in cunctis rebus per *potentiam*, *praesentiam* et
Tertia.
essentiam [3] incircumscriptus existit. — *Multitudo* vero rerum secundum diversitatem generalem, specialem et individualem in substantia, in forma seu figura et efficacia ultra omnem humanam aestimationem, manifeste trium praedictarum conditionum in
Quarta.
Deo immensitatem insinuat et ostendit. — *Pulcritudo* [4] autem rerum secundum varietatem luminum, figurarum et colorum in corporibus simplicibus, mixtis et etiam complexionatis, sicut in corporibus caelestibus et mineralibus, sicut lapidibus et metallis, plantis et animalibus, tria praedicta evidenter pro-
Quinta.
clamat. — *Plenitudo* autem rerum, secundum quod *materia* est plena formis secundum rationes seminales [5]; *forma* est plena virtute secundum activam potentiam; *virtus* est plena effectibus secundum ef-
Sexta.
ficientiam, idipsum manifeste declarat. — *Operatio* multiplex, secundum quod est *naturalis*, secundum quod est *artificialis*, secundum quod est *moralis*, sua multiplicissima varietate ostendit immensitatem illius *virtutis, artis* et *bonitatis*, quae quidem est omnibus a causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi [6]. — *Ordo* autem secundum rationem *durationis, situationis* et *influentiae*, scilicet per prius et posterius, superius et inferius [7], nobilius et ignobilius, in libro creaturae insinuat manifeste primi principii *primitatem, sublimitatem* et *dignitatem* quantum ad infinitatem *potentiae;* ordo vero divinarum *legum, praeceptorum* et *iudiciorum* in libro Scripturae immensitatem *sapientiae;* ordo autem divinorum *Sacramentorum, beneficiorum* et *retributionum* in corpore Ecclesiae immensitatem *bonitatis*, ita quod ipse ordo nos in primum et summum, potentissimum, sapientissimum et optimum evidentissime manuducit. Septima.

15. Qui igitur tantis rerum creaturarum splendo-
Conclusio notanda.
ribus non illustratur caecus est; qui tantis clamoribus non evigilat surdus est; qui ex omnibus his effectibus Deum non laudat mutus est; qui ex tantis indiciis primum principium non advertit stultus est. — Aperi igitur oculos, aures spirituales admove,
Admonitio.
labia tua solve et cor tuum appone [8], ut in omnibus creaturis Deum tuum videas, audias, laudes, diligas et colas, magnifices et honores, ne forte totus contra te orbis terrarum consurgat. Nam ob hoc *pugnabit orbis terrarum contra insensatos* [9], et econtra sensatis erit materia gloriae, qui secundum Prophetam possunt dicere: *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.*

Cap. II.

De speculatione Dei in vestigiis suis in hoc sensibili mundo.

1. Sed quoniam circa speculum sensibilium non
Gradus 2.
solum contingit contemplari Deum *per ipsa* tanquam per vestigia, verum etiam *in ipsis*, in quantum est in eis per *essentiam, potentiam* et *praesentiam;* et hoc considerare est altius [10] quam praecedens: ideo huiusmodi consideratio secundum tenet locum tanquam secundus contemplationis gradus, quo debemus

---

[1] Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. III. c. 1, et Comment. p. I. dub. 1. — Pro *entem* A *existentem*.

[2] Vide Breviloq. p. II. c. 4. et 2.

[3] Cfr. supra pag. 214, nota 3. — Pro *rebus* edd. *creaturis*.

[4] Definitio pulcritudinis datur in cap. seq. n. 5.

[5] Vide II. Sent. d. 7. p. II. a. 2. q. 4. et d. 18. a. 1. q. 2. seq. Simili modo dicitur in Lib. de Causis, propos. 10: Omnis intelligentia plena est formis. — Pro *secundum quod* D F G M *secundum quam*, et inferius pro *efficientiam* A C D E I K L M N *efficaciam*.

[6] Secundum August., VIII. de Civ. Dei, c. 4, superius pag. 19, nota 7. allegatum. Cfr. etiam supra pag. 12, nota 7.

[7] Vide supra pag. 479, nota 9. definitionem ordinis ex August. allatam. Cfr. etiam Aristot., de Praedicam. c. *de Priori*. — *De libro creaturae* vide Breviloq. p. II. c. 3. seq. et c. 11; de aliis libris vide ibid. Prolog. § 1. seq. et p. VI. c. 1. — Verba *scilicet per prius... ignobilius* omittuntur (et hoc satis probabiliter) a plerisque codd., inter quos B P, non vero ab A. Inferius Vat. omitti *sublimitatem et dignitatem;* vocibus *immensitatem sapientiae* G K L M N interserunt *ostendit*.

[8] Prov. 22, 17; inclina aurem tuam et audi verba sapientium; appone autem cor ad doctrinam meam. — Inferius pro *totus* edd. et plures codd. *universus*, et pro *consurgat* C et 1, 2 *insurgat*.

[9] Sap. 5, 21. — Seq. locus est Ps. 91, 5; tertius est Ps. 103, 24.

[10] H O *et haec consideratio est altior*.

Digitized by Google

manuduci ad contemplandum Deum in cunctis creaturis, quae ad mentem nostram intrant per corporales sensus.

Mundus intrat in animam sec. tres operationes.

2. Notandum igitur, quod iste mundus, qui dicitur *macrocosmus*, intrat ad animam nostram, quae dicitur *minor mundus*[1], per portas quinque sensuum, secundum ipsorum sensibilium *apprehensionem*, *oblectationem* et *diiudicationem*. — Quod patet sic: quia in eo quaedam sunt *generantia*, quaedam *generata*, quaedam *gubernantia* haec et illa.

Tria genera in mundo.

Generantia

Generantia sunt corpora simplicia, scilicet corpora caelestia et quatuor elementa. Nam ex elementis per virtutem lucis conciliantis contrarietatem elementorum in mixtis habent generari et produci, quaecunque generantur et producuntur per operationem virtutis naturalis. — *Generata* vero sunt corpora ex elementis composita, sicut mineralia, vegetabilia, sensibilia et corpora humana[2]. — *Regentia* haec et illa sunt substantiae spirituales, sive *omnino coniunctae*, ut sunt animae brutales, sive *coniunctae separabiliter*, ut sunt spiritus rationales, sive *omnino separatae*, ut sunt spiritus caelestes, quos philosophi *Intelligentias*, nos *Angelos* appellamus. Quibus secundum philosophos competit movere corpora caelestia, ac per hoc eis attribuitur *administratio universi*, suscipiendo a prima causa, scilicet Dei, virtutis influentiam, quam refundunt secundum opus gubernationis, quod respicit rerum consistentiam naturalem. Secundum autem theologos attribuitur eisdem regimen universi secundum imperium summi Dei quantum ad *opera reparationis*, secundum quae dicuntur *administratorii spiritus*, *missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis*[3].

Generata.

Regentia tria.

Opinio philosophorum et theologorum.

Quinque sensibus.

3. Homo igitur, qui dicitur *minor mundus*, habet quinque sensus quasi quinque portas, per quas intrat cognitio omnium, quae sunt in mundo sensibili, in animam ipsius. Nam per *visum* intrant corpora sublimia et luminosa et cetera colorata, per *tactum* vero corpora solida et terrestria, per tres vero *sensus intermedios* intrant intermedia, ut per *gustum* aquea, per *auditum* aerea, per *odoratum* vaporabilia, quae aliquid habent de natura humida, aliquid de aerea, aliquid de ignea seu calida, sicut patet in fumo ex aromatibus resoluto[4].

Sensibilia particularia et communia.

Intrant igitur per has portas tam corpora simplicia quam etiam composita, ex his mixta. Quia vero sensu percipimus non solum haec *sensibilia particularia*, quae sunt lux, sonus, odor, sapor et quatuor *primariae qualitates*, quas apprehendit tactus; verum etiam *sensibilia communia*, quae sunt numerus, magnitudo, figura, quies et motus; et « omne, quod movetur, ab alio movetur[5] », et quaedam a se ipsis moventur et quiescunt, ut sunt animalia: dum per hos quinque sensus *motus* corporum apprehendimus, manuducimur ad cognitionem motorum spiritualium tanquam per effectum in cognitionem causarum.

Quomodo res intrent per apprehensionem.

4. Intrat igitur quantum ad tria rerum genera in animam humanam per *apprehensionem* totus iste sensibilis mundus. Haec autem sensibilia exteriora sunt quae primo ingrediuntur in animam per portas quinque sensuum; intrant, inquam, non per substantias, sed per similitudines suas, primo generatas in medio et de medio in organo et de organo exteriori in interiori et de hoc in potentiam apprehensivam[6]; et sic generatio speciei in medio et de medio in organo et conversio potentiae apprehensivae super illam facit *apprehensionem* omnium eorum quae exterius anima apprehendit.

Quomodo fiat oblectatio.

5. Ad hanc apprehensionem, si sit rei convenientis, sequitur *oblectatio*[7]. Delectatur autem sensus in obiecto per similitudinem abstractam percepto vel ratione *speciositatis*, sicut in visu, vel ratione *suavitatis*, sicut in odoratu et auditu, vel ratione *salubritatis*, sicut in gustu et tactu, appropriate loquendo. Omnis autem delectatio est ratione proportionalitatis. Sed quoniam species tenet rationem *formae*, *virtutis* et *operationis*, secundum quod habet respectum ad principium, a quo manat, ad medium, per quod transit, et ad terminum, in quem agit; ideo proportionalitas aut attenditur in similitudine, secundum quod tenet rationem *speciei seu formae*, et sic dicitur *speciositas*, quia « pulcritudo nihil aliud est quam aequalitas numerosa », seu « quidam par-

Tripler oblectatio explicatur.

Notandum.

Speciositas.

---

[1] In hac propositione post *ute mundus* edd. addunt *sensibilis*, et post *macrocosmus* Vat. cum edd. recentioribus *id est longus mundus*, et ante *minor mundus* derum edd. *microcosmus*, *id est*. Inferius pro *gubernantia* edd. *regentia*.

[2] Cfr. supra Breviloq. p. II. c. 3. et 4. — Immediate post pro *Regentia* A *Gubernantia*, et pro *spiritus rationales* edd. *animae rationales*.

[3] Hebr. 1, 14. Vulgata post *spiritus* addit *in ministerium* et substituit *capient* pro *capiant*. Cfr. II. Sent. d. 10. et 14. Ibid. d. 14. p. I. a. 3. agitur de *Intelligentiis*.

[4] Vide supra pag. 227, nota 5. — De sensibilibus *propriis* seu particularibus et *communibus* (scil. pluribus sensibus) agit Aristot., II. de Anima, text. 63. sequ. (c. 6.). De quatuor primariis qualitatibus (scil. calido, frigido, humido et sicco) cfr. supra pag. 221, nota 1. — Superius pro *cetera colorata* P *corpora colorata*.

[5] Secundum Aristot., VII. Phys. text. 4. sequ. Ibid. VIII. text. 27. sequ. (c. 4.) agitur de motu animalium. — Mox pro *a se ipsis* edd. et plures codd. *se ipsis*; sed apud Aristot. legitur: Eorum autem, quae *per se* [moventur], alia quidem *a se ipsa* [ὑφ' αὑτῶν], alia vero ab alio.

[6] Potentia sensibilis apprehensiva enim dividitur in *exteriorem* et *interiorem*; prior comprehendit quinque sensus exteriores, posterior vero sensum communem, imaginationem (phantasiam), aestimativam et memoriam. — Vat. perperam *in potentia apprehensiva*. Cfr. August., XI. de Trin. c. 9. n. 16, et Aristot., II. de Anima, text. 424. seq. et 436. sequ. (c. 12. et III. c. 2.). — De *medio* cfr. II. de Anima, text. 74. sequ. (c. 7. sequ.) et de Sensu et sens. c. 7. (c. 6.). — Superius post *in organo* edd. addunt *exteriori*.

[7] Delectatio siquidem definitur: coniunctio convenientis cum convenienti. Cfr. tom. I. pag. 38, nota 4. et tom. IV. pag. 394, nota 3, ubi docetur, delectationem proprie consistere in actione consequente hanc coniunctionem.

Digitized by Google

tium situs cum coloris suavitate [1] a. Aut attenditur proportionalitas, in quantum tenet rationem *potentiae seu virtutis*, et sic dicitur *suavitas*, cum virtus agens non improportionaliter excedit recipientem; quia sensus tristatur in extremis et in mediis delectatur [2]. Aut attenditur, in quantum tenet rationem *efficaciae et impressionis*, quae tunc est proportionalis, quando agens imprimendo replet indigentiam patientis, et hoc est *salvare et nutrire ipsum*, quod maxime apparet in gustu et tactu. Et sic per *oblectationem* delectabilia exteriora secundum triplicem rationem delectandi per similitudinem intrant in animam.

Suavitas. Salubritas.

6. Post hanc apprehensionem et oblectationem fit *diiudicatio*, qua non solum diiudicatur, utrum hoc sit album, vel nigrum, quia hoc pertinet ad sensum *particularem* [3]; non solum, utrum sit salubre, vel nocivum, quia hoc pertinet ad sensum *interiorem*; verum etiam, qua diiudicatur et ratio reddatur, *quare* hoc delectat; et in hoc actu inquiritur de *ratione* delectationis, quae in sensu percipitur ab obiecto. Hoc est autem, cum quaeritur *ratio* puleri, suavis et salubris; et invenitur, quod haec est *proportio aequalitatis*. Ratio autem aequalitatis est eadem in magnis et parvis nec extenditur dimensionibus nec succedit seu transit cum transeuntibus nec motibus alteratur. Abstrahit igitur a loco, tempore et motu, ac per hoc est incommutabilis, incircumscriptibilis, interminabilis et omnino spiritualis [4]. *Diiudicatio* igitur est actio, quae speciem sensibilem, sensibiliter per sensus acceptam introire facit depurando et abstrahendo in potentiam intellectivam. Et sic totus iste mundus introire habet in animam humanam per portas sensuum secundum tres operationes praedictas.

Quomodo fiat diiudicatio. Ratio triplicis oblectationis. Notandum. Quid diiudicatio.

7. Haec autem omnia sunt vestigia, in quibus speculari possumus Deum nostrum. — Nam cum species *apprehensa* sit similitudo in medio genita et deinde ipsi organo impressa et per illam impressionem in suum principium, scilicet in obiectum cognoscendum, ducat [5]; manifeste insinuat, quod illa lux aeterna generat ex se similitudinem seu splendorem coaequalem, consubstantialem et coaeternalem; et quod ille qui est *imago invisibilis Dei* et *splendor gloriae et figura substantiae eius* [6], qui ubique est per primam sui generationem, sicut obiectum in toto medio suam generat similitudinem, per gratiam unionis unitur, sicut species corporali organo, individuo rationalis naturae, ut per illam unionem nos reduceret ad Patrem sicut ad fontale principium et obiectum. Si ergo omnia cognoscibilia habent sui speciem generare, manifeste proclamant, quod in illis tanquam in speculis videri potest aeterna generatio Verbi, imaginis et Filii a Deo Patre aeternaliter emanantis.

Applicatio trium operationum ad contemplandum Deum. De apprehensione. Generatio aeterna. Incarnatio.

8. Secundum hunc modum species *delectans* ut *speciosa*, *suavis* et *salubris* insinuat, quod in illa prima specie est prima *speciositas*, *suavitas* et *salubritas*, in qua est summa *proportionalitas* et aequalitas ad generantem; in qua est *virtus*, non per phantasma, sed per veritatem apprehensionis illabens; in qua est *impressio* salvans et sufficiens et omnem apprehendentis indigentiam expellens. Si ergo « delectatio est commutatio convenientis cum conveniente [7] a»; et solius Dei similitudo tenet rationem summae speciosi, suavis et salubris; et unitur secundum *veritatem* et secundum *infinitatem* et secundum *plenitudinem* replentem omnem capacitatem: manifeste videri potest, quod in solo Deo est fontalis et vera *delectatio*, et quod ad ipsam ex omnibus delectationibus manducamur requirendam.

De oblectatione. In Deo delectatio.

9. Excellentiori autem modo et immediatiori *diiudicatio* ducit nos in aeternam veritatem certius speculandam. Si enim diiudicatio habet fieri per rationem *abstrahentem* a loco, tempore et mutabilitate, ac per hoc a dimensione, successione et transmutatione, per rationem *immutabilem* et *incircumscriptibilem* et *interminabilem* [8]; nihil autem est omnino *immutabile*, *incircumscriptibile* et *interminabile*, nisi quod est aeternum; omne autem quod est aeter-

De diiudicatione.

---

[1] Duplex haec definitio pulcritudinis est secundum August., VI. de Musica, c. 13. n. 38. (cfr. tom. I. pag. 515, nota 8.) et XXII. de Civ. Dei, c. 19. n. 2, ubi pro *quadam partium situs* substituitur *partium congruentia* (cfr. tom. IV. pag. 1025, nota 3.).

[2] Vide Aristot., II. de Anima, text. 123. 113. et III. text. 7. (II. c. 12. et III. c. 2. et 4.). — Mox post *attenditur* edd. repetunt *proportionalitas*, et inferius post *Et sic* addunt *apparet, quomodo*.

[3] Edd., excepta 1, *exteriorem*. Secundum modum loquendi Scholasticorum duplex haec lectio approbatur; cfr. Ioan. de Rupella, Sum. de Anima, p. II. c. 18. et 23; Centiloq. (inter opera Bonav.) p. III. sect. 21: Apprehensiva [vis sensibilis] dividitur in sensum particularem et sensum communem, sive in sensum exteriorem et interiorem.

[4] O P *et ideo spiritualis*. — Hoc exponit August., de Vera Relig. c. 30. n. 56. seqq., ex quo quaedam supra pag. 17, nota 3. allata sunt. — Inferius Vat. et recentiores edd. perperam *deputando* pro *depurando*; ante *sensuum* edd. addunt *quinque*.

[5] Edd. *deducat*.

[6] Col. 1, 15. et Hebr. 1, 3. Cum Vulgata et melioribus codd. omisimus *et similitudo* post *imago*. — Dictio inferius posita *unitur individuo rationalis naturae* explicatur III. Sent. d. 10. a. 1. q. 3. — Pro *species corporali organo* A *species corporis* [H K L M P *corporalis*] *organo*. Cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 4.

[7] Cfr. supra pag. 300, nota 7. — August., de Vera Relig. c. 18. n. 35. seqq. et c. 43. n. 81, 83 Qq. q. 23, de similitudine Patris i. e. de Filio Dei, loquens ait: Ipsa est enim species prima, qua sunt, ut ita dicam, speciata, et forma, qua formata sunt omnia. Vide etiam supra pag. 12, nota 7. et pag. 33, nota 5. — Inferius post *vera delectatio* C quaedam addit, quorum summa est: si tanta est dulcedo in creatura, quanta erit in ipso Creatore, ad quam, cum ipsam nondum videamus, ex omnibus delectationibus manducamur requirendam.

[8] Codd. communissime substituunt *et incorruptibilem*, et mox maior pars eorum omittit *incircumscriptibile et interminabile*, et aliquando inferius *indeterminabiliter, incommutabiliter, incorruptibiliter, interminabiliter*.

Digitized by Google

num, est Deus, vel in Deo: si ergo omnia, quaecumque certius diiudicamus, per huiusmodi rationem diiudicamus; patet, quod ipse est *ratio omnium rerum* et *regula infallibilis* et *lux veritatis*, in qua cuncta relucent infallibiliter, indelebiliter, indubitanter, irrefragabiliter, indiiudicabiliter, incommutabiliter, incoarctabiliter, interminabiliter, indivisibiliter et intellectualiter. Et ideo leges illae, per quas indicamus certitudinaliter de omnibus sensibilibus, in nostram considerationem venientibus; cum sint infallibiles et indubitabiles *intellectui apprehendentis*, sint indelebiles a *memoria recolentis* tanquam semper praesentes, sint irrefragabiles et indiiudicabiles *intellectui iudicantis*, quia, ut dicit Augustinus [1], « nullus de eis iudicat, sed per illas »: necesse est, eas esse incommutabiles et incorruptibiles tanquam necessarias, incoarctabiles tanquam incircumscriptas, interminabiles tanquam aeternas, ac per hoc indivisibiles tanquam intellectuales et incorporeas, non factas, sed increatas, aeternaliter existentes in arte aeterna, a qua, per quam et secundum quam formantur formosa omnia; et ideo nec certitudinaliter iudicari possunt nisi per illam quae non tantum fuit forma cuncta *producens*, verum etiam cuncta *conservans* et *distinguens*, tanquam ens in omnibus formam tenens et regula dirigens, et per quam diiudicat mens nostra cuncta, quae per sensus intrant in ipsam [2].

Deus ratio omnium, regula, lux.

De legibus intellectus nostri notandum.

10. Haec autem speculatio *dilatatur* secundum considerationem septem differentiarum *numerorum*, quibus quasi septem gradibus conscenditur in Deum, secundum quod ostendit Augustinus in libro de Vera Religione et in sexto Musicae [3], ubi assignat differentias numerorum gradatim conscendentium ab his sensibilibus usque ad Opificem omnium, ut in omnibus videatur Deus.

Dilatatur considerytio sec. differentias numerorum.

Dicit enim, numeros esse in corporibus et maxime in sonis et vocibus, et hos vocat *sonantes;* numeros ab his abstractos et in sensibus nostris receptos, et hos vocat *occursores;* numeros ab anima procedentes in corpus, sicut patet in gesticulationibus et saltationibus, et hos vocat *progressores;* numeros in delectationibus sensuum ex conversione intentionis super speciem receptam, et hos vocat *sensuales;* numeros in memoria retentos, et hos vocat *memoriales;* numeros etiam, per quos de his omnibus iudicamus, et hos vocat *iudiciales*, qui, ut dictum est, necessarii sunt supra mentem tanquam infallibiles et indiiudicabiles. Ab his autem imprimuntur mentibus nostris numeri *artificiales*, quos tamen inter illos gradus non enumerat Augustinus, quia connexi sunt *iudicialibus;* et ab his manant numeri *progressores*, ex quibus creantur [4] numerosae formae *artificiatorum*, ut a summis per media ordinatus fiat descensus ad infima. Ad hos etiam gradatim ascendimus a numeris *sonantibus*, mediantibus *occursoribus*, *sensualibus* et *memorialibus*.

Septem species numerorum.

Notandum.

Cum igitur omnia sint *pulcra* et quodam modo *delectabilia;* et *pulcritudo* et *delectatio* non sint absque *proportione;* et *proportio* primo sit in numeris: necesse est, omnia esse numerosa; ac per hoc « numerus est praecipuum in animo Conditoris exemplar [5] » et in rebus praecipuum vestigium ducens in Sapientiam. Quod cum sit omnibus evidentissimum et Deo propinquissimum, propinquissime quasi per septem differentias ducit in Deum et facit, eum cognosci in cunctis corporalibus et sensibilibus, dum numerosa *apprehendimus*, in numerosis proportionibus *delectamur* et per numerosarum proportionum leges irrefragabiliter *iudicamus*.

Omnia sunt numerosa.

Numerus ducit in Deum.

11. Ex his duobus gradibus primis, quibus manuducimur ad speculandum Deum in vestigiis quasi ad modum duarum alarum descendentium circa pedes [6], colligere possumus, quod omnes creaturae istius sensibilis mundi animum contemplantis et sapientis ducunt in Deum aeternum, pro eo quod illius primi principii potentissimi, sapientissimi et optimi, illius aeternae originis, lucis et plenitudinis, illius, inquam, artis efficientis, exemplantis et ordinantis sunt *umbrae*, *resonantiae* et *picturae*, sunt *vestigia*, *simulacra* et *spectacula* nobis ad contuendum [7] Deum proposita et *signa* divinitus data; quae, inquam, sunt *exemplaria* vel potius *exemplata*, proposita mentibus adhuc rudibus et sensibilibus, ut per sensibilia, quae vident, transferantur ad intelligibilia, quae non vident, tanquam per signa ad signata.

Epilogus ad 1. et 2. gradum.

Quid sint creaturae.

Notandum.

12. Significant autem huiusmodi creaturae huius mundi sensibilis *invisibilia Dei* [8], partim quia Deus

Quadruplici modo sunt signa.

---

[1] Libr. II. de Lib. Arb. c. 14. n. 38. (cfr. supra pag. 17, nota 4.) et de Vera Relig. c. 31. n. 58. (cfr. tom. I. pag. 69, nota 12.). — Inferius plures codd. omittunt verba *aeternaliter existentes* usque ad *et ideo*. Vat. cum 3, 4 pro *formosa omnia* substituit *speciosa omnia vel formosa*.

[2] Fusius haec ostendunturur supra Quaest. de scientia Christi, q. 4. — Post *regula dirigens* non pauci codd. omittunt *et*.

[3] Per totum. De Vera Relig. magistri res c. 40-44. n. 74-82. Cfr. II. de Lib. Arb. c. 8. n. 20-25. et c. 16. n. 41. seqq. — Superius post *Haec autem* plures codd. prosequuntur *consideratio dilatatur secundum septem differentias spiritualium numerorum, quibus per gradus conscenditur in Deum*.

[4] E I Q *emanantur*, A *procreantur vel emanantur*. Inferius pro *ascendimus* Vat., 3 et 4 *ascendamus*, et voci *sensualibus* [multi codd. *sensibilibus*] Q penemittit *progressoribus*.

[5] Ut dicit Boetb. supra pag. 14, nota 6. allegatus. Cfr. etiam pag. 221, nota 3. — Inferius maior pars codd. omittit *propinquissime*, et substituit *agnosci* pro *cognosci*. Voci *numerosis* praemisimus *in* cum II D I P, alii plures *et in;* utrumque deest in edd.

[6] Respicitur Isai. 6, 2, ubi de Seraphim dicitur, quod alis « duabus velabant pedes eius ». — Post *alarum* I addit *Cherubim*.

[7] D F K L M *contemplandum*. Subiade pro *exempla* ex C substituimus *exemplata;* pro *transferantur* A *transeant* (plures codd. male *transformentur*).

[8] Respicitur Rom. 1, 20. Vide paulo inferius n. 13. — De seqq. cfr. Breviloq. p. I. c. 5; p. II. c. 1. et p. VI. c. 1. seq. De ministerio Angelorum in apparitione vide I. Sent. d. 16. q. 1. in corp. et II. Sent. d. 10. a. 3. q. 2. ad 6.

Digitized by Google

est omnis creaturae *origo*, *exemplar* et *finis*, et omnis effectus est signum causae, et exemplatum exemplaris, et via finis, ad quem ducit; partim ex *propria repraesentatione;* partim ex *prophetica praefiguratione;* partim ex *angelica operatione;* partim ex superaddita *institutione.* Omnis enim creatura ex *natura* est illius aeternae sapientiae quaedam effigies et similitudo, sed *specialiter* illa quae in libro Scripturae per *spiritum prophetiae* assumta est ad spiritualium praefigurationem; *specialius* autem illae creaturae, in quarum effigie Deus *angelico ministerio* voluit apparere; *specialissime* vero ea quam [1] voluit ad significandum *instituere*, quae tenet non solum rationem *signi* secundum nomen commune, verum etiam *Sacramenti.*

Conclusio. 13. Ex quibus omnibus colligitur, quod *invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta, conspiciuntur; ita ut* qui nolunt ista advertere et Deum in his omnibus cognoscere, benedicere et amare *inexcusabiles sint* [2], dum nolunt transferri *de tenebris in admirabile lumen Dei. Deo autem gratias per Iesum Christum, Dominum nostrum,* qui nos *de tenebris transtulit in admirabile lumen suum,* dum per haec lumina exterius data ad speculum mentis nostrae, in quo relucent divina, disponimur ad reintrandum.

Cap. III.

De speculatione Dei per suam imaginem naturalibus potentiis insignitam.

Gradus tertius. 1. Quoniam autem duo gradus praelicti, ducendo nos in Deum per *vestigia* sua, per quae in cunctis creaturis relucet, manuduxerunt nos usque ad hoc, ut ad nos reintraremus, in mentem scilicet nostram, in qua divina relucet *imago;* hinc est, quod iam tertio loco, ad nosmetipsos intrantes et quasi atrium forinsecus relinquentes, in *sanctis* [3], scilicet *anteriori* parte tabernaculi, conari debemus per speculum videre Deum; ubi ad modum candelabri relucet lux veritatis in facie nostrae mentis, in qua scilicet resplendet imago beatissimae Triuitatis.

Notandum.

Tres actus et potentiae. Intra igitur ad te et vide, quoniam mens tua *amat* ferventissime semetipsam; nec se posset amare, nisi se *nosset;* nec se nosset, nisi sui *meminisset*, quia nihil capimus per intelligentiam, quod non sit praesens apud nostram memoriam; et ex hoc advertis, animam tuam triplicem habere potentiam, non oculo carnis, sed oculo rationis [4]. Considera igitur harum trium potentiarum *operationes* et *habitudines*, et videre poteris Deum per te tanquam per imaginem, quod est videre *per speculum in aenigmate.*

Operationes et habitudines considerandae in potentiis.

De operationibus trium operatione memoriae.

2. *Operatio* autem *memoriae* est retentio et repraesentatio non solum *praesentium*, *corporalium* et *temporalium*, verum etiam *succedentium*, *simplicium* et *sempiternalium.* — Retinet namque memoria *praeterita* per recordationem, *praesentia* per susceptionem, *futura* per praevisionem. — Retinet etiam *simplicia*, sicut principia quantitatum continuarum et discretarum [5], ut punctum, instans et unitatem, sine quibus impossibile est meminisse aut cogitare ea quae principiantur per haec. — Retinet nihilominus *scientiarum principia et dignitates* ut *sempiternalia* et sempiternaliter, quia nunquam potest sic oblivisci eorum, dum ratione utatur, quin ea audita approbet et eis assentiat, non tanquam de novo percipiat, sed tanquam sibi innata et familiaria recognoscat; sicut patet, si proponatur alicui: « De quolibet affirmatio, vel negatio »; vel: « Omne totum est maius sua parte », vel quaecumque alia dignitas, cui non est contradicere « ad interius rationem [6] ».

Notandum.

Inde triplicitER apparet anima ad imago Dei. Ex *prima* igitur retentione actuali omnium temporalium, praeteritorum scilicet, praesentium et futurorum, habet effigiem *aeternitatis*, cuius praesens indivisibile ad omnia tempora se extendit. — Ex *secunda* apparet, quod ipsa non solum habet *ab exteriori* formari per phantasmata, verum etiam *a superiori* suscipiendo et in se habendo simplices formas, quae non possunt introire per portas sensuum et sensibilium phantasias [7]. — Ex *tertia* habetur,

---

[1] Codd. A B H I. M N *quae.*

[2] Rom. 1, 20. — Seq. textus est I. Cor. 15, 57; tertius I. Petr. 2, 9, ubi pro *transtulit* Vulgata *vocavit.* — Pro *cognoscere* plures codd. *agnoscere.*

[3] Cfr. Exod. 26, ubi describitur tabernaculum Moysaicum, v. 34. et 35. mentio fit sancti sanctorum et candelabri. — Ps. 4, 7: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Gregor., X. Moral. c. 15. n. 27: Interna quippe facies hominis mens est, in qua nimirum recognoscimur, ut ab auctore nostro diligamur.

[4] Cfr. August., IX. et X. de Trin. (vide I. Sent. d. 3. p. II.). — De oculo carnis et rationis cfr. supra Breviloq. p. II. c. 12. in fine. — Inferius allegatur I. Cor. 13, 12. — Superius pro *ad te* plures codd. *in te*, 1 et 2 *ad te et in te.* Subinde pro *quoniam* A *quantum*, D G *quo modo*, et pro *intelligentiam* G M *intellectum.*

[5] Vide Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto*, ubi quantitati *continuae* annumeratur linea, superficies, corpus, locus et tempus; *discretae* numerus et oratio. — Quomodo memoriae sit praevisio futurorum, exponit August., XV. de Trin. c. 7. n. 13: Nec ex futuris praeterita, sed futura ex praeteritis, non tamen firma cognitione conlicimus... Et praevideamus, non providentia nos instruit, sed memoria etc. — Inferius pro *dum ratione* edd. et aliquot codd. *dummodo ratione.*

[6] Ut ait Aristot., I. Poster. c. 8. (c. 10.), huic dictioni opponendo alteram, scil. « ad exterius orationem (πρὸς τὸν ἔξω λόγον) », contra quam licet semper instantiam ferre (cfr. tom. I. pag. 455, nota 10.). Vat., 3, 4 cum pluribus codd. *admittitur ratione.* — Prima dignitas: de quolibet affirmatio etc., exhibetur ab Aristot., IV. Metaph. text. 15. (III. c. 4.); secunda colligitur ex V. Metaph. text. 30. seq. (IV. c. 25. seq.). — Per verba superius posita: « quin ea audita approbet » etc., respicitur a Boethio data et supra pag. 79, nota 6. allata definitio *communis animi conceptionis*, qualis secundum Euclid., I. Geomet., est: Omne totum est maius sua parte (n. 9.).

[7] Cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2. in fine et IV. d. 49. p. I. q. 2. ad 1-3. — De seq. propositione vide supra Quaest. de scientia Christi, q. 4.

Digitized by Google

Notandum. quod ipsa habet lucem incommutabilem sibi praesentem, in qua meminit invariabilium veritatum. — Et sic per *operationes* memoriae apparet, quod ipsa anima est imago Dei et similitudo adeo sibi praesens et eum habens praesentem, quod eum actu capit et per potentiam « capax » eius est et particeps esse potest [1] ».

De triplici operatione intellectus. 3. *Operatio* autem virtutis *intellectivae* est in perceptione intellectus *terminorum*, *propositionum* et *illationum*. — Capit autem intellectus *terminorum* Intellectus terminorum. *significata*, cum comprehendit, quid est unumquodque per definitionem. Sed definitio habet fieri per superiora, et illa per superiora definiri habent, usque quo veniatur ad suprema et generalissima, quibus ignoratis, non possunt intelligi *definitive* inferiora [2]. Nisi igitur cognoscatur, quid est *ens per se*, non potest *plene* sciri definitio alicuius specialis substantiae. Nec *ens per se* cognosci potest, nisi cognoscatur cum suis conditionibus, quae sunt · *unum*, *verum*, *bonum*. Conditiones 12 entis. Ens autem, cum possit cogitari ut *diminutum* et ut *completum*, ut *imperfectum* et ut *perfectum*, ut ens *in potentia* et ut ens *in actu*, ut ens *secundum quid* et ut ens *simpliciter*, ut ens *in parte* et ut ens *totaliter*, ut ens *transiens* et ut ens *manens*, ut ens *per aliud* et ut ens *per se*, ut ens *permixtum* non-enti et ut ens *purum*, ut ens *dependens* et ut ens *absolutum*, ut ens *posterius* et ut ens *prius*, ut ens *mutabile* et ut ens *immutabile*, ut ens *simplex* et ut ens *compositum*: cum « privationes et defectus nullatenus possint cognosci nisi per positiones » [3], non venit intellectus noster ut *plene resolvens* intellectum alicuius entium creatorum, nisi *iuvetur* ab intellectu entis purissimi, actualissimi, completissimi et absoluti; quod est *ens simpliciter* et *aeternum*, in quo sunt rationes omnium in sua puritate. Plena resolutio terminorum ducit ad Deum. Quomodo autem sciret intellectus, hoc esse ens defectivum et incompletum, si nullam haberet cognitionem entis absque omni defectu? Et sic de aliis conditionibus praelibatis.

Intellectus propositionum. Intellectum autem *propositionum* tunc intellectus dicitur veraciter comprehendere, cum certitudinaliter scit, illas veras esse; et hoc scire est scire, quoniam non potest falli in illa comprehensione. Scit enim, quod veritas illa non potest aliter se habere; Notandum. scit igitur, illam veritatem esse incommutabilem. Sed cum ipsa mens nostra sit commutabilis, illam sic incommutabiliter relucentem non potest videre nisi per aliquam lucem omnino incommutabiliter radiantem, quam impossibile est esse creaturam mutabilem. Scit igitur in illa luce, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quae est *lux vera* et *Verbum in principio apud Deum* [4].

Intellectus illationum. Intellectum vero *illationis* tunc veraciter percipit noster intellectus, quando videt, quod conclusio *necessario* sequitur ex praemissis; quod non solum videt in terminis necessariis, verum etiam in contingentibus, ut: si homo currit, homo movetur. Hanc autem necessariam habitudinem percipit non solum in rebus entibus, verum etiam in non-entibus. Sicut enim, homine existente, sequitur: si homo currit, homo movetur; sic etiam, non existente. Huiusmodi igitur *illationis necessitas* non venit ab existentia rei in *materia*, qua est contingens, nec ab existentia rei in *anima*, qua tunc esset fictio, si non esset in re: venit igitur ab exemplaritate in arte aeterna, secundum quam res habent aptitudinem et habitudinem ad inviicem secundum illius aeternae artis *repraesentationem*. Omnis igitur, ut dicit Augustinus Notandum. de Vera Religione [5], *vere ratiocinantis* lumen accenditur ab illa veritate et ad ipsam nititur pervenire. — Ex quo manifeste apparet, quod coniunctus sit Conclusio. intellectus noster ipsi aeternae veritati, dum non nisi per illam docentem nihil verum potest certitudinaliter capere. Videre igitur per te potes veritatem, quae te docet, si te concupiscentiae et phantasmata non impediant et se tanquam nubes inter te et veritatis radium non interponant.

De triplici operatione electivae. 4. *Operatio* autem virtutis *electivae* attenditur in *consilio*, *iudicio* et *desiderio*. — *Consilium* autem Consilium. est in inquirendo, quid sit melius, hoc an illud. Sed melius non dicitur nisi per accessum ad optimum; accessus autem est secundum maiorem assimilationem [6]: nullus ergo scit, utrum hoc sit illo melius, nisi *scias*, illud optimo magis assimilari. Nullus autem

---

[1] August., XIV. de Trin. c. 8. n. 11.

[2] Secundum Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 4.). Cfr. etiam Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie*, ex quo supra pag. 71, nota 3. quaedam allata sunt. — De conditionibus entis vide supra pag. 215, nota 4.

[3] Averroes, in III. de Anima, text. 25: Et universaliter omnes privationes non cognoscuntur nisi per contraria, scilicet per cognitionem habitus et per cognitionem defectus habitus. Cfr. tom. III. pag. 802, nota 8. et supra pag. 19, nota 8. — De *rationibus* rerum in Deo agitur supra Quaest. de scientia Christi, q. 2. seq. — Multi codd., 1 et 2 *positionem*.

[4] Ioan. 1, 1. et 9. Vide supra Quaest. de scientia Christi, q. 4. — Pro *in illa luce* D G H K L M N *illam lucem*. Vocibus *aliquam lucem* edd. inserunt *alterm*.

[5] Cap. 39. n. 72: Noli foras ire, in te ipsum redi, in interiore homine habitat veritas; et si tuam naturam mutabilem inveneris, transcende et te ipsum. Sed memento, cum te transcendis, ratiocinantem animam te transcendere. Huc ergo tende, unde ipsum lumen rationis accenditur. Quo enim pervenit omnis bonus ratiocinator nisi ad veritatem? cum ad se ipsam veritas non utique ratiocinando perveniat, sed quod ratiocinantes appetunt ipsa sit (Pro *Omnis* D F G H K L M *Omne*, et pro *vere ratiocinantis* D F G M *verae rationis*). — Haec de triplici operatione virtutis intellectivae doctrina refertur quasi ad verbum a Fr. Matthaeo ab Aquasparta, Quaest. prima disputata in corp. a nobis edita in opusculo: de Humanae Cognitionis ratione (pag. 98 seq.); ubi notanda sunt quae ibid. praemittuntur contra ontologismum. — Superius pro *quin est* et *quin tunc* non pauci codd. *quae est* et *quae tunc*.

[6] Aristot., IV. Metaph. text. 18. (III. c. 4.): Ipsum *magis* et *minus* inest entium naturae... Si igitur quod magis est propinquius est, profecto erit aliquid verum, cui propinquius est quod magis verum est.

Digitized by Google

scit, aliquid alii magis assimilari, nisi illud cognoscat; non enim scio, hunc esse similem Petro, nisi sciam vel cognoscam Petrum: omni igitur *consilianti* necessario est impressa notio summi boni [1].

Iudicium autem certum de consiliabilibus est per aliquam legem. Nullus autem certitudinaliter iudicat per legem, nisi certus sit, quod illa lex recta est, et quod ipsam iudicare non debet; sed mens nostra iudicat de se ipsa: cum igitur non possit iudicare de lege, per quam iudicat; lex illa superior est mente nostra, et per hanc iudicat, secundum quod sibi impressa est. Nihil autem est superius mente humana, nisi solus ille qui fecit eam [2]: igitur in iudicando *deliberatione* nostra pertingit ad divinas leges, si *plena resolutione* dissolvat. Iudicium.

Desiderium autem principaliter est illius quod maxime ipsum movet. Maxime autem movet quod maxime amatur; maxime autem amatur esse beatum; beatum autem esse non habetur nisi per optimum et finem ultimum: nihil igitur appetit humanum *desiderium* nisi quia summum bonum, vel qua est ad illud, vel quia habet aliquam effigiem illius. Tanta est vis summi boni, ut nihil nisi per illius desiderium a creatura possit amari, quae hunc fallitur et errat, cum effigiem et simulacrum pro veritate acceptat [3]. Desiderium.

Vide igitur, quomodo anima Deo est propinqua, et quomodo memoria in aeternitatem, intelligentia in veritatem, electiva potentia ducit in bonitatem summam secundum operationes suas. Conclusio.

5. Secundum autem harum potentiarum *ordinem* et *originem* et *habitudinem* ducit in ipsam beatissimam Trinitatem. — Nam ex memoria *oritur* intelligentia ut ipsius proles, quia tunc intelligimus, cum similitudo, quae est in memoria, resultat in acie intellectus, quae nihil aliud est quam verbum; ex memoria et intelligentia spiratur amor tanquam nexus amborum. Haec tria, scilicet *mens generans*, *verbum* et *amor*, sunt in anima quoad memoriam, intelligentiam et voluntatem, quae sunt consubstantiales, consquales et coaevae, se invicem circumincedentes [4]. Si igitur Deus perfectus est spiritus, habet *memoriam*, *intelligentiam* et *voluntatem*, habet et *Verbum* genitum et *Amorem* spiratum, qui necessario distinguuntur, cum unus ab altero proliferatur, non *essentialiter*, non *accidentaliter*, ergo *personaliter*. De habitudinibus potentiarum. Haec insinuant Trinitatem.

Dum igitur mens se ipsam consulerat, per se tanquam per speculum consurgit ad speculandam Trinitatem beatam, Patris, Verbi et Amoris, trium personarum coaeternarum, coaequalium et consubstantialium, ita quod quilibet in quolibet est aliorum, unus tamen non est alius, sed ipsi tres sunt unus Deus. Conclusio.

6. Ad hanc speculationem, quam habet anima de suo principio trino et uno per trinitatem suarum potentiarum, per quas est imago Dei, *invenitur* per lumina scientiarum, quae ipsam perficiunt et informant et Trinitatem beatissimam tripliciter repraesentant. — Nam omnis philosophia aut est *naturalis*, aut *rationalis*, aut *moralis*. Prima agit de causa essendi, et ideo ducit in *potentiam Patris;* secunda de ratione intelligendi, et ideo ducit in *sapientiam Verbi;* tertia de ordine vivendi, et ideo ducit in *bonitatem Spiritus sancti* [5]. Dilatatur et paratur haec speculatio per humana philosophiae. Philosophiae prima divisio.

Rursus, *prima* dividitur in metaphysicam, mathematicam et physicam. Et prima est de rerum essentiis, secunda de numeris et figuris, tertia de naturis, virtutibus et operationibus diffusivis. Et ideo prima in *primum principium, Patrem*, secunda in eius *imaginem, Filium*, tertia ducit in *Spiritus sancti donum*. Subdivisio I. membri.

Secunda dividitur in grammaticam, quae facit potentes ad exprimendum; in logicam, quae facit perspicaces ad arguendum; in rhetoricam, quae facit habiles ad persuadendum sive movendum. Et hoc similiter insinuat mysterium ipsius beatissimae Trinitatis. Rem. 2. membri.

Tertia dividitur in monasticam, oeconomicam et politicam. Et ideo prima insinuat *primi principii innascibilitatem*, secunda *Filii familiaritatem*, tertia *Spiritus sancti liberalitatem*. Rem. 3. membri.

7. Omnes autem hae scientiae habent regulas certas et infallibiles tanquam lumina et radios descendentes a lege aeterna in mentem nostram. Et ideo mens nostra tantis splendoribus irradiata et superfusa, nisi sit caeca, mundum potest per semetipsam ad contemplandum illum lucem aeternam. Huius autem lucis irradiatio et considerata sapientes suspendit in admirationem et econtra insipientes, qui non Epilogus.

---

[1] August., Vid. de Trin. c. 3. n. 4: Bonum hoc et bonum illud, tolle *hoc* et *illud* et vide ipsum bonum, si potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis... diceremus aliud alio melius, cum vere iudicamus, nisi esset *nobis impressa notio ipsius boni*, secundum quod et probaremus aliquid et aliud illi praeponeremus. — Pro *notio* Vat., 3 et 4 *notitia*.

[2] Secundum August. loc. superius pag. 302, nota 1. allegatis. — Mox pro *deliberatione* H K L *deliberate mens*.

[3] Haec ratio exponitur a Boeth., III. de Consol. per totum. Cfr. August., II. de Lib. Arb. c. 9. n. 26, et Aristot., I. Ethic. c. 4. seqq. — Superius pro *igitur*, quod D H M omittunt, A *enim*, edd. *autem;* deinde post *nisi* supplevimus ex A B C E P *quae*, pro quo H F G H L M N *propter*.

[4] Vide I. Sent. lit. Magistri, d. III. c. 2. seq., idi loci ex Augustino allati sunt; cfr. dict. Comment. p. II. et supra Breviloq. p. II. c. 12. — H F G L M N *se invicem non excedentes* (de *circumincessione* cfr. I. Sent. d. 19. p. I. q. 4.). Mox post *spiritus* D F H N addunt *qui*, L *quae*.

[5] Vide supra pag. 19, nota 7. verba Augustini. — De divisione *philosophiae* cfr. infra opusculum de Reductione artium ad theologiam. — Superius pro *per quas est imago Dei* F G H K L M N *per quas imago Dei exprimatur;* subinde plures codd., inter quos B P, omittunt *ducit* secunda et tertia vice.

Digitized by Google

credunt, ut intelligant, ducit in perturbationem, ut impleatur illud propheticum [1]: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis, turbati sunt omnes insipientes corde.*

Cap. IV.

De speculatione Dei in sua imagine donis gratuitis reformata.

1. Sed quoniam non solum *per nos* transeundo, verum etiam *in nobis* contingit contemplari primum principium; et hoc maius est quam praecedens: ideo hic modus considerandi quartum obtinet contemplationis gradum. Mirum autem videtur, cum ostensum sit [2], quod Deus sit ita propinquus mentibus nostris, quod tam paucorum est in se ipsis primum principium speculari. Sed ratio est in promptu, quia mens humana, sollicitudinibus distracta, non intrat ad se per *memoriam;* phantasmatibus obnubilata, non redit ad se per *intelligentiam;* concupiscentiis illecta, ad se ipsam nequaquam revertitur per *desiderium* suavitatis internae et laetitiae spiritualis. Ideo totaliter in his sensibilibus iacens, non potest ad se tanquam ad Dei imaginem reintrare.

Gradus 4. — Observatio notanda.

2. Et quoniam, ubi quis ceciderit, necesse habet ibidem recumbere, nisi apponat quis et *adiciat, ut resurgat* [3]; non potuit anima nostra perfecte ab his sensibilibus relevari ad continuum sui et aeternae Veritatis in se ipsa, nisi Veritas, assumta forma humana in Christo, fieret sibi scala reparans priorem scalam, quae fracta fuerat in Adam.

Necessitas redemptionis.

Ideo, quantumcumque sit illuminatus quis lumine naturae et scientiae arquisitae, non potest intrare in se, ut in se ipso *delectetur in Domino,* nisi mediante Christo, qui dicit [4]: *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.* Ad hoc autem *ostium* non appropinquamus, nisi in ipsum *credamus, speremus* et *amemus.* Necesse est igitur, si reintrare volumus ad fruitionem Veritatis tanquam ad paradisum, quod ingrediamur per *fidem, spem* et *caritatem* mediatoris Dei et hominum Iesu Christi, qui est tanquam *lignum vitae in medio paradisi.*

Christus solus ostium. — Necessariae fides, spes, caritas.

3. Supervestienda est igitur imago mentis nostrae tribus virtutibus theologicis, quibus anima *purificatur, illuminatur* et *perficitur,* et sic imago reformatur et conformis supernae Ierusalem efficitur et pars Ecclesiae militantis, quae est proles, secundum Apostolum, Ierusalem caelestis. Ait enim [5]: *Illa quae sursum est Ierusalem libera est, quae est mater nostra.* — Anima igitur credens, sperans et amans Iesum Christum, qui est Verbum *incarnatum, increatum* et *inspiratum,* scilicet *via, veritas* et *vita;* dum per *fidem* credit in Christum tanquam in Verbum *increatum,* quod est Verbum et splendor Patris [6], recuperat spiritualem *auditum* et *visum,* auditum ad suscipiendum Christi sermones, *visum* ad considerandum illius lucis splendores. Dum autem *spe* suspirat ad suscipiendum Verbum *inspiratum,* per desiderium et affectum recuperat spiritualem *olfactum.* Dum *caritate* complectitur Verbum *incarnatum,* ut suscipiens ab ipso delectationem et ut transiens in illud per ecstaticum amorem, recuperat *gustum* et *tactum.* Quibus sensibus recuperatis, dum sponsum suum videt et audit, odoratur, gustat et amplexatur, decantare potest tanquam sponsa Canticum canticorum, quod factum fuit ad exercitium contemplationis secundum hunc quartum gradum, quem *nemo* capit, *nisi qui accipit* [7], quia magis est in experientia affectuali quam in consideratione rationali. In hoc namque gradu, reparatis [8] sensibus interioribus ad sentiendum summe pulcrum, audiendum summe harmonicum, odorandum summe odoriferum, degustandum summe suave, apprehendendum summe delectabile, disponitur anima ad mentales excessus, scilicet per *devotionem, admirationem* et *exultationem,* secundum illas tres exclamationes, quae fiunt in Canticis canticorum. Quarum prima fit per abundantiam *devotionis,* per quam fit anima *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris* [9]; secunda per excellentiam *admirationis,* per

Effectus virtutum theologicarum. — Ipse restituunt 5 sensus spirituales. — Canticum canticorum. — Excessus mentales tres.

---

[1] Psalm. 75, 5. seq. — Superius pro *ut intelligant A vel non intelligant;* cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 36. n. 7, ubi ostenditur, credendum esse, ut intelligatur, quia credendo homo fit *idoneus* ad intelligendum (Isai. 7, 9. secundum septuaginta interpretes: Nisi credideritis, non intelligetis).

[2] Cap. praeced. — De fundamentis huius cap. cfr. Breviloq. p. II. c. 10. et 12, ubi de anima, in quantum est Dei imago; p. V. c. 1, ubi de tribus virtutibus theologicis; ibid. c. 6. de sensibus spiritualibus; p. II. c. 8, ubi de triplici actu hierarchico et novem ordinibus Angelorum; Prolog. § 4, ubi de triplici intelligentia Scripturae. — Mox pro *quod tam paucorum est* non pauci recentiores codd. *tam paucos.*

[3] Isai. 24, 20: Et corruet et non adiicet etc. Maior et melior pars codd. *iacere, iacentem, ut resurgat* non tam apte, licet haec verba habeat August., de Vera Relig. c. 42. n. 79.

[4] Ioan. 10, 9. — Ps. 36, 4: Delectare in Domino etc. — Inferius respicitur 1. Tim. 2, 5: Unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, Iacob. 2, 9, quod exponens August., VIII. de Gen. ad lit. c. 5. n. 9, ait: Sic et Sapientia [Prov. 3, 18.], idem ipse Christus, lignum vitae est in paradiso spirituali etc. Cfr. XIII. de Civ. Dei, c. 20. et XX. c. 26. n. 2. — Inferius post *appropinquamus* codd. prosequuntur: *nisi in Christum credamus, in ipso speremus et eum amemus.*

[5] Gal. 4, 26: Illa autem, quae etc. — Mox allegatur Ioan. 14, 6. — De triplici statu Verbi vide Breviloq. p. IV. c. 1. in fine. — Superius pro *purificatur A purgatur* (cfr. supra pag. 225, nota 6.), et post *reformatur* Vat. cum nonnullis edd. addit *reficitur.*

[6] Cfr. Ioan. 1, 1. et Hebr. 1, 3. — Inferius pro *auditum ad suscipiendum* maior pars codd. *auditum suscipiendi.*

[7] Apoc. 2, 17: Nemo scit, nisi etc.

[8] Ita ABCDIP, edd. *recuperatis;* mox pro *videndum* ex multis codd. substituimus *sentiendum.* A *sentiendum vel videndum,* C *contiendum.*

[9] Cap. 3, 6. — Secundus loc. est ibid. 6, 9: Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna,

Digitized by Google

quam fit anima sicut *aurora*, *luna* et *sol*, secundum processum illuminationum suspendentium animam ad admirandum sponsum consideratum; tertia per superabundantiam *exultationis*, per quam fit anima suavissimae delectationis *deliciis affluens*, *innixa* totaliter *super dilectum suum*.

Spiritus fit hierarchicus.

4. Quibus adeptis, efficitur spiritus noster *hierarchicus* ad conscendendum sursum secundum conformitatem ad illam Ierusalem supernam, in quam nemo intrat, nisi prius per gratiam ipsa in cor descendat, sicut vidit Ioannes in Apocalypsi sua [1]. Tunc autem in cor descendit, quando per reformationem imaginis, per virtutes theologicas et per dilectationes spiritualium sensuum et suspensiones excessuum efficitur spiritus noster *hierarchicus*, scilicet purgatus, illuminatus et perfectus. — Sic etiam gradibus novem ordinum insignitur, dum ordinate in eo interius disponitur *nuntiatio*, *dictatio*, *ductio*, *ordinatio*, *roboratio*, *imperatio*, *susceptio*, *revelatio*, *unctio* [2], quae gradatim correspondent novem ordinibus Angelorum, ita quod primi trium praedictorum gradus respiciunt in mente humana *naturam*, tres sequentes *industriam*, et tres postremi *gratiam*. Quibus habitis, anima intrando in se ipsam, intrat in supernam Ierusalem, ubi ordines Angelorum considerans, videt in eis Deum, qui habitans in eis omnes eorum operatur operationes. Unde dicit Bernardus ad Eugenium [3], quod « Deus in Seraphim amat ut caritas, in Cherubim novit ut veritas, in Thronis sedet ut aequitas, in Dominationibus dominatur ut maiestas, in Principatibus regit ut principium, in Potestatibus tuetur ut salus, in Virtutibus operatur ut virtus, in Archangelis revelat ut lux, in Angelis assistit ut pietas ». Ex quibus omnibus videtur *Deus omnia in omnibus* [4] per contemplationem ipsius in mentibus, in quibus habitat per dona affluentissimae caritatis.

Fit particeps 9 ordinum Angelorum.

Confirmatur.

Divinitus et invatur haec speculatio per Scripturam.

5. Ad huius autem speculationis gradum speciaiter et praecipue adminiculatur consideratio sacrae *Scripturae* divinitus immissae, sicut philosophia ad praecedentem. Sacra enim Scriptura principaliter est de operibus reparationis. Unde et ipsa praecipue agit de fide, spe et caritate, per quas virtutes habet anima reformari, et specialissime de caritate. De qua dicit Apostolus [5], quod *est finis praecepti*, secundum quod est *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta*. Ipsa est *plenitudo Legis*, ut dicit idem. Et Salvator noster asserit, totam Legem Prophetasque pendere in duobus praeceptis eiusdem, scilicet dilectione Dei et proximi; quae duo iunguntur in uno sponso Ecclesiae Iesu Christo, qui simul est proximus et Deus, simul frater et dominus, simul etiam rex et amicus, simul Verbum increatum et incarnatum, formator noster et reformator, ut *alpha et omega* [6]; qui etiam summus hierarcha est, purgans et illuminans et perficiens sponsam, scilicet totam Ecclesiam et quamlibet animam sanctam.

Duplex dilectio unitur in Christo.

6. De hoc igitur hierarcha et ecclesiastica hierarchia est tota sacra Scriptura, per quam docemur purgari, illuminari et perfici, et hoc secundum triplicem *legem* in ea traditam, scilicet naturae, Scripturae et gratiae; vel potius secundum triplicem *partem eius principalem*, legem scilicet Moysaicam purgandam, revelationem prophetiam illustrantem et eruditionem evangelicam perficientem [7]; vel potissimo secundum triplicem eius *intelligentiam spiritualem: tropologicam*, quae purgat ad honestatem vitae; *allegoricam*, quae illuminat ad claritatem intelligentiae; *anagogicam*, quae perficit per excessus mentales et sapientiae perceptiones suavissimas, secundum *virtutes* praedictas tres theologicas et *sensus* spirituales reformatos et *excessus* tres supradictos et *actus mentis hierarchicos*, quibus ad interiora regreditur mens nostra, ut ibidem speculetur Deum *in splendoribus Sanctorum* [8] et in eisdem tanquam in cubilibus *dormiat in pace et requiescat*, sponso adiurante, quod non excitetur, donec de eius voluntate procedat.

Tota Scriptura est de Christo et Ecclesia.

Triplex lex, pars, intelligentia.

7. Ex his autem duobus gradibus mediis, per quos ingredimur ad contemplandum Deum *intra nos* tanquam in speculis imaginum creatarum, et hoc quasi ad modum alarum expansarum ad volandum, quae tenebant medium locum [9], intelligere possumus, quod in divina mamuducimur per ipsius animae rationalis potentias *naturaliter insitas* quantum ad earum *operationes*, *habitudines* et *habitus scientiales*; secundum quod apparet ex tertio gradu. — Mamuducimur etiam per ipsius animae potentias *reformatas*, et hoc gratuitis *virtutibus*, *sensibus* spiritualibus et mentalibus *excessibus*; sicut patet ex

Ergo ergo ad 3. et 6. gradum.

---

electa ut sol. Tertius ibid. 8, 5. — Interius pro *admirandum* plures codd., inter quos etiam H, *intrandum*. Subinde pro *consideratum* H *desideratum*.

[1] Cap. 21, 2: Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam, descendentem de caelo a Deo etc.

[2] Vat., 3 et 4 cum aliquot codd. *unitio*, M *unio*; sed cfr. Dionys., de Eccles. Hierarch. c. 4, § 10. et coll. 22. in Hexaem. Mox pro *trium primo* ex A I et I substituimus *primi trium*.

[3] Sive V. de Considerat. c. 5. n. 12.

[4] Epist. I. Cor. 15, 28.

[5] Epist. I. Tim. 1, 5. — Seq. locus est Rom. 13, 10. Subinde respicitur Matth. 22, 40: In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetae.

[6] Apoc. 1, 8; 21, 6. et 22, 13. — Cum plurimis et melioribus codd. unic *alpha* posuimus *ut*.

[7] Cfr. Breviloq. Prolog. § 4. seq. — Pro *illustrantem* plures codd. *illuminantem*.

[8] Psalm. 109, 3. — Subinde respicitur Ps. 4, 9: In pace in idipsum dormiam et requiescam; et Cant. 2, 7: Adiuro vos, filiae Ierusalem... ne suscitetis neque excitare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

[9] Isai. 6, 2: Duabus [alis] velabant facies eius et duabus velabant pedes eius et duabus volabant. — Mox pro *in divina* maior pars codd., I et 2 *in decinis*, B M N *decinis*, H K L *ad decinis*.

Digitized by Google

quarto. Manuducimur nihilominus per *hierarchicas operationes*, scilicet purgationis, illuminationis et perfectionis mentium humanarum, per hierarchicas revelationes sacrarum Scripturarum nobis per Angelos datarum, secundum illud Apostoli, quod Lex data est *per Angelos in manu Mediatoris*[1]. Et tandem manuducimur per *hierarchias et hierarchicos ordines*, qui in mente nostra disponi habent ad instar supernae Ierusalem.

Effectus duorum graduum.

8. Quibus omnibus luminibus intellectualibus mens nostra repleta, a divina Sapientia tanquam domus Dei inhabitatur, effecta Dei filia, sponsa et amica; effecta Christi capitis membrum, soror et coheres; effecta nihilominus Spiritus sancti templum, fundatum per fidem, elevatum per spem et Deo dedicatum per mentis et corporis sanctitatem. Quod totum facit sincerissima caritas Christi, quae *diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*[2], sine quo Spiritu non possumus scire secreta Dei. Sicut enim *quae sunt hominis* nemo potest scire *nisi spiritus hominis, qui est in illo; ita et quae sunt Dei nemo scit nisi spiritus Dei*. — In caritate igitur radicemur et fundemur, *ut possimus comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo* aeternitatis, quae *latitudo* liberalitatis, quae *sublimitas* maiestatis et quod *profundum* sapientiae indicantis.

Caritas Christi.

Admonitio.

Cap. V.

De speculatione divinae unitatis per eius nomen primarium, quod est esse.

Gradus 5.

1. Quoniam autem contingit contemplari Deum non solum *extra nos* et *intra nos*, verum etiam *supra nos: extra* per vestigium, *intra* per imaginem et *supra* per lumen, quod est signatum supra mentem nostram[3], quod est lumen Veritatis aeternae, cum « ipsa mens nostra immediate ab ipsa Veritate formetur »; qui exercitati sunt in primo modo intraverunt iam in *atrium* ante tabernaculum; qui vero in secundo, intraverunt in *sancta;* qui autem in tertio, intrant cum summo Pontifice in *sancta sanctorum;* ubi supra arcam sunt Cherubim gloriae obumbrantia propitiatorium; per quae intelliguntur duos modos seu gradus contemplandi Dei invisibilia et aeterna, quorum unus versatur circa essentialia Dei, alius vero circa propria personarum.

Quid 2 Cherubim.

2. Primus modus primo et principaliter defigit aspectum in ipsum *esse*, dicens, quod *qui est*[4] est primum nomen Dei. Secundus modus defigit aspectum in ipsum *bonum*, dicens, hoc esse primum nomen Dei. Primum spectat potissime ad *vetus* testamentum, quod maxime praedicat divinae essentiae unitatem; unde dictum est Moysi[5]: *Ego sum qui sum;* secundum ad *novum*, quod determinat personarum pluralitatem, baptizando *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*. Ideo magister noster Christus, volens adolescentem, qui servaverat Legem, ad evangelicam levare perfectionem, nomen *bonitatis* Deo principaliter et praecise attribuit. *Nemo*, inquit, *bonus nisi solus Deus*. Damascenus[6] igitur sequens Moysen dicit, quod *qui est* est primum nomen Dei; Dionysius sequens Christum dicit, quod *bonum* est primum nomen Dei.

Esse est primum Dei nomen, bonum vero secundum.

3. Volens igitur contemplari Dei invisibilia quoad *essentiae unitatem* primo defigat aspectum in ipsum *esse*[7] et videat, ipsum esse adeo in se *certissimum*, quod non potest cogitari non esse, quia ipsum *esse purissimum* non occurrit nisi in plena fuga *non-esse*, sicut et *nihil* in plena fuga *esse*. Sicut igitur *omnino nihil* nihil habet de *esse* nec de eius conditionibus; sic econtra ipsum *esse* nihil habet de *non-esse*, nec actu nec potentia, nec secundum veritatem rei nec secundum aestimationem nostram. Cum autem *non-esse* privatio sit essendi, non cadit in intellectum nisi per *esse*[8]; *esse* autem non cadit per aliud, quia omne, quod intelligitur, aut intelligitur ut *non ens*, aut ut *ens in potentia*, aut ut *ens in actu*. Si igitur *non ens* non potest intelligi nisi per *ens*, et *ens in potentia* non nisi per *ens in actu;* et *esse* nominat ipsum purum actum entis: *esse* igitur est quod primo cadit in intellectu, et illud *esse* est quod est purus actus[9]. Sed hoc non est *esse* particulare, quod

De primo nomine.

Esse purissimum.

Notandum.

Esse cadit primo in intellectum.

Notandum.

---

[1] Gal. 3, 19. — Inferius pro *mens* [A, 1 et 2 *anima*] *nostra repleta* maior pars codd. *spiritus noster repletus*, quae etiam subinde post *inhabitatur* addit *atque anima nostra*, sed parum congrue.

[2] Rom. 5, 5. (Post *nostris* plures codd. addunt *et corporibus*). — Seq. locus est I. Cor. 2, 11; tertius Eph. 3, 17. seq.

[3] Psalm. 4, 7: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. — Seq. sententia est Augustini; cfr. supra pag. 180, nota 10. — Subinde respicitur Exod. 25-28, ubi describitur tabernaculum.

[4] Exod. 3, 14.

[5] Exod. 3, 14. — Seq. locus est Matth. 28, 19; tertius Luc. 18, 19.

[6] Lib. I. de Fide orthod. c. 9. — Dionys., de Div. Nom. c. 3. § 1. et c. 4. § 1. Cfr. I. Sent. d. 22. q. 3. in corp.

[7] Non in *quodlibet esse*, scil. non in *esse creatum* sive arctatum, neque in illud *esse*, quod communissimo conceptu entis repraesentatur, sive in *esse* analogum, sed in illud quod exprimitur verbis: *Ego sum qui sum*, et quod, ut ait Damasc. loc. cit., est « totum *esse* in se comprehendens velut quoddam pelagus substantiae infinitum et interminatum ». Solum tale *esse* ex adverso opponitur *nihilo*. Cfr. I. Sent. d. 8. p. I. a. 1. q. 2.

[8] Cfr. supra pag. 304, nota 3. — Avicenna, Metaph. tr. 1. c. 6: Dicemus igitur, quod *ens* et *res* et *necesse* talia sunt, quod statim imprimuntur in anima *prima impressione*, quae non acquiritur ex aliis notioribus se etc. (Notandum, quod Avicenna dicit *ens*, non *esse*, de quo hic agitur).

[9] Bene observari debet differentia inter intellectum apprehendentem et resolventem, inter intellectum simpliciter reflectentem et quintum gradum contemplationis (de quibus vide infra scholion). Cum creatura sit *ens*, per ipsam quidem cognosci potest *non ens;* cum quaedam creatura in aliquo genere sit *ens in actu*, per ipsam cognosci potest *ens in potentia;* sed tunc non agitur de *perfecta* cognitione *creaturae in se*,

Digitized by Google

est *esse* arctatum, quia permixtum est cum potentia, nec *esse* analogum, quia minime habet de actu, eo quod minime est. Restat igitur, quod illud *esse* est *esse* divinum.

Caecitas nostra

4. Mira igitur est caecitas intellectus, qui non considerat illud quod prius videt et sine quo nihil potest cognoscere. Sed sicut oculus intentus in varias[1] colorum differentias lucem, per quam videt cetera, non videt, et si videt, non advertit; sic oculus mentis nostrae, intentus in entia *particularia* et *universalia*, ipsum *esse extra omne genus*, licet primo occurrat menti, et per ipsum alia, tamen non advertit. Unde verissime apparet, quod « sicut oculus vespertilionis se habet ad lucem, ita se habet oculus mentis nostrae ad manifestissima naturae[2] »; quia assuefactus ad tenebras entium et phantasmata sensibilium, cum ipsam lucem summi *esse* intuetur, videtur sibi nihil videre; non intelligens, quod ipsa caligo summa est mentis nostrae illuminatio[3], sicut, quando videt oculus puram lucem, videtur sibi nihil videre.

Purissimum esse est primum.

5. Vide igitur ipsum purissimum *esse*, si potes, et occurrit tibi, quod ipsum non potest cogitari ut *ab alio acceptum;* ac per hoc necessario cogitatur ut omnimode *primum*, quod nec de nihilo nec de aliquo[4] potest esse. Quid enim est per se, si ipsum *esse* non est per se nec a se? — Occurrit etiam tibi ut *carens omnino non-esse*, ac per hoc ut nunquam incipiens, nunquam desinens, sed *aeternum*. — Occurrit etiam tibi ut *nullo modo in se habens*, nisi quod est ipsum *esse*, ac per hoc ut cum nullo compositum, sed *simplicissimum*. — Occurrit tibi ut *nihil habens possibilitatis*, quia omne possibile aliquo modo habet aliquid de *non-esse*, ac per hoc ut summe *actualissimum*. — Occurrit ut *nihil habens defectibilitatis*, ac per hoc ut *perfectissimum*. — Occurrit postremo ut *nihil habens diversificationis*, ac per hoc ut summe *unum*.

Aeternum. Simplicissimum. Actualissimum. Perfectissimum. Summe unum.

Esse igitur, quod est *esse* purum et *esse* simpliciter et *esse* absolutum, est *esse primarium*, *aeternum*, *simplicissimum*, *actualissimum*, *perfectissimum et summe unum*.

Haec sex attributa probantur.

6. Et sunt haec ita certa, quod non potest ab intelligente ipsum *esse* cogitari horum oppositum, et[5] unum horum necessario infert aliud. Nam quia simpliciter est *esse*, ideo simpliciter *primum;* quia simpliciter primum, ideo non est ab alio factum, nec a se ipso potuit, ergo *aeternum*. Item, quia primum et aeternum; ideo non ex aliis, ergo *simplicissimum*. Item, quia primum, aeternum et simplicissimum; ideo nihil est in eo possibilitatis cum actu permixtum, et ideo *actualissimum*. Item, quia primum, aeternum, simplicissimum, actualissimum; ideo *perfectissimum;* tali omnino nihil *deficit*, neque aliqua potest *fieri additio*. Quia primum, aeternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum; ideo *summe unum*. Quod enim per omnimodam superabundantiam dicitur dicitur respectu omnium. « Quod etiam simpliciter per superabundantiam dicitur, impossibile est, ut conveniat nisi uni soli[6] ». Unde si Deus nominat *esse* primarium, aeternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum; impossibile est, ipsum cogitari non esse, nec esse nisi *unum solum*. *Audi* igitur, *Israel*, *Deus tuus Deus unus est*[7]. — Si hoc vides in pura mentis simplicitate, aliqualiter perfunderis aeternae lucis illustratione.

Additur sex attributa diversa.

7. Sed habes unde subleveris in admirationem. Nam ipsum *esse* est primum et *novissimum*, est aeternum et *praesentissimum*, est simplicissimum et *maximum*, est actualissimum et *immutabilissimum*, est perfectissimum et *immensum*, est summe unum et tamen *omnimodum*. — Si haec pura mente miraris, maiore luce perfunderis, dum ulterius vides, quia *ideo* est *novissimum*, quia primum. Quia enim est primum, omnia operatur propter se ipsum; et ideo necesse est, quod sit finis ultimus, initium et consummatio, *alpha et omega*[8]. — Ideo est *praesentissimum*, quia aeternum. Quia enim aeternum, non fluit ab alio nec deficit a se ipso nec decurrit ab

Ex primis inferuntur secunda. Ratio prima.

Secunda.

---

de qua est sermo in hoc capitulo. Nam creatura, in quantum est *non ens* et *ens in potentia*, non cognoscitur *plene* nisi per *esse*, quod est actus purus. Haec perfecta cognitio competit animae solum in hoc *quinto* gradu; in quo Deus est etiam *primum* cognitum, a quo omnia alia cognita illustrantur, ita ut in ordine *executionis* sit primum, dum respectu praecedentium graduum ipse est *primum* cognitum in ordine tantum *intentionis*, in quantum cognitio imperfecta tendit naturaliter ad perfectam. — Interius verbis *cum potentia* plures codd. praetigunt *esse*.

[1] K L *distentus per varias* (etiam B H M N *per varias*).

[2] Aristot., II. Metaph. text. 4. (I. brevior, c. 1.). Textus originalis post *lucem* addit *dei* (A Q, *solis*), et pro *oculus mentis nostrae* substituit *intellectus animae nostrae* (A *intellectus noster*, B H K L M N P *oculus noster*, qui etiam cum textu originali post *ita* omittunt *se habet;* cfr. supra pag. 109, nota 5.).

[3] Psalm. 138, 11: Et nox illuminatio mea in deliciis meis. Cfr. c. 7. et Breviloq. p. V. c. 6. in fine. — Quodsi quis praedicta intelligi velit de *esse* analogo sive de *esse*, quod repraesentatur communissimo conceptu entis; tunc contextus et constantissima et indubitata doctrina s. Doctoris eo tantum sensu hoc accipi permittunt, quod *esse communissimum* sub aliquo respectu considerari potest tanquam *umbra* divini *esse*, qua *implicite* et non proprie cognoscitur *primum esse* (vide infra scholion). — Pro *intuetur* plures codd. *contuetur*. Interius pro *nihil* [H K L M N *non*] *videre* B *nihil videre videre*.

[4] Vat., 3 et 4 *ab alio* (perperam, quia hoc iam dictum fuit), 1 et 2 *de alio*. Superius post *quod ipsum* D H K L M N addunt *esse*. Codd., quos sequimur, communissime et constanter substituunt *occurrit* pro *occurret*, quod habent edd.

[5] Pro *et* H K L *quia*. Infra ante *potuit* supple: fieri.

[6] Aristot., V. Topic. c. 3. (c. 5.). Cfr. ibid. VII. c. 1. — Mox pro *nominat* D H K L M N *nominatur*.

[7] Deut. 6, 4: Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est.

[8] Vide supra pag. 307, nota 6. — Prov. 16, 4: Universa propter semetipsum operatus est Dominus. — Post pauca pro *fluit*, quod exhibent B F I O, 1 et 2, plures alii codd. *frit*, Vat., 3 et 4 *fruitur* (cfr. Boeth., V. de Consolat. prosa 6.).

Digitized by Google

uno in aliud: ergo nec habet praeteritum nec futu-
Tertia. rum, sed *esse* praesens tantum. — Ideo *maximum*, quia simplicissimum. Quia enim simplicissimum in essentia, ideo maximum in virtute, quia virtus, quanto plus est unita, tanto plus est infinita [4]. —
Quarta. Ideo *immutabilissimum*, quia actualissimum. Quia enim actualissimum est, ideo est actus purus; et quod tale est nihil novi acquirit, nihil habitum per-
Quinta. dit, ac per hoc non potest mutari. — Ideo *immensum*, quia perfectissimum. Quia enim perfectissimum, nihil potest cogitari ultra ipsum melius, nobilius nec dignius, ac per hoc nihil maius; et omne tale est
Sexta. immensum. — Ideo *omnimodum*, quia summe unum. Quod enim summe unum est est omnis multitudinis universale principium; ac per hoc ipsum est universalis omnium causa efficiens, exemplans et terminans, sicut « causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi [2] ». Est igitur *omnimodum* non sicut
Notandum. omnium essentia, sed sicut omnarum essentiarum superexcellentissima et universalissima et sufficientissima causa; cuius virtus, quia summe unita in essentia, ideo summe infinitissima et multiplicissima in efficacia.

8. Rursus revertentes dicamus: quia igitur *esse*
Sex alia inferuntur. purissimum et absolutum, quod est simpliciter *esse*, est *principium* et *novissimum*, ideo est omnium *origo et finis consummans*. — Quia *aeternum* et *praesentissimum*, ideo omnes durationes ambit et intrat, quasi simul existens earum centrum et circumferentia. — Quia *simplicissimum* et *maximum*, ideo totum intra omnia et totum extra, ac per hoc « est sphaera intelligibilis, cuius centrum est ubique et circumferentia nusquam [3] ». — Quia *actualissimum* et *immutabilissimum*, ideo « stabile manens moveri dat universa ». — Quia *perfectissimum* et *immensum*, ideo est intra omnia, non inclusum, extra omnia, non exclusum, supra omnia, non elatum, infra omnia, non prostratum. — Quia vero est *summe unum* et *omnimodum*, ideo est *omnia in omnibus* [4], quamvis omnia sint multa, et ipsum non sit nisi unum; et hoc, quia per simplicissimam *unitatem*, serenissimam *veritatem* et sincerissimam *bonitatem* est in eo omnis *virtuositas*, omnis *exemplaritas* et omnis *communicabilitas*; ac per hoc *ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* [5], et hoc, quia *omnipotens*, *omnisciens* et *omnimode bonum*, quod perfecte videre est esse beatum, sicut dictum est Moysi: *Ego ostendam tibi omne bonum*.

Cap. VI.

De speculatione beatissimae Trinitatis in eius nomine, quod est bonum.

1. Post consideration**em** essentialium elevandus Gradus 6.
est oculus intelligentiae ad contuitionem beatissimae Trinitatis, ut alter Cherub iuxta alterum statuatur [6]. Sicut autem visionis essentialium ipsum *esse* est principium radicale et nomen, per quod cetera innotescunt; sic contemplationis emanationum ipsum *bonum* est principalissimum fundamentum.

2. Vide igitur et attende, quoniam optimum quod simpliciter est quo nihil melius cogitari potest; et hoc tale sic est, quod non potest recte cogitari Deo inferuntur.
non esse, quia omnino melius est esse quam non esse [7]; sic est, quod non potest recte cogitari, quin cogitetur trinum et unum. Nam « bonum dicitur dif- Quid bonum et summe diffusivum.
fusivum sui »; summum igitur bonum summe diffusivum est sui. Summa autem diffusio non potest esse, nisi sit *actualis* et *intrinseca*, *substantialis* et *hypostatica*, *naturalis* et *voluntaria*, *liberalis* et *necessaria*, *indeficiens* et *perfecta*. Nisi igitur in summo bono aeternaliter esset productio *actualis* et *consub-* Duplex productio.
stantialis, et *hypostasis* [8] aeque nobilis, sicut est producens, per modum generationis et spirationis — ita quod sit aeternalis principii aeternaliter comprincipiantis — ita quod esset dilectus et condilectus, genitus et spiratus, hoc est Pater et Filius et Spiritus sanctus; nequaquam esset summum bonum, quia non *summe* se diffunderet. Non diffusio ex tempore Ratio.
in creatura non est nisi centralis vel punctalis respectu immensitatis bonitatis aeternae [9]; unde et potest aliqua diffusio cogitari maior illa, ea videlicet, in qua diffundens communicat alteri totam substan-

---

[1] Libr. de Causis, propos. 17: Omnis virtus unita plus est infinita quam virtus multiplicata.

[2] Ut notat August. supra pag. 19, nota 7, allegatus. Cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 13, § 3, ubi ostendit, unitate subtracta, omnia interire et ex uno Deo omnia existere. — Superius contra fere omnes codd. pro *Quod enim summe unum est est* edd. *Quia enim summe unum, ideo*.

[3] Alan. ab Insulis, Theolog. regul. regul. 7. Cfr. I. Sent. d. 37. p. I. a. 1. q. 1. ad 3. Vide etiam supra pag. 81, nota 3. verba Gregorii. — Seq. sententia est Boeth., III. de Consolat. metr. 9: Stabilisque manens das cuncta moveri. Etiam codd. plures et 1, 2 habent *stabilis* pro *stabile*. [4] Epist. I. Cor. 15, 28.

[5] Rom. 11, 36. — Seq. locus est Exod. 33, 19.

[6] Exod. 25, 19: Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero. — Per verba inferius posita *principium radicale* etc. insinuatur quod nunc communiter dicitur *essentia metaphysica*.

[7] Secundum Anselm.; cfr. supra pag. 47, nota 7. — De seqq. vide supra Quaest. de mysterio Trin. per totum et Breviloq. p. I. c. 2. seqq. — Sententia illa: « Bonum dicitur diffusivum sui », est secundum Dionys. supra pag. 60, nota 7. allegatum. — Supra post *optimum* supple: est.

[8] Cum A C E I P et 1, 2 substituimus *hypostasis* pro *hypostaticalis*, B *hypostalis* (?). De parenthesi cfr. I. Sent. d. 29. a. 2. et dubia; scil. *principium* « sui pro paternitate simul et spiratione » (ibid., dub. 4.).

[9] Alan. ab Insulis, Theolog. regul. regul. 7, explicans verba circa finem praeced. cap. posita *Deus est sphaera intelligibilis* etc. ait: Centrum dicitur creatura; quia, sicut tempus collatum aeternitati reputatur momentum, sic creatura, immensitati comparata, punctum vel centrum. — Pro *centralis vel punctalis* [B I P omittunt *vel punctalis*, D *centralis vel*] H K L M N perperam *essentialis*; F G legunt *non est essentialis*. Mox pro *unde et potest*, quod exhibent A B P, alii codd. et edd. perperam *unde* [edd. addunt *et*] *non potest*.

Digitized by Google

tiam et naturam. Non igitur summum bonum esset, si re, vel intellectu illa carere posset.

Si igitur potes mentis oculo contueri puritatem bonitatis, quae est actus purus principii caritative diligentis amore *gratuito* et *debito* et ex *utroque permixto*[1], quae est diffusio plenissima per modum *naturae* et *voluntatis*, quae est diffusio per modum *Verbi*, in quo omnia dicuntur, et per modum *Doni*, in quo cetera dona donantur; potes videre, per summam boni communicabilitatem necesse esse Trinitatem Patris et Filii et Spiritus sancti. In quibus necesse est propter summam bonitatem esse summam *communicabilitatem*, et ex summa communicabilitate summam *consubstantialitatem*, et ex summa consubstantialitate summam *configurabilitatem*, et ex his summam *coaequalitatem*, ac per hoc summam *coaeternitatem*, atque ex omnibus praedictis summam *coinhaerentiam*, qua unus est in altero necessario per summam circumincessionem et unus operatur cum alio per omnimodam[2] indivisionem *substantiae* et *virtutis* et *operationis* ipsius beatissimae Trinitatis.

Amor triplex. Conditiones sex.

3. Sed cum haec contemplaris, vide, ne te existimes comprehendere incomprehensibilem. Habes enim adhuc in his sex conditionibus considerare quod vehementer in stuporem admirationis inducit oculum mentis nostrae[3]. Nam ibi est summa *communicabilitas* cum personarum proprietate, summa *consubstantialitas* cum hypostasum pluralitate, summa *configurabilitas* cum discreta personalitate, summa *coaequalitas* cum ordine, summa *coaeternitas* cum emanatione, summa *coinhaerentia* cum emissione. Quis ad tantorum mirabilium aspectum non consurgat in admirationem? — Sed haec omnia certissime intelligimus esse in beatissima Trinitate, si levamus oculos ad superexcellentissimam *bonitatem*. Si enim ibi est summa *communicatio* et vera diffusio, vera est ibi origo et vera distinctio; et quia totum communicatur, non pars; ideo[4] ipsum datur, quod habetur, et totum: igitur emanans et producens et distinguuntur proprietatibus et sunt essentialiter unum. Quia igitur *distinguuntur* proprietatibus, ideo habent personales proprietates et hypostasum pluralitatem et originis emanationem et ordinem non posterioritatis, sed originis, et emissionem non localis mutationis, sed gratuitae inspirationis, per rationem auctoritatis producentis, quam habet mittens respectu missi. — Quia vero sunt *unum* substantialiter, ideo oportet, quod sit unitas in essentia et forma et dignitate et aeternitate et existentia et incircumscriptibilitate. — Dum ergo haec per se *singillatim consideras*, habes unde *veritatem* contempleris; dum haec *ad invicem confers*, habes unde in *admirationem* altissimam suspendaris: et ideo, ut mens tua per admirationem in admirabilem ascendat contemplationem, haec simul sunt consideranda.

Admiranda sex. Infinitas in bonitate.

Duplex contemplatio.

4. Nam et Cherubim hoc designant, quae se mutuo aspiciebant. Nec hoc vacat a mysterio, quod respiciebant *se versis vultibus in propitiatorium*[5], ut verificetur illud quod dicit Dominus in hanc: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum*. Nam adhuc admirari debemus non solum conditiones Dei essentiales et personales *in se*, verum etiam *per comparationem* ad supermirabilem unionem Dei et hominis in unitate personae Christi.

Quid significent duo Cherubim. Simul admiranda incarnatio.

5. Si enim Cherub es *essentialia* Dei contemplando, et miraris, quia simul est divinum *esse primum* et novissimum, *aeternum* et praesentissimum, *simplicissimum* et maximum seu incircumscriptum, *totum ubique* et nusquam comprehensum, *actualissimum* et nunquam motum, *perfectissimum* et nihil habens superfluum nec diminutum, et tamen immensum et sine termino infinitum, *summe unum*, et tamen omnimodum, ut omnia in se habens, ut omnis virtus, omnis veritas, omne bonum; respice ad *propitiatorium* et mirare, quod in ipso principium primum iunctum est cum postremo, *Deus* cum homine sexto die formato[6], *aeternum* iunctum est cum homine temporali, in plenitudine temporum de Virgine nato, *simplicissimum* cum summe composito, *actualissimum* cum summe passo et mortuo, *perfectissimum* et immensum cum modico, *summe unum* et *omnimodum* cum individuo composito et a ceteris distincto, homine scilicet Iesu Christo.

De primo Cherub. Respiciendum ad mira in incarnatione.

6. Si autem alter Cherub es *personarum propria* contemplando, et miraris, *communicabilitatem* esse cum proprietate, *consubstantialitatem* cum pluralitate, *configurabilitatem* cum personalitate, *coaequalitatem* cum ordine, *coaeternitatem* cum productione, *coinhaerentiam* cum emissione, quia Filius missus est a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque, qui tamen semper est cum eis et nunquam recedit ab eis; respice in propitiatorium et mirare, quia in Christo stat *personalis unio* cum trinitate substantiarum[7] et naturarum dualitate; stat *omnimoda consensio* cum pluralitate voluntatum, stat Dei et hominis *compraedicatio* cum pluralitate proprietatum,

De secundo Cherub. Item, ad alia mira in eadem.

---

[1] Hanc divisionem amoris proponit Richard. a S. Vict., V. de Trin. c. 16. seqq. Cfr. tom. I. pag. 57, nota 7, et pag. 199, nota 4. — De seq. propos. cfr. supra pag. 87, nota 1; pag. 211, nota 3, et I. Sent. lit. Magistri, d. XVIII. c. 1.

[2] H D H K M N *summam*.

[3] A *tuae*.

[4] Ita D F H K L N; alii codd. et edd. *idem*.

[5] Exod. 25, 20: Respiciantque se mutuo versis etc. (Non pauci codd. *in propitiatorio*). — Seq. locus est Ioan. 17, 3: Haec est autem etc.

[6] Gen. 1, 26. — Expositio haec est secundum Irenaeum; cfr. supra pag. 241, nota 6. — De Incarnatione vide Breviloq. p. IV. c. 1. seqq. — Pro *postremo* M *extremo*.

[7] Cfr. supra c. 4. n. 3. et pag. 64, nota 10. — Maior pars codd. omittit *respice in propitiatorium et*.

Digitized by Google

stat *coadoratio* cum pluralitate nobilitatum, stat *coexaltatio* super omnia cum pluralitate dignitatum, stat *condominatio* cum pluralitate potestatum.

Effectus huius considerationis.

7. In hac autem consideratione est perfectio illuminationis mentis, dum quasi in sexta die videt hominem factum ad imaginem Dei [1]. Si enim *imago* est similitudo expressiva, dum mens nostra contemplatur in Christo Filio Dei, qui est imago Dei invisibilis per naturam, humanitatem nostram tam mirabiliter exaltatam, tam ineffabiliter unitam, videndo simul in unum primum et ultimum, summum et imum, circumferentiam et centrum, *alpha et omega*, causatum et causam, Creatorem et creaturam, *librum* scilicet *scriptum intus et extra*; iam pervenit ad quandam rem perfectam, ut cum Deo ad perfectionem suarum illuminationum in sexto gradu quasi in sexta die perveniat; nec aliquid iam amplius restet nisi dies requiei, in qua per mentis excessum requiescat humanae mentis perspicacitas *ab omni opere, quod patrarat* [2].

Restat requies diei septimi.

Cap. VII.

De excessu mentali et mystico, in quo requies datur intellectui, affectu totaliter in Deum per excessum transeunte.

Transitus supra se ipsum.

1. His igitur sex considerationibus exursis tanquam *sex gradibus throni veri* Salomonis, quibus perveniitur ad pacem, ubi verus pacificus in mente pacifica tanquam in interiori Hierosolyma requiescit; tanquam etiam *sex alis Cherub*, quibus mens veri contemplativi plena illustratione superiae sapientiae videt sursum agi; tanquam etiam *sex diebus primis*, in quibus mens exercitari habet, ut tandem perveniat ad sabbatum quietis [3]; postquam mens nostra contuita est Deum *extra se* per vestigia et in vestigiis, *intra se* per imaginem et in imagine, *supra se* per divinae lucis similitudinem super nos relucentem et in ipsa luce, secundum quod possibile est secundum statum viae et exercitium mentis nostrae; cum tandem in *sexto* gradu ad hoc pervenerit, ut speculetur in principio primo et summo et mediatore *Dei et hominum*, Iesu Christo [4] ea quorum similia in creaturis nullatenus reperiri possunt, et quae omnem perspicacitatem humani intellectus excedunt: restat, ut haec speculando transcendat et transeat non solum mundum istum sensibilem, verum etiam semetipsam; in quo transitu Christus est *via* et *ostium* [5], Christus est *scala* et *vehiculum* tanquam *propitiatorium super arcam Dei colloquium* et *sacramentum a saeculis absconditum*.

Per Christum.

2. Ad quod propitiatorium qui aspicit plena conversione vultus, aspiciendo eum in cruce suspensum per fidem, spem et caritatem, devotionem, admirationem, exsultationem, appretiationem, laudem et iubilationem; *pascha*, hoc est transitum [6], cum eo facit, ut per virgam crucis transeat mare rubrum, ab Aegypto intrans desertum, ubi gustet *manna absconditum*, et cum Christo requiescat in tumulo quasi exterius mortuus, sentiens tamen, quantum possibile est secundum statum viae, quod in cruce dictum est latroni cohaerenti Christo: *Hodie mecum eris in paradiso.*

Pascha cum Christo.

3. Quod etiam ostensum est beato Francisco, cum in excessu contemplationis in monte excelso — ubi haec, quae scripta sunt, mente tractavi — apparuit Seraph sex alarum in cruce confixus, ut ibidem a socio eius, qui tunc cum eo fuit, ego et plures alii audivimus; ubi in Deum transiit per contemplationis excessum; et positus est in exemplum perfectae *contemplationis*, sicut prius fuerat *actionis*, tanquam alter *Iacob* et *Israel* [7], ut omnes viros vere spirituales Deus per eum invitaret ad huiusmodi transitum et mentis excessum magis exemplo quam verbo.

Francisci exemplum perfectae contemplationis.

Modus huius transitus.

4. In hoc autem transitu, si sit perfectus, oportet quod relinquantur omnes intellectuales operationes, et apex affectus totus transferatur et transformetur in Deum. Hoc autem est mysticum et secretissimum, quod *nemo novit, nisi qui accipit* [8], nec accipit nisi qui desiderat, nec desiderat nisi quem ignis Spiritus sancti medullitus inflammat, quem Christus misit in terram. Et ideo dicit Apostolus [9], hanc mysticam sapientiam esse per Spiritum sanctum revelatam.

Sapientia mystica.

5. Quoniam igitur ad hoc nihil potest natura, modicum potest industria, parum est dandum inquisitioni, et multum unctioni; parum dandum est linguae, et plurimum interiori laetitiae; parum dandum

Quomodo venatio ad eam.

---

[1] Gen. 1, 26. — Inferius respicitur Apoc. 1, 8: Ego sum alpha et omega, principium et finis etc. (Post *primum* plures codd. addunt *principium*); Apoc. 5, 1. et Ezech. 2, 9: Qui [liber] erat scriptus intus et foris (cfr. Breviloq. p. II. c. 11.).

[2] Gen. 2, 2: Et requievit die septimo ab universo opere etc. Cfr. Breviloq. p. II. c. 2. — Pro *restet* A G K L M N *restat*.

[3] Vide supra c. 1. n. 5, ubi haec consideratio tanquam principium contemplationis constituitur. — Superius pro *supernae* B D H K N *aeternae*.

[4] Epist. I. Tim. 2, 5. Verba vide supra pag. 306, nota 4.

[5] Ioan. 14, 6. et 10, 7. — Subinde respicitur Exod. 25, 20. et Eph. 3, 9: Dispensatio sacramenti abscondati a saeculis in Deo.

[6] Exod. 12, 11: Et comedetis [agnum paschalem] festinanter; est enim *phase*, id est transitus, Domini. — Subinde respicitur Exod. 14, 16. seqq. (de virga etc.) et 16, 15. (de manna), pro quo allegatur Apoc. 2, 17: Vincenti dabo manna absconditum. Seq. textus est Luc. 23, 43.

[7] Gen. 35, 10: Non vocaberis ultra *Iacob*, sed *Israel* erit nomen tuum. Cfr. supra Prolog. — Vat., 3 et 4 *Iacob mutatus in Israel*. Superius verbis *excessu contemplationis* non pauci codd. interserunt *mentis seu*.

[8] Apoc. 2, 17: Nemo scit, nisi etc. — Subinde respicitur Luc. 12, 49: Ignem veni mittere in terram. — Superius post *oportet* U allegat quaedam verba Dionys., de Mystica Theolog. c. 3. circa finem et de Div. Nom. c. 7. § 3.

[9] Epist. I. Cor. 2, 10. seqq. — Subinde respicitur I. Ioan. 2, 20. et 27. (de unctione).

Digitized by Google

est verbo et scripto, et totum Dei dono, scilicet Spiritui sancto; parum aut nihil dandum est creaturae, et totum creatrici essentiae, Patri et Filio et Spiritui sancto, dicendo cum Dionysio[1] ad Deum Trinitatem: « Trinitas superessentialis et superdeus et superoptime Christianorum inspector theosophiae, dirige nos in mysticorum eloquiorum superincognitum et superlucentem et sublimissimum verticem; ubi nova et absoluta et inconversibilia theologiae mysteria secundum superlucentem abscondunturⁱ occulte docentis silentii caliginem in obscurissimo, quod est supermanifestissimum, supersplendentem, et in qua omne relucet, et invisibilium superbonorum splendoribus superimplentem invisibiles intellectus ». Hoc ad Deum. Ad amicum autem, cui haec scribuntur, dicatur cum eodem: « Tu autem, o amice, circa mysticas visiones, corroborato itinere, et sensus desere et intellectuales operationes et sensibilia et invisibilia et omne non ens et ens, et ad unitatem, ut possibile est, inscius restituere ipsius, qui est super omnem essentiam et scientiam. Etenim te ipso et omnibus immensurabili et absoluto purae mentis excessu[2], ad superessentiatem divinarum tenebrarum radium, omnia deserens et ab omnibus absolutus, ascendes[3] ».

Alloquio ad Deum.

Exhortatio.

6. Si autem quaeras, quomodo haec fiant, interroga gratiam, non doctrinam; desiderium, non intellectum; gemitum orationis, non studium lectionis; sponsum, non magistrum; Deum, non hominem; caliginem, non claritatem; non lucem, sed ignem totaliter inflammantem et in Deum excessivis unctionibus et ardentissimis affectionibus transferentem. Qui quidem *ignis* Deus est, et huius *caminus est in Ierusalem*[4], et Christus hunc accendit in fervore suae ardentissimae passionis, quem solus ille vere percipit, qui dicit: *Suspendium elegit anima mea, et mortem ossa mea*. Quam mortem qui diligit videre potest Deum, quia indubitanter verum est: *Non videbit me homo et vivet*. — Moriamur igitur et ingrediamur in caliginem, imponamus silentium sollicitudinibus, concupiscentiis et phantasmatibus; transeamus cum Christo crucifixo *ex hoc mundo ad Patrem*[5], ut, ostenso nobis Patre, dicamus cum Philippo: *Sufficit nobis*; audiamus cum Paulo: *Sufficit tibi gratia mea*; exulteamus cum David[6] dicentes: *Deficit caro mea et cor meum, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. Benedictus Dominus in aeternum, et dicet omnis populus: Fiat, fiat*. Amen. EXPLICIT ITINERARIUM IN DEUM.

Via et media superantur.

Amor Christi.

Exhortatio.

SCHOLION.

Aurei huius opusculi doctrina a viris etiam doctis non raro vel imperfecte, vel omnino perperam intellecta est. Nonnulli enim aliquas eiusdem propositiones non in rigore verborum intelligendas, sed benigna quadam interpretatione exponendas sive excusandas esse censuerunt, utpote dictas in libro *mystico*, non scientifice theologico. Alii non pauci quibusdam loquendi modis ibi occurrentibus abusi sunt ad confirmandas proprias suas opiniones falsas. — Considerata huius libelli sublimitate et expositionis brevitate, non est mirum, quod erroneae interpretationes elapsae sint sive parum versatis in doctrina seraphici Doctoris, sive specialem indolem totumque contextum huius scripti non attendentibus. Attamen a sapientissimis viris ultimorum saeculorum hic libellus recte celebratus est ut prorsus in genere suo singularis, mira arte compositus et nunquam satis laudandus. Reapse continet documenta sana, altissima, saluberrima et diligenti verborum electione expressa; totaque doctrina omnino consentanea est ei quam Sanctus in scriptis suis theologicis profitetur et diffusius exponit. Hoc satis constare potest iam per testimonia a nobis in notis allegata; quoad pauca quaedam difficiliora remittimus lectorem ad Quaestionem disputatam supra pag. 47 denuo impressam et cum aliis auctorum scholae Bonaventurianae quaestionibus primo in opusculo *de Humanae Cognitionis ratione* a nobis typis Collegii S. Bonaventurae 1883 publicatam, praesertim ad praeambulam Dissertationem (ibid. pag. 1-47).

In commodum tamen lectoris visum est opportunum breves quasdam observationes hic subiicere, ut via pareat facilior ad rectam difficiliorum locorum intelligentiam.

---

[1] De Mystica Theolog. c. 1. § 1, ubi etiam seq. locus occurrit. Bonav. afferi verba secundum versionem Scoti Erigenae, cum qua circa medium primae sententiae pro *abscondita* substituimus *abscondunturⁱ* (G *abscondunt*, N P *abscondita*). Pro verbis, quae inter primum et secundum textum ponuntur *Hoc ad Deum... eodem*, D G M cum originali substituunt *Mihi quidem haec opto*.

[2] In Graeco: Τῇ γὰρ ἐαυτοῦ καὶ πάντων ἀχράντῳ καὶ ἀπολύτῳ καθαρᾷς ἐκστάσει. Sensus est: Dum te ipsum et omnia superexcedis etc.

[3] Praeter locc. supra pag. 260, nota 3. allegatos cfr. III. Sent. d. 23. dub. 4. — Auctores catholici de mystica theologia scribentes communiter approbant hanc S. Bonav. doctrinam, quam accepit a laudato Dionysio, quod scil. in animis perfectis detur sublimis quidam gradus contemplationis supernaturalis et infusae, quam vocant contemplationem *purum*, quia fit sine concursu phantasmatum. Item docent, quod ad hunc contemplationis gradum pertineat illa *oratio in caligine*, de qua auctor noster hic loquitur. De his cfr. Dionys. Carthus. in suo Commentar. ad Dionys. Areopag. Inter recentiores autem de *puro contemplatione* loquitur Philipp. a Ss. Trinitate, Sum. theol. myst. p. II. tr. 3. discurs. 2. a. 2, ubi melius determinat quod in contrarium docuerat in sua Sum. philos. II. q. 44. a. 6, nec non Scaramelli, Directorio mistico, tr. 2. c. 13. n. 166-172; de *oratione in caligine* Philipp. a Ss. Trin. loc. cit. a. 3; Scaramelli c. 8. n. 80-85.

[4] Isai. 31, 9: Caminus eius in Ierusalem. — Seq. locus est Iob 7, 15; tertius Exod. 33, 20.

[5] Ioan. 13, 1. — Seq. locus est Ibid. 14, 8; tertius II. Cor. 12, 9.

[6] Psalm. 72, 26. et 105, 48: Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo et usque in saeculum, et dicet etc.

Digitized by Google

1. Quoad indolem opusculi peculiarem notamus, quod recte quidem recenseatur inter opera *mystica*, quia tamen suo loco inter opera ad scientiam *theologicam* et etiam *philosophicam* spectantia privandum sit. Est opus *mysticum*, spectatis tum *fine* ab auctore intento tum animi *dispositionibus*, quas idem in legentibus requirit; quod manifeste constat ex Prologo et initio 1. capituli. Non enim auctor eo consilio scripsit, ut more scholarum doceat scientiam pure theoreticam, vel confutet errores, sed ut directa promoveat devotionem et divinorum contemplationem. Dicit enim: « Vacare volentibus ad Deum magnificandum, admirandum et etiam degustandum speculationes subiectas propono » (Prolog. n. 1.). Pro *dispositione* autem lectoris non sufficere dicitur intellectus humanus, quantumvis acutus et acutus, ne adiunctis quidem principiis, quae fides omnibus Christianis proponit; sed ipse sit « *vir desideriorum* », sit praeventus gratia, humilis, pius, compunctus, devotus et contemplationi addictus; quia, ut observatur, « parum aut nihilum est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostrae tersum fuerit et politum ». Immo, quasi eventus futuros praesagiens, auctor praemonet, deficiente illa ad contemplationem dispositione, et mentis oculo male disposito, ravendum esse, « ne forte ex ipsa radiorum speculatione in graviorem incidas foveam tenebrarum » (ibid. n. 1.). Requiritur igitur ad hunc hoc libello fruendum ille *oculus contemplationis*, de quo, agens de triplici oculo, Sanctus loquitur supra Breviloq. p. II. c. 12. (cfr. de dono contemplationis II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. in corp. et ad 6.).

Nihilominus pars, ut ita dicam, *materialis* huius opusculi, quae proponit ipsa *obiecta* consideranda, sumta est ex disciplinis theologicis et philosophicis; et haec docte ac profunde exhibet recondita quaedam philosophiae christianae documenta de *multiplici relatione* non naturalis tum supernaturalis ordinis, quem res creatae habent ad primam causam efficientem, exemplarem et finalem. Omnia enim a Deo in ordine naturali et supernaturali, reali et ideali causata quasi speculo quaedam oculo mentis purgato et illuminato proponuntur ad contemplanda divina attributa et Trinitatis et incarnationis mysteria. Dum igitur vulgares libri meditationum ipsa fidei mysteria plurimo meditanda utiliter exhibent; hic proponit arcanum illum aeternum, quo ordo creaturarum naturalis et supernaturalis coniungitur cum primo principio, quod, teste Augustino, est omnium « causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi ». Ita fieri potest, ut « secundum statum conditionis nostrae ipsa rerum universitas sit scala ad ascendendum in Deum » (c. 1. n. 2.).

2. Notandae sunt tres *distinctiones*. — a. Triplex est creaturarum *comparatio et dependentia ad Deum*: « aut sicut ad *principium creaticum*, aut sicut ad *obiectum motivum*, aut sicut ad *donum inhabitativum*. Primo modo comparatur ad ipsum omnis eius *effectus*, secundo modo omnis *intellectus*, tertio modo omnis *spiritus iustus et Deo acceptus*. Omnis enim *effectus*, quantumcumque parum habens de *esse*, habet Deum sicut principium. Omnis *intellectus*, quantumcumque parum habens de lumine, natus est per cognitionem et amorem capere Deum. Omnis autem *spiritus iustus et sanctus* habet donum Spiritus S. sibi infusum » (Breviloq. p. II. c. 12.). — Cum hac distinctione cohaereat alia de quatuor gradibus eius cognitionis Dei, quae haberi potest in via. « Cognoscitur enim Deus in *vestigio*, cognoscitur in *imagine*, cognoscitur et in *effectu gratiae*, cognoscitur etiam per intimam *unionem Dei et animae*; iuxta quod dicit Apostolus [I. Cor. 6, 17.]: *Qui adhaeret Deo unus spiritus est*. Et haec est cognitio excellentissima, quam docet Dionysius, quae quidem est in ecstatico amore et elevat supra cognitionem fidei secundum statum communem » (III. Sent. d. 21. dub. 1.).

b. Triplex est *modus existendi rerum*. « Res triplicem habent *esse*, scilicet in *materia* vel natura propria, in *intelligentia creata* et in *arte aeterna*; secundum quae tria dicit Scriptura: *Dixit Deus, fiat; fecit, et factum est* » (Breviloq. p. II. c. 12; cfr. ibi Prolog. § 3; I. Sent. d. 36. a. 2. q. 2. in corp. et II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. fundam. 6; Quaest. disp. de scientia Christi, q. 4. in corp.).

c. Triplici modo *intellectus se vertere potest* ad considerandum creaturarum speculum tum exterius tum interius; quia « sensus carnis [et idem valet de sensu interiore] aut deservit intellectui *rationabiliter investiganti*, aut *fideliter credenti*, aut *intellectualiter contemplanti* » (hic c. 1. n. 10.). Unde triplici modo intellectus *transire* potest ab effectibus ad causas, a creatura ad Deum, scilicet vel sola vi luminis naturalis et modo philosophico, vel adiunctis fidei principiis, vel etiam donis Spiritus S. illuminantibus.

3. Circa modum, quo intellectus *rationabiliter investigans* transit, praesertim ab imagine interiore ad Deum, notanda est alia distinctio inter intellectum *apprehendentem* et *resolventem*, et resolventem vel *semiplene*, vel *plene*; qua distinctione etiam intelligitur ratio cognitionis *explicitae* et *implicitae*, et quo sensu verum sit, quod ens creatum non possit cognosci ab intellectu *plene resolvente*, nisi iuvetur ab intellectu primi entis (c. 3. n. 3. et c. 5. n. 3. cum notis.). — Dicit igitur de hoc S. Doctor (I. Sent. d. 28. dub. 1.): « Quantum ad intellectum *apprehendentem* non potest intelligi aliquid sine aliquo, quod est ei *ratio intelligendi*, sicut *Deus* praeter deitatem et *homo* praeter humanitatem; potest tamen intelligi *effectus*, non intellecta *causa*, et *inferius*, non intellecto *superiori*, quia potest quis apprehendere *hominem*, non intellecto aliquo superiorum. Et sic dicit Philosophus, quod qui *unum* dicit quodam modo *multa* dicit, non *simpliciter*, sed *quodam modo*, quia *implicite*. — Alio modo contingit aliquid intelligere praeter alterum intellectum *resolvente*; et iste intellectus considerat ea quae sunt rei essentiale, sicut potest intelligi subiectum sine propria passione. Et hoc potest esse dupliciter: aut intellectu *resolvente plene* et perfecte, non intellectu deficiente et *resolvente semiplene*. Intellectu *resolvente semiplene* potest intelligi, aliquid esse, non intellecto primo ente. Intellectu autem *resolvente perfecte* non potest intelligi aliquid, primo ente non intellecto ». Cfr. II. Sent. d. 1. p. II. dub. 2, ubi docetur, quod *esse*, abstracta *bonitate*, « potest intelligi intellectu *apprehendente* et intellectu *semiplene resolvente*; sed intellectu *plene ad causas comparante* non potest intelligi, non intellecto illo ».

4. Licet « omnis creatura magis ducat in Deum quam in aliquod aliud » (I. Sent. d. 3. p. I. q. 2.), tamen, cum cognitio actualis incipiat a sensu et ab exteriore ad interius, ab imperfecto ad perfectius progrediatur; intellectui adhuc rudiori vix alia via *rationabiliter investigandi* Deum aperta est, nisi ascendendo a mundo sensibili sive a *vestigio* Dei. Hinc dicitur: « Primum gradum ascensionis collocemus in imo, ponendo totum istum mundum *sensibilem* nobis tanquam speculum, per quod transeamus ad Deum, opificem summum » (c. 1. n. 9.). Porro imaginae creaturarum et vestigia sunt « proposita mentibus adhuc rudibus et sensibilibus, ut per sensibilia, quae vident, transferantur ad intelligibilia, quae non vident, tanquam per signa ad signata » (c. 2. n. 11.). — Tamen auctor parum moratur in describendis rebus particularibus mundi sensibilis (c. 1.), sed continuo transit (c. 2.) a mundo *materiali* (reali) ad mundum *idealem* sive ad illud *esse* non physicum, sed metaphysicum, quod mundus habet in mente humana. Ipse enim intellectus *apprehendens* naturaliter et necessario supergreditur ordinem existendi concretum rerum particularium et contingentium, quarum species abstrahendo et deponendo in se concipit, et ita res super ordinem materialem quasi elevat et induit quodam spiritualis ordinis vestimento, id est quibusdam proprietatibus idealibus, scilicet universalitatis, immutabilitatis, aeternitatis et necessitatis, quae ipsi ordini reali rerum materialium minime conveniunt. Porro, ordo ille idealis supremam *radicem* et *ultimum fundamentum* habet in Deo et ducit in ipsum. « Veritates intellectae *fundantur* in *aliquo aeterno*. Fundantur autem in ipsa prima Veritate sicut in causa universali, continativa omnis veritatis » (S. Thom., S. c. Gent. II. c. 84.). « Regulae (intellectus) incommutabiles radicantur in luce aeterna et ducunt in eam » (S. Bonav., Hexaem. collatio 2.). « Hinc ipse intellectus, considerans conditiones entis secundum relationem causae ad causatum, *transfert se ab effectu ad causas et transit ad rationes aeternas* » (ibid. coll. 5.). Hic transitus

Digitized by Google

fieri potest arguendo et resolvendo ab intellectu *rationabiliter investigante*, perfectius autem fit ab eodem illuminato et *intellectualiter* contemplante. — Ordo hic *idealis*, vulgari intellectui obscurus et fere ignotus, a S. Bonaventura, duce S. Augustino, praecipuo studio in capp. 2. 3. 5. 6. proponitur, ut oculus contemplativus *transeat* ad divina contemplanda. Supposito triplici illo *esse* eiusdem rei, talis transitus non difficulter intelligitur; attamen bene attendendum est, quod alia est ratio et via, qua intellectus transit ab ordine *reali* ad *idealem*, et alia, qua ab hoc ascendit ad ordinem *divinum* (cfr. de hoc Dissertatio cit. pag. 22-25).

5. Communiter antiqui Scholastici cum S. Thoma (de Verit. q. 22. n. 2. ad 4.) docuerunt, » quod omnia cognoscentia *cognoscunt implicite Deum in quolibet cognito* » (cfr. cit. Dissert. pag. 17. 18); et secundum hanc *implicitam* et *confusam* quamcumque cognitionem dici posse asserunt, naturaliter notam esse existentiam Dei (S. Thom., S. I. q. 2. n. 1. ad 1.). » Motus ergo nostri intellectus, dum intelligit, dum ratiocinatur, a cognitione *implicita* Dei incipit et in cognitionem explicitam Dei terminatur »; ita cl. P. Lepidi O. Praed. (Period. *Divus Thomas* 1881, n. 11. seqq.).

6. Inter mentem humanam et Deum, quatenus est supremo « causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi », nulla creatura est intermedia; hoc tamen non impedit, quominus creaturae sint medium *disponens* et quasi manuducens ad cognitionem Dei, ut bene explicat S. Bonav. I. Sent. d. 3. p. I. q. 3. ad 1. et II. Sent. d. 3. p. II. n. 2. q. 2. ad 6. — Licet igitur intellectus humanus in statu viae nunquam Deum cognoscat *immediate*, sed tantum in speculo creaturarum; recte tamen dicitur in se ipso *connectus Deo, Deo proximus*, vel *pertingens ad Deum*, ut passim occurrit hic c. 2. et 3. et apud Augustinum docentem, naturam intelligibilem *connecti* non solum intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebus (I. Retract. c. 8. n. 2.). Monet tamen Seraphicus (Quaest. disp. de scientia Christi, q. 4. ad 19.): » Pauci sunt, qui isto modo illas rationes sciant se attingere; immo, quod plus est, pauci sunt, qui velint hoc credere, quia difficile videtur intellectui ad aeterna contemplanda nondum elevato, quod ita habeat Deum praesentem et propinquum, cum tamen dicat Paulus (Act. 17, 27.), quod *non longe est ab unoquoque nostrum* ».

7. Communis item sententia ut certum docet *concursum Dei generalem*, activum et immediatum ad quaslibet actiones creaturarum; unde « lumen creatum non potest perficere operationem suam *absque aliqua cooperatione luminis increati*, per quod illuminatur omnis homo, qui venit in hunc mundum ». (S. Bonav., II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.). Nam » in hoc continuo Deus operatur in mente, quod in ipsa lumen naturale causat *et ipsum dirigit ad videndum*; et *sic* mens non sine operatione causae primae in suam operationem procedit » (S. Thom., Opusc. 63, sive in librum Boethii de Trin. q. 1. a. 1. ad 6.). Haec immediata cooperatio primae lucis vocatur ab Augustino et Scholasticis quaedam mentum *incoeptio* sive *illuminatio*, quae praeter intellectum creatum suo modo est quoddam supremum *principium*, *quo* cognoscitur; sive, ut S. Bonav. dicit, ipsa est ratio *motiva*, in *aliud ductiva*, sive *regulans*; et hoc sensu « ad modum candelabri relucet lux veritatis in facie nostrae mentis » (c. 3. n. 1.); tamen prima lux non est *principium*, *quod* (directe) cognoscitur, sive obiectum *terminans*, *quietus* et *in se* ducens. De hoc agit tota q. 4. inter Qq. disput. de scientia Christi, quae magis explicatur a Matth. ab Aquasparta (de Illum. Cognitionis ratione, pag. 87-108; cfr. ibid. Dissert. cit. pag. 26-44). Summi momenti est tum haec *distinctio* inter cognitionis *principium quo* et *principium quod*, sive inter *medium* (ratio) et *obiectum* cognoscendi, tum *doctrina* omnium Scholasticorum, quod aliquid potest esse medium *quo* sive *ratio cognoscendi*, quin ipsum sit *obiectum* cognitionis, ita ut » *lateat* ut obiectum cognitionis, sed *pateat* ut ratio cognoscendi » (sic Matth. ab Aquasparta, q. disp. 3. ad 4; cfr. ibid. ad 6. et S. Thom., I. Sent. d. 3. q. 4. ad 3.). Praecipue propter neglectam hanc distinctionem et doctrinam exortae sunt falsae Itinerarii interpretationes, de quibus continua agimus.

8. Iis suppositis, genuinus sensus aliquorum loquendi modorum, qui ex Augustino sumti sunt, patere potest, simulque falsitas quorundam interpretationum, quas duplicem errorem seraphico Doctori imposuerunt.

Primo enim dictum est, eum consentire ontologismo Malebranchii, quasi docuerit, veritates intellectuales cognosci *formaliter* in rationibus aeternis. Attamen eiusdem testimoniis irrefragabilibus iam toties demonstratum est, ab ipso admitti pro hac vita ne » *artem* » quidem gradum *immediatae* Dei cognitionis, nec in *altissima contemplatione* (saltem ordinarie), nec ullum transitum ad rationes aeternas, nisi eum quo intellectus » transfert se ab *effectu* ad causas ». « Unde si quae auctoritates id dicere inveniantur, quod Deus in praesenti ab homine videtur et cernitur, non sunt intelligendae, quod videtur *in sua essentia*, *sed quod* in *aliquo effectu inferiori* cognoscitur » (II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. in corp.). Ipsi Angeli *naturali* cognitione non poterunt Deum cognoscere nisi » per *effectus*. Cognoscitur autem Deus per *effectus visibiles* et per *substantias spirituales* et per *influentiam luminis connaturalis potentiae cognoscenti*, quod est similitudo quaedam Dei, non abstracta, sed infusa, inferior Deo, quia in inferiori natura, sicut dicit Augustinus » (IX. de Trin. c. 11. n. 16.). Ita II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 2 ad 4. Plura vide I. Sent. d. 3. p. I. q. 4. scholion et cit. Dissert. pag. 7-12. — Mirum videtur, quod de genuina doctrina S. Bonaventurae propter quasdam male intellectas formulas huius Itinerarii potuerit dubitari, cum in eodem clarissime (c. 1. 2. 3.) non nisi ascensionem a *creaturis* ad Deum doceat; et quando adhibet verba *videre Deum*, se explicet additis aliis verbis, ut: « conari debemus *per speculum* videre Deum » (c. 3. n. 1.) et » videre poteris Deum *per te* tanquam per imaginem, quod est videre *per speculum in aenigmate* » (ibid.).

9. Alius error impositus est auctori nostro per falsam capituli 5. interpretationem, quasi docuerit, tum quod primum cognitum *intellectus apprehendentis* sit *esse divinum*, tum quod *esse commune* contuderit cum *esse divino*. Perversa haec interpretatio prorsus aliena est a mente S. Doctoris et manifeste excluditur irrefragabilibus doctrinae capitibus, quae constanter et passim asserit. Nam docet verbis perentoriis, quod divinum *esse* in se nec ante nec post primum percatum *immediate* cognosci possit; quod non percipiatur nisi in speculo creaturarum et per ordinem, quem *effectus* habent ad causam (I. Sent. d. 3. p. I. q. 1. 2; II. Sent. d. 23. n. 2. q. 3. et passim); item, quod *actualis intellectio* incipiat a sensu, ita ut ab intellectione imperfecta et confusa progrediatur ad perfectiorem et explicitam (cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2. et scholion, n. II, d. 25. p. II. q. 6; I. Sent. d. 8. p. II. dub. 1; II. Sent. d. 1. p. II. n. 1. q. 2. ad 2; III. Sent. d. 37. dub. 1.). Denique toties affirmat, *esse divinum* non esse *in genere*, sed *supra omne genus*, nec *univocum*, sed tantum *analogum* cum omnibus mentis conceptibus, etiam transcendentalibus.

Insuper ex hoc Itinerario et ex ipso cap. 5. genuinus sensus auctoris satis apparet. — Nam *primo* clarissime docet ordinem et gradus cognitionis et contemplationis, per quos a creaturis ascendimus ad perfectam, quantum fas est, Dei cognitionem (c. 1. n. 2.). Primum enim gradum ponit in *imo*, incipiendo a mundo *sensibili*, ut supra (n. 4.) notavimus; scilicet « ut perveniamus ad Deum, *oportet nos transire per vestigium* » (c. 1. n. 2 et 5.). — Superiores autem gradus ab ipso deinde explicati supponunt praecedentes.

Secundo, de *conceptu* τοῦ *esse* iam in tertio gradu (c. 3. n. 3.) auctor locutus est secundum intellectum *apprehendentem* et *resolventem* (vide supra n. 3.); ubi dicitur, quod » non venit intellectus noster *ut plene resolvens* intellectum alicuius entium creatorum, nisi iuvetur ab intellectu entis purissimi » etc. Non igitur nisi ascendendo a causatis rebus et *resolvendo*, immo resolvendo non *semiplene*, sed *plene*, intellectus concipit ens purissimum et absolutissimum.

Hoc supposito, etiam in c. 5. n. 3. triplex distinguit *esse*, scil. in rebus (extra nos) » *esse particulare*, quod est *esse* arctatum, quia permixtum est cum potentia »; in intellectu (intra nos) « *esse analogum*, quod minime habet de actu, eo quod minime

est »; denique *esse supra nos*. Sed breviter commemoratis duobus prioribus, totus versatur in contemplatione illius *esse*, quod est « *supra nos* » nec attingitur nisi ab oculo contemplativo. Ne igitur lector a genuino huius capituli sensu aberret, ea quae in cap. 3. dicta sunt et nexus gradus quinti cum tertio mente retinenda sunt.

Tertio, contemplatio huius 5. gradus fundatur in axiomate Avicennae communiter a Scholasticis recepto, quod « *ens* (*esse*) est quod primo cadit in intellectu ». Haec sententia intelligitur propere de illo *ente communi*, primo actu intellectus concepto, quod nullo modo manifestari nobis potest per aliquid notius illo. Hoc tamen ens, quatenus concipitur ab intellectu *apprehendente*, « non est aliquid determinatum, nec actu nec potentia, nec praesens nec futurum, nec homo vel equus et huiusmodi, sed ens, quod est superius ad omnia ista; et ego dico, quod quiddilas illa est ens in *intellectu*... licet non sit ens *in actu*, quia nec hoc est de intellectu suo » (Math. ab Aquasparta, in cit. Opusc. de Hum. Cognitionis ratione, pag. 120; sive in quaest. disp.: Utrum ad cognitionem rei requiratur ipsius rei existentia etc., ad 1: cfr. ad 5. 6. 7. et corp., ubi etiam alia sunt ad rem spectantia). S. Thom. (S. I. II. q. 94. a. 2. corp.) dicit: « Illud quod primo cadit in *apprehensione*, est *ens*, cuius intellectus includitur in omnibus, quaecumque quis apprehendit; et ideo primum principium indemonstrabile est, quod *non est simul affirmare et negare*, quod fundatur super rationem entis et non entis, et super hoc principio omnia alia fundantur » (cfr. Idem de Potentia q. 9. a. 7. ad 15. et in fine; S. I. q. 11. a. 2. ad 4.).

Hoc *esse* analogum, ab intellectu apprehendente primo cognitum, non est nisi tenuissima umbra *divini esse*, a quo ratione *realitatis* tota caelo distat rique quasi est oppositum; nihilominus ratione suae *maximae universalitatis, praestantiae* et *simplicitatis* aptum est *contemplativo oculo* fieri speculum ad divina contemplanda. Observat etiam Richardus a Med. (I. Sent. d. III. p. I. a. 3. q. 3.): « Cum intelligimus *ens in communi*, non descendendo ad ens creatum vel increatum, intelligimus Deum intellectione *generalissima*, in quantum intelligimus aliquid commune sibi et cuilibet creaturae, non communitate *univoca*, sed *analoga*. Et haec *naturalis* cognitio de Deo prior est quam Dei cognitio [propria] per *vestigium*; quia ista praesupponit in intellectu alicuius alterius cognitionem, sed illa non. Unde secundum Avicennam... ens commune omnibus rebus nullo modo potest manifestari nobis per aliquid notius illo. Alio modo cognoscitur Deus a nobis *in generali*, in quantum cognoscimus, esse aliquod ens increatum, cuiuslibet entis creati causam efficientem et finalem; et hanc cognitionem habemus de Deo per naturam *primo per vestigium* ». — Omnia haec confirmari possunt testimoniis nostri auctoris, quorum unum insigne iuvat transcribere, in quo loquitur de genere generalissimo et speciis specialissima et sic concludit: « Et hinc est, quod *genus* in aliquo assimilatur Deo magis quam *species*, in aliquo e converso. Deus enim, quia nobilissimus est in fine totius nobilitatis, sicut habet in se omnem perfectionem, ita quod ipse est *simplicissimus* et omnino *incorruptibilis*, est etiam *perfectus* et in omnimoda *actualitate constitutus*. Creatura vero, secundum quod potest, semiplene assimilatur Deo; et quantum ad rationem *simplicitatis* et *incorruptibilitatis* magis assimilatur magis universale, quantum ad rationem *actualitatis* magis assimilatur minus universale » (II. Sent. d. 18. a. 1. q. 3. in corp. circa finem). Eo fortius hoc valet de universalibus *transcendentalibus*, quorum primum et generalissimum est *esse*.

Quarto, ipsa verba auctoris in cap. 5. satis manifestant, quod bene distinguat ab *esse divino*, quod est actus purus, illa duo alia. Dicit enim: « Sed hoc non est *esse particulare* [*extra nos* realiter existens], quod est *esse* arctatum, quia permixtum est cum potentia; nec *esse analogum* [in intellectu *intra nos*], quia minime habet de actu, eo quod minime est ». De *esse analogo* sive communissimo, quod est quasi intimum inter omnia, quibus competit *esse*, auctor hic non loquitur, nisi quatenus occasionem dat contemplandi *ipsum esse* (supra nos). Iade monet: « Volens contemplari Dei invisibilia quoad essentiae mutatem *defigat aspectum in ipsum esse et videat* » etc. (n. 3.). Item: « Vide igitur ipsum purissimum *esse*, si *potes*, et occurrit tibi » etc. (n. 5.). Haec verba de « *ipso esse* » manifeste non intelliguntur de primo illo actu intellectus *apprehendentis*, qui naturaliter et necessario exercetur, et cuius obiectum est tenuissimum illud *esse*, quod non est *primum* et *purum esse*, sed potius eiusdem longinqua *umbra*. Intellectus autem reflectens et resolvens, et praecipue oculus contemplativus facile advertere potest, ipsum *esse per se*, quod est primum a parte rei essendi et cognoscendi principium, esse aliquid *supra nos* et *ante nos*, in quo omne *esse* creatum et etiam illud communissimum primi universalis *esse* radicatur, et in quod omnia ducunt intellectum resolventem. Hoc sensu etiam S. Thomas (S. I. q. 3. a. 5, sed contra) proclamat: « Nihil prius est Deo, nec secundum *rem* nec secundum *intellectum* ». Quod manifeste dictum est non ex parte intellectus humani, qui in caecitate sua prius *umbram* veritatis quam ipsam *veritatem in se* apprehendit, sed ex parte *rei* vel intellectus *superioris*, qui bene videt, *ipsum esse* praecedere *umbram* ipsius. — Hoc sensu accipienda sunt illa verba, quae nullis fuerunt lapis offensionis: « *Esse* igitur est, quod primo cadit in intellectu; et illud *esse* est, quod est purus actus » (n. 3.). Sensus igitur genuinus hic est: ipsum *esse* non est in rebus particularibus nisi *per participationem* et *modo arctato* et *imperfecto*, nec ab intellectu humano primo suo actu *apprehenditur* in sua puritate et distinctione, sed tantum imperfectissime in illa communissimi *esse* umbra; idem tamen ab oculo *contemplativo* cognoscitur distincte ut illud *esse*, quo revera « aliud prius est, nec secundum rem nec secundum intellectum ». Quia autem intellectus *apprehendens* propter suam caecitatem illud *esse purissimum* « *non videt* », « *nec advertit* », immo « videtur sibi nihil videre » (ut inculcatur, ibid. n. 4.); S. Doctor miro acumine secundum intellectum *reflectentem* et *resolventem* ex ipso conceptu *esse per se* evolvit praecipua attributa divina.

In toto autem Itinerario sua Seraphicus inuitur doctrinae S. Augustini; ad cuius profunditatem intelligendam simul optimam quasi clavem praebet. Qui igitur sublime hoc opusculum bene vult intelligere legat vel potius meditetur S. Augustini libros de Vera Religione, VI. de Musica et II. et III. de Libero Arbitrio, vel saltem conferat locos a nobis in notis allegatos.

Digitized by Google

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

OPUSCULUM

DE

REDUCTIONE ARTIUM AD THEOLOGIAM

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

REDUCTIONE ARTIUM AD THEOLOGIAM

Pars I.

1. *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*, Iacobus in Epistolae suae primo capitulo [1]. In hoc verbo tangitur origo omnis illuminationis, et simul cum hoc insinuatur multiplicis luminis ab illa fontali luce liberalis emanatio. Licet autem omnis illuminatio cognitionis interna sit, possumus tamen rationabiliter distinguere, ut dicamus, quod est lumen *exterius*, scilicet lumen artis mechanicae; lumen *inferius*, scilicet lumen cognitionis sensitivae; lumen *interius*, scilicet lumen cognitionis philosophicae; lumen *superius*, scilicet lumen gratiae et sacrae Scripturae. Primum lumen illuminat respectu *figurae artificialis*, secundum respectu *formae naturalis*, tertium respectu *veritatis intellectualis*, quartum et ultimum respectu *veritatis salutaris*.

Origo omnis illuminationis et multiplicis luminis emanatio.

Quadruplex lumen.

2. Primum igitur lumen, quod illuminat ad *figuras artificiales*, quae quasi exterius sunt et propter supplendam corporis indigentiam repertae, dicitur lumen *artis mechanicae* [2]; quae, qua quodam modo servilis est et degenerat a cognitione philosophiae, recte potest diri *exterius*. Et illud septuplicatur secundum septem artes mechanicas, quas assignat Hugo in Didascalico [3], quae sunt scilicet lanificium, armatura, agricultura, venatio, navigatio, medicina, theatrica. — Quarum *sufficientia* sic accipitur. Quoniam omnis ars mechanica aut est ad *solatium*, aut ad *commodum*; sive aut est ad excludendam *tristitiam*, aut *indigentiam*; sive aut *prodest*, aut *delectat*, secundum illud Horatii [4]:

De 1. lumine.

Est septuplex.

Sufficientia.

Divino.

> Aut prodesse volunt, aut delectare poetae.

Et iterum:

> Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Si est ad *solatium* et delectationem, sic est *theatrica*, quae est ars ludorum, omnem modum ludendi continens, sive sit in cantibus, sive in organis, sive in figmentis, sive in gesticulationibus corporis [5]. — Si vero ordinatur ad *commodum* sive profectum secundum exteriorem hominem, hoc potest esse aut quantum ad *operimentum*, aut quantum ad *alimentum*, aut quantum ad *utriusque adminiculum*. — Si quantum ad *operimentum*, aut illud est de materia molli et leni, sic est *lanificium*; aut de materia dura et forti, et sic est *armatura* sive ars fabrilis, quae continet omnem armaturam fabricatam [6] sive ex ferro, sive ex quocumque metallo, sive lapide, sive ligno.

De 1. membro.

Subdivisio 2. membri.

Quoad operimentum artes 2.

Si vero inval quantum ad *cibum*, hoc potest esse dupliciter: quia cibamur *vegetabilibus*, aut *sensibilibus*. Si quantum ad *vegetabilia*, sic est *agri-*

Item, quoad cibum.

---

[1] Vers. 17. — Mox post *origo omnis illuminationis* A B D E F prosequuntur *et finis; cum hoc* etc. Subinde pro *cognitionis interna sit*, quod exhibent G I K L, nhi codd. non male *interna sit cognitionis*, edd. *interna sit cognitione*. Inferius post *veritatis salutaris* K exhibet elenchum 10 capitulorum operis; subinde cuilibet parti praemittit correspondens cap.

[2] G addit *mechanicum Graece, Latine ingenuosum*. Cfr. Aristot., Quaestiones mechanicae, ubi (in principio) approbat dictum poetae Anaphon: « Arte enim superamus ea, a quibus natura vincimur », et docet, illa tantum artificia ad mechanicam pertinere, quae arte sive ingenio indigent ad propulsandas difficultates nobis contingentes praeter naturam (in multis enim natura ei, quod nobis usui esse potest, contrarium facit) et quae nostrae subveniunt utilitati. — Superius pro *indigentiam repertae, dicitur* A B D E F *indigentiam, recte dicitur*.

[3] Sive Eruditione didascalica, II. c. 21. Cfr. I. Excerpt. prior. c. 14. — Subsequentibus temporibus, omissa *theatrica*, substituebantur *militaris* et *fabrilis* (cfr. paulo inferius) tanquam duae artes; quae septem artes hoc versu exprimebantur:

> Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

[4] Epist. ad Pisones sive de Arte poetica, v. 333; sqq. versus est ibid. v. 343.

[5] A B E F *corporum et choreis*, D *corporum sive in choreis*.

[6] C I K *fabricandam*, A B D E F legunt: *omnem artem armaturarum fabricandi*. Secundum Hug. a S. Vict., II. Erudit. didascal. c. 23, armatura, ad quam pertinet omnis materia lapidum, lignorum, metallorum etc., duas species habet, scil. *architectonicam* (sub qua ars caementaria et carpentaria) et *fabrilem* (sub qua est ars malleatoria et excusoria, prout ipsa massam in formam redigit vel feriendo, vel fundendo). Superius pro *molli et leni* 1, 2, 3 cum pluribus codd. *levi*. Inferius pro *cibum* edd. *alimentum*.

Digitized by Google

cultura: si quantum ad *sensibilia*, sic est *venatio*. — Vel aliter: si iuvat quantum ad *cibum*, hoc potest esse dupliciter: aut iuvat quantum ad ciborum *genituram* et multiplicationem, et tunc est agricultura; aut quantum ad cibi multiplicem[1] *praeparationem*, et sic est venatio, quae continet omne genus praeparandi cibos et potus et sapores, quod pertinet ad pistores, coquos et caupones. Denominatur autem ab unius parte solum propter quandam excellentiam et curialitatem[2]. Alius modus.

Si autem est in *utriusque adminiculum*, hoc est dupliciter: aut *defectum supplendo*, et sic est *navigatio*, sub qua continetur omnis *mercatio* sive pertinentium ad operimentum, sive ad alimentum; aut *removendo impedimentum* et incumentum, et sic est *medicina*, sive consistat in confectione electuariorum, sive potionum, sive unguentorum, sive curatione vulnerum, sive decisione membrorum, sicut est chirurgia. — Theatrica autem est unica[3]. Et sic patet sufficientia. Item, quoad utriusque adminiculum.

3. Secundum lumen, quod illuminat nos ad *formas naturales* apprehendendas, est lumen *cognitionis sensitivae*, quod recte dicitur *inferius*, quia cognitio sensitiva ab inferiori incipit et fit beneficio lucis corporalis. Et hoc quintuplicatur secundum quinque sensus. — Quorum *sufficientiam* sumit Augustinus secundum naturam luminis elementorum in tertio super Genesi[4] hoc modo: quia lumen sive lux faciens ad distinctionem rerum corporearum aut est in sua *proprietatis eminentia* et quadam puritate, et sic est sensus *visus;* aut *commiscetur aëri*, et sic est *auditus;* aut *vapori*, et sic est *odoratus;* aut *humori*, et sic est *gustus;* aut *terrae grossitiei*, et sic est *tactus*. Spiritus enim sensibilis naturam luminis habet, unde in nervis viget, quorum natura est clara et pervia; et in istis quinque sensibus multiplicatur secundum maiorem et minorem depurationem. Itaque cum quinque sint corpora mundi simplicia, scilicet quatuor elementa et quinta essentia[5]; ut homo omnes formas corporeas posset percipere, quinque sensus habet illis correspondentes; quia nulla fit apprehensio nisi per aliquam similitudinem et convenientiam organi et obiecti, pro eo quod sensus est natura determinata. — Est et alius modus sumendi sufficientiam sensuum[6], sed hunc approbat Augustinus, et rationabilis videtur, quia ad hanc sufficientiam simul concurrunt correspondentia ex parte organi, medii et obiecti. De 2. lumine. Est quintuplex. Sufficientia sec. naturam luminis elementorum. Notandum. Alius modus commentatur.

4. Tertium lumen, quod illuminat ad *veritates intelligibiles* persecutandas, est lumen *cognitionis philosophicae*, quod ideo *interius* dicitur, quia interiores causas et latentes inquirit, et hoc per principia disciplinarum et veritatis naturalis, quae homini naturaliter sunt inserta[7]. Et hoc triplicatur in *rationalem*, *naturalem* et *moralem*. — Et sufficientia potest accipi sic. Est enim veritas *sermonum*, veritas *rerum* et veritas *morum*. *Rationalis* veritatem *sermonum* considerat, *naturalis* veritatem *rerum*, *moralis* veritatem *morum*. — Vel aliter: sicut in summo Deo est considerare rationem causae efficientis, formalis sive exemplaris, et finalis, quia « est causa subsistendi, ratio intelligendi et ordo vivendi[8] »; sic in ipsa illuminatione philosophiae, quoniam illuminat aut ad cognoscendas *causas essendi*, et sic est *physica;* aut *rationes intelligendi*, et sic est *logica;* aut *ordinem vivendi*, et sic est *moralis* sive practica. — Tertio modo sic: quia lumen cognitionis philosophicae illuminat ipsam intellectivam; hoc autem potest esse tripliciter: aut in quantum regit *motivam*, et sic est *moralis;* aut in quantum regit *se ipsam*, et sic est *naturalis;* aut in quantum regit *interpretativam*, et sic est *sermocinalis;* ut sic illuminetur De 3. lumine. Est triplex. Sufficientia. Modus 2. Modus 3.

---

[1] Ita A B D E F, quorum fide etiam paulo superius substituimus *si iuvat... aut iuvat quantum* pro *quia iuvare... aut quantum*. Infra pro *omne genus* A E *omnes modos* (D F *artes*).

[2] Secuti sumus H; C legit *communitatem* (cui G praefigit *causalitatem et*), K *claritatem*, alii *calliditatem* (calliditatem?), edd. *comparabilitatem*. A B D E F omittunt *ab unius parte*. Hug. a S. Vict., II. Erudit. didascal. c. 26: Ad hanc disciplinam pertinet omnium ciborum, saporum et potuum apparatus. Nomen tamen accepit ab una parte sui; quia antiquitus plus *venatores* vesci solebant etc.

[3] Scil. in suo genere i. e. *solutii*, dum aliud genus *commodi* plures (sex) sub se comprehendit artes. — G hanc propositionem omittit.

[4] Cap. 4. et 5. n. 6. et 7. Cfr. VII. c. 15. n. 21. et XII. c. 16. n. 32. Vide supra pag. 227, nota 5. — Inferius pro *corporeorum* A B D E *corporalium*, qui etiam cum I L et 1, 2 pro *terreae* substituunt *terrae* (August., loc. cit., utitur dictionibus *terrenum gravitatem* et *terrena crassitudine*).

[5] Scil. corporum firmamenti. Cfr. Breviloq. p. II. c. 3. seq. — De *similitudine* requisita in cognitione cfr. supra pag. 29, nota 6, et quod sensus sit natura ad aliquid determinata, docetur supra Quaest. de scientia Christi, q. 4. ad 14. Vide etiam I. Sent. d. 3. p. I. q. 1. ad 2. — Superius pro *depurationem* A B *approximationem*.

[6] Praeter praedictum modum, qui, ut paulo inferius insinuatur, plures (v. g. ex parte *obiecti*, *medii*) in se comprehendit, ex quibus Alex. Hal., S. p. II. q. 66. m. 3, Iuan. a Rupella, Sum. de Anima, p. II. c. 19, distinctim derivant quinarium sensuum, iidem auctores *alium* modum afferunt, scil. secundum *modum sentiendi*, qui est vel secundum *approximationem* sensibilium (sic est sensus *tactus* et *gustus*), vel secundum *distantiam* (sic est sensus *visus*, *auditus* et *odoratus*).

[7] Cfr. supra Itinerar. c. 3. n. 2. et pag. 120, nota 11. — August., VIII. de Civ. Dei, c. 4: Proinde Plato utrumque [partem philosophiae *activam* et *contemplativam*] iungendo philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit: unam *moralem*, quae maxime in actione versatur; alteram *naturalem*, quae contemplationi deputata est; tertiam *rationalem*, qua verum discernitur a falso etc. Cfr. ibid. II. c. 7; XI. c. 25. et Epist. 137. (alias 3.) c. 5. n. 47. — A B D E F *insita;* idem codd. superius legunt: *Tertium lumen est, quod illuminat* [C addit *nos*]... *persecutandas; et hoc est lumen* etc. Subinde pro *veritatis naturalis* I K *iuris naturalis*. Inferius pro *considerat* A B H *continet*, H I K L *inquirit*, C *docet*.

[8] Ut secundum Platonem refert Augustinus supra pag. 19, nota 7. allegatus. — Supra edd. et plures codd. *efficientis, formalis et exemplaris* (sine *finalis*), A B *efficientis, formalis et finalis sive exemplaris*. Legendum tamen est *efficientis, formalis sive exemplaris, et finalis*. Cfr. supra Itinerar. mentis etc. c. 5. n. 7. et I. Sent. pag. 73, nota 7.

Digitized by Google

homo ad **veritatem** vitae, ad veritatem scientiae et ad **veritatem** doctrinae [1].

Rationalis philosophia triplicatur.

Et **quoniam** tripliciter potest aliquis per *sermonem* **exprimere** quod habet apud se, ut scilicet notum **faciat** mentis suae conceptum, vel ut amplius **moveat ad** credendum, vel ut moveat ad amorem, **vel odium**: ideo *sermocinalis* sive rationalis philosophia triplicatur, scilicet in *grammaticam*, *logicam* et *rhetoricam*; quarum prima est ad exprimendum, secunda ad docendum, tertia ad movendum. Prima respicit rationem ut *apprehensivam*; secunda, ut *iudicativum*; tertia, ut *motivam*. Et quia **ratio** apprehendit per sermonem *congruum*, indicat **per** *verum*, movet per sermonem *ornatum*: hinc est, **quod** haec triplex scientia has tres passiones [2] circa **sermonem** considerat.

Grammatica, logica, rhetorica.

Naturalis philosophia triplicatur.

Rursus, quoniam intellectus noster dirigi habet **in iudicando** secundum rationes formales, et hae tripliciter possunt considerari: vel in comparatione ad ***materiam***, et sic dicuntur *rationes formales*; vel **in comparatione** ad *animam*, et sic *intellectuales*; **vel in** comparatione ad *divinam sapientiam*, et sic ***ideales***: ideo *naturalis* philosophia triplicatur in ***physicam*** *proprie dictam*, in *mathematicam* et in ***metaphysicam*** [3]; ita quod *physica* consideratio est **circa rerum** generationem et corruptionem secundum **virtutes** naturales et rationes seminales; *mathematica* est circa considerationem formarum abstrahibilium secundum rationes intelligibiles; *metaphysica*, **circa** cognitionem omnium entium, quae reducit ad **unum** primum principium, a quo exierunt secundum *rationes ideales* sive ad Deum in quantum *principium*, *finis* et *exemplar*; licet inter metaphysicos de huiusmodi rationibus idealibus nonnulla fuerit **controversia** [4].

Physica, mathematica, metaphysica.

Postremo, quia regimen virtutis *motivae* tripliciter habet attendi, scilicet respectu *vitae propriae*, respectu *familiae* et respectu *multitudinis subiectae*; ideo *moralis* philosophia triplicatur, scilicet in *monasticam*, *oeconomicam* et *politicam*; quae distinguuntur secundum tripliceem modum praedictum, sicut apparet ex ipsis nominibus [5].

Rem. moralis philosophia.

Monastica, oeconomica, politica.

5. Quartum autem lumen, quod illuminat ad *veritatem salutarem*, est lumen *sacrae Scripturae*, quod ideo dicitur *superius*, quia ad superiora ducit manifestando quae sunt supra rationem, et etiam, quia non per inventionem, sed per inspirationem *a Patre luminum* descendit [6]. Quod licet *unum* sit secundum intellectum *litteralem*, est tamen *triplex* secundum sensum *mysticum* et spiritualem. In omnibus enim sacrae Scripturae libris praeter *litteralem* sensum, quem exterius verba sonant, concipitur triplex sensus *spiritualis*, scilicet *allegoricus*, quo docemur, quid sit credendum de Divinitate et humanitate; *moralis*, quo docemur, quomodo vivendum sit; et *anagogicus*, quo docemur, qualiter est Deo adhaerendum [7]. Unde tota sacra Scriptura haec tria docet, scilicet Christi aeternam generationem et incarnationem, vivendi ordinem et Dei et animae unionem. Primum respicit *fidem*, secundum *mores*, tertium *finem utrinsque*. Circa primum insudare debet studium doctorum, circa secundum studium praedicatorum, circa tertium studium contemplativorum. Primum maxime docet Augustinus, secundum maxime docet Gregorius, tertium vero docet Dionysius — Anselmus sequitur Augustinum, Bernardus sequitur Gregorium, Richardus sequitur Dionysium, quia Anselmus in ratiocinatione, Bernardus in praedicatione, Richardus in contemplatione — Hugo vero omnia haec [8].

De 4. lumine.

Unus intellectus litteralis, tripliex mysticus.

Quid doceat Scriptura.

Notandum.

6. Ex praedictis colligitur, quod licet ex primaria divisione *quadruplex* sit lumen desursum descendens; sunt tamen *sex* eius differentiae: scilicet lumen *sacrae Scripturae*, lumen *cognitionis sensitivae*, lumen *artis mechanicae*, lumen *philosophiae rationalis*, lumen *philosophiae naturalis* et lumen *philosophiae moralis*. Et ideo sex illuminationes sunt in vita ista et habent vesperam, quia omnis *scientia*

Sex differentiae luminis.

Sex illuminationes cum vespera.

---

[1] August., XI. de Civ. Dei, c. 25, docet, tria in homine spectari posse, scil. naturam, doctrinam et usum; et « ex his propter obtinendam beatam vitam tripartita, ut dixi, a philosophis inventa est disciplina: naturalis propter naturam, rationalis propter doctrinam, moralis propter usum ». — Paulo inferius pro *exprimere quod habet apud se*, quod praebet B, alii codd. *et* edd. *quem habet apud se*, *interpretari* (plures codd. omittunt *interpretari*, pro quo A *mansuescere ad exprimendum*). Subinde post *conceptum* A B praesupponunt: *vel ad erudiendum*, *vel ut amplius moveat ad amorem*, et post pauca omittunt *sive rationalis*.

[2] Sive proprietates; cfr. supra pag. 206, nota 11. — A B D E F propositionem *Prima respicit rationem... tertia*, *ut motivam* transponunt post *per sermonem ornatum*. Idem codd. substituunt in seq. propositione *in iudicante* pro *in iudicando*, in qua etiam pro *formales* B K exhibent *seminales* (cfr. supra pag. 287, nota 5.).

[3] Cfr. Aristot., VI. Metaph. text. 2. et XI. c. 6. (V. c. 1. et X. c. 7.); Boeth., Dialog. I. in Porphyr. (in principio) et I. Comment. in Porphyr. (in principio).

[4] Cfr. Aristot., I. Metaph. text. 6. et 25. sequ. (c. 6. et 9.), ubi sententiam Platonis de *ideis* per se existentibus refert et improbat; et August., 83 Qq. q. 46, ubi docet, Platonem sensisse, has ideas in Deo existere. Vide II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1. ad 3. et 4. ac dub. 2.

[5] Cfr. Hug. a S. Vict., II. Eruditi. didascal. c. 20, et Isidor., II. Etymolog. c. 21. in fine. — A B D E F omittunt *quae distinguuntur*.

[6] Iac. 1, 17. — Superius post *illuminat* C suppleat *nos*, B hic praesupponit: Quia vero primum lumen unum est et trinum, unum in essentia, trinum in personis; inde est, quod in sacra Scriptura contingit quadruplicem sensum reperire, scilicet unum et trinum, unum secundum sensum litteralem et trinum secundum sensum spiritualem.

[7] Cfr. Breviloq. Prologi. § 4. — Superius post *moralis* A B addunt *sive tropologicus*.

[8] Refragantibus codd., Vat. post *haec* adiicit *id est omnes* [1, 2, 3 addunt *tres*] *sequitur*. Superius pro *docet Dionysius* plures codd. *ex sequitur Dionysius*.

Digitized by Google

destruetur[1]; et ideo succedit eis septima dies requietionis, quae vesperam non habet, scilicet *illuminatio gloriae*.

Comparatur cum 6 formationibus in Genesi.

7. Unde valde apte[2] possunt reduci sex istae illuminationes ad senarium formationum sive illuminationum, in quibus factus est mundus, ut cognitio sacrae Scripturae primae formationi, scilicet formationi lucis, respondeat; et sic deinceps per ordinem. —

Principium statuitur pro 2. parte.

Et sicut omnes illae ab una luce habebant originem, sic omnes istae cognitiones ad cognitionem sacrae Scripturae ordinantur, in ea claudunturet in illa perficiuntur, et mediante illa ad aeternam illuminationem ordinantur. Unde omnis nostra cognitio in cognitione sacrae Scripturae debet habere statum, et maxime quantum ad intellectum *anagogiae*, per quem illuminatio refertur in Deum, unde habuit ortum. Et ideo ibi completus est circulus, completus est senarius, et propterea[3] status.

Pars 2.

8. Videamus igitur, qualiter aliae illuminationes cognitionum reduci habent ad lumen sacrae Scripturae.

Reductio cognitionis sensitivae quoad tria.

Et primo videamus in illuminatione cognitionis *sensitivae*, quae tota versatur circa cognitionem sensibilium, ubi tria est considerare: cognoscendi *medium*, cognoscendi *exercitium*, cognoscendi *oblectamentum*[4]. —

Primo, de medio.

Si consideremus *medium* cognoscendi, intuebimur ibi Verbum aeternaliter generatum et ex tempore incarnatum. Nullum enim sensibile movet potentiam cognitivam, nisi mediante similitudine, quae egreditur ab obiecto, sicut proles a parente; et hoc generaliter, rediter, vel exemplariter est necesse in omni sensu. Illa autem similitudo non fuerit completionem in actu sentiendi, nisi uniatur cum organo et virtute; et cum unitur, nova fit perceptio, et per illam perceptionem fit reductio ad obiectum mediante similitudine illa. Et licet non semper obiectum sentiatur, semper tamen, quantum est de se, gignit

Applicatio.

similitudinem, cum est in sua completione. — Per hunc etiam modum intellige, quod a summa mente, quae cognoscibilis est interioribus sensibus mentis nostrae, aeternaliter emanavit similitudo, imago et proles; et ille postmodum, cum *venit plenitudo temporis*[5], unitus est menti et carni et hominis formam accepit, quod nunquam fuerat prius; et per illum omnes mentes nostrae reducuntur ad Deum, quae illam similitudinem Patris per fidem in corde suscipiunt.

Secundo, de exercitio.

9. Si vero consideremus sensuum *exercitium*, intuebimur ibi *ordinem vivendi*. Unusquisque enim sensus se exercet circa proprium obiectum, refugit sibi nocivum et non usurpat alienum. — Per hunc

Applicatio.

modum hunc sensus *cordis* ordinate vivit, dum se ipsum exercet ad id, ad quod est, contra *negligentiam;* illum refugit sibi nocivum, contra *concupiscentiam;* et dum non usurpat sibi alienum, contra *superbiam*. Omnis enim inordinatio aut venit ex

Unde inordinatio.

negligentia, aut ex concupiscentia, aut ex superbia[6]. Ille enim ordinate vivit, qui vivit prudenter, temperanter et obtemperanter, ut refugiat negligentiam in operabilibus, concupiscentiam in appetibilibus, superbiam in excellentibus.

Tertio, de oblectamento.

10. Si autem consideremus *oblectamentum*, intuebimur Dei et animae unionem. Omnis enim sensus suum sensibile conveniens quaerit cum desiderio, invenit cum gaudio, repetit sine fastidio, quia *non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur*[7]. —

Applicatio.

Per hunc etiam modum sensus *cordis* nostri sive pulcrum, sive consonum, sive odoriferum, sive dulce, sive uniuscuiusque debet desideranter quaerere, gaudenter invenire, incessanter repetere. — Ecce, quomodo

Epilogus.

in cognitione sensitiva continetur occulte divina sapientia, et quam mira est contemplatio quinque sensuum spiritualium secundum conformitatem ad sensus corporales.

Reductio artis mechanicae quoad tria.

11. Per hunc modum est reperire in illuminatione[8] *artis mechanicae*, cuius tota intentio versatur circa *artificialium productionem*. In qua ista tria possumus intueri, scilicet *Verbi generationem* et *incarnationem*, *vivendi ordinem* et *Dei et animae foederationem*. Et hoc, si consideremus *egressum*, *effectum* et *fructum;* vel sic: *artem operandi*, *qualitatem effecti artificii* et *utilitatem fructus eliciti*.

Primo, de egressu.

12. Si consideremus *egressum*, videbimus, quod effectus artificialis exit ab artifice, mediante similitudine existente in mente; per quam artifex exco-

---

[1] Epist. I. *Cor.* 13, 8. — De sex diebus creationis et de septima requiei cfr. Breviloq. p. II. c. 2. et Itinerr. mentis in Deum, c. 7. n. 1. — A B *quae omnes destruentur*. Idem codd. cum D E F superius post *descendens* addunt *scilicet ut supra dictum est*. Mox pro *succedit* A E I K *succedet*.

[2] Vat. *aperte*. Subinde multi codd. omittunt *formationum sive*.

[3] Ita C G; H I K L *et in ea* [H addit *est*], A B E *et praeparato*, edd. *et proporto*. Superius pro *aeternam* A H D I. F K L *sempiternam* (I *septimam*), et pro *anagogiae* A H L *anagogicum*.

[4] Vide de Iris Itinerar. mentis in Deum, c. 2. — Inferius post *incarnatum* A H prosequuntur: *Nullum enim sensibilem rem novit per se nostra cognitio, nisi... et hoc* [*et hoc?*] *est medium* [ita etiam D E F; G H I K L *est verum*, edd. *est necesse esse*, sed contra C]... *in omni sensu*.

[5] Gal. 4, 4. — Mox secundo simus A H [cfr. Phil. 2, 7.]; edd. *carni, id est homini, quem formaverat, qui nunquam;* C D E F H. *et hominem formavit* [C *format*], *qui* [F *quod*]. Pro *illam similitudinem* A B D E F *illum Filium*.

[6] Cfr. I. Ioan. 2, 16, et Breviloq. p. III. c. 9. — Superius pro *ubi nocivum* C *ubi mensum*, A B D E et 1, 2 *contrarium;* cfr. Aristot., II. de Anima, text. 63. sequ. (c. 6.); III. text. 28. sequ. (c. 7.) et X. Ethic. c. 4. seq. (ubi de gaudio). Inferius pro *excellentibus* edd. *excellentibus sive sublimibus*.

[7] Eccle. 1, 8: Non saturatur oculus etc. — De dictione *mulcebre* cfr. tom. IV. pag. 137, nota 6. et de sensibus *spiritualibus* vide Breviloq. p. V. c. 6. — Inferius voci *conformitatem* H praefigit *dissonem et*.

[8] A H I K *hoc*, C I K L et 1, 2 *lumine*. Inferius pro *foederationem* I cum pluribus codd. *confoederationem*.

Digitized by Google

gitat, antequam producat, et inde producit, sicut disposuit[1]. Producit autem artifex exterius opus assimilatum exemplari interiori eatenus, qua potest melius; et si talem effectum posset producere, qui ipsum amaret et cognosceret, utique faceret; et si effectus ille cognosceret suum opificem, hoc esset mediante similitudine, secundum quam ab artifice processit; et si haberet obtenebratos oculos cognitionis, ut non posset supra se elevari, necesse esset ad hoc, ut ad cognitionem sui opificis duceretur, quod similitudo, per quam productus esset effectus, condescenderet usque ad illam naturam, quae ab eo[2] posset capi et cognosci. — Per hunc modum intellige, quod a summo Opifice nulla creatura processit nisi per Verbum aeternum, « in quo omnia disposuit[3] », et per quod produxit non solum creaturas habentes rationem *vestigii*, sed etiam *imaginis*, ut eadem assimilari possint per cognitionem et amorem. Et quoniam per peccatum rationalis creatura oculum contemplationis obnubilatum habuit; decentissimum fuit, ut aeternum et invisibile fieret visibile et assumeret carnem, ut nos ad Patrem reduceret. Et hoc est quod dicitur Ioannis decimo quarto[4]: *Nemo venit ad Patrem nisi per me;* et Matthaei undecimo: *Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Et ideo dicitur *Verbum caro factum.* Considerantes igitur illuminationem artis mechanicae quantum ad operis egressum, intuebimur ibi Verbum generatum et incarnatum, id est Divinitatem et humanitatem et totius fidei integritatem[5].

Secundum. — Applicatio.

13. Si vero consideremus *effectum*, intuebimur *vivendi ordinem.* Omnis enim artifex intendit producere opus pulcrum et utile et stabile; et tunc est carum et acceptabile opus, cum habet istas tres conditiones. — Iuxta haec tria necesse est reperiri tria in ordine vivendi scilicet « *scire, velle* et impermutabiliter sive *perseveranter operari* »[6]. *Scientia* reddit opus pulcrum, *voluntas* reddit utile, *perseverantia* reddit stabile. Primum est in rationali, secundum in concupiscibili, tertium in irascibili.

Secundo, de effectu. — Applicatio.

14. Si consideremus *fructum*, inveniemus *Dei et animae unionem.* Omnis enim artifex, qui aliquod opus facit, aut facit, ut per illud laudetur, aut ut per illud sibi aliquid *operetur* vel lucretur, aut ut in illo *delectetur*, secundum tria, quae sunt in appetibilibus, scilicet bonum *honestum*, *conferens* et *delectabile*[7]. — Propter haec tria fecit Deus animam rationalem, ut ipsa eum *laudaret*, ut ipsa illi *serviret*, ut ipsa in eo *delectaretur* et quiesceret; et hoc est per caritatem, *in qua qui manet in Deo manet, et Deus in eo*[8], ita quod est ibi quaedam mirabilis unio et ex unione mirabilis delectatio; quoniam, secundum quod dicitur in Proverbiis, *deliciae meae esse cum filiis hominum.* — Ecce, quomodo illuminatio artis mechanicae via est ad illuminationem sacrae Scripturae, et nihil est in ea, quod non praedicet veram sapientiam. Et ideo sacra Scriptura frequenter talibus similitudinibus utitur satis recte.

Tertio, de fructu. — Applicatio. — Epilogus.

15. Iuxta hunc etiam modum est reperire in illuminatione *rationalis philosophiae*, cuius principalis intentio versatur circa *sermonem.* In quo est tria considerare secundum triplicem ipsius sermonis considerationem, scilicet respectu *proferentis*, ratione *prolationis* et respectu *audientis* sive ratione finis.

Reductio rationalis philosophiae quoad tria.

16. Si sermonem consideremus in respectu ad *loquentem*, sic videmus, quod omnis sermo significat *mentis conceptum*[9], et ille conceptus interior est verbum mentis et eius proles, quae nota est etiam ipsi concipienti. Sed ad hoc, quod fiat nota audienti, induit formam vocis, et verbum intelligibile mediante illo indumento fit sensibile et auditur exterius et suscipitur in aure cordis audientis, et tamen non recedit a mente proferentis. — Iuxta hunc modum videmus in Verbo aeterno, quod Pater aeternaliter ipsum concepit generando, secundum illud Proverbiorum octavo[10]: *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram.* Sed ad hoc, quod homini sensuali fieret cognoscibile, induit formam carnis, *et Verbum caro factum est et habitavit in nobis*, et tamen remansit *in sinu Patris.*

Primo, de sermone quoad loquentem. — Applicatio.

17. Si vero consideremus sermonem ratione *sui*, sic intuebimur in eo *ordinem vivendi.* Ad complementum enim sermonis necessario ista tria concurrunt, scilicet *congruitas*, *veritas* et *ornatus.* — Et iuxta haec tria omnis actio nostra debet habere *modum*, *speciem* et *ordinem*[11]; ut sit *modificata*

Secundo, quoad prolationem. — Applicatio.

---

[1] Respicitur Senecae (Epist. 65. ad Lucilium) definitio ideae: Idea est exemplar, ad quod respiciens artifex id quod destinatum est, efficit. Cfr. tom. I. pag. 600, nota 7.

[2] Sensus est: effectus ille non cognosceret opificem, nisi hic descenderet ad talem naturam, quam effectus capere posset.

[3] Ut dicit Glossa *ordinaria* ex August. in Ps. 61, 12. Cfr. supra pag. 211, nota 3. — De oculo contemplationis vide Breviloq. p. II. c. 12. in fine. — Inferius verbis *ut aeternum* C interseruit *Verbum.*

[4] Vers. 6. — Seq. locus est Matth. 11, 27; tertius Ioan. 1, 14.

[5] De quo vide Breviloq. p. V. c. 7.

[6] Quae secundum Aristot., II. Ethic. c. 4, necessario requiruntur ad virtutem.

[7] Secundum Aristot., I. Rhetor. c. 16. seqq. (c. 6. seqq.) et II. Ethic. c. 3. Cfr. supra pag. 467, nota 2.

[8] Epist. I. Ioan. 4, 16: Et qui manet in caritate in Deo etc. — Seq. locus est Prov. 8, 31. — Mox pro *id quod* A B D E F *itaque*, et inferius pro *verum* G *decimum.*

[9] Aristot., I. Periherm. c. 4: Sunt ergo ea quae sunt in voce, earum quae sunt in anima passionum notae. — Pro *redemus*, *quod* (ita C) plures codd. et 1, 2 *videmus*, *quoniam*, Val. et 3 *videbimus*, *quomodo.*

[10] Vers. 24. — Seq. locus est Ioan. 1, 14. — Ibid. v. 18. dicitur: Unigenitus Filius, qui est *in sinu Patris.* — Inferius pro *sensibili* cum A U F substituimus *sensuali*, quae lectio convenit cum Brevil. p. IV. c. 1, ubi dicitur: Et quia homo carnalis, animalis et *sensualis* non noverat etc.

[11] Vide Breviloq. p. III. c. 1, ubi in nota 1. verba Augustini afferuntur. — Phil. 4, 5: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Prov. 22, 11: Qui diligit cordis mundiliam etc. Matth. 6, 22: Lucerna corporis tui est oculus [intentio] tuus; si oculus tuus fuerit simplex etc. — Pro *opere* A *operatione.*

Digitized by Google

per modestiam in exteriori opere, *speciosa* per munditiam in affectione, *ordinata* et ornata per rectitudinem in intentione. Tunc enim recte et ordinate vivitur, cum est intentio recta, affectio munda et operatio modesta.

Tertio, quoad finem.

18. Si vero consideremus sermonem ratione *finis* [1], sic est ad *exprimendum*, ad *erudiendum* et ad *movendum;* sed nunquam *exprimit* aliquid, nisi mediante specie, nunquam *docet*, nisi mediante lumine arguente, nunquam *movet*, nisi mediante virtute; et constat, quod hoc non fit nisi per speciem et lumen et virtutem intrinsecam, intrinsecus *animae unita*: et ideo concludit Augustinus [2], quod ille solus est verus doctor, qui potest speciem imprimere et lumen infundere et virtutem dare cordi audientis. Et hinc est, quod « cathedram habet in

Applicatio.

caelo qui intus corda docet ». — Sicut ergo nihil cognoscitur per sermonem perfecte, nisi mediante virtute, lumine et specie unitis animae; sic ad hoc, quod anima erudiatur ad Dei cognitionem per ipsius internam locutionem, necesse est, quod miratur ei *qui est splendor gloriae et figura substantiae eius,*

Epilogus.

portans omnia verbo virtutis suae [3]. — Ex quo patet, quam mira est haec contemplatio, per quam Augustinus in multis libris manuducit ad divinam sapientiam.

Reductio naturalis philosophiae quoad tria.

19. Secundum etiam hunc modum est reperire in illuminatione *naturalis philosophiae*, cuius principalis intentio versatur circa *rationes formales* in *materia*, in *anima* et in *divina sapientia*. Quas tripliciter contingit considerare, scilicet secundum *habitudinem proportionis*, secundum *effectum causalitatis* et secundum *medium unionis;* et secundum haec tria est reperire tria praemissa.

Primo, quoad habitudinem proportionis.

20. Si consideremus eas secundum *habitudinem proportionis*, videbimus in eis *Verbum aeternum* et *Verbum incarnatum*. Rationes *intellectuales* et abstractae quasi mediae sunt inter *seminales* et *ideales* [4]. Sed rationes *seminales* non possunt esse in *materia*, quin sit in ea generatio et productio formae; similiter nec in *anima* rationes *intellectuales*, quin

Applicatio I.

sit generatio verbi in mente: ergo nec *ideales in Deo*, quin sit productio Verbi a Patre secundum rectam proportionem; hoc enim est dignitatis, et si convenit creaturae, multo fortius inferri potest de Creatore. Propter quod dixit Augustinus [5], quod Filius Dei est « ars Patris ». — Rursus, appetitus, qui est in materia, ordinatur ad rationes intellectuales, ut nullo modo perfecta sit generatio, nisi anima rationalis uniatur materiae corporali [6]. — Per similem

De appetitu in materia.

Applicatio 2.

igitur rationem potest argui, quod summa perfectio et nobilissima in universo esse non possit, nisi natura in qua sunt rationes seminales, et natura, in qua sunt rationes intellectuales, et natura, in qua sunt rationes ideales, simul concurrant in unitatem personae, quod factum est in Filii Dei incarnatione. — Praedicat igitur tota naturalis philosophia per habitudinem proportionis Dei Verbum natum et incarnatum, ut idem sit *alpha et omega* [7], natum scilicet in principio et ante tempora, incarnatum vero in fine saeculorum.

Conclusio.

Secundo, quoad effectum causalitatis.

21. Si vero consideremus rationes istas secundum *effectum causalitatis*, perpendemus *ordinem vivendi:* quoniam generatio non potest fieri in materia generabili et corruptibili secundum rationes seminales nisi beneficio luminis corporum supercaelestium, quae elongantur a generatione et corruptione, scilicet a *sole*, *luna* et *stellis* [8]. — Per hunc etiam modum

Applicatio.

anima non potest opera viva facere, nisi suscipiat a sole, id est a Christo, gratuiti luminis beneficium, et nisi consequatur ipsius lunae, id est Virginis Mariae, Matris Christi patrocinium, et nisi imitetur aliorum Sanctorum exempla; ex quorum concursu congregetur in ipsa opus vivum atque perfectum. Unde ordo vivendi pendet in tribus.

Tertio, quoad medium unionis.

22. Si autem consideremus istas rationes secundum *unionis medium*, intelligemus, per quem modum fiat *unio animae ad Deum*. Nam natura corporalis animae non potest uniri, nisi mediante humore, mediante spiritu et mediante calore, quae tria disponunt carnem, ut vitam suscipiat ab anima [9]. — Secundum hoc etiam intelligitur, quod Deus non

Applicatio

praestat vitam animae nec ei unitur, nisi sit *humida* per gemitum compunctionis et pietatis, nisi sit *spi-*

---

[1] II *ratione audientis vel finis*. Inferius pro *aliquis* fide A B C D E G et 1, 2 substituimus *aliquid* (subiectum est *sermo*), et cum C *unita* [scil. illa tria, ut etiam inferius] pro *unitam*.

[2] In Epist. Ioan. tr. 3. n. 13, ex quo etiam verba inferius posita *cathedram habet* etc.; in Ioan. Evang. tr. 20. n. 3. et tr. 26. n. 7; de Magistro, c. 11. n. 38. seqq.; Enarrat. in Ps. 118. serm. 18. n. 4; I. de Peccator. meritis etc. c. 25. n. 37. Cfr. tom. II. pag. 690, nota 1. et tom. III. pag. 895, nota 1.

[3] Hebr. 1, 3. Plures codd. *portans* [Vulgata *portansque*] *omnia virtute sua*. — De Augustino cfr. supra Quaest. de scientia Christi, q. 4, et opusculum a nobis editum de Humanae Cognitionis ratione.

[4] Cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 1. seq. — De generatione formae vide Aristot., V. Physic. text. 7. (c. 1.), I. de Generat. et corrupt. text. 11. seqq. (c. 3.) et VII. Metaph. text. 22. seqq. (VI. c. 7.). — Vocibus *Rationes intellectuales* A B D F interserunt *enim*. Inferius pro *in mente* A B C F H *a mente*.

[5] Libr. VI. de Trin. c. 10. n. 11. Cfr. supra pag. 12. nota 7. K L *ars omnium rationum vivendium* etc.

[6] Quatenus per animam immortalem appetitus materiae terminatur. Cfr. II. Sent. d. 17. a. 1. q. 2. ad 6. et d. 19. a. 1. q. 1. in corp.

[7] Apoc. 1, 8; 21, 6. et 22, 13. Cfr. Breviloq. p. IV. c. 1. et 4.

[8] Vide Breviloq. p. II. c. 3. et 4. — Superius pro *beneficio* C *suscipiat beneficium*. Aliquanto inferius fide A C D E substituimus *opus vivum* pro *opus unum*.

[9] Cfr. Alfredi Anglici lib. de Motu cordis, et Costa-Ben-Lucae lib. de Differentia animae et spiritus (ed. Innsbruck 1878). Vide tom. IV. pag. 848, nota 4. et pag. 907, nota 9; tom. II. pag. 421, nota 1. seq. et pag. 421, nota 3. Cfr. etiam Hug. a S. Vict. opusculum de Unione corporis et animae. — A B C D F I. *recipiat ab anima*. Superius pro *ad Deum* A B *et Dei*.

Digitized by Google

ritualis per contemptum omnis terrenitatis, nisi sit *calida* per desiderium patriae caelestis et ipsius dilecti. — Ecce, qualiter in philosophia naturali latet sapientia Dei.

Reductio moralis philosophiae quod tria

23. Penes modos praedictos est reperire in illuminatione *philosophiae moralis* lumen *sacrae Scripturae*: quoniam intentio moralis philosophiae principaliter versatur circa rectitudinem; versatur enim circa institiam generalem, quae, ut dicit Anselmus[1], « est rectitudo voluntatis ». Rectum autem habet tripliciter notificari, et secundum hoc tria praemissa lucent in consideratione rectitudinis. Uno modo dicitur « *rectum*, cuius medium non exit ab extremis[2] ». Si ergo in Deo est summa rectitudo et secundum se, et in quantum est principium, et in quantum est finis omnium; necesse est in Deo ponere medium personam *secundum se*, ut una sit tantum producens, alia tantum producta, media vero producens et producta. Necesse est etiam ponere medium *in egressu et regressu* rerum; sed medium *in egressu* necesse est, quod plus teneat se a parte producentis, medium vero *in regressu*, plus a parte redeuntis: sicut ergo res exierunt a Deo per Verbum Dei, sic ad completum reditum necesse est, Mediatorem *Dei et hominum*[3] non tantum Deum esse, sed etiam hominem, ut homines reducat ad Deum.

Tripliciter rectum.

De primo cum applicatione.

Item, de secunda.

24. Alio modo dicitur *rectum* quod dirigenti se conformatur. Et secundum hoc in consideratione rectitudinis conspicitur *ordo vivendi*. Ille enim recte vivit, qui dirigitur secundum regulas iuris divini. Et hoc est, quando voluntas hominis assentit *praeceptis* necessariis, *monitis* salutiferis, *consiliis* perfectis, ut probet homo, *quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta*[4]. Et tunc est rectus ordo vivendi, in quo nulla obliquitas potest reperiri.

Item, de tertio.

25. Tertio modo dicitur *rectum* cuius summitas est sursum erecta, sicut homo habet staturam rectam. Et secundum hoc in consideratione rectitudinis manifestatur *Dei et animae unio*. Cum enim Deus sit sursum, necesse est, quod apex ipsius mentis sursum erigatur[5]. Hoc autem est, cum *rationalis* assentit primae veritati propter se et super omnia, cum *irascibilis* innititur summae largitati, et cum *concupiscibilis* adhaeret bonitati; tunc qui hoc modo *Deo adhaeret unus spiritus est*[6].

Epilogus totius opusculi.

26. Et sic patet, quomodo *multiformis sapientia Dei*[7], quae lucide traditur in sacra Scriptura, occultatur in omni cognitione et in omni natura. Patet etiam, quomodo omnes cognitiones famulantur theologiae; et ideo ipsa assumit exempla et utitur vocabulis pertinentibus ad omne genus cognitionis. Patet etiam, quam ampla sit via illuminativa, et quomodo in omni re, quae sentitur sive quae cognoscitur, interius latet ipse Deus. — Et hic est fructus omnium scientiarum, ut in omnibus aedificetur fides, *honorificetur Deus*[8], componantur mores, hauriantur consolationes, quae sunt in unione sponsi et sponsae, quae quidem fit per caritatem, ad quam terminatur tota intentio sacrae Scripturae, et per consequens omnis illuminatio desursum descendens, et sine qua omnis cognitio vana est, quia nunquam pervenitur ad Filium nisi per Spiritum sanctum, qui docet nos *omnem veritatem; qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen*[9].

Fructus omnium scientiarum.

EXPLICIT.

---

[1] De Conceptu virg. et orig. pecc. c. 3. et Dialog. de veritate, c. 12. Cfr. supra pag. 256, nota 6.

[2] Plato, in Parmen. Cfr. tom. II. pag. 4, nota 11. — De egressu et regressu rerum vide Breviloq. p. I. c. 8.

[3] Epist. I. Tim. 2, 5. — Pauto superius post *a Deo* H addit *in esse* (K L legunt *in esse a Deo*).

[4] Rom. 12, 2: Ut probetis, quae sit etc. — Hanc *secundam* acceptionem rectitudinis proponit August. pluribus in locis; sic Enarrat. in Ps. 31. enarrat. 2. n. 26: Voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Prava est enim tua, regula est illa; stet regula, ut quod pravum est ad regulam corrigatur. Cfr. Enarrat. 2. in Ps. 32. n. 2; Enarrat. in Ps. 63. n. 18; in Ps. 67. n. 10; in Ps. 93. n. 18. et in Ps. 124. n. 2. — Superius pro *conspicitur* H K L. *accipitur*.

[5] August., Enarrat. in Ps. 50. n. 15: Et quando se homo pronum locit ad terrenas concupiscentias, *incurvatur* quodam modo; cum autem erigitur in superna, *rectum* fit cor eius, ut bonus illi sit Deus. Cfr. Bernard., Sermon. in Cantic. serm. 24. n. 5. seqq. Vide etiam Breviloq. p. II. c. 10.

[6] Epist. I. Cor. 6, 17: Qui autem adhaeret Domino unus etc. (Cfr. Breviloq. p. V. c. 4.). — Superius post *largitati* A addit *propter se et super omnia*, et post *concupiscibilis* cum B C D E F subiungit *hoc modo*.

[7] Epht. 3, 10. — Inferius pro *et ideo* H K L *et quomodo*; pro *ampla* A B D E F *lata*; et pro *cognoscitur* A B D E G et 1, 2 *cogitatur*.

[8] Epist. I. Petr. 4, 11. (A C D F et 1, 2 hoc omittunt). — Post *ut in omnibus* C addit *quae sunt*.

[9] Ioan. 16, 13: Docebit vos omnem veritatem. Rom. 1, 25: Qui est benedictus in saecula. Amen. — A B C D G L omittunt *qui est... saeculorum*, pro quo H *qui cum Patre et Filio regnat Deus*. — In hoc observamus, quod idea *fundamentalis* huius libelli sumta esse videtur ex Hugonis a S. Vict. Exposit. in Hierarch. caelest. Dionysii lib. II. c. 1.

Digitized by Google

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

COLLATIONES IN HEXAËMERON

SIVE ILLUMINATIONES ECCLESIAE

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLATIO I.[1]

De qualitatibus in auditoribus divini verbi requisitis et de Christo omnium scientiarum medio.

SUMMARIUM. — *Ex textu eruitur materia trium priorum collationum tripliciter divisa, numero* 1. — Pars I. *In auditoribus tria requiruntur*, 2. — *De his tribus specialiter*, 3-5. — *Ineptorum auditorum tria genera, unumquodque propter duo vitia*, 6-9. — Pars II. *De Christo, qui est medium omnium scientiarum*, 10. — *Media septem secundum septem scientias et ad Christum applicanda*, 11. — *Primum medium essentiae aeternae generatione primarium*, 12-17. — *Secundum medium naturae virtuali diffusione perenne*, 18-20. — *Tertium medium distantiae centrali positione profundum*, 21-24. — *Quartum medium doctrinae rationali manifestatione praeclarum*, 23-30. — *Quintum medium modestiae morali electione praecipuum*, 31-33. — *Sextum medium iustitiae iudiciali compensatione perpulcrum*, 34-36. — *Septimum medium concordiae universali conciliatione pacatum*, 37-39.

1. *In medio Ecclesiae aperiet os eius et adimplebit eum* Dominus *spiritu sapientiae et intellectus et stola gloriae vestiet illum*, Ecclesiastici decimo quinto[2]. In verbis istis docet Spiritus sanctus prudentem, quibus debet sermonem *depromere*, unde *incipere*, ubi *terminare*. Divisio.

Primo, quibus debet *loqui*: quia *Ecclesiae*; non enim dandum est sanctum canibus, nec margaritae spargendae sunt ante porcos[3].

Secundo docet, ubi debet *incipere*: quia *a medio*, quod est Christus; quod medium si negligatur, nihil habetur.

Tertio, ubi *terminare*: quia in *plenitudine* sive adimpletione spiritus *sapientiae et intellectus*.

2. Sed primo loquendum est de nobis ipsis et videndum, quales esse debemus. Si enim oculo infirmo apponatur radius, potius excaecatur, quam illuminetur. Loquendum est igitur *Ecclesiae*, quae quidem est convocatio *rationalium*; synagoga autem est congregatio *gregum* et hominum brutaliter viventium[4]. Ecclesiae loquendum est, quae quidem est unio rationalium concorditer et uniformiter viventium per concordem et uniformem *observantiam divinae legis*, per concordem et uniformem *cohaerentiam divinae pacis*, per concordem et uniformem *consonantiam divinae laudis*. Haec autem ordinata sunt: quia *laus* esse non potest, ubi non est *pax*, nec divina *pax*, ubi non est *observantia* divinae legis. Pars I. Ecclesia et synagoga. Tria requiruntur.

3. De primo in prima ad Timotheum[5]: *Haec tibi scribo*, fili Timothee, *ut scias, quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis*. Ecclesia dicitur *columna et firmamentum*, quia mentis illustrativa, et quia virtutis stabilitiva. Venientes enim ad eam illustrantur per fidem et stabiliuntur per virtutis constantiam. Et haec duo facit lex divina. Unde est *columna* filiorum Israel[6], ad cuius motum De observantia legis. Ecclesia columna et firmamentum.

---

[1] In Vat. haec collationes inscribuntur: *Illuminationes Ecclesiae in Hexaëmeron*; in ed. Argentina an. 1495 et in Veneta an. 1504: *Liber... qui luminaria Ecclesiae intitulatur, sive Illuminationes, sive de quinque Visionibus*; in B: *Incipiunt sermones fratris Bonaventurae Ordinis Fratrum Minorum*. In A D E F G deest inscriptio. Recte monet Bonelli (Prodromus col. 628), melius hoc opus inscribendum *Collationes* (ut passim ab ipso auctore vocantur) quam *Sermones*. Hanc inscriptionem praeferendam esse censuimus, addito tamen illo titulo Vat. iam recepto, licet minus conveniens esse videatur.

In Prolegomenis nostris ratio redditur, quare, sepositis omnibus prioribus editionibus, in textu reformando sequimur codices illius familiae, quae repraesentatur a duobus antiquioribus A D, quibus suffragantur E F G; ita tamen, ut interdum interseramus unum alterumve verbum ex codd. alterius familiae, scil. B C, vel etiam ex ed. Vaticana. Nec notamus variantes lectiones et gravia menda, quae quoad editiones perpetuo magno numero et extensione occurrunt, nisi interdum ob speciales rationes. In tribus primis collationibus textus editionum praeter longas interpolationes, de quibus suo loco in notis ratio redditur, plerumque non tantum alia verba, sed et ordinem et nexum propositionum diversum exhibet.

[2] Vers. 5. — Prima divisio, quae sequitur, dat materiam collationum trium priorum, quae sunt quaedam introductio in alias sequentes.

[3] Respicitur Matth. 7, 6: Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.

[4] Cfr. August., Epist. ad Rom. inchoata expositio, n. 2, et Isidor., VIII. Etymolog. c. 4. n. 7. — Superius pro *apponatur*, quod praebet B, F *opponatur*, alii Codd. et Vat. *exponatur*.

[5] Cap. 3, 14. seq. Post *scribo* Vulgata plura addit.

[6] Cfr. Exod. 13, 21. seq.; Num. 9, 15. seqq. et II. Esdr. 9, 12.

Digitized by Google

apparet omnino, quomodo *agendum* et quomodo *quiescendum*. In hoc enim omnes Ecclesiae concordant, ut custodiant legem Dei, sicut olim totus populus motum columnae aspiciebat. Qui ad hanc non aspicit semper non est de unitate Ecclesiae, ut si eam non intelligas, vel si intelligis, eam non sequaris.

De cohaerentia pacis.

4. Item loquendum est Ecclesiae rationalium unitorum per concordiem et uniformem *cohaerentiam divinae pacis*. Unde dicitur in Ecclesiastico[1]: *Filii sapientiae ecclesia iustorum, et natio illorum obedientia et dilectio*. Ecclesia enim mutuo se diligens est. Dilectio autem nascitur ex legis impletione. Lex enim praecipit dilectionem, in prima ad Timotheum: *Finis praecepti est dilectio* seu caritas *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta*. Et idem Apostolus: *Qui diligit proximum Legem implevit*. Et probat per verbum Salvatoris: *In his*, inquit, *duobus universa Lex pendet et Prophetae*. Oportet ergo, ut legis observatores sint amatores, Ioannis decimo tertio[2]: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*; et Apostolus: *Non est Deus dissensionis, sed pacis*.

De consonantia laudis.

5. Item, loquendum est Ecclesiae rationalium unitorum per concordiem et uniformem *consonantiam divinae laudis*; in Psalmo[3]: *Apud te laus mea in ecclesia magna*. Sicut enim ex multitudine vocum unitarum secundum quandam proportionem et harmoniam dulcedo cantus fit; sic ex multorum affectione harmonia spiritualis, placens Altissimo; unde in Psalmo: *In ecclesiis benedicite Deo domino de fontibus Israel*. — Talibus igitur observatoribus divinae legis, amatoribus divinae pacis, persolutoribus divinae laudis, et non aliis, debet fieri sermo[4]; et tales sunt viri *ecclesiastici*. Qui autem *rapitur* extra hanc Ecclesiam, illi non debet fieri.

Incepti auditores propter observantiam legis.

6. Rapitur autem homo per spiritum *carnalitatis* et *cupiditatis*, contra *primum*. Hi duo sunt, qui avertunt hominem a lege Dei et excaecant duos oculos mentis. Lex enim Dei praecipit bonum *commune* et bonum *spirituale* et retrahit ab amore *foedo*, qui est carnalitatis, et ab amore *privato*, qui est cupiditatis. Lex enim odiosa est carnali et cupido; nec unquam eam audire volunt. Sunt enim sicut canis et porcus. Canis enim semper est cupidus et nunquam communicare volens, porcus autem semper in luto esse vult.

Item, propter violatorem pacis.

7. Item, contra *cohaerentiam pacis* est spiritus *malignitatis* et *crudelitatis*, invidus et iracundus; et hi duo totum pervertunt: invidus omne bonum convertit in malum, iracundus omne malum in bonum et ipsam redditionem mali reputat bonum. Et ideo *ponunt tenebras lucem et lucem tenebras*, Isaiae quinto[5]. Unde tales non sunt idonei ad audiendum legem Dei.

Item, propter detractionem laudis divinae.

8. Item, contra *consonantiam divinae laudis* spiritus *praesumptionis* et *curiositatis*, ita quod *praesumptuosus* Deum non magnificat, sed sese laudat; *curiosus* autem devotionem non habet. Unde multi sunt tales, qui vacui sunt laude et devotione, etsi habeant splendores scientiarum. Faciunt enim casas vesparum, quae non habent favum mellis, sicut apes, quae mellificant.

Satandem.

Epilogus I. partis.

9. Talibus itaque iam dictis non est faciendus sermo, quia sunt *domus exasperans*[6]; et aliquando propter indispositionem auditorum facit Dominus *linguam adhaerere palato*; sed loquendum est *fratribus*, unde in Psalmo: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae laudabo te*, et viris spiritualibus, ut a sapientia mundana trahantur ad sapientiam christianam. Praecessit enim impugnatio vitae Christi in *moribus* per theologos, et impugnatio *doctrinae* Christi per falsas positiones per artistas. Non itaque redeundum est in Aegyptum per desiderium vilium ciborum, alliorum, porrorum et pepo-num[7], nec dimittendus cibus caelestis. — Et sic patet primum.

Pars II.

Incipiendum a Christo, qui est medium in omnibus.

10. Circa *secundum* nota, quod *incipiendum* est *a medio*, quod est Christus. Ipse enim *mediator Dei et hominum*[8] est, tenens medium in omnibus, ut patebit. Unde ab illo incipiendum necessario, si quis vult venire ad sapientiam christianam, ut pro-

---

[1] Cap. 3, 1. — Seq. locus est I. Tim. 1, 5; tertius Rom. 13, 8. Ibid. v. 9: Et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum [Matth. 22, 39; ibid. v. 40: In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetae].

[2] Vers. 35. — Seq. locus est I. Cor. 14, 33.

[3] Psalm. 21, 26. — Seq. locus est Ps. 67, 27.

[4] Ita B; alii codd. et Vat.: *Qui autem sunt observatores divinae legis, sunt amatores divinae pacis et persolutores divinae laudis, his debet fieri sermo*. Ex E adiecimus *et tales sunt viri ecclesiastici*. — Subinde respicitur Ioan. 10, 28, 29: Et non rapiet eas quisquam de manu mea etc.

[5] Vers. 20: Ponentes tenebras etc. — Cfr. Alan. ab Insulis, de Planctu naturae, ubi hoc de *invidia* ostenditur (ed. Migne col. 468 seq.): Audaciam furori temeritatis assignat, prudentiam animi in fraudis versutias... obliquat etc.

[6] Ezech. 2, 5. — Seq. locus est ibid. 3, 26: Et linguam tuam adhaerere faciam palato tuo [voci *adhaerere* B adiungit *praedicatoris*, Vat. *doctorum*]; tertius est Ps. 21, 23. — Inferius ante *viris* A D E F addunt *ut*.

[7] Respicitur Num. 11, 4. seq. et 21, 5. — B post *nec* addit *pro talibus*. Superius Vat. voci *theologos* praemittit *motus*, et pro *per falsas positiones per artistas* substituit *per falsas opiniones et per argumenta Aristotelis*. Revera in codd. non invenitur nomen *Aristotelis* solito modo scriptum, sed scribunt vel *ar.*, vel abbreviate *argumenta*; E expresse *artistas*; et haec lectio et conditioni illius aetatis et contextui bene congruit.

[8] Epist. I. Tim. 2, 5. — Seq. locus est Matth. 11, 27. — Inferius pro *in Matthaeo* (ita A) nonnulli codd. *hoc Iudaeis*. Post verba ex Matthaeo allegata Vat. prosequitur: Sicut ergo species ducit in cognitionem obiecti, ita Verbum seu Filius, qui est species Patris, ducit in Patris cognitionem. Unde signantissime dicebat Philippus: *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*. Alia ratio est, quia ab illo incipiendum est, a quo duo maximi inceperunt, Moyses etc.

Digitized by Google

latur in Matthaeo: quia *nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* — Manifestum est etiam, quod ab illo incipiendum, a quo duo maximi sapientes inceperunt, scilicet Moyses, inchoator sapientiae Dei, et Ioannes, terminator. Alter dixit[1]: *In principio creavit Deus caelum et terram*, id est in Filio, secundum Augustinum; et Ioannes: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* Si ergo ad notitiam creaturae perveniri non potest nisi per id, per quod facta est; necesse est, ut *verbum verax praecedat te*, in Ecclesiastico[2]. Alia ratio.

11. Propositum igitur nostrum est ostendere, quod in Christo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi*[3], et ipse est medium omnium scientiarum. Est autem septiforme medium, scilicet *essentiae, naturae, distantiae, doctrinae, modestiae, iustitiae, concordiae.* Primum est de consideratione *metaphysici*, secundum *physici*, tertium *mathematici*, quartum *logici*, quintum *ethici*, sextum *politici* seu iuristarum, septimum *theologi.* — Primum medium est aeternali origine primarium; secundum virtuali diffusione pervalidum; tertium centrali positione profundum; quartum rationali manifestatione praeclarum; quintum morali electione praecipuum; sextum iudiciali compensatione praecelsum; septimum universali conciliatione pacatum. — Primum medium Christus fuit in aeterna generatione; secundum in incarnatione; tertium in passione; quartum in resurrectione; quintum in ascensione; sextum in futuro examine; septimum in sempiterna retributione sive beatificatione. Medium septiforme scientiarum. Applicatio ad Christum.

12. Primum ergo medium est *essentiae* aeternali generatione primarium. *Esse* enim non est nisi duplicitet: vel *esse*, quod est ex se et secundum se et propter se, vel *esse*, quod est ex alio et secundum aliud et propter aliud. Necesse etiam est, ut *esse*, quod est *ex se*, sit *secundum se* et *propter se*. *Esse ex se* est in ratione originantis; *esse secundum se* in ratione exemplantis, et *esse propter se* in ratione finientis vel terminantis; id est in ratione *principii*, *medii* et *finis* seu termini. Pater in ratione originantis principii; Filius in ratione exemplantis medii; Spiritus sanctus in ratione terminantis complementi. Hae tres personae sunt aequales et aeque nobiles, quia aequae nobilitatis est Spiritui sancto divinas personas terminare, sicut Patri originare, vel Filio omnia repraesentare[4]. De 1. medio. Duplex esse.

13. *Metaphysicus* autem, licet assurgat ex consideratione principiorum substantiae creatae et particularis ad universalem et increatam et ad illud *esse*, ut habet rationem *principii*, *medii* et *finis ultimi*, non tamen in ratione Patris et Filii et Spiritus sancti. Metaphysicus enim assurgit ad illud *esse* considerandum in ratione *principii omnia originantis*; et in hoc convenit cum physico, qui origines rerum considerat[5]. Assurgit etiam ad considerandum illud *esse* in ratione *ultimi finis*; et in hoc convenit cum *morali* sive ethico, qui reducit omnia ad unum summum bonum ut ad finem ultimum, considerando felicitatem sive practicam, sive speculativam. Sed ut considerat illud *esse* in ratione *omnia exemplantis*, cum nullo communicat et verus est metaphysicus. Pater enim ab aeterno gennit Filium similem sibi et dixit se et similitudinem suam similem sibi et cum hoc totum *posse* suum; dixit quae posset facere, et maxime quae voluit facere, et omnia in eo expressit, scilicet in Filio seu in isto *medio* tanquam in sua arte. Unde illud medium *veritas* est; et constat secundum Augustinum[6] et alios Sanctos, quod « Christus habens cathedram in caelo docet interius »; nec aliquo modo aliqua veritas sciri potest nisi per illam veritatem. Nam idem est principium essendi et cognoscendi. Si enim scibile in quantum scibile secundum Philosophum[7] aeternum est; necesse est, ut nihil sciatur nisi per veritatem immutabilem, inconcussam, incoangustatam. De consideratione metaphysici. Notandum. Hoc medium est veritas.

14. Istud est *medium* personarum necessario: quia, si persona est, quae producit et non producitur, et persona, quae producitur et non producit, Est medium personarum divinarum.

---

[1] Gen. 1, 1. — Seq. locus est Ioan. 1, 1. seqq. — Expositio primi loci habetur apud August., XI. Confess. c. 9. n. 11, l. de Gen. contra Manich. c. 2. n. 3. Cfr. Glossa *ordinaria* apud Strabum in Gen. 1, 1, et II. Sent. d. 1. p. I. dub. 1.

[2] Cap. 37, 20. — Vat. legit: Si ergo ad notitiam Creatoris perveniri non potest, nisi per id quod factum est, necesse est, ut *ante omnia verbum verax praecedat te.* Tertia ratio est, quia in Christo... absconditi: ergo Christus est medium omnium scientiarum.

[3] Col. 2, 3. — Inferius Vat. *utili* pro *universali.*

[4] Cfr. I. Sent. d. 20. n. 1. q. 2.

[5] Aristoteles in fine Physicae suae ostendit, dari primum motorem, ipsum esse principium omnis motus, esse penitus immobilem, esse aeternum et incorporeum. I. Metaph. c. 2. seq. idem docet, metaphysicam versari circa prima principia et causas rerum altissimas, ipsamque esse scientiam divinam, quia divinorum est. Cfr. Ibid. III. text. 3; VI. text. 2; XI. c. 6. et XII. text. 5. seqq. (II. c. 2; V. c. 1; X. c. 7. et XI. c. 1. seqq.), ubi etiam text. 52-56. (c. 10.) proponit, quod omnia in universo ordinentur in Deum tanquam in finem ultimum et ab ipso, ut unico principe, gubernentur. I. Ethic. c. 2. seqq. Aristot. ostendit, esse quendam finem ultimum hominis, ipsumque esse summum bonum, quo felicitas humana constituitur. Averroes in III. Metaph. text. 3. et in IV. text. 1. dicit, quod metaphysica est illa scientia, « quae considerat de nobilissima causarum, scilicet de *primo fine* et *forma prima* ».

[6] In Epist. Ioan. tr. 3. n. 13. iam supra pag. 324, nota 2. allegata. Sententia *aliorum* Sanctorum proposita est supra Quaest. disput. de scientia Christi, q. 4. — Superius respicitur verbum Augustini (VI. de Trin. c. 10. n. 11.), quo Filius dicitur « ars quaedam omnipotentis atque sapientia Dei plena omnium rationum viventium » etc., et quod Verbum praeter respectum ad Patrem dicat *operativam potentiam* (cfr. supra pag. 12, nota 3. et 7.). Ioan. 14, 6: Ego sum via, *veritas* et vita. Cfr. infra collat. 3. n. 8.

[7] Libr. VI. Ethic. c. 3: Omnes enim id quod scimus, non posse aliter sese habere existimamus... scibile igitur necessario est: ergo aeternum etc. Cfr. I. Poster. c. 26. (c. 33.). Idem

necessario est media, quae producitur et producit. Haec est ergo veritas sola mente perceptibilis [1], in qua addiscunt Angeli, Prophetae, philosophi vera, quae dicunt.

Est lignum vitae.

15. De isto medio dicitur in Genesi [2]: *Produxit dominus Deus de humo omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitae in medio paradisi.* Secundum quod dicit Augustinus, de omnibus productis dictum est: *Fiat; fecit*, et *factum est*, praeterquam de luce, de qua dixit: *Fiat lux, et facta est lux;* quia primo producta sunt ab aeterno in *arte aeterna*, secundo in *creatura intellectuali*, tertio in *mundo sensibili.*

Fingitur aeternitas mundi.

16. Et hoc est contra errores eorum qui credunt mundum ab aeterno creatum. Quia enim mentes nostrae cognatae sunt aeternis luminibus, putant, quod sicut res productae sunt seu descriptae in arte aeterna ab aeterno, sic ab aeterno in isto mundo creatae sint; et sicut mundus ab aeterno descriptus est in arte aeterna, sic descriptum putant in materia. Hoc autem verbum Genesis de paradiso terrestri, intelligitur de intellectu angelico, humano et aeterno. Pater enim, ut dictum est, similem sibi genuit, scilicet Verbum sibi coaeternum, et dixit similitudinem suam, et per consequens expressit omnia, quae potuit.

De duplici ligno paradisi et duplici scientia.

17. Verbum ergo exprimit Patrem et res, quae per ipsum factae sunt, et principaliter ducit nos ad Patris congregantis unitatem; et secundum hoc est *lignum vitae*, quia per hoc medium redimus et vivificamur in ipso fonte vitae [3]. Si vero declinamus ad notitiam rerum in *experientia*, investigantes amplius, quam nobis concedatur; cadimus a vera contemplatione et gustamus de ligno vetito *scientiae boni et mali*, sicut fecit lucifer. Si enim lucifer, contemplando illam veritatem, de notitia creaturae reductus fuisset ad Patris unitatem; ferisset de vespere mane dieque habuisset; sed quia cecidit in delectationem et appetitum excellentiae, diem amisit [4]. Sic Adam similiter. — *Istud* est medium faciens scire, scilicet veritas, et haec est *lignum vitae; alia* veritas est occasio mortis, cum quis ceciderit in amorem pulcritudinis creaturae. Per *primariam* veritatem omnes redire debent, ut, sicut Filius dixit [5]: *Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem;* sic dicat quilibet: Domine, exivi a te summo, venio ad te summum et per te summum. — Hoc est medium *metaphysicum* reducens, et haec est tota nostra metaphysica: de emanatione, de exemplaritate, de consummatione, scilicet illuminari per radios spirituales et reduci ad summum. Et sic eris verus metaphysicus.

Metaphysica christiana.

De 2. medio.

Consideratio physici.

18. Secundum medium est *naturae* virtuali diffusione pervalidum, quod est de consideratione physici, qui considerat mobile et generationem secundum influentiam corporum caelestium in elementa, et ordinationem elementorum ad formam mixtionis, et formae mixtionis ad formam complexionis, et formae complexionis ad animam vegetabilem, et illius ad sensibilem, et illius ad rationalem, et ibi est finis [6].

Duplex medium physici, sol et cor.

19. Considerat autem physicus duplex medium, scilicet *maioris* mundi et *minoris* mundi. Medium *maioris* mundi est sol, medium *minoris* est cor. Sol enim est in medio planetarum, secundum cuius delationem in obliquo circulo [7] fiunt generationes, et regulat physicus generationem. Inter omnes autem planetas maioris diffusionis est sol. A corde similiter est diffusio, quidquid dicant medici. Nam spiritus *vitalis* ab eo diffunditur per arterias; spiritus autem *animalis* per nervos, licet complementum recipiat in cerebro; spiritus vero *naturalis* ab eodem diffunditur per venas, licet compleatur in hepate.

Applicatio ad Christum.

20. Hoc medium fuit Christus in *incarnatione;* unde dicitur in Iosuae [8]: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis;* et sequitur: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* — Scriptura quandoque dicit Christum *medium*, quandoque *caput. Caput* dicitur, quia ab eo fluunt omnes sensus et motus spirituales et charismata gratiarum. Hoc autem influit, secundum quod est *unitum* membris. *Caput* enim *Christi Deus* est, secundum scilicet quod Deus est; sed *viri caput Christus* [9], secundum quod Deus et homo. Diffundit ergo Spiritum sanctum in membra Ecclesiae sibi unita, non separata. Unde sicut in corpore humano non est diffusio a capite in membra, nisi sint unita; sic in cor-

Christus caput.

II. Metaph. text. 4. (l. brevior c. 4.) dicit: « Quare ut secundum *esse* unumquodque se habet, ita etiam secundum *veritatem* ». Quae verba Averroes respectu causae *primae* ita exponit: Ilia [prima] causa est magis digna et in *esse* et in *veritate* quam omnia entia; omnia enim entia non acquirunt *esse* et *veritatem* nisi ab ista causa. Est igitur *ens* per *se* et *verum* per *se*; et omnia alia sunt *entia* et *vera* per *esse* et *veritatem* eius.

[1] Anselm., Dialog. de veritate, c. 14: Possumus igitur, nisi fallor, definire, quia veritas est rectitudo sola mente perceptibilis.

[2] Cap. 2, 9. — Seq. locus (de *luce*) est ibid. 4, 3. — Sententia August. habetur II. de Gen. ad lit. c. 8. n. 16. seqq. — De erroribus circa mundi creationem cfr. II. Sent. d. 1. p. 1. a. 2. q. 1. seq. et dub. 2.

[3] Psalm. 35, 10: Apud te est fons vitae. Cfr. supra pag. 306, nota 4, verba Augustini. — Inferius respicitur Gen. 2, 17. — Mox pro *in experientia* A B E *et experientiam.*

[4] Secundum August., IV. de Gen. ad lit. c. 22-25. n. 39-42.

[5] Ioan. 16, 28.

[6] Vide supra pag. 324, nota 6. et 8. — Vat. addit: *quia anima rationalis creata est in horizonte aeternitatis et temporis* [ex lib. de Causis, propos. 2.].

[7] Cfr. supra pag. 221, nota 5, et Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 57. seqq. (c. 10.). — De influentia *cordis* secundum naturales et medicos vide tom. III. pag. 290, nota 2. De triplici spiritu cfr. II. Sent. d. 1. p. II. a. 1. q. 2, et de Spiritu et anima c. 20. seqq.

[8] Cap. 1, 26. — Seq. locus est ibid. v. 33.

[9] Epist. I. Cor. 11, 3. Cfr. III. Sent. d. 13. a. 2. q. 1-3.

Digitized by Google

pore mystico. Ipse est ergo medium *duorum animalium* ut *cor*; unde in Habacuc [1]: *In medio duorum animalium cognoscaris*; et secundum aliam translationem: *in medio annorum*, scilicet ut *sol*; quia totum tempus decurrit, secundum quod iste sol descendit per decem gradus in horologio Achaz. Ipse est ergo secundum Septuaginta *in medio animalium*, quae praeibant, et quae sequebantur [2].

De 2. medio. Consideratio mathematici.

21. Tertium medium est *distantiae* centrali positione profundum, de quo mathematicus, cuius licet prima consideratio sit circa mensuram terrae, est tamen ulterius circa motus corporum superiorum, ut habent disponere haec inferiora secundum influentiam eorum [3].

Application ad Christum.

22. Hoc medium fuit Christus in *crucifixione*. In Psalmo [4]: *Rex noster ante saecula operatus est salutem in medio terrae*. Terra enim plane centrum est, et ideo infima et ideo modica; et quia infima et modica, ideo suscipit omnes influentias caelestes, et ideo facit mirabiles pullulationes. Sic Filius Dei infimus, pauperculus, modicus, humum nostram suscipiens, de humo factus, non solum venit ad superficiem terrae, verum etiam in profundum centri, scilicet *operatus est salutem in medio terrae*, quia post crucifixionem anima sua ad infernum descendit et restauravit caelestes sedes.

Medium salvativum in humilitate.

23. Hoc medium est salvativum; a quo recedens damnatur, scilicet a medio humilitatis. Et hoc ostendit Salvator [5]: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*; et in Matthaeo: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum*. In hoc medio *operatus est salutem*, scilicet in humilitate crucis.

Benitur a Christianis.

24. Sed caligo subintravit, quia Christiani hunc locum medium dimittunt, in quo Christus hominem salvavit. Unde homo impugnat suam salutem, nesciens se metiri. Quid enim prodest, quod sciat metiri alia, cum se metiri nesciat? Si enim aliquantulum se plus quam debet, exaltat, periculum sibi est; sicut dicit beatus Bernardus [6], quod « si quis intrans per portam, caput erigat, laeditur; qui autem se inclinaverit, non laeditur ». Unde responsum fuit beato Antonio, quod solus humilis evadere poterat laqueos diaboli. — Sed unde est, quod humilitas non habetur nec lumina sapientiae? Quia ignis non custoditur in medio cinerum, sed lucerna nostra exponitur omni vento, et cito exstinguitur lucerna. Statim enim ostendere volumus, si quid boni in nobis est. Sed mirabilis fuit sapientia divina, quae per cinerem humilitatis operata est salutem. Medium enim, cum amissum est in circulo, inveniri non potest nisi per duas lineas se orthogonaliter intersecantes.

Ratio hujus delectus.

Virtus crucis.

De 4. medio. Consideratio logici.

25. Quartum medium est *doctrinae* rationali manifestatione praeclarum. Ad hoc est omnis sermo rationalis, ut per ipsum tanquam per medium exprimamus quod est apud nos [7]. Sermo enim est ad simplicem orationem; oratio ad argumentationem secundum quatuor species argumentationis; argumentatio ad syllogismum; syllogismus ad persuadendum. Medium ergo per suam evidentiam et manifestationem et convenientiam cum extremis compellit rationem ad assentiendum, ut, quia extrema prius non conveniebant inter se manifeste, per virtutem medii cum utroque extremo convenientis inter se manifeste conveniant [8].

Ad quid medium.

Applicatio ad Christum. Argumentum diaboli.

26. Hoc medium fuit Christus in *resurrectione*. Est autem argumentum Christi et argumentum diaboli. Argumentum diaboli ducit ad infernum et est paralogismus et *sophisticum* argumentum et *destructivum*; argumentum Christi *constructivum* et *reparativum*. Diabolus enim paralogizavit primum hominem et supposuit quandam propositionem in corde hominis quasi per se notam, quae est: creatura rationalis debet appetere similitudinem sui Creatoris, quia scilicet est imago — unde in damnatis erit maxima poena, quia, cum imago sit animae essentialis, similiter et talis appetitus erit essentialis in damnatis — sed si comederis, assimilaberis [9]: ergo bonum

---

[1] Cap. 3, 2, secundum septuaginta interpretes. Alia translatio, quae mox allegatur, est Vulgatae. — De horologio Achaz cfr. Isai. 38, 8. et IV. Reg. 20, 11.

[2] Libr. III. Sent. d. 13. a. 2. q. 3. ad 6: Unde Christus efficaciam habuit in his *qui praeibant et sequebantur* [Marc. 11, 9.] etc.

[3] Cfr. Aristot., III. Metaph. text. 7. seqq. et XII. text. 44. (II. c. 2. et XI. c. 8.); August., 83 Qq. q. 45. et Epist. 55. (alias 119.) c. 7. n. 12.

[4] Psalm. 73, 12.

[5] Luc. 22, 27. — Seq. locus est Matth. 18, 3.

[6] Sermon. in Cantic. serm. 37. n. 7: Est autem grande malum horrendumque periculum, si vel modice plus vero te extollas... Quemadmodum enim, si per ostium transeas, cuius superliminare, ut ad intelligentiam loquar, nimium bassum sit, non nocet, quantumcumque te inclinaveris; nocet autem, si vel transversi digiti spatio plus, quam ostii patitur mensura, crexeris, ita ut impingas et, capite quassato, collidaris; sic in anima non est plane timenda quantalibet humiliatio etc. — Sententia Antonii abbatis affertur in Vitis Patrum, lib. III. n. 129, ubi narrat Antonius, se audivisse vocem ad interrogationem: Quis poterit laqueos inimici transire? respondentem: « Humilitas sola pertransit, Antoni, quam nullo modo valent superbi contingere ». Inferius respicitur Prov. 31, 18: Non exstinguetur in nocte lucerna eius.

[7] Vide supra pag. 323, nota 9. Plato, in Timaeo (prout refertur a Chalcidio): Propterea sermonis est ordinata communicatio, ut praesto forent mutuae voluntatis indicia.

[8] Aristot. agit de *voce* et *oratione* in I. Periherm. c. 1-5; de quatuor argumentationis speciebus in I. et II. Prior., ita quod de *syllogismo* tractet in toto primo libro et in secundo usque ad c. 23. (c. 25.) ac in seqq. capp. de *inductione, exemplo* et *enthymemate*. — Superius pro *non conveniebant inter se manifeste* Vat. *conveniebant inter se realiter, manifeste*, omisso subinde *et manifeste*.

[9] Cfr. Gen. 3, 5. — Verba Dionys., de Div. Nom. c. 4. seq. § 31. seq. (cfr. ibid. § 19.), sunt: Propter enim bonum omnia et quaecumque bona et quaecumque contraria [i. e. mala]; etenim et haec agimus bonum desiderantes; nemo enim malum respiciens facit quae facit. Proinde neque substantiam habet malum, sed contra substantiam [sive privationem substantiae], propter bonum et non ex eo [i. e. malo, sive mali gratia est] factum... Quamobrem quod non bonum bonum arbitramur. Cfr. Aristot., II. Magnor. moral. c. 7. (c. 6.).

Digitized by Google

est comedere de vetito, ut assimileris. Et per istum syllogismum omnes peccant, quia, ut dicit Dionysius, « nullus malus fit, ad malum aspiciens, sed omnis intendit bonum et appetit bonum; sed fallitur, quia *similitudinem* boni accipit pro vero ». Per istum paralogismum induxit diabolus hominem in *passibilitatem naturae*, in *necessitatem indigentiae*, in *mortalitatem vitae*. Culpae effectus 3.

27. Econtra argumentum Christi fuit *salvativum* et *destructivum* argumenti diaboli. Ex quo enim diabolus fecerat hominem dissimilem Deo, cum tamen promisisset, similem se facturum; necesse fuit, Christum esse similem homini, ut faceret hominem similem sibi sive Deo. Christus ergo habuit *conformitatem naturae* in quantum Deus cum Patre, *aequalitatem potentiae*, *immortalitatem vitae*. In his tribus coniunctus fuit Patri. Necesse ergo fuit, ipsum in aliis tribus oppositis coniungi homini. Assumsit ergo *passibilitatem naturae*, *necessitatem indigentiae*, *mortalitatem vitae*. Tria ergo habuit per essentiam et tria assumsit per misericordiam. Necesse ergo fuit, ut tria vincerentur a tribus. Sed *vita* per essentiam superari non potuit a morte, nec *potentia* a penuria, nec *impassibilitas* a passibilitate. Necesse ergo fuit, ut homo transiret a mortalitate ad immortalitem, a defectu ad opulentiam, de passibilitate ad coronam [1]. Argumentum Christi. Tria Christus habuit. Tria assumsit. Notandum.

28. *Maior* propositio fuit ab aeterno; sed *assumtio* in cruce; *conclusio* vero in resurrectione. Iudaei credebant Christum confudisse et improperabant ei [2]: *Si Filius Dei es, descende de cruce.* Nam Christus non dicebat: sinite me vivere, sed dicebat: sinite me mortem assumere et alteri extremitati copulari, pati, mori; et tunc sequitur conclusio. Unde ipse illusit diabolo. Syllogismus Christi.

29. Et ista sunt argumenta, quibus Christus intebatur, *per quadraginta dies apparens eis* [3]. *Nonne*, inquit, *oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam?* De hoc medio Ioannes: *Cum sero esset die illo, stetit Iesus in medio discipulorum et ait illis: Pax vobis.* Et duo ibi ostendit, scilicet *gloriae sublimitatem*, eo quod impassibilis et immortalis, clausis ianuis, intravit tanquam Deus; postea *ostendit eis manus et latus* et confessionem extorsit a Thoma, ut diceret: *Dominus meus et Deus meus!* Vide processum! Primo intravit ut Deus, *ianuis clausis;* haec fuit *maior;* deinde *minorem* propositionem assumit, cum *ostendit eis manus et latus;* tertio conclusionem extorsit, ut confiteretur Thomas: *Dominus meus et Deus meus.* Confirmatur.

30. Non sine causa signatur liber septem sigillis. *Ecce*, inquit [4], *vicit leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum et solvere septem signacula eius.* Ista sunt septem media. In huius significationem Christus sepulcrum reseravit, et significat *apertionem libri*, et linteamina removit, et significat *manifestationem mysteriorum.* — Haec est logica nostra, haec est ratiocinatio nostra, quae habenda est contra diabolum, qui continuo contra nos disputat. Sed in assumtione *minoris* est tota vis facienda; quia nolumus pati, nolumus crucifigi. Tamen ad hoc est tota ratiocinatio nostra, ut simus similes Deo. — Diabolus vero parum reputabat argumentum Christi, cum vidit eum patientem. Sed Christus illusit ei; Iob [5]: *Nunquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?* Christus reputavit argumentum fortissimum, Ioannis duodecimo: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Solutio libri signati. Logica christiana.

31. Quintum est medium *modestiae* morali electione praecipuum. Modestia enim virtus est; virtus autem in medio consistit [6]; hoc medium considerat ethicus. De 5 medio. Considerato ethica.

32. Hoc medium fuit Christus in ascensione. Dicitur in Exodo [7]: *Ingressus Moyses medium nebulae, fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* Et hoc fuit Christus in *ascensione;* unde in Actibus dicitur: *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Sic Christianus debet ascendere *de virtute in virtutem*, non statuendo terminum virtutis, quia ex hoc facto desineret esse virtuosus. Applicatio ad Christum.

33. *Fundamentum* autem virtutis *fides* est, et nos ponimus eam sicut *medium.* Hic dicit ethicus [8], quod medium est, « ut *ratio recta* determinat ». Ista autem fides est; fides est *sicut stella matutina in medio nebulae.* Ad istam ascendit Christianus assumtus de aquis baptismi et intrat caliginem, quae quidem caligo *fides* est cum lumine in *aenigmate.* Hoc fundamentum est, per quod fundatur in nobis Christus; per hanc fidem proficit anima ascendendo ad virtutes *politicas*, quasi ad radicem montis, ubi Moyses fecit duodecim holocausta [9]; deinde ad virtutes *purgativas*, quasi ad medium montis; deinde Fides medium Christianum. Spectus 3 virtutum.

---

[1] Vide August., IX. de Civ. Dei, c. 15, ex quo supra pag. 248, nota 8, quaedam allata sunt.

[2] Matth. 27, 40. — Inferius post *conclusio* Vat. addit *scilicet impassibilitas passibilis, immortalitas mortalis, opulentia inops.*

[3] Act. 1, 3. — Seq. locus est Luc. 24, 26; tertius Ioan. 20, 19. seqq.

[4] Apoc. 5, 5. — Vat. inferius post *mysteriorum* quinque alia media adiungit, scil. testimonium Angelorum sedentium in dextra, resurrectionem Sanctorum, pavorem custodum, malitiosam corruptionem Iudaeorum et denarium apparitionum.

[5] Cap. 40, 24. — Seq. locus est Ioan. 12, 32.

[6] Ut ostendit Aristot., II. Ethic. c. 6. Terminus *modestia* sumitur largiore sensu de moderamine in actibus moralibus.

[7] Cap. 24, 18. Post *nebulae* Vulgata addit *ascendit in montem, et.* — Seq. locus est Act. 1, 9; tertius Ps. 83, 8: Ibunt de virtute etc. Cfr. tom. IV. pag. 292, nota 11, verbo Bernardi de necessitate proficiendi in bono.

[8] Aristot., II. Ethic. c. 6. Vide tom. II. pag. 674, nota 9. — Seq. locus est Eccli. 50, 6. Inferius respicitur I. Cor. 13, 12: Videmus nunc per speculum in aenigmate etc.

[9] Exod. 24, 5. seq. — De divisione virtutum, cuius hic mentio fit, et quae est secundum Plotinum ac Macrobium, vide infra collat. 6, ubi ipsa plenius exponitur.

Digitized by Google

ad virtutes *animi iam purgati* quasi ad supremum montis, ubi aptus est locus ad contemplandas virtutes *exemplares*. De quibus in Sapientia[1]: *Vapor est enim virtutis Dei et emanatio quaedam est claritatis Dei sincera;* sequitur: *candor est lucis aeternae* quantum ad *munditiam* vel *temperantiam; et speculum*, quantum ad *prudentiam; attingit a fine usque ad finem fortiter*, quantum ad *fortitudinem;* et *disponit omnia suaviter*, quantum ad *iustitiam*.

De 6. medio et Christo. Consideratio politici.

34. Sextum medium est *iustitiae* iudiciali recompensatione perpulcrum seu praecelsum. Quod medium erit Christus in iudicio. Hoc considerat iurista sive politicus, ut fiat retributio secundum merita. — Hoc totum mundum pulcrificat, quia deformia facit pulcra, pulcra pulcriora et pulcriora pulcherrima. Unde Augustinus[2] dicit, quod damnati pulcherrime locantur in inferno.

Confirmatur.

35. Ezechielis primo[3]: *Vidi, et ecce, ventus turbinis veniebat ab aquilone et nubes magna et ignis involvens; et splendor in circuitu eius, et de medio eius quasi species electri, scilicet de medio ignis. Et in medio eius similitudo quatuor animalium.* Describitur iudicium, primo quantum ad commotionem naturarum, per *ventum turbinis* et per *nubem;* secundo, quantum ad conflagrationem ignis, per *ignem involventem;* tertio, quantum ad examinationem mentium vel meritorum, per *splendorem*, tunc enim conscientiae clarae erunt; quarto, quantum ad assistentiam iudicantium, per *circuitum;* per *electrum*, Christus in duplici natura; per *quatuor animalia*, quatuor ordines: pontificum in *leone*, martyrum in *bove*, confessorum in *homine*, virginum in *aquila*, propter contemplationem. Unde fiet segregatio puri ab impuro per Christum, agnorum ab hoedis[4].

Iudicium Christiani.

36. Agant ergo iuristae de iudiciis pecuniarum, nos agamus de iudicio nostro. Unde *ante iudicium para iustitiam tibi*[5].

De 7 medio. Consideratio theologi.

37. Septimum medium est *concordiae* universali conciliatione pacatum. De quo theologus agit, qui considerat, quomodo mundus factus a Deo reducatur in Deum. Licet enim agat de operibus conditionis, principaliter agit tamen de operibus reconciliationis[6].

Applicatio ad Christum.

38. Hoc medium est Christus in sempiterna beatificatione. Agit enim theologus de salute animae, quomodo inchoatur in fide, promovetur in virtutibus, consummatur in dotibus. Unde in Apocalypsi[7]: *Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol neque ullus aestus; quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitae fontes aquarum. Agnus in medio aquarum* est Filius Dei, Filius, dico, qui est media persona, a qua omnis beatitudo. Vidit enim Ioannes *flavium in medio platearum procedentem a sede Dei et Agni*. Agnus enim Dei deducet nos, ut, videntes corpus et animam et Divinitatem, pascua inveniamus sive *ingrediendo*, sive *egrediendo*. Hic lucet super corpus et animam, medium beatificans. In Psalmo[8]: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei*, scilicet *procedens a sede Dei et Agni*, Spiritus sanctus. Et nullus defectus *interior* erit, quia *non esurient neque sitient* per defectum pabuli, per quod deficit vita; *neque cadet super illos sol*, per *extrinsecam* perturbationem.

Epilogus de 7 medio.

39. Ista media sunt *septem candelabra aurea*, sive Christus *in medio candelabrorum*[9], quae sunt septem illuminationes sapientiales praedictae, scilicet metaphysica, naturalis etc. Isti sunt *septem oculi Agni* et *septem oculi super unum lapidem*, ut dicit Zacharias, et *septem dies*, quos fecit prima lux.

---

[1] Cap. 7, 25. — Seq. locus est ibid. v. 26; tertius et quartus ibid. 8, 1. — Superius post *locus*, quod A omittit, D addit *ascendendi*. Inferius post *quantum ad iustitiam* Vat., refragantibus codd., multa adiungit, applicans scil. quadruplicem hanc virtutum divisionem ad singulas quatuor virtutes cardinales. Additio haec sumta esse videtur ex opusculo de Quatuor Virtutibus cardinalibus (inter opera Bonav.), vel ex Compendio theol. veritatis lib. V. c. 34-37, in quibus eaedem definitiones quasi ad verbum habentur (in Vat. adiungitur solummodo pro qualibet virtute *exemplum* sive ex Scriptura, sive ex vitis Sanctorum).

[2] De Vera Religione, c. 41. n. 77: Quid ergo mirum est, si hominis animam... aliquam pulcre ordinari, et de poenis eius alias pulcritudines fieri, cum ibi non sit, quando misera est, ubi beatos esse decet, sed ibi sit, ubi esse miseros decet? Cfr. III. de Lib. Arb. c. 9. n. 26. seqq.; de Natura boni, c. 7-9, et supra pag. 233, nota 5.

[3] Vers. 4. seq. Cfr. Breviloq. p. VII. c. 1. seqq.

[4] Cfr. Matth. 25, 31. seqq.

[5] Eccli. 18, 19.

[6] Cfr. Breviloq. p. I. c. 1.

[7] Cap. 7, 16. seq. — Seq. locus est ibid. 22, 1. seq., ubi Vulgata *plateae* pro *platearum* (cfr. Breviloq. p. V. c. 1. seqq. et p. VII. c. 7.). Subinde respicitur Ioan. 10, 9: Per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet (explicationem vide tom. III. pag. 19, nota 5. ab auctore libri de Spiritu et anima: Pascua foris in carne Salvatoris, et pascua intus in divinitate Creatoris).

[8] Psalm. 45, 5.

[9] Apoc. 1, 13. (cfr. supra pag. 261, nota 3.). — Inferius respicitur Apoc. 5, 6. Subinde allegatur Zachar. 3, 9: Super lapidem unum septem oculi sunt. Gen. 1, 3. seqq. et 2, 3. (de septem diebus).

Digitized by Google

COLLATIO II.

De plenitudine sapientiae, in qua sermo terminandus est, scilicet de sapientiae porta et forma.

SUMMARIUM. — *De sapientia quatuor notanda*, 1. — Pars I. de porta sapientiae. *Porta est ipsius concupiscentia, et dispositio est observatio iustitiae*, 2. — *Probatur; duplex disciplina*, 3. — *Concupiscentia disciplinae parit dilectionem, quae est custodia legum*, 4. — *Sanctitas secundum Dionysium*, 5. — *Haec est dispositio immediata ad sapientiam*, 6. — Pars II. de forma sapientiae. *Est mirabilis*, 7. — *Nam est uniformis, multiformis, omniformis, nulliformis*, 8. — *Quoad primum est uniformis in regulis divinarum legum*, 9-10. — *Quoad secundum est multiformis in mysteriis divinarum Scripturarum, secundum duplicem allegoriam, anagogiam, tropologiam*, 11-18. — *Quoad tertium est omniformis in vestigiis divinorum operum*, 19-26. — *Quoad quartum est nulliformis in suspensiis divinorum excessuum*, 27-33.

1. In *medio Ecclesiae aperiet os eius et adimplebit illum spiritu sapientiae et intellectus et stola gloriae vestiet illum*, Ecclesiastici decimo quinto[1]. Ostensum est supra, *quibus* debet doctor sermonem depromere, et *unde* debet incipere. Modo ostendendum est, *ubi* debet terminare: quia *in plenitudine sapientiae et intellectus*[2]. Consensus cum I. collatione.

De sapientia autem nota quatuor: quis *ortus*, quae *domus*, quae *porta*, quae *forum*. De duobus primis dictum est in Collationibus septem donorum, ubi dicebatur, quod sapientia est lux *descendens a Patre luminum*[3] in animam et radians in eam facit animam deiformem et *domum* Dei. Ista lux descendens facit *intellectivam* speciosam, *affectivam* amoenam, *operativam* robustam. — Haec *domus* septem columnis aedificatur, quas beatus Iacobus[4] manifeste tangit. *Quae desursum est*, inquit, *sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non iudicans, sine aemulatione.* De ista domo dicitur Matthaei septimo: *Omnis, qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.* Quatuor notanda. De ortu et domo sapientiae. Septem columnae.

2. *Porta* sapientiae est concupiscentia eius et vehemens *desiderium*; unde in Psalmo[5]: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud.* Haec est via, per quam sapientia venit in me, per quam ego intro ad sapientiam, et sapientia intrat in me, sicut caritas similiter. Unde *Deus caritas est, et qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo.* Haec autem sapientia non habetur nisi cum summa complacentia; ubi autem summa complacentia est, praecedit summa concupiscentia; in Ecclesiastico[6]: *Fili, concupiscens sapientiam conserva iustitiam, et Deus praebebit illam tibi.* — Observatio *iustitiae* disponit ad eam habendam, sicut appetitus materiae inclinat ad formam et facit eam habilem, ut coniungatur formae mediantibus dispositionibus; non quod illae dispositiones perimentur, immo magis complentur sive in corpore humano, sive in aliis. Observatio igitur iustitiae introducit sapientiam. Unde Sapientiae septimo[7]: *Candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest, et in se permanens omnia innovat et per nationes in animas sanctas se transfert.* Pars I. de porta sapientiae. Dispositio ad eam. Sequitur de forma.

3. Quomodo autem habetur haec sapientia, patet et *auctoritate* et *exemplo*. De primo Sapientiae sexto[8]: *Initium enim illius verissima est disciplinae concupiscentia. Cura ergo disciplinae dilectio est, et dilectio custodia legum illius est; custoditio autem legum consummatio incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscen-*

---

[1] Vers. 5.

[2] Vide supra collat. 1. n. 1.

[3] Iac. 1, 17. — Scilicet in opusculi immediate sequentis collatione prima et ultima, quae est de dono sapientiae. Primam illam edd. Integram inserunt paulo inferius post *robustam*.

[4] Cap. 3, 17. — Seq. locus est Matth. 7, 24.

[5] Psalm. 80, 11: Dilata os tuum, et implebo illud. — Seq. locus est I. Ioan. 4, 16.

[6] Cap. 1, 33. — De appetitu materiae ad formam cfr. Aristot., I. Phys. text. 84. (c. 9.).

[7] Vers. 26. seq.

[8] Vers. 18-21. Exemplum datur Salomonis infra n. 6.

Digitized by Google

tia itaque sapientiae deducit ad regnum perpetuum. Concupiscentia ergo *sapientiae* generat concupiscentiam *disciplinae.* — Disciplina autem duplex est: *scholastica* et *monastica* sive morum; et non sufficit ad habendam sapientiam *scholastica* sine *monastica;* quia non audiendo solum, sed observando fit homo sapiens. Unde in Psalmo [1] de sapientia: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Scientia* enim non habetur, nisi praecedat *disciplina;* nec *disciplina*, nisi praecedat *bonitas;* et sic per *bonitatem et disciplinam* inest nobis *scientia.* — Aegrotus enim audiendo medicum nunquam sanatur, nisi praecepta eius observet, sicut dicit Philosophus secundo Ethicorum [2]. Per istam autem viam sapientiae pauci vadunt, et ideo pauci perveniunt ad veram sapientiam.

Duplex disciplina.

Simile.

4. Concupiscentia *disciplinae* parit dilectionem. *Cura ergo disciplinae est dilectio.* Si enim habes disciplinae dilectionem, eris amator virtutis in te et in aliis et in suo fonte. Disciplina autem non debet esse servilis, sed liberalis, ut diligat disciplinantem, ut ex amore facial, non ex timore. Si enim propter disciplinam es pauper, oportet, ut diligas paupertatem; et sic de aliis. *Dilectio* autem *custodia legum est.* Si enim diligis bonum, observas legem, quia *finis praecepti est caritas de corde puro* [3]. Quando autem custodis legem, sanctificaris et efficeris plenus Spiritu sancto; et tunc abstraheris ab omni amore, qui non est Deus.

Disciplinae comes dilectio.

5. Haec enim sanctitas est, quam describit Dionysius de Divinis Nominibus, capitulo duodecimo [4]: « Sanctitas, inquit, est ab omni immunditia libera et perfecta et omnino immaculata munditia ». Sanctificari erga est abstrahi ab omni amore inquinativo et corruptivo, qui potest animam corrumpere. In hoc debet creatura assimilari Creatori: *Sancti*, inquit, *estote, quoniam ego sanctus sum.* Haec sanctitas facit deformem; et ideo illi Spiritus seraphici dicebant: *Sanctus, sanctus, sanctus.*

Descriptio sanctitatis.

6. Cum autem anima deformis facta est, statim intrat in eam Sapientia, quia *candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis;* et sequitur: *per nationes in animas sanctas se transfert*, Sapientiae septimo [5]. Sine sanctitate non est homo sapiens. Unde in Ecclesiastico: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur.* Sanctitas immediata dispositio est ad sapientiam: ergo concupiscentia et vehemens desiderium *porta* est sapientiae; Sapientiae septimo: *Optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae. Et praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil duxi in comparatione illius*, usque ibi: *Laetatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam, quoniam omnium horum mater est.* — Sed dicit, quod habuit illam *optando* et *invocando.* Si enim *summum* bonum est, summe amanda est; si autem *omne* bonum est, universaliter appetenda est et super omnia. — Similiter patet exemplo Salomonis [6], quia non petivit aurum et argentum, sed *cor docile;* ideo venit in eum. Unde Iacobus: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil haesitans.* Qui enim haesitat non est disciplinatus. Haec est ergo *porta.* Huiusmodi autem concupiscentia exstinguit omnes concupiscentias et hominem sublevatum facit a mundo. Unde dicit: *Hanc amavi et exquisivi a iuventute mea, et quaesivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius.*

Ipsa est proxima dispositio ad sapientiam, concupiscentia vero porta.

Patet etiam exemplo Salomonis.

7. *Forma* autem sapientiae est *mirabilis*, et nullus eam aspicit sine admiratione et ecstasi, ut dicitur de Esther [7] et de Salomone, cuius *vultum desiderabat videre universa terra;* et Regina Saba *venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis;* et cum videret *ordines ministrantium vestesque eorum et pincernas et holocausta, quae offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum.* — Sed timendum quod dicit Dominus in Evangelio: *Regina austri resurget in iudicio cum generatione ista et condemnabit eam, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, et plus quam Salomon hic.* Iudaei nolebant audire sapientiam de ore Sapientiae; et nos habemus Christum *intra nos*, et nolumus audire sapientiam eius. Abominatio maxima est, quod filia regis pulcherrima offertur nobis in sponsam, et potius volumus copulari ancillae turpissimae et meretricari; et volumus reverti in Aegyptum ad cibum vilissimum [8], et nolumus refici cibo caelesti.

Pars II. De formae sapientiae.

Malum indifferentiae detestatur.

8. Ista forma est *mirabilis*, quia modo est *uniformis*, modo est *multiformis*, modo *omniformis*, modo *nulliformis.* Quadriformi igitur se vestit lumine. Apparet autem *uniformis* in regulis divinarum legum, *multiformis* in mysteriis divinarum Scripturarum, *omniformis* in vestigiis divinorum operum, *nulliformis* in suspendiis divinorum excessuum.

Forma est quadruplex.

9. De primo, Sapientiae sexto [9]: *Clara est et quae nunquam marcescit sapientia* — quia apud

Primo est uniformis.

[1] Psalm. 118, 66.

[2] Cap. 4: Qui [aegrotantes] cum medicos diligenter audiant, nihil tamen eorum quae ab ipsis mandantur, efficiunt; sicut igitur neque illi corpore unquam bene valebunt, dum ita curantur, sic neque isti animo, dum ita [verbis et non factis de virtutibus] philosophantur, bene habebunt.

[3] Epist. I. Tim. 1, 5. — Superius respicitur I. Ioan. 4, 18: Timor non est in caritate etc.

[4] Paragr. 2. — Seq. locus est Lev. 11, 45: Sancti eritis, quia ego etc. Tertius est Isai. 6, 3.

[5] Vers. 26. et 27. — Seq. locus est Eccli. 27, 12; tertius Sap. 7, 7-12.

[6] Libr. III. Reg. 3, 9. seqq. — Seq. locus est Iac. 1, 5. seq.; tertius Sap. 8, 2.

[7] Cap. 2, 15. — De Salomone allegatur III. Reg. 10, 24; Matth. 12, 42; III. Reg. 10, 5. Subinde citatur iterum Matth. 12, 42.

[8] Vide supra pag. 330, nota 7.

[9] Vers. 13. — Seq. locus est Iac. 1, 17; tertius Sap. 6, 13. seq. (pro *prior* codd. *priorem*).

illam *non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio — et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quaerunt illam. Praeoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.*

Immutabiles regulae. Haec igitur apparet immutabilis in regulis divinarum legum, quae nos ligant. Regulae istae mentibus rationalibus insplendentes sunt omnes illi modi, per quos mens cognoscit et iudicat id quod aliter esse non potest, utpote quod summum principium summe venerandum; quod summo veru summe credendum et assentiendum; quod summum bonum summe desiderandum et diligendum. — Et haec sunt in prima tabula [1]; et in his apparet sapientia, quod ita certa sunt, quod aliter esse non possunt.

10. Hae regulae sunt infallibiles, indubitabiles, iniudicabiles, quia per illas est iudicium, et non est de illis. Et ideo *clara* est haec sapientia. — Sapientia clara. Nunquam marcescit. Sunt etiam incommutabiles, incoarctabiles, interminabiles; et ideo *nunquam marcescit*. Sic enim certae sunt, ut nullo modo sit eis contraiicere « nisi ad exterius-rationem », secundum Philosophum, in libro primo Posteriorum [2]. Notandum. Hae enim radicantur in luce aeterna et ducunt in eam, sed non propter hoc ipsa *videtur*. Nec est dicendum, quod fundantur in aliqua luce *creata*, utpote in aliqua intelligentia, quae illuminet mentes; quia, cum illae regulae sint *incoarctabiles*, quia mentibus omnium se offerunt, tunc sequeretur, quod lux creata esset incoarctabilis et esset *actus purus*, quod absit; et qui hoc dicit enervat fontem sapientiae et facit idolum, ut Angelum, Deum, et plus quam qui lapidem Deum facit. Haec enim sapientia radiat super animam, quae *assistit prae foribus, ut se*, inquit [3], *prior illis ostendat*.

11. Item, apparet sapientia ut *multiformis* in Secundo est multiformis. mysteriis divinarum Scripturarum. Hanc multiformitatem mysteriorum ostendit Apostolus, ad Ephesios [4]: *Mihi omnium Sanctorum minimo data est haec gratia in gentibus, evangelizare investigabiles divitias gratiae Christi et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti abscondita a saeculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat Principatibus et Potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Non est intelligendum, quod Paulus doceat Angelus, sed dicitur *innotescere*, quia ministerio ipsorum innotescunt, sicut dicitur, quod Lex *per Angelos* data est, hoc est per ministerium Angelorum.

12. Haec igitur sapientia dicitur *multiformis*, Explicatur. quia multi sunt modi exprimendi; et ideo necesse fuit, ut ostendatur sapientia in multis figuris, multis Sacramentis, multis signis, ut etiam veletur superbis, aperiatur humilibus. Haec velamina claudunt Christum, occultant sapientiam sapientibus et immundis. Unde in Matthaeo [5]: *Confiteor tibi, Pater, domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* Et ideo bene ait Apostolus: *Mihi omnium Sanctorum minimo* etc.

13. Sed quomodo Paulus evangelizat *investigabiles divitias gratiae Christi?* Sic: *Nunc*, inquit [6], Triplex intelligentia in Scriptura. *manent fides, spes, caritas, tria haec.* — Triplex refulget intelligentia in Scriptura, quae docet, quid *credendum*, quid *exspectandum*, quid *operandum*: quid *credendum* quantum ad fidem; quid *exspectandum* quantum ad spem; quid *operandum* quantum ad caritatem, quae consistit in *operatione*, non solum in affectione, Ioannis decimo quarto [7]: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Et quaelibet istarum est bifurcata.

14. *Fides* enim est in iunctura *capitis* et *corporis*. Refulgentia quantum ad fidem est *allegoria*, Circa fidem est allegoria duplex. et haec duplex: una ad *caput*, alia ad *corpus*. Est enim una, quae fertur ad *caput* crucifixum, natum etc.; alia, quae fertur ad *corpus*, ad Ecclesiam primam, mediam et ultimam; et hoc modo laudat Ecclesiam Salomon in Cantico [8] secundum triplicem illum statum. *Quae est ista*, inquit, *quae ascendit, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol* etc. — *Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris* etc. — *Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens et innixa super dilectum suum?*

15. De allegoria *capitis* dicit Paulus [9]: *Nolo, vos* Prima fertur ad caput. *ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et*

---

[1] Vide III. Sent. d. 37, a. 2, q. 1, in corp. — De regulis iudicandi cfr. Itinerarium mentis in Deum, c. 2, n. 9.

[2] Cap. 8, (c. 10.). Vide supra pag. 303, nota 6. — In sepp. notam digna sunt verba *sed non propter hoc ipsa videtur*, quae exhibentur ab omnibus codd. His enim confirmatur quod dictum est supra in scholio Itinerarii mentis in Deum, n. 1. seqq. (pag. 311 col. II. sepp.). — Solonde respicitur error *Neoplatonicorum* et *Arabum* philosophorum, qui posuerunt, intelligentiam primam solam fuisse productam a Deo, hanc produxisse secundam, et sic deinceps usque ad decimam, quae irradiat super animas rationales. Cfr. II. Sent. d. 1. p. 1. a. 2. q. 2.

[3] Sap. 6, 14. seq.: Praeoccupat... ut illis se prior ostendat... assidentem enim illam foribus suis invenies. — Secundum summa B; AF brevius: *super animam assistentem prae foribus*, DE *animam, quae assistit prae foribus.*

[4] Cap. 3, 8-10. Vulgata omittit *gentibus*. — Inferius respicitur Gal. 3, 19: Ordinata [Lex] per Angelos in manu Mediatoris. Explicatio huius loci (Eph. 3, 10.) est secundum August., V. de Gen. ad lit. c. 19. n. 38. seq. et IX. c. 18. n. 35, qua discessit ab Hieron.; cfr. *opp.* II. pag. 118, nota 8, et tom. III. pag. 539, nota 4.

[5] Cap. 11, 25.

[6] Epist. I. Cor. 13, 13.

[7] Vers. 23. — De triplici intelligentia Scripturae cfr. Breviloq. Prologi § 4.

[8] Cap. 6, 9. — Seq. locus est ibid. 3, 6; tertius ibid. 8, 5. (Cfr. Itinerarium mentis in Deum, c. 4. n. 3.). Retinuimus cum Vat. hos locus allegatos, qui in codd. desiderantur. — Superius post *duplex* B prosequitur: *una quantum ad caput, alia quantum ad corpus.*

[9] Epist. I. Cor. 10, 1-1.

Digitized by Google

omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus. — De allegoria *corporis: Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera; sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem, quae sunt per allegoriam dicta. Haec autem sunt duo testamenta*[1]. Non oportuit, ut amplius explicaret, quia per illa intelliguntur duo populi.

Secundo, ad corpus.

16. Iuxta aliam intelligentiam, quae est per *spem*, quid scilicet est exspectandum, sumitur *anagogia*, et haec duplex, scilicet *caelestis*, ut ibi[2]: Abraham, *suspice caelum et numera stellas, si potes*, scilicet caelestes Intelligentias; et in Iob: *Numquid nosti ordinem caeli, aut rationem eius ponis in terra?* — Alia *supercaelestis*, ut in Abraham, qui « tres vidit et unum adoravit[3] », quia in illis Trinitas apparuit; et in duobus Angelis, qui *missi* sunt Sodomam, Filius et Spiritus sanctus, qui mittuntur a Patre; et ideo, quia Pater numquam missus est, ibi non apparuit, sed apparuit in illis tribus, quia Pater *apparuit*, sed numquam *missus est*. — Hugo[4] dicit ista vocabula: *hierarchia caelestis, supercaelestis, subcaelestis*. Quidam dicunt, quod improprie dicantur; sed falsum est, quia utrobique est *sacer principatus*.

Circa spem est anagogia duplex.

Approbatur Hugo.

17. Tertia est *tropologia* iuxta tertiam intelligentiam, quae docet, quid agendum. Haec duplex: quaedam pertinet ad *actionem*, ubi docetur, quid *agendum*; quaedam ad *contemplativam*, ubi docetur, quomodo *contemplandum*, quomodo anima feratur in Deum; nec tamen est *anagogia*, cum sit praeparatio animae, et sic ab intimo tendit ad supremum. — Haec ergo sapientia est abscondita et velata superbis, qui non sunt potentes Scripturas intelligere. Scripturae intelligi non possunt nec mysteria, nisi sciatur decursus mundi et dispositio hierarchica[5].

Circa operationem tropologia duplex.

Notandum.

18. In his ergo mysteriis pulcherrime apparet Dei sapientia, plus etiam quam primo modo. Sicut, verbi gratia, volo laudare sponsam, quod sit pulcra, quod sit verax; si dicam simpliciter: pulcra est, verax est; non afficitur multum cor meum; sed cum dico: *Pulcrae sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia*[6]; mirabiliter eam commendo, dum intelligo. Commendo enim eam non solum ut castam et honestam, sed quod propter amorem sponsi casta est et amorosa. Turtur enim avis casta est et amorosa, quia propter amorem comparis, ipso vivente, nulli coniungitur nec post eius mortem. Sponsa igitur honesta non est, quia casta, sed quia casta propter amorem sponsi. Pulcrae igitur sunt *genae*, quae sunt prominentes, in quibus apparet pulcritudo. *Collum tuum sicut monilia: collum*, per quod vox emittitur, *veritas; monilia*, quae ornant pectus et stringunt, *discretio*, quia, si quis dicit veritatem et non, *quando* debet, vel *ut* non debet, vel *ubi* non debet, vel *quibus* non debet; non est *pulcra veritas*.

Corollarium.

19. Haec sapientia resultat ex multis mysteriis Scripturae, sicut ex multis speculis fiunt multiplicationes radiorum et ignium; haec sunt *speculo mulierum*, de quibus fit *labrum aeneum*[7]; haec est Scriptura, *ut revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformemur a claritate in claritatem*: a claritate allegoriae in claritatem *anagogiae*, et rursus *tropologiae*. Haec sapientia datur secundum mensuram fidei *et unicuique, sicut Deus dividit mensuram fidei*[8]; quia, secundum quod homo magis intellectum *capiunt*, secundum hoc sapientior efficitur, et fides habetur per humilitatem. Huiusmodi *sapientiae* Paulus dicit se professorem. Moyses autem posuit regulas et leges, ideo habuit *faciem cornutam*, sed Apostolus *revelatam*.

Commendatur haec sapientia.

20. Item, tertia facies sapientiae est *omniformis* in vestigiis divinorum operum. Unde in Ecclesiastico[9]: *Radix sapientiae cui revelata est, et astutias illius quis agnovit? Disciplina sapientiae cui revelata est et manifestata, et multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Unus est altissimus Creator omnium omnipotens.* Sequitur: *Ipse creavit illam in Spiritu sancto et vidit et dinumeravit et dimensus est et effudit illam super omnia opera*

Tertio, est omniformis.

---

[1] Gal. 4, 22-24.

[2] Gen. 15, 5. — Seq. locus est Iob 38, 33. (Vulgata *et* pro *aut*).

[3] Ut exponitur Gen. 18, 2. ab Ambros., II. de Excessu fratris sui Satyri, n. 96, et ab August., II. contra Maximin. Arian. c. 26. n. 7. Cfr. tom. III. pag. 209, nota 1. — Subinde respicitur Gen. 19, 1: Venerantque duo Angeli Sodomam vespere. August., loco paulo ante cit., haec verba explicans dixit: Ubi mihi videntur per Angelos significari Filius et Spiritus sanctus; quoniam se illi Angeli *missos* esse dixerunt [Gen. 19, 13.], et de Trinitate, quae Deus est, solus Pater non legitur missus; leguntur autem missi et Filius et Spiritus sanctus etc. Cfr. supra pag. 214, nota 8.

[4] Libr. I. Exposit. in Hierarch. caelest. S. Dionysii, c. 2, ubi data descriptione hierarchiarum, i. e. sacrorum principatuum, in c. 3. deinde docet, quod tres sint hierarchiae, scil. Trinitatis, angelica et humana. Idem habetur c. 5. Cfr. etiam Breviloq. Prolog. § 3.

[5] Vide Prolog. in Breviloq.

[6] Cant. 4, 9. De expositione huius loci cfr. Beda, II. in Cantic. allegoricae expos. c. 4, et Bernard., Sermon. in Cantic. serm. 40. et 41. — Inferius cum Vat. retinuimus *vel ut non debet*, quae verba a codd. omittuntur.

[7] Exod. 38, 8: Fecit et labrum aeneum cum basi sua de speculis mulierum. — Seq. locus est II. Cor. 3, 18.

[8] Rom. 12, 3. — Subinde respicitur II. Cor. 10, 5: Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Exod. 34, 30: Videntes... cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere; et v. 35: Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed *operiebat* ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos. Cfr. II. Cor. 3, 14. et 18.

[9] Cap. 1, 6-8. — Seq. locus est ibid. v. 9. et 10.

Digitized by Google

sua. Haec *sapientia manifestata est*; unde: *Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam*[1]. Et tamen nos non invenimus eam, sicut laicus nesciens litteras et tenens librum non curat de eo; sic nos; unde haec scriptura facta est nobis Graeca, barbara et Hebraea et penitus ignota in suo fonte.

Liber creaturarum dat nobis ignotus.

21. Ista sapientia diffusa est in omni re, quia quaelibet res secundum quamlibet proprietatem habet regulam sapientiae et ostendit sapientiam divinam; et qui sciret omnes proprietates manifeste videret sapientiam istam. Et ad hoc considerandum dederunt se philosophi et etiam ipse Salomon; unde ipsemet se redarguit dicens[2]: *Dixi: sapiens efficiar; et ipsa longius recessit a me*. Quando enim per curiosam perscrutationem creaturarum dat se quis ad investigandam istam sapientiam; tunc longius recedit.

Est in omni re.

Cautela observanda.

22. Opus autem Dei tripliciter dicitur: primo modo *essentia*, quodcumque illud sit et in quocumque genere sive *substantiae*, sive *accidentis*; alio modo *essentia completa*, scilicet sola *substantia*; tertio modo *essentia ad imaginem Dei facta*, ut spiritualis creatura. — Super has effusa est sapientia Dei, sicut super *opera sua*.

Opus Dei triplex.

23. Est autem ordo in his. Deus enim creat quamcumque essentiam *in mensura et numero et pondere*[3]; et dando haec, dat *modum*, *speciem* et *ordinem*; *modus* est, quo constat; *species*, qua discernitur; *ordo*, quo congruit. Non est enim aliqua creatura, quae non habeat *mensuram*, *numerum* et *inclinationem*; et in his attenditur *vestigium*, et manifestatur *sapientia*, sicut *pes in vestigio*; et hoc vestigium in illam *sapientiam* ducit, in qua est *modus* sine modo, *numerus* sine numero; *ordo* sine ordine[4]. — In *substantia* autem est altius vestigium, quod repraesentat divinam *essentiam*. Habet enim omnis creata substantia *materiam*, *formam*, *compositionem*: originale principium seu fundamentum, formale complementum et glutinum[5]; habet *substantiam*, *virtutem* et *operationem*. — Et in his repraesentatur mysterium Trinitatis: Pater, *origo*; Filius, *imago*; Spiritus sanctus, *compago*.

Tria in quolibet opere, in quibus est vestigium Dei.

Tria in quolibet substantia creata.

In substantia duo vestigia.

24. Ratio autem originalis principii a formali complemento habet distinctionem in creatura, non quidem *hypostaticam*, ut est in divinis, nec *accidentalem*, sed sicut principiorum, quorum unum *activum*, alterum *passivum*. Et hoc tollere a creatura est tollere ab ea repraesentationem Trinitatis; ut dicere, quod creatura sit purus actus et non habeat compositionem.

De primo.

Principium activum et passivum in creatura.

25. Nec valet id quod dicitur, quod composita est, pro eo quod est ab alio, quia *esse ab alio* compositionem non facit; quia tunc Filius esset compositus, cum sit a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque. Solum enim *esse* divinum simplex est; nec differt in eo *esse* et *sic esse* et *bene esse*. Et ideo *esse* dicitur nomen Dei[6], quia *esse* in Deo est id quod est Deus. In creatura autem differt *esse* et *bene esse* et *sic esse*.

Esse ab alio non facit compositionem.

26. Vestigium aliud huius sapientiae est *substantia*, *virtus* et *operatio*; *virtus* est a substantia, *operatio* a substantia et virtute; res a *substantia* habet *esse*, a *virtute vigere*, ab *operatione efficere*. Virtus etiam non est substantiae accidentalis, licet Philosophus[7] dicat, quod naturalis potentia est *qualitas*. Ipse enim loquitur, prout dicit modum consequentem substantiam; sicut patet, quia *durum* et *molle* dicunt modum substantiam consequentem.

Secundum vestigium sapientiae.

27. Item, est creatura ad *imaginem* Dei facta; et hoc vel secundum imaginem *naturalem*, vel *gratuitam*; *illa* est *memoria*, *intelligentia* et *voluntas*, in quibus relucet *Trinitas*; et *hac* sigillatur anima, et in hac sigillatione recipit *immortalitatem*, *intelligentiam*, *incunditatem*; *immortalitatem*, secundum quod in *memoria* tenetur *aeternitas*; *sapientiam*, secundum quod in *intelligentia* refulget *veritas*; *incunditatem*, secundum quod in *voluntate* delectat *bonitas*. Haec quidem sunt in intelligentiis, vel substantiis *reformatis*[8]. — Et sic patet, quod totus mundus est sicut unum *speculum* plenum luminibus praesentantibus divinam sapientiam, et sicut *carbo* effundens lucem.

De duplici imagine Dei.

Epilogus.

28. Quarta facies sapientiae est difficillima, quia est *multiformis*, quod videtur destructivum praecedentium, non tamen est. De hac enim dicit Apostolus primae ad Corinthios secundo[9]: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam non huius saeculi; sed loquimur sapientiam in mysterio absconditam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit*,

Quarta, est multiformis sapientia abscondita.

---

[1] Prov. 1, 20.

[2] Eccle. 7, 24.

[3] Sap. 11, 21. — Seq. distinctio *modi*, *speciei* et *ordinis* est August., de Natura boni, c. 3; tertia: *quo constat*, *quo discernitur* et *quo congruit* est eiusdem, 83 Qq. q. 18. Cfr. supra pag. 54, nota 7. et I. Sent. d. 3. p. I. dub. 3.

[4] Secundum August.; vide supra pag. 82, nota 5.

[5] Ut insinuat Alan. ab Insulis, I. de Arte seu articulis catholicae fidei, c. 24. et 25. — Seq. divisio est secundum Dionys.; vide supra pag. 205, nota 7. — Inferius pro *imago* (cui in rebus creatis respondet species sive forma) Vat. *virtus et forma*.

[6] Cfr. Exod. 3, 14. supra in Itinerario mentis in Deum, c. 5. n. 2. allegatus. — De simplicitate Dei vide supra Quaest. disput. de mysterio Trinitatis, q. 3. a. 1. et I. Sent. d. 8. p. II. q. 1. seq., ubi etiam diversae compositiones, quae creaturis conveniunt, tanguntur, quae II. Sent. d. 3. p. I. a. 1. q. 4. respectu Angelorum exponuntur.

[7] De Praedicam. c. *de Quali*, ubi tamquam secundam qualitatis speciem affert *potentiam et impotentiam*; etiam exemplum de *duro* et *molli* proponit his verbis: Durum enim dicitur quod habeat potentiam non facile secari; molle vero, quod eiusdem ipsius habeat impotentiam.

[8] Cfr. supra pag. 289, nota 1. sententia Bernardi. Vide etiam Itinerarium mentis in Deum, c. 3. et 4. — Exemplo de *carbone* utitur Damascenus simili modo de eucharistia; cfr. tom. IV. pag. 188, nota 4.

[9] Vers. 6-10. Vulgata plura hinc inde interseruit. — Interius, opinionem sui temporis secutus, S. Bonaventura insinuat, Dionysium Areopagitam auctorem esse operum illorum, quae

Digitized by Google

nec in cor hominis ascendit; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Hanc sapientiam docuit Paulus Dionysium et Timotheum et ceteros perfectos, et ab aliis abscondit. Oportet ergo, nos esse perfectos, ut ad hanc sapientiam veniamus. *Quae retro sunt*, inquit [1], *obliviscens, ad anteriora me extendo, si quo modo comprehendam.*

29. Haec sapientia *abscondita est in mysterio.* Explicatur. Sed quomodo? *Si in cor hominis non ascendit*, quomodo comprehendetur, cum sit *nulliformis?* — Nota, quod hic est status sapientiae christianae; unde Doctrina Dionysii. cum Dionysius multos libros fecisset, hic consummavit, scilicet in Mystica Theologia. Unde oportet, quod homo sit instructus multis et omnibus praecedentibus. De mystica theologia Dionysius [2]: « Tu autem, inquit, o Timotheee amice, circa mysticas visiones forti actione et contritione, sensus derelinque » etc.; vult enim dicere, quod oportet, quod sit solutus ab omnibus, quae ibi numerat, et quod omnia dimittat; quasi diceret: super omnem substantiam et cognitionem est ille quem volo intelligere. Et ibi est operatio transcendens omnem intellectum, secretissima; quod nemo scit, nisi qui experitur. In anima enim sunt virtutes multae apprehensivae: *sensitiva, imaginativa, aestimativa, intellectiva;* et omnes oportet relinquere, et in vertice est unitio amoris, et Notandum. haec omnes transcendit. — Unde patet, quod non est tota beatitudo in *intellectiva* [3].

30. Haec autem contemplatio fit per *gratiam*, Fit per gratiam, sequi industria. et tamen iuvat *industria*, scilicet ut separet se ab omni eo, quod Deus non est, et a se ipsa, si possibile Unio fit per amorem esset. Et haec est suprema unitio per amorem. Et quod solum per amorem fiat, dicit Apostolus [4]: *In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum.* Iste amor transcendit omnem intellectum et scientiam. — Sed si scientiam transcendit, quomodo videri potest sapientia ista? Propter hoc addit Apostolus [5]: *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus* etc.; quia non est cuiuslibet, nisi cui Deus revelat. Propter quod dicit Apostolus: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Unde cum mens in illa unione coniuncta est Anima dormit et vigilat. Deo, *dormit* quodam modo, et quodam modo *vigilat: Ego dormio, et cor meum vigilat.* Sola *affectiva* vigilat et silentium omnibus aliis potentiis imponit; et tunc homo alienatus est a sensibus et in ecstasi positus et audit *arcana verba, quae non licet homini loqui* [6], quia tantum sunt in affectu. Unde cum Nec exprimere potest concepta exprimi non possit nisi quod concipitur, nec concipitur nisi quod intelligitur, et intellectus silet; sequitur, quod quasi nihil possit loqui et explicare. — Et Confirmatur. ita est; et quia ad istam sapientiam non pervenitur nisi per gratiam, ideo auctor sapiens quaecumque sunt absconsa et improvisa sancto Spiritui et ipsi Verbo attribuit revelanda; et ideo dicit [7]; *Quaecumque sunt absconsa et improvisa didici; omnium enim artifex docuit me sapientia.* Et idem dicit, quod Paulus. *Est enim in illa spiritus intelligentiae sanctus, unicus, multiplex, subtilis* etc. Iste spiritus levat animam et docet improvisa. Et *hic est digitus Dei*, ad quem magus Pharaonis non potest attingere, scilicet intellectus noster. — De primis sapientes multi habent, de hac [8] autem pauci. Nota.

31. Iste autem amor est *sequestrativus, soporativus, sursumactivus. Sequestrat* enim ab omni affectu alio propter sponsi affectum unicum; *soporat* et quietat omnes potentias et silentium imponit; *sursum agit*, quia ducit in Deum. Et sic est homo quasi mortuus; et ideo dicitur: *Fortis ut mors dilectio* [9], quia separat ab omnibus. Oportet enim, hominem mori per illum amorem, ut sursum agatur. Unde *non videbit me homo et vivet.* Et tunc in tali unione virtus animae in unum colligitur et magis unita fit et intrat in suum *intimum* et per consequens in *summum* suum ascendit; quia idem intimum et summum, secundum Augustinum [10]. De illo *summo* dicitur in Cantico: *Adiuro vos, filiae Ierusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Effectus 3 amoris.

---

sub nomine *Dionysii* vulgati sunt, in quibus auctor Paulum apostolum nominat *praeceptorem et magistrum* (cfr. De Div. Nom. c. 2. § 11; c. 3. § 2; c. 7. § 1.). Nostris temporibus fere communiter tenetur, auctorem eorum esse aetatis multo posterioris. Cfr. tom. II. pag. 211, nota 4.

[1] Phil. 3. 12. seq. Vulgata propositionis ultimam partem priori loco refert et plura interserit.

[2] De Mystica Theolog. c. 1. § 1. Abbas Vercellensis hunc locum sic exhibet: Tu autem, amice Timothee, ad hoc quod capax fias mysticarum contemplationum... derelinque sensus et sensibilia exercitia et etiam intellectuales operationes... *forti conatu* mentis haec comprimente, et sicut est tibi possibile, consurge ignote et supersubstantialiter ad unitionem Dei, quae est super omnem substantiam et cognitionem. Cum enim te ipsum et omnia per mentis excessum, nullo inferiori retinaculo praepeditus, transcenderis, ab omni concupiscentia et cura absolutus et purgatus, tunc... sursum ageris ad supersubstantialem radium divinae incomprehensibilitatis [In versione Scoti Erig., quam vide supra in Itinerario mentis in Deum, c. 7. n. 5., ponitur: ad superessentialem divinarum *tenebrarum* radium].

[3] Cfr. I. Sent. d. 1. a. 2. q. 1. ad 2. et 3. IV. Sent. d. 49. p. I. q. 1. seq.

[4] Eph. 3, 17. seq.

[5] Eph. 3, 20. — Seq. locus est I. Cor. 2, 10; tertius Cantic. 3. 2.

[6] Epist. II. Cor. 12, 4.

[7] Sap. 7, 21. — Seq. locus (*Est enim* etc.) est ibid. v. 22; tertius Exod. 8, 19: Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic.

[8] Scil. de quarta forma sive quarta facie sapientiae solum modo pauci habent aliquid.

[9] Cant. 8, 6. — Seq. locus est Exod. 33, 20.

[10] Secundum August. in anima humana, in quantum est *humana*, nihil est *essentialius* et *superius* mente, secundum quam ipsa est Dei imago, per quam distinguitur ab omni alia anima et immediate ipsius Dei particeps esse potest (cfr. XII.

Digitized by Google

Media in vapitia sec. Dionysium.

32. Iuvat autem nos ad veniendum ad illum summum superferri omnibus sensibus, omnibus operationibus intellectualibus, quae sunt cum phantasmatibus annexis, dimittere etiam angelicas intelligentias, ut dicatur [1]: *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem; paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Et hoc docet Dionysius, dimittere sensibilia, intellectualia, entia, non entia; et vocat temporalia *non entia*, quia sunt in continua variatione; et sic intrare in tenebrarum radium. Dicitur *tenebra*, quia intellectus non capit; et tamen anima summe illustratur. Et quia hoc non habetur nisi per orationem, ideo Dionysius incipit ab oratione dicens [2]: « Trinitas supersubstantialis, superdea, superbona »; et intellige, quod hoc dicitur non respectu Dei, sed respectu intellectus nostri; quia magis est *substantia*, quam intellectus noster capiat, et magis *Deus;* et sic de aliis. Et post: « amoventes oculos mentis [3] », quia mens oculis intellectualibus aspicere non potest, et ideo amovendi sunt. Et ideo dicitur in Cantico: *Averte oculos tuos a me, ipsi me avolare fecerunt.* Tunc Christus *recedit*, quando mens oculis intellectualibus nititur illam sapientiam videre; quia ibi non intrat *intellectus*, sed *affectus*. Unde in Cantico [4]: *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum*, quia *affectus* valit usque ad profundum Christi; *et in uno crine colli tui; crinis* significat elevationem mentalium considerationum. — Et post Dionysius: « Tu autem, amice Timothee, circa mysticas visiones, forti contritione et actione sensus derelinque et intellectuales operationes » etc. Et innuit, quod iste ascensus fit per vigorem et commotionem fortissimam Spiritus sancti; sicut dicitur de Elia [5]: *Ecce, spiritus subvertens montes et conterens petras* etc. Hunc ignem non est in potestate nostra habere; sed si Deus dat desuper, sacerdotis est *nutrire* et *ligna subiicere* per orationem.

Contemplatio in caligine.

Oratio.

Duplex modus ascendendi.

33. Iste autem ascensus fit per *affirmationem* et *ablationem* [6]: per affirmationem, a summo usque ad infimum; per *ablationem*, ab infimo usque ad summum; et iste modus est conveniens magis, ut: non est hoc, non est illud; nec privo ego a Deo quod suum est, vel in ipso est, sed attribuo meliori modo et altiori, quam ego intelligo. — Ablationem sequitur amor semper. Unde Moyses primo a senioribus *sequestratur*, secundo *ascendit* in montem, tertio *intrat caligiem*. Aliud exemplum: qui sculpit figuram nihil ponit, immo removet et in ipso lapide relinquit formam nobilem et pulcram. Sic notitia Divinitatis per *ablationem* relinquit in nobis nobilissimam dispositionem.

Exemplum.

Figurae autem somnii.

34. Istud summum significat mors Christi, sepultura Christi, transitus maris rubri, transitus in terram promissionis. — Quod iterum Spiritus sanctus commoveat ad hoc, nota de Moyse, quem duxit ignis *ad interiora deserti* [7], ubi accepit illustrationes. Ista ergo est sapientiae *forma*; isti sunt excessus mentales.

COLLATIO III.

De plenitudine intellectus, quatenus est clavis contemplationis per intellectum Verbi *increati*, *incarnati* et *inspirati*.

Summarium. — *Donum intellectus est regula circumspectionum moralium, ianua considerationum scientialium, clavis contemplationum caelestium*, 1. — Clavis *contemplationis est triplex intellectus, scilicet Verbi increati, incarnati, inspirati*, 2. — Pars I. De intellectu Verbi increati, per quod omnia producuntur. *Hoc cognoscitur per effectum ut causa omnium; errores philosophorum*, 3. — *Est clavis ad intelligendum, quod ab uno sint multa*, 4-5. — *Item, quod ab aeterno sint temporalia*, 6. —

---

de Trin. c. 1. n. 1. seqq. et XIV. c. 8. n. 11.); sed in quantum anima humana est *creata a solo Deo*, Deus est mentis *intimum* et *supremum*, quia ipse dat menti *esse*, *vigere* etc. et ipse solus *superior* est mente. Propter connexum, qui est inter duplicem hanc animae considerationem, facilis de una ad alteram praebetur transitus. Cfr. II. Sent. d. 8. p. II. q. 2, ubi diversa occurrunt Augustini testimonia. — Seq. locus est Cant. 3, 5.

[1] Cant. 3, 3. seq. — Sententiam Dionysii vide supra pag. 341, nota 2.

[2] De Mystica Theolog. c. 1. § 1. Vide supra Itinerarium mentis in Deum, c. 7. n. 5.

[3] Propter allusionem ad Cant. 6, 4. (mox allegatum) S. Bonav. haec verba posuisse videtur pro illis quae in textu originali sic sonant: Derelinque... intellectuales operationes (cfr. supra pag. 311, nota 2.).

[4] Cap. 4, 9. Cfr. Gilleberti abbatis in Cant. serm. 30. n. 3. (inter opera Bernardi). — De verbis Dionysii vide supra pag. 311, nota 2.

[5] Libr. III. Reg. 19, 11: Et spiritus grandis et fortis subvertens etc. — Subinde respicitur Lev. 6, 12: Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies.

[6] Vide Dionys. de Mystica Theologia, c. 1. § 2. seqq. usque ad finem operis. Ibid. c. 1. § 3. habetur etiam exemplum infra positum de Moyse (cfr. Exod. 24, 2. seqq.).

[7] Exod. 3, 1. Ibid. 14, 21. seqq. de transitu maris rubri. De transitu in terram promissionis vide Iosue 1, 2. seqq.

Digitized by Google

Item, quod ab actualissimo sint possibilia, 7-8. — *Item, quod a stabilissimo mutabilia, a sublimissimo infima. Haec autem clavis non est nisi animae purgatae per fidem*, 9. — Pars II. De intellectu Verbi incarnati, per quod omnia reparantur. *Quis sit reparator*, 10. — *Praefiguratio in duobus Cherubim super arcam*, 11. — *Reparavit duas hierarchias; habuit quinque proprietates*, 12. — *Fuit praecelsus*, 13. — *Item, sensatus*, 14-15-16. — *Deo acceptus*, 17. — *Victoriosissimus*, 18. — *Largifluus*, 19-20. — *Summe iustus*, 21. — Pars III. De intellectu Verbi inspirati, per quod omnia revelantur. *Intellectus requiritur in visione*, 22. — *Visio triplex*, 23. — *Sex modi visionum secundum sex dies creationis*, 24. — *Prima est visio intelligentiae per naturam inditae*, 25. — *Secunda, intelligentiae per fidem sublevatae*, 26. — *Tertia, per Scripturam eruditae*, 27. — *Quarta, per contemplationem suspensae*, 28. — *Quinta, per prophetiam illustratae*, 29. — *Sexta, per raptum absorptae*, 30. — *Dies septima et octava*, 31. — *Epilogus de clavi David*, 32.

1. *In medio Ecclesiae aperiet os eius, et adimplebit eum* Dominus *spiritu sapientiae et intellectus*[1]. Dicto de sapientia, dicendum est de *intellectu*, de quo dicebatur in Collatione donorum[2], quod intellectus est *regula* circumspectionum moralium, *ianua* considerationum scientialium, *clavis* contemplationum caelestium. Et iste intellectus proprie est *donum*. — Ab *intellectu* inchoandum est, et perveniendum ad *sapientiam*. *Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum*[3]. A cibo incipiendum est, non a potu. Nisi enim homo exerceatur in *dono intellectus*, non proficit in *potu sapientiae*, quae effundit flumina in animam, potata ab ipsa, et *fit ei fons aquae salientis in vitam aeternam*. Donum intellectus est solidus cibus, ut panis, qui, ut dicebat beatus Franciscus, multis laboribus habetur. Primo semen seminatur, deinde crescit, deinde colligitur, deinde ad molendinum portatur, deinde coquitur, et multa talia. Et sic de dono intellectus: intellectum comparare difficile est per se. Sapientia similiter non habetur nisi a *sitiente*; unde in Psalmo[4]: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum*; et: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Tria de dono intellectus.

Praecedere debet donum sapientiae.

Sententia Francisci.

2. *Clavis* ergo contemplationis est intellectus triplex, scilicet intellectus *Verbi increati*, per quod omnia producuntur; intellectus *Verbi incarnati*, per quod omnia reparantur; intellectus *Verbi inspirati*, per quod omnia revelantur. Nisi enim quis possit considerare de rebus, qualiter originantur, qualiter in finem reducuntur, et qualiter in eis refulget Deus; intelligentiam habere non potest.

Clavis est intellectus triplex.

3. De primo ad Romanos[5]: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque Virtus eius et Divinitas. Sempiterna virtus* et *Divinitas* per effectum intelliguntur, quia Deus est causa omnium, et per virtutem eius *omnia sunt facta*; quod est contra philosophos, qui negant, quod ab uno et eodem, semper manente eodem, sint *multiformia*, ab aeterno *temporalia*, ab actualissimo manent *possibilia*, a stabilissimo *mutabilia*, a simplicissimo *composita*, a sublimissimo *infima*; cum effectus sit similis causae, et causa haec sit contraria in his conditionibus.

Pars I. De Verbo increato.

Creator cognoscitur per effectus.

Philosophorum obiectio.

4. Horum ostium est intellectus *Verbi increati*, qui est radix intelligentiae omnium; unde qui non habet hoc ostium, intrare non potest. Philosophi autem habent pro impossibili quae sunt summe vera, quia ostium est eis clausum. — Quomodo autem haec intelligantur, dicitur ad Hebraeos[6]: *Fide intelligimus, aptata esse saecula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Summum autem spiritum impossibile est se non intelligere; et cum intellectum aequetur intelligenti, intelligit quidquid est et quidquid potest: ergo et ratio intelligendi aequatur intellectui, quae similitudo eius est. Haec autem similitudo Verbum est, quia, secundum Augustinum[7] et Anselmum, similitudo mentis convertentis se super se, quae in acie mentis est, verbum est. Si ergo haec similitudo *aequalis* est, ergo Deus est, et a Deo originata repraesentat originantem et quidquid Pater potest: ergo repraesentat multa. — Item, cum virtutem Patris repraesentet, repraesentat virtutem infinitissimam; sed « virtus, quanto magis multa, tanto magis infinita[8] »: ergo illa similitudo

Verbum est intellectus.

Aeternae multiformia.

Ratio I.

Ratio 2.

[1] Eccli. 15, 5.

[2] Collatione penultima. — Inferius pro *circumspectionum* multi codd. *circumscriptionum*, et pro *ianua* B *oculus*. Vat. hic multa addit, sumta ex est. coll. de donis Spiritus S.

[3] Eccli. 15, 3: Cibabit... potabit illum. — Seq. locus est Ioan. 4, 14: Fiet in eo fons etc.

[4] Psalm. 41, 3. et 2.

[5] Rom. 1, 20. — Inferius respicitur Ioan. 1, 3: Omnia per ipsum facta sunt. — De sententia philosophorum (Neoplatonicorum et Arabum), quod ab uno non manet nisi unum, vide II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 2. et tom. I. pag. 167, nota 4. Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 56. (c. 10.), explicans continuam generationem et corruptionem in mundo per influentiam solis, ait: Idem enim et similiter se habens semper idem natum est facere... contrariorum enim contrariae causae.

[6] Cap. 11, 3.

[7] Libr. XIV. de Trin. c. ii. n. 8. seqq.; XV. c. 13. n. 22. seqq.; 83 Qq. q. 23. et 74. — Anselm., Monolog. c. 32. seqq. Cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 1. et 3.

[8] Libr. de Causis, propos. 17.

Digitized by Google

infinita repraesentare habet; et ita necesse est, ut ab *uno* sint *multa*. Si igitur intelligis Verbum, intelligis omnia scibilia. Indaens autem hoc intelligere non potest; et tamen Scriptura [1] dicit: *Dixit Deus: fiat lux;* et iterum: *Dixit Deus*, hoc est Verbum genuit, in « quo omnia disposuit » et disponendo omnia facit. Unde Augustinus in libro Confessionum: « Verbo tuo tibi coaeterno facis quaecumque facis, nec alio modo quam dicendo facis; non tamen sempiterne facis quae sempiterne dicis ».

Confirmatur.

3. Si enim *unitas* posset cognoscere totum *posse* suum, videret et cognosceret omnes numeros; et si *punctus* cognosceret totum *posse* suum, cognosceret omnes lineas in centro; *unitas* tamen magis est principium quam *punctus*, quia unitas est pars *essentialis* numeri, punctus autem principium et non pars [2]; nec aliquod istorum est principium activum. Igitur cum primus intellectus sit principium activum, necesse est, ut in similitudine sua omnia disponat, omnia exprimat.

Ab aeterno temporalia.

6. Item, ab *aeterno* sunt omnia *temporalia*. Quae enim a Patre procedunt ordinate procedunt, et unum est causa alterius, ordine *naturae* et ordine *temporis:* ergo Verbum sic repraesentat res, ut in *esse* producuntur. Sicut enim in providentia mea vel memoria possunt esse multa futura, et unum futurum magis distans quam aliud; nec propter hoc sequitur, quod cum eveniunt, sit mutatio in memoria mea; sic in Verbo non est mutatio. Cum enim creat animam hanc, non mutatur, quia ab aeterno dixit, animam hanc nunc creandam. Unde eodem dicto, quo ab aeterno dixit, nunc creat; sicut, si *velle* meum esset *posse* meum; si vellem modo, eras fieri rem, non esset mutatio in me, si fieret; sed esset, si ile *non volente* fierem volens [3].

Ab actualissimo possibilia.

7. Item, ab *actualissimo* fiunt *possibilia* sive materialia. Pater enim intelligitur principium principians *de se*, principium principians *de nihilo*, principium principians *de aliquo* materiali. Et Verbum exprimit Patrem ut principium principians *de se*, et sic est explicans et repraesentans productionem Spiritus sancti et suam sive *aeternorum*. — Exprimit etiam Patrem ut principiantem aliquid *de nihilo*, et sic repraesentat productionem *aeviternorum*, ut Angelorum et animarum. — Repraesentat etiam ut principiantem aliquid *de aliquo* ut materiali; sed quod fit de aliquo prius est in potentia, quam fiat [4]; necesse ergo est, ut repraesentet *possibilia*. Necessario ergo ab actualissimo fiunt possibilia.

Verbum ut veritas.

8. Et haec similitudo sive Verbum est *veritas*. Quid est veritas secundum definitionem? « Adaequatio intellectus et rei intellectae [5] », illius intellectus, dico, qui est causa rei, non intellectus mei, qui non est causa rei. — Haec adaequatio vera est, quando res est *tanta, talis, ordinem habens, agens, patiens, tunc, ubi*, cum *situm* habet, secundum differentias praedicamentorum. Tunc enim res sunt verae, quando sunt in re vel in universo, sicut sunt in arte aeterna, vel sicut ibi exprimuntur. Res autem vera est, secundum quod adaequatur intellectui causanti. Quia vero perfecte non adaequatur rationi, quae exprimit eam vel repraesentat; ideo omnis creatura *mendacium* est, secundum Augustinum [6]. Res autem adaequata non est sua adaequatio: ergo necessario est, ut Verbum vel similitudo vel ratio sit *veritas;* et ibi est *veritas creaturae*, et repraesentantur per Verbum ita infima, sicut suprema. Unde licet Angelus magis participet cum Verbo in *conditionibus nobilibus*, puta quoad imaginem Dei, quam vermiculus; in ratione tamen *exemplaritatis* non est nobilior ratio Angeli quam vermiculi; ita ratio vermiculi exprimit vel repraesentat vermiculum, ut ratio Angeli Angelum, nec secundum hoc nobilior Angelus vermiculo. Quaelibet autem creatura umbra est respectu Creatoris.

Omnis creatura in se mendacium.

Veritas creaturae in Verbo.

Notandum.

Epilogus I. partis.

9. Et sic patet, quod ab actualissimo sunt possibilia, a stabilissimo mutabilia, et a sublimissimo infima. Et sicut sol lucens facit varietatem et multi-

---

[1] Gen. 1, 3. Ibid. in seqq. versibus verba *Dixit Deus* pluries repetuntur. Expositio huius verbi est secundum August., de qua cfr. supra pag. 323, nota 3. et tom. I. pag. 482, nota 4. Ibid. pag. 484, nota 3. sententia August., XI. Confess. c. 7. n. 9. allata est (cfr. supra pag. 87, nota 1.).

[2] Secundum Aristot., I. Topic. c. 14. (c. 16.), unitas et punctus in hoc convenium, quod sint principium; in eo autem differunt, quod punctus sit substantia posita sive certam positionem habens, unitas vero non; cfr. I. Poster. c. 23. (c. 27.) et V. Metaph. text. 12. (IV. c. 6.). Vide tom. I. pag. 447, nota 2. De unitate cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 13. § 2. seq. (cfr. etiam supra pag. 12, nota 8.), et Boeth., I. de Arithmetica c. 7. — Pro *pars essentialis numeri*, quod habent BC, alii codd. *essentialis* numerus.

[3] Vide I. Sent. d. 8. p. 1. a. 2. q. 1. et II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 2. ad 5. et 6.

[4] Cfr. Aristot., IX. Metaph. text. 2. seqq. (VIII. c. 1. seq.).

[5] De hac definitione vide tom. I. pag. 707, nota 5. — De praedicamentis inferius enumeratis cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto* seqq.

[6] Libr. de Vera Religione, c. 36. n. 66: Sed cui saltem illud manifestum est, falsitatem esse, qua id putatur esse quod non est, intelligi, eam esse veritatem, quae ostendit id quod est. At si corpora in tantum *fallunt*, in quantum non implent illud tamen quod conviaeuntur imitari, a quo principio unum est quidquid est... datur intelligi esse aliquid, quod illius unius solius, a quo principio unum est quidquid aliquo modo unum est, ita simile sit, ut hoc omnino impleat ac sit idipsum; et haec est Veritas et Verbum in principio et Verbum Deus apud Deum. Si enim *falsitas ex iis est, quae imitantur unum*, non in quantum id imitantur, sed in quantum implere non possunt; illa est *veritas*, quae id implere potuit et id esse, quod est illud; ipsa est, quae illud ostendit, sicut est; unde et verbum eius et lux eius rectissime dicitur. Cetera illius unius *similia* dici possunt, in quantum sunt etc. Cfr. 83 Qq. q. 23. — Idem ut in Ioan. Evang. tr. 1. n. 13: Qual praeclarius Angelo in creaturis? quid extremius vermiculo in creaturis? Per quem factus est Angelus, per ipsum factus est et vermiculus, sed Angelus dignus caelo, vermiculus terra. Qui creavit, ipse disposuit.

Digitized by Google

formitatem colorum; sic ab illo Verbo est varietas rerum. Unde non contingit intelligere nisi per Verbum. — Et haec est clavis nobilissima animae purgatae per *fidem*, quae est necessaria, quia « mentis nostrae acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur [1] ». Unde omnes, qui non habent hanc fidem, mamum habent amputatam. Unde in Psalmo: *Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* etc.

Fides necessaria.

10. Secunda clavis est intellectus *Verbi incarnati*, per quod omnia reparantur. Unde Lucae ultimo [2]: *Haec sunt verba, quae locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum; quoniam oportet impleri quae scripta sunt in Lege et Prophetis et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Quis loquitur? Verbum Dei, de quo Ioannis primo: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*, ubi ostendit duas naturas in una persona. Sequitur: *Oportet Scripturas impleri de me;* unde ad Romanos [3]: *Finis Legis est Christus ad iustitiam omni credenti.*

Pars II.

Christus reparator.

11. In designationem huius dum Cherubim, *versis vultibus in propitiatorium, mutuo se respiciebant* [4]. Duo Cherubim duo testamenta sunt, quorum aspectus in Christum. *Tunc aperuit illis sensum*, quando intellexerunt Scripturas, id est, per hanc clavem Verbi incarnati liber Scripturae habet intelligi, eo quod est principaliter de operibus reparationis. Nisi enim intelligas ordinem et originem reparationis, Scripturam intelligere non potes. Nomen autem reparatoris est *Verbum Dei*; in Apocalypsi [5]: *Vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocabatur nomen eius Verbum Dei.* — Sed vellem scire, quomodo Verbum Dei ut *Reparator* sit. De hoc Isaias: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius, et vocabitur nomen eius: admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis.*

Praefiguratio per Cherubim.

Nomina sex Reparatoris.

12. Iste reparavit hierarchiam *caelestem* et *subcaelestem*, quae tota corruerat. Ergo necesse fuit, ut tangeret caelum et terram. Iste hierarcha debuit esse *praecelsus, sensatus, Deo acceptus, victoriosus, largiflunus, iustus.*

Quid reparaverit.

Sex proprietates.

13. Debuit primo esse *praecelsus* potentia, qui solus posset salvare. Unde ad Hebraeos [6]: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula;* usque: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen heredilavit.* — Ab ipso enim procedunt *miracula;* et ideo necesse fuit, in ipso ostendi miraculum miraculorum, scilicet multiformitatem naturarum. Habet enim naturam *corpoream*, naturam *spiritualem*, naturam *divinam;* naturam *temporalem, aeviternam, aeternam.* Unde habet ligare infima supremis. In Ecclesiastico [7]: *Vide arcum et benedic qui fecit illum.* Arcus multiformitatem naturarum et colorum habet. Sicut enim sol descendit per decem gradus in horologio Achaz, sic Verbum incarnatum per novem ordines Angelorum usque ad hominem, qui decimus computatur. Hoc est maximum miraculum, ut quod Deus sit homo, primus sit novissimus; et ideo omnia miracula ad hoc miraculum respiciunt; unde omnia clamant: *Hosanna filio David* [8]. — In hoc miraculo fides accipit vires suas. Unde Moyses, postquam minavit *gregem ad interiora deserti*, vidit rubum, qui ardebat et non comburebatur; *vadam*, inquit, *et videbo visionem hanc magnam* etc.; ubi fuit illustratus. *Rubus* spinosa est passibilitas carnis; *flamma*, anima Christi plena luminibus et igne caritatis; *lux*, Divinitas; *lux coniuncta rubo* mediante flamma, Divinitas coniuncta carni mediante spiritu seu anima. Ut ergo possit de mortuis facere vivos, de hominibus filios Dei [9]; necesse est, ut sit *praecelsus;* et hoc est quod dicit *admirabilis.*

Praecelsus.

Facit miracula.

Miraculum miraculorum.

Simile.

Figura in V. T.

14. Item, necesse est, ut hierarcha noster sit *sensatus* iuxta triplicem sapientiam in eo, *innatam* scilicet, sicut fuit Angelis et primo homini, *infusam*, *aeternam*. Per primam *scit* omnia, quae nos possumus per habitum scire; per secundam *comprehendit* gloriose et infinite, quia *sapientiae eius non est numerus* [10]; per tertiam *omnia*. Qui enim reparare debuit totum mundum, necesse erat, ut sciret conditiones totius mundi; unde ad Hebraeos quarto: *Vivus est sermo Dei et efficax;* sequitur: *Omnia nuda et aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.* Unde oportebat, non solum quod esset *potens*, sed etiam quod esset *sensatus.*

De secunda.

Triplex sapientia.

15. Sed si dicas: quae necessitas fuit, ut haberet sapientiam aliam praeter divinam? respondeo: ut *experiri posset;* ad Hebraeos [11]: *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine,*

Obiectio solvitur.

---

[1] August., l. de Trin. c. 2. n. 4. Pro *emundetur* textus originalis *nutrita regeretur*. Cfr. l. Sent. lit. Magistri d. II. c. 1, et ibid. Comment. dub. 2. — Seq. locus est Ps. 118, 5.

[2] Vers. 44. seq. — Seq. locus est Ioan. 1, 14.

[3] Cap. 10, 4.

[4] Exod. 25, 20. Cfr. Itinerarium mentis in Deum, c. 6. n. 4.

[5] Cap. 19, 13. — Seq. locus est Isai. 9, 6.

[6] Cap. 1, 1-4.

[7] Eccli. 43, 12. — De horologio Achaz vide Isai. 38, 8. et IV. Reg. 20, 11.

[8] Matth. 21, 9. — Seq. locus est Exod. 3, 1-3.

[9] Respicitur Ioan. 1, 12: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. — Quomodo Divinitas mediante anima coniungatur carni, exponitur III. Sent. d. 2. a. 3. q. 1.

[10] Psalm. 146, 5. Cfr. supra Quaest. disput. de scientia Christi, q. 7. et III. Sent. d. 14. a. 2. q. 3. et a. 3. q. 1. — Seq. locus est Hebr. 4, 12. et 13. — AD *infinite quasi; sapientiae eius* etc.

[11] Cap. 4, 15. — Subinde respicitur I. Ioan. 2, 1: Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.

Digitized by Google

absque peccato. Iste autem *advocatus* est pro nobis, et *iudicat* contra nos. Iste fuit optimus *consiliarius* et sapientissimus; unde omnes alii sapientes non fuerunt nisi quaedam figurae et simulacra istius sapientis. — Ab isto procedunt *documenta certissima* et praeclara, quibus indigemus erudiri; ideo dicitur *consiliarius.*

Nomen consiliarii. Notandum. Dat documenta.

16. Ad hunc referuntur omnia eloquia sapientiae Scripturae, ut Salomonis et aliorum. Tamen Iudaei accipiunt de Salomone quod de Christo dicitur in Psalmo [1]: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis;* non fuit Salomon talis; et: *Sit nomen eius benedictum in saecula.*

Expositio Iudaeorum reprobatur.

17. Item, hierarcha iste est *Deo acceptus;* quia indigemus sacratissimo *reconciliatore.* Ad Hebraeos [2]: *Talis decebat, ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior caelis factus,* ut esset totus *deiformis;* unde in Ioanne: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis,* propter multitudinem gratiarum. Habuit enim gratiam *singularis personae,* gratiam *capitis,* per quam influit in membra, gratiam *unionis,* et haec est infinita ex una parte. Unde *Deo* fuit *acceptus* non solum, quia *deiformis,* sed quia *Deus.* Quia Deus est, non potest esse non acceptus. Et ideo dicitur *Deus;* et sic ab ipso sunt *exempla sanctissima.* — Unde ubicumque in Scripturis [3] fit mentio de emanationibus, de fluminibus paradisi, de scaturiginibus fontium, ad hunc referuntur.

De tertia. Triplex gratia. Nomen Dei. Dat exempla. Notandum.

18. Item oportet, quod hierarcha sit *victoriosissimus* propter multitudinem triumphi et victoriae. Unde ad Colossenses [4]: *Et vos cum mortui essetis in delictis et praeputio carnis vestrae;* et sequitur: *Expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Vicit enim mundum, spoliavit infernum, restauravit paradisum. Unde in Psalmo: *Attollite portas principes vestras, et elevemini portae aeternales, et introibit Rex gloriae. Quis est iste Rex gloriae? Dominus fortis et potens.* Adhuc volumus audire: *Attollite portas principes vestras. Quis est iste Rex gloriae? Dominus virtutum.* Iste est ergo *fortis.* Unde necesse est, *ut in nomine Iesu omne genuflectatur caelestium, terrestrium et infernorum* [5]. Isaias: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Ego, qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum.* — Et ideo dicitur *fortis.* Ab hoc manant *fortia praesidia.* Unde [6] *montes in circuitu eius.* Unde omnia bella Scripturae referuntur ad victoriam Christi.

Notandum. De quarta. Nomen fortis. Dat praesidia. Notandum.

19. Item oportet, quod hierarcha noster sit *largifluus* propter magnitudinem influentiae. Ad Ephesios [7]: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Sicut enim nubes ascendit in altum, ut postmodum pluat; sic ascendit Christus, ut dona sua daret; cum *elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo.* Primo enim Spiritum sanctum in terra occulte dederat, sed postquam ascendit, tunc manifeste, quia ipse Spiritus sanctus fuit hierarcha *purgans, illuminans, perficiens,* et descendit Spiritus sanctus in hierarchiam caelestem et subcaelestem. Unde *factus est repente de caelo sonus tanquam advenientis Spiritus* [8]. Descendit Spiritus sanctus ut *purgans;* unde dicitur *advenientis Spiritus;* ut *instruens: apparuerunt illis linguae dispertitae tanquam ignis;* in *virtute perficiente: sedit que super singulos eorum.* Ab hoc manant *dona gratuita.* — Quidquid ergo in Scriptura invenitur diffusionis in sole et aliis et conviviis referuntur ad largitionem eius. Unde in Psalmo [9]: *Speciei domus dividere spolia;* et in Isaia: *Laetabuntur coram te, sicut exsultant victores, capta praeda, quando dividunt spolia.* Haec sunt dona largitatis Christi. — Unde dicitur *pater futuri saeculi;* quia ipse est principium influentiarum, per quas vivemus in futuro saeculo; Iacobus [10]: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Sequitur: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius.* Modo sumus *initium* creaturae, sed tunc eramus *simpliciter* creatura.

De quinta. Similis. Spiritus S. hierarcha triplicitur. Dat dona. Notandum. Nomen patris futuri saeculi.

20. Iste est largissimus, quia dat nobis quidquid petimus: *Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo* [11] etc. Iurat et in veritate asserit. Unde in Psalmis: *Aperis tu manum tuam et implex omne animal benedictione;* et: *Homines et iumenta salvabis, Domine. Inebriabuntur ab ubertate domus tuae.*

Ab eo efficacia petitionum.

21. Item, debet esse summe *iustus* propter multitudinem *iustitiae* infallibiliter inquirentis, irreprehensibiliter discutientis, irrevocabiliter sententiantis, ut *retribuat unicuique secundum opera sua.* Isaias [12]:

De sexta. Triplex actus.

---

[1] Psalm. 44, 3. — Seq. locus est Ps. 71, 17.

[2] Cap. 7, 26. — Seq. locus est Ioan. 1, 14. — De triplici gratia Christi, scil. singularis personae etc., cfr. III. Sent. d. 13. per totam.

[3] Cfr. Sup. 7, 25; Gen. 2, 10. seqq. et Eccli. 24, 35-40; Eccli. 1, 5.

[4] Cap. 2, 13. et 15. — Subinde respicitur Ioan. 16, 33: Ego vici mundum; Col. 1, 20. et allegatur Ps. 23, 7. seqq.

[5] Phil. 2, 10. — Seq. locus est Isai. 63, 1.

[6] Psalm. 124, 2.

[7] Cap. 4, 7. seq. — Seq. locus est Hab. 3, 11. secundum septuaginta interpretes; Vulgata: Sol et luna steterunt in habitaculo suo. — Subinde respicitur Ioan. 7. 39: Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.

[8] Act. 2, 2. seq. — De triplici actu hierarchico, scil. purgandi etc., cfr. supra pag. 225, nota 6.

[9] Psalm. 67, 13. — Seq. locus est Isai. 9, 3. Post *coram te* Vulgata addit *sicut qui laetantur in messe.*

[10] Cap. 1, 17. et 18.

[11] Ioan. 16, 23. — Seq. locus est Ps. 144, 16; tertius Ps. 35, 7. et 9.

[12] Cap. 11, 4. et 5. ac 3.

Digitized by Google

Egredietur de radice Iesse, et erit iustitia cingulum lumborum eius; non secundum visionem oculorum iudicabit neque secundum auditum aurium arguet. Ergo talis est Deus, quia, si esset purus homo, non posset iudicare nisi per testes. — Ad istud iudicium referuntur omnia iudicia Scripturae; et ideo dicitur *princeps pacis*. Unde ab eo manant *praemia iusta*. — Iste ergo *David habet clavem, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit* [1]. Et clavis ista est *mysterium unionis*.

Notandum.

Nomen. Dat praemia. Epilogus.

22. Tertia clavis est intellectus *Verbi inspirati*, per quod omnia revelantur; non enim fit revelatio nisi per Verbum inspiratum. Daniel intellexit sermonem. *Intelligentia* enim opus est in visione. Nisi enim verbum sonet in aure cordis, spiraudor luceat in oculo, vapor et emanatio omnipotentis sit in olfactu, suavitas in gustu, sempiternitas impleat animam; non est homo aptus ad intelligendas visiones. Sed *Danieli dedit Deus intelligentiam omnium visionum et somniorum* [2]. Per quid? Per Verbum inspiratum.

Pars III. Intelligentia visionum est a Deo.

23. Visio autem est triplex, ut communiter dicitur [3]: *corporalis, imaginaria, intellectualis*. Duae primae nihil valent sine tertia. Unde parum valuit Balthasari visio corporalis in visione manus, et Nabuchodonosor visio imaginaria statuae aureae, et Pharaoni visio in spicis et bobus, sed Danieli et Ioseph. Ioseph respondet Ioanni, Daniel Paulo.

Visio triplex.

24. Praeter has est visio sextuplex, quae respondet operibus sex dierum; quibus *minor* mundus fit perfectus, sicut *maior* mundus sex diebus [4]. Est visio intelligentiae *per naturam imitatae*, et visio intelligentiae *per fidem sublevatae, per Scripturam eruditae, per contemplationem suspensae, per prophetiam illustratae, per raptum in Deum absorptae*. Ad has sequitur visio septima animae glorificatae, quas omnes habuit Paulus. — Primae duae sunt multorum, duae aliae paucorum, hae ultimae duae paucissimorum [5].

Modi 6 visionis sec. 6 dies creationis.

25. Per primam intelligitur, ad quid potest extendi nostra intelligentia de se. Haec intelligitur per primam diem, in qua *facta est lux* [6]; unde in Psalmo: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Sine isto lumine indito nihil habet homo, nec fidem nec gratiam nec lumen sapientiae; et ideo divisa est etiam lux a tenebris.

De visione prima generatim.

26. Secunda intelligitur per secundam diem, ubi factum est *firmamentum in medio* [7]. Hoc firmamentum est fides et dividit *aquas ab aquis*. Fides est origo sapientiae et origo scientiae, sive sit de aeternis, sive de temporalibus, sive scientia, sive sapientia non discordant a fide.

De secunda.

27. Tertia intelligitur per tertiam diem, ubi congregatae sunt aquae, et apparuit *arida* [8]. *Terra* est Scriptura habens intelligentias spirituales, hierarchias angelicas et divinas, quae mirabiliter expositae a Sanctis pullulant; et in his producitur *herba virens* et *ligna parvulisi*. Caveat tamen quisque a ligno curiositatis *scientiae*.

De tertia.

28. Quarta intelligitur in opere quartae diei, ubi dicitur: *Fiant luminaria* [9], scilicet *sol* et *luna* et *stellae*. Qui non habet contemplationem adhuc non habet ornamentum solis et lunae et stellarum. Apparere autem debet *mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona duodecim stellarum*, ut sit contemplatio *supercaelestis* hierarchiae in *sole*, *subcaelestis* in *luna*, *caelestis* in *stellis*. *Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum* [10], quia in contemplatione *admiratio, dilatatio, abiectio, refectio*; unde: *Comederunt et viderunt Deum Israël*.

De quarta. Triplex contemplatio.

29. Quinta est *per prophetiam illustratae* intelligentiae, adhuc altior praemissis, ut videat contingentia infallibiliter, quod fit quodam visionis modo speciali in speculo aeterno. Certum est enim, quod cum contingens sit mutabile et variabile, quodsi Propheta videt infallibiliter et certitudinaliter, quod non videt nisi in veritate infallibili. — Unde difficile est determinare de istis; et per idem solvitur, sicut de praescientia Dei: hoc videt Propheta futurum: ergo eveniet; hoc videt Deus: ergo eveniet; quia visio Dei non cadit in praeteritum, sed *praesentiam* divinae visionis cum connotato temporali dicit, quod quidem *connotatum* contingens est vel connotatur. — Haec intelligitur in opere quintae diei, in qua facti sunt pisces de aquis et aves [11]. Per pennas enim et multitudinem plumarum et spiritus fertur anima in Deum.

De quinta. Difficultas circa praevisionem. Dies quinta.

30. Sexta est visio intelligentiae *per raptum in Deum absorptae*. Ad Corinthios [12]: *Scio hominem ante annos quatuordecim, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi.*

De sexta.

---

[1] Apoc. 3, 7: Qui habet clavem David, qui aperit etc.

[2] Dan. 1, 17. — Superius respicitur Sap. 7, 25: Vapor est enim [sapientia] virtutis Dei et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera.

[3] Secundum August., XII. de Gen. ad lit. c. 6. n. 15. seqq. Cfr. supra pag. 260, nota 1. — Inferius respicitur Dan. 5, 6. seqq.; ibid. 2, 31. seqq. et Gen. 41, 1. seqq.

[4] Cfr. Breviloq. p. II. c. 2; Itinerarium mentis in Deum, c. 1. n. 5. et c. 7. n. 1; de Reduct. artium ad theologiam, n. 7.

[5] Istae sex visiones sunt argumentum, quod in seqq. collationibus tractatur. De prima agitur in coll. 4-7; de secunda in coll. 8-12; de tertia in coll. 13-19; de quarta in coll. 20-23. Tractatio quintae et sextae visionis deficit ob rationem notatam in additamento ad ultimam.

[6] Gen. 1, 3. — Seq. locus est Ps. 4, 7. — Inferius respicitur Gen. 1, 4: Et divisit lucem a tenebris.

[7] Gen. 1, 6, ubi etiam seq. locus. — Deinde respicitur August., XII. de Trin. c. 4. n. 22, ubi *sapientia* deputatur aeternis, *scientia* temporalibus.

[8] Gen. 1, 9. Ibid. v. 10: Et vocavit Deus aridam, terram. — Subinde respicitur v. 11. (de herba virente) et c. 2, 9. (de lignis paradisi).

[9] Gen. 1, 14. — Seq. locus est Apoc. 12, 1.

[10] Isai. 60, 5. — Seq. locus est Exod. 24, 11: Videruntque Deum et comederunt ac biberunt.

[11] Gen. 1, 20-23. — De praescientia Dei cfr. I. Sent. d. 38. a. 2. q. 1. seq., d. 39. a. 2. q. 3. et d. 40. a. 2. q. 1. seq.

[12] Epist. II. c. 12, 2: Scio hominem in Christo ante etc.

Digitized by Google

Haec enim sublevatio facit animam Deo simillimam, quantum potest in statu viae — nec est idem *ecstasis* et *raptus* — unde, ut dicunt, non habent habitum gloriae, sed actum; et sicut illa visio est in confinio viae et patriae, sic illa est in confinio unionis et separationis a corpore. Ideo dicit Apostolus: *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio.* Unde ergo homo praesumit determinare quod Paulus nescivit? — Huic respondet opus sextae diei: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* quia talis dignus est, ut *praesit volatilibus et piscibus maris et reptilibus*[1]. — Quanto enim quis elevatior, tanto humilior, ut Paulus, qui etiam ad coniugium determinandum descendebat per humilitatem. Unde dicitur in Iob[2]: *Numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila et in arduis ponet nidum suum?* Et sequitur: *Ubicumque fuerit cadaver, statim adest.* Mirabilia primo dixerat de aquila, et postea humilia; sic est de raptu. Ille enim, qui in raptu fuit maior, magis est humilis. Et sic necesse est, quia, si superbiret, posset amittere gratiam et cadere *in reprobum sensum;* et vix unquam surgeret, quia quanto magis novit, tanto magis sciret solvere omnia, quae dicerentur sibi; et ideo non sine causa datus fuit Apostolo *stimulus carnis, ne magnitudo*, inquit, *revelationum extollat me.* — Ille, inquam, qui ad illum statum pervenit, potest alios ordinare et regere, ut Paulus[3] fecit, et Dionysius, qui ordinavit Ecclesiam secundum exemplar, quod sibi monstrabatur.

Differunt ecstasis et raptus. Notandum. Dies sexta. Necessaria humilitas. Notandum.

31. Septimus dies est absolutio a corpore; *hodie mecum eris in paradiso*[4]; qui dies non habet vesperam. — Et post sequitur octava dies, qui non est alius a praecedentibus, sed est reiteratio primae diei, quando anima resumet corpus suum.

De septima et octava.

32. Haec est ergo *clavis David*, quae docet *Verbum inspiratum;* illud Verbum, quod *est in sinu Patris*[5] increatum, incarnatum in *utero Virginis*, inspiratum in *corde tuo* per fidem; illabitur mentes angelicas et humanas, intrans in eis facit intelligere has visiones, quia est intellectus et spiritus purus; sed alio et alio modo, quia sunt maiores profundationes, secundum quod anima intime inducitur in se. Et hoc fit per divinum radium, ut dicit Dionysius de Angelica Hierarchia[6]: « Ergo Iesum, inquit, invocantes, qui est paternum lumen » etc.; et sicut dicit Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia, « lex Divinitatis est infima per media ad suprema reducere ». Ille thearchicus radius, descendens in caelestem hierarchiam, illam illuminat et per illam ecclesiasticam sive subcaelestem. — Totum tamen facit ille radius, quia Angeli ibi nihil faciunt nisi occasionaliter; sicut, si quis vellet, quod radius illuminaret multas domus, aperiret fenestras, et tunc radius omnes domus illuminaret[7]; et sicut, si quis praepararet multa specula ad recipiendum lumen. Deinde ordine resolutorio ille radius nos reducit in contemplationem caelestium et deinde supercaelestium.

Epilogus. Spiritus per divinum radium dat intellectum harum visionum. Notandum.

COLLATIO IV.

De visione prima, quae est intelligentiae per naturam inditae, tractatio prima.

Summarium. — *Introductio; de novem scientiis philosophorum; lux animae veritas*, 1. — *Tres radii primi huius lucis, scilicet veritas rerum, signorum, morum*, 2. — *Triplicis huius veritatis triplex consideratio confirmat hanc divisionem*, 3-5. — Pars I. De primo radio intelligentiae per naturam inditae, qui versatur circa veritatem rerum. *Mundus consideratur tripliciter: a philosopho quoad rerum essentiam, a mathematico quoad figuram, a naturali quoad naturam*, 6. — *Consideratio philosophi fit sex modis; unde sex lumina*, 7. — *De singulis in specie*, 8-13. — *Consideratio mathematici; ipsa dividitur secundum sex obiecta in sex scientias*, 14. 15. — *Hae disponunt ad theologiam*, 16. — *Consideratio naturalis; libri Aristotelis de scientia naturali*, 17. — Pars II. De se-

---

[1] Gen. 1, 26. — Inferius respicitur II. Cor. 12, 7: Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis etc.

[2] Cap. 39, 27. et 30. — Subinde respicitur Rom. 1, 28: Tradidit illos Deus in reprobum sensum; et allegatur II. Cor. 12, 7.

[3] Cfr. Gal. 1. et 2; de Dionys. cfr. ipsius lib. de Ecclesiast. Hierarch.

[4] Luc. 23, 43. — De septima et octava die cfr. supra pag. 203, nota 8.

[5] Ioan. 1, 18. — Superius respicitur Apoc. 3, 7. (de clave David).

[6] Cap. 1, § 2. — Seq. locus est de Ecclesiast. Hierarch. c. 5. § 4. Cfr. supra pag. 226, nota 9.

[7] Secundum August., Enarrat. in Ps. 118, serm. 18. n. 4. Vide II. Sent. d. 10. a. 2. q. 2.

Digitized by Google

cundo radio eiusdem intelligentiae, qui versatur circa veritatem signorum seu vocum. *Dividitur in grammaticam, logicam et rhetoricam*, 18. — *De obiecto et divisione grammaticae*, 19. — *De obiecto et divisione logicae*, 20. — *De obiecto et divisione rhetoricae*, 21-25.

Introductio.

1. *Vidit Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem a tenebris*[1] etc. In omnibus operibus sex dierum praeterquam secundae dictum est: *Vidit Deus, quod esset bonum;* et in fine[2] dicit: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.*

De 1. visione.

Videre dicitur Deus, quia videre nos facit. Prima visio animae est intelligentiae *per naturam inditae*. Unde dicit Psalmus[3]: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et hic possent explicari omnes difficultates philosophiae. Philosophi dederunt novem scientias et polliciti sunt dare decimam, scilicet contemplationem. Sed multi philosophi, dum se voluerunt dividere a tenebris erroris, magnis erroribus se immiscuerunt; *dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt*[4]; superbientes de sua scientia, luciferiani facti. Apud Aegyptios densissimae tenebrae erant, sed Sanctis tuis maxima erat lux. Omnes, qui fuerunt in lege naturae, ut Patriarchae, Prophetae, philosophi, filii lucis fuerunt. — Lux animae *veritas est*; haec lux nescit occasum. Ita enim fortiter irradiat super animam, ut etiam non possit cogitari non esse nec exprimi, quin homo sibi contradicat: quia, si veritas non est, verum est, veritatem non esse: ergo aliquid est verum; et si aliquid est verum, verum est, veritatem esse: ergo si veritas non est, veritas est. *Super omnia enim praevalet veritas*, ut dicitur in Esdra[5].

Novem scientiae philosophorum, decima promissa.

Simile.

Veritas lux animae.

2. Emittit autem haec lux tres radios primos; unde in Ecclesiastico[6]: *Tripliciter sol exureus montes.* Est enim veritas *rerum*, veritas *signorum* seu vocum et veritas *morum*. Veritas *rerum* est indivisio entis et *esse*, veritas *sermonum* est adaequatio vocis et intellectus, veritas *morum* est rectitudo vivendi. Et istae sunt tres partes philosophiae, quas philosophi non invenerunt, ut essent; sed quia iam secundum veritatem essent, in anima adverterunt, secundum Augustinum[7].

Tresradii, triplex veritas, tres partes philosophiae.

3. Haec triplex veritas consideratur ex parte *principii originantis*, ex parte *subiecti suscipientis* et ex parte *obiecti terminantis*. Respicit autem *originans principium* in ratione triplicis causae: *originantis*, *exemplantis* et *terminantis*; nam *ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia*[8]. Ergo veritas indicat, quod mens nostra fertur naturali inclinatione ad Veritatem, secundum quod est « *causa essendi, ratio intelligendi* et *ordo vivendi* »: secundum *causam essendi*, veritas *rerum*; secundum *rationem intelligendi*, veritas *vocum*; secundum *ordinem vivendi*, veritas *morum*.

Dictum haec confirmatur tripliciter.

Ex parte principii triplicitor.

4. Ex parte autem *animae* omnis irradiatio veritatis super intelligentiam nostram fit tripliciter: aut fit super ipsam *absolute*, et sic pertinet ad notitiam rerum speculandarum; aut in *comparatione ad interpretativam*, et sic est veritas *vocum*; aut in *comparatione ad affectivam* et *motivam*, et sic est veritas *operabilium*.

Ex parte subiecti tripliciter.

5. Ex parte *obiecti* sic. Omne, quod est, aut est a *natura*, aut a *ratione*, aut a *voluntate*. Secundum primam est notitia, quae est de *rebus*, secundo modo de *sermonibus*, tertio modo de *moribus*. — Ergo secundum *principium*, *subiectum* et *obiectum* est triplex radius veritatis in anima, per quem anima possit elevari ad perpetua, et etiam ad causam omnium; sed si ablatur condimentum *fidei*, tunc facilius; ut *causa essendi* attribuatur Patri, *ratio intelligendi* Filio, *ordo vivendi* Spiritui sancto.

Ex parte obiecti tripliciter.

Conclusio.

Secundum.

6. Visio ergo intelligentiae *per naturam inditae*, ut convertitur ad *res*, est *veritas*. Vult autem anima totum mundum describi in se[9]. Mundus consideratur tripliciter: quantum ad *essentiam*, *figuram*

Pars I. De I radio.

---

[1] Gen. 1, 4.

[2] Gen. 1, 31. — August., XVI. de Civ. Dei, c. 5: Nec [Deus] *videndo* discit ad tempus, qui nunquam potest aliquid ignorare; sed ad tempus *videre* et cognoscere dicitur, quod videri et cognosci facit. Cfr. ibid. XXII. c. 2. et I. de Gen. contra Manich. c. 22. n. 34, ubi similes locutiones S. Scripturae eodem modo exponit ac addit: Talibus locutionibus etiam abundat nostra consuetudo, cum dicimus *laetum diem*, quia nos laetos facit etc. Vide tom. III. pag. 528, nota 5.

[3] Psalm. 4, 7. — *Novem* scientiae philosophorum, quae resultant ex subdivisione trium principiorum (rationalis, naturalis et moralis) in collat. 3. planius exhibentur; cfr. etiam opusc. de Reductione artium ad theologiam, n. 4.

[4] Rom. 1, 22. — Subinde respicitur Exod. 10, 22. seq. — Inferius respicitur quod in Praeconio paschali *Exsultet* (cfr. Missale Roman. pro die Sabbati sancti) de Christo, vero lucifero, dicitur: Qui nescit occasum.

[5] Libr. III. c. 4, 41: Magna est veritas et praevalet. — Praevelens argumentatio (si veritas non est, veritas est) est secundum August. et Anselm.; cfr. supra pag. 47, nota 11.

[6] Cap. 43, 4. — Prima veritatis definitio inferius posita, secundum quam ens est verum, si est id quod ex suo conceptu esse debet, et respectu cuius Aristot. (in fine II. Periherm.) docet, eam propositionem esse veriorem, quae enuntiat de re illud quod ipsa secundum se est, v. g. bonum est bonum, ab Avicenna, Metaph. tr. 8. c. 6. his verbis tangitur: Veritas uniuscuiusque rei est proprietas sui *esse*, quod stabilitum est ei. Vide IV. Sent. d. 14. p. II. a. 1. q. 4. in corp. De secunda cfr. tom. I. pag. 707, nota 5.

[7] Libr. XI. de Civ. Dei, c. 25: Quantum intelligi datur, hinc philosophi sapientiae disciplinam triportitam esse voluerunt, immo tripartitam esse animadvertere potuerunt: neque enim ipsi instituerunt, ut ita esset, sed ita esse potius invenerunt; cuius una pars appellaretur physica, altera logica, tertia ethica.

[8] Rom. 11, 36. — De seq. sententia Platonis secundum August. cfr. supra pag. 19, nota 7.

[9] Sub quo respectu Aristot., III. de Anima, text. 37. (c. 8.), ait: Anima entia quodam modo est omnia.

Digitized by Google

Est circa hoc. et *naturam*. Iste autem radius dirigit ad quidditatum *differentias occultas* considerandas, ad figurarum *proportiones manifestas*, ad naturarum *proprietates ex utroque permixtas*. Naturalis permixta est consideratio, quia modo de *causis*, quae sunt occultae, ut quare ignis calidus, quare haec herba calida, quia hoc habent a specie sua, quae occulta est; modo de *qualitate*, item de *quantitate* et *influentia* corporum, quae aliquando patent, aliquando latent.

Sex differentiae quidditatum. 7. Secundum *quidditatum differentias occultas* fit divisio sex modis ad praesens: in *substantiam* et *accidens*, in *universale* et *particulare*, in *potentiam* et *actum*, in *unum* et *multa*, in *simplex* et *compositum*, in *causam* et in *causatum*. Haec sunt sex lumina, quae disponunt animam ad sciendum et bene sentiendum. Sex lumina.

De prima divisione. Error. 8. Divisio *substantiae* et *accidentis* patet [1]; sed quaedam sunt, quae reducuntur ad ista, et in his est maximus error. Dicit ille: creatio non est. Quare? Quia impossibile est, *accidens* praecedere *substantiam*; creatio autem accidens est: ergo etc. Dico, quod creatio, quae est *passio*, accidens non est, quia relatio creaturae ad Creatorem non est accidentalis, sed essentialis. Similiter, *potentia materiae* non est accidens materiae, sed essentialis, quia « hoc ipso, quod est, ad alterum est [2] ». Similiter *differentiae* ad genus reducuntur, ut merae privationes ad suos habitus.

De secunda et errore. 9. Secunda divisio est in *universale* et *particulare*; et circa hoc est magnus error. Aliqui dicunt, quod universale *nihil* est nisi in anima; Plato posuit, quod esset solum *in Deo*; alii, quod solum *in anima* [3]. Isti nimis abstrahunt. — Dico ergo, quod est universale unum *ad multa*, unum *in multis*, unum *praeter multa*. Unum *ad multa* est in potentia *materiae*, quod non est completum; unum *in multis*, ut natura communis in suis particularibus; et unum *praeter multa* in anima. Unum autem ad multa et unum in multis et unum praeter multa in arte aeterna sunt; per illam enim artem et rationem consistit in re. Planum est enim, quod duo homines assimilantur, et non homo et asinus: ergo necesse est, ut illa similitudo fundetur et stabiliatur in aliqua forma stabili, non quae est in *altero*, quia illa est *particularis*: ergo in aliqua *universali* [4]. Ratio autem *universalis* non est tota in *anima*, sed in *re* secundum processum generis ad speciem, ut, communicamus primo in *substantia* ut in generalissimo, deinde in *aliis* usque ad formam hominis ultimatam. Triplex universale.

De tertia et errore. 10. Tertia divisio est *potentiae* et *actus* [5]; et hic sunt multi errores. Dicunt quidam, quod *actus* nihil addit super potentiam nisi *modum essendi* secundum *completum* et *incompletum*. Non loquimur hic de potentia pure passiva, sed de illa quae procedit ad actum. Necesse est enim, cum in omni creatura potentia activa sit coniuncta potentiae passivae, quod illae duae potentiae fundentur super *diversa principia* rei [6]. De *potentia*, quae est ratio *seminalis*, haec est vis: quia potentia talis super actum *aliquando* addit *partem essendi*, vel essentiae, ut, super rationem *corporis* addit *animatum* secundum *rem*, pro eo quod animatio aliquid est, ordinatum tamen ad *sensibile*; et super *animatum* addit *sen-* Duo diversa principia creaturae. Potentia rationis seminalis describitur. Primo.

---

[1] Cfr. Aristot., IV. Metaph. text. 2. et VII. text. 1. seqq. (III. c. 2. et VI. c. 1.).

[2] Secundum Aristot., II. Phys. text. 26. (c. 2.). Cfr. tom. I. pag. 453, nota 6. B: *hoc ipsum quod est* etc. — De praecedente obiectione (creationis) vide II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1. ad 6. — De reductione differentiarum ad genus notandum, quod differentiae secundum Porphyr., de Praedicab. c. *de Communitatibus et differentiis generis et differentiae*, in genere non contineantur *actu*, sed *potestate* sive indeterminate, et quod genus prius sit differentiis. De privatione et habitu cfr. supra pag. 304, nota 3.

[3] Primus error est Nominalium (Epicuri et Roscelini) vel potius Conceptualistarum (Abaelardi); secundus Platonicorum (cfr. supra pag. 321, nota 4.), et tertius eorum qui contendebant, universale formari per abstractionem a rebus, et existere solum in anima, sed non in Deo. Aristot., I. de Anima, text. 8. (c. 1.): Annual autem universale aut nihil est, aut posterius [re, de qua praedicatur]. Cfr. infra coll. 6. n. 2. — Duobus membris posterioribus in propos. paulo inferius positis, scil. unum in multis et unum praeter multa, utitur Aristot., II. Poster. c. 18. (c. 15.) et VII. Metaph. text. 45. (VI. c. 13.). Aliis verbis eandem rem B. Albert., de Sex Principiis, c. 2, explicat: Est enim universale, quod est *ante rem*, et hoc est causa rei per se, vel per accidens; et est universale, quod est *in re*, et hoc est substantia rei vel accidentis inclinati ad substantiam; et est universale, quod est *post rem*, et hoc est universale a re ipsa per intellectum separatum etc. Cfr. ipsius Comment. in V. Metaph. tr. 6. c. 5, ubi eandem distinctionem adhibet, primum tamen membrum (*ante rem*) sub duplici respectu considerans: *Ante rem* autem dicitur universale dupliciter: cum enim omnia... sint in intellectu primae causae, sicut in formali et primo lumine, et ipsa sit hoc modo forma omnium, quae tamen sunt in ipsa vita et lux, eo quod haec est vita quaedam existentibus omnibus et est *lumen omnis notitiae et rationis omnium*... Alio autem modo dicunt universale *ante rem*, non tempore, sed substantia et ratione; et haec est forma aut causa formalis accepta, constituens *esse* rei; actus enim talis formae et proprius effectus est esse in omni eo, quod est; hoc autem cum indifferens sit in omnibus, quae sunt eiusdem speciei vel formae, et quantum est de se sic indivisum, habet unam ad omnia vel multa relationem, et sic accipit universalitatis quandam naturam et rationem. Universale autem, quod dicunt esse *in re*, est eadem forma participata a multis actu vel potentia etc. — De potentia materiae cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 3.

[4] Cfr. supra pag. 10, nota 8. et pag. 11, nota 1.

[5] Vide Aristot., IX. (VIII.) Metaph. per totum.

[6] Cfr. infra n. 12; supra collat. 2. n. 24. et II. Sent. d. 3. p. 1. a. 1. q. 1. fundam. 2. — De ratione seminali vide II. Sent. d. 18. a. 1. q. 3, ubi ostenditur, quod ratio seminalis sit forma partis essentiae indifferens ad multa sive « forma existens secundum *esse* incompletum in materia et indifferens et possibilis ad multa producenda ». Ibid. in prima opinione videtur etiam error superius positus tangi. — In seq. propositione codd. corruptas exhibent lectiones; sic A D E legunt: *pro eo quod animatio non est aliquid, ordinatum tamen ad id, ut super animatum addit sensibile, ordinatum tamen ad sensibile, et sic* etc. Pro *ordinatum tamen ad sensibile* B et Vat. *organizatum tamen addit*.

Digitized by Google

sibile, et sic usque ad hominem. Sic similiter de *potentiis* animae, quod sicut tetragonus addit unum angulum ad trigonum, et pentagonus ad tetragonum; sic *sensitivum* ad vegetativum, et *rationale* ad sensitivum [1]. — *Aliquando* autem addit solum *modum essendi*, ut, si de uno in potentia fiat unum in actu, addit solum *modum essendi*, quia unum non coniungitur materiae simpliciter, sed materiae habenti vitam in potentia radicali. — Unde insanum est dicere, quod ultima forma addatur materiae primae sine aliquo, quod sit dispositio vel in potentia ad illam, vel nulla forma interiecta.

Secunda. Contra unitatem formae.

11. Quarta divisio est in *unum* et *multa*, et de illa multi sunt errores. Quidam dixerunt, quod omnia sint unum; ut, sicut una est materia, ita una forma radicalis, et postmodum multiplicatur secundum *modum essendi* et variatur [2]. Et hoc nihil aliud est dicere, quam quod illa propositio: homo est asinus, sit vera *per se*, falsa *per accidens*. Unde intellige, quod *rationale* et *irrationale* non solum differunt *per accidens*, sed etiam *essentialiter*.

De quarta et errore.

12. Quinta divisio est in *simplex* et *compositum*; et hic etiam sunt multi errores, ut dicere, quod aliqua creatura sit simplex; quia tunc esset purus actus, quod est solius Dei; et attribuere quod est Dei creaturae periculosum est. Minus ergo est periculosum dicere, quod Angelus sit *compositus*, etiam si verum non sit, quam quod sit *simplex*; quia hoc ego attribuo Angelo, nolens ei attribuere quod est Dei, propter pietatem, quam habeo ad reverentiam Dei. Sed secundum veritatem sic videtur, quia dicit Boethius [3]: « Forma subiectum esse non potest »: ergo Angelo nihil *accideret* tunc, nec laetitia nec tristitia.

De quinta et errore. Solus Deus simplex.

13. Sexta divisio est in *causam* et *causatum*; et hic sunt multi errores. Quidam enim dicunt, mundum ab aeterno fuisse. In hoc conveniunt sapientes, quod non possit aliquid fieri de nihilo [4] et sic ab aeterno; quia necesse est, quod sicut, quando res cedit in nihilum, esse desinit; sic, quando fit de nihilo, incipit esse. Sed aliqui videntur posuisse materiam ingenitam; et sic sequitur, quod Deus *nihil facit*: quia *materiam* non facit, quia ingenita; nec *formam*, quia aut fit de aliquo, aut de nihilo; non de *materia*, quia essentia formae non potest fieri de essentia materiae; nec de *nihilo*, ut supponunt, eo quod Deus nihil potest facere de nihilo. Sed absit, quod potentia Dei fulciatur fundamentis materiae. — Haec igitur sunt fundamenta fidei, quae omnia examinat.

De sexta et errore. Contra aeternitatem mundi.

Epilogus.

14. Secunda irradiatio intelligentiae *per naturam inditae* est ad considerandas *quantitatum proportiones manifestas*; et istae sunt valde manifestae, quia offerunt se sensui; et libenter homo negotiatur circa ista, quia cadunt in imaginatione; et imaginatio est fortis in nobis, et ratio obscuratur: et ideo homo multum in his detinetur. Ista scientia certissima est [5], quia ad oculum patet. Unde omnes aliae scientiae praeter istam quasi sunt *occultae*.

Consideratio mathematici circa figuram.

15. Haec consideratio mathematica est circa sex: aut circa numeros in sua puritate, et sic est *arithmetica*; aut circa numeros, ut considerantur in sonis, et sic *musica*; aut in quantitate continua et circa proportiones dimensivas generaliter, et sic *geometria*; aut per additionem de linea visuali, et sic *perspectiva*; aut secundum quantitatem utramque et secundum discretionem numerales et substantiales, vel continuas et discretas, et sic *astrologia*, et illa est duplex: una de corporibus regulatis per motum, et sic *astronomia*; alia de influentia, et haec partim est *secura* et partim *periculosa*, et haec est *astrologia*. Periculosa est propter iudicia, quae sequuntur; et ab hac fluit geomantia, vel nigromantia et ceterae species divinationis [6].

Est circa sex. Astrologia duplex.

16. Hae scientiae disponunt ad intelligentiam Scripturae, ut patet de numeris *perfectis*, *diminuto*, *excrescente*; ut patet de perfectione senarii, qui de se perfectus est. « Non enim, ut dicit Augustinus [7], senarius ideo perfectus est, quia in eo numero Deus fecit mundum; sed ideo fecit mundum in illo numero, quia perfectus est ». Similiter de duobus numeris *cubicis* primis, scilicet 8 et 27, quia bis duo bis sunt 8; ter tria ter sunt 27, qui ligari non

Utilitas eorum. De numeris.

---

[1] Aristot., II. de Anima, text. 31. (c. 3.): Similiter autem se habent ei quod est de figuris et quae circa animam sunt; semper enim in eo quod est consequenter, est potentia quod prius est, et in figuris et in animatis; ut in quadrato quidem triangulus est, in sensitivo autem vegetativum.

[2] Cfr. Aristot., I. Phys. text. 13. seqq. (c. 2. seqq.). — Est error pantheistarum, si Deus confundatur aut cum hac forma, aut cum materia; primum fecit in medio aevo Almaricus de Bene, docens, Deum esse principium formale omnium rerum, alterum praestitit David de Dinando, contendens, Deum esse materiam primam. Cfr. S. Thom., Sum. p. I. q. 3. a. 8.

[3] Libr. de Trin. c. 2: Formae vero subsectae [accidentibus] esse non possunt... Forma vero, quae est sine materia, non poterit esse subiectum. Cfr. supra n. 10. — Post *forma* Vat. addit *simplex*, B *nullius*.

[4] Sufficiat adduxisse verba Averrois in III. de Caelo et mundo, text. 25: Omnes antiqui conveniunt in hoc, quoniam impossibile est, ut ponatur factus [mundus] ex rebus non entibus, nisi esset possibile, ut *non-esse* ipsius transmutaretur in *esse*, quod est impossibile. Cfr. Destruct. destruct. disput. I. Aristot., I. Phys. text. 33. seq. (c. 4.) refert, communem naturalium opinionem fuisse, quod ex nihilo nihil possit fieri (ipse huic opinioni in tantum non consentit, quod contendit *formam* fieri ex *nihilo sui*, sed non ex *nihilo subiecti*, quia potentia continetur in materia). — De duplici errore, cuius hic mentio fit, cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 1. q. 1. et 2. et d. 7. p. II. a. 2. q. 1.

[5] Cfr. Aristot., II. Metaph. text. 16. (I. brevior, c. 3.).

[6] Cfr. Aristot., II. Physic. text. 20. (c. 2.), et Hug. de S. Vict., II. Erudit. didascal. c. 7. seqq. et VI. c. 15.

[7] Libr. IV. de Gen. ad lit. c. 7. n. 14. Ibid. c. 2. n. 2. seqq. plura de numeris perfectis etc. proponuntur; cfr. etiam I. Sent. d. 2. q. 4. scholion. Boeth., I. de Arithmet. c. 24: Superparticularis vero [numerus] est numerus ad alterum comparatus, quoties habet in se *totum* minorem et partem eius aliquam; qui si minoris habeat *medietatem*, vocatur *sesquialter* etc.

Digitized by Google

possunt minus quam per duos numeros, scilicet 12 et 18. Sic enim se habent 12 ad 18, ut 18 ad 27, quia in sexquialtera proportione, quae tenet totum et eius medietatem. — Similiter patet de triangulo, quomodo ducit in cognitionem Trinitatis. Certum est enim, quod quantus est Filius, tantus est Pater; et quantus est Pater, tantus est Spiritus sanctus et Filius. Et inde triangulum considera, quod quilibet angulus totam superficiem includit. — Similiter in *perspectiva* de radio *directo*, qui fortior est, sicut, si tu proiicias lapidem directe deorsum, magnum sonum facit; si autem ex obliquo, non tantum. *Reflexus* radius est a corpore terso et polito virtute tersionis, et ibi accipit speciem; radius *fractus* est in introitu alterius perspicui [1].

De figura.

De perspectiva.

17. Tertia irradiatio intelligentiae *per naturam inditae* est ad investigandum *naturarum permixtas proprietates*, scilicet partim occultas et partim manifestas. Philosophus enim considerat omnia per motum; considerat enim de motu, de principiis motus et causis, ut locus et tempus [2]; considerat autem naturas corporum caelestium, sive corpora aetheralia, meteoricalia; elementaria, vegetabilia, sensibilia, rationabilia. — *Caelestia*, in libro de Caelo et mundo, ubi reducit omnem motum ad motum perfectum, scilicet localem [3]; iste autem localis est triplex: aut *circa medium*, ubi non est contrarietas, et sic *circularis*; aut *a medio*, et sic est *levium* motus; aut *ad medium*, et sic motus *gravium*, sive motus *rectus*. *Meteorica*, ut in libro Meteororum, ubi dicit de impressionibus et mineralibus. — Si de *elementaribus*, sic in libro de Generatione et corruptione. Si de *vegetabilibus*, sic in libro de Plantis, ubi sunt mirabiles considerationes. — Si autem de *sensibilibus*, sic in libro de Animalibus, quem totum non habemus; aut de *rationalibus*, ut in libro de Anima cum suis appendicibus, scilicet de Sensu et sensato, et de Memoria et reminiscentia, de Spiritu et anima [4], de Somno et vigilia, de Morte et vita.

Considerata naturalis circa naturarum proprietates.

Libri Aristotelis.

18. Secundus radius veritatis informat ad consideratione*m locutionum, argumentationum, persuasionum* rationalium, ut homo habeat artem per eum ad *locutiones* congrue indicantes mentis conceptus, ad *argumentationes* trahentes omnis mentis assensus, ad *persuasiones* inclinantes mentis affectus. Ratio enim cogitat facere quidquid in se est in alio, et quidquid est in alio facere in se; hoc autem non fit nisi per *sermonem* [5]. Quidquid ergo est in anima aut est per modum *conceptus*, aut per modum *assensus*, aut per modum *affectus*. Ad indicandum *conceptum* est *grammatica*; ad inducendum *assensum* est *logica*; ad inclinandum affectum *rhetorica*.

Part II. De secundo radio s. e. de veritate vocum. Est triplex.

19. Secundum grammaticum omnis pars orationis significat mentis conceptum. Habet enim partem significantem substantiam et qualitatem, et sic est *nomen*; habet partem significantem modum, et sic est *verbum*, quod dicit inclinationes, scilicet *indicativus*, ut in rationali; *imperativus*, ut in irascibili; *optativus*, ut in concupiscibili; *subiunctivus*, partem utramque; *infinitivus*, quasi materialis. Et ad has differentias omnes reducuntur secundum Priscianum [6]. — Similiter determinat de *littera*, *syllaba*, *dictione*, *oratione*. Quia enim varii sunt modi significandi et terminandi secundum diversas linguas — ut terminatum in *a*, feminini generis ut in pluribus, in *us*, masculini generis, et sic de aliis — de littera determinat; sed ad hanc non potest descendere nisi per *syllabam*. — Ultimo considerat de connexione dictionum. Determinat similiter de prosodia et dyasynthetica. Exprimit autem omnia per octo partes orationis. Ad litteram ergo descendit per syllabam, sed postea de prosodia et metrica, et huiusmodi referuntur ad primum. Considerat similiter modos et accidentia, ut quod nominativus construatur cum verbo singularis numeri, ut non dicatur: homo currunt, quia ab una substantia non egreditur nisi actus unus; similiter, ut post verbum transitivum non ponatur nominativus, sed accusativus, qui dicit terminum, non principium actus, ut nominativus. — Unde grammatica *a rebus* naturam trahit, nec potest esse bonus grammaticus, nisi sciat res.

Primo, de grammatica.

20. Alia directio est, quae illustrat ad *argumentationes* inducentes mentis assensum, quod fit per solidam argumentationem, ut, « quaecumque uni et eidem sunt eadem, necessario inter se sunt eadem [7] ». Haec argumentatio habet formam generalem et specialem in materia necessaria, solida; et ideo est *prima* analysis et *secunda* analysis de syllogismo simpliciter. De syllogismo *necessario*, id est resolutorio in causam *inferendi*, ut in *prima* ana-

Secundo, de logica.

---

[1] Triplici radio respondet triplex amor: *divinus*, *utilis*, *socialis* (cfr. Iohn. a S. Geminiano, Sum. de exemplis, l. c. 4.).

[2] Et hoc facit Aristot. in libr. Phys. (cfr. III. text. 1. seqq.).

[3] Libr. I. de Caelo et mundo, text. 3. seq. et 17. (c. 2. et 3.).

[4] Sub hoc titulo nullus inter opera Aristot. exstat liber; nam post librum de Memoria et reminiscentia recensentur seqq.: de Somno et vigilia; de Somniis; de Divinatione per somnum; de Longitudine et brevitate vitae; de Iuventute et senectute, vita et morte, et respiratione (forsitan ultima pars huius libri, quae est de *respiratione* respicitur verbis *de Spiritu et anima*).

[5] Cfr. supra pag. 333, nota 7.

[6] Grammat. libr. II. c. 5, ubi *nomen* describit: Nomen quasi notamen, quod hoc nomine notamus unuscuiusque substantiae qualitatem (cfr. tom. I. pag. 390, nota 6.). Libr. VIII. c. 12. proponit quinque praedictas inclinationes verbi: Modi [verbi] sunt diversae inclinationes animi, varios eius affectus demonstrantes. Sunt autem quinque: indicativus sive definitivus, imperativus, optativus, subiunctivus, infinitivus etc. — In seqq. datur summa librorum Prisciani. Nomine *dyasynthetica* (syntaxis) significatur pars grammaticae docens componere dictiones ad invicem congrue et evitare orationes incongruas.

[7] Aristot., l. Elench. c. 5. (c. 6.). — Subinde respiciuntur opera Aristot., quae de *logica* tractant, scil. duo opera *Analyticorum*, in quibus continentur duo libri Analyticorum sive resolutoriorum *priorum*, et duo libri Analyticorum *posteriorum*; libri octo *Topicorum*; libri duo *Elenchorum* (sophisticorum); liber de *decem Praedicamentis* et libri duo de *Interpretatione* (enuntiatione, Perihermeneias).

Digitized by Google

lysi, id est resolutione, et in *secunda* analysi, id est resolutione in causam *inferendi et essendi*. — Et quia semper non potest esse inductio per necessariam argumentationem, ideo inveniuntur *loci* et habitudo localis, quae procedit per *probabilia*, ut *loci topici*; et quia in his cadit deceptio, adduntur *loci sophistici*, ut sciat homo dissolvere. Unde dissolvens non est sophisticus, sed verus respondens. Et quia isti modi trahunt originem a natura rerum — ut patet: fumus est: ergo ignis fuit [1]; locus ab effectu — ideo adduntur *decem praedicamenta*, adduntur etiam *commutationes*.

21. Tertia irradiatio est, qua mens illustratur ad *persuadendum* vel inclinandum animum; hoc fit per *rhetoricam* [2]. Unde rhetor oportet quod provideat civili utilitati, ubi potest esse periculum propter dissensionem animorum. Procedit autem secundum tria attributa et triplex genus causae, scilicet *demonstrativum* et *deliberativum* et *iudiciale*. Tertio, de rhetorica. Triplex genus causae.

22. *Demonstrativum personae*, ut ad laudem, vel vituperium: ergo vel est laus quantum ad bona *animae*, quae sunt tria, scilicet virtus, scientia, veritas; vel est laus quantum ad *corpus*, scilicet pulcritudo, fortitudo etc.; vel de bonis *fortunae*, ut divitiae, parentela, patria. De demonstrativo.

23. *Deliberativum* est respectu *rei faciendae*, et tunc persuadetur, si adest *securitas*, *utilitas*, *honestas*; vel persuadetur non fieri, si sequitur *damnum*, *periculum*, *inhonestas*. De deliberativo.

24. Genus *iudiciale* respondet *rei factae*, quae habet *constitutionem*, *coniecturam*, *dubitationem* legitimam. *Iuridicialis* [3] *constitutio* est: « Feristi? Non feci »; quae apud alios *litis contestatio* vocatur. *Coniecturalis*, cum aliquid adducitur ad probandum. Legitima *dubitatio* iuridicialis est descriptio iuridicialis, quando factum conceditur; sed defendit se, quod non sit reus, vel quia potuit facere de mandato domini, vel quia debuit. De iudiciali.

25. Ad hoc autem, quod sit potens orator, necesse est, ut habeat *exordium* ad captandam benevolentiam non nimis prolixum, non obscurum, non exquisitum; quod habeat *narrationem*, ut factum narret; postea, ut negotium *distinguat*; et caveat multitudinem partium. Postea partem suam *confirmet* per rationes; postea adversarium *confutet* et rationes eius ostendat frivolas; postea *concludat*. Item, necesse est, ut habeat *inventionem*, *dispositionem*, *elocutionem*, *memoriam* et *pronuntiationem*. Alia praetanda ab oratore.

COLLATIO V.

De prima visione tractatio secunda, quae est de tertio radio sive de veritate *morum*, et de sapientia contemplationis.

SUMMARIUM. — *Introductio; repetitio praecedentis coll.; divisio tertii radii, qui est de veritate* morum *et illustrat ad trin comprehendenda*, 1. — Pars I. De comprehensione modestiarum quoad exercitationes consuetudinales; *sex medietates eligantur*, 2. — *Primo, de temperantia*, 3-5. — *Secunda, de munificentia*, 6. — *Tertio, de fortitudine*, 7. — *Quarta, de mansuetudine*, 8. — *Quinto, de benignitate*, 9. — *Sexta, de magnanimitate*, 10. — *Hae sex removent vitia*, 11. — Pars II. De comprehensione industriarum quoad speculationes intellectuales. *Hae sunt scientia, ars, prudentia, sapientia, intelligentia; divisio speculationis duplex*, 12. — *De singulis*, 13. — Pars III. De comprehensione moralium institutorum quoad leges politicas. *Attenditur haec quoad quatuor*, 14. — *Primo, quoad ritum colendi Deum in sacrificio et laude*, 15-17. — *Secundo, quoad foedum convivendi*, 18. — *Tertio, quoad iucundum praesidendi*, 19. — *Quarto, quoad censuram iudicandi*, 20. — *Abusus in his novem scientiis*, 21. — *Epilogus et repetitio*, 22. — Pars IV. De sapientia a philosophis promissa, ubi est divisio lucis a tenebris. *Triplex conversio*, 23. — *Primus gradus, conversio animae super se ipsam; animae potentiae tres et operationes sex*, 24. 25. — *Secundus gradus, conversio super Intelligentias spirituales, quae sunt lumina et specula, cum virtutibus infinitis, mediis et supremis*, 26. 27. — *Tertius gradus, conversio super rationes aeternas*, 28. — *Haec fit tripliciter: primo ratiocinando*, 29. — *Secundo, experiendo*, 30. — *Tertio, intelligendo*, 31. — *De his tribus*, 32. — *Epilogus*, 33.

1. *Vidit Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem a tenebris* [4] etc. Dictum est, quod intellectualis lux est veritas, quae est radius super intelligentiam sive humanam, sive angelicam; quae inextinguibiliter irradiat, quia non potest cogitari non esse. Irradiat autem aliquid triplicter: ut veritas Introductio.

[1] August., II. de Doctr. christiana, c. 1. n. 1: Fumo viso, ignem subesse cognoscimus. Cfr. Boeth., III. de Differentiis topic.

[2] De genq. cfr. Aristot., de Rhetorica ad Alexandrum; Cicero, I. et II. Rhetor.; Boeth., IV. de Differentiis topic.

[3] Hoc termino utitur Cicero, I. Rhetor. c. 11. (ibid. c. 8: Feristi? Non feci) et Topic. c. 21.

[4] Gen. 1, 4. — Quae immediate post afferuntur exposita sunt in collat. 4.

Digitized by Google

rerum, ut veritas *vocum*, ut veritas *morum*: ut veritas *rerum* est indivisio entis et *esse*, ut veritas *vocum* est adaequatio vocis et intellectus, ut veritas *morum* est rectitudo vivendi. Quod patet ex parte *principii*, quod irradiat; ex parte *subiecti*, quod irradiationem suscipit; ex parte *obiecti*, ad quod irradiat. In quantum haec lux est *causa essendi*, est lux *magna*; in quantum est *ratio intelligendi*, est lux *clara*; in quantum est *ordo vivendi* [1], est lux *bona*; *vidit*, inquit, *Deus lucem, quod esset bona*. — Ut lux *magna* irradiat ad comprehensionem *substantiarum* sive essentiarum, *figurarum* et *naturarum* mundialium; ut lux *clara* irradiat ad comprehensionem *locutionum*, *argumentationum*, *persuasionum* rationalium; ut lux *bona* irradiat super intelligentiam vel illustrat ad comprehensionem *modestiarum*, *industriarum*, *institiarum* [2]: ad comprehensionem *modestiarum* quantum ad *exercitationes consuetudinales*; ad comprehensionem *industriarum* quantum ad *speculationes intellectuales*; ad comprehensionem *institiarum* quantum ad *leges politicas*. Primo habenda est *modestia*, secundo *industria* inquirenda, tertio exercenda *institia*. — Et hic ostenditur, praelatus qualis esse debet, scilicet perfectus in actione et contemplatione accipere debet leges. Ubi? In monte contemplationis cum Moyse [3], ut sit *modestus* et *industrius*, non bestialis, quia talis in montem ascendere non potest; *bestia* enim, *quae tetigerit montem, lapidabitur*.

Divisio tertia radii in 3 membra.

Qualitatem praelati.

2. Primo igitur irradiat sive illustrat ad comprehensionem quantum ad *exercitationem consuetudinalium virtutum*. Unde Philosophus [4] ponit duodecim mediietates: *fortitudinem* circa timores et audacias; *temperantiam* circa delectationes et tristitias; *liberalitatem* circa dona mediocria; *magnificentiam* circa dona magna; *magnanimitatem* circa honorum magnorum appetitum; *philotimium* [5] circa mediocrium; *mansuetudinem* circa iras; *veritatem* circa locutiones; *eutrapeliam* circa ludi delectationem; *amicitiam* et duo media passionum, scilicet *verecundiam* et *nemesin*, quae est nulli obesse et aliqui prodesse. De his autem eligamus sex praecipuas, scilicet primo *temperantiam*, secundo *munificentiam*, tertio *fortitudinem*, quarto *mansuetudinem*, quinto *benignitatem*, sexto *magnanimitatem*.

Pars I. De modestia quoad exercitationes consuetudinales. Referuntur 12.

Eligentur sex.

3. Primo incipiendum a *temperantia*. Haec necessaria est in primis; non enim statim homo tentatur a timore mortis [6], sed statim, quando natus est, delectatione secundum gustum; unde puer appetit dulce secundum *gustum* et postea delectabile secundum *tactum*, quando magnus est. Hanc passionem *contemporaneam* nobis [7], quae incipit in pueris et terminatur in senibus, oportet primo domare; ista est *concupiscentia*, alia est *cupiditas*. Puer enim primo appetit manducare, postea pecuniam: unde mirabiliter delectatur in illa, et si puero offeras panem et denarium, accipit denarium et relinquit panem. Hoc nutrit homines; concupiscunt enim *habere* et *retinere*. *Appretiari* haec ut felicissima malum est, *aspernari* ut exsecrabilia malum est.

De temperantia.

Duo vitia.

4. Dicunt quidam: totaliter pauperes non tenent medium. Respondeo: immo vere tenent medium [8]. Haec enim mediietas non est circa *res*, sed circa *appetitum animae*. Si enim *appetis* haec, ut *sustenteris* tuis vel alienis, mediietatem tenes; sed si *appretiaris*, ut felicitas sit in eis, unum extremum est; si *aspernaris* ut profanum, alterum extremum est, sicut Manichaei profanum putant cum muliere iacere, sive cum uxore, sive cum alia. Similiter dicebant, quod nihil potest bonum habere. Et dicit Augustinus [9], quod hoc non fuit *praeceptum*, licet Apostolis dixerit Dominus: *Nihil tuleritis in via*. Medium ergo est *sustentari* sive suis, sive alienis.

Defenditur paupertas voluntaria.

5. Et dicebat beatus Franciscus [10], quod « pauper magis potest esse largus quam dives: quia dives, si dat quidquid habet, deficiet et confusus est; si vero non dat, cum habeat, licet vellet dare, si sibi non deliberet; voluntas bona est, sed non reputatur sibi pro facto, quia adhuc habet substantiam. Sed pauperi, qui nihil habet, si vellet dare pauperi, et

Dictum Francisci.

---

[1] Respiciuntur verba August. supra pag. 49, nota 7, allata.

[2] Hac ultima propositione indicatur materia praesentis collationis.

[3] Cfr. Exod. 19, 3. seqq. et 21, 12. seqq. — Seq. locus est Heb. 12, 20, nominatus Exod. 19, 13.

[4] Libr. II. Ethic. c. 7, quae exponuntur ibid. III. c. 6. seqq. usque ad finem libri V.

[5] Scil. appetitum honorum; sumitur hoc vocabulum ad designandam mediietatem inter excessum (ambitionem) et defectum (inambitionem seu contemptum honoris parvi) a primo extremo, quia aliud nomen deest et est, ut infra n. 11. dicitur, *mediietas innominata*. Tres virtutes inferius positae, scil. *veritas*, *eutrapelia* (urbanitas sive facetudo) et *amicitia*, in hoc conveniunt, quod omnes sunt circa verba et opera, quibus homines ad invicem communicant; differunt autem in eo, quod *veritas* est circa veritatem talium verborum et factorum; *eutrapelia* autem et *amicitia* circa delectationem ipsorum, ita tamen, quod tum earum respicit delectationem eorum quae dicuntur vel fiunt ludo, alia vero in his quae pertinent ad communem vitam, scil. in seriosis. Quae ultimo loco ponuntur, scil. *verecundia* et *nemesis* (indignatio sive reprehensio) respiciunt *passiones laudabiles*; prima est mediietas inter excessum (quando quis quasi pavidus de omnibus verecundatur) et defectum (quando quis nihil verecundatur); secunda est mediietas inter invidiam (qua quis tristatur de omnibus, qui prosperantur, sive bonis sive malis) et malevolentiam (quae tantum deficit a tristando, ut etiam gaudeat de malis, qui in sua malitia prosperantur).

[6] Contra quem est *fortitudo*; cfr. infra n. 7.

[7] Vide supra pag. 174, nota 3, verba Aristotelis. Cfr. etiam ipsius IV. Ethic. c. 1, ex quo infra n. 6. quaedam allegantur. De *temperantia* agit Aristot., III. Ethic. c. 10-12.

[8] Cfr. supra Quaest. disput. de perfect. evang. q. 2. a. 1. ad 6.

[9] Libr. I. de Moribus Eccles. cathol. c. 35. n. 77. seqq., ubi impugnat duplicem praedictum errorem Manichaeorum. — Seq. locus est Luc. 9, 3.

[10] Opuscula, III. Orazioni, 29.

Digitized by Google

nihil habet, quod det; et vellet aedificare hospitalia, non tamen habet unde; voluntas pro facto reputatur[1]». — Quod autem dicunt, quod nimis pauperes non tenent medium; simile est illi quod dicebat quidam medicus Frederici, qui dicebat, quod ille qui abstinebat ab omni muliere, non erat virtuosus nec tenebat medium. Et ad hoc sequitur, quod si omnem mulierem cognoscere et nullam mulierem cognoscere *extrema* sunt: ergo medietatem omnium mulierum cognoscere *medium* est[2]. Refellitur directio.

6. Haec *cupiditas* domari debet per *munificentiam*, quae comprehendit in se largitatem et magnificentiam. Iste est *fons*, qui aquas refundit; fons non retinet in se aquas. Secundum Philosophum[3] difficile est ab hac perfecte curari, quia hoc valde delectabile est, quia reputat se homo magnum, et alii reputant. Si homo luxuriatur, dolet cerebrum; sed in divitis homo delectatur, quia est ibi praesumtio et reputatio. — Unde haec cupiditas infecit Giezi[4], et leprosus factus est, quia cucurrit post Naaman; istud simoniaci hodie reputant magnum curialitatem. Venit Simon magus et dixit Petro: Accipias de pecunia; satis habeo; et da mihi, ut per impositionem manus possim dare Spiritum sanctum; sed Petrus non reputavit curialitatem nec habuit patientiam: *Pecunia tua*, inquit, *tecum sit in perditionem*. De munificentia. Exempla.

7. Tertia medietas est *fortitudo*, quae est circa timores et audacias[5]. Haec est necessaria homini, ut non sit pusillanimis, vel temerarius, sed sustineat terribilia et etiam mori sit paratus. Aliqui enim cadunt in ignaviam et pusillanimitatem. Unde Iob[6]: *Nunquid fortitudo lapidum fortitudo mea, aut caro mea aenea est?* Fortitudo enim in anima est, non in carne. *Melior est patiens arrogante*; et in Proverbiis: *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*. Unde spiritualis homo multum debet cavere a moestitia. De fortitudine.

8. Haec virtus facit animum nobilem; sed quia fortis aliquando designatur contra alios, ideo necessaria est *mansuetudo*, quae est contra irascibilitates et iracundias, non ut homo penitus non irascatur, sed ubi debet et quando debet[7]. Unde debet habere et faciem *hominis* et faciem *leonis*. — Tamen aliquando putas hominem mansuetum, qui tacet, alio peccante; hoc non est mansuetudo. Audi igitur: dicitur de Iesu, quod *turbavit semetipsum*[8] et fecit *flagellum de funiculis*. Unde in primo Machabaeorum: *Vae mihi, ut quid natus sum videre mala gentis meae et sanctorum?* Unde Christus est *agnus* et *leo*. De mansuetudine.

9. Quinta medietas est *benignitas*, sive nemesis, sive amicitia, quae nihil habet malignitatis, sed homo vult bonum alii homini; et oportet, quod hic ratio *dirigatur*. Etsi dicat Philosophus[9], quod oportet amicis benefacere, inimicis malefacere; Christus tamen dicit, ut omnis homo diligatur, et ut omni homini conferantur utilia, non nociva. Si ego te diligo et do tibi vel dignitatem vel libertatem, et tu male uteris ea, si dem tibi; benignus non sum, sed potius malignus; et ideo non dabo tibi, ut sim benignus. Habeo amicum, habeo inimicum; amicus male utetur aliqua praelatione vel dignitate ad damnum suum et reipublicae; si dem sibi, benignus non sum. Inimicus meus e contrario bene utetur; sibi dabo et faciam bonum meum de malo suo[10]. Pater non blanditur filio nec dicit verbum dulce, ne superbiat. Mundus hodie ignorat istam benignitatem; unde *totus mundus in maligno positus est*, quia bonum non diligit nisi bonum privatum. De benignitate. Reprobatur Philosophus. Exemplum.

10. Sexta medietas est *magnanimitas*, ut appretientur magna, et despiciantur vilia. Haec est humilitas, quae despicit apparentia magna et appretiat ea quae videntur esse parva, sunt tamen magna vere. Philosophus[11] dicit, quod magnanimus est in appetitu *honoris*; quidquid dicat ipse, hoc non docet veritas, nisi cum honor est *aeternorum*. Sed econtra quidam appretiant unam vilissimam laudem alicuius, cum tamen veritas dicat in mente sibi, quod ipse est pessimus et nequam; et inde effert *se*! De magnanimitate. Reprobatur Philosophus.

11. Hae sex medietates sufficiunt; aliae enim quaedam *innominatae*[12] sunt. Has autem Philosophus Effectus harum.

---

[1] Cfr. Iom. II. pag. 924, nota 5. et 7; tom IV. pag. 107, nota 5.

[2] Vide IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 1. ad 1. Cfr. etiam supra Quaest. disput. de perfect. evang. q. 3. a. 2. ad 9.

[3] Aristot. IV. Ethic. c. 1: At illiberalitas *incurabilis* est; nam et senectus et omnis imbecillitas residere illiberales videtur, magisque quam prodigalitas hominibus natura insita est. Non plerique sunt pecuniarum cupidi magis quam ad dandum prompti etc. Ibid. c. 2. agitur de *magnificentia*. — Isidor., XIII. Etymolog. c. 21. n. 5: *Fons* caput aquae est nascentis, quasi *fundens* aquas.

[4] Cfr. IV. Regr. 5, 20. seqq. — Seq. locus (de Simone) est Act. 8. 17. seqq.

[5] Vide Aristot. III. Ethic. c. 6. seqq.

[6] Cap. 6, 12: Nec fortitudo... mea, nec caro mea aenea est. — Seq. locus est Eccle. 7, 9, tertius Prov. 16, 32.

[7] Cfr. Aristot., IV. Ethic. c. 5. — In seq. propositione respicitur Ezech. 1, 10: Facies hominis et facies leonis etc.

[8] Ioan. 11, 33. Seq. locus est Ioan 2, 15; tertius I. Mach. 2, 7: Vae... videre contritionem populi mei et contritionem civitatis sanctae. Ibid. 3, 59: Quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostrae et sanctorum. — De Christo, ut est *agnus* et *leo*, cfr. Ioan. 1, 29; Apoc. 5, 5. et 6.

[9] Libr. II. Topic. c. 3. (c. 7.). B. Albert. in hunc locum (tr. 2. c. 2) refert, «quod in definitione hominis posuit Socrates, quod homo est animal rationale amicis benefaciens et inimicis malefaciens, sicut legitur in primo Zenonis»; et ad obiectionem: «Dicit lex [christiana], quod inimicis beneficiat»; respondet: Non habemus contra hoc dicere; quia hoc ex principiis philosophiae non probatur, sed potius ex gratia superadditur ad naturam et ad rationem et ad maiorem ordinat perfectionem, ad quam non potest se extendere philosophus. — Subinde respicitur Matth. 5, 44. seqq. (de diligendis inimicis). — De benignitate (sive mansuetudine) cfr. Aristot., IV. Ethic. c. 5. seq., et de amicitia ibid. lib. VIII. et IX.

[10] Rom 12, 21: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. — Inferius allegatur I. Ioan. 5, 19.

[11] Libr. IV. Ethic. c. 3.

[12] Cfr. pag. 356, nota 5.

manifeste ponit, et in his veritati fidei ratio substernitur. Hae medietates removent vitia sive carnalia, sive spiritualia, ut *temperantia* gulam et luxuriam, *munificentia* avaritiam, cupiditatem, rapacitatem; *fortitudo* accidiam, ignaviam, pigritiam; *mansuetudo* iracundiam, odium, impatientiam; *benignitas* invidiam; *magnanimitas* superbiam, arrogantiam, vanitatem, iactantiam.

Removent vitia.

12. Secundus radius veritatis illustrat ad comprehensionem *industriarum* secundum *speculationes intellectuales*. Hae sunt quinque: *scientia*, *ars*, *prudentia*, *sapientia*, *intelligentia* [1]. — Speculatio autem aut est *consistens* in *se*, aut *transit in affectum* et *effectum*. Primus modus non pertinet ad moralem, sed magis logici est; secundus autem spectat, quia virtuosus; et ideo, quia faciliter speculativus fit practicus, facile ex speculativo fit virtuosus.

Pars II. De industriis sec. speculationes intellectuales. Hae sunt quinque.

13. Notitia igitur transiens in *affectum* est *sapientia*, quae est « cognitio causarum altissimarum et per causas altissimas [2] ». — Notitia autem transiens in *effectum* extrinsecum est *ars*, quae est « habitus cum ratione factivus », et hic iungitur notitia cum faciente, praevia tamen affectione. Medium inter haec est *electio*, quae iungitur affectui et ordinatur ad opus. Quod enim quis eligit amat et eligit ad opus; et haec est *prudentia*, quae est medio inter sapientiam et artem. *Intelligentia* autem est in *ascendendo* a prudentia ad sapientiam, quae est cognitio principiorum et regularium certarum. — Necesse est similiter *descendere* ad *artem* per *scientiam*. Chirurgus, nisi habeat regulam medici, interficit hominem, ut si incidat enim qui est dispositus ad febrem. — Dicebat [3] etiam de quodam mathematico, qui faciebat campanas optimas, et illas faciebat secundum proportiones musicales; tamen istas habuerat a quodam musico, qui dederat sibi formam et longitudinis et spissitudinis et martellum proportionatum ad pulsandum. — Nec est intelligendum, propter hoc quod dicitur [4], quod virtutes quaedam sunt *intellectuales*, quaedam *consuetudinariae*, quod propter hoc virtutes sunt in parte aliqua *alia* nisi in *rationali*, quia essentia omnis virtutis est in rationali; sed quaedam sunt in rationali secundum se et secundum quod est speculatrix; quaedam autem, secundum quod est exterioris hominis gubernatrix.

De his in specie. Exemplum. Sunt in parte rationali.

14. Tertius radius veritatis illustrat ad *morales iustitias* secundum dictamen *legum politicarum*. Hic non deheo loqui sicut theologus nec sicut iurista, sed sicut philosophus loquitur. Haec comprehensio est circa quatuor. Nullus autem philosophorum dedit hanc, sed si fuerit collecta ex multis, aliquid proveniet [5]. — Attenditur autem quantum ad *ritum colendi*, quantum ad *formam convivendi*, quantum ad *normam praesidendi*, quantum ad *censuram iudicandi*. Ad *censuram iudicandi* non pervenitur nisi per *normam praesidendi*; nec ad *normam praesidendi* nisi per *formam convivendi*; nec ad *istam* nisi per *primam*.

Pars III. De iustitiis sec. leges politicas. Est circa quatuor.

15. Omnes veri philosophi unum Deum coluerunt. Unde etiam Socrates [6], quia prohibebat, sacrificium fieri Apollini, interfectus fuit, cum coleret unum Deum. Verum est, quod Plato suasit sibi fugam. « Absit, inquit Socrates, ut negem veritatem, quam asserui »; et ideo Plato non interfuit morti eius, erubescens, quod suasisset sibi fugam. Cultus Dei *pietas est fidei*. Unde dicit Tullius [7], quod *pietas* consistit in culto deorum. Non placet, quod dicit *deorum*. Scriptura nunquam vocat Angelos deos, ne venerentur sicut dii, sed *homines* dicuntur dii: *Deus stetit in synagoga deorum* [8], id est hominum, non Angelorum. Cultus autem Dei consistit in *laude* et *sacrificio*.

Primo, de cultu Deum colendi. De Platone. Duplex cultus.

16. Quomodo autem sacrificium introductum sit, videtur, quod per *fidem* Abel obtulit sacrificium [9] et *Noe*, de quo dicitur: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis*. Et significabant haec sacrificia sacrificium Christi, quod in cruce fecit; et ideo dicitur *Dominus odorare*, ut Deus placaretur per mortem Filii nostri. — Daemones autem propter superbiam suam voluit reli ut Deus, ut haberent in terra quod habere non potuerunt in caelo: et quia maxime alienantur homines a Deo [10]. — Sanguinem Christi offert qui facit talia sacrificia, eo quod effusus fuit ad placandum Patrem.

De cultu per sacrificia. De daemonibus.

17. *Sacrificium* autem *laudis* [11] in corde naturale indicatorium dictat, et est de dictamine naturae; et

De cultu per laudem.

---

[1] De quibus Aristot. agit in VI. Ethic. per totum. — De propositione: speculativus fit practicus, cfr. II. Sent. d. 21. p. I. a. 2. q. 1. ad 2.

[2] Vide supra pag. 120, nota 11. Seq. definitio artis datur ab Aristot., VI. Ethic. c. 4. Ibid. c. 2. dicit, quod *electio* est « consultativa appetitio », et paulo inferius: « Vel appetitivus intellectus vel intellectivus appetitus electio est ». *Prudentiam*, ibid. c. 5, definit, quod « habitus sit vera cum ratione activus circa ea quae et bona et mala homini sunt ». De *intelligentia* sive intellectu docet (c. 6.), « intellectum esse principiorum ».

[3] Scil. S. Bonaventura. Secuti sumus A D; Vrt. *Dicebatur*. Idem modus referendi indirecte in seqq. coll. saepius occurrit.

[4] Ab Aristot., I. Ethic. c. 13; II. c. 1. et VI. c. 4. — De seqq. cfr. III. Sent. d. 33. q. 3.

[5] B: *dedit hanc, possumus tamen colligere ex variis eorum dictis sparsim.*

[6] Cfr. Plato, Apologia Socratis. S. Iustin., Apologia II. pro Christianis, c. 10. — De seqq. vide Plato, *Crito*, in quo narratur, quod Crito Socratem in carcere invisit et ei fugam suasit, ac quod Socrates pluribus rationibus demonstravit, nefas sibi esse e carcere egredi. — In Platonis *Phaedone* enumerantur qui praesentes erant Socrati morienti, et de Platone dicitur: Plato autem, opinor, aegrotabat.

[7] Libr. I. de Natura deorum, c. 41: Est enim pietas iustitia adversus deos. Cap. seq. dicit, quod religio « deorum cultu pio continetur ». Cfr. ibid. c. 2. et II. de Officiis, c. 3.

[8] Psalm. 81, 1.

[9] Respicitur Hebr. 11, 4: Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo (cfr. Gen. 4, 3. seqq.); et mox allegatur Gen. 8, 21.

[10] Cfr. August., X. de Civ. Dei, c. 3-7. et c. 19. seq.

[11] Respicitur Ps. 49, 14: Immola Deo sacrificium laudis; et v. 23: Sacrificium laudis honorificabit me. — Vide Plato, de Legibus, dialog. 10, ubi etiam poenae statuuntur iis qui

Digitized by Google

in hoc consenserunt omnes veri philosophi. Unde dicit ille, quod « qui dubitat, utrum parentes honorandi sint, et Deus venerandus, poena dignus est ».

Secundo, de forma convivendi.

18. Secundus modus est *forma convivendi*, ut: « Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri [1] ». Hoc in corde scriptum est per legem aeternam. Ex hac naturali lege emanant leges et canones, pullulationes pulcrae. Sed quid? Tu non vis suspendi, et latronem suspendis? Dicendum, quod latro prius debet suspendi, quam ut respublica laedatur; Ionas [2] contra se dedit sententiam, ut proiiceretur in mare.

Tertio, de norma praesidendi.

19. Tertia est *norma praesidendi*, id est qualiter princeps ad populum debet se habere, et e converso. Et haec emanat a veritate prima: quia populus debet assistere punienti et vindicanti; princeps non debet suam utilitatem quaerere, sed reipublicae. Philosophus [3] dicit, quod differt tyrannus et princeps: tyrannus quaerit propriam utilitatem, sicut Herodes, qui, timens privari regno suo, saevit in pueros; princeps autem communem utilitatem intendit. Tamen hodie magna abominatio est in his qui praesunt, quia in navi non ponitur rector, nisi habeat artem gubernandi; quomodo ergo in republica ponitur ille qui nescit regere? Unde quando per *successionem* praesunt, male regitur respublica. David fuit sanctissimus; Salomon, etsi lubricissimus, tamen sapiens; Roboam stultus, quia divisit regnum [4]. Romani per artem diaboli elegerunt Diocletianum. Debebant eligere comedentem super mensam ferream et invenerunt comedentem illum super vomerem; qui postmodum multa mala fecit. Unde quamdiu Romani illos qui praeessent, *elegerunt*, sapientissimos elegerunt; et tunc bene gubernata est respublica; sed postquam ad *successionem* venerunt, totum fuit destructum.

Abusus. Notandum. Diocletianus.

Quarto, de censura iudicanda.

20. Ultimum est *censura iudicandi*, ut homo sciat, quid de quacumque re sit iudicandum, quod spectat ad *personas*, ad *res*, ad *modum agendi*. Haec omnia manant a veritate prima.

Abusus in his scientiis.

21. Sed in his omnibus luxuriata est ratio; luxuriata est *metaphysica*: quia quidam [5] posuerunt mundum aeternum, quia, si causa aeterna, et effectus aeternus; et isti male senserunt de causa prima. Similiter *mathematici* primo scriverunt numeros et postea ad influentias et secreta cordium venerunt. *Naturales* scriverunt et de corporibus et mineralibus et dixerunt: « Ars imitatur naturam [6] »; et nos scimus secreta naturae: ergo nos faciemus vobis aurum et argentum. Similiter *grammatici* poesibus et fabulis suis tenuerunt totum mundum, quousque venerunt Sancti contra eos. Similiter *logici* cum suis sophismatibus et suis falsis positionibus fecerunt mundum insanire. Similiter *rhetores* ita delectabantur in colore sermonis, ut non aliud esse regnum Dei dicerent; tamen sublata est modo de medio. *Ars moralis* non ita luxuriata est, quia non in sola speculatione stat; sed *scientia iuris* multum luxuriatur propter lucrum; et causae, quae deberent terminari per ius, modo per allegationem et subtilitatem iuris fiunt immortales, cum tamen intentio iuris sit causas rescindere.

Epilogus.

22. Haec sunt novem lumina illustrantia animam, scilicet veritas *rerum*, *vocum*, *morum*: *rerum*, scilicet *essentiarum*, *figurarum*, *naturarum* quantum ad quidditatum *differentias occultas*, quantum ad quantitatum *proportiones manifestas*, quantum ad naturarum *proprietates mixtas*. Primo metaphysica, secundo mathematica, tertio naturalis seu physica. — Veritas *vocum* tripliciter: quantum ad *locutiones*, *argumentationes*, *persuasiones*: primo, quantum ad *locutiones indicantes mentis conceptus*; secundo, quantum ad *argumentationes trahentes mentis assensus*; tertio, quantum ad *persuasiones inclinantes mentis affectus*; prima grammatica, secunda logica, tertia rhetorica. — Veritas *morum* tripliciter: quantum ad *modestias*, *industrias*, *iustitias*: *modestias*, quantum ad *exercitationes consuetudinales*; *industrias*, quantum ad *speculationes intellectuales*; *iustitias*, quantum ad *leges politicas*. Prima virtus *consuetudinalis*, secunda virtus *intellectualis*, tertia virtus *iustitialis*. — Has novem scientias dederunt philosophi et illustrati sunt. *Deus enim illis revelavit* [7]. Postmodum voluerunt ad *sapientiam* pervenire, et veritas trahebat eos; et promiserunt dare sapientiam, hoc est beatitudinem, hoc est *intellectum adeptum*; *promiserunt*, inquam, discipulis suis.

Veritas rerum. Vocum. Morum. De decem scientiis.

Pars IV. De sapientia a philosophis promissa.

23. Quarta ergo consideratio est, quomodo venerunt ad hoc, in quo *lux separata est a tenebris* [8]; separando enim se a tenebris, converterunt se ad lucem. Sed hoc ita fit, ut anima convertat se primo super *se*; secundo, super *Intelligentias spirituales*; tertio, super *rationes aeternas*.

Triplex conversio animae.

Prima conversio animae super se.

24. Primo ergo oportet *se* considerare, non sicut oculus carnis, qui non videt se nisi per quandam reflexionem a speculo, sed sicut oculus mentis, qui primo videt *se* et postmodum *alia*. Sed ad hoc

---

Deum non honorant; et dialog. 11, in quo de veneratione parentum et poenis eorum qui parentes non honorant. Aristot., II. Topic. in fine, docet, honorare deos simpliciter bonum esse; ibid. I. c. 9. propositio, quae paulo inferius ponitur, habetur: Nam qui dubitant, utrum oporteat deos honorare et parentes diligere, an non, poena indigent.

[1] Tob. 4, 16. Cfr. Matth. 7, 12. et Luc. 6, 31. Vide August., I. de Lib. Arb. c. 3. n. 6; ibid. c. 5. n. 41. sequ. occurrit exemplum de latrone.

[2] Cap. 1, 12.

[3] Libr. VIII. Ethic. c. 10: Tyrannus enim suam, rex subditorum utilitatem spectat. — De Herode cfr. Matth. 2, 3. sequ.

[4] Cfr. III. Reg. c. 12. et II. Paralip. c. 10. sequ. — Superius post *successionem*, plures codd. secuti, suppressimus *pueri*.

[5] Vide supra collat. 4. n. 13. et infra collat. 6. n. 4. — De mathematicis cfr. collat. 1. n. 21.

[6] Aristot., II. Phys. text. 22. (c. 2.).

[7] Hom. 1, 19. Pro *revelavit* Vulgata *manifestavit*. — De intellectu *adepto* cfr. Avicenna, de Anima, p. V. c. 6.

[8] Respicitur Gen. 1, 4: Divisit lucem a tenebris.

Digitized by Google

Tres potentiae et oculi.

oportet, ut convertat se super *potentias* et super *actus*. Habet enim anima tres potentias: *animalem*, *intellectualem*, *divinam*, secundum triplicem oculum: *carnis*, *rationis*, *contemplationis*. Primus viget, secundus caligat, tertius excaecatus est [1]. — Potentia *animalis* duplex est; vel in obiecta sensuum *particularium* et sensus *communis*, vel in *phantasmata sensibilium*, et sic est *sensus* et *imaginatio*. — *Intellectualis* etiam est duplex: aut ut considerat universales rationes *abstractas*, ut abstrahit a loco, tempore et dimensione; aut ut elevatur ad substantias *spirituales separatas*; et sic sunt duae potentiae, scilicet *ratio* et *intellectus*: per rationem *confert*, per intellectum *cognoscit se* et *substantias spirituales*; et tunc ingerit se Intelligentiis, et tunc intrat arcaterium ipsarum [2]. — Similiter operatio vel potentia *divina* duplex est: una, quae se convertit ad contuenda divina *spectacula*; alia, quae se convertit ad degustanda divina *solatia*. Primum fit per *intelligentiam*, secundum per *vim unitivam* sive amativam, quae secreta est, et de qua parum vel nihil noverunt.

Animalis est duplex.

Item, intellectualis.

Item, divina.

25. Ergo triplex est potentia, et sex sunt operationes; et quando haec omnia obiecta videt anima, sic redicus super se, fit *speculum* quodlibet pulcherrimum et tersum, in quo videt quidquid est fulgoris et pulcritudinis, sicut in speculo *polita* videtur imago. Sed ad hoc requiritur *opacitas naturalis*, vel *artificialis*: *naturalis*, ut in speculo de chalybe; *artificialis*, ut in plumbo supposito vitro; secundo requiritur *politio*, per quam formam vel imaginem recipit; tertio requiritur *splendor*, quia in nocte speculum nihil reddit. Similiter in anima sunt virtutes inferiores tanquam tenentes lumen, ne deficiat; medicae sunt sicut politiones; supremae sunt sicut splendores supervenientes: et sic est anima *speculum*.

Sex operationes. Anima fit speculum.

Notandum.

26. Sed oportet, ut habeamus *secundum gradum*, quod apponatur pulcris formis, scilicet luminibus caelicis sibi proportionatis, ut Angelis, quia, si statim se elevaret ad divinos fulgores, reverberaretur. Angeli autem sunt et *lumina* et *specula* [3]; ad quos contemplandos tripliciter elevatur anima. — Habent eum Angeli virtutes *infimas*, per quas regulant motus nobilium corporum et influunt in mundialia; et hoc est positio philosophorum [4]. Constat enim, quod « causa nobilior est suo effectu »; et constat, quod ad influentiam corporum caelestium fit vel generatur *vivum* et *animatum*: ergo et *anima*. Si ergo animatum nobilius est non animato: ergo necesse est, ut habeat *aliam* causam quam illa corpora. Et illa est influentia angelica cum influentia corporum caelestium. Unde per regimen substantiae intellectualis, influentis super motum orbis, quem regit, fit hoc. — Alii posuerunt, quod Angeli essent numerati secundum numerum motuum propter inclinationem naturalem ad motum [5]. — Alii posuerunt decem Intelligentias solum, considerantes earum influentias; et fecerunt insanias et contentiones. Angelus bene potest esse sine motu.

Secunda conversio ad Angelos.

Tres virtutes ipsorum.

De prima.

Opiniones philosophorum.

27. Item, sunt virtutes in Angelis ad animas *rationales*, per quas regunt homines. Sunt enim *delatores* luminum et *elevatores* intellectuum ad suscipiendas illuminationes. Est ergo in eis virtus *delativa*, quia sunt quaedam *lamina* et quoddam *pervium*, et condemperant in se nobis divinum radium, ut proportionetur nobis. — Secundo modo est in eis virtus *elevativa*, qua nos aptant per condescensionem et sublevationem ad illum radium suscipiendum, non tanquam perficientes [6]. — Item, est in eis virtus *suprema*, qua se ad Deum convertunt in susceptione splendorum et aeternae lucis, quam amant; et omnia reducunt ad ipsam, ut tendant in Deum per *amorem* et *laudem*. Unde in Iob [7]: *Ubi eras, cum me laudarent astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei?* Et hoc totum senserunt philosophi. Item, Angeli sunt ex hoc *gratias* acturi. — Quando hoc videt anima, ingerit se Angelis et intrat *secretum* ipsorum.

De secunda, quae est duplex.

De tertia.

28. Tertius gradus est, quod ipse intellectus, considerans *conditiones entis* secundum relationem causae ad causatum, transfert se ab effectu ad causas et transit ad rationes aeternas. Differt *causa* a causatis: quia prima causa est ens *primum*, causatum ens *productum*; causa prima est ens *simplex*, causatum *compositum*; causa prima est ens *purum*, et causatum *permixtum*; causa prima est ens *fixum*, et causatum *variatum*; causa prima est ens *absolutum*, et causatum *alligatum*; causa prima est ens *perfectum*, causatum *diminutum*. Haec ergo sunt vertissima.

Tertia conversio ad rationes aeternas.

Differentiae istos primam causam et secundas.

---

[1] Secundum Hug. a S. Vict. supra pag. 240, nota 6. et 7. allegatum.

[2] Cfr. supra pag. 297, nota 9; pag. 300, nota 6. et pag. 301, nota 3.

[3] Secundum Dionys. cfr. tom. II. pag. 83, nota 1.

[4] Vide Aristot., XII. Metaph. text. 42. seqq. (XI. c. 8.). — De seq. axiomate cfr. supra pag. 251, nota 2. De influentia corporum caelestium vide Breviloq. p. II. c. 3. seq.

[5] Ut insinuat Aristot., XII. Metaph. text. 43. (XI. c. 8.), quem explicans Averroes ait: « Manifestum est igitur, quod numerus substantiarum movendarum est secundum numerum motuum », in seqq. refert Aristot. numerum motuum et exinde intelligentiarum secundum opinionem Eudoxi et Calippi; ac text. 58. ponit, quod nulla sit Intelligentia, quae non moveat aliquem orbem (Averroes in text. 44: Et ideo dicit Aristot., quod si aliquae substantiae essent non moventes, essent otiosae). — De seq. opinione cfr. II. Sent. d. 1. p. 1. a. 2. q. 2.

[6] Vide supra collat. 3. n. 42. in fine.

[7] Cap. 38, 4. (ex quo: *Ubi eras*) et 7: cum me laudarent simul astra etc. — Cfr. Avicenna, Metaph. tr. 10. c. 4. — Superius pro *suprema* B *inflammatrea*. Inferius pro *speculum* cum A B G posuimus *secretum*, quod hic idem est ac terminus *secretum*; cfr. supra n. 21.

Digitized by Google

Triplex modus hujus cognoscendi.

29. Intelligentia autem fertur in hanc lucem tripliciter: *ratiocinando, experiendo, intelligendo; ratiocinabiliter, experimentaliter, intelligentialiter.* — Per viam *rationis* sic[1]. Si est ens *productum*: ergo est ens *primum*, quia effectus ponit causam. Si enim est ens *ab alio, secundum aliud* et *propter aliud*: ergo est ens *a se, secundum se* et *propter se*. — Item, si est ens *compositum*, necesse est, esse *simplex*, a quo habet *esse*, quia *esse*, quod recedit a simplicitate, cadit in compositionem. — Item, si est ens *permixtum*, necesse est, esse ens *purum*, creatum autem nullum purum. — Item, si est ens secundum se *variatum*, necesse est, esse *fixum*, quia mobile reducitur ad immobile. Mota enim manu, stat cubitus; et moto cubito, stat humerus; et *sic* semper quod movetur movebitur per aliquod fixum[2]. — Item, si est dare *alligatum*: ergo et *absolutum*; omnis enim creatura alligata est alicui generi praedicamentorum: sed quod alligatum est, unum non dat alteri *esse*: ergo necesse est, absolutum esse, a quo recipiunt *esse*. — Item, si est ens *diminutum*, necesse est, esse ens *perfectum*. — Et hac via procedit Philosophus[3] ad ostendendum mundum aeternum, quia omnem motum et mutationem praecedit motus localis circularis, quia perfectus est. Sed respondeo: dicendum, quod verum est, quod *perfectum* est ante *diminutum*, loquendo de *perfecto simpliciter*, sed non de *perfecto in genere*, qualis est motus localis. — Et sic fertur intelligentia *ratiocinando*.

Primo, ratiocinando seu modo.

Objectio Philosophi corrigitur.

Secundo, experiendo.

30. Fertur similiter *experiendo* sic: *productum* respectu primi defectivum est; similiter *compositum* respectu simplicis; similiter *permixtum* respectu puri, et sic de aliis; ergo dicunt *privationes*. Sed « privationes non cognoscuntur nisi per habitus suos[4] ». « Iudex enim est rectum *sui* et *obliqui* ». Et si « omnis cognitio fit ex praeexistenti cognitione »: ergo necessario intelligentia experitur *in se*, quod habeat aliquod lumen, per quod cognoscat *primum esse*.

Tertio, intelligendo.

31. Sic igitur, his praesuppositis, *intellectus intelligit* et dicit, *primum esse* est, et nulli vere *esse* convenit nisi *primo esse*, et ab ipso omnia habent *esse*, quia nulli inest hoc praedicatum nisi *primo esse*. Similiter *simplex esse* est simpliciter perfectum *esse*: ergo est quo nihil intelligitur melius. Unde Deus non potest cogitari non esse, ut probat Anselmus[5].

De tribus modis simul.

32. Quando anima videt hoc familiarius, primo *ratiocinando*, secundo *experiendo*, tertio *intelligendo*; ibi potest quiescere. Unde *ratiocinando* infert per oppositum: si est *posterius*, est *prius*; si est *compositum*, est *simplex* etc.; *experimentaliter*, quia *privationes* non cognoscuntur nisi in *positione* causae, et illa sex dicuntur per modum defectus et privationis; *intelligentialiter*, quia non possunt latere animam[6], ut *primum esse* est, simplex *esse* est etc. — Item, considerat illud *esse*, ut habet *substantiam*, *virtutem* et *operationem*, ut *primam*, *purissimam*, *simplicissimam*, et sic de aliis sex; ut est in eo *unitas*, *veritas*, *bonitas*, ut *prima*, ut *purissima*, ut *absolutissima*, et sic de aliis sex: ut habet *firmitatem*, *speciositatem*, *bonitatem*, ut *primam*, *purissimam* et *absolutissimam*; ut habet *memoriam*, *intelligentiam* et *voluntatem*, secundum illa sex; ut habet *vitam*, *sapientiam*, *iucunditatem*, secundum illa sex: et tunc intelligit, quod est *bonum per essentiam*, et omnia per illud beatificantur, et ideo summe appetibile et summe debet appeti; et hoc faciendo conquiescit. Conclusio.

Epilogus IV. partis.

33. Primo ergo anima videt *se* sicut *speculum*, deinde Angelos sive Intelligentias sicut *lumina* et sicut *medium delativum*; sive videt in se sicut in speculo, in Intelligentia sicut in medio delativo lucis aeternae et contemperativo; deinde in lure aeterna tanquam in *obiecto fontano*, quantum ad illas sex conditiones dictas, et *rationabiliter* et *experimentaliter* et *intelligentialiter*. — Dum haec igitur percipit et consurgit ad divinum contuitum, dicit, se habere *intellectum adeptum*, quem promiserunt philosophi; et ad hoc veritas trahit. — Sed tamen per *virtutes* oportet devenire, sicut fecerunt philosophi; quando viderunt, quod tam alte non posset perveniri nisi per virtutes, converterunt se ad docendum illas, ut fecit Socrates; unde reputatur minus bene dixisse, eo quod tantum de illis dixit; sed hoc fecit, quia videbat, quod ad illum intellectum non potest perveniri, nisi anima sit purgata[7]. Sic promissa sapientia habetur. Notandum.

---

[1] Cfr. supra Quaest. disput. de mysterio Trin. q. 1. a. 1. fundam. 14-20. Hi loci mutuo se supplent.

[2] Vide Aristot., VIII. Phys. text. 33. et 35. (c. 5.). — De generibus praedicam. cfr. supra pag. 344, nota 5. — Inferius pro *unum non dat* F G *non omnino dat*, Vat. *non mutuum dat*.

[3] Cfr. tom. II. pag. 19, nota 1, et 2.

[4] Vide supra pag. 304, nota 3. — Duae seqq. propositiones sunt Aristot., I. de Anima, text. 85. (c. 5.) et I. Poster. c. 1.

[5] Prolog. c. 2. seqq. — De praecedentibus cfr. etiam supra Itinerarium mentis in Deum, c. 3. n. 3. et c. 5. n. 3. seqq. Observandum est, iisdem confirmari nostram Itinerarii interpretationem. Alia multa in Itinerario breviter dicta in his collationibus diffusius explicantur.

[6] Respiciuntur verba Aristotelis supra pag. 45, nota 6. allegata. — De seqq. cfr. supra collat. 2. n. 22-27. et Breviloq. p. I. c. 6.

[7] Secundum August., VIII. de Civ. Dei, c. 3.

Digitized by Google

COLLATIO VI.

De prima visione tractatio tertia, quae est de prima virtutum causa exemplari, de virtutibus exemplaribus et de cardinalibus inde fluentibus.

SUMMARIUM. — *Introductio; repetitio*, 1. — *Errores philosophorum circa Deum ut causam exemplarem; doctrina Aristotelis in hoc deficit*, 2. — *Error triplex inde exortus*, 3. — *Item, triplex caecitas: circa aeternitatem mundi, unitatem intellectus et defectum retributionis post mortem*, 4. 5. — *De his erroribus adhuc pullulantibus*, 6. — Pars I. De virtutibus exemplaribus in luce aeterna et cardinalibus inde ortis. *In Deo sunt exemplaria non tantum rerum, sed etiam virtutum*, 7. — *De quatuor virtutibus exemplaribus in Deo, quae sunt celsitudo puritatis, pulcritudo claritatis, fortitudo virtutis, rectitudo diffusionis*, 8. — *Probantur per Scripturam*, 9. — *Ex his fluunt consimiles proprietates, scilicet virtutes cardinales*, 10. — *Virtutes cardinales habent nomen ob tres rationes*, 11. — *De prima ratione*, 12. — *De secunda et de quatuor integrantibus virtutibus secundum actus cardinalium*, 13. — *De tertia ratione; comparatio maioris mundi et minoris*, 14. — *De definitione et partibus singularum virtutum cardinalium*, 15. — *Ortus et praestantia earundem*, 16. — *Ipsae configurantur quatuor aliis divisionibus; primo, lucis quatuor influentiis*, 17. — *Secundo, elementorum quatuor proprietatibus*, 18. — *Tertio, causarum quatuor efficaciis; quarto, vitae quatuor salubritatibus*, 19. — *Ipsae fluunt a luce aeterna; reducunt in Deum, qui est vera beatitudo; tres gradus et effectus ipsarum; doctrina Salomonis*, 20. — Pars II. Confirmatio per doctrinam Plotini relatam a Macrobio. *De sententia, quod non sint sapientes et beati nisi philosophi, et quomodo haec distribuit exercitia virtutum*, 21. — *Aliter Plotinus, ponens quatuor genera quaternarum virtutum*, 22. — *Primo, de virtutibus politicis, quomodo exerceantur cardinales*, 23. — *Secundo, de virtutibus purgatoriis*, 24. — *Tertio, de virtutibus animi iam purgati*, 25. — *Quarto, de virtutibus exemplaribus*, 26.

Introductio. 1. *Vidit Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem a tenebris*[1] etc. Propter primam visionem intelligentiae per naturam inditae sumtum est verbum illud: *Vidit Deus lucem*, id est videre fecit. De hoc supra in duabus collationibus dictum est[2], et per Repetitio. considerationem scientialem, pro eo quod radiat lux ut veritas *rerum*, ut veritas *vocum*, ut veritas *morum*. Et fuerunt distinctae novem partes doctrinae, quarum tres principales sunt radii, et sunt ex dictamine lucis aeternae, secundum Augustinum[3]. — Item, quod *vidit*, id est, videre fecit per contemplationem *sapientialem*, illuminando animam *in se* tanquam in speculo, *in Intelligentia* tanquam in medio delativo, *in luce increata* tanquam in obiecto fontano, secundum illas sex conditiones, quas imprimit menti; et secundum has consurgit anima in illam lucem *ratiocinando, experiendo, intelligendo*, ut dictum est[4]. Et ad hoc venerunt philosophi et nobiles rerum et antiqui, quod esset *principium* et *finis* et *ratio exemplaris*.

2. *Dicisit* tamen Deus *lucem a tenebris*, ut, sicut dictum est[5] de Angelis, sic dicatur de philosophis. Sed unde aliqui tenebras secuti sunt? Ex hoc, quod licet omnes viderint primam causam omnium *principium*, omnium *finem*, in *medio* tamen diversificati sunt. Nam aliqui negaverunt, in ipsa esse exemplaria rerum; quorum princeps videtur fuisse Aristoteles, qui et in principio Metaphysicae et in fine[6] et in multis aliis locis exsecratur ideas Platonis. Unde dicit, quod Deus solum novit *se* et non indiget notitia alicuius alterius rei et movet ut *desiderantum* et *amatum*. Ex hoc ponunt, quod *nihil*, vel

Divisio lucis a tenebris.

Circa causam exemplarem deficit Aristoteles.

[1] Gen. 1, 1.
[2] Collat. 4. et 5.
[3] Vide supra pag. 319, nota 7.
[4] Collat. praeced.
[5] Ab Augustino, XI. de Civ. Dei, c. 19. et 33. Cfr. etiam supra collat. 1. n. 17.
[6] Libr. I. text. 25. seqq. (c. 9.) et XIII. c. 4. seqq. (XII. c. 4. seqq.) Cfr. ibid. VII. text. 44. seqq. (VI. c. 13. seqq.). Sententia, quae mox ex Aristotele de causa prima affertur, scil. quod solum novit se etc., insinuatur XII. Metaph. text. 51. et 35. seqq. (XI. c. 9. et 7.).

Digitized by Google

nullum particulare cognoscat. Unde illas ideas praecipuus impugnat Aristoteles et in Ethicis [1], ubi dicit, quod summum bonum non potest esse idea. Et nihil valent rationes suae, et commentator solvit eas.

Errores inde sequentes.

3. Ex isto errore sequitur alius error, scilicet quod Deus non habet *praescientiam* nec *providentiam*, ex qua non habet rationes rerum in se, per quas cognoscat. — Dicunt etiam [2], quod nulla veritas de futuro est nisi veritas necessariorum; et veritas contingentium non est veritas. — Et ex hoc sequitur, quod omnia fiant *a casu*, vel *necessitate fatali*. Et quia impossibile est fieri *a casu*; ideo inducunt necessitatem fatalem Arabes, scilicet quod illae substantiae moventes orbem sunt causae omnium necessariae. — Ex hoc sequitur *veritas occultata*, scilicet *dispositionis mundialium* secundum poenas et gloriam. Si enim illae substantiae movent non errantes, nihil ponitur de inferno, nec quod sit daemon; nec Aristoteles unquam posuit daemonem nec beatitudinem post hanc vitam, ut videtur. Iste est ergo triplex error, scilicet occultatio *exemplaritatis*, *divinae providentiae*, *dispositionis mundanae*.

Caecitas circa aeternitatem mundi.

4. Ex quibus sequitur triplex caecitas vel caligo, scilicet de *aeternitate mundi*, ut videtur dicere Aristoteles secundum omnes doctores Graecos, ut Gregorium Nyssenum, Gregorium Nazianzenum, Damascenum, Basilium [3], et commentatores omnium Arabum, qui dicunt, quod Aristoteles hoc sensit, et verba sua sonare videntur. Nunquam invenies, quod ipse dicat, quod mundus habuit principium vel initium; immo redarguit [4] Platonem, qui solus videtur posuisse, tempus incepisse. Et istud repugnat lumini veritatis.

Circa unitatem intellectus.

Ex isto sequitur alia caecitas de *unitate intellectus*, quia, si ponitur mundus aeternus, necessario aliquod istorum sequitur: vel quod animae sunt *infinitae*, cum homines fuerint infiniti; vel quod anima est *corruptibilis*; vel quod est *transitio de corpore in corpus*; vel quod *intellectus sit unus in omnibus*, qui error attribuitur Aristoteli secundum Commentatorem [5].

Circa vitam aeternam.

Ex his duobus sequitur, quod post hanc vitam non est *felicitas* nec *poena*.

De his erroribus in genere.

5. Hi ergo ceciderunt in errores nec fuerunt divisi a tenebris; et isti sunt pessimi errores. Nec adhuc clausi sunt clave putei abyssalis [6]. Hae sunt tenebrae Aegypti; licet enim magna lux videretur in eis ex praecedentibus scientiis, tamen omnis exstinguntur per errores praedictos. Et alii videntes, quod tantus fuit Aristoteles in aliis et ita dixit veritatem, credere non possunt, quin in istis dixerit verum.

In Dei exemplar omnium.

6. Dico ergo, quod illa lux aeterna est exemplar omnium, et quod mens elevata, ut mens aliorum nobilium philosophorum antiquorum, ad hoc pervenit. In illa ergo primo occurrunt animae *exemplaria virtutum*. « Absurdum enim est, ut dicit Plotinus [7], quod exemplaria aliarum rerum sint in Deo, et non exemplaria virtutum ».

Praecipue virtutum.

Virtutes 4 exemplares in Deo.

7. Apparent ergo primo in luce aeterna virtutes *exemplares* sive exemplaria virtutum, scilicet *celsitudo puritatis*, *pulcritudo claritatis*, *fortitudo victutis*, *rectitudo diffusionis* [8], de quibus Philo, « disertissimus Iudaeorum », loquens ut philosophus. — Sapientiae septimo [9]: *Vapor est enim virtutis Dei et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera; et ideo nihil inquinatum in eam incurrit; ecce celsitudo puritatis. — Candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius.* Et infra: *Est enim haec speciosior sole, et super omnem dispositionem stella-*

Celsitudo puritatis.

Pulcritudo claritatis.

---

[1] Libr. I. c. 6. — Per *commentatorem* (pro Ethica) non intelligitur Averroes, qui hoc nomine insignitur, Iourdain indicat in libro suo: Recherches critiques etc. (pag. 180), commentatorem ethicae Aristot. nomine Eustrathium (archiep. de Nicaea) una cum Aspasio et Michaele Ephesino. Quia illius commentarium prae manibus non habemus, quaestionem resolvere non potuimus, utrum hic a S. Bonaventura nominetur, an non? — Conferri de ipsa re potest Franc. Piccolomini, *Universa Philosophia de moribus*, Venetiis, 1583, gradus IV. c. 18, seqq., ubi agit de differentia inter Aristotelem et Platonem quoad has virtutes, et gradus IX. c. 22. seqq. (de idea boni).

[2] Cfr. Aristot., I. Periherm. c. 7. (c. 9.). — De praecedente errore cfr. Averroes, Epitom. in libros metaph. tr. 4. in fine; de seq. (fatalismo) vide S. Thom., III. contra Gent. c. 87, ubi recitat opinionem Avicennae.

[3] Non invenimus in libris praedictorum Patrum, quod ipsi hunc errorem *explicite* Aristoteli attribuerint. Gregor. Nazianz. Orat. 33. circa finem ait: Aristotelis praeparcam et angustis finibus circumscriptam providentiam et artificium... confuta. Orat. 35, ubi de materia prima dicit, « quae haud dubie ex non ente procreata est, utcumque eam nonnulli aeternam esse confingant ». Gregor. Nyssen., de Vita Moysis, quosdam errores philosophorum recensens dicit: « Creatorem ipsum [Deum] fatentur, sed et materia ad creandum indiguisse ipsum volunt ». Basil., in Hexaëm. serm. 1. n. 7: Et quia complures eorum, qui mundum ab aeterno una cum Deo existere opinati sunt, ab ipso factum esse nequaquam concesserunt etc. Damasc. in libro de Haeresibus recenset errores Platonicorum, Stoicorum et Epicureorum (n. 6-8.); II. de Fide orthod. c. 1. seq. docet, Deum solum principio carere ipsumque omnia creasse. Cfr. Ambros., I. Hexaëm. c. 1. n. 3: Ipsumque mundum semper fuisse et fore, Aristoteles usurpat dicere. — Verba Commentatoris (i. e. Averrois) vide supra pag. 351, nota 4. Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 1. q. 1. seq. et dub. 2. seq.

[4] Libr. VIII. Phys. text. 10. (c. 1.). Cfr. I. de Caelo et mundo, text. 109. (c. 10.).

[5] Scil. Averroem in III. de Anima, text. 5. 17. seqq. et 36. Cfr. tom. II. pag. 22, nota 1. — Pro *transitio* A D E *transformatio*.

[6] Apoc. 9, 1. seqq.: Et data est ei [Angelo quinto] clavis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei etc. — Immediate post respicitur Exod. 10, 22. seq.

[7] Vide infra n. 32, ubi secundum Macrobium verba Plotini exhibentur.

[8] Vers. 25. Ibid. v. 26. et 29. habentur duo seqq. loci. — Hieron. in praefatione sui libri de Nominibus Hebraicis ait: « Philo, vir disertissimus Iudaeorum ». Opera ipsius recenset Hieron. in libro de Viris illustribus, c. 11. Cfr. ex eius operibus I. Allegor. Legis et de Profugis.

Digitized by Google

cum luci comparata inveniitur prior; ecce puleritudo charitatis. Hi enim est *speculum* et *imago* et *candor*, necessario est *repraesentatio* et *puleritudo*. « Puleritudo nihil aliud est quam aequalitas numerosa [1] »; ibi autem sunt rationes numerosae ad unum reductae. Et quia est speciosissima, ideo *attingit ubique propter suam munditiam.*

8. Ex quo sequitur, quod sit *fortissima*; ideo dicitur [2]: *Sapientiam non vincit malitia. Attingit a fine usque in finem fortiter; ecce fortitudo virtutis:* attingit a summo vel supremo usque ad infimum, ab intrinseco usque ad extrinsecum, a primo usque ad ultimum, quia ubique est centrum suae potentiae: ideo virtus eius est infinita. Fortitudo virtutis.

9. Et ex hoc habet *rectitudinem diffusionis*; ecce *iustitia*; et ideo dicit [3]: *Disponit omnia suaviter.* — Et quia loquitur ut philosophus et ut *amator sapientiae*; ideo dicit: *Hunc amavi et exquisivi a iuventute mea et quaesivi sponsam mihi eam assumere et amator factus sum formae illius;* non solum propter se, sed quia ab illa in me consequenter fiunt consimiles proprietates. Unde statim post sequitur: *Sobrietatem enim et prudentiam et iustitiam et virtutem docet, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Rectitudo diffusionis. Sed audiam

10. Haec imprimuntur in anima per illam lucem exemplarem et descendunt in *cognitivam*, in *affectivam*, in *operativam*. Ex celsitudine puritatis imprimitur *sinceritas temperantiae*; ex puleritudine claritatis *serenitas prudentiae*; ex fortitudine virtutis *stabilitas constantiae*; ex rectitudine diffusionis *suavitas iustitiae*. — Haec sunt quatuor virtutes *exemplares* [4], de quibus tota sacra Scriptura agit; et Aristoteles nihil de his sensit, sed antiqui et nobiles philosophi. Iste oriuntur virtutes cardinales.

11. *Cardinales* dicuntur tripliciter: vel quia per ipsas est *ingressus* ad acquirendum omnes virtutes; vel quia sunt *principales*, in quibus integratur omnis virtus; vel quia *omnis ratio vitae humanae* habet dirigi et regulari per eas in quatuor *cardinibus* mundi minoris, ad similitudinem mundi maioris, quantum ad activam et contemplativam. Tripliciter dicuntur hominis.

12. Philosophus [5] dicit, quod « virtus est medium duarum extremitatum, secundum quod sapiens determinabit »; est enim in medietate consistens. Virtus enim secundum Augustinum, in libro de Moribus, non est aliud quam *modus*. Hunc *modum* prudentia invenit, ut in omnibus non excedas, sed circa centrum consistas. Unde prudentia auriga est virtutum [6]. Unde *dicit prudentia:* ego inveni modum; et *temperantia custodit* et dicit: et hoc volebam ego; *iustitia distribuit*, ut non tantum velit sibi, sed et alteri; et quia postmodum multiplices adversitates eveniunt, *fortitudo defendit*, ne perdatur modus. Ratio 1.

13. Item, secundo dicuntur *cardinales*, quia secundum actus acquiruntur *integrantes* virtutes, qui sunt quatuor: *modificare* per appositionem circumstantiarum, *rectificare* — est enim recta ratio directus in finem, conceptans legibus [7] — *ordinare, stabilire*. Ab hoc dicitur *virtus*, quia est robur mentis ad bonum faciendum et malum evitandum. Temperantia *modificat*, prudentia *rectificat*, iustitia *ordinat*, fortitudo *stabilit*. Et omnes se circumincedunt. Oportet enim, quod temperantia sit *prudens*, iustitia *fortis*; item, quod prudentia sit *sobria*, *iusta* et *fortis* etc. Gregorius [8]: Quomodo potest esse fortis, nisi sit prudens? Temerarius est enim qui aggreditur quod super vires est; et ideo virtutes sunt connexae. Ratio 2. Actus quatuor.

14. Item, tertio modo dicuntur *cardinales*, quia *omnis vita hominis* his quatuor cardinibus gubernatur; sicut sol habet quatuor aspectus ad quatuor partes mundi, scilicet orientem, meridiem, aquilonem, occidentem, in quibus habet quatuor proprietates. A sole autem omnis vita: in oriente purificat, in meridie illuminat, in aquilone stabilit, in occidente conciliat. Sic *Sol oceditur* in oriente mentis Ratio 3.

---

[1] Secundum August.; cfr. supra pag. 301, nota 1. — Pro *repraesentatio et puleritudo* B *esse puleritudinem*; adimximus *et puleritudo*, quod in codd. et Vat. excidit.

[2] Sap. 7, 30. et 8, 1. — Inferius requiritur Alan. ab Insulis, Theolog. regul. regul. 7: Deus est sphaera intelligibilis, cuius centrum ubique, circumferentia nusquam (cfr. supra pag. 310, nota 3.).

[3] Sap. 8, 1. Ibid. v. 2. et 7. sunt duo sequ. loci.

[4] Codd. et Vat. *cardinales*, sed contra contextum, cum Aristoteles non *cardinales*, sed *exemplares* ut platonicas ideas reiicere videatur (cfr. supra n. 2.). August., IV. contra Iulian. Pelagian. c. 3. n. 17: Verum tu in hac causa, cisi ad scholam Pythagorae provocas vel Platonis, ubi eruditissimi atque doctissimi viri, multo excellentiore veteris philosophia nobilitati, veras virtutes non esse dicebant, nisi quae menti quodam modo imprimantur a forma illius aeternae immutabilisque substantiae, quod est Deus etc.

[5] Lib. II. Ethic. c. 6. — Sententia Augustini insinuatur in I. de Moribus Eccles. cathol. c. 19. n. 45, ubi docet, quod ex quatuor virtutibus cardinalibus oriundis ad *modus inveniendi*. In libro de Beata Vita, n. 33, dicit, quod sapientia « nihil est aliud quam modus animi, hoc est, quo sese animus liberat, ut neque excurrat in omnia, neque infra quam plenum est coarctetur. Excurrit autem in luxurias, dominationes, superbias... Coarctatur autem sordibus, timore » etc. (Persaepius *in libro de Moribus*, pro quo codd. vel *in libro de Moribus*, vel *in libro de Modo*).

[6] Secundum Bernard., I. de Consider. c. 8. n. 9. et 11, ut dicitur III. sent. d. 23. a. 1. q. 4. in corp. (vide dict. notam 3.). Bernard., loc. cit., sequ. insinuat.

[7] Respectu definitionis virtutis sumta ex August., I. Soliloq. c. 6. n. 13: Virtus est vel recta vel perfecta ratio perveniens ad finem suum. Cfr. liber de Spiritu et anima (inter opera August.) c. 3. et 29.

[8] Sententiam hanc, si *verba* attendantur, Gregor. exprimit I. Moral. c. 32. n. 45, ubi agens de donis Spiritus S. (quae ab ipsa *virtutes* nominantur) dicit: « Valde *fortitudo* destruitur, nisi per *consilium* laxatur; quia, quo plus se posse conspicit, ea virtus sine rationis moderamine deterius in praecipiti ruit », idem docet II. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 7. Cfr. dict. hom. 10. n. 18. et lib. I. homil. 3. n. 8: Quid enim prodesse potest prudentia, si fortitudo desit? Scire etenim cuiquam quod non potest facere poena magis quam virtus est. — De connexione virtutum vide III. Sent. d. 36. q. 3.

Digitized by Google

ponit *sinceritatem temperantiae*, in meridie *claritatem prudentiae*, in aquilone *stabilitatem constantiae*, in occidente *suavitatem iustitiae*. — Et hoc modo in Apocalypsi Ioannes describit quatuor latera civitatis secundum quatuor virtutes cardinales[1]; et ordinantur etiam tribus iuxta tabernaculum.

Latera quatuor civitatis.

13. *Temperantia*, quae est ab oriente, sic describitur a Tullio[2]: « Temperantia est rationis in libidinem aliosque animi motus non rectos firma et moderata dominatio ». Partes eius sunt *sobrietas* in gustu, *castitas* in tactu, *modestia* in ceteris sensibus; quam modestiam vocant theologi *disciplinam*.

Temperantiae partes tres.

16. *Serenitas prudentiae* est a meridie, quae sic describitur[3]: « Prudentia est bonorum et malorum scientia et utrorumque discretio, cuius partes sunt *memoria*, *intelligentia*, *providentia* ». Prudentia enim est de praesentibus, praeteritis et futuris.

Item, prudentiae.

17. *Fortitudo* ab aquilone, quae sic describitur: « Fortitudo est aggressio periculorum vel susceptio et eorumdem constans et laboriosa perpessio ». Cuius partes sunt *fiducia*, *patientia*, *perseverantia*: fiducia in *aggrediendo*, patientia in *sustinendo*, perseverantia in *perseverando*.

Item, fortitudinis.

18. Item, in occidente *suavitas iustitiae*, quae est in exhibitione pietatis — volunt enim leges, poenas mitigari; unde finis iustitiae non est severitas, sed benignitas — quae sic describitur: « Iustitia est habitus, communi utilitate servata, suum unicuique tribuens dignitatem ». Partes eius secundum Tullium sunt ex *lege*, a *natura*, ex *consuetudine*; secundum nos una ordinat ad *superiores*, alia ad *inferiores*, tertia ad *pares*.

Item, iustitiae.

Notandum.

19. Hoc totum est per regulam rationis; et sicut sol transiens per duodecim signa[4] dat vitam, sic sol sapientialis, in nostrae mentis hemisphaerio radius et transiens, per suas duodecim partes virtutum ordinat vitam nostram; et quantumcumque homo habeat alias scientias, nisi habeat virtutes, non habet vitam; sicut, quantumcumque habeas stellas, nisi habeas solem in duodecim signis, non habebis diem.

Sanctis.

Virtutes 12.

20. Hae sunt tantae *nobilitatis*, quod dispositio mundi his correspondet. Virtutes enim configurantur quatuor *lucis influentiis*, quatuor *elementorum proprietatibus*, quatuor *causarum efficaciis*, quatuor *vitae salubritatibus*. — Primo, quatuor lucis principalibus influentiis: lux *purgat*, *illuminat*, *perficit* et *stabilit*; *temperantia* purgat, *prudentia* illuminat, *iustitia* conciliat, *fortitudo* roborat.

Hae respondent quadripliciter dispositioni mundi.

Primo lucis influentiis 4.

21. Item, quatuor elementorum proprietatibus: in *terra* est aridilas adornata, in *aqua* perspicuitas cum intensione lucis, in *aëre* subtilitas cum mulcebritate, in *igne* virtuositas in actione. Prima est *temperantia*, quae aridum reddit, et tamen ornat et vestit floribus. *Prudentia* respondet aquae perspicuitati, quae quasi incorporata est luci. *Iustitia* respondet aeris mulcebritati; aer enim ascendit et descendit, ad dexteram et sinistram movetur. *Fortitudo* respondet vigori ignis; unde ille loquens de fortitudine dicit[5]: *Fortis est ut mors dilectio; dura sicut infernus aemulatio; lampades eius lampades ignis atque flammarum.*

Secundo, elementis 4.

22. Item, quatuor causarum efficaciis: *efficiens*, *forma*, *finis* et *materia* integrant rem[6]. *Fortitudo* debetur efficienti, *prudentia* formae; *iustitia* fini; *temperantia* materiae, ne deficiat.

Causis 4.

23. Item, quatuor vitae salubritatibus: subtilitati spiritum, *temperantia*; vivacitati sensuum, *prudentia*; robori virium, *fortitudo*; conspicuitati qualitatum, *iustitia*[7].

Vitae salubritatibus 4.

24. Hae virtutes fluunt a luce aeterna in hemisphaerium nostrae mentis et reducunt animam in suam originem, sicut radius perpendicularis sive directus eadem via revertitur, qua incessit. Et haec est beatitudo. Unde primae sunt *politicae*, secundo *purgatoriae*, tertio *animi iam purgati*. *Politicae* sunt in actione, *purgatoriae* in contemplatione, *animi iam purgati* in lucis visione.

Reducunt in finem.

Tres gradus.

25. Et de his agit Salomon, ut dicit Origenes[8], de *politicis* in Proverbiis, de *purgatoriis* in Ecclesiaste, de *animi iam purgati* in Cantica canticorum.

Dicuntur in Scripturis.

---

[1] Cap. 21, 16: Et civitas in quadro posita est, et longitudo eius tanta est, quanta et latitudo etc. In quem locum Glossa *ordinaria* apud Strabum: Vel quatuor latera sunt quatuor principales virtutes, quarum una non debet aliam excedere. Cfr. tom. III. pag. 802, nota 1, in qua pro hac Glossa allegavimus Gregorium, qui etiam I. Homil. in Ezech. homil. 3. n. 8. ait: Possumus etiam per quatuor partes principales [orientem, occidentem etc.] quatuor virtutes accipere, ex quibus reliquae virtutes oriuntur etc. — Immediate post respicitur Num. 2, 3. seqq.

[2] Libr. II. Rhetor. c. 54. Deinde adiungit: Partes eius sunt continentia, clementia, modestia.

[3] Loc. cit.: Prudentia est rerum bonarum et malarum neutrarumque [in nota adiecta exhibetur ut lectio vulgaris *et utrarumque*] scientia. Partes eius: memoria etc. Ibid.: « Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. Eius partes: magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia ». Definitioni iustitiae diversis positae additur ibid.: Eius initium est ab *natura* profectum; deinde quaedam in *consuetudinem* ex utilitatis ratione venerant; postea res a natura profectas et ab consuetudine probatas *legum* metus et religio sanxit.

[4] Vide supra pag. 221, nota 5.

[5] Cant. 8, 6.

[6] Cfr. Aristot., II. Phys. text. 28. (c. 3.) et V. Metaph. text. 2. seq. (IV. c. 2.). — Mox post *efficiente* B prosequitur: *severitas* [ita et A, DEG *serenitas*] *prudentiae formae*; *rectitudo iustitiae fini*, *stabilitas temperantiae materiae*.

[7] Vide II. Sent. d. 17. a. 2. q. 3, ubi distinguitur aequalitas miscibilium in mixto *a pondere* et *a virtute*.

[8] In Prologo in Canticum canticorum, ubi, allata scientiarum distinctione in tres partes, scil. ethicam, physicam et theoricam (quam appellat *inspectivam*, i. e. qua supergressi visibilia de divinis aliquid et caelestibus contemplamur), notat, quod hanc divisionem sapientes Graecorum sumserunt a Salomone, utpote qui aetate et tempore longe ante ipsos prior eam per Dei spiritum doberat. Subinde ait: Salomon ergo tres etas [disciplinas]... distinguere ab invicem ac secernere voluens, tribus eas libellis edidit... Primo ergo in *Proverbiis* moralem

Digitized by Google

Et in notitiam istarum venerunt nobiles philosophi. Verba Macrobii de sententia aliquorum. Inde Macrobius[1], narrans sententiam Plotini, dicit sic: « Qui aestimant nullis nisi philosophantibus inesse virtutes, nullos praeter philosophos beatos esse pronuntiant. Agnitionem enim rerum divinarum *sapientiam* proprie vocantes, eos tantummodo dicunt esse sapientes, qui superna acie mentis requirunt et quaerendi sagaci diligentia comprehendunt, et quantum vivendi perspicuitas praestat, imitantur, et in hoc solo dicunt esse exercitia virtutum ».

Definitiones sec. Plotin. 26. « Quarum sic officia dispensant: *prudentiae* esse mundum istum et omnia, quae in mundo sunt, divinorum contemplatione despicere omnemque animi cognitionem in sola divina dirigere; *temperantiae*, omnia relinquere, in quantum natura patitur, quae corporis usus requirit; *fortitudinis*, non terreri animam a corpore quodam modo ductu philosophiae recedentem nec altitudinem perfectae ad superna ascensionis horrere; *iustitiae*, ad unam sibi huius propositi consentire viam uniusque virtutis obsequium. Atque ita fit, ut secundum hoc tam rigidae definitionis abruptum rerum publicarum rectores beati esse, vel omnino esse non possint ».

Mens Plotini. 27. « Sed Plotinus, inter philosophiae professores cum Platone princeps, in libro de Virtutibus[2] gradus earum vera et naturali divisionis ratione compositos per ordinem digerit. Quatuor sunt, inquit, quaternarum genera virtutum. Ex his primae *politicae* vocantur, secundae *purgatoriae*, tertiae *animi iam purgati*, quartae *exemplares* ». Divisio virtutum.

Primo, de politicis virtutibus. 28. « Et sunt *politicae* hominis, quia sociale animal est. His boni viri reipublicae consulunt, urbes tuentur; his parentes venerantur, liberos amant, proximos diligunt; his civium salutem gubernant; his socios circumspecta providentia protegunt, iusta liberalitate devincunt, hisque « sui memores alios fecere merendo[3] ».

De quatuor in specie. 29. « Et est politicae *prudentiae* ad rationis normam quae cogitat, quaecumque agit, universa dirigere, ac nihil praeter rectum velle vel facere, humanisque actibus tanquam divinis arbitris providere. Prudentiae insunt *ratio*, *intellectus*, *circumspectio*, *providentia*, *docilitas*, *cautio*. — *Fortitudinis* est animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter vel adversa, vel prospera. Fortitudo praestat *magnanimitatem*, *fiducium*, *securitatem*, *magnificentiam*, *constantiam*, *tolerantiam*, *firmitatem*. — *Temperantiae* est nihil appetere poenitendum, in nullo legem moderationis excedere, sub iugum rationis cupiditatem domare. Temperantiam sequuntur *modestia*, *verecundia*, *abstinentia*, *castitas*, *honestas*, *moderamen* vel[4] moderatin, *parcitas*, *sobrietas*, *pudicitia*. — *Iustitiae* est servare unicuique quod suum est; et ile iustitia veniunt *innocentia*, *amicitia*, *concordia*, *pietas*, *religio*, *affectus*, *humanitas*. His virtutibus vir bonus primum sui atque inde reipublicae rector efficitur, iuste ac provide gubernans humana, divina non deserens ».

Secundo, de purgatoriis. 30. « Secundae, quas *purgatorias* vocant, hominis sunt, qui divini capax est, sobiumque animum eius expelunt, qui decrevit se a corporis contagione purgare et quadam humanorum fuga solis se inserere divinis. Hae sunt otiosorum, qui a rerum publicarum actibus se seqnestrant. Harum quid singulae velint, superius[5] expressimus, cum de virtutibus philosophantium diceremus, quas solas quidam aestimaverunt esse virtutes ».

Tertio, de virtutibus animi purgati. 31. « Tertiae sunt *purgati iam defaecatique animi* et ab omni mundi huius aspergine presse pureque detersi. Illic *prudentiae* est divina non quasi in electione praeferre, sed sola nosse et haec tanquam nihil sit aliud, intueri; *temperantiae*, terrenas cupiditates non reprimere, sed penitus oblivisci; *fortitudinis*, passiones ignorare, non vincere, ut nesciat irasci, cupiat nihil; *iustitiae*, ita cum superna et divina mente sociari, ut servet perpetuum cum ea foedus imitando ».

De exemplaribus. 32. « Quartae sunt *exemplares*, quae in ipsa divina mente consistunt, quam diximus *nonn*[6] vocari, a quarum exemplo reliquae omnes per ordinem defluunt. Nam si rerum aliarum, multo magis virtutum ideas esse in mente divina credendum est. Illic *prudentia* est ipsa mens divina; *temperantia*, quod in se perpetua intentione conversa est; *fortitudo*, quod semper idem est nec aliquando mutatur; *iustitia*, quod perenni lege a sempiterna operis sui continuatione non flectitur. — Haec sunt quaternarum quatuor genera virtutum, quae praeter cetera maximam in passionibus habent differentiam sui ». Hucusque Plotinus.

---

docuit locum, succinctis, ut decuit, brevibusque sententiis vitae instituta componens. Secundam vero, quae naturalis appellatur, comprehendit in *Ecclesiaste*, in quo multa de rebus naturalibus disserens et inania ac vana ab utilibus necessariisque secernens, relinquendam vanitatem monet et utilia rectaque sectanda. Inspectivum quoque locum in hoc libello tradidit, qui habetur in manibus, id est in *Cantico canticorum*, in quo amorem caelestium divinorumque desiderium incutit animae sub specie sponsae ac sponsi, caritatis et amoris viis perveniendum docens ad consortium Dei.

[1] Libr. I. in Somnium Scipionis, c. 8.

[2] Enneadae primae libro II. de virtutibus (ed. Basileae 1580, pag. 13, n. 3. seqq.; secundum hanc ed. opera Plotini continentur 54 libris, in sex enneades distributis).

[3] Virgil., VI. Aeneid. v. 664: Quique sui memores etc. — Mox contra textum originalem codd. prosequuntur: *Et est politica prudentia ad rationis etc.*

[4] In originali omittitur *moderamen vel.*

[5] Scilicet n. 25. 26.

[6] Vox Graeca νοῦν.

Digitized by Google

COLLATIO VII.

De prima visione tractatio quarta, quae est de triplici defectu virtutum in philosophis, secundo, de fide sanante, rectificante, ordinante.

SUMMARIUM. — *Introductio et repetitio*, 1. — *Errores Aristotelis et excusatio eiusdem*, 2. — *De philosophis magis illuminatis, qui ideas virtutum posuerunt in Deo, sed ob defectum fidei defecerunt*, 3. 4. — Pars I. Triplex defectus in virtutibus philosophorum fide carentium. *Tres operationes virtutum necessariae: primo ordinare animam in finem; hoc isti non potuerunt propter duplicem defectum*, 5. 6. — *Secundo, rectificare affectus; quod iterum isti non potuerunt*, 7. — *Tertio, sanare morbidos; ad hoc quatuor necessaria: cognoscere primo quadruplicem morbum*, 8. — *Secundo, morbi causam*, 9. — *Tertio, medicum*, 10. — *Quarto, medicinam*, 11. — *In his quatuor defecerunt philosophi*, 12. — Pars II. Sola fides divisit lucem et tenebras; ipsa sanat, rectificat, ordinat, 13. — *Caritas sanat affectum; habet quatuor qualitates*, 14. — *Vestit virtutes; arma lucis sunt quatuor virtutes formatae; hae figuratae tripliciter*, 15. — *Primo, per quatuor flamina paradisi*, 16. — *Secundo, per quatuor ornamenta tabernaculi; tertio, per quatuor latera civitatis*, 17. — *Unitae tribus virtutibus theologicis sunt septem; figuratae tripliciter, primo ut fulgidae*, 18. — *Secundo, ut fecundae*, 19. — *Tertio, ut vigorosae*, 20. — *Numerus earum duodenarius; tripliciter figuratus*, 21. — *Adhuc geminatae, sunt viginti quatuor; tripliciter figuratae*, 22.

Introductio. 1. *Vidit Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem a tenebris*[1] etc. Ad explicandam visionem intelligentiae per *naturam inditae* sumtum est verbum hoc. Et quantum ad hoc, *quod esset bona*, videre nos fecit et per *considerationem scientialem* et per *contemplationem sapientialem*. Per *considerationem scientialem*, in quantum illustrat ut lux, scilicet ut veritas *rerum*, ut veritas *vocum* et ut veritas *morum*. Per *contemplationem sapientialem*, in quantum illustrat per influxum radii a luce aeterna in animam, ut videat illam lucem *in se* ut in speculo; in *Intelligentia separata*, ut in medio quodam delativo; in *luce aeterna*, ut in subiecto fontano. — Dictum etiam fuit, quod *divisit lucem a tenebris*, quod quidam ideas impugnaverunt, ex quo triplex intelligentia veritatis occultatur, scilicet veritas *artis aeternae*, veritas *divinae providentiae*, veritas *ruinae angelicae*; quod sequitur, si Angelus perfectionem suam non haberet nisi per motum. Ex quo sequitur triplex *caecitas*, scilicet de *aeternitate mundi*, de *unitate intellectus*, de *poena et gloria*.

Repetitio primae visionis.

2. *Primam* videtur ponere Aristoteles, *ultimam* etiam, quia non invenitur, quod ponat felicitatem post hanc vitam; de *media* autem dicit Commentator[2], quod ipse hoc sensit. — De aeternitate mundi excusari posset, quod intellexit hoc ut philosophus, loquens ut naturalis, scilicet quod *per naturam* non potuit incipere. Quod Intelligentiae habeant perfectionem per motum, pro tanto hoc potuit dicere, quia non sunt otiosae, quia nihil otiosum in fundamento naturae[3]. — Item, quod posuit felicitatem in hac vita, quia, licet sentiret aeternam, ile illa se non intromisit, quia forte non erat de consideratione sua. — De unitate intellectus posset dici, quod intellexit, quod est unus intellectus ratione *lucis influentis*, non ratione *sui*, quia numeratur secundum subiectum[4].

Opinio Aristotelis.

Quomodo in his excusetur.

3. Sed quidquid senserit, alii philosophi illuminati posuerunt *ideas*; qui fuerunt cultores unius Dei, qui omnia bona posuerunt in optimo Deo, qui posuerunt virtutes *exemplares*, a quibus fluunt virtutes *cardinales*, primo in vim *cognitivam* et per illam in *affectivam*, deinde in *operativam*, secundum illud « *scire, velle* et impermutabiliter *operari* », sicut posuit nobilissimus Plotinus[5] de secta Platonis et Tullius sectae academicae. Et ita isti videbantur illuminati et per se posse habere felicitatem. — Sed adhuc

Alii cognoverunt ideas et virtutes exemplares.

[1] Gen. 1, 4. — In seqq. datur summa collationum I. 5. et 6.

[2] Cfr. supra pag. 361, nota 5. — De seq. prima excusatione vide supra collat. 5. n. 29. in fine et II. Sent. d. 1. p. I. a. 1. q. 2. ad 1. et 2.

[3] Vide Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 32. (c. 4.); II. text. 59. (c. 11.); III. de Anima, text. 45. (c. 9.); in his locis versio Arabico-Latina pro *frustra* utitur voce *otiosum*, quae etiam I. Metaph. text. 17. adhibet dictionem *in fundamento naturae* (materiae). Cfr. supra pag. 358, nota 5.

[4] Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 4. in corp. (2. opinio).

[5] Cfr. supra pag. 364, nota 2. — De Cicerone, ex quo coll. 6, n. 15. seqq. quaedam allata sunt, notandum, quod ipse in philosophia secutus sit academiam *novam*, cuius auctores fuerunt ipsius praeceptores Philo Lariss. et Antiochus ab Ascalon. Haec academia placitis Platonis coniungebat quaedam ex doctrina Aristotelis et praesertim Stoicorum, ipsaque initium praebuit systemati *Neoplatonicorum*, quod a Plotino praecipue expositum fuit. Cicero ad ideas Platonis recurrit in libro, cui titulus « Ad Marcum Brutum orator », c. 3. et 29. — Praecedens sententia (*scire, velle* etc.) est Aristot.; vide supra pag. 149, nota 8.

Digitized by Google

Detecerunt ob irrationem fidei. isti in tenebris fuerunt, quia non habuerunt lumen fidei, nos autem habemus lumen fidei. Unde in prima Petri [1]: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.*

Iterum sententia de virtutibus. 4. Illi autem praecipui philosophi posuerunt, sic etiam illuminati, tamen sine fidé, per *defluxum* in nostram cognitionem virtutes cardinales. Quae primo Triplex virtus. dicuntur *politicae*, in quantum docent conversationem in mundo; secundo, *purgatoriae* quantum ad solitariam contemplationem; tertio, *purgati animi*, ut animam quietari faciant in exemplari. Dixerunt ergo, per has virtutes animam *modificari*, *purgari* et *reformari*.

Prae Insufficientia virtutum naturalium. 5. Sed adhuc in tenebris sunt, quia necesse est, ut hae virtutes prius habeant *tres operationes*, scilicet animam *ordinare in finem*; secundo, *rectificare affectus* animae; tertio, quod *sanentur morbidi*. Has Primo, non ordinabant in finem. autem operationes non habuerunt in ipsis. — Probatio. Dicit Augustinus in libro de Civitate Dei [2], quod vera virtus non est, quae non dirigit intentionem ad Deum Ratio duplex. fontem, ut ibi quiescat *aeternitate certa* et *pace perfecta*. *Certa aeternitas* esse non potest, quae amitti potest; *perfecta pax* non est nisi in reunione corporis et animae; et hoc certum est. Si enim anima essentialiter inclinationem habet ad corpus, nunquam anima plene quietatur, nisi sibi corpus reddatur [3]. — Prima. Philosophi autem ignoraverunt *certam aeternitatem*. Circulatio animarum. Posuerunt enim et ipsi, quod anima ascendebat per capricornum et descendebat per cancrum, deinde transiens per lacteum circulum, quem nos galaxiam vocamus, obdiviscebatur quae superius fecerant, et induebatur corpori miseri sibi aptato, quousque iterum superius rediret [4]. Haec autem est *falsa beatitudo*, scilicet quod anima esset in beatitudine et postea reverteretur.

Secunda. 6. *Pacem* etiam *perfectam* non cognoverunt, quia non cognoverunt, quod mundus haberet finem, et quod corpora pulverizata resurgant. Nec mirum: quia, cum essent investigatores secundum potentiam rationis, ratio nostra non potest ad hoc pervenire, ut corpora resurgant, ut elementa contraria possint sic conciliata in caelo sine reflexione permanere. Non referebant ergo ad illam vitam, sed in abeunte quadam circulatione ponebant animam. Ignoraverunt ergo fidem, sine qua virtutes non valent, ut dicit Augustinus de Trinitate libro decimo tertio, capitulo vigesimo [5].

Secundo, non rectificabant affectus. 7. Secundo oportet affectus ordinatos *rectificare* per virtutes istas. Affectus autem quatuor sunt: *timor, dolor, laetitia, fiducia* [6]. Isti autem non rectificantur, nisi sit timor *sanctus*, dolor *iustus*, laetitia *vera*, fiducia *certa*. Si autem timor *superbus*, dolor *iniustus*, laetitia *inepta*, fiducia *praesumtuosa*; tunc affectiones sunt oblidiquae. Virtutes autem istae *per se* rectificari non possunt. *Fiducia* enim sive spes est de hoc quod non videtur, ut de beata vita; beata autem vita non datur nisi dignis; dignus autem nullus est, nisi habeat merita sufficientia. Haec per vires liberi arbitrii haberi non possunt nisi per condescensionem Dei, scilicet per gratiam. *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam* [7].

Tertio, non sanabant morbidos. 8. Tertio necesse est, affectus *sanari*, ut rectificentur. Non sanatur autem aliquis, nisi cognoscat *morbum* et *causam*, *medicum* et *medicinam*. — *Morbus* autem est depravatio affectus. Haec autem Non cognoscebant morbum quadruplex. est quadruplex, quia contrahit ex unione ad corpus anima *infirmitatem*, *ignorantiam*, *malitiam*, *concupiscentiam* [8]; ex quibus inficitur *intellectiva*, *rationi*, *potestativa*; et tunc infecta est tota anima. Has *omnino* non ignoraverunt, nec *omnino* sciverunt. Videbant enim hos defectus, sed credebant, eos esse in *phantasia*, non in potentiis interioribus. Credebant enim, quod sicut sphaera movetur contra sphaeram, sic phantasia moveret et inclinaret ad exteriora, sed intellectus naturaliter ad superiora; et

---

[1] Cap. 2, 9. — Interius post finem verborum S. Petri ad confirmandam hanc sententiam (scil. quod philosophi isti in tenebris fuerunt etc.) H E G allegant Augustinum XIII. de Trinitate c. 19. n. 25: Illi autem praecipui gentium philosophi etc. (cfr. infra n. 9.).

[2] Libr. XIX. c. 25: Profunde virtutes, quas [animus vel mens] sibi habere videtur... nisi ad Deum retulerit, etiam ipsae vitia sunt potius quam virtutes. Nam licet a quibusdam tunc veraae et honestae putentur esse virtutes, cum ad se ipsas referuntur nec praeter aliud expetuntur, etiam tunc inflatae ac superbae sunt; et ideo non virtutes, sed vitia iudicanda sunt. Cfr. ibid. XIX. c. 10, ubi docet, veram virtutem esse eam, quae omnia et se ipsam « ad eum finem referi, ubi nobis talis et tanta pax erit, qua melior et maior esse non possit ». — A H allegant *de Trinitate*; cfr. lib. XIII. c. 20 n. 26, XIV. c. 4. n. 3. et c. 8. n. 11.

[3] Cfr. supra pag. 286, nota 5. et pag. 289, nota 2.

[4] Secundum Macrobium, l. in Somnium Scipionis, c. 12.

[5] Num. 26. Cfr. etiam XIV. c. 4. n. 3. — Verba superius posita *sine reflexione* idem significare videntur, ac si diceretur *sine mutua actione et passione* i. e. sine actione et passione, qua unum elementum agat in alterum et patiatur ab altero. Aristot., II. de Caelo et mundo, text. 19. (c. 3.): Contrarietatem enim habet unumquodque elementorum ad unumquodque... His autem existentibus, manifestum est, generationem esse, eo quod ipsorum [elementorum] nihil possibile esse sempiternum. Patiuntur enim et agunt, contraria a se invicem et corruptiva invicem sunt. Cfr. ibid. III. text. 52. (c. 6.). Vide August., XIII. de Civ. Dei, c. 17. Pro *sine reflexione* D E G *sine rarefactione* i. e. sine alteratione, quae habetur ex rei augmentatione. — Quod subiunde dicitur: *sed in abeunte quadam circulatione*, declaratur ab August., XII. de Civ. Dei, c. 20. n. 1, qui utitur his verbis: « circuitibus definitis [certis intervallis] eumdem semper atque redeuntibus... revolutione incessabili ». Cfr. ibid. XIV. c. 5.

[6] Cfr. tom. III. pag. 355, nota 7. et pag. 356, nota 5.

[7] Rom. 8, 18. Ibid. v. 24: Spes autem, quae videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat? Cfr. III. Sent. d. 26. a. 1. q. 1. ad 4.

[8] Vide supra pag. 231, nota 4. in fine.

Digitized by Google

tamen decepti fuerunt, quia hae infirmitates in parte intellectuali sunt, non solum in parte sensitiva: *intellectiva*, *amativa*, *potestativa* infectae sunt usque ad medullam.

Nec morbi causam.

9. Morbum nesciernnt, quia *causam* ignoraverunt. Si enim, ut dicunt philosophi, anima *naturaliter* unitur corpori, non contrahit morbum — aliter Deus res dissiparet, non conservaret — hoc tamen

Culpa originalis.

fit per *culpam* a principio originali, scilicet Adam. Hoc autem, quod Adam comedit lignum vetitum [1], per rationem sciri non potest nisi per auditum; et ideo fides necessaria est. Ad *causam* ergo *morbi* non venerunt, quia Prophetis non crediderunt; ut dicit Augustinus de Trinitate libro decimo tertio, capitulo decimo nono [2]: « Illi gentium philosophi praecipui, qui *invisibilia Dei per ea quae facta sunt*, *intellecta* conspicere potuerunt; tamen, quia sine Mediatore, id est sine homine Christo, philosophati sunt, quem nec *venturum* Prophetis nec *venisse* Apostolis crediderunt, veritatem detinuerunt in iniquitate ».

Nec medicum.

10. Item, *medicum* non cognoverunt; cum enim morbus fuerit ex crimine laesae maiestatis, punitio debuit esse gravissima. Nullus ergo potuit sanare, nisi esset Deus et homo, qui posset satisfacere; in quo nec fuit concupiscentia, nec natus per legem naturae, sed de Virgine [3]. Quod autem ille esset

Christus se probat esse medicum.

medicus, ostendit per *exempla virtutis*, per *documenta veritatis*, per *incitamenta amoris*, per *remedia salutis*. Iste medicus sanat omnia; *etenim neque herba neque malagma sanavit eos*, *sed tuus*, *Domine*, *sermo* [4]. Verbum incarnatum, crucifixum, passum; et post misit Spiritum sanctum, qui illabitur cordibus nostris.

Nec medicinam.

11. Haec ergo est *medicina*, scilicet gratia Spiritus sancti. Hunc *medicum* et hanc *gratiam* philosophia non potest attingere. Quid ergo gloriaris, qui nescis per scientiam tuam nec *infirmitatem* tuam nec eius *causam* nec *medicum* nec *medicinam*?

Epilogus I. partis.

12. Isti philosophi habuerunt pennas struthionum [5], quia affectus non erant *sanati* nec *ordinati* nec *rectificati*; quod non fit nisi per fidem. Unde primo posuerunt falsam *beatitudinis circulationem*; secundo, falsam praesentium *meritorum sufficientiam*; tertio, *internarum virium perpetuam incontaminatem*. In has tres tenebras inciderunt.

Pars II. Sola fides sanat, rectificat, ordinat.

13. Fides igitur, purgans has tenebras, *docet morbum*, *causam*, *medicum*, *medicinam*; *sanat* animam, ponendo meritorum radices in Deo, cui placeat; et sic proficit per fidem in spem certam per meritum Christi, non praesumtuose. *Sanat* ergo, *rectificat* et *ordinat*; hoc modo anima potest *modificari*, *rectificari* et *ordinari*. Has radices ignoraverunt philosophi. Fides ergo sola *divisit lucem a*

Ipsa dividit lucem a tenebris.

tenebris. Unde Apostolus [6]: *Eratis enim aliquando tenebrae*, *nunc autem lux in Domino*. Fides enim, habens spem et caritatem cum operibus, *sanat* animam et ipsam sanatam *purificat*, *elevat* et *deiformat*. Modo sumus in vera luce; non sic illi qui somniant, qui accipiunt falsa pro veris, ut idolum pro Deo.

Solo caritas sanat affectum.

14. Notandum autem, quod sola *caritas* sanat *affectum*. Amor enim, secundum Augustinum, de Civitate Dei [7], radix est omnium affectuum. Ergo necesse est, ut amor sit sanatus, alioquin omnes affectus sunt obliqui; non sanatur autem nisi per divinum amorem, qui amor divinus est *purus*, *providus*,

Proprietates eius 5.

pius et *perpetuus*: *purus* respectu temperantiae, *providus* respectu prudentiae, *pius* respectu iustitiae et *perpetuus* respectu fortitudinis. Caritas ergo est *finis* et *forma* omnium virtutum et fundatur super *spem de corde puro et fide non ficta* [8].

Virtutes cardinales intermediae et informantes.

15. Hae ergo virtutes *informes* et undae sunt philosophorum, *vestitae* autem sunt nostrae. Vestitur autem debent *auro amoris*, quia omnes parietes templi vestiti erant auro [9]; similiter *oleo unctionis*, quia omnia vasa oleo unctionis sanctificata erant. Et sic non dividuntur. — *Nox praecessit*, *dies autem appropinquavit* etc. *Induamur ergo arma lucis* [10], scilicet quatuor virtutes *fide originatas*, *spe sublevatas* et *caritate completas*. — Hae quatuor virtutes

Tripliciter figurantur.

sic vestitae designantur per quatuor *flumina paradisi*, per quatuor *latera civitatis*, per quatuor *ornamenta tabernaculi*, et hoc ut sint *originatae*, *informatae* et *stabilitae*.

Primo et originantur.

16. Per quatuor *flumina* paradisi, in quantum *originantur a fide*. Flumen est gratia Spiritus sancti diffusi in has quatuor virtutes: Phison respondet *temperantiae*, Gehon *prudentiae*, Tigris *fortitudini*; Euphrates *iustitiae* [11]. Phison respondet *rationali*, Gehon *concupiscibili*, Tigris *irascibili*, Euphrates *toti animae*.

---

[1] Cfr. Gen. 3, 6. — Subinde respicitur Rom. 10, 17: Ergo fides ex auditu etc. — Quae praecedunt (n. 8. et 9.) sunt secundum August., XIV. de Civ. Dei, c. 3. et 5; XXI. c. 3. n. 2.

[2] Num. 24. Allegatur Rom. 1, 20, et in fine respicitur v. 18: Qui veritatem Dei in iniustitia detinent.

[3] Cfr. Breviloq. p. IV. c. 1. et 3.

[4] Sap. 16, 12.

[5] De struthionibus Plinius, X. Histor. natural. c. 1, dicit, quod celeritate praeeminent, « ad hoc demum datis pennis, ut currentem adiuvent; cetero non sunt volucres nec a terra tolluntur ».

[6] Eph. 5, 8.

[7] Libr. XIV. c. 7. n. 2. Cfr. supra pag. 238, nota 4.

[8] Epist. I. Tim. 1, 5. — Caritatem esse formam virtutum, ostenditur III. Sent. d. 36. q. 6.

[9] Cfr. III. Reg. 6, 20. et 23. Subinde respicitur Exod. 30, 25. sequ. (de oleo unctionis vasorum).

[10] Rom. 13, 12. Post *appropinquavit* Vulgata praesequitur: Abiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis.

[11] August., II. de Gen. contra Manich. c. 10. n. 13, quatuor flumina paradisi (Gen. 2. 10. sequ.) quatuor virtutibus ita adaptat, ut Phison respondeat prudentiae, Gehon fortitudini, Tigris temperantiae, Euphrates iustitiae. Cfr. Philo, I. Allegor. Legis.

Digitized by Google

17. Item, in quantum *informantur caritate*, designantur per quatuor *ornamenta* tabernaculi, quae erant quatuor cortinae, pelles hyacinthinae, saga cilicina et pelles arietum rubricatae [1]. Cortina respondet *temperantiae*, pelles hyacinthinae caelestis coloris *prudentiae*, saga cilicina *iustitiae*, pelles arietum rubricatae *fortitudini*. — Vel sic: in ornamento templi fuerunt quatuor colores: byssinus, in quo *temperantia;* hyacinthinus, in quo *prudentia;* purpureus, indumentum regale, *iustitia;* coccineus, hoc est flammeus, *fortitudo. Ornant* ergo domum per quatuor latera. — Item, *stabiliunt* et introducunt per portam, per quatuor latera civitatis [2], *stabilitae per spem* ad normam aequalem.

Secundo, ut informatae. Alter. Tertio, ut stabilitae.

18. Adinnctis ergo tribus virtutibus, scilicet fide, spe et caritate, consurgunt in septenarium designatum per *septem stellas*, per *septem mulieres* et per *septem panes* evangelicos [3]; et hoc in quantum sunt *fulgidae*, *fecundae*, *vigorosae*. In quantum sunt *fulgidae*, per *septem stellas*. Unde in Iob: *Nunquid coniungere valebis micantes stellas pleiadas, aut gyrum arcturi dissipare? Pleiades* sunt illae septem stellae coniunctae, quas vulgus *gallinam cum pullis* vocat. Hae virtutes faciunt *gyrum* imperturbabilem.

Adinnctis theologicis sunt 7, triplicitèr sumptae. Primo, ut fulgidae.

19. Secundo, ut *fecundae*, per *septem mulieres*. Isaias [4]: *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes* etc. *Virum*, quia faciunt hominem virilem; et *unum*, quia non divaluut eum, sed stabilem faciunt et fecundum.

Secundo, ut fecundae.

20. Tertio, in quantum *vigorosae* designantur per *septem panes* evangelicos, ex quibus pascitur universitas electorum. In philosophis hae quatuor virtutes fuerunt lapides, sed modo sunt septem panes vitae. Panes Moysi *quinque* fuerunt *hordeacei* [5], sed *septem panes frumenti* in doctrina evangelica *ex adipe frumenti*.

Tertio, ut vigorosae.

21. Item, quatuor cardinates ducas in tres theologicas, et sic sunt duodecim, quia prudentia debet esse *fidelis*, *fidens* et *amans;* et sic de aliis. Et designantur per duodecim *fontes*, per duodecim *lapides pretiosos* in vestimento Pontificis, per duodecim *portas* civitatis [6]: et hoc, in quantum *inchoant, promovent* et *perducunt*. — Primo, per *duodecim fontes*, quia, ut se circumincedunt, faciunt animam mundam. — Secundo, per *duodecim lapides*, quia ornant animam in omnibus virtutibus in pectore, sicut illi lapides in pectore Pontificis. — Tertio, per *duodecim portas*, in quantum introducunt: nam ad orientem *sinceritas temperantiae*, ad meridiem *serenitas prudentiae*, ad aquilonem *stabilitas constantiae*, ad occidentem *suavitas iustitiae*.

Augentur ad duodecim, figuratae triplicitèr. Primo, ut inchoant. Secundo ut promoveant. Tertio, ut perducant.

22. Ulterius, istae virtutes duodecim, *geminatae* in *prosperis* et in *adversis*, designantur per *viginti quatuor horas*, duodecim in *nocte* adversitatis, et duodecim in *die* prosperitatis. — Item, geminatae per *activam* et *contemplativam;* et sic per *viginti quatuor seniores* [7], qui modo volvuntur ad actionem, modo ad contemplationem, quia faciunt sensatum et maturum. — Item, per *contemplativam practicam* et *speculativam;* et sic per *viginti quatuor alas* quatuor animalium, quorum quodlibet senas alas habet. — Et in hoc terminatur prima visio et opus primae diei.

Bicum hae geminantur et triplicitèr figurantur. Finis 1. visionis.

COLLATIO VIII.

De secunda visione, scilicet intelligentiae per fidem sublevatae, tractatio prima, quae agit de altitudine fidei.

SUMMARIUM. — *Introductio. Caelum habet tria: est sublime, stabile, spectabile*, 1. — *Ob easdem proprietates fides vocatur caelum*, 2. — *Fides habet lumen et nubem; est altissima, firmissima, speciosissima*, 3. — Pars I. De altitudine fidei, secundum altitudinem sublimitatis et altitudinem profunditatis, sive secundum mysterium Trinitatis et incarnationis, 4. — *De utraque altitudine loquitur*

---

[1] Cfr. Exod. 26, 1. seqq. Vide Bedam, II. de Tabernaculo etc. c. 2-4.

[2] Cfr. Apoc. 21, 16. Vide supra pag. 363, nota 1. — B: *stabiliunt per eadem quatuor latera, introducunt per quatuor portas in ipsis quatuor lateribus civitatis.*

[3] Apoc. 3, 1. — Isai. 4, 1. — Matth. 15, 34. — Seq. locus est Iob 38, 31. Vulgata verbo *dissipare* praemittit *poteris.*

[4] Cap. 4, 1.

[5] Ioan. 6, 9: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos etc. In quem locum August., in Ioan. Evang. tr. 24. n. 5, ait: Breviter ut curramus, quinque panes intelliguntur quinque libri *Moysi;* merito non triticei, sed hordeacei; quia ad vetus testamentum pertinent. Nostis autem hordeum ita creatum, ut ad medullam eius vix perveniatur; vestitur enim eadem medulla tegmine paleae, et ipsa palea tenax et inhaerens, ut cum labore exuatur. Talis est littera veteris testamenti, vestita tegminibus carnalium sacramentorum etc. — Subinde respicitur Ps. 80, 17: Et cibavit eos ex adipe frumenti. Cfr. Ps. 147, 3.

[6] Exod. 15, 27. et Num. 33, 9. — Exod. 28, 17-21. — Apoc. 21, 12. seq. et 21. — De circumincessione virtutum cfr. supra collat. 6. n. 13; ibid. n. 14. habetur etiam de quatuor virtutibus, in quantum respondent quatuor mundi partibus.

[7] Apoc. 4, 4; 5, 8. seqq.; 11, 16. seq. et 19, 4. — Inferius respicitur Apoc. 4, 8: Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas. — Inferius B et Vat. legunt: *Item contemplativa, si dividatur per practicam et speculativam, significat in istis duodecim duplicatis viginti quatuor alas* etc.

Digitized by Google

Scriptura, 5. — *Utraque est incomprehensibilis, praesertim secunda*, 6. — *Visio Isaiae de utraque*, 7. — *Duplex lumen; duo Seraphim, clamantes ter Sanctus; admirabile Dei nomen*, 8-10. — *Epilogus primae partis*, 11. — Pars II. De sex alis utriusque Seraph et de duodecim articulis fidei. *Sex articuli de Deo, figurati per sex alas primi Seraph; de tribus alis in latere dextero et tribus personis in Deo*, 12. — *Tres alae in latere sinistro et triplex emanatio in creaturam*, 13. — *Quomodo sibi respondeant sex alae*, 14. — *Sex articuli de incarnatione, figurati per sex alas secundi Seraph, secundum descensum et ascensum*, 15. 16. — *Duodecim articuli praedicati a duodecim Apostolis; in his consistit cultus Dei*, 17. — *Figura in V. T.*, 18. — *Ordo duodecim articulorum*, 19.

Introductio.

1. *Vocavit Deus firmamentum caelum; factum est vespere et mane, dies secundus*[1]. Sequitur opus secundae diei, quae est secunda visio intelligentiae *per fidem sublevatae*, et de ea non dicitur: *vidit*, sed *vocavit*. Ad litteram hoc caelum *est sublime, stabile* et *spectabile*: *sublime* quantum ad situm, *stabile* quantum ad formam, *spectabile* quantum ad claritatem. *Sublime* est; unde in Proverbiis[2]: *Caelum sursum, et terra deorsum*; hoc ipso, quod caelum est nobile, in ordine universi superiorem locum obtinet, et terra infimum. — Est etiam *stabile* quantum ad formam, quia movetur non mutando locum, sed in loco et circa medium; Iob[3]: *Tu forsitan cum eo fabricatus es caelos, qui solidissimi quasi aere fusi sunt?* — Est etiam *spectabile* quantum ad multitudinem ornatuum; Iob[4]: *Spiritus eius ornavit caelos*; et Ecclesiasticus: *Species caeli, gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus*. Ab ista conditione ultima denominatur *caelum* a *caelando*, non ab abscondendo, sed a sculpendo, quia scribitur per *ae* diphthongum, quia ornatum et quasi sculptum est luminaribus.

Tres proprietates caeli.

2. Per *firmamentum* autem intelligitur *visio fidei*. Fides enim reddit *sublimem* animam vel intelligentiam, quia transcendit omnem rationem et investigationem rationis; reddit *stabilem*, quia excludit dubitationem et vacillationem; reddit etiam *spectabilem*, quia multiformem ostendit claritatem. Vocatur ergo fidei firmitas *caelum*, quia facit intelligentiam *sublimem* per investigationem; *stabilem*, dum stabilit in veritate; *spectabilem*, dum replet eam multiformi lumine. Unde Daniel[5]: *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti*. Sed nemo doctus est, nisi doceatur a Deo, quia *nemo venit ad Patrem nisi per me*, ait Salvator; et in Isaiae: *Erunt omnes docibiles Dei*. Ad fidem nullus docetur nisi per Deum; et quia venit a *voce* Dei, idea dicitur: *Vocavit Deus firmamentum caelum*. Unde non dicit: *vidit Deus firmamentum*, sed *vocavit*, quia firmitas fidei magis est in *credulitate* quam in contemplatione; credulitas autem est per auditum, quia *fides ex auditu*, ut ait Apostolus ad Romanos[6], et antea: *Corde creditur ad iustitiam*.

Ob eadem proprietates fidei vocatur caelum.

3. Fides autem magis est in confessione veritatis quam in communicatione lucis; unde *ore confessio fit ad salutem*[7]. Unde fides quodam modo *videt*, quodam modo *non videt*; unde *non videre* est fidei meritum, *credere* autem fidei lumen. Est ergo *firmamentum-caelum*, quia *substantia sperandarum rerum*; et est *lumen*, quia *argumentum non apparentium*[8], unde habet *lumen* et habet *nubem*. — *Vocavit Deus firmamentum caelum*; in Ecclesiastico: *Altitudinis firmamentum species caeli in visione gloriae*. Et haec tria tangit hic, scilicet *sublimitatem, stabilitatem* et *spectabilitatem*. Est enim haec visio fidei *alta, firma* et *speciosa*. Haec fides *nobilissima* est, *firmissima* et *speciosissima*. Multi tamen habent hanc fidem, et eam non cognoscunt, quia fides habet faciem velatam; unde habet quoddam velamen nigrum ante faciem. Facit etiam de turpibus animalibus *altissimos*; unde in Actibus[9]: *Fide purificans corda eorum*.

Fides habet cum lumine nubem.

Fides alta firm. speciosa.

4. *Altitudo* autem fidei in duobus est: in altitudine *sublimitatis* et in altitudine *profunditatis*. De *prima* altitudine Ecclesiasticus[10] dicit: *Altitudinem caeli et latitudinem terrae et profundum abyssi quis dimensus est?* Quasi diceret, super omnem humanam rationem est nosse sublimitatem fidei, dilatationem caritatis, venerationem divini timoris. — De *secunda*, in Ecclesiaste[11]: *Alta profunditas; quis inveniet eam?* scilicet per rationem; transcendit enim investigationem nostram. Et licet *altitudo* et *profun-*

Pars I. De altitudine fidei duplici.

Altitudo sublimitatis.

Altitudo profunditatis.

---

[1] Gen. 1, 8.

[2] Cap. 25, 3.

[3] Cap. 37, 18. — Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 53. seqq. (c. 5.), et supra pag. 352, nota 3.

[4] Cap. 26, 13. — Seq. locus est Eccli. 43, 10. — De nomine *caeli* cfr. Ambros., II. Hexaem. c. 4. n. 15. (quem sequitur Isidor., III. Etymolog. c. 31. et XIII. c. 4.): Nam caelum, quod οὐρανὸς Graece dicitur, Latine, quia impressa stellarum lumina velut signa habent tanquam caelatum, appellatur etc.

[5] Cap. 12, 3. — Seq. locus est Ioan. 14, 6; tertius ibid. 6, 45.

[6] Cap. 10, 17. et 10.

[7] Rom. 10, 10.

[8] Hebr. 11, 1. — Seq. locus est Eccli. 43, 1: Altitudinis firmamentum pulcritudo eius est, species etc.

[9] Cap. 15, 9.

[10] Cap. 1, 2.

[11] Cap. 7, 25. — Seq. locus est Epis. 3, 18.

ditas in corporibus idem sint, distinguuntur tamen secundum rationem; et Apostolus distinguit, cum dicit: *Ut possitis comprehendere, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum.*

De utraque loquitur Scriptura.

5. De his duobus Ecclesiasticus [1]: *Ego in altissimis habito, et thronus meus in columna nubis.* *Altitudo* fidei consistit in cognitione Dei *aeterni*, *profunditas* autem in cognitione Dei *humanati*. De primo scriptum est [2]: *Excelsior caelo est, et quid facies?* De secundo subiungitur: *Profundior inferno, et unde cognosces?* Profunditas Dei humanati, scilicet humilitas, tanta est, quod ratio deficit. — *Altitudo* Dei investigabilis est; unde *mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam* [3]. — Item, *in altissimis* dicit, in quantum fides docet Deum aeternum; *thronus meus in columna nubis* dicit, in quantum docet Deum humanatum. De his duobus Apostolus ad Romanos [4]: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibiles sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! Sapientia* quantum ad notitiam Dei aeterni, *scientia* quantum ad notitiam Dei humanati. Inde firmamentum factum est *in medio aquarum*, hoc est *fides*, ut cognoscat anima ea quae sunt *super firmamentum*, et quae *sub firmamento* sunt. Et haec *sapientia* est divinarum rerum, et *scientia* humanarum [5].

Utrique incomprehensibile.

6. *Incomprehensibilis* est sapientia, per quam iudicat omnia; sed maxime incomprehensibilis, quae vadit per *vias investigabiles*. De quo in Proverbiis [6]: *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro: viam aquilae in caelo, viam colubri super petram, viam navis in medio maris, et viam viri in adolescentula.* *Via aquilae in caelo* fuit in Christi *ascensione*; *via colubri*, in *resurrectione*, quia colubri in petra innovatur, ubi dimittit vetustam pellem; *via navis in mari*, in *passione*; *via viri in adolescentula*, in *incarnatione*, quam penitus se dicit ignorare; et verum est secundum humanam rationem, sed secundum fidem verus est.

Duplex aeternum.

7. Est ergo duplex *altitudo firmamenti*: una, per quam suprema respicit; altera, per quam infima; una, per quam docet cognoscere Deum *aeternum*; altera, Deum *incarnatum*. De his duobus dicitur

Visio Isaae.

Isaiae sexto [7] in visione, quae omnium suarum visionum fuit radix: *Vidi Dominum sedentem* etc., usque ibi: *Plena est omnis terra gloria eius.* Et statim sequitur excaecatio Iudaeorum et illuminatio gentium. Inde dicit Ioannes: *Haec dixit Isaias, quando vidit Dominum*; et sequitur: *Excaeca cor populi huius et aures eius aggravi.* Inde illuminatio gentium fuit excaecatio Iudaeorum. Et de hoc exclamat Apostolus: *O altitudo divitiarum* etc.

Ex duplici mysterio duplex lumen.

8. Dicit ergo Isaias: *Vidi*, scilicet visione intelligentiae *per fidem sublevatae* et stabilitae in sublimitate sapientiae aeternae, per quam est duplex lumen inflammativum et seraphicum [8]; quod quidem seraphicum facit clamare tripliciter; et facit fides *duplici* seraphicatione animam seraphicam et facit mentes alatas senis alis.

Duo Seraphim et duplex trisagion.

9. Intellectus enim noster per fidem illuminatus clamat tripliciter: *Sanctus, sanctus, sanctus.* Sunt enim duo Seraphim stabiliti in nobis per fidem, et quilibet clamat triplici exclamatione, tamen non nisi semel *Dominus Deus* [9]. Notitia enim Dei est notitia trium personarum cum unitate essentiae; unde *tres sunt, qui testimonium dant* in *caelo*, *Pater*, *Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* Intellectus ergo seraphicatus, id est illuminatus et inflammatus per fidem, clamat ter *sanctus*. Alter Seraph respondet: *Sanctus, sanctus, sanctus*: quia, sicut in *Deo aeterno* est trinitas personarum cum unitate essentiae, ita etiam in *Deo humanato* sunt tres naturae cum unitate personae [10]. — Et isti sunt duae radices fidei, quas qui ignorat nihil credit: ut corpus, anima, Divinitas. Sanctus Christus sanctum habet corpus; sanctus Christus sanctam habet animam; sanctus Christus sanctam habet Divinitatem. Sanctus *exterius*, sanctus *interius*, sanctus *superius*.

Duae radices fidei.

Admiratio et nomen admirabile.

10. Hae sunt duae cognitiones fidei *illuminantes* et *ardentes* triformiter ad unitatem reductae. *Clamare* autem dicuntur propter admirationem, quia utrumque est admirabile; unde in Psalmo [11]: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Minuisti eum paulo minus ab Angelis; gloria et honore coronasti eum.* Et vere *admirabile nomen* quantum ad Deum *aeternum*, quia ibi est vera distinctio personarum cum unitate essentiae, per quam sunt summe *conformes*, summe *concordes*, summe *coaequales*, *coaeterni*, *consub-*

---

[1] Cap. 24, 7.

[2] Iob 11, 8. Ibid. etiam seq. locus.

[3] Psalm. 138, 6.

[4] Cap. 11, 33. — Subinde respicitur Gen. 1, 6. seq.: Fiat firmamentum in medio aquarum... divisitque aquas, quae erant sub firmamento, ab his quae erant super firmamentum.

[5] Cfr. supra pag. 317, nota 7, in hoc et tom. III. pag. 77.1, nota 2.

[6] Cap. 30, 18. seq. Pro *adolescentula*, quod habet textus secundum textum Hebraeum, Vulgata *iuvenis*.

[7] Vers. 1-3. — Subinde respicitur Ioan. 12, 39. seqq.: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum... Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius et locutus est de eo. — Verba *Excaeca* etc. sunt Isai. 6, 10.

[8] Scil. lumen sive cognitio de trinitate personarum cum unitate essentiae, et lumen de incarnatione Filii Dei. — B *inflammaticum et illuminatorium*.

[9] Isai. 6, 2. seq.: Seraphim stabant super illud; sex alae uni, et sex alae alteri... Et clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum etc. (cfr. supra Itinerarium mentis in Deum, c. 6. n. 4. seqq.). — Seq. locus est I. Ioan. 5, 7.

[10] Sive ut dicit Bernard., V. de Consideraat. c. 9. n. 20: Tres essentiae [corporalis, spiritualis, divina] sunt una persona.

[11] Psalm. 8, 2. et 6.

Digitized by Google

stantiales, *coessentiales*. — Item, est admirabile, quoniam *tres naturae coniunctae* sunt: *supremum* cum infimo sine depressione, *primum* cum ultimo sine innovatione, *simplex* cum composito sine compositione.

Epilogus I. partis.

11. In his tribus omnia miraballia radicantur; et sunt iuncta cognitio Divinitatis et humanitatis, quia incarnatio non cognoscitur, nisi cognoscatur distinctio personarum. Si enim non cognoscas Trinitatem, ita bene Pater incarnatus est vel passus, ut Filius; et es Sabellianus et Patripassianus. — Item, si ponas Trinitatem et non incarnationem, testimonium habes in caelo, et non accipis in terra; cum tamen tres sint, *qui testimonium dant in terra*, *spiritus*, *aqua et sanguis* [1]. In *spiritu* Divinitas, in *aqua* corpus, in *sanguine*, ubi est vita animae, anima. Per sanguinem enim Christi spiritus aquae iungitur, quia mediante anima Divinitas coniungitur corpori.

Pars II. De sex alis utriusque Seraph.

De sex alis prout Seraph.

12. Habemus ergo duos Seraphim clamantes et admirantes; restat dicere, quare *sex alas* habent, et tunc videbuntur ea quae fidei sunt. Fides enim est in Deum *aeternum* et *humanatum*. — Fides in Deum aeternum est una illustratio senarum alarum; et hoc dupliciter: aut quantum ad *distinctionem personarum*, aut quantum ad *diffusionem Trinitatis in creaturam* secundum *essentiam*, *virtutem* et *operationem* [2]. — Primo modo sunt tres articuli, scilicet Patris ingeniti, Filii unigeniti a solo Patre, Spiritus sancti ab utroque spirati. Isti sunt tres alae in latere *dextero*, scilicet in aeternitate; nec potest addi nec minui ad emanationem, ut scilicet sit producens tantum et non productum, quia sic esset infinitas; si esset tantum productum, et non producens tantum, sic esset infinitas ex parte ante; ergo necesse est ponere producens et productum simul, ut ad invicem cohaereant. Aliter in divinis esset distinctio sine ordine; distinctio autem sine ordine confusio est: unde necesse est, quod Spiritus sanctus procedat ab utroque; et hoc dicunt omnes *sapientes* Graeci, nec est controversia nisi de nomine; et per consequens iste fuit error in *fatuis* Graecis [3].

Tres alae in dextero sunt tres articuli.

13. Similiter in *sinistro* sunt tres alae, in quantum ab una *essentia*, *virtute* et *operatione* est diffusio in creaturam. Et secundum hoc est triplex operatio, in quantum unus Deus est *creator*, *sanctificator* et *praeuniator*; quia omne, quod ab ipso emanat, aut est *natura*, aut *gratia*, aut *gloria*. Et sic Pater et Filius et Spiritus sanctus unus creator per naturam, unus sanctificator per gratiam, unus praeuniator per gloriam. Primum autem est ante tempus, secundum in tempore, tertium post omne tempus. Primum est in initio temporis, secundum in decursu, tertium in consummatione. — Est tamen *creatio animae* in decursu temporis, quia *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* [4]. *Praeuniatio* etiam fit in medio temporis, ut *animarum*, sed post fiet *perfecta*. — Item, *creatio* attribuitur *Patri*, quia potens; *sanctificatio Spiritui sancto*, quia bonus; *praeuniatio Filio*, quia indicabit et rex apparebit.

Creatio animarum continuatur.

Ala respondet alae.

14. Sed quomodo respondebit ala alae? Dicendum, quod *sanctificatio* aut considerabitur quantum ad *veniam*, quae quidem fit per redemptionem, et sic attribuitur Filio; aut quantum ad *gratiam*, et sic attribuitur Spiritui sancto. — Similiter *praeuniatio* consideratur secundum *iudicium sententiantis*, et sic attribuitur Filio; aut quantum ad *amorem praeuniantis*, et sic Spiritui sancto. Media autem operatio pervenit ad ultimam; sic tres alae disponuntur.

Sex alae alterius Seraph.

15. Alter Seraph propinquior est nobis et habet similiter sex alas: tres secundum *descensum*, et tres secundum *ascensum*: secundum *descensum*, veniendo ab ala *super caput* per *medium* ad alam *super pedes*. Hi sunt tres articuli secundum *incarnationem*, *crucificionem*, *descensum ad inferos* secundum animam. Incepit enim *a summo*, quia necesse fuit, ut uniret sibi naturam, in qua appareret et per quam descenderet, quia ipse *de se* immutabilis *est*; deinde venit ad *crucem*, demum ad *infernum*. Hae alae in sinistro.

Secundum descensum tres.

Item, secundum ascensum.

16. Tres similiter *ascendendo*: *resurrectio* de inferis in mundum, *ascensio* de mundo in caelum, de caelo *adventus ad iudicium*, ut sit ascensio ab Ecclesia militante in triumphantem. Sed primo fiet exspoliatio inferni in *resurrectione*, apertio iaunae in *ascensione*, consummatio regni in *iudicio*; his nihil certius.

In his 12 fidei articuli.

17. Hae sex alae primae sunt sex considerationes perfectae Dei *in* tribus personis et tribus operibus; aliae sex secundae, sex considerationes Dei incarnati: in his ergo duodecim articuli fidei, cuius praedicatores sunt duodecim Apostoli [5]. *Ala* enim sublevat ad transcendendum omnem humanam rationem. Sine hac duplici consideratione nullus est *cultor Dei*.

Figura in V. T.

18. In cuius designatione Pontifex *in* superhumerali habebat lapides duos: unum in dextero latere, et alterum in sinistro; et *in* illis duodecim nomina filiorum Israel: sex nomina in lapide uno, et sex in altero, et erant in lapide onychino lucido et ardenti [6], in quo fides humanitatis et Divinitatis exprimitur; quae similiter exprimuntur in Symbolo a duodecim Apostolis composito. In hac fide sacrificium placet Deo.

---

[1] Epist. I. Ioan. 5, 8. — Lev. 17, 14: Anima carnis in sanguine est. — Quomodo Divinitas mediante anima corpori coniungi dicatur, ostenditur III. Sent. d. 2. a. 3. q. 1. — Cum Vat. retinuimus *quia mediante... corpori* (in ed. male *humanitati*).

[2] Respiciuntur verba Dionysii supra pag. 205, nota 7. allata.

[3] Cfr. I. Sent. d. 11. q. 1. — Superius post *quia sic esset infinitas* Vat. addit *ex parte ante*, mutato subinde *ex parte ante* in *ex parte post*. Cfr. I. Sent. d. 2. q. 2.

[4] Ioan. 5, 17. — Ibid. v. 22: Omne iudicium dedit [Pater] Filio (de appropriatione cfr. supra Breviloq. p. I. c. 6.).

[5] Cfr. infra n. 18. et Breviloq. p. V. c. 7.

[6] Vide Exod. 28, 6. seqq.

Ordo duodecim articulorum.

19. In lapidibus ordinabantur nomina secundum nativitatem ipsorum, sed in Symbolo secundum dicta Apostolorum. Unde: « Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae »; ecce, unus articulus Patris ingeniti. — » Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum »; secundus, Filii geniti a Patre. — Deinde sequuntur sex ad humanitatem pertinentes. » Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine », tertius articulus. — » Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus », quartus articulus. — » Descendit ad inferos », quintus. — « Tertia die resurrexit a mortuis », sextus. — » Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis », septimus. — » Inde venturus est iudicare vivos et mortuos », octavus. — « Credo in Spiritum sanctum », nonus. — » Sanctam Ecclesiam catholicam », decimus. — « Sanctorum communionem, remissionem peccatorum », undecimus. — « Carnis resurrectionem, vitam aeternam », duodecimus. — Et haec [1], secundum quod Spiritus sanctus *instituit, unit, purificat* quantum ad tres ultimas operationes praeter ultimum.

COLLATIO IX.

De secunda visione tractatio secunda, quae est de triplici firmitate fidei.

SUMMARIUM. — *Introductio. Triplex firmitas fidei ex triplici testimonio*, 1. — Pars I. Veritas fidei expressa triplici testimonio, scilicet per Verbum increatum, incarnatum, inspiratum. *Primo exprimitur per Verbum increatum*, 2. 3. — *Secundo, per Verbum incarnatum*, 4. 5. — *Tertio, per Verbum inspiratum*, 6. 7. — *Ab ipso sunt duodecim fundamenta fidei et duodecim rationes firmitatis fidei; varia oratio fidei*, 8. — Pars II. Quatuor rationes ostendentes firmitatem testimonii Apostolorum aliorumque testium, 9. — *Prima firmitas est ex testium notitia certa, quae oritur ex triplici visione*, 10. — *Visio intellectualis pura*, 11. — *Visio intellectualis iuncta cum visione imaginaria*, 12. — *Visio intellectualis iuncta cum corporali*, 13. — *De his tribus in genere*, 14. — *Secunda firmitas est ex testium fama perfecta, fundata in triplici praeclaritate*, 15. — *Praeclaritas meritorum et miraculorum*, 16. — *Praeclaritas miraculorum et martyriorum*, 17. — *De his tribus*, 18. — *Tertia firmitas est ex testium concordia plena, quae est in eloquiis Scripturae, decretis Conciliorum, documentis Sanctorum*, 19. — *De eloquiis Scripturae*, 20. — *De decretis Conciliorum*, 21. — *De documentis Sanctorum*, 22. — *Quarta firmitas est ex testium sententia firma per consensum rationis. Triplex rationis iudicium*, 23. — *Sentiendum de Deo primo altissime et pissime*, 24. — *Secundo, altissime et verissime*, 25. — *Tertio, altissime et optime*, 26. — *Ab ista luce est triplex influxus in animam, scilicet robur virtutis, zelus veritatis, excessus amoris*, 27. 28. — *In ultimo est summum et apex fidei*, 29.

Introductio.

1. *Vocavit Deus firmamentum caelum* [2] etc. Dictum est, quod *altitudo* fidei in duobus consistit: in altitudine *sublimitatis* et in altitudine *profunditatis*. De altitudine fidei dictum est, sed nunc dicendum est de eius *firmitate*. Sed si *alta*, quomodo *certa*? Quia res, quanto altior, tanto minus nota; et quanto minus nota, tanto magis dubitabilis. — Et ideo intelligendum, quod huius fidei *firmitas* est triplex. Prima est ex testimonio veritatis expressae per *Verbum increatum;* secunda, ex testimonio veritatis expressae per *Verbum incarnatum;* tertia, ex testimonio veritatis expressae per *Verbum inspiratum*.

Triplex fidei firmitas.

Pars I. Veritas expressa per Verbum increatum.

2. De prima in primae Ioannis quinto [3]: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.* A tribus *datur* testimonium, sed *exprimitur* per Verbum, quia Verbum et Patrem et se ipsum et Spi-

---

[1] Scil. quatuor ultimi articuli, quorum primus est de Spiritu S. *in se*, duo sequentes de tribus eius operationibus *in praesenti*, nempe de institutione Ecclesiae, de unione membrorum et remissione peccatorum; ultimus articulus, qui respicitur per verba inferius posita *praeter ultimum*, ostendit duas operationes Spiritus sancti *in futuro*, scil. remunerationem corporis (carnis resurrectionem) et remunerationem animae vel etiam utrusque (vitam aeternam). Cfr. Dictae salutis (inter opera S. Bonav.), tit. 5, c. 3.

[2] Gen. 1, 8. — In seqq. respicitur collatio praecedens.

[3] Vers. 7. — Seq. locus est Ps. 32, 6; tertius Ps. 118, 89. seq. — Mox pro *exprimitur* A *exprimuntur*; tamen verbum refertur melius ad *testimonium*. Inferius pro *Et isto Verbo firmantur et caelestes et subcaelestes* D *Verbum enim est medium expressivum affectus et intellectus interioris. Unde firmitate huius Verbi tam caelestes quam subcaelestes firmantur. Subcaelestes veritate expressa per ipsam.*

Digitized by Google

ritum sanctum exprimit et omnia alia. Unde in Psalmo: *Verbo Domini caeli firmati sunt; et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Caeli*, id est caelestes, per fidem Verbo Dei firmati sunt; et isto Verbo firmantur et *caelestes* et *subcaelestes*, unde dicit: *Et spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Unde Scriptura, explicans mysterium hierarchiae caelestis et subcaelestis, in alio loco dicit: *In aeternum, Domine, Verbum tuum permanet in caelo*, scilicet Trinitatis; *in generationem et generationem veritas tua; fundasti terram et permanet.*

3. Super hoc Verbum fundata est Ecclesia, quae *terrae* nomine figuratur. Unde Isaias [1]: *Quis mensus est pugillo aquas et caelos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terrae?* Hoc facit Verbum, per quod *facta sunt omnia*. Manus eius, per quam cuncta *creantur, formantur* seu distinguuntur et *ornantur, tribus digitis* levat et suspendit terram, scilicet ecclesiasticam hierarchiam, quam *creat, distinguit* et *ornat* [2]. Haec manus metitur aquas et omnia tenet in manu, sicut in pugilla res tenetur. Haec est manus *Verbi aeterni*. — Hoc testimonium transcendit omne iudicium cuiuslibet creaturae. Unde animalia volatilia *demittebant alas suas, cum fieret vox super firmamentum* [3]. Quomodo ergo nos audiemus *tonitruum*, si sermonis eius *scintillam* vix apprehendimus? In ipso fundata est Ecclesia.

4. Condescendit autem nobis, quia se exprimit per *Verbum incarnatum*; et hoc est *secundum* testimonium; de quo in Ioanne [4]: *Qui de terra est de terra loquitur; qui de caelo venit super omnes est.* Testimonium Christi *maius fuit testimonio* Ioannis Baptistae, quia non alio supponente loquitur, quia anima eius omnia vidit; unde qui de caelo est revera caelestia revelare potest. Unde dixit Nicodemo: *Si terrena dixi vobis, et non creditis; quomodo, si dixero vobis caelestia, credetis?* Hinc Filio Pater testatur in *voce*, Spiritus sanctus in *columbae specie*, ut testimonium eius sit solidissimum; quia *Pater*, inquit, *quod dedit mihi maius omnibus est.* Secundo, per Verbum incarnatum. Testimonium Christi maius.

5. Huius autem fidei Christus est *fundamentum*; et *nemo potest aliud fundamentum ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus* [5]. Iste est *lapis angularis*, de quo facit Isaias et Petrus mentionem: *Ecce ponam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, speciosum*; et Apostolus: *Superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo Iesu.* Christus fundamentum.

6. Tertia firmitas est ex testimonio veritatis ut expressae per *Verbum inspiratum*; et hoc fuit in omnibus Prophetis; et nos *audivimus* hoc verbum, quia *Spiritus sanctus testificatur, quoniam Christus est veritas* [6]. Aliqui *viderunt* eum in carne. Unde in Luca: *Beati oculi, qui vident quae vos videtis. Dico vobis, quod multi reges et Prophetae voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt.* Tertio, per Verbum inspiratum.

7. Radiavit autem Spiritus sanctus in cordibus praedicatorum ad omnem veritatem praedicandam et scribendam; ad Hebraeos primo [7]: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Et postea dicitur: *Si enim qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus*; et sequitur: *Quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus sancti distributionibus.* — Et explicatur hic triplex firmitas fidei: primo, ut expressa per *Verbum increatum*, cum dicit: *Multifariam* etc., et: *Qui cum sit splendor gloriae* [8]; secundo, ut per *Verbum incarnatum*, ibi: *Purgationem peccatorum faciens*; tertio, ut per *Verbum inspiratum*; ibi: *Quae cum initium accepisset enarrari per Deum.* Radiavit in cordibus praedicatorum. Applicatio.

8. Hic Spiritus sanctus in mentibus electorum facit scripturas et dat firmitatem fidei christianae; et quia specialiter in Apostolis, ideo dicuntur *duodecim fundamenta civitatis*. In Apocalypsi [9]: *Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam, descendentem de caelo a Deo* etc.; et dicitur, quod in fundamento *duodecim nomina Apostolorum* erant scripta; non tantum autem testimonium Apostolorum, sed varia testimonia Spiritus sancti in multis; in quibus sunt duodecim rationes firmitatis fidei, quae sunt duodecim fundamenta. Per cancursum enim diversorum testimoniorum Spiritus sanctus fidem firmavit inconcussam; licet vexata fuerit haec firmitas in *principio* Fundamenta 12 cum 12 rationibus. Vexata triplicitate firmitas.

---

[1] Cap. 40, 12. — Mox allegatur Ioan. 1, 3.

[2] De his tribus actibus cfr. Breviloq. p. II. c. 2.

[3] Ezech. 1, 24. seq.: Cumque starent, demittebantur pennae eorum. Nam cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant et submittebant alas suas. — Immediate post respicitur Iob 26, 14: Et cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

[4] Cap. 3, 31. — Subinde respicitur Ioan. 5, 36: « Ego autem habeo testimonium maius Ioanne »; allegatur Ioan. 3, 12: Si terrena etc.; respicitur Matth. 3, 16. seq., et allegatur Ioan. 10, 29: Pater meus quod dedit mihi etc. — Superius post *Condescendit autem nobis* D prosequitur *Deus Pater et voluit Verbum suum incarnari pro nobis, ut istud testimonium plenius audiremus. Ioannis primo* Verbum caro factum est et habitavit in nobis, *et:* Qui de terra est etc.

[5] Epist. I. Cor. 3, 11. — Subinde allegantur Isai. 28, 16: « Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum »; I. Petr. 2, 6: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem etc.; Eph. 2, 20: Superaedificati etc.

[6] Epist. I. Ioan. 5, 6. Ibid. 1, 1: Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris etc. — Seq. locus est Luc. 10, 23. seq.

[7] Vers. 1. seq. — Seqq. loci habentur ibid. 2, 2-4.

[8] Hebr. 1, 3, ubi etiam seq. locus: Purgationem etc.

[9] Cap. 21, 2. Ibid. v. 14: Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.

Digitized by Google

Ecclesiae, ubi crucialantur Martyres ab idololatris; vexata similiter fuit in *medio tempore* diversis haeresibus; vexabitur maxime in *fine* Ecclesiae per *tormenta*, per *argumenta*, per *miracula*. Unde *vae praegnantibus et nutrientibus in his diebus*[1], hoc est, vae teneris in fide. Oportet ergo, quod fides firmetur per *Verbum inspiratum*.

9. Consurgit autem haec firmitas ex quatuor quasi ex quatuor lateribus civitatis[2]; ex testificantium *notitia certa*, ex testificantium *fama praeclara*, ex testificantium *concordia plena* et ex testificantium *sententia firma;* quia, si sit *notitia certa*, non sit autem *fama bona;* non creditur sibi, sed quando bonus est homo, scitur, quod veritatem dicit. Et si habeat *certam notitiam* et *famam claram*, sed tamen multi sibi *contradicunt;* adhuc potest esse dubitatio. Si autem haec tria habeat, et *notitiam* et *famam* et *concordiam*, et tamen non habet *sententiam firmam;* dubitatio esse potest.

Par. II. Rationes 4 pro hac firmitate.

10. De *notitia certa* dicitur secundae ad Corinthios duodecimo[3]: *Scio hominem raptum usque ad tertium caelum, et audivit arcana*, hoc est, certa notitia per ascensum usque ad tertium caelum, et iterum per descensum usque ad primum per illustrationes omnium caelorum; unde Ecclesiastici vigesimo quarto: *Ego feci, ut oriretur in caelis lumen indeficiens*, id est in caelestibus viris lumen fidei firmum. Per *triplex caelum* triplex visio intelligitur: intellectualis *pura*, intellectualis *adiuncta cum visione imaginaria* et intellectualis *cum visione corporali manifesta*. Prima invenitur in mentibus angelicis; secunda, in mentibus propheticis; tertia, in mentibus apostolicis. Harum visionum concursu est certitudo Scripturae.

Prima ratio. Notitia certa oritur ex triplici visione.

11. Visio intellectualis *pura* fuit in *mentibus angelicis* et in *Legislatore*. *Lex* enim *per Angelos ordinata* est[4]; Angeli eam dederunt, eam scripserunt, qui puram veritatem videbant in luce aeterna. Ad hanc visionem fuit Moyses sublimatus ultra omnes Prophetas, quia scriptum est: *Si fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; at non talis servus meus Moyses. Ore enim ad os loquor ei, et palam et non per aenigmata et figuras Dominum videt*. Et in signum huius ieiunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus[5]; qui etiam vidit Angelum, qui in rubo apparuit ei. Et exponit beatus Stephanus, quod non fuit ibi Dominus nisi per subiectam creaturam, sed Angelus fuit.

Prima fuit in Angelis et Moyse.

12. Secunda certitudo fuit in *mentibus propheticis*. In secunda Petri[6]: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi luceruae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*. Visiones tamen Prophetarum fuerunt *imaginariae*, ut Isaiae, Danielis.

Secunda, in Prophetis.

13. Tertia est certitudo ex visione intellectuali *iuncta cum corporali*. Haec fuit in *mentibus apostolicis*. Unde Iohannes[7]: *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspexerunt, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae;* et non aliud, quam *quod vidimus, annuntiamus vobis*. Unde Thomas tangere voluit et audivit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti;* et alibi: *Qui vidit testimonium perhibuit;* et in Actibus: *Praecepit nobis testificari*. Et beata virgo Maria, doctrix Apostolorum et Evangelistarum, contrectavit hoc Verbum in utero et in sinu.

Tertia, in Apostolis.

14. Hae tres visiones sive certitudines concurrentes, angelicae, propheticae, apostolicae, dant certitudinem fidei et Scripturae. Has tres Paulus habuit, qui Christum *corporaliter* vidit: *Novissime*, inquit[8], *tanquam abortivo visus est et mihi;* qui etiam ad mediam et tandem ad supremam visionem fuit sublimatus, scilicet ad intellectualem. Bene ergo dictum est: *Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens*.

Cuae dant certitudinem.

15. Secunda *firmitas* est ex testificantium *fama praeclara*. Haec in tribus consistit: in praeclaritate *meritorum*, *miraculorum* et *martyriorum*. — Praeclaritas *meritorum* fuit in Patriarchis. Unde in Ecclesiastico[9]: *Laudemus viros gloriosos*. Patriarchae miracula non fecerunt, sed famosi fuerunt in meritis. Hi fuerunt initium Scripturae, quae agit de apparitionibus illis factis.

Secunda ratio. Fama praeclara oritur ex tribus. Prima, in Patriarchis.

16. Praeclaritas *meritorum* et *miraculorum* fuit in *Legislatore*. Vide magna miracula facta in flagellatione Aegypti, in transitu maris rubri, in deserto, ubi per quadraginta annos non sunt attrita calceamenta nec vestimenta, ubi etiam manna de caelo pluit illis[10]. Vide *Iosue*, qui solem fecit stare, qui aquas divisit in ingressu terrae promissionis, et aquae reversae sunt in suam originem. Adiunge his *Eliam* et *Eliseum;* qui Elias caelum clausdebat, pluviam

Secunda, in Moyse atque.

---

[1] Luc. 21, 23.

[2] Respicitur Apoc. 21, 16.

[3] Vers. 2. seqq. Vulgata plura interiicit. — Seq. locus est Eccli. 24, 6. — De triplici visione cfr. supra pag. 347, nota 2.

[4] Gal. 3, 19. — Seq. locus est Num. 12, 6-8.

[5] Exod. 24, 18; 34, 28. et Deut. 9, 18. — Subinde respicitur Exod. 3, 2. (de rubo) et Act. 7, 38. (de Stephano).

[6] Cap. 1, 19-21.

[7] Epist. I. c. 1, 1. Verba paulo inferius posita *et annuntiamus vobis* habentur ibid. v. 2. — Subinde allegantur Ioan. 20, 29; 19, 35. et Act. 10, 42: Praecepit nobis praedicare populo et testificari.

[8] Epist. I. Cor. 15, 8. — Seq. locus est Eccli. 24, 6.

[9] Cap. 44, 1.

[10] Cfr. Exod. 7-12. (de decem plagis); 14, 21. seqq. (de transitu maris); 16, 13. seqq. (de manna). Deut. 29, 5: Ad-

Digitized by Google

dabat et cibum augmentabat, qui in curro igneo ascendit in caelum. Vide *Elisaeum*, qui vivens mortuum suscitavit, mortuus etiam mortuum suscitavit, qui hominem capiebat. Ante Legem ergo et post Legem et in datione Legis facta sunt miracula, et non nisi in hoc populo. Ex quo sequitur, quod isti viri amantissimi et cari Deo fuerunt in *veritate fundati*. Haec est ergo certitudo fidei.

Tertia, in Martyribus.

17. Tertia praeclaritas est *meritorum*, *miraculorum* et *martyriorum*. Et haec certitudo veritatis apparet, quando homo vult mori pro veritate, quam praedicat, ut Isaias serratus est, Ezechiel interfectus, Ieremias et alii etiam Prophetae. Unde dicitur Iudaeis: *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri*[1]? — Si dicant haeretici, quod ipsi moriuntur pro veritate et habent merita; tertium tamen non habent, scilicet miracula; nunquam auditum est, quod haereticus vel ante vel post mortem vel in morte fecerit miracula.

Notandum.

18. De istis caelis legitur[2]: *Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum*, scilicet viros caelestes, in quibus videmus hanc *triplicem claritatem*, quae sunt opera digitorum Dei. — In isto digito tertio, scilicet miraculi, deficiunt *magi Pharaonis*.

Tertia ratio. Concordia plena in tribus. Prima, in Scripturis.

19. Tertia firmitas fidei est ex testificantium *concordia plena*, quae est in tribus: in *eloquiis* Scripturarum, in *decretis* Conciliorum, in *documentis* Sanctorum. — De primo Psalmus[3]: *De medio petrarum dabunt voces*. Hoc est *de medio duorum Cherubim*, de quibus loquebatur Dominus, sive de quorum medio, scilicet de medio duorum testamentorum. Isaias[4] dicit: *Ecce, Virgo concipiet*, et Lucas dicit: *Ecce, concipies*. Alius dixit: *Occidetur Christus;* et Evangelista: *Christus occiditur*. Quidquid ergo dictum est per Prophetas, impletum est per Christum. Isaias[5] dixerat: *Ascendet Dominus super nubem levem et ingredietur Aegyptum, et movebuntur simulacra;* hoc factum est per Christum; nec unquam inventus est aliquis Propheta, vel philosophus, qui idololatriam potuerit removere; quod tamen Christus fecit per Apostolos ubique terrarum.

Testes sunt Prophetae et Apostoli.

20. Hi veri testes sunt Scripturae, *Prophetae* et *Apostoli*. Nec potest dici, quod Apostoli suborna-verunt Prophetas, ut sic dicerent, sicut evenit in Christo. Si enim eodem tempore fuissent, posset haberi suspicio; sed illi praecesserunt. Veritas ergo ista est infallibilis. Si enim contingens dicatur firmiter esse futurum et cognoscatur certitudinaliter; impossibile est, quod videatur alicubi nisi in veritate certa[6]. — Vetus ergo testamentum et novum in magna consonantia et harmonia conveniunt et sunt sicut *viginti quatuor seniores* circa thronum Christi, ut nulla sit dubitatio.

Secunda, in Conciliis.

21. Secunda firmitas est in *decretis Conciliorum*, quia illa quae in dubium venielant, ibi confirmata sunt. Arius dicebat, quod Pater esset Filio maior secundum essentiam; et per hoc nitebatur ostendere, non esse Filium aequalem Patri. Et in primo Concilio, ubi fuerunt viri sanctissimi — beatus Nicolaus fuit ibi[7] — ubi, dico, fuerunt trecenti decem et octo episcopi, ibi fides confirmata est catholica, scilicet universalis; et hoc factum est auctoritate Petri et aliorum Patrum. Iste quatuor Concilia *principalia fuerunt*[8] — quia septem fuerunt — quae dant testimonia huic fidei.

Tertia, in Doctoribus.

22. Tertia firmitas est in *documentis Doctorum* et sapientum in mundana sapientia et divina, ut Dionysii, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni, Damasceni, Basilii, Athanasii, Chrysostomi. Latinorum similiter: Hilarii, Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hieronymi. Documenta istorum concordant et idem dicunt, idem sapiunt. — De his dicit Iob[9]: *Quis enarrabit caelorum rationem, et concentum caeli quis dormire faciet?* Haec est concordia Scripturarum, Conciliorum et Doctorum.

Quarta ratio. Sententia firma.

23. Quarta ratio firmitatis fidei est ex testificantium *sententia firma;* quae firmitas habetur ex hoc, quod consentit rationi, quia ratio non potest

---

dixit vos quadraginta annis per desertum; non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum veterascere consumta sunt. — De Iosue vide eius librum c. 10, 13. (de sole) et 3, 14. seqq. (de transitu per Iordanem). — De Elia cfr. III. Reg. 17, 1. seqq. et IV. 2, 11; de Eliseo cfr. ibid. IV. 4, 32. seqq.; 13, 21. et 6, 22.

[1] Act. 7, 52. — Haymo, Exposit. in Epist. ad Hebr. 11, 37: *Lapidati sunt*, ut Naboth, Ieremias in Aegypto a reliquis transmigratorum, Ezechiel in Babylone... *Secti sunt*. Hic pluralis numerus pro singulari positus est. Neminem enim Sanctorum legimus in veteri testamento *sectum* nisi Isaiam prophetam, quem fertur secari serra ligneo Manasses rex, qui filiam eius habebat in uxorem. Cfr. Hieron., XV. Comment. in Isai. 57, 1. seq.

[2] Psalm. 8, 4. — Pro praecedentibus verbis D habet. *Sed haec miracula caelestes fieri fecerunt; Psalmus*. Certe supplendum est, quod *tales* testes comparari possint *caelis*. — Subinde respicitur Exod. 8, 19. Cfr. supra pag. 341, nota 7. — Inferius post *Pharaonis* Vat. cum UC addit *id est haeretici et quicumque alii infideles*.

[3] Psalm. 103, 12. — Exod. 25, 22: Inde praecipiam et loquar ad te supra propitiatorium ac de medio duorum Cherubim... cuncta quae mandabo per te filiis Israel (August., Qq. in Exod. q. 105, et Beda, I. de Tabernaculo etc. c. 5, docent, per duo Cherubim figurari duo Testamenta). Cfr. Ezech. 28, 14. et 16, ubi Cherubim vocantur *lapides ignei*.

[4] Cap. 7, 14. — Luc. 1, 31. — Daniel 9, 26: Occidetur Christus. Matth. 26, 4: Et consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent et occiderent.

[5] Cap. 19, 1.

[6] Vide supra collat. 3. n. 29. — Subinde respicitur Apoc. 4. 4. et 10. Cfr. supra pag. 368, nota 7.

[7] Cfr. Breviar. Roman. pro festo S. Nicolai (6. Decemb.), lect. 6, et Surius, Histor. seu Vitae Sanctor. de S. Nicolao § 14. (tom. 12. pag. 178). Athan., Epist. ad Afros, c. 2, et Socrates, I. Histor. eccles. c. 8, allegant 318 episcopos.

[8] Cfr. can. *Sancta Romana* (3.), dist. 15.

[9] Cap. 38, 37.

contradicere. Iudicium enim *rationis illustratae* est, quod de Deo summe est sentiendum et altissime. Hoc autem est tripliciter: de Deo sentiendum est *altissime* et *piissime*, *altissime* et *verissime*, *altissime* et *optime*.

Triplex rationis iudicium.

24. Ratio ergo dictat, quod de Deo altissimo est sentiendum *altissime* et *piissime*[1], quod illa essentia est nobilissimo modo. Forma *universalis* nobilior est *particulari*, quia est in multis; *particularis* autem uno modo nobilior *universali*, quia *particularis* est in uno non numerata, sed *universalis* in multis est numerata: ergo essentia divina habere debet, quod nobilitatis est in creatura, ut sit una in multis non numerata[2]. — Sentiendum est etiam *piissime*, quod illa essentia est origo omnium, creans omnes res, et quod immediate ab ipsa omnes res procedunt. Nisi tu sentias, quod totalitas rerum ab ipsa procedit; non sentis de Deo *piissime*. Plato commendavit animam suam *factori*[3]; sed Petrus commendavit animam suam Creatori.

Primum iudicium pro Trinitate et Creatore.

25. Secundo sentiendum est etiam de Deo *altissime* et *verissime*, quia ipse est veritas omnia *gubernans*, omnia *illustrans*, omnia *rectificans*, omnia *disponens*; unde in Psalmo[4]: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* Non ergo gubernatio est attribuenda astris.

Secundum, pro providentia.

26. Tertio sentiendum est de Deo *altissime* et *optime*, quod sit optimus, ex quo se summe diffundit et diligit. Unde *proprio Filio suo non pepercit*[5], et donando illum nobis dedit quidquid scivit, quidquid potuit. *Omnia*, inquit Filius, *quaecumque habet Pater, mea sunt.* Dedit autem Pater nobis Filium *natum de nobis*, dedit nobis *passum pro nobis*, *resuscitatum propter nos*, quia *propter nimiam caritatem, qua dilexit nos* etc. Unde bene dicitur: *Per viscera misericordiae Dei nostri*; intima Dei bonitas facit, quod summe diligat, summe misereatur. — Haec omnia apparebunt in resurrectione, quia per summam *pietatem*, qua omnia creavit, omnia restaurabit; per summam *veritatem* omnia iudicabit; per summam *benignitatem* omnia gloricabit.

Tertium, pro redemptione.

27. Ex hoc sensu nascitur in anima triplex *influxus* ab illa luce, per quam stabilitur anima in Deo. Primus est *robur virtutis*; secundus, *zelus veritatis*; tertius, *excessus amoris*. — *Robur virtutis* est primus, quia nihil difficile est animae habenti fidem inconcussam, quia, *si potest credere, omnia possibilia sunt credenti*[6]: quia paratus est sustinere omnia propter Deum, quia per fidem stabilitur virtus.

Triplex influxus. De primo.

28. Secundus influxus est *zelus veritatis*, ut homo indignetur contra omne malum et falsum et afficiatur statim ad omne bonum. Dedignetur omne malum, sicut Elias, qui prophetaverat de Achab et Iezabel, quod comederent eos canes[7]. Dixit Achab: *Num invenisti me inimicum tuum?* Respondit Elias: *Inveni, eo quod venundatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini*, quasi diceret: quicumque est contrarius Deo, est contrarius mihi.

De secundo.

29. Tertius influxus est *excessus amoris*, quando anima in vituperiis, in tribulationibus semper sentit iucunditatem interius; hoc maxime est, quando ardens sentit, quod Dominus facit gustare *panem filiorum*[8]. Et hunc reputant omnes stultum, et ipse reputat omnes stultos, et secundum veritatem sunt. Hoc autem est summum fidei et *apex*, ut per experientiam inebrietur et iam nil curet de mundo. Hoc enim defendet tempore antichristi, de quo secundae ad Thessalonicenses secundo[9]: *Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* — De *apice fidei*, qui amor est, Apostolus dicit: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia?* usque ibi: *quae est in Christo Iesu, Domino nostro.* Et alibi: *In caritate radicati et fundati.* Hoc est firmamentum caeli. Unde in Psalmo[10]: *Confitebuntur caeli mirabilia tua*, scilicet animae mirabilia, quae in se sentiunt. Hae enim experientiae faciunt fidem stabilissimam. — Quando ergo anima sentit de Altissimo *piissime*, *verissime* et *optime*; tunc zelo et excessu amoris rapitur anima *usque ad tertium caelum*, etsi non ita excellenter, ut Paulus. Et tunc *domus fundatur supra firmam petram.*

De tertio.

---

[1] Cfr. Quaest. disput. de mysterio Trin. q. 1. a. 2. in corp. (post medium) et Breviloq. p. 1. c. 2.

[2] Vide Quaest. disput. de mysterio Trin. q. 2. a. 2. ad 1.

[3] Secundum Platonem Deus mundum ex materia praeexistente formavit. Cfr. II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1. et dub. 2; ibid. a. 2. q. 2. refellitur error eorum qui docent, Deum omnia non *immediate* produxisse. — Superius vocibus *origo omnium* D E intercerunt *immediata*, B legit: *origo immediate omnia creans et omnes rerum essentias* (A D E *creans et essentiam omnes res*).

[4] Psalm. 26, 1.

[5] Rom. 8, 32: Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? — Seq. locus est Ioan. 16, 15; ter-tius Eph. 2, 4: Propter nimiam caritatem suam, qua etc.; quartus Luc. 1, 78.

[6] Marc. 9, 22: Si potes credere etc.

[7] Libr. III. Reg. 21, 19. Ibid. v. 20. habentur duo seqq. loci; in primo pro *tuum* Vulgata *tibi*.

[8] Matth. 15, 26: Non est bonum sumere panem filiorum etc. — A *panem Angelorum* (cfr. Ps. 77, 25.).

[9] Vers. 11. Ibid. v. 13. seqq. dicitur: Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritus et *in fide veritatis* etc. — Seq. locus est Rom. 8, 35-39; tertius Eph. 3, 17.

[10] Psalm. 88, 6. — Inferius respicitur II. Cor. 12, 2. et Matth. 7, 24. (de domo aedificata supra petram).

Digitized by Google

COLLATIO X.

De secunda visione tractatio tertia, quae incipit agere de fidei speciositate.

SUMMARIUM. — *Introductio. Fides est speciosa secundum duodecim speculationes orientes ex fide*, 1. — Pars I. De his duodecim speculationibus in genere. *Comparantur duodecim stellis et margaritis*, 2. — *Stellae differunt claritate; istae speculationes enumerantur*, 3. — *Notatur, non omnia credibilia posse investigari a ratione*, 4. — *Sufficientia harum duodecim ex quadruplici veritatis ratione*, 5. — *Primo considerantur veritas ut praeexistens tripliciter*, 6. — *Item, ut efficiens tripliciter*, 7. — *Item, ut reficiens tripliciter*, 8. — *Item, ut consummans tripliciter; epilogus*, 9. — Pars II. De primo speculabili in specie, scilicet Deum esse primum. Esse *est nomen Dei manifestissimum et perfectissimum*, 10. 11. — *Considerantur idem etiam in speculo creaturarum tripliciter: secundum viam ordinis, originis et completionis. Secundum viam ordinis tripliciter, primo secundum ordinem posterioris ad prius*, 12. — *Item, inferioris ad superius*, 13. — *Item, temporis ad aevum, et aevi ad aeternitatem*, 14. — *Secundum viam originis quadrupliciter*, 15. 16. — *Secundum viam completionis quintupliciter*, 17. *Epilogus partis II*, 18.

Introductio.

1. *Vocavit Deus firmamentum caelum*[1] etc. De altitudine fidei et eius firmitate dictum est; nunc de *speciositate* dicendum est. Dicitur enim *caelum* quasi *caelatum*, id est sculptum luminibus. Quomodo speciosa sit haec fides, habetur in Genesi[2]: *Suspice caelum et numera stellas, si potes; sic erit semen tuum.* Pollicitatio seminis *carnalis* facta est ad Abraham, quia *sic*, inquit, *erit semen tuum*; pollicitatio etiam seminis *spiritualis* ei facta est, eo quod *pater multarum gentium* per fidem futurus. *Caro* Abraham generavit semen, et multiplicatum est; multo fortius eius generatio *spiritualis* fuit fecunda et generavit spiritualiter mente fecundata. Pulchitudines speculationum orientium ex fide sunt transcendentes claritatem siderum. In Apocalypsi[3]: *Sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et vidi Ierusalem descendentem de caelo.* Et vidit, quod habebat *duodecim portas*, et super quamlibet portam margarita una, et *portae ex singulis margaritis.*

Speciosa fides comparatur caelo.

Speculationes ortae ex fide

Pars I. De 12 speculationibus in genere.

2. Hae speculationes fidei comparantur *sideribus* et comparantur *duodecim margaritis*. Licet enim sint stellae illae innumerabiles, tamen sunt duodecim signa, per quae sol currit[4]. Ista duodecim signa nihil aliud sunt nisi quaedam stellae, quae secundum varias figuras et varietatem luminum habent diversas influentias; et sol illis coniunctus variis temporibus secundum diversas influentias habet vitam ministrare in mundo. — Hae autem, ut dictum est, orientes ex fide speculationes comparantur claritati *margaritarum*, quia sunt *fulgidae, vivificae, iucundae* ad modum margaritae, quae habet *fulgorem* sive *fulget, confortat* per efficaciam, *iucundat.*

Comparantur stellis et margaritis.

Qualitates 3 margaritarum.

3. Secundum hoc igitur ingrediuntur ad contemplationem, nec potest ad visiones Apocalypsis homo mundanus accedere, nisi intelligat ista. Cum igitur secundum Apostolum[5] sit *alia claritas solis, alia lunae, alia stellarum*, nos sublimati per fidem *transformamur a claritate in claritatem*, et hoc, *revelata facie*, ut similes simus *duodecim stellis* et *duodecim margaritis.* — Duodecim speculationes sunt, quas habemus ex fide: credere Deum *primum*, Deum *trinum et unum*, et *exemplar rerum*, ut *creantem mundum*, ut *formantem animam*, *dantem spiritum* — Deum *carni unitum*, Deum *crucifixum, medelam medicinae, vitale pabulum, ultorem sceleruin, praemium aeternum.*

Stellae differunt claritate.

Speculationes fidei 12.

4. Nota etiam, quod quaedam sunt credibilia, non tamen *intelligibilia* per rationem, ut *Abrahamum*

Non omnia credibilia sunt intelligibilia.

---

[1] Gen. 1, 8. — De *altitudine* fidei, quae est duplex: *altitudo sublimitatis* et *altitudo profunditatis*, et deinde de *firmitate* fidei dictum est collat. 8. et 9. — De nomine *caeli* cfr. supra pag. 309, nota 4.

[2] Cap. 15, 5. Post *potes* Vulgata addit *Et dixit ei.* Ibid. 17, 4: Eriscque pater multarum gentium. Cfr. ibid. v. 5. et Rom. 4, 17.

[3] Cap. 21, 10. Pro *et ostendit mihi civitatem sanctam* Vulgata *et ostendit mihi civitatem sanctam* (cfr. Ibid. v. 2: Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam, descendentem etc.). Subinde respicitur ibid. v. 12: Habentem portas duodecim; et v. 21: Et duodecim portae duodecim margaritae sunt per singulas, et singulae portae erant ex singulis margaritis.

[4] Vide supra pag. 221, nota 5.

[5] Epist. I. Cor. 15, 41. — Subinde allegatur II. Cor. 3, 18: Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. — Superius ex B posuimus *mundanus* pro *nudus*. Utraque lectio non placet.

Digitized by Google

genuit Isaac[1], sive facta particularia; quaedam autem credibilia sunt *intelligibilia*; et quando intelliguntur, rationes solidas habent.

Sufficientia horum.

5. Ad sufficientiam horum duodecim nota, quod claritas fidei speculanda est ut veritatis *praeexistentis*, ut veritatis *efficientis*, ut veritatis *reficientis*, ut veritatis *perficientis*.

Veritas quadruplex.

Veritas praeexistens considerari tripliciter.

6. Ut veritatis *praeexistentis* tripliciter: vel quantum ad *essentiam*, vel quantum ad *excellentiam*, vel quantum ad *refulgentiam*. *Esse* enim divinum primum est, quod venit in mente. Unde Moysi quaerenti[2], quod esset nomen Dei; respondit Deus: *Ego sum qui sum*; et in hoc comprehendit quidquid est sive *bonum*, sive *potens*. — Secundo, quantum ad *excellentiam*, ut Deus unus, trinus et verus. — Tertio, quantum ad *refulgentiam*, ut exemplar rerum.

Rem. veritas efficiens.

7. Si autem claritas consideratur ut veritas *efficiens*, hoc est tripliciter: aut in quantum *inchoat naturam*; aut in quantum *illustrat intelligentiam*; aut in quantum *inspirat gratiam*. *Inchoat naturam* sive mundum, quod non solum est credibile, sed etiam intelligibile. Ut *illustrat intelligentiam*; et sic format animam, scilicet intellectum humanum et angelicum, ut sit Deus directum intellectus; et hinc est, quod habet rationem *perpetui* quantum ad imaginem creationis, reparationis, similitudinis; quia imago est essentialis dependentia et relatio[3]. Ut *inspirat gratiam*; hic est consummatio, et hoc est *credibile* et *intelligibile*. Voluntas enim non perficitur nisi per donum Spiritus sancti infusum.

Rem. veritas reficiens.

8. Si autem claritas veritatis consideratur ut *reficiens*, similiter tripliciter claritas refulget in anima: aut quantum ad humanae et angelicae reparationis *principium*, vel quantum ad *pretium*, vel quantum ad *effectum*. Primo est speculari Deum *carni unitum*, quod est credibile et intelligibile; si ut *pretium*, sic cruci affixum; si ut *effectus*, sic Deus *medicina* est animae. Est ergo principium nostrae *creationis*, *reparationis*, *praemuntionis*.

Rem. veritas consummans.

9. Si autem consideratur ut *consummans* sive perficiens, sic tripliciter: ut *vitale pabulum* Ecclesiae militantis et triumphantis, ut *ultor scelerum*, ut *finale praemium*. Oportet, Deum esse primum; ergo est credibile et intelligibile, et hoc secundum influentiam secundum legem *clementiae*, *iustitiae* et *concordiae*: secundum primum, ut *virtus*; secundum secundum, ut *veritas*; secundum tertium, ut *aequitas*. — Hae sunt duodecim portae, de quibus Psalmus[4]: *Aperite mihi portas iustitiae. Iusti intrabunt in eam*; quia *iustus ex fide vivit*.

Epilogus partis I.

Pars II. De primo speculabili in specie.

Deus ad esse primum.

10. Primum speculabile est, Deum esse. Primum nomen Dei est *esse*, quod est manifestissimum et perfectissimum, ideo primum; unde nihil manifestius, quia quidquid de Deo dicitur reducitur ad *esse*; hoc est proprie proprium nomen Dei. Deus non dixisset Moysi sive latori Legis[5]: *Ego sum qui sum*, nisi esset primus. Postea dixit: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*; in quo *mysterium Trinitatis* expressit. Tertio dixit: *Qui fecit os hominis et linguam*; in quo explicavit, se esse *exemplar*.

Hoc sequitur ex omni propositione.

11. Deum esse *primum*, manifestissimum est, quia ex omni propositione, tam affirmativa quam negativa, sequitur, Deum esse, etiam si dicas: Deus non est, sequitur: si Deus non est, Deus est; quia omnis propositio infert se *affirmativam* et *negativam*, ut si Socrates non currit, verum est, Socratem non currere[6].

Et videtur homo creatura ut speculum.

12. Consideratur etiam haec veritas quasi in quodam speculo, quod confortat et dat visum. Omnis enim creatura concurrit ad hoc speculum faciendum et imagitur in hoc speculo secundum viam *ordinis*, *originis*, *completionis*. — Primo tripliciter: secundum rationem *posterioris* ad prius, *inferioris* ad superius, *temporis* ad aevum et aevi ad aeternitatem. Manifestum enim est, si est *posterius*, est *prius*: ergo et *primum*: ergo in isto ordine per *posteriora* ad *priora* et ad *primum* pervenitur. Omnia enim vel sunt posteriora, vel media, vel prima[7].

Triplex via.

Prima tripliciter.

Ordo primus.

Secundus.

13. Secundo est ordo *inferioris* ad *superius*, et *superioris* ad *summum*, quae habent essentialem ordinem et dependentiam secundum ordinem naturae. Et non dicitur hic *superius* et *inferius* secundum lineam praedicamentalem[8], sed secundum magis nobile et minus nobile.

Tertius.

14. Tertio est ordo *temporis* ad *aevum* et *aevi* ad *aeternitatem*: quia, si est aliquid propter aliud creatum, ergo et illud aliud est aliquid propter aliud, scilicet increatum, et illud erit propter se; ut si est res temporalis propter animam, et anima propter Deum; necessario ergo Deus per se et propter se est. — Secundum ordinem ergo *causalitatis*, *dignitatis* et *finis* omnia declarant, esse *primum*, *summum* et *ultimum*, scilicet in ratione finiendi. Hoc ergo secundum rationem *ordinis*.

Concluditur.

---

[1] Matth. 1, 2. Cfr. supra pag. 53, nota 1.

[2] Exod. 3, 13. seq. Cfr. supra collat. 5. n. 30. seqq. et Itinerarium mentis in Deum, c. 3. n. 3. et c. 5. n. 2. seqq. — Ante *venit in mente* supple *de Deo*.

[3] Gen. 1, 26: Faciamus hominem ad *imaginem* et *similitudinem* nostram. Cfr. I. Sent. d. 31. p. II. a. 1. q. 1. seq.; II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1. seq. — B *quia scilicet est imago et essentialiter a Deo dependens*.

[4] Psalm. 117, 19. seq. — Seq. locus est Rom. 1, 17; Gal. 3, 11. Cfr. Habac. 2, 4.

[5] Exod. 3, 14. — Duo seqq. loci habentur ibid. v. 15. et 4, 11: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et caecum? nonne ego?

[6] Cfr. Quaest. disput. de mysterio Trin. q. 1. a. 1. ad 5.

[7] Cfr. supra collat. 5. n. 28. seqq. et Itinerarium mentis in Deum, c. 1. n. 11. — D E addunt: *et sic nullus nisi insipiens posset dicere*: Non est Deus [Ps. 13, 1.].

[8] In qua scil. sub genere *supremo* sive generalissimo ordinantur alia genera et species usque ad individua tanquam *inferiora*. — Cfr. supra pag. 304, nota 6.

Digitized by Google

Via secunda quadruplicem.

15. Alio modo omnis creatura dicit, Deum esse secundum rationem *originis*: ut si est ens *creatum*, est ens *increatum*; et si est ens per *participationem*, est ens per *essentiam*; si est ens per *compositionem*, est ens per *simplicitatem*; si est ens per *multiformitatem*, est ens per *uniformitatem* vel identitatem.

Explicatur per singula.

16. Primo dicendum, quod omne creatum ponit causam, et universitas causatorum ponit causam primam universalem. Tunc quaero de causa illa: aut est *creata*, aut *non*: si *sic*, erit abire in infinitum; si *non*, habeo propositum. — Item, ens per *participationem* ab eo habet *esse*, quod est ens per *essentiam*, quia fluit ab eo. — Similiter, omne *compositum* est a componentibus; similiter et *partes*, cum sint *dependentes* ad invicem, sunt ab aliquo *simplicissimo absoluto*. — Similiter de *multiformitate*; si enim est ens per *multiformitatem*, est ens per *uniformitatem*, ut in numeris, quia necesse est devenire ad unitatem. Hoc ergo ratione *originis*.

Via tertia quintupliciter.

17. Tertio modo ratione *completionis*. Si est *esse potentiale*, est *esse actuale*; si est *esse mutabile*, est *esse immutabile*; si est *esse secundum quid*, est *esse simpliciter*; si est *esse dependens*, est *esse absolutum*; si est *esse in genere*, est *esse extra genus*. — Ens autem *potentiale* venit ab *esse actuali* necessario in *diversis*; sed *in eodem esse potentiale* praecedit *esse actuale*[1]. — Similiter, *mutabile* est fluens ab immutabili fixo. — Similiter, *creatura* essentialiter dependet a primo, et *materia* et *forma*, et etiam *accidens* magis dependet a Deo quam a suo subiecto; quia Deus potest facere, ut sit sine subiecto, ut in Sacramento altaris[2], sed non, quod non *dependent ab eo*. — Similiter, si est ens *secundum quid*, est et ens *simpliciter* in his quae nata sunt esse *simpliciter*; ut si est sapiens *secundum quid*, est sapiens *simpliciter*, ut removeatur instantia: est albus dente: ergo est albus simpliciter[3]. — Si est ens *in genere*, est ens *extra genus*. Ens enim *in genere* habet differentias coarctantes; et tale non habet *posse*, *esse* et *agere universaliter*. Unde Deus est ens *extra genus* et *supra genus*[4].

Epilogus partis II.

18. Hae igitur speculationes *ordinis*, *originis* et *completionis* ducunt ad illud *esse* primum, quod repraesentant omnes creaturae. Hoc enim nomen scriptum est in omnibus rebus; et sunt hae conditiones entis, super quas fundantur certissimae illationes. Unde dixit ille[5]: « Prima rerum creatarum omnium est *esse* »; sed ego dico: prima rerum intellectualium est *esse primum*.

COLLATIO XI.

De secunda visione tractatio quarta, quae est secunda de speciositate fidei et agit de speculatione Dei trini.

Summarium. — *Introductio; repetitio*, 1. — Pars I. De speculatione Trinitatis ex speculo primo, quod fit ex ipsis divinis proprietatibus. *Augustinus hoc format ex duodecim Dei conditionibus*, 2. — *Hae reducuntur ad tres*, 3. — *Istae tres reducuntur ad unam, qua insinuatur trinitas personarum*, 4. — *Speculatio secundum primum speculum arguit ex quatuor rationibus*, 5. — *Primo, ex summa divini esse perfectione tum originis, tum ordinis, tum indivisionis*, 6-8. — *Secundo, ex perfecta productione*, 9. — *Obiectio solvitur*, 10. — *Tertio, ex productiva diffusione, quae tripliciter est perfecta*, 11. — *Quarto, ex diffusiva dilectione*, 12. — Pars II. De speculatione Trinitatis ex speculo secundo et imperfecto, quod exhibent generationes in creaturis. *Duodecim generationes, quae fiunt vel per diffusionem, vel per expressionem, vel per propagationem*, 13. — *Prima via has generationes applicandi ad aeternam generationem: primo quoad diffusionem quadruplicem*, 14. 15. — *Secundo, quoad expressionem quadruplicem*, 16. 17. — *Tertio, quoad propagationem quadruplicem*, 18. 19. — *De his duodecim modis in communi*, 20. 21. — *Secunda via eosdem applicandi; primo quoad diffusionem*, 22. — *Secundo, quoad expressionem*, 23. 24. — *Tertio, quoad propagationem*, 25.

Introductio.

1. *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu*[6]. Dictum est de secunda visione, scilicet intelligentiae *per fidem elevatae*, quae intelligitur per *caelum* vel *firmamentum*, quod est *altum*, *fir-*

Repetitio.

[1] Cfr. Aristot., IX. Metaph. text. 13. seqq. (VIII. c. 8.).

[2] Vide IV. Sent. d. 12. p. I. a. 1. per totum.

[3] Hanc instantiam insinuat Aristot., I. Elench. c. 4. (c. 5.), ut fallaciam *secundum quid et simpliciter*: ut si Indus, cum sit totus niger, albus est dentibus: albus igitur et non albus est etc. Cfr. August., 83 Qq. q. 23.

[4] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 4. — De praecedentibus cfr. supra collat. 5. n. 29. seqq.

[5] Auctor lib. de Causis, propos. 4, qui in Commentario in Sent. pro illius aetatis opinione falso ut opus *Philosophi* citatur; quem errorem S. Bonav. posteriori probabiliter cognovisse videtur.

[6] Epist. II. Cor. 3, 18.

Digitized by Google

mum, *speciosum*. Dictum est de duobus primis, et inceptum de tertio, scilicet *speciositate*, quae est multiformis speculatio fidei. — De qua dictum est Abrahae, hoc est credenti: *Suspice caelum et numera stellas, si potes* [1]; dictum est a Ioanne: *Sustulit me in montem* etc. Et per duodecim *signa*, per quae currit sol intellectualis in hemisphaerio nostrae intelligentiae et facit diem et annum fidei, et per duodecim *portus ex singulis margaritis* intelliguntur duodecim speculationes principales, ad quas aliae reducuntur, et secundum quas aliae regulantur et diriguntur: et istae sunt *fulgidae, vivificae, iucundae*. — Prima erat speculari, Deum esse *primum*; secunda, Deum esse *trinum et unum*. Circa has procedunt Sancti et doctores; sed Sancti per viam speculationis, doctores per viam investigationis. Dictum est ergo de primo speculo, scilicet quod est *esse*; hoc enim est nomen Dei *manifestissimum* et *perfectissimum*, quia omnia, quae sunt Dei, comprehendantur in hoc nomine: *Ego sum qui sum* [2]. Hoc nomen Dei est proprie proprium, de quo dictum, quomodo omnes res repraesentant ipsum per viam *ordinis*, *originis* et *completionis* vel connexionis. Hoc speculum componitur ex omnibus creaturis, ut patuit. Hoc nomen in anima scriptum illustrat eam ad speculandum.

Pars I. Speculatio Trinitatis ex speculo primo, sive ex Dei proprietatibus.

2. Praedictam igitur auctoritatem Augustinus [3] sic explanat: « *Nos autem, revelata facie gloriam Domini speculantes*, non a *specula*, scilicet de longe, sed a *speculo* »; sed hoc speculum est *cum aenigmate* adhuc, quia, si videretur sine aenigmate, esset homo beatus. Hoc speculum format Augustinus decimo quinto de trinitate, capitulo quarto [4], ubi vult ostendere unitatem et Trinitatem Dei; dicit sic: « Neque enim divinorum librorum auctoritas tantummodo praedicat, esse Deum verum; sed omnis quae nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus universa rerum natura proclamat, se habere praestantissimum conditorem, qui nobis mentem rationemque naturalem dedit, qua viventia non viventibus, sensu praedita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, iniustis iusta, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris praeferenda videamus. Et per hoc, quoniam rebus creatis Creatorem sine dubitatione praeponimus, oportet, ut eum et summe vivere et cuncta sentire atque intelligere, et mori et corrumpi mutarique non posse, nec corpus esse, sed spiritum omnium potentissimum, iustissimum, speciosissimum, optimum beatissimumque fateamur ».

Proprietates 12 ser. Augustinum.

3. Duodecim ponit conditiones: aeternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, ecce quatuor; item, vivus, sapiens, potens, speciosus, et ecce quatuor; item, iustus, bonus, beatus, sanctus spiritus, ecce quatuor. — De primo quaternario accipiatur unum nomen, scilicet *aeternus*, quod alia tria comprehendit: quia, si est aeternus, eo ipso est immortalis; et si immortalis, eo ipso incorruptibilis; et si incorruptibilis, eo ipso immutabilis. — De secundo quaternario accipiatur *sapiens*, quod alia tria comprehendit: quia, si sapiens, ergo vivus; si vivus, ergo potens; si potens, ergo speciosus, quia sapientia est forma pulcherrima; unde Sapiens [5]: *Amator factus sum formae illius*. — De tertio quaternario accipiatur aliud nomen, scilicet *beatus*, quod comprehendit in se alia tria: quia, si beatus, ergo bonus, ergo iustus, ergo sanctus spiritus. In his ergo tribus, scilicet *aeternitate*, *sapientia*, *beatitudine*, iam relucet Trinitas, qua *aeternitas* appropriatur Patri, *sapientia* Filio, *beatitudo* Spiritui sancto [6].

Redeuntur ad tres.

Quaternarium primum.

Secundum.

Tertium.

4. Adhuc etiam redigit [7] ad unum haec tria et accipit *sapientiam* et ostendit Trinitatem: quia necesse est, si est sapientia, ut sit *mens*, quae cognoscat se et diligat se et alia. Nec tamen intelligendum est, quod ita sit Pater *mens*, quod Filius non sit, immo est insania; quin immo Pater est mens, Filius mens, Spiritus sanctus mens. Item, Filius *notitia*, Pater *notitia*, Spiritus sanctus *notitia*, et sic de aliis. Hoc autem in anima est aliter, quia *mens* non est *notitia* [8]. Sapientia igitur in cognitione est; ubi autem est cognitio, necesse est, ut sit emanatio sive generatio verbi, ex qua generatione sequitur productio amoris nectentis; et sic producens est Pater, verbum est Filius, nexus Spiritus sanctus, in quibus est trinitas vere distincta, non in *sapientia* et in *mente*, sicut est in anima. Hoc est ex veritate sapientiae. Et hoc dicit Anselmus in Monologio [9]. Ex hoc enim, quod summus Spiritus se intelligit, Filius

Item, res ad unam, qua insinuatur trinitas personarum.

[1] Gen. 15, 5. — Seq. locus est Apoc. 21, 10; tertius Apoc. 21, 21. (portae ex singulis margaritis). Cfr. collat. praeced.

[2] Exod. 3, 14. Cfr. collat. praeced.

[3] Libr. XV. de Trin. c. 8. n. 14: « *Nos autem revelata... tanquam a Domini spiritu* [II. Cor. 3, 18.]. *Speculantes* dixit *per speculum* videntes, non *de specula* prospicientes... Ibi quippe *speculum*, ubi apparent imagines rerum, a *specula*, de cuius altitudine longius aliquid intuemur, etiam sono verbi distat omnino, satisque apparet, Apostolum *a specula*, non *a specula* dixisse *gloriam Domini speculantes* ». Ibid. c. 9. n. 16. exponit verba I. Cor. 13, 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate*, dicens: Proinde quantum mihi videtur, sicut nomine *speculi* imaginem voluit intelligi; ita nomine *aenigmatis* quamvis similitudinem, tamen obscuram et ad perspiciendum difficilem.

[4] Num. 6. Cfr. supra pag. 241, nota 4.

[5] Sap. 8, 2.

[6] Cfr. Breviloq. p. I. c. 6.

[7] Scilicet Augustinus, XV. de Trin. c. 5. seq. n. 7-10, ubi praenotata duodecim attributa redigit ad tria, scil. aeternitatem, sapientiam et beatitudinem; deinde haec tria reducit ad unum, scil. sapientiam. Cfr. Breviloq. p. I. c. 2. circa finem.

[8] Cfr. August., loc. cit., c. 7. n. 11.

[9] Cap. 29. sequ.

Digitized by Google

generatur, Spiritus sanctus spiratur. Hoc est speculum Augustini. Sed nos cum Ruth [2] colligamus spicas post messores secundum doctores nostros.

Duplex speculum.

5. Est autem duplex speculum Trinitatis: unum *intellectuale*, quod facit intelligere nomina dicta de Deo *intellectualia*; secundum est magis *materiale*, quod fit per nomina *transsumtiva*. — Prima speculatio est, quod intelligentia per fidem elevata dicit, Deum esse trinum et unum, propter quatuor, quae sunt in divino *esse*, scilicet propter conditionem *perfectionis*, propter conditionem *perfectae productionis*, *productivae diffusionis*, *diffusivae dilectionis*; et unum sequitur ex altero.

Quod primum 4 rationes in Deo pro Trinitate speculanda.

Primo, ex triplici perfectione. Primo, e parte originis.

6. Est enim ibi summa *perfectio*, ex qua fit, quod primum principium habet perfectionem *originis*, *ordinis*, *indivisionis*. — Est autem *origo* originans perfectior quam non originans, et perfectior est origo originans originantem quam originans non originantem: ergo si ibi est perfecta origo, necesse est, esse Patrem producentem Filium originantem et Spiritum sanctum originatum.

Secundo ordinis.

7. Item, a parte *ordinis* sic: ubi est perfectus ordo, ibi est ratio *principii*, *medii* et *ultimi*; alioquin inordinatio accideret in divinis, sicut supra [3] dictum est: oportet ergo per rationem *ordinis*, ut sint ibi tres personae.

Tertio, indivisionis.

8. Item, a parte *indivisionis* sic: necesse est, ibi esse indivisionem, alioquin recederetur a perfectione et ab unitate. Est enim indivisio unitas [3]; unitas autem est in *principiis* et *principiatis*, in *universalibus* et *particularibus*, in *voluntate* et *natura*. Unitas in *principiis* est simplicitatis; in *compositis* sive principiatis totalitatis seu plenitudinis; in *universalibus* conformitatis, in *particularibus* innumerabilitatis, in *voluntate* unanimitatis, in *natura* inseparabilitatis. — Unitas *simplicitatis* in *principiis* est defectiva; quia, licet quodlibet principium sit simplex, non tamen de se sufficiens est ad producendum aliud sine alio principio [4]. — Item, unitas *totalitatis* sive plenitudinis in *principiatis* deficit, quia non est ex se nec simplex. — Item, unitas in *universalibus* deficit, scilicet *conformitatis*, quia numeratur cum alia; licet enim sit in pluribus, numeratur tamen in illis. — Item, unitas in *individuis* deficit, quia cum materia numeratur forma [5]. — Item, unitas *voluntatis* deficit, quia non ita coniunguntur animi, quin separari possint per discordiam. — Item, unitas *inseparabilitatis* deficit in *naturis*, quia non est tam fortis unio formae, quin possit per artificium separari. — Haec [6] autem in Deo ponenda.

Sex unitates.

Earum defectus.

9. Item, in primo *esse* est ratio *perfectae productionis*. Est autem productio *similis* et dissimilis, *aequalis* et inaequalis, *consubstantialis* et essentialiter differentis. — De necessitate, si est productio *dissimilis*, praeintelligitur productio *similis*; quod sic patet: *simile* habet se ad dissimile, sicut *idem* ad diversum, sicut *unum* ad multa; sed de necessitate idem praecedit diversum, et unum multa [7]: ergo productio similis productionem dissimilis. Sed creatura producitur a primo *esse* et est *dissimilis*: ergo de necessitate producitur simile, quod est Deus. — Item, secundum Boethium [8] *inaequalitates* oriuntur ab aequalitate: si ergo producitur a Deo quod est inaequale, scilicet creatura, necessario praecedit productio *aequalis*, quod est Deus. — Item, si producitur a Deo essentialiter *differens*, necessario ante producitur *substantialiter idem*, quia ante extrinsecum est intrinsecum, ut patet: quia verbum dicentis extrinsecum praecedit mentis conceptus ut aliquid intrinsecum: ergo similiter a substantia aeterna non manat differens, nisi producatur substantialiter idem: ergo in Deo prius est productio *similis*, *aequalis*, *consubstantialis* quam *dissimilis*, *inaequalis*, *essentialiter differentis*.

Secundo, ex perfecta productione.

Sex productiones.

De duobus primis.

De secundo tribus.

De ultimis.

Obiectio solvitur.

10. Sed quid? dices, numquid intelligendo, primum *esse* unum esse suppositum, ut gentiles, adhuc intelligunt substantiam, virtutem et operationem? Ergo, non intellecta trinitate vel emanatione, est intelligere productionem. Respondeo: intellectus duplex est: perfectus et plenus et *plene resolvens*; et tali intellectu non est intelligere sic; intelligere autem *semiplene* potest intellectus defectivus sic, quod resolvat in plura, quae in Deo sunt unum, aliter non [9].

Tertio, ex productiva diffusione triplici.

Actualissima.

Integerrima.

11. Item, tertia ratio speculi est, quia *in Deo est ratio productivae diffusionis* sic. Illud *esse* est *summe bonum*, ergo summe diffundit se [10] triplici diffusione: *actualissima*, *integerrima*, *ultimata* sive ultimatissima. Quia *actualissima*, semper est, semper fuit, semper erit; semper generat, semper generavit, semper generabit. Hoc non potest habere creatura, quod semper sit, semper fuerit et semper futura sit: ergo necesse est, ut emanet *aeternus* [11]. — Item, *integerrima* non est haec diffusio in creatura, quia Deus non dat totum decorem exemplaritatis creaturae, immo non dat nisi generando Filium, qui dicere potest: *Omnia, quae habet Pater, mea*

---

[2] Ruth 2, 7: Et rogavit, ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia.

[3] Collat. 8. n. 42. Cfr. collat. 4. n. 12. et 14.

[4] Cfr. supra pag. 63, nota 5.

[4] Ut forma sine materia. — Inferius retinuimus *quia non est ex se nec simplex*, quod A B C E G omittunt; D *in pluribus*, *sicut patet*.

[5] Cfr. collat. 9 n. 24.

[6] Scilicet indivisio.

[7] Arist., II. de Caelo et mundo, text. 22. (c. 4.): Prius natura in unoquoque genere est *unum* multis, et *simplex* composito. Cfr. supra pag. 12, nota 9. Libr. X. Metaph. text. 10. (IX. c. 3.) idem ait: Item, *unius* quidem est... idem, simile et aequale; *multitudinis* vero diversum, dissimile et inaequale est.

[8] Libr. I. de Arithmetica, c. 32.

[9] Cfr. I. Sent. d. 28. dub. 1.

[10] Vide supra pag. 60, nota 7.

[11] Cfr. I. Sent. d. 9. q. 4. et 5.

Digitized by Google

Ultimata. *sunt* [1]; hoc non dicit aliqua creatura. — Item, haec diffusio est *ultimata*, ut det producens, quidquid potest; creatura autem recipere non potest, quidquid Deus dare potest. Unde sicut punctus ad lineam nihil addit, nec etiam mille millia punctorum [2]; sic bonitas creaturae bonitati Creatoris nihil addit, quia finitum infinito nihil addit. Ergo necesse est, ut haec diffusio secundum totum *posse* sit in aliquo, quo maius cogitari non potest; omni autem creatura aliquid maius cogitari potest, et etiam ipsa creatura maior se cogitari potest. Sed in Filio est productio, sicut in Patre. Si ergo Patre nihil maius cogitari potest: ergo nec Filio. Si Pater etiam ultimata diffusione non se diffunderet, perfectus non esset.

12. Quarta diffusio est per rationem *dilectionis*.

Quarto, ex diffusiva dilectione. Necessario enim oportet, quod ubi beatitudo est, ibi *summa* sit dilectio, et per consequens dilectio *in summo*.

Dilectio triplex. Est autem dilectio *reflexa*, *connexiva*, *caritativa*. *Connexiva* dilectio perfectior est, qua alterum diligo, quam *reflexa*, qua me diligo; *caritativa* autem perfectior ceteris est, quae habet dilectum et condilectum: ergo haec est in divinis. Hac ergo dilectione Pater diligit Filium, et est infinitus ardor [3]. — Item, est ibi dilectio *gratuita*, *debita*, *per-*

Item. *mixta*. — Item, est ibi dilectio *pura*, *plena*, *per-*

Item. *fecta*, ut effluens et refluxa in Filio, ut refluxa in Spiritu sancto. Ex istis rationibus omnibus fit illud speculum nobile.

13. Est autem *aliud speculum*, congregatum ex

Pars II Speculum secundum. Verbum habet rationem exprimendi. *parvis*. Unde nota, quod licet tota Trinitas sit lumen *intelligendi*, Verbum tamen naturaliter habet rationem *exprimendi* [4]. Omnis autem creatura clamat generationem aeternam, et hanc exprimunt et repraesentant duodecim generationes, quas reperimus in

Generationes 12 in creaturis, quarum tres. creaturis. Est enim primus modus generationis per *diffusionem*, secundus per *expressionem*, tertius per *propagationem*.

14. Per *diffusionem*, ut *splendoris* a lure, ut

Via prima Primo, per diffusionem quadruplicem cum defectibus. *caloris* ab igne, ut *fluminis* a fonte, ut *imbris* a nube plena sive rorida. — In prima diffusione deficit *aequalitas*, quia *splendor* non aequatur luci. — In secunda deficit *intimitas*, quia *calor* non est intimus igni sive ut informanti, sive ut originanti; est enim *accidens* [5]. — In tertia deficit *simultas*, quia fons diffundit se per partes, non totus insimul. — In quarta deficit *integritas*, quia non tota pluvia excutitur a nube, immo per guttas. — Iungas has quatuor conditiones ad unam diffusionem, quae sit *splendoris* habentis *aequalitatem*, *caloris* habentis *intimitatem* et *substantialitatem*, *rivuli* sive fontis habentis *simultatem*, *imbris* habentis *integritatem*: et sic habes vestigium generationis aeternae.

Exclusis defectibus, repraesentant aeternam generationem.

15. Unde Filius aliquando comparatur *splendori*, ad Hebraeos primo [6]: *Qui cum sit splendor gloriae* etc.; aliquando *flammae*, ut in rubo Moysi, ubi fuit expressa persona Filii; aliquando *fluvio* vel fonti, ut in Genesi: *Fons ascendebat de terra, et fluvius egrediebatur de loco voluptatis*; aliquando *imbri*, ut in Isaia: *Quomodo descendit imber et nix de caelo et illic ultra non revertitur, sed inebriat terram* etc., et sequitur: *Sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo*, scilicet de corde Patris.

Confirmatur per Scripturam.

16. Secundus modus est per modum *expressionis*: ut *speciei* ab obiecto, ut *imaginis* a sigillo, ut *sermonis* a loquente, ut *conceptus* sive cogitatus a mente. — Et in his est defectus. In prima deficit *rei veritas*, quia species in oculo vel in anima non est veritas rei [7]. — In secunda deficit *simplicitas*, quia imago sive figura non est in puncto vel in simplici, sed partes habet. — In tertia deficit *stabilitas*, quia sermo transit et non manet. — In quarta deficit *substantialitas*, quia conceptus mentis non est substantia, vel hypostasis. — Auferas hos defectus et pone expressionem, quae sit ut *speciei* ab obiecto habentis *veritatem*, ut *imaginis* a sigillo habentis *simplicitatem*, ut *sermonis* a loquente habentis *stabilitatem*, ut *conceptus* a mente habentis *substantialitatem*: et tunc habebis alteram partem speculi.

Secundo, per expressionem similiter.

Excludendi defectus.

17. De primo, Psalmus [8]: *Eructavit cor meum verbum bonum*, et sequitur: *Speciosus forma prae filiis hominum*. — De secundo, Sapientiae septimo: *Candor est lucis aeternae et speculum sine macula et imago bonitatis illius*; et Apostolus: *Qui est imago invisibilis Dei*. — De tertio, Iob: *Semel loquitur Deus et idipsum non repetit*. Unde pone in Filio, quod semper sit et non deficit nec vertitur. — Quarto pone *substantialitatem*. Conceptus enim mentis aeternae est *hypostasis*, et iste conceptus mentalis est nobilissimus, perfectissimus. Unde in Proverbiis [9]: *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram*. Aliquando ergo vocatur *filius*, *species*, *imago*, *verbum manens in aeternum*, *conceptus* vero non inhaerens, sed substantialis et hypostasis. Sic ergo habemus aliam partem speculi.

Confirmatur per Scripturam.

---

[1] Ioan. 16, 15: Omnia, quaecumque habet etc.

[2] Cfr. Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 8. (c. 2.), III. Metaph. text. 16. (II. c. 4. in fine) et de Lineis insecabilibus (circa finem). Vide etiam III. Sent. d. 9. dub. 3.

[3] Cfr. I. Sent. d. 2. q. 4. De seq. propositione vide Richard. a S. Vict.; cfr. supra pag. 314, nota 1.

[4] Cfr. I. Sent. d. 6. q. 3. et d. 27. p. II. q. 1. sexq. — Pro *naturaliter* II D E *principaliter*.

[5] Aristot., de Praedicam. c. *de Quali*, docet, calorem esse *qualitatem*. Cfr. Averroes, in VIII. Metaph. text. 5.

[6] Vers. 3. — Subinde respicitur Exod. 3, 2. (cfr. supra collat. 3. n. 13.); allegatur Gen. 2, 6: Fons ascendebat e terra; et v. 10: Et fluvius etc.; Isai. 55, 10. (Vulgata *illuc* pro *illic*) et 11.

[7] Aristot., III. de Anima, text. 38. (c. 8.): Necesse est autem, aut ipsas [res] aut formas esse; ipsas igitur non; non enim lapis in anima est, sed forma.

[8] Psalm. 44, 2. et 3. — Seq. locus est Sap. 7, 26, ubi Vulgata post *sine macula* addit *Dei maiestatis*; tertius Col. 1, 15; quartus Iob 33, 14: Semel loquitur Deus et secundo idipsum etc.

[9] Cap. 8, 24. — Inferius respicitur Isai. 40, 8: Verbum autem Domini nostri manet in aeternum.

Digitized by Google

Tertio, per propagationem similiter.

18. Tertia generatio est per modum *propagationis*, et hoc quadrupliciter: ut *germinis* a semine, ut *arboris* a radice, ut *prolis* conceptae a ventre vel utero materno, ut *filii* a patre principiante. — In prima generatione deficit *formositas*, quia in semine est forma confusa et occulta; sed non sic filius. — In secunda deficit *conformitas*, licet enim sit una radix, tamen differt in forma a ramis, licet unam arborem faciant. — In tertia deficit *actualitas*, quia mater est principium, etsi aliquo modo *activum* prolis, potissime tamen *passivum*. — In quarta deficit *coaevitas*.

Defectus admonendi sec. Scripturam.

19. Aufer ergo hos defectus et pone primo *formositatem*. Unde Isaias [1]: *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis*. — Secundo pone *conformitatem*; sic Filius est conformis Patri, ut sit *lignum vitae in medio paradisi*; unde in Proverbiis: *Lignum vitae est his qui apprehenderint eam*. — Tertio pone *actualitatem*. Unde in Psalmo [2]: *Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus Sanctorum; ex utero ante luciferum genui te. Ex utero*, dicit, ubi est ratio fovendi in sinu Patris, a quo non recessit. — Quarto pone *coaevitatem*. Unde in Psalmo: *Ego hodie genui te*; hoc est in *aeternitate*, sive in meo *hodie aeterno*.

Unicuique 12 generationes.

20. Has duodecim conditiones aggrega, et habebis speculum ad contuendum *exemplar* divinum sive Verbum, quod omnia repraesentat: ut *splendor* procedens a luce cum perfectione *aequalitatis*, et sic de aliis. — Et per has conditiones solvuntur omnia argumenta Arii, per quae arguit a generationibus imperfectis [3].

Notandum.

Figuratur de Scriptura.

21. De his duodecim generationibus dicitur in Genesi [4]: *Vidi per somnium quasi solem et lunam et stellas undecim adorare me*. Iste est ille Ioseph pulcherrimus, quem adorant omnia; et clamant temporalia per *lunam*, spiritualia per *solem*, et *undecim stellae*. Generationes creaturarum sunt secundum undecim conditiones, deficiente *duodecima*, quae est in generatione Filii Dei; ideo ponuntur hic *undecim* stellae in numero deficiente a duodenario, qui est numerus *excrescens* [5], quia omnia respectu illius generationis habent defectum et inclinant se ad generationem Verbi; omnia enim indicant generationem Verbi. — Unde quando videtur splendor a luce, transferenda est mens ad considerandam generationem aeternam; et sic de aliis. — Et ibi est magna delectatio, de qua in Psalmo [6]: *Delectasti me, Domine, in factura tua; et in operibus manuum tuarum exsultabo*. Dicit ergo: *Nos autem, revelata facie gloriam Domini speculantes*.

Monitio.

Via secundata applicandi.

Primo per diffusionem.

22. Alio modo sic, et est magis proprie. Est generatio per *diffusionem* ut *splendoris* vel luminis a luce; et ibi est *coaevitas*, deficit tamen *aequalitas*, quia splendor non aequatur luci. — Item, est diffusio, ut *ignis* ab igne, et ibi est *aequalitas*, ut patet, quando una candela accenditur ab alia, quod tantum est lumen in una, sicut in alia, et quotquot accendantur; deficit tamen *consubstantialitas*. — Item, est diffusio *rivuli* a fonte, et hic est *consubstantialitas* vel intimitas, quia eadem aqua, quae est in fonte, est in rivulo [7]; sed deficit *nobilitas ortus*, quia de imo, et per quosdam meatus et colationem de aqua salsa fit dulcis. — Item, est diffusio *imbris* a nube, et ibi est *nobilitas ortus*, quia habet virtutes caeli, per quas infundit imbrem nubes; deficit tamen *formae decor*, quia videtur nubes caelum obscurare et deturpare. — Iunge quod nobilitatis est, ut *coaevitatem* et *aequalitatem*, *consubstantialitatem* et *formae decorem*; et habes *unam* partem speculi.

Secunda, per expressionem.

Notanda de 1. generatione per expressionem speciei ab obiecto.

23. Item, est generatio per *expressionem* ut *speciei ab obiecto*; et hic est *formae decor*, qui deficiebat in generatione imbris. Et hoc est mirabile, quomodo talis species generatur; quia non de *materia aëris*, quia, cum non dicat *essentiam*, sed *modum essendi*, sufficit, ut habeat principium *originativum*, medium inter principium *materiale* et principium *effectivum*. Unde Deus dedit virtutem hanc cuilibet rei, ut gignat similitudinem suam et ex naturali fecunditate. Unde secundum quod obiectum *gignit similitudinem suam*, sic repraesentat generationem aeternam; secundum quod intentio animae *eam oculo unit*, sic repraesentat incarnationem Verbi [8]. — Haec generatio speciei deficit, quia non est

---

[1] Cap. 4, 2. — Seq. locus est Gen. 2, 9; tertius Prov. 3, 18.

[2] Psalm. 109, 3. — Subinde respicitur Ioan. 1, 18: «Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris»; et allegatur Ps. 2, 7, quem locum August., Enarrat. in Ps. 2, ita exponit: *Hodie*, quia praesentiam significat, atque in aeternitate nec praeteritum... nec futurum... sed praesens tantum, quia quidquid aeternum est, semper est; divinitus accipitur secundum id dictum *Ego hodie genui te*, quo sempiternam generationem virtutis et sapientiae Dei, qui est unigenitus Filius, fides sincerissima et catholica praedicat.

[3] Cfr. I. Sent. d. 13. dub. 8, ubi secundum Arium duodecim modi generationis proponuntur.

[4] Cap. 37, 9.

[5] Partes siquidem duodenarii (habet enim quinque partes: duodecimam, sextam, quartam, tertiam, dimidiam) simul ductae non duodecim, sed *sexdecim* sunt. Cfr. August., IV. de Gen. ad lit. c. 2. n. 4, ex quo quaedam attulimus tom. IV. pag. 972, nota 3. Vide etiam tom. III. pag. 536, nota 4.

[6] Psalm. 91, 5. — Seq. locus est II. Cor. 3, 18: Nos vero omnes, revelata etc. (cfr. initium huius collat.).

[7] Aristot., I. Topic. c. 6. (c. 5.): Omnis aqua omni aquae eadem specie dicitur, eo quod habeat quandam similitudinem; ab eodem autem fonte aqua, quae eadem dicitur, nullo alio differt, quam eo quod vehementior sit similitudo. — De fluviorum et fontium generatione agit Aristot., I. Meteor. Sum. 4. c. 1. (c. 13.); ibid. II. Sum. 1. c. 3, insinuat modum, quo aqua salsa fiat dulcis, scil. quod mediante percolatione quod terrenum est et ex admixtione salsedinem facit secernatur.

[8] Cfr. Itinerarium mentis in Deum, c. 2. n. 4. et 7; de Reductione artium ad theolog. n. 8.

Digitized by Google

ibi *formae fixio*, sed vario modo habet *generari*, ut patet in speculis vario modo ordinatis; et diversimode habet *repraesentare*, prope, vel longe.

Aliae 3 generationes per expressionem. 24. Item; est generatio per expressionem ut *figurae* a sigillo, et hic est *formae fixio*, quod deficit in praecedenti, deficit tamen *vitae vigor*. — Item, est *generatio sermonis* a dicente, ubi est *vitae vigor*, quia sermo quandam vim vitae secum habet; ut patet, quod duobus dicentibus eandem veritatem, unus melius alio *exprimit* et *imprimit*. Unde Hieronymus [1]: « Habet nescio quid latentis energiae vivae vocis actus » etc. Unde verba Christi, non est dubium, quin, prolata et audita de ore eius, maioris virtutis et potestatis erant quam scripta. Hic tamen deficit *vitae mansio*, quia sermo transit. — Item, est *generatio conceptus a mente*; et ibi est *vitae mansio*, quia omnis cogitatus in memoria manet; sed hic deficit *fecunditatis substantialis virtus*, quia ille cogitatus non est substantialis virtus. — Haec quatuor integrantur, scilicet *formae decor*, *formae fixio*, *vitae vigor*, *vitae mansio*, et habes *secundam* partem speculi.

Tertio, per propagationem. 25. Item, est generatio per *propagationem* ut *germinis a semine*; et hic est virtus *substantialis*, in qua ultimum deficit, scilicet deficit *vitae robur*. — Item, est generatio ut *surculi a radice*; et hic est *vitae robur*, sed deficit *vivax sensus*; non enim sentit vel producens productum, vel productum suam originem. — Item, est generatio ut *fetus a ventre* vel utero; et hic est *vivax sensus*, sed deficit *virtus activa*, quia venter est quasi receptaculum potius quam activum. — Item, est generatio ut *filii a patre*; et ibi sunt omnes dictae conditiones praeter *unam*, scilicet lucis, quae est *coaevitas*, quae ponenda est in generatione Filii Dei; et ab ista ultima generatione, scilicet filii a patre, denominatur *generatio aeterna*. Et hoc ratificavit Christus, cum dixit [2]: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*; non dixit: in nomine *lucis* et *splendoris*.

Epilogus. Hae sunt *undecim stellae* adorantes Ioseph, Filium pulcherrimum, scilicet undecim conditiones nobiles iam dictae, sed duodecima, scilicet *coaevitas*, est in Filio Dei.

COLLATIO XII.

De visione secunda tractatio quinta, quae est tertia de speciositate fidei et agit de Deo, ut est exemplar omnium rerum.

Summarium. — *Introductio; repetitio*, 1. — Pars I. Deum esse exemplar omnium rerum, intelligitur ex quatuor fidei suppositionibus. *Est creator rerum, gubernator actuum, doctor intellectuum, iudex meritorum*, 2. — *Primo, de Deo creatore*, 3. — *Secundo, de Deo conservatore et gubernatore actuum*, 4. — *Tertio, de Deo doctore intellectuum*, 5. — *Quarto, de Deo secundum leges iustissimas iudicante et praemiante*, 6. — *Haec probantur per Scripturam*, 7. 8. — Pars II. De speculatione contemplante exemplar divinum. *Est urs una et multiplex; causa immediata, potentissima, actualissima; lux inaccessibilis et proxima, intelligibilis et intima*, 9-11. — *Repraesentat contingentia infallibiliter, mutabilia immutabiliter, materialia immaterialiter, possibilia actualiter, partibilia impartite, accidentia substantialiter, corporalia spiritualiter, temporalia sempiterne, distantia indistanter, dissonantia indissonanter, deficientia indeficienter*, 12. 13. — *Triplex adiutorium ad contemplandum divinum exemplar; primum est mundus sensibilis, qui est umbra, via, vestigium, liber scriptus foris*, 14. 15. — *Secundum, spiritualis creatura, quae est lumen, speculum, imago, liber scriptus intus*, 16. — *Tertium, Scriptura sacramentalis, quae est Dei cor, os, lingua, calamus et liber scriptus foris et intus*, 17.

Introductio. 1. *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes* [3] etc. Dictum est de *altitudine fidei*, quia excedit investigationem rationis, ut patet in duodecim articulis designatis per duodecim *stellas* et per duodecim *alas Seraphim*. — Dictum est de *firmitate* eius designata per duodecim *fundamenta civitatis*. — Item, de *speciositate* designata per duodecim *portas civitatis* et per duodecim *margaritas*, Repetitio.

[1] Epist. 53. (alias 103.) ad Paulinum, n. 2: Habet nescio quid latentis energiae viva vox, et in aures discipuli de magistri ore transfusa fortius sonat. (Haec epist. ut prologus in Biblia exhibetur; ideoque G ponit: *Hieronymus in prologo Biblie*). Cfr. eius Comment. in Gal. 4, 20. Vide tom. II. pag. 266, nota 5.

[2] Matth. 28, 19: Euntes ergo docete etc.

[3] Epist. II. Cor. 3, 18. — In seqq. datur summa collat. 8-11.

quae sunt speculationes fidei, et sunt *fulgidae* et *vivificae* et *incumbae* quantum ad duas portas orientales[1], scilicet speculari, Deum esse *primum* et *purissimum*; secundo, Deum *trinum et unum*.

Par I. Deus exemplar omnium rerum.

2. Sequitur de tertia porta, scilicet quod sit *exemplar omnium rerum*. Supponendum enim est per fidem, quod Deus est *conditor* rerum, *gubernator* actuum, *doctor* intellectuum, *iudex* meritorum. Et ex hoc intelligitur, quod est *causa causarum* et *rex* praestantissime originans, *dux* providissime gubernans, *lux* manifestissime declarans vel repraesentans, *ius* rectissime praemians et iudicans.

Fidei I. supponendum.

3. Primum ostenditur sic. Creatura egreditur a *Creatore*, sed non per *naturam*, quia alterius naturae est: ergo per *artem*, cum non sit alius modus emanandi nobilis quam per *naturam*, vel per *artem* sive ex voluntate[2]; et ars illa non est *extra ipsum*: ergo est *agens per artem* et *volens*: ergo necesse est, ut habeat rationes expressas et expressivas. Si enim det huic rei *formam*, per quam distinguitur ab alia re, vel *proprietatem*, per quam ab alia distinguitur; necesse est, ut habeat formam idealem, immo *formas ideales*. Sic enim in plurali vocantur a Sanctis[3].

Deus Creator est ars oriunda.

4. Item, quia est *causa conservans*, est *dux gubernans*. Praeest enim ad dirigendum omnes actus, secundum quod gubernabiles sunt; non sicut artifex, qui domum dimittit, sed res conservat et dirigit[4]. Idem habet apud se *normas directissimas*. Nec est idem modus, ut creatura manat a Creatore secundum formas vel rationes expressivas, et secundum quod a mente divina emanant regulae ad conservationem ipsarum secundum directionem aeternarum regularum.

Deus conservans est dux gubernans.

5. Item, quia ipse *doctor* est, docet infallibiliter et certificat sic, quod impossibile est, aliter se habere. Secundum sententiam omnium doctorum[5] Christus est doctor interius, nec scitur aliqua veritas nisi per eum, non loquendo, sicut nos, sed interius illustrando; et idem necesse est, ut habeat *clarissimas species* apud se, neque tamen ab alio arceperit. Ipse enim intimus est omni animae[6] et suis speciebus clarissimis refulget super species intellectus nostri tenebrosas: et sic illustrantur species illae obtenebratae, admixtae obscuritati phantasmatum, ut intellectus intelligat. Si enim *scire* est cognoscere, rem aliter impossibile se habere; necessarium est, ut ille solus scire faciat, qui veritatem novit et habet in se veritatem.

Deus doctor intellectuum.

Notandum.

6. Item, est *ius* rectissime remunerans per leges iustissimas. Si ergo iuste praemiat, necesse est, ut habeat *leges iustissimas*.

Deus iudex remunerans per iustissimas leges.

7. Loquitur autem Scriptura de ipso, ut est exemplar, quo omnis creatura *vivit in* formis aeternis; locutus primo[7]: *Quod factum est in ipsa vita erat*. Vivit autem per *cognitionem* et *amorem*; et qui hoc negat negat praedestinationem aeternam. Nam ab aeterno novit Deus creaturam et amat eam, quia praeparavit eam gloriae et gratiae. — Item, habet *normas directissimas*; unde Apostolus et Ieremias[8] dicunt: *Dabo leges meas in visceribus eorum, et in corde superscribam eas*. Superscribit enim primo in *natura*; secundo, in *industria* seu in progressu; tertio, in *gratia*; quarto, in *gloria*. In quolibet statu dat normas suas: ergo necesse est, ut in se habeat eas.

Per Scripturam probantur duo praemissa.

8. Item, quia est *lux illustrans*; in Sapientia[9]: *Est enim haec speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum lumi comparatus invenitur prior*; quia, licet sol habeat rationem *radiandi*, non tamen *species* in se descriptas habet: et idem illud exemplar est pulcrius, quia eum hoc, quod lucem habeat, etiam *species clarus* habet. — Item, est *ius per se iudicans*; in Apocalypsi[10]: *Libri aperti sunt, et alius liber apertus est*, scilicet *liber vitae* et *liber conscientiae*. Per *librum vitae* habet anima *vivere* et *iudicari*; et si liber conscientiae concordat cum libro vitae, approbatur; si autem discordat, reprobatur: unde in Psalmo: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur*, id est manifestabuntur scripti, non de novo scribentur. In hoc libro scribuntur omnes *leges aeternae*. — Deus ergo est *exemplar aeternum*, et hoc est fidei, quae credit, Deum esse conditorem rerum etc.

Item, tertium et quartum.

Notandum.

Conclaudunt.

9. Et super hoc fertur speculatio, ut sit ars praestantissime repraesentans. Haec autem ars et est *una* et *multiplex*. Quomodo autem hoc esse possit videri non potest, nisi veniat *illuminatio a mun-*

Pars II. De exemplari ut obiecta speculationis.

Et ars una et multiplex.

---

[1] Apoc. 21, 13, ubi de duodecim portis dicitur, quod fuerunt « ab oriente portae tres » etc.

[2] Id insinuat Aristot., II. Phys. text. 49. (c. 3.). Cfr. tom. I. pag. 56, nota 6.

[3] Vide supra Quaestiones disputatas de scientia Christi, q. 2. et 3.

[4] August., IV. de Gen. ad lit. c. 12. n. 22: Creatoris namque potentia et omnipotentis atque omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturae; quae virtus ab eis quae creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species omnisque natura concideret. Neque enim, sicut structor aedium, cum fabricaverit, abscedit atque illo cessante atque abscedente, stat opus eius; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraverit. Cfr. ibid. VIII. c. 12. n. 25.

[5] Cfr. supra Quaest. disput. de scientia Christi, q. 1; et supra pag. 331, nota 8.

[6] Vide supra pag. 341, nota 10. — Aristot., I. Poster. c. 2: Scire autem opinamur unumquodque simpliciter... cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, quod illius causa est, et non est contingere hoc aliter se habere.

[7] Vers. 3. seq. — De praedestinatione cfr. supra Breviloq. p. I. c. 8.

[8] Cap. 31, 33: Dabo legem meam in.. in corde eorum scribam eam. Hebr. 8, 10: Dando leges meas in mentem eorum et in corde eorum superscribam eas.

[9] Cap. 7, 29. Cfr. supra collat. 6. n. 7.

[10] Cap. 20, 12. Vide supra Breviloq. p. VII. c. 1. — Seq. locus est Ps. 138, 16.

tibus aeternis, et tunc *turbabuntur insipientes corde*[1], id est stulti. Oportet enim *alte scrutare* de Deo. — Est autem *multiformis*, quia multa repraesentat *distincte* et *certitudinaliter*. Unde melius videbo me in Deo quam in me ipso. Est tamen *summe una*.

Causa prima, immediata, potentissima, simplicissima, infinita.

10. Ad hoc notandum, quod causa prima et est *prima* et *immediata*; quia *prima*, ideo nihil habet ab alio, sed omnia ab ea; et est *immediata*, quia causa immediata nobilior est quam mediata. Quia ergo *prima*, ideo *potentissima*: ergo *multa* potest; item, quia *immediata*, ideo est *artualissima*, quia causa immediata in actu est; est etiam actualissima, eo quod immediata, quia actus immediatior est quam potentia. Non autem est actualissima secundum *efficientiam* sive secundum *actum extrinsecum*, quia non facit statim quidquid potest: ergo est artualissima secundum *actum intrinsecum*, qui est *diuere*. Unde ab aeterno dixit hoc fiendum, et hoc in tempore. — Haec etiam causa, quia est una, est *summe simplex*; et eo quod summe simplex, est *infinita*, quia « virtus vel causa, quanto magis unita et simplex, tanto magis infinita[2] », non quidem distensione *molis*, sed *virtutis*.

Inaccessibile, inaestimabile.

11. Haec lux est *inaccessibilis*[3], et tamen proxima summae, etiam plus quam ipsa sibi. Est etiam *inaestimabilis*, et tamen summe *intima*. — Hoc autem videre non est nisi hominis suspensi ultra se in alta visione; et quando volumus videre simplici intuitu, quomodo illa ars est *una*, et tamen *multiplex*; quia immiscet se phantasia, rogitare non possumus, quomodo infinita sit nisi per distensionem: et ideo videre non possumus simplici intuitu nisi *rationcinando*.

Difficile hoc contemplatio.

Mire modo repraesentat illa ars.

12. Quae ergo illa ars est *causa*, sequitur, quod in illa arte est repraesentatio causabilium *incausabiliter*; quia rationes illae causae sunt[4], ideo incausae[5]: et hinc est, quod causae sunt contingentium *infallibiliter*. Quod enim *contingens* est illic infallibiliter repraesentatur: exprimit enim *modum*, qui accidit in re, infallibiliter, quia, secundum quod in se et apud se est, exprimit. Vera enim est contingentia a parte rei, et infallibilitas ex parte Dei.

Aliae eius proprietates.

13. Item, rationabilium *immutabiliter*, materialium *immaterialiter*, quia illae rationes non sunt materiales; possibilium *actualiter*, partibilium *impartite*[6], quia non est maior ratio montis quam mili, nec etiam in anima nostra; accidentium *substantialiter*, quia illae rationes sunt substantia, quae est Deus; corporalium *spiritualiter*; temporalium *sempiterne*; distantium *indistanter*, ut etiam patet in anima, quia situationes specierum non sunt in anima; dissonantium *indissonanter*, ut ratio albi et nigri; deficientium *indeficienter*, quia quidquid est ibi, vita vivit.

Triplex adiutorium ad contemplandas has rationes.

14. Ad hos splendores exemplares ratio ducit et fides. Sed ulterius triplex est adiutorium ad surgendum ad exemplares rationes, creaturae scilicet *sensibilis*, creaturae *spiritualis*, Scripturae *sacramentalis*, quae continet mysteria. — Quantum ad primum totus mundus est *umbra*, *via*, *vestigium* et est *liber scriptus forinsecus*[7]. In qualibet enim creatura est refulgentia divini exemplaris, sed cum tenebra permixta; unde est sicut quaedam opacitas admixta lumini. — Item, est *via* ducens in exemplar. Sicut tu vides, quod radius intrans per fenestram diversimode coloratur secundum colores diversos diversarum partium; sic radius divinus in singulis creaturis diversimode et in diversis proprietatibus refulget; in Sapientia[8]: *In viis suis ostendit se*. — Item, est *vestigium* sapientiae Dei. Unde creatura non est nisi sicut quoddam simulacrum sapientiae Dei et quoddam sculptile. — Et ex his omnibus est quidam *liber scriptus foris*.

Primum, mundus sensibilis.

Est umbra.

Via.

Vestigium.

Liber scriptus foris.

Naturalem.

15. Quando ergo anima videt haec, videtur sibi, quod deberet transire ab *umbra* ad lucem, a *via* ad terminum, a *vestigio* ad veritatem, a *libro* ad scientiam veram, quae est in Deo. Hunc librum legere est altissimorum *contemplativorum*, non naturalium philosophorum, quia solum sciunt *naturam* rerum, non ut *vestigium*.

Secundum, spiritualis creatura.

16. Aliud adiutorium est *spiritualis creaturae*, quae est ut *lumen*, ut *speculum*, ut *imago*, ut *liber scriptus intus*. — Omnis substantia spiritualis *lumen* est: unde in Psalmo[9]: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. — Simul etiam cum hoc est *speculum*, quia omnia recipit et repraesentat; et habet naturam *luminis*, ut et indiret de rebus. Totus enim mundus describitur in anima[10]. — Et est etiam *imago*. Quia ergo est *lumen* et *speculum* habens rerum imagines, ideo est *imago*. — Ex

Est lumen.

Speculum.

Imago.

---

[1] Psalm. 75, 5. seq.: Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis, turbati sunt omnes insipientes corde.

[2] Libr. de Causis, propos. 17. Cfr. supra collat. 3. n. 4. seqq. et pag. 35, nota 2.

[3] Epist. 1. Tim. 6, 16: Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit etc.

[4] Cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 5. § 8. — De seqq. cfr. supra collat. 3. n. 29.

[5] Vat. *causaliter*. BC *increate*. Etiam in seqq. verbis deficiunt edd. et codd., et difficile est veram lectionem determinare. Post *hoc est*, *quod* pro *causae* AE *causatae*, et post *infallibiliter* addunt *sunt causa*; pro *repraesentatur* codd., exceptis BC cum Vat., *repraesentat et*, atque omittunt *enim*. Cum BC interserimus *illic*, et transposuimus *infallibiliter* post *in re*, dum alii legunt *infallibiliter in re*.

[6] Dionys., de Div. Nom. c. 7. § 2: Semet agitur divina sapientia cognoscens cognoscit omnia, immateriaiiter materialia, et non partite partita, et unita universaliter, ipso uno omnia et cognoscens et adiuvans etc.

[7] Respicitur Ezech. 2, 9. et Apoc. 5, 1. Vide supra Breviloq. p. II. c. 11. et Itinerarium mentis in Deum, c. 2.

[8] Cap. 6, 17. Vulgata omittit *suis*. Cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 5. § 8.

[9] Psalm. 4, 7. Cfr. supra Breviloq. p. II. c. 12. et Itinerarium mentis in Deum, c. 3.

[10] Vide supra pag. 349, nota 9.

Digitized by Google

Liber scriptus intus. hoc est etiam *liber scriptus intus*. Unde ad *intimum* animae nullus potest intrare, nisi sit simplex; hoc autem est intrare ad potentias; quia, secundum Augustinum [1], intimum animae est eius summum; quanto potentia intimior, tanto sublimior. — Haec duo habent magi Pharaonis.

17. Sed tertium adiutorium est *Scripturae sacramentalis*. Est autem omnis Scriptura *cor* Dei, *os* Dei, *lingua* Dei, *calamus* Dei, *liber scriptus foris et intus*. — In Psalmo [2]: *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribae velociter scribentis: cor* Dei, *os* Patris, *lingua* Filii, *calamus* Spiritus sancti. *Pater* enim loquitur per Verbum seu *linguam*; sed qui complet et memoriae commendat est *calamus scribae*. — Scriptura ergo est *os* Dei. Unde Isaias [3]: *Vae! qui descenditis in Aegyptum*, scilicet ad saeculares scientias, et *os Domini non interrogastis*, scilicet sacram Scripturam. Non enim debet ad scientias alias descendere, ut sciat certitudinem, nisi habeat testimonium in monte, scilicet Christi, Eliae, Moysi, hoc est novi testamenti, Prophetarum et Legis. — Item, est *lingua*, unde *mel et lac sub lingua eius* [4]. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Haec lingua cibos saporat; unde haec Scriptura comparatur ponibus, qui habent saporem et reficiunt. — Item, est *calamus* Dei, et hoc est Spiritus sanctus; quia, sicut scribens potest praesentialiter scribere praeterita, praesentia et futura; sic continentur in Scriptura praeterita, praesentia et futura. — Unde est liber scriptus *foris*, quia habet pulcras historias et docet rerum proprietates; scriptus est etiam *intus*, quia habet mysteria et intelligentias diversas.

Tertium, Scriptura. Et Dei cor. Dei os. Dei lingua. Dei calamus. Liber scriptus foris et intus.

COLLATIO XIII.

De tertia visione, quae est intelligentiae per Scripturam erudilae, tractatio prima, in qua agitur de Scripturae intelligentiis spiritualibus.

SUMMARIUM. — *Introductio*, 1. — *Divisio primarum rei triplicis in tertia visione tractandae, scil. de Scripturae spiritualibus intelligentiis, sacramentalibus figuris, multiformibus theoriis*, 2. — Pars I. De multiplicitate intelligentiarum spiritualium in genere. *Intelligentiae hae comparantur congregationi aquarum ob tres rationes*, 3. — *De ratione prima*, 4. — *De secunda*, 5. — *De tertia*, 6. — *Tempore futuro Scriptura melius intelligetur*, 7. — *De incrementis revelationis secundum Scripturam*, 8. 9. — *Scriptura, ut sit cor Dei et sublimis, debet esse multiformis secundum sensum*, 10. — Pars II. De quatuor sensibus Scripturae in specie. *Triplex manifestatio Dei in qualibet creatura; similiter triplex spiritualis intelligentia Scripturae; quatuor sensus comparantur quatuor floribus*, 11. — *Liber creaturarum, propter peccatum originale quasi emortuus, earsus illuminatur per alterum librum Scripturae*, 12. 13. — *Explicantur figurae in Ezechiele et Apocalypsi*, 14. 15. — *Sensus litteralis cum 4 floribus*, 16. 17. — *Obiectum allegoriae, tropologiae et anagogiae*, 18. — *In sensu anagogico sunt quatuor floris*, 19. — *Item, in allegorico*, 20. — *Item, in tropologico*, 21. — *Haec explicantur exemplo solis in Scriptura multipliciter intellecti; primo secundum anagogicum habet quatuor sensus; quod probatur locis Scripturae*, 22-25. — *Item, secundum allegoricum*, 26-29. — *Item, secundum tropologicum*, 30-33.

1. *Congregentur aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam terram congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et ait: germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomife-*

Introductio.

---

[1] Vide supra pag. 311, nota 10. — Collat. 2. n. 10. et collat. 3. n. 32. docetur, Angelos non effective (intrinsecus immutando potentiam), sed tantum occasionaliter mentem humanam illuminare. Haec doctrina diffusius exhibetur II. Sent. d. 10. a. 2. q. 2. Cfr. ibid. d. 8. p. II. q. 2. sequ., ubi ostenditur, quod solus Deus animabus illabatur, et respectu daemonum probatur, quod ipsi sensus nostros illudere possint animaeque suggerere cogitationes, non quidem *effective*, sed *exhibitive*. — Superius posuimus *nisi sit simplex*, [cfr. coll. 4. n. 12.] pro *licet sit simplex*, ut habent Vat. et codd., exceptis B C, qui omissis his verbis prosequuntur: *licet posset intrare*. Deinde aliqua verba excidisse videntur, quae suppleri possunt sic: *licet possit eam illuminare*. — Inferius respicitur Exod. 7. et 8. (de magis Pharaonis). Cfr. supra pag. 311, nota 7. et pag. 375, nota 2.

[2] Psalm. 44, 2.

[3] Cap. 30, 1. et 2: Vae... qui moliuntis, ut descendatis in Aegyptum, et os meum non interrogastis. Cfr. ibid. 31, 1. — Inferius respicitur Matth. 17, 1. sequ. (de transfiguratione Christi in monte).

[4] Cant. 4, 11. Vulgata *tua* pro *eius*. — Seq. locus est Ps. 118, 103. Cfr. Gregor., XV. Moral. c. 13. n. 16. et XXIII. c. 25. n. 49, ubi Scriptura comparatur paui.

Digitized by Google

cum, faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram[1] etc. Haec est tertia visio, intelligentiae *per Scripturam eruditae*, quae intelligitur in opere tertiae diei. Et sicut in operibus dierum est additio secundae ad primam et tertiae ad utramque; sic ex prima et secunda visione oritur tertia; et ista visio est nobilior et maior praeredentibus. Et licet videatur inconveniens adaptatio et correspondentia cum opere tertiae diei, pro eo quod terra est infimum elementorum, Scriptura autem est sublimissima; optime tamen assignatur: quia quodquid eadem continet in quadam excellentia, terra tenet vel suscipit vel habet in quadam vivacitate. Unde suscipit caeli influentias et facit pulcherrimas pullulationes[2].

Haec visio adaptatur tertiae diei.

2. Consistit autem haec visio circa tria, scilicet circa *spiritales intelligentias* sensuum sive *sensus*, circa *sacramentales figuras*, circa *multiformes theorias* inde elicitas. Ad haec tria omnis Scriptura reducitur. — Primae dantur intelligi per *congregationes aquarum*, scilicet *spirituales intelligentiae*; secundae, scilicet *sacramentales figurae*, per *pullulationes terrae*, ibi: *Germinet terra herbam virentem*; tertiae, scilicet *multiformes theoriae*, intelligantur per *semina*, ibi: *Cuius semen sit in semetipso* etc. — Quis potest scire infinitatem seminum, cum tamen in uno sint silvae silvarum et postea infiniti semina[3]? Sic ex Scripturis elici possunt infinitae theoriae, quas nullus potest comprehendere nisi solus Deus. Sicut enim ex plantis nova semina; sic ex Scripturis novae theoriae et novi sensus, et idem Scriptura sacra distinguitur. Unde sicut si una gutta de mari extrahatur; sic sunt omnes theoriae, quae eliciuntur, respectu illarum quae possunt elici.

Dicitur primaria in 3 membra.

3. Primo igitur dicendum est de *intelligentiis spiritualibus* et postea de *signis* et postea de *theoriis*; quia signa nil valent, nisi res intelligantur. Sic etiam primo congregavit aquas, deinde produxit arbores, deinde semina. — De *congregatione maris* Psalmus[4]: *Congregans sicut in utre aquas maris.* In utre congregavit aquas maris, quando in corio Scripturae congregavit universitatem *intelligentiarum spiritualium*. — Assimilantur autem *intelligentiae* aquis congregatis in utre propter tres rationes: scilicet propter ipsam spiritualium intelligentiarum *primitivam originationem*, propter intelligentiarum spiritualium *profundissimam altitudinem*, propter intelligentiarum spiritualium *profluentissimam multiformitatem*.

Per I. De Scripturae intelligentia spiritualibus in genere.

Comparatur congregationi maris.

Ob 3 rationes.

4. De primo in Ecclesiaste[5]: *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat; ad locum, unde exeunt, flumina revertantur, ut iterum fluant*; sic omnes intelligentiae spirituales a Scriptura divina. Intelligentiae spirituales dicuntur *flumina* — et etiam viri intelligentes spiritualiter — quia originem habent a Scriptura et per Scripturam confirmantur, et per illas aliae intelligentiae habentur; unde in Psalmo[6]: *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam. Elevaverunt flumina fluctus suos a vocibus aquarum multarum.* Quare? Quia *mirabiles elationes maris.* Quare? Quia *mirabilis in altis, Dominus*, vox Dei debent esse magna.

Prima ratio.

5. Secunda ratio, propter *profundissimam altitudinem*; in Psalmo[7]: *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.* Ille *descendit cum navibus* in mare, qui cum spiritu summae reverentiae accedit ad exponendum Scripturas. *Cum navibus descendit* qui habet manducationem ligni crucis; quia qui sine isto ligno vult intrare mare Scripturae submergitur, in maximos errores cadens; nisi cum sit Petrus, demergitur. Unde, *alta profunditas; quis inveniet eam*[8]? Sapientia gloriatur, quae profundum abyssi penetravit et vidit mirabilia Dei in profundo; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum caeli circuivi sola et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi.* Haec dicit Sapientia incarnata: *Ego in altissimis habitavi*, in creatione; *thronus meus in columna nubis*, in incarnatione; *in fluctibus maris ambulavi*, in passione; *profundum abyssi penetravi*, in penetratione Scripturarum, quia *aperuit illis sensum* post resurrectionem, *ut intelligerent Scripturas.* Propter fidem crucis Petrus super mare ambulavit.

Secunda.

6. Tertia ratio est propter *profluentissimam multiformitatem*. Multiplex enim profluentia est ab aquis nubium, a fluminibus, a fontibus, et omnia sunt a mari. — Si quaeris: quomodo? Per varios meatus et per varios motus; sic respondet nubes, sic fluvius, sic fons; Isaias[9]: *Repleta est terra*

Tertia.

---

[1] Gen. 1, 9. seqq.

[2] Cfr. supra Breviloq. p. II. c. 3. et 4.

[3] August. de Vera Relig. c. 42. n. 79: « De uno quippe [semine] secundum suam naturam possunt vel segetes segetum, vel silvae silvarum... per saecula propagari ». Hanc sententiam fere iisdem verbis allegat B (cfr. tom. II. pag. 729, nota 3.). In A ad marginem citatur III. de Trin. c. 8. n. 13. seqq.; a Vat. vero V. de Gen. ad lit. c. 23. n. 44; locis his citatis eadem sententia insinuatur. — Inferius pro *distinguitur* [scil. ab aliis] ADE *diligitur*. Neutra lectio placet.

[4] Psalm. 32, 7.

[5] Cap. 1, 7.

[6] Psalm. 92, 3. et 4.

[7] Psalm. 106, 23. — Inferius respicitur Matth. 11, 29. (de Petro ambulante super mare).

[8] Eccli. 7, 25. — Seq. locus est Eccli. 24, 7. et 8; tertius est Luc. 24, 45: Tunc aperuit illis etc.; et respicitur Matth. 14, 29.

[9] Cap. 11, 9. — Ibid. est etiam seq. locus.

Digitized by Google

scientiae Domini, sicut aquae maris operientes. Et praecedit illud: *Non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo.*

Magis manifestabitur Scriptura.

7. Et hoc potissime refertur ad tempus novi testamenti, quando Scriptura manifestata est, et maxime in fine, quando Scripturae intelligentur, quae modo non intelliguntur. Tunc erit *mons*, scilicet Ecclesia contemplativa; et tunc *non nocebunt*, quando fugent monstra haeresum sapientiae usura. Sed hodie mons Sion propter vulpes disperiit[1], id est propter expositores versutiles et factiosos.

Brevitas in Scriptura crevit.

8. De isto tertio Esther[2]: *Fons parvus crevit in fluvium maximum et in lucem solemque conversus est et in aquas plurimas redundavit.* Scriptura fuit *fons parvus* in Legis traditione, quia parvus est liber praeceptorum Legis; sed post crevit in *fluvium* maximum in libro Iesue, Iudicum, Regum, Esdrae, Iudith, Tobiae, Esther, Machabaeorum. Et post conversus est *in lucem*, scilicet Prophetarum; nam prophetia lux est; et post *in solem*, scilicet in Evangelio; et multae intelligentiae elicitae sunt, et sic *in aquas plurimas redundavit.*

Genus vatum per Ezechielem.

9. Istam multiformitatem clarius vidit Ezechiel[3], qui vidit *in medio* similitudinem quatuor animalium; et primum animal habebat faciem *hominis;* secundum, faciem *leonis;* tertium, faciem *bovis;* et quartum, faciem *aquilae;* et unumquodque quatuor facies habebat. Et post apparuit *rota in medio rotae;* et postea dicit, quod aspectus rotarum et opus quasi *visio maris*, et quod *rota erat in rota.* Et postea dicit, se audivisse *sonum alarum quasi sonum aquarum multarum et quasi sonum sublimis Dei.* Per *quatuor animalia* secundum omnes intelliguntur scriptores Scripturae sacrae, maxime Prophetae et Evangelistae. Secundum Gregorium[4] per *rotas duas* habentes *quatuor facies* intelligitur Scriptura habens vetus et novum testamentum; et *quatuor facies* sunt quatuor intelligentiae principales, scilicet litteralis, allegorica, moralis, anagogica. Aspectus autem quasi *visio maris*, propter profunditatem mysteriorum spiritualium; et *rotatus audiuntur*, quando mentes excitantur; et fit *sonus sublimis Dei*, quia omnia sunt a Deo; unde in Apocalypsi[5]: *Et vox, quam audivi, sicut vox aquarum multarum*, propter multitudinem intelligentiarum; vox *citharoedorum*, propter concordantiam illarum intelligentiarum, quia miro modo concordant, et mira est harmonia.

Scriptura habet multos intellectus.

10. Habet autem Scriptura multos intellectus, quia talis debet esse vox Dei, ut sit *sublimis.* Veteres scientiae sunt contentae sub uno sensu, sed in hac est multiformis, et in hac significant *voces* et *res;* in aliis autem solae *voces*[6], quia unusquisque doctrina determinatur per signa sibi convenientia: unde litterae et voces, quarum principia litterae, sunt signa intellectuum; et qua intellectus proportionati et terminati sunt, ideo et voces, ut nomine semel posito non sit utendum aequivoce. — Deus autem causa est et *animarum* et *vocum formatarum* ab anima et *rerum*, quarum sunt voces.

Voces et res significant.

11. Ideo primus sensus *litteralis;* deinde, quia *res* significant, sunt tres sensus. Deus enim manifestat se in qualibet creatura tripliciter: secundum *substantiam, virtutem* et *operationem.* Et omnis creatura repraesentat Deum, qui est Trinitas, et qualiter perveniatur ad eum[7]. Et quia per fidem, spem et caritatem perveniatur ad Deum; ideo omnis creatura insinuat, quid *credendum*, quid *exspectandum*, quid *operandum.* Et secundum hoc est tripdex intelligentia spiritualis: *allegoria*, quid credendum; *anagogia*, quid exspectandum; *tropologia*, quid operandum, quia caritas facit operari. — Intelligentia *litteralis* est quasi facies *naturalis*, scilicet *hominis;* aliae sunt facies *mysticae:* per *leonem*, qui habet magnificentiam, *allegoria*, sive quid credendum; per faciem *bovis*, qui trahit aratrum et subcat terram ad fructificandum, *tropologia* sive moralis; per *aquilam*, quae in altum volat, *anagogia.* — Prima facies, scilicet litteralis, *aperta* est; secunda, magnificentia alte *elevata;* tertia, tropologia est *fructuosa;* quarta quasi irreverberatis oculis *solem intuetur.* — Hae quatuor sunt quasi *visio maris* propter spiritualium intelligentiarum *primitivam originationem, profundissimam altitudinem* et *profluentissimam multiformitatem.* Unde sicut sunt tres personae in una essentia, sic tres intelligentiae in una superficie litterae[8].

Quid significat creatura.

Pars II. De 4 sensibus Scripturae.

Tres sensus spirituales.

Quatuor facies.

12. Notandum autem, quod mundus, etsi servit homini quantum ad *corpus*, potissime tamen quan-

Scopus principalis mundi.

---

[1] Respicitur Thren. 5, 18. (oratio Ieremiae): Propter montem Sion, quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo — Superius post *intelligentur* B prosequitur *melius, quam nunc intelliguntur.* Deinde *usura* sumitur pro *usu.*

[2] Cap. 10, 6: Parvus fons, qui crevit in fluvium et in lucem etc. Cfr. Prolog. in Breviloq. § 1. in fine.

[3] Cap. 1, 5. seqq.

[4] Libr. I. Homil. in Ezech. homil. 6. n. 12. seqq.: Quid est hoc, quod cum una rota diceretur, paulo post adiungitur *Quasi si sit rota in medio rotae*, nisi quod in testamenti veteris littera testamentum novum latuit per allegoriam? Unde et rota eadem, quae *iuxta animalia apparuit, quatuor facies* habere describitur, quia Scriptura sacra per utraque testamenta in quatuor partibus est distincta; vetus etenim testamentum in Lege et Prophetis, novum vero in Evangeliis atque Apostolorum actibus et dictis.

[5] Cap. 14, 2: Et audivi vocem de caelo tanquam vocem aquarum multarum... et vocem, quam audivi, sicut citharoedorum etc.

[6] Cfr. Hug. a S. Vict., V. Erudit. didascal. c. 3. Vide etiam supra pag. 205, nota 5. — Quod litterae et voces sint signa intellectuum, insinuat Aristot. loco supra pag. 323, nota 9. citato. — De usu terminorum cfr. tom. IV. pag. 265, nota 4.

[7] Cfr. collat. 2. n. 22. seqq.; Ibid. n. 13. seqq. agitur etiam de triplici intelligentia Scripturae; cfr. etiam Prolog. in in Breviloq. § 4.

[8] Cfr. supra pag. 321, nota 6.

Digitized by Google

tum ad *animam;* et si servit quantum ad *vitam*, potissime quantum ad *sapientiam*. Certum est, quod homo stans habebat cognitionem rerum creatarum et per illarum repraesentationem ferebatur in Deum ad ipsum laudandum, venerandum, amandum; et ad hoc sunt creaturae et sic reducuntur in Deum. Cadente autem homine, cum amisisset cognitionem, non erat qui reduceret eas in Deum. Unde iste liber, scilicet mundus, quasi emortuus et deletus erat; necessarius autem fuit alius liber, per quem iste illuminaretur, ut acciperet metaphoras rerum. Hic autem liber est Scripturae, qui ponit similitudines, proprietates et metaphoras rerum in libro mundi scriptarum. Liber ergo Scripturae reparativus est totius mundi ad Deum cognoscendum, laudandum, amandum. Unde si quaeras, quid tibi valet serpens, vel de quo tibi servit? Plus valet tibi quam totus mundus, quia docet te prudentiam, sicut formica sapientiam; Salomon [1]: *Vade ad formicam, o piger, et disce sapientiam;* item, in Matthaeo: *Estote prudentes sicut serpentes.*

Liber creaturarum quasi emortuus.

Reparatur per Scripturam.

13. Hae quatuor intelligentiae sunt quatuor *fluvina* [2] *maris* Scripturae, a quo *derivantur* vel oriuntur et *revertuntur*. Unde sacra Scriptura est *illuminativa* omnium et *reductiva* in Deum, sicut primo fuit creatura.

Confirmatur.

14. Sed quomodo habet quatuor *facies* quaelibet intelligentia dicta, quia dicitur, quod unumquodque animal *quatuor facies* habebat [3]? Interrogemus *unicum sponsi*, scilicet Ioannem — et dixit hic: iste est istius ordinis specialiter — et dicit in Apocalypsi, quod quatuor animalia erant circa thronum Dei, et quod animal primum habebat faciem *leonis;* secundum, faciem *bovis;* tertium, faciem *hominis*, quartum, faciem *aquilae;* et non dicit, quod unumquodque haberet quatuor facies; Ezechiel autem dicit, quod animalia *ibant*, et iste, quod *stabant;* Ezechiel dicit, quod animal primum habebat faciem *hominis;* iste, quod faciem *leonis;* item, iste dicit, quod clamabant *sanctus;* ille nihil horum exprimit, nisi quod dabant voces. Unde Ioannes videtur comprehendere visionem Isaiae [4] et Ezechielis.

Figuras in Ezechiele et Apocalypsi.

15. Ad hoc notandum, quod Ezechiel intendit describere intelligentias istas per ordinem *principalem;* ideo incipit a naturali facie *hominis*, quae significat intellectum *litteralem*. Ioannes autem intendit describere quatuor intelligentias *non principales* secundum quatuor facies, quae sunt quatuor intelligentiae, scilicet *litteralis*, vel *allegorica*, vel *tropologica*, vel *anagogica*, cuiuslibet quatuor.

Explicatur.

16. Omnis doctrina *veteris* testamenti aut est *legalis*, ut in Moyse; aut *historialis*, ut in libris historialibus; aut *sapientialis*, ut in libris sapientialibus; aut *prophetalis*, ut in Psalmis et in duodecim Prophetis minoribus et quatuor maioribus. — *Novi* testamenti Scriptura similiter aut est *legalis*, ut in Evangelio, ubi ponuntur praecepta; aut *historialis*, ut in Actibus Apostolorum; aut *sapientialis*, ut in Epistolis Pauli, cocadinnetis canonicis; aut *prophetalis*, ut in Apocalypsi; quamquam Epistolae ponantur post Evangelia, tamen Actus Apostolorum immediate sequuntur Evangelium: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Iesus facere et docere* [5]. — *Legalis* respondet leoni propter magnificentiam et auctoritatem; *historialis* bovi, qui trahit aratrum, propter simplicitatem, et quia terram sulcat; *sapientialis* respondet homini; *prophetalis* respondet faciei aquilae.

Sensus litteralis et 4 partes eiusdem.

17. Intendit enim Scriptura reducere ad originale principium per reformationem; aut ergo describit *aeterna*, quae sunt leges et Evangelia; in Psalmo [6]: *Praeceptum posuit Dominus, quod non praeteribit;* et in Ecclesiastico: *Fundamenta aeterna supra petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctae;* haec mulier est Ecclesia. Non enim intelligendum est, quod lex transeat sive praecepta, immo melius servabuntur in *patria*. Non enim eodem modo servantur in lege veteri et nova, sed melius in nova, completius autem in patria. Deus enim vivit secundum leges, quas dedit. — Si autem Scriptura agat de *temporalibus*, aut ergo de *praeteritis*, et sic historialia; aut de *praesentibus*, et sic sapientialia; aut de *futuris*, et sic prophetalia. Sunt ergo *mandata, exempla, documenta, revelationes*. — Haec igitur prima intelligentia quatuor habet facies; si ordinemus secundum ordinem Ezechielis, tunc habetur ordo rectus *in se;* sed nos debemus secundum naturam ferre oculum ad *aeterna*, quae principalia sunt.

Litteralis agit primo de aeternis.

Secundo de temporalibus tripliciter.

Facies eius quatuor.

18. *Anagogia* autem est de *supernis; allegoria* est de his quae *facta* sunt; *tropologia* de his quae *fienda* sunt. *Anagogia* etiam est pars *allegoriae* secundum Hugonem [7], quae est de *credendis*.

Triplex sensus spiritualis.

19. In sensu ergo *anagogico* quatuor sunt facies, scilicet aeterna Dei trinitas, exemplaris sapientia, angelica sublimitas, Ecclesia triumphans. Quando

In sensu anagogico quatuor facies.

[1] Prov. 6, 6. Post *piger* Vulgata addit *et considera vias eius*. — Seq. locus est Matth. 10, 16.

[2] Respicitur Gen. 2, 10. seqq., ubi de quatuor fluminibus paradisi. Eccle. 1, 7: Omnia flumina intrant in mare... ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur etc.

[3] Ezech. 1, 6: Quatuor facies uni. — In seqq. respicitur Apoc. 4, 6. seqq. — Verba inferius posita *et dixit hic* ad ipsum Bonav. referenda sunt; cfr. supra pag. 356, nota 3.

[4] Cap. 6, 1. seqq. — Ezech. 1, 5. seqq.

[5] Act. 1, 1. — Cfr. supra Prolog. in Breviloq. § 2.

[6] Psalm. 148, 6: Praeceptum posuit et non praeteribit. — Seq. locus est Eccli. 26, 24.

[7] Libr. de Scripturis et scriptoribus sacris praenot. c. 3: Dicitur allegoria quasi *alienloquium*, quia aliud dicitur, et aliud significatur, quae subdividitur in simplicem allegoriam et anagogen. Et est simplex allegoria, cum per visibile factum aliud invisibile factum significatur; anagoge, id est sursumductio, cum per visibile invisibile factum declaratur.

Digitized by Google

ergo Scriptura loquitur de istis, hoc pertinet ad anagogiam.

Item, in allegorico.

20. In *allegorico* sensu similiter sunt quatuor facies, scilicet humanitas assumta quantum ad nativitatem et passionem, quae sunt principales allegoriae. — Secunda est mater Dei Maria, quia mira dicuntur de ipsa in Scripturis, quia in omnibus Scripturis refertur in relatione ad Filium. Et quod dicunt aliqui: quare ita panca dicuntur de beata Virgine? nihil est; quia multa dicuntur, quia ubique de ipsa, et plus est *diri de ipsa ubique*, quam si unus tractatus fieret[1]. — Tertia est Ecclesia militans vel mater Ecclesia, quae miras laudes habet in Scriptura. — Quarta est sacra Scriptura, quae de se multa dicit, ut patet de *rotis*, patet de *mensa*, patet de *Cherubim*, qui respiciebant se invicem, patet de *candelabro*[2].

Item, in tropologico.

21. In sensu *tropologico* similiter quatuor facies habet. Prima est spiritualis gratia et virtus et omnis talis indumentia. — Secunda, spiritualis vita, ut *activa* et *contemplativa* et omnis modus vivendi. — Tertia, spiritualis cathedra, ut *magistralis, prelationis, pontificalis*. — Quarta, spiritualis pugna, quomodo pugnandum contra daemones, mundum et carnem.

Exemplum horum in sole.

Facies 4 sec. anagogiam.

De prima anagogia.

22. Istae sunt quatuor facies quadruplicatae in quolibet sensu. — Ponamus exemplum in uno vestigio de omnibus his, in *sole* scilicet, per quem aliquando *Trinitas*, aliquando *sapientia exemplaris*, aliquando *angelica dispositio*, aliquando *Ecclesia triumphans* significatur. — De *Trinitate*, in Ecclesiastico[3]: *Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus eius*. Sol habet *substantiam, splendorem, calorem*: sic Deus habet principium *originans*, Patrem; *splendorem*, Filium; *calorem*, Spiritum sanctum; et tamen est idem sol in *caelo* quantum ad substantiam, idem in *oculo* quantum ad lumen, idem in *corpore* quantum ad calorem.

Exemplum.

— Sic persuadebatur cuidam caecu, qui aliquando viderat solem et stabat ad solem, et non poterat intelligere de Deo trinitatem.

De secunda.

23. De secunda anagogia, id est de *exemplari sapientia*, Sapientiae septimo[4]: *Est enim speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum luci comparata inventur prior*. Est enim speciosa sapientia, quia lux, sed speciosior sole, quia sol intra se radium suum generare non potest; sol autem aeternus intra se radium generat pulcherrimum. Quidam autem fatuus dixit, quod sol erat radius solis. Dicunt autem quidam astrologi[5], quod omnes stellae, ut luna, recipiunt lumen suum a sole. Sed veritatem istius quaestionis nullus scit; verumtamen tam stellae quam luna aliquod lumen habent; et stellae quidem non sic obumbrantur, ut luna, quia hoc habet luna per vicinitatem ad nos et motum suum. Sic in omnia influit aeterna sapientia. Ecclesiastis undecimo[6]: *Dulce lumen et delectabile est oculis videre solem*.

De tertia.

24. Tertia anagogia, quia per solem intelligitur *angelica sublimitas*. In Ecclesiastico[7]: *Tripliciter sol exurens montes, radius igneus exsufflans et refulgens radius suis obcaecat oculos*; quia radius divinus unus et idem, triformiter susceptus, tres hierarchias facit.

De quarta.

25. Quarta anagogia est de *Ecclesia triumphante*, quae etiam intelligitur per solem; Habacuc[8]: *Sol et luna steterunt in habitaculo suo*, quando anima et corpus glorificantur; et tunc *ibunt in lace sagittarum iaculorum*, propter subitas operationes suas in virtute Dei fulgida et subita.

Allegoria prima.

26. In *allegoria* similiter per *solem* intelligitur *Christus*: *Oritur sol et occidit*[9]; oritur in *nativitate*, occidit in *morte*; *gyrat per meridiem*, in *ascensione*; *flectitur ad aquilonem*, in *iudicio*. — De primo, Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae, et sanitas in pennis eius*. — De secundo dicitur: *Occidet eis sol in meridie*. In meridie sol occidit Iudaeis. Quando Christus fuit in maiori sua virtute, scilicet post resurrectionem et ascensionem; Iudaei fuerunt excaecati. — De iudicio dicit Iacobus: *Exortus est sol cum ardore, et cecidit flos, et foenum aruit*.

---

[1] Cfr. S. Thom. episc. Concio 2. de Nat. B. M. V. (in festo B. M. V. de Bono Consilio, III. Noct.). — Paulo inferius pro *mens* B D E *rarus*.

[2] Ezech. 1, 16. (de rotis; cfr. supra n. 9.). — Prov. 9, 1. seq.: « Sapientia... et proposuit mensam suam ». Gregor., XXXIII. Moral. c. 16. n. 32, hunc locum explicans dicit: *Mensam* quoque proposuit [Ecclesia], quia Scripturae sacrae nobis paluda aperiendo praeparavit. Cfr. ibid. XVII. c. 29. n. 43. et Glossa *ordinaria* in Ps. 68, 23. — Exod. 25, 20, ubi de duobus Cherubim, qui secundum August., Qq. in Exod. q. 105, et Bedam, I. de Tabernaculo etc. c. 5, significant duo testamenta. Cfr. supra collat. 3. n. 11. — Exod. 25, 31, cuius expositionem vide in Beda, loc. cit. c. 8.

[3] Cap. 42, 16.

[4] Vers. 29.

[5] Pro hac sententia n B. Alberto, in II. de Caelo et mundo, tr. 3. c. 6. et in II. de General. et corrupt. tr. 3. c. 5, allegantur Aristoteles, Avicenna, Ptolemaeus et Messalach (in secundo loco cit. nominatur Megelaphus). In primo loco cit. vocat contrariam opinionem *communem* et *vulgarem*. — Paulo superius pro *fatuus* A ponit *Anaxarcus*, et pro *quod sol erat radius solis* E substituit *quod mundis* (D et, ut videtur, etiam A *simillimus*) *erat radio solis*.

[6] Vers. 7

[7] Cap. 43, 4. — De triplici hierarchia, scil. superiore, media et infima, cfr. Ioan. II pag. 240, nota 1.

[8] Cap. 3, 11. Ibid.: In luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastae tuae.

[9] Eccle. 1, 5. et 6. — Subinde allegantur Malach. 4, 2; Amos 8, 9: Occidet sol in meridie; Iac. 4, 11: Exortus est enim sol cum ardore et arefecit foenum, et flos eius decidit.

Digitized by Google

27. Secunda allegoria de beata Maria Virgine; Secunda. dicitur in Psalmo[1]: *In sole posuit tabernaculum suum*; unde est *pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*. Unde est vas luminis susceptivum, sicut *sol vas admirabile, opus Excelsi, in firmamento cœli resplendens*.

28. Tertia allegoria de *Ecclesia*; in Ecclesia- Tertia. stico[2]: *Sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus eius*. Haec *mulier* vel *domus* est Ecclesia: *mulier*, quia activa; *domus* Dei, quia contemplativa. Mulier enim ista est Martha, quae Christum recipit et circa multa occupatur.

29. Quarta allegoria est de *sacra Scriptura*, Quarta. de qua in Genesi[3]: *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, ut praesset diei*, scilicet vetus testamentum, *et luminare minus, ut praesset nocti*, scilicet novum testamentum. Sicut luna lumen habet a sole, sic vetus testamentum a novo. Quando ergo sol stat in oriente, et luna opposita sibi in occidente — Iosue: *Sol*, inquit, *contra Gibaon ne moveris, et luna contra vallem Aiulon* — tunc vetus testamentum illuminatur; aliter lucere non potest nisi per novum.

30. In *tropologico* intellectu *solis* similiter qua- Tropologia prima. tuor facies. Primo, *Spiritus sancti gratia*; Esther[4]: *Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt*, scilicet quando Deus per gratiam habitat in nobis. Unde sicut sol continue illuminat, sic anima continue debet recipere illuminationes a gratia Spiritus sancti.

31. Secundo per *solem* intelligitur *spiritualis* Secunda. *vita*. Unde in Ecclesiastico[5]: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur*; sicut sol vadit directe per eclipticam nec retrogradus nec stationarius est.

32. Tertio intelligitur *spiritualis cathedra* sive Tertio. *doctrinae*, sive *praelationis*, sive *iudicii*. Unde in Psalmo[6]: *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum*. Praelatus est *sol* quantum ad documenta veritatis, *luna* quantum ad exemplar virtutis; vel *sol* sapientiae, *luna* scientiae; vel *sol*, in quantum iudicat, *luna*, in quantum miseretur.

33. Quarto per *solem* intelligitur *spiritualis pu-* Quarta. *gna*. De quo[7]: *Sol obscuratus est, et luna non dabit lumen suum*. Quando pugna erit inter Christum et antichristum, inter doctrinam veritatis et falsitatis; tunc *sol fiet sicut saccus cilicinus*, et aliquis doctor veritatis vel praelatus secundum veritatem obscuradabitur per errores; alii autem stabunt fortissimi, etsi videantur obscurari quantum ad reputationem. — Hae sunt *quatuor facies animalium* et *duo-* Epilogus. *decim lumina*, ad quae reducuntur omnia, quae in Scriptura continentur.

COLLATIO XIV.

De tertia visione tractatio secunda, quae incipit agere de Scripturae figuris sacramentalibus, primo in genere, et deinde de duodecim mysteriis principalibus Christum significantibus.

SUMMARIUM. — *Introductio. Per germinationem terrae intelliguntur figurae sacramentales Scripturae*, 1. — Pars I. De his figuris sive mysteriis in genere. *Tres qualitates germinationis terrae, quae comparantur proprietatibus mysteriorum Scripturae. Primo, mysteria haec sunt germinatio viridis*, 2. — *Secundo, uberrima*, 3. — *Tertio, venusta*, 4. — *In Scriptura, ut in natura, est successio in quadraplici evolutionis ordine*, 5. — *Haec quatuor, scil. fixio radicum, productio foliorum, pullulatio florum, plenitudo fructuum, confirmantur per Scripturam*, 6. — *Traditur Scriptura ob quatuor rationes*, 7. — *Primo, ad commendandam gratiam; triplex indigentia in homine lapsu tripliciter reparatur*, 8. — *Secundo, ad introducendam fidem*, 9. — *Tertio, ad reserandam sapientiam, cuius duae radices: timor et amor cum duplici promissione*, 10. — *Quarto, ad restaurandam salutem per Christum*, 11. — Pars II. De duodecim mysteriis principalibus in quadruplici ordine et tempore. *Primo, ante Legem sunt tria mysteria*, 12. — *Item, tria sub Lege*, 13. — *Tria etiam tempore prophetiae*, 14. — *Tria denique a Christo usque ad finem*, 15. — *De his est tota Scriptura*, 16. — *In his duodecim intelligantur simul Christus cum corpore suo ut lignum vitae, et antichristus ut*

[1] Psalm. 18, 6. — Seq. locus est Cant. 6, 9; tertius Ezech. 13, 2: Sol in aspectu annuntians in exitu, vas etc.; et v. 9: *Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose*.

[2] Cap. 26, 21: Sicut sol oriens mundo etc. — Subinde respicitur Luc. 10, 38. seqq. (de Martha).

[3] Cap. 1, 16. — Seq. locus est Ios. 10, 12.

[4] Cap. 11, 11.

[5] Cap. 27, 12.

[6] Psalm. 88, 38.

[7] Matth. 24, 29. — Subinde respicitur Apoc. 6, 12: Et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus.

Digitized by Google

liguum scientiae boni et mali, 17. — *Hoc primo ostenditur respectu Christi quoad singula illa mysteria; in primo mysterio sunt quatuor figurae Christi*, 18. — *Item, in secunda*, 19. — *Item, in tertio*, 20. — *Similiter sub Lege in singulis tribus mysteriis sunt quatuor figurae Christi*, 21-23. — *Similiter tempore revelationis Prophetarum in singulis tribus mysteriis sunt quatuor figurae*, 24-26. — *Similiter in ultimo tempore, et in quolibet mysterio redemptionis significatur Christus quatuor figuris*, 26-28. — *Epilogus*, 29.

Introductio. 1. *Germinet terra herbam virentem et facientem semen*[1] etc. Dictum est, qualiter per *congregationes aquarum* intelligantur spirituales intelligentiae Scripturae; modo dicendum, qualiter per *germinationem terrae* intelligantur *figurae sacramentales*. Non enim sine ratione per *germinationem terrae* intelligitur Scriptura sacra, secundum quod habet figuras multipliciter germinantes et producentes pullulationes in anima. Argumentum collationis.

Pars I. De figuris Scripturae in genere. Germinatio vivida. 2. Germinatio terrae est *vivida, uberrima, venusta*. *Vivida*, id est vigorem habens; et ideo germinavit terra *herbam virentem*. Et in hoc ostenditur, quod sacramenta Scripturae, quae exterius videntur arida, intus sunt *viva*. Et hoc dixit Salvator Iudaeis in Ioanne[2]: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere*. Nulla alia scriptura *vitam* dat nisi haec. Unde in Psalmo: *Vivifica me secundum eloquium tuum*; et Petrus: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes*; unde non sunt figurae aridae, quia in nobis sunt per eas germinationes vivae; in Ecclesiastico: *Gratiam et speciem desiderabit oculus tuus, et super utraque virides sationes*.

Secundo uberrima. 3. Item, germinatio est *uberrima*; unde in Genesi[3] subditur: *Lignum pomiferum*; in Psalmo: *Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aquis; parasti cibum illorum* etc. *Et valles abundabunt frumento*. Haec terra vivit, viget, abundat. Uberrima est sacra Scriptura, per hoc quod Deus *visitat* eam sua influentia, producens pullulationes uberrimas; in Deuteronomio[4]: *Terra, quam intrabis possidendam, non est sicut terra Aegypti* etc., quae irrigatur; *sed de caelo expectans pluvias*. Non enim est sicut ceterae scientiae, sed eam Deus visitat; in Psalmo: *Flumen Dei repletum est aquis; parasti cibum illorum*; et in Deuteronomio: *Audite caeli quae loquor, audiat terra verba oris mei; concrescat ut pluvia doctrina mea; fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam et quasi stillae super gramina*. Iste ros est influentia gratiae Spiritus sancti, qui visitat Scripturam, et in qua inventur suaviter; in Genesi[5]: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore caeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini*. Iacob, ille vir spiritualis, est doctus in Scriptura sacra; ex qua odor procedit, qui per Scripturam *abundat* tribus intelligentiis: *frumenti* quantum ad *allegoriam*, *vini* quantum ad *tropologiam*, *olei* quantum ad *anagogiam*.

Tertio venusta. 4. Item, haec germinatio est *venusta*; et ideo subiungitur[6]: *Unumquodque secundum genus suum*. Ipsa scabrositas exterior facit eam reputari deformem, et tamen ex hoc est pulcherrima; et ideo dicit sponsa: *Nigra sum, sed formosa*; quia nigra, ideo formosa. Unde in Genesi: *Plantaverat Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulcherrimum visu et ad vescendum suave. Lignum etiam vitae in medio paradisi lignumque scientiae boni et mali*. Per *ligna suavia et pulcra* intelliguntur *sacramenta Scripturarum*, quae magnam habent pulcritudinem; tamen non apparent pulcra nisi ex conformitate repraesentantis ad repraesentatum. Nam ista ligna sunt *pulcra*, quia *ordinata*.

Ordo in Scriptura. 5. Putant aliqui, quod ista sacramenta et haec Scriptura ita sit posita, ut homo ponit sententiam post sententiam, qui litteras facit. Non est ita, quia *ordinatissima* est, et ordo eius est consimilis ordini *naturae* in germinatione terrae. Ibi enim est primo *fixio radicum*; secundo, *productio viridantium foliorum*; tertio, *pulchritudo virentium florum*; quarto, *plenitudo reficientium fructuum*. Sic in Scriptura primo est *fixio radicalium virtutum*, ut in Patriarchis, qui sunt quasi radices omnium, quae dicuntur in Scriptura; unde in electione eorum est plantatio prima. Sed postea in institutione praeceptorum et sacrificiorum est *productio viridantium foliorum*; Osee[7]: *Vitis frondosa Israel*. Postea in manifestatione vi- Gradus 4 ob consonantiam.

---

[1] Gen. 1, 11. — Immediate post respicitur collatio praecedens.

[2] Cap. 5, 39. — Seq. locus est Psalm. 118, 154: « Propter eloquium tuum vivifica me »; tertius Ioan. 6, 69; quartus Eccli. 40, 22.

[3] Cap. 1, 11. — Seq. locus est Psalm. 64, 10, seqq.

[4] Cap. 11, 10: Terra enim, ad quam ingrederis possidendam etc. Ibid. v. 11: Sed montuosa est et campestris, de caelo exspectans pluvias. — Seq. locus est Ps. 64, 10; tertius Deut. 32, 1. et 2.

[5] Cap. 27, 27. seq. — Subinde respicitur Ps. 4, 8: A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt.

[6] Gen. 1, 11: Faciens fructum iuxta genus suum. Ibid. 12: Habens unumquodque sementem secundum speciem suam. — Seq. locus est Cant. 1, 4; tertius Gen. 2, 8. et 9.

[7] Cap. 10, 1.

Digitized by Google

siorum prophetalium est *pullulatio florum*. Postmodum in diffusione charismatum spiritualium est *plenitudo reficientium fructuum*. — Unde primo fuit unus Patriarcha sicut *radix*, scilicet Abraham; postea alter, ut Isaac; postea Iacob; et ille duodecim Patriarchas generavit, et ab illis duodecim tribus [1]. Post hanc plantationem secuta est Lex ut *productio viridantium foliorum*, quae umbram habebat. Et quia non semper debet durare folium, sed venire flos, ideo subsecuta est prophetia cum *odore* et *pulcritudine*. Et quia oportuit, quod caeli rorarent, ideo quarto subsecutus est *fructus* in Christo, quia Christus fructus est Legis et consummatio.

Explicatur.

6. De *primo* dicit Pater ad Sapientiam incarnatam in Ecclesiastico [2]: *In electis meis mitte radices. Et radicavi in populo honorificato.* Haec est productio ligni, quod est *ad vescendum suave*. — De *secundo*, scilicet productione foliorum, dicitur in libro Numerorum [3]: *Quam pulcra tabernacula tua, Iacob, et tentoria tua, Israel, ut valles nemorosae!* quae sunt *mysteria Scripturae*. Quis potest cogitare amoenitatem mysteriorum sacrae Scripturae, de quibus dicitur: *Sedebat unusquisque sub ficu sua et vite sua?* Unde *pulcra* est arbor, palus serpentis, serpentis erectio et umbra; sed arbor crucis *fructifera*. — Tertia est productio Prophetarum similis *pullulationi florum*; de quibus in Cantico [4]: *Flores apparuerunt in terra nostra, et vox turturis audita est. Flores apparuerunt*, quando ille dixit: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Sed *vox turturis audita est*, quando dictum est: *Quomodo sedet sola civitas plena populo? Facta est quasi vidua domina gentium.* Turtur gemitum habet pro cantu. — Quarto, *plenitudo reficientium fructuum*; Isaias [5]: *Erit germen Domini in magnificentia et gloria et fructus terrae sublimis.* Et quando fuit hoc? Quando illa dixit: *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.* — In Marco dicitur: *Ultro terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Hoc est tempus ante Legem, tempus sub Lege, tempus post Legem. Hunc ordinem sequitur Scriptura.

Scriptura de primo.

De secundo.

De tertio.

De quarto.

De his omni.

7. Adhuc sciendum est, quod propter quatuor traditur Scriptura: primo, ad *gratiam* commendandam; secundo, ad introducendam *fidem*; tertio, ad reserandam *sapientiam*, quae sola est in ista; unde: *Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* [6]; quarto, ad restaurandam *salutem*, quae est in ista sola, et in nulla alia scientia est salus. — Et propter illud quartum est principaliter. Salus enim non est nisi per sapientiam. *Etenim neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* — Sapientia autem non reseratur nec habetur nisi per fidem. Unde: *Nisi credideritis, non intelligetis*; quia *non plus sapere, quam oportet sapere; et unicuique sicut divisit Deus mensuram fidei.* Fides autem non habetur nisi per *gratiam* Spiritus sancti.

Finis quadruplex Scripturae.

8. Et ideo prano traditur Scriptura ad *commendandam gratiam* Spiritus sancti. Gratia autem Spiritus sancti non est nisi in homine grato; gratus autem esse non potest, nisi agnoscat suam indigentiam. Indigentia autem triplex est: virtutis *cognoscitivae*, *potestativae*, *annutivae*, quia *caeci* sumus, *infirmi*, *maligni* [7]. Oportuit ergo, ut homo prius agnosceret suam *caecitatem*, *infirmitatem*, *malignitatem*, antequam salvus fieret, vel gratia ei daretur. Erga fuit tempus, in quo fuit *caecitas*, ut in tempore ante Legem; ubi vix aliquis cognoscebat Deum, iamque lapides et opera manuum suarum pro Deo colebant: et ideo necesse fuit, ut homo convinceretur de ignorantia. — Postea data fuit Lex illuminans, et tamen *sunt multiplicatae infirmitates eorum* [8], et occasio fuit Lex maioris transgressionis, quia, *occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*; et ideo convinci debebant de *infirmitate* sive impotentia. — Postea fuit tempus Prophetarum, qui eis manifeste ostendebant, non posse *salvari* per Legem. Unde Isaias: *Solemnitates vestras odivit anima mea. Holocausta arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui.* Et ipsi eos interficiebant, et non solum ipsos, sed ipsis adhaerentes et prophetas falsos recipiebant; et in hoc apparuit ipsorum *malitia*. — Et sic *conclusit Scri-*

De primo inde.

Indigentia triplex.

Caecitas.

Infirmitas.

Malignitas.

---

[1] Cfr. Gen. 35, 22. seqq. — Inferius respicitur Isai. 45, 8: Rorate caeli desuper etc., et Rom. 10, 4: Finis enim Legis Christus ad iustitiam omni credenti (cfr. supra collat. 3. n. 10.).

[2] Cap. 24, 13. et 16.

[3] Cap. 24, 5. et 6. — Seq. locus est III. Reg. 4, 25: « Habitabatque Iuda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua ». Subinde respicitur Num. 21, 8: seq., ubi de erectione aenei serpentis et simul, ut videtur, Gen. 3, 6. — Verba textus, ut leguntur in codd., sunt subobscura ob brevitatem. Pro *palus serpentis* Vat. *sed sterilis, pulcra*.

[4] Cap. 2, 12: Flores .. nostra, tempus putationis advenit, vox etc. — Seq. locus est Isai. 11, 1; tertius Thren. 1, 1. — Beda, II. in Cantic. cantic. allegor. exposit. c. 2. n. 9. dicit, quod vox *turturis* « humiliter resonans gemitum pro cantu exprimit ».

[5] Cap. 4, 2. — Seq. locus est Luc. 1, 42: Benedicta tu inter mulieres et etc.; tertius Marc. 4, 28.

[6] Epist. I. Cor. 1, 21. — Seq. locus est Sap. 16, 12; tertius Isai. 7, 9. secundum septuaginta interpretes (cfr. supra pag. 306, nota 1.); quartus Rom. 12, 3, ubi post *oportet sapere* Vulgata addit *sed sapere ad sobrietatem*.

[7] Cfr. supra collat. 7. n. 8. seqq. De seqq. vide Hug. a S. Vict. II. de Sacram. p. VIII. c. 1.

[8] Psalm. 15, 4. — Seq. locus est Rom. 7, 8; tertius est Isai. 1, 11. et 11. (Holocausta arietum etc.). — De interfectione Prophetarum cfr. supra pag. 375, nota 4.

Digitized by Google

ptura omnia sub peccato[1], quia primi per *ignorantiam*, secundi per *infirmitatem*, tertii per *malitiam*, ut Christus veniens omnium misereretur. Et de hoc etiam admiratur Apostolus et allegat auctoritatem Psalmi: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

De secundo fine. Tria praemittenda.

9. Secundo Scriptura traditur ad *introducendam fidem*, quae est credulitas rerum arduissimarum et difficillimarum: ideo oportuit, quod *promissa*, *oracula* et *signa* multiformia praemitteret. Et sicut materia primo adaptatur, deinde introducitur forma; sic primo aliqua facilia Patriarchis fecit, ut *promissa*, ut quod Abrahae filius nasceretur[2], et quod, si sibi obediret et crederet, Illius, si interficeretur, posset resurgere, et quod Deus posset eum resuscitare. Unde ibi per *promissa* ductus est homo ad fidem; post per *mysteria* et *miracula* in deserto et per *signa* maxima, ut patet in transitu maris et flagellatione Aegypti; post per *oracula* Prophetarum, qui praedicebant eis futura, ut de Christi passione et resurrectione; et ipsi eis credebant: quia, ex quo videbant, quod eis evenietant quae eis prophetabant, et de Christo venturo eis credebant. Sic homo dispositus est ad fidem recipiendam. Unde non primo Christus debuit venire et dicere: Venite et credite in me, ego sum Christus; quia respondissent: non possumus credere; ideo sic manuducendi erant.

De tertio fine. Duplex radix.

10. Tertio Scriptura data est ad *reserandam sapientiam*, quae habet duas radices, scilicet *timorem* et *amorem*. Prima radix *timor*, quia prius est homo animalis, deinde spiritualis[3]; et quando per timorem est affectus, tunc fit spiritualis. Et ideo secundum has duas radices sunt duo testamenta: unum, vetus *in servitutem generans*, alterum, novum in amorem generans. Testamentum vetus *in servitutem generans* promittit *temporalia*, timorem incutiens per poenam.

Duplex promissio.

— Necesse autem fuit, ut in veteri testamento esset *promissio*, quia, si semper homo plecteretur poena, et nihil sibi promitteretur, fugeret: ideo adiuncta est promissio terrae repromissionis[4]. Testamentum autem novum promittit *spiritualia*, scilicet vitam aeternam. Unde timor non potuit mentem, nec aliquod temporale promitti nisi genti multiplicatae: ideo ante Legem oportuit esse tempus legis naturae. — Similiter, Lex infirmitatem generabat promittens temporalia. Et quia non est facilis transitus a temporali ad aeterna, ab animali ad spirituale[5]; ideo medium fuit tempus Prophetarum ad aptandum homines ad spirituale testamentum. Ad hoc ergo, quod homo haberet veram sapientiam; necesse erat, ut testamentum vetus praecederet novum, et tempus Patriarcharum praecederet Legem. — Et sic est in quolibet homine: primo est sensualis, totus deditus sensibus, ut puerulus; deinde fit animalis, cum incipit loqui, et phantasmata incipiunt eum occupare; deinde rationalis, cum incipit intelligere et considerare; deinde intellectualis, cum fit sapiens.

Medium tempus Prophetarum.

Simile.

De quarto fine.

11. Quarto est ad *restaurandam salutem*, quae non nisi per Christum restauratur. Non enim restauratur, nisi sit desiderata, amata, custodita. Ideo dilata est, ut desideraretur, amaretur et custodiretur, quia secundum Augustinum[6] idcirco fit dilatio sponsae, ut rarior habeatur. Similiter, salus promissa est Patriarchis, figurata in Lege, praenuntiata a Prophetis, persoluta a Christo. — Unde oportuit, ut prius fieret Patriarcharum fixio, deinde legalium productio, tertio Prophetarum pullulatio, ultimo fructus Evangelii vel salutis per Christum plenitudo.

Epilogus.

Pars II. De 12 mysteriis in quadruplici ordine et tempore.

12. Secundum hoc ergo nota, quod in ornatu summi Pontificis quatuor erant ordines lapidum. In Sapientia[7]: *In veste poderis totus erat orbis terrarum, et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta.* Et in illis sunt quadriformes ordines mysteriorum; quo ordine plantatae sunt Scripturae. — Et in primo ordine seu tempore tria sunt mysteria, scilicet *conditionis rerum*, *purgationis scelerum*[8], *vocationis Patrum*. *Conditio rerum* respondet potentiae Patris; *purgatio scelerum*, sapientiae Filii, qua indicat; *vocatio Patrum*, bonitati Spiritus sancti.

In primo ordine 3 mysteria.

Item, in secundo.

13. Similiter, sub Lege tria sunt mysteria, scilicet mysterium *lationis legum*, in quatuor libris Moysi, scilicet secundo, tertio, quarto et in quinto, ubi est recapitulatio Legis. Genesis autem datur tempori naturae, ubi et in quo sunt magna mysteria, et liber *uberrimus* etiam in mysteriis. Mysterium secundum est *prostrationis hostium* in Iosue, tertium est *promotio iudicum*, ut in libro Iudicum et Ruth. Primum mysterium respondet Patri ratione auctoritatis; secundum Filio, quia est Verbum mundans et purgans[9]; tertium Spiritui sancto ratione gratiae. Hoc tempus dicitur Legis, quia adhuc Prophetae non apparuerunt.

---

[1] Gal. 3, 22. — Seq. locus est Rom. 3, 12, ubi allegatur Ps. 13, 3. Cfr. de his supra Breviloq. p. IV. c. 5.

[2] Gen. 17, 19. Ibid. 22, 1. seqq., de fide et obedientia Abrahae in filii sui immolatione. Vide de his Hebr. 11, 11. et 17-19. — Inferius respicitur Exod. 14, 21. seqq. (de transitu maris) et c. 7-12. (de flagellatione Aegypti).

[3] Epist. I. Cor. 15, 46: Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. — Subinde respicitur Gal. 4, 24. — De differentia utriusque Legis penes radicem, scil. timorem et amorem, cfr. III. Sent. d. 10. q. 1.

[4] Gen. 13, 15. seqq. et Exod. 13, 11.

[5] Epist. I. Cor. 2, 14: Animalis autem homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei etc.

[6] Libr. VIII. Confess. c. 3. n. 7: Et institutum est, ut iam pactae sponsae non tradatur statim, ne vilem habeat maritus datum, quem non suspiraverit sponsus dilatam. Cfr. tom. IV. pag. 674, nota 4.

[7] Cap. 18, 21. Cfr. Exod. 28, 6. seqq.

[8] In diluvio. Vide Gen. 6, 5. seqq.

[9] Cfr. Malach. 3, 3, ubi dicitur de Dominatore veniente ad templum suum (allegatur a Matth. 11, 10.), quod « sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi » etc.

Digitized by Google

Item, in tertio.

14. Tempus prophetiae a Samuele incepit, quod habet similiter tria mysteria: primum *inunctionis regum*, ut in libro Regum et Paralipomenon; secundum fuit *revelationis Prophetarum*, ut in Psalmis et duodecim Prophetis minoribus et quatuor maioribus; tertium *restaurationis principum et sacerdotum*; et illud est Esdrae, Nehemiae et Machabaeorum.

Item, in quarto.

15. In quarto tempore sunt tria mysteria: primum *redemptionis hominum*, in Evangeliis; secundum *diffusionis charismatum*, in Actibus Apostolorum et Epistolis Pauli et canonicis, ubi ostenduntur septem dona Spiritus sancti; tertium *reserationis Scripturarum*, in Apocalypsi. Post quod non potest esse aliud.

In his tota Scriptura.

16. In his duodecim mysteriis est tota Scriptura. Iob et Esther, Tobias, Iudith cohaerentes sunt aliis: quia Iob cohaeret Legi et Prophetis, alii tres cohaerent libris restaurationis. — Unde dixit [1], quod aliquando liber Iob tantae auctoritatis fuit apud Iudaeos, ut poneretur in arca, ubi erant virga et tabulae. — Haec sunt duodecim ligna pullulantia in paradiso. In quolibet istorum sunt duodecim *lumina* intelligentiarum Scripturarum, scilicet *allegoria*, *anagogia* et *tropologia*; et duodecim duodecies sunt 144, et resultat numerus scilicet signatorum et numerus civitatis [2]. Unde in Psalmo: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.*

In his mysteriis signatur Christus et antichristus.

17. De his duodecim lignis vobis aedificare et erigere tabernaculum in corde. — In paradiso fuit *lignum vitae*, et fuit *lignum scientiae boni et mali* [3], et sic in omnibus Scripturae mysteriis expliratur *Christus* cum corpore suo, et *antichristus* et diabolus cum corpore suo. Et hoc modo Augustinus fecit librum de Civitate Dei, ubi incipit a Cain et Abel [4]. In primis decem libris agit de Deo et reprobat idolatriam; in quatuor aliis de initio Ecclesiae; in aliis quatuor de progressu; in ultimis quatuor de Ecclesiae consummatione. Omnes enim Sancti praefiguraverunt Christum tam facto quam verbo, ut Iob etiam magis facto quam verbo, ut dicit Gregorius tertio Moralium.

De Augustino.

Primo de Christo.

18. Dicamus ergo de Christo, quod est *lignum vitae in medio paradisi* [5]; qui signatur in quatuor, quae sunt in primo mysterio, ab illo loco: *In principio creavit*, usque ibi: *corrupta est.* Signatur igitur per *luminare maius*, per *lignum vitae*, per *Adae connubium*, maxime per *Abel occisum*: quia Christus interfectus est a fratribus suis; et signum positum est in Iudaeis, ut non interficiantur, sed sint vagi et profugi super terram.

Ordo primus. In primo mysterio figuratur Christus.

Item, in secundo.

19. In secundo mysterio, scilicet *purgationis scelerum* [6], signatur per *Noe genituram*, qui habuit tres filios, et signat Christum, qui habuit tres filios, scilicet Graecos, Iudaeos, Latinos; quia scriptus erat titulus *litteris Graecis, Hebraicis et Latinis.* Signatur per *arcam fabricatam*, quae respondet corpori Christi principaliter, secundario Ecclesiae. Signatur per *arcum in nubibus*, qui est *signum foederis.* Signatur per *Noe nudatum*, iacentem in tabernaculo ebrium. Inebriatus fuit Christus amore sponsae suae et nudatus fuit in cruce, quem derisit ille pessimus Cham.

Item, in tertio.

20. In mysterio *vocationis* signatur per quatuor: per *sacrificium Isaac*, quia proprie per Abraham Deus *Pater* signatur; per Isaac, inquam, qui sibi ligna in collo portabat [7], scilicet lignum crucis. Christus signatur per *Iacob* fecundantem uxores; per *Iudam*, qui habuit duos filios, Zaram et Phares, de quo multa dicuntur in benedictionibus, ut illud Genesis: *Catulus leonis Iuda; ad praedam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo et quasi leaena, quis suscitabit eum?* Unde etiam legislator interseruit figuram illam de duobus filiis Iuda de Thamar. Signatur etiam per *Ioseph* rectissime, qui venditus a suis exaltatus fuit inter alienos. — Haec sunt duodecim mysteria principalia ante tempus Legis.

Ordo secundus. In primo mysterio figuratur.

21. Sub Lege in mysterio lationis Legis signatur per *virgam Moysi*, qua flagellavit Aegyptum, qua sciravit maria, quae est *virga virtutis, quam emisit Dominus ex Sion* [8]. Signatur per *arcam testamenti*, per manna in ea recondita. Signatur per *ornatum Pontificis*, ut per mitram, superhumerale etc.; in cuius morte profugi debebant redire ad propria. Signatur etiam per *ritum sacrificii*, per agnum, arietem, vitulum etc.; quae omnia referuntur ad Christum.

Item, in secundo.

22. In mysterio *prostrationis hostium* similiter Christus signatur per *Iosue ingressum*, qui divisit

---

[1] Scilicet Bonaventura. Vat. *dixit Hieronymus*; sed hic nihil habet de ista re; nec potuimus invenire alium antiquum auctorem, a quo ista notitia sumta sit. — Numeri sequentes resultant, quia in quolibet mysterio sunt 4 *figurae*, secundum tripliceum sensum intelligendae. Sed aliquid excidisse videtur.

[2] Apoc. 7, 4: Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor milia signati etc. Cfr. 14, 1. Ibid. 21, 17: Et mensus est murum eius [civitatis] centum quadraginta quatuor cubitorum etc. — Seq. locus est Ps. 118, 18.

[3] Gen. 2, 9.

[4] Vide XV, c. 1. n. 2. — Gregor., III. Mogl. c. 13. n. 25. seqq., ostendit, quomodo Iob patiendo significavit caput et membra Ecclesiae; loc. cit. recurrit ad ea quae in Praefatione monuerat, ubi c. 6. n. 14. docet, quod Iob « non loquendo tantummodo, sed etiam patiendo prophetavit ».

[5] Gen. 2, 9. — Verba mox posita *In principio creavit* usque ibi: *corrupta est*, habentur Gen. 1, 1. usque 6, 11.

[6] Cfr. Gen. 6, 11. usque c. 11, ubi de diluvio, arca etc. — Subinde allegatur Luc. 23, 38. (de tituli scripto).

[7] Vide Gen. 22, 6. — Inferius allegatur Gen. 49, 9. — De duobus filiis Iuda de Thamar cfr. Gen. 38, 27. seqq., quorum significatio infra collat. 16. datur.

[8] Psalm. 109, 2: Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion. — Hebr. 9, 4. dicitur, quod in arca fuit « manna et virga Aaron, quae fronduerat, et tabulae testamenti ». — Num. 35, 28: Debuerat enim profugus usque ad mortem Pontificis in urbe residere, postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam. Ibid. v. 32: Exules et profugi ante mortem Pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt.

Digitized by Google

Iordanem, ubi datur forma baptismi, et aquas, quae descendebant in mare mortuum, fecit redire in suam originem [1], hoc est animas. Signatur per *suum conflictum*. Signatur per *suum triumphum*, qui destruxit Iericho, suspendit reges, et post funiculis terram divisit et est *introductor* in terram promissionis. Ita Christus introducit nos in caelum per suum introitum.

Item, in tertio.

23. In mysterio *promotionis judicum* signatur per *Caleb*, cui virtus duravit, qui expulsator terrae fuit de tribu Iuda [2]; per *Othoniel*, qui propter victoriam habuit uxorem Axam; per *Gedeon*, de quo in Isaia: *Sicut in die Madian;* per *Samsonem*, qui quasi in omnibus refertur ad Christum: per interfectionem leonis, per portas asportatas, qui etiam plures interfecit in morte quam vivus. Per amissionem capillorum signare non potest *Christum*, sed signat *Christianum*, qui amittit septiformem gratiam Spiritus sancti. Unde quando non potest aliquid mysteriari in capite, transferendum est in membra.

Ordo tertius. In primo mysterio 4 figurae.

24. In mysterio *inunctionis regum* signatur per *David*, per *Salomonem*, per *Ezechiam*, per *Iosiam*. — David figura est in multis. — Salomon signat Christum praeterquam in mulieribus, in quibus nullum bonum significare potest. Unde in Cantico [3], ubi dicitur: *Sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus;* non loquitur de uxoribus *ad litteram*, immo *mysteriahiter* ponuntur ibi, in quibus signantur *animae perfectae* et *imperfectae*. — Signatur per Ezechiam: *Ego*, inquit, *dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* — Iosias etiam signat Christum, de cuius morte factae sunt Lamentationes: *Quomodo sedet sola civitas plena populo? Facta est quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum facta est sub tributo.*

Item, in secundo.

25. In mysterio autem *revelationis Prophetarum* signatur specialiter per *visum*, per *signum*, per *verbum*, per *factum*. Primo quidem per *visum*, sicut vidit [4] *ollam succensam*, et sic de aliis; et similiter *virgam vigilantem*, ibidem. Secundo, per *signum*, sicut de Elisaeo et Giezi, qui portavit baculum super puerum, et non revixit; et postea ipse incubuit super ipsum; quod secundum Gregorium significat Legem et Christum. Tertio, per *verbum*, quod audiebant, sed non videbant, sicut dicebant [5]: *Verbum, quod locutus est Dominus super eum.* Quarto, per *factum*, ut in facto Ionae, qui fuit *tribus diebus in ventre ceti*, sicut Dominus fuit per triduum in sepulcro. — In mysterio revelationis Prophetarum signatur per *cantum harmoniae;* in Psalmo [6]: *In psalterio decachordo*, ubi David addiscit prophetare; per *lumen sapientiae* in libris sapientialibus; per *canticum epithalamium*, quod est sponsae Christi, in Cantico; per *visum prophetiae*, quod est diversimode: unus sicut *virgam vigilantem* vidit Christum, alius super *solium excelsum*, alius *vestitum* [7].

Item, in tertio.

26. In mysterio *restaurationis* primum signatur per *Esdram*, qui Scripturam et litteras reparavit [8]; per *Nehemiam*, qui civitatem reparavit; per *Zorobabel*, qui templum reparavit; per *Iesum*, filium Iosedec, qui ritum colendi Deum reparavit.

Ordo quartus. In primo mysterio 4 figurae.

27. In mysterio *redemptionis hominum* significatur Christus ut *homo mansuetus* in Matthaeo, ut *leo triumphans* in Marco; unde in eodem [9]: *Circumspiciens eos cum ira;* ut *vitulus occisus* in Luca; unde: *Fuit in diebus Herodis sacerdos*, et oculum habet ad passionem; ut *aquila volans* quantum ad Divinitatem in Ioanne: *In principio erat Verbum* etc.

Item, in secundo.

28. In mysterio *diffusionis gratiae* significatur ut *diffusor largus* in Actibus, cum dedit Spiritum sanctum; ut *diffusor pius*, ut in Paulo, in quo consummantur Actus Apostolorum; unde Lucas pauca dicit de aliis Apostolis et statim transit ad Paulum — qui dedit Spiritum sanctum; sicut patet de illis duodecim, qui baptizati erant in baptismo Ioannis [10] — nec mirum, quia ipse fuit Beniamin et *lupus rapax*, ultimus Apostolorum, per quem significatur ordo futurus. Significatur ut *diffusor prudens* in canonicis, ut *diffusor sapiens* in Epistolis Pauli.

---

[1] Cfr. Ios. 3, 15.

[2] Num. 13, 7. — De Othoniel vide Iudic. 1, 12. seqq. — Subinde allegatur Isai. 9, 4. (cfr. etiam Iudic. 7, 22. et Ps. 82, 10.).

[3] Cap. 6, 7. Cfr. Beda, V. in Cantic. cantic. allegorica exposit. in hunc locum. — Seq. locus est Isai. 38, 10; tertius Thren. 1, 1. Hieron., III. Comment. in Zachar. 12, 11. seqq.: *In campo Mageddon*, in quo Iosias, rex iustus, a Pharaone cognomento Nechao [IV. Reg. 23, 29.] vulneratus est, super quo Lamentationes scripsit Ieremias... et scripsisse eum, Paralipomenon [II. 35, 25.] testatur liber.

[4] Ierem. 1, 13. Ibid. v. 11: Virgam vigilantem ego video. (*Olla* exhibetur etiam ab Ezech. 24, 3. et 6; Ioel 2, 6; Amos 4, 2; Mich. 3, 3.). — De Elisaeo et Giezi cfr. IV. Reg. 4, 31. seqq. — Sententia Gregorii habetur IX. Moral. c. 40. n. 63.

[5] Isai. 16, 13. seq.: Hoc verbum, quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc. Et nunc locutus est Dominus dicens: In tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab etc. — Subinde allegatur Matth. 12, 40: Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae etc.

[6] Psalm. 143, 9.

[7] Ierem. 1, 11: Virgam vigilantem etc.; Isai. 6, 1: In anno... vidi Dominum sedentem super solium excelsum etc.; Ezech. 9, 2: Vir... vestitus erat etc. (Apoc. 1, 13: Similem Filio hominis, vestitum podere etc.).

[8] Cfr. Hieron., contra Helvid. de Perpet. Virginit. B. Mariae, n. 7: Sive Moysen dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Esdram eiusdem instauratorem operis, non recuso (in nota adiecta: Tertullianus libro de Cultu feminarum, c. 3: Omne instrumentum Iudaicae literaturae per Esdram constat restauratum). — De Nehemia vide II. Esdr. 2. seqq.; de Zorobabel et Iesu, filio Iosedec, ibid. l. 3, 2. Cfr. Eccli. 49, 13. et 14.

[9] Cap. 3, 5. — Seq. locus est Luc. 4, 5. (Vulgam post *Herodis* addit *regis Iudaeae*); tertius Ioan. 1, 4.

[10] Act. 19, 1-7. — Gen. 49, 27: Beniamin lupus rapax etc. (cfr. August., Serm. 279. alias 24. ex Simondian. c. 1. n. 1. et Serm. 383. (alias 24.) inter homil. 50 c. 3. n. 3.).

Digitized by Google

Item, in tertio.

29. In mysterio *reserationis Scripturae* significatur per modum *praesulentis*, ut patet per *filium hominis in medio candelabrorum*[1], qui habebat septem stellas, id est septem Ecclesias; per modum *proeliantis*, ut agnus cum bestia, cum dracone, in phialis et tubis; per modum *triumphantis*, quia habebat gladium acutum et falcem acutam; per modum *beatifirantis*, quia vidit caelum novum et terram novam.

30. Haec sunt ergo mysteria circa *lignum vitae*, scilicet Scripturae, quae incipit ab aeternitate et terminata est ad aeternitatem. Unde: *In principio creavit Deus caelum et terram;* et in fine: *Vidi caelum novum et terram novam.* Hae sunt quadraginta octo tabulae *tabernaculi:* viginti in uno latere, et viginti in alio, in posteriori octo; in quo ponitur arca[2], scilicet Christus, continens in se *omnes thesauros sapientiae et scientiae*, in quem Cherubim respiciunt. Et haec sunt duodecim ligna circa *lignum vitae.* Epilogus.

COLLATIO XV.

De tertia visione tractatio tertia, quae, continuans praecedentem, primo manifestat, quomodo in duodecim mysteriis principalibus ostendatur etiam antichristus; deinde incipit agere de infinitis caelestibus theoriis germinantibus ex seminibus et fructibus Scripturae.

Summarium. — *Introductio.* Pars I. Per oppositum etiam antichristus ostenditur in illis duodecim mysteriis principalibus. *Primum mysterium*, 1. — *Secundum*, 2. — *Tertium*, 3. — *Quartum*, 4. — *Quintum et sextum*, 5. — *Septimum et octavum*, 6. — *Nonum et decimum*, 7. — *Undecimum et duodecimum*, 8. — *Epilogus partis I*, 9. — Pars II. Incipit agere de tertia parte primaria visionis tertiae, scilicet de caelestibus theoriis ex Scriptura germinantibus. *Introductio*, 10. — *Infinitae theoriae ex consideratione veteris et novi testamenti, quae duo refulgent in invicem, et secundum diversas temporum computationes*, 11. — *Primo absolute considerantur haec seminaria. Septem Ecclesiae aetates respondentes septem diebus creationis; prima aetas*, 12. — *Secunda aetas*, 13. — *Tertia*, 14. — *Quarta*, 15. — *Quinta*, 16. — *Sexta*, 17. — *Septima currit cum sexta; de octava*, 18. — *Secundum alios distinguuntur tempora secundum quinque vocationes*, 19. — *Distinguuntur etiam secundum tria tempora; appropriationes triplicis huius distinctionis*, 20. — *De mysterio numeri* quindecim *ex additione illarum resultantis*, 21. — *Secundo, considerantur in comparatione ad evolutionem; comparatio utriusque testamenti fit sex modis*, 22. — *Primo, comparatio duorum testamentorum secundum rationem unitatis*, 23. — *Secundo, secundum rationem duitatis*, 24. — *Conversio finalis gentis Iudaeorum*, 25. — *Tertio, secundum rationem ternarii*, 26. — *Quarto, secundum rationem quaternarii*, 27. — *Quinto, secundum rationem quinarii*, 28.

Introductio.

1. *Protulit terra herbam virentem et facientem semen iuxta genus suum*[3]. Dictum est, quod in duodecim mysteriis principalibus ostenditur Christus; et per oppositum ostenditur antichristus, quod sic manifestatur. — Primum est mysterium *conditionis rerum;* et ibi ostenditur per *Lamech*[4], qui primus introduxit bigamiam et fuit transgressor legis naturae et fuit luxuriosissimus; et tunc *videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulcrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerunt.* Propter quod inductum fuit diluvium. Et inde colligitur, qualis erit antichristus, quia *immundissimus;* et inde ostenditur eius *significatio*, quia interficiet illum, in quo *positum est signum*, scilicet Iudaeos, qui per *Cain* significantur. Et ideo *de Lamech ultio dabitur septuagies septies*, quia maius erit peccatum eius quam peccatum Iudaeorum. Pars I. Mysterium primum.

2. In secundo mysterio, scilicet *punitionis scelerum*, signatur per *Nemrod*[5], qui primus se fecit imperatorem, cuius etiam auctoritate aedificata est Secundum

[1] Apoc. 1, 13: Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis etc. ibid. v. 16: Et habebat in dextera sua stellas septem; v. 11: Et mitte septem Ecclesiis, quae sunt in Asia, Epheso etc. — De bello Agni cum dracone et bestia vide ibid. c. 12. et 13; de phialis c. 15, 7. et 16, ac 18; de tubis c. 8. et 9. — De gladio acuto ibid. 1, 16. et de falce acuta ibid. 14, 14. — De caelo novo et terra nova ibid. 21, 1.

[2] Cfr. Exod. 26, 18. seqq. — Subinde allegatur Col. 2, 3: In quo sunt omnes thesauri sapientiae etc.; et respicitur Exod. 25, 18. seqq. (de Cherubim).

[3] Gen. 1, 12. — In seq. propositione respicitur collat. praecedens n. 17. seqq.

[4] Gen. 4, 19. — Seq. locus est ibid. 6, 2. Subinde respicitur Gen 4, 15: Posuitque Dominus Cain signum etc.; et allegatur v. 24: Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies.

[5] Gen. 10, 8: «Ipse [Nemrod] coepit esse potens in terra». In quem locum Glossa *ordinaria* apud Strabum: Nemrod secundum Ioseph[um] [I. Antiquit. c. 9.] nova regni cupiditate tyrannidem arripuit et fuit auctor aedificandae turris, quae tangeret caelum. Cfr. Hieron., Hebraic. Quaest. in Gen. 10, 8. et Isidor., Comment. sive Quaest. in Gen. c. 9. — Subinde allegatur II. Thess. 2, 4.

Digitized by Google

turris, quae tangeret caelum; in quo intelligitur, quod antichristus erit *superbissimus*, ita ut *extollatur super omne, quod dicitur Deus.*

Tertium.

3. In tertio mysterio, scilicet *vocationis* vel electionis *Patrum*, signatur per *Dan*; et aliqui volunt dicere, quod ad litteram erit de tribu Dan. Utrum autem ita sit, non auderem affirmare; attamen in Apocalypsi[1] tribus Dan non signatur. De isto Dan dicitur in Genesi: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*, qui abscondit se in sabulo, ut capiat aves circa se volantes; et in hoc ostenditur, quod erit *fraudulentissimus*. Mordet autem *ungulas equorum, ut cadat ascensor eius retrorsum*. Certum est, quod per *equum* significatur praedicator veritatis, per *ungulam* significatur perfectio evangelica, quam antichristus impugnabit. Equus enim, si non habet fixionem ungulae, nihil valet. Ioseph igitur erat cum filiis ancillarum, qui vendiderunt fratrem suum; Dan autem primogenitus fuit ancillarum.

Quartum.

4. In quarto mysterio, scilicet *lotionis Legis*, signatur per *Balaam*[2], qui dedit pessimum consilium, qui fuit idololatra, et licet multa bona diceret, tamen aras aedificabat et auguria quaerebat. Et in hoc significatur, quod erit *pessimus idololatra* et invocator daemonum; in Daniele: *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur.*

Quintum et sextum.

5. In quinto mysterio, scilicet *prostrationis hostium*, signatur per *Achan*[3], qui furatus fuit *de anathemate* et mortuus est excommunicatus; et in hoc significatur, quod erit *avarissimus* et *rapacissimus*. — In sexto mysterio, scilicet *constitutionis* vel promotionis *iudicum*, signatur per *Abimelech*[4], qui septuaginta fratres meliores se interfecit; et in hoc significatur, quod erit *crudelissimus*.

Septimum et octavum.

6. In septimo mysterio, scilicet *inunctionis regum*, signatur per *Goliam armatum*[5], qui exprobrabat agminibus filiorum Israel. Erit enim *magnificus* in exterioribus, loquetur etiam blasphemiam contra populum Dei. — In octavo mysterio, scilicet *revelationis Prophetarum*, signatur per *regem impudentem*[6], quia sciet argumenta et rationes ultra humanum modum, quia erit *intelligens propositiones* et *astutissimus*.

Nonum et decimum.

7. In nono mysterio, scilicet *restaurationis principum*, signatur per *Antiochum*[7], qui interpretatur *silentium paupertatis*, qui destruxit omnes *leges* universaliter, volens unam facere; qui illos septem fratres interfecit. Fecit etiam quod nullus ausus fuit, scilicet destruere *legem Iudaeorum* — verum est, quod Aman attentavit *Iudaeos disperdere*, sed non praevaluit — in quo significatur, quod erit *destractor legis* evangelicae et ocrisor Christianorum. — In decimo mysterio, scilicet *redemptionis hominum*, signatur per *Iudam proditarem*[8]. Erit enim *malignissimus*.

Undecimum et duodecimum.

8. In mysterio undecimo, scilicet *diffusionis charismatum*, signatur per *Simonem magum*[9], qui voluit emere Spiritum sanctum et in altum ascendit et postea cecidit, qui daemones invocavit. Erit enim *mendacissimus*, ut veniat in signis et prodigiis mendacibus. — In mysterio duodecimo, scilicet *reserationis Scripturarum*, signatur per *bestiam abyssalem* sive ascendentem de abysso[10], quae omnia concludat. Erit enim *consummatus in omni malitia*. Habebit enim *septem capita*, id est omnia genera tentandi et omnes modos, nunc per divitias, nunc per falsa miracula, nunc per metum etc. Unde in Iob: *Stringit caudam quasi cedrum*, quia in eo conflabuntur omnes malitiae; et sicut Christus habuit omnia charismata, ut natura assumta potuit accipere; sic ille omnes malitias habebit.

Epilogus.

9. Sic igitur Scriptura explicat paulatim procedendo, quomodo antichristus erit primo *immundissimus* etc. Unde iuxta *lignum vitae* erat *lignum scientiae boni et mali*[11]; quia iste promittet bona et dabit mala. Unde efficietur *serpens, draco* et *bestia*. — In omnibus istis mysteriis correspondentia est Patri et Filio et Spiritui sancto, quia Trinitas maxime debet refulgere in omnibus operibus horum mysteriorum.

---

[1] Cap. 7, 4. seqq. Beda, l. Explanat. Apoc. 7, 5: Convenienter et a Iuda incipiat, ex qua tribu ortus est Dominus noster, et Dan praetermisit, ex quo dicitur antichristus esse nasciturus, sicut scriptum est [Gen. 49, 17.]: Fiat Dan coluber in via etc. Cfr. August., Qq. in Iosue q. 22: Verumtamen, cum Iacob filios suos benediceret, talia dixit de isto Dan, ut de ipsa tribu existimetur exsurrecturus antichristus. Hieron., Hebraic. Quaest. in Gen. 49, 16. seqq. hunc locum aliter exponit, et Isidor., Comment. sive Quaest. in Gen. c. 31. n. 35. seqq., relata opinione, secundum quam antichristus ex tribu Dan sit nasciturus, adiungit: Alii de Iuda, a quo traditus est Christus, haec scripta pronuntiant etc. Alii vero hanc prophetiam ad antichristum transferunt. — Gen. 35, 25. seq.: Filii Belae ancillae Rachelis: Dan et Nephtali; filii Zelphae ancillae Liae: Gad et Aser.

[2] Cfr. Num. c. 22-24. Vide Origen., in Num. homil. 13. seqq., et August., Qq. in Num. q. 47. seqq. — Inferius allegatur Dan. 11, 38. Cfr. Hieron. in hunc locum.

[3] Vide Iosue 7, 1. seqq.

[4] De quo Iudic. 9, 1. seqq. Cfr. Isidor., Comment. sive Quaest. in Iudic. c. 6. n. 3. seqq.

[5] Cfr. I. Reg. 17, 4. seqq. Vide Apoc. 13, 1. seqq., ubi de bestia blasphemante Deum et Sanctos.

[6] Dan. 8, 23: Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie et intelligens propositiones.

[7] Vide I. Machab. 1, 43: Et scripsit rex Antiochus omni regno suo, ut esset omnis populus unus, et relinqueret unusquisque legem suam; ibid. II. 7, 1. de interfectione septem fratrum. — Glossa *ordinaria* (sumta ex Rabano) in I. Machab. 1, 63: Interpretatur autem Antiochus *paupertatis silentium*. — De Aman cfr. Esther c. 3. seqq.

[8] Cfr. Matth. 26, 14. seqq.

[9] De quo Act. 8, 9. seqq. De eius ascensu et casu cfr. Clement., VI. Constitut. apostolic. (inter opera Clementis) c. 9; Arnob., II. adversus Gentes, c. 12; Ambros., IV. Hexaëm. c. 8. n. 33.

[10] Apoc. 11, 7. Ibid. 13, 1: Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem etc. — Seq. locus est Iob 40, 12.

[11] Gen. 2, 9.

Digitized by Google

Pars II. De theoriis.

10. Sequitur de *seminibus* et *fructibus*: *Protulit*, inquit [1], *terra herbam virentem et facientem semen iuxta genus suum*. Sicut enim in *congregatione aquarum* significatur multiformitas *intelligentiarum*, et in *germinatione terrae* multiplicitas *sacramentalium figurarum*; sic in *seminibus* ostendit, se habere infinitatem quandam *caelestium theoriarum*, quae significantur per *semina*. *Intelligentiae* enim principales et *figurae* in quodam numero certo sunt, sed *theoriae* quasi infinitae: quia, sicut refulsio radii et imaginis a speculo fit modis quasi infinitis, sic a speculo Scripturae. Quis potest scire, quot sunt media inter angulum rectum et obtusum, inter angulum obtusum et acutum? Sicut enim in seminibus est multipliratio in infinitum, sic multiplicantur theoriae. Unde in Daniele [2]: *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia*, quia varie inspicit hic et ille in speculo.

Simile.

11. Haec consideratio theoriarum est inter duo specula duorum Cherubim, duorum scilicet testamentorum, quae refulgent in invicem, ut *transformetur* homo a *claritate in claritatem* [3]. Haec autem germinatio seminum dat intelligere secundum diversas temporum coaptationes diversas theorias; et qui tempora ignorat istas scire non potest. Nam scire non potest futura qui praeterita ignorat. Si enim non cognosco, cuius arboris semen est; non possum cognoscere, quae arbor debet inde esse. Unde cognitio futurorum dependet ex cognitione praeteritorum. Moyses enim, prophetans de futuris, narravit praeterita [4] per revelationem.

Origo theoriarum.

Notandum.

12. Notandum autem, quod sicut Deus sex diebus mundum fecit et in septimo requievit; ita corpus Christi mystirum sex habet aetates et septimam, quae currit cum sexta [5] et octavam. Hae sunt rationes seminales ad cognoscendum Scripturas. — Prima aetas quasi infantia ab Adam usque ad Noe. Deus enim in principio quasi in semine posuit quod postea pullulavit in facto mystico vel opere. Prima ibes significat primum tempus, quo datur homini lux et cognitio; et haec est *infantia*, quae oblivione deletur; sic quidquid actum est usque ad illud tempus, quo diluvio deletum est omne animal praeter illa quae fuerunt cum Noe [6].

Tempora absolute considerata.

Septem aetates.

Aetas prima.

13. Secundum tempus respondet secundae diei et aetati *pueritiae*: quia tunc factum est *firmamentum in medio aquarum* [7]; in quo tempore factum est foedus per *arcam*, ne homines delerentur per aquas inferiores, et per *arcum*, ne ulterius per diluvium perirent. Et sicut in pueritia pueri loquuntur et discunt loqui, sic in tempore secundo divisae sunt linguae. Et haec aetas durat a Noe usque ad Abraham.

Secunda.

14. In tertia die terra germinavit, et in tertia aetate, scilicet *adolescentia*, homo potens est generare. Et in tertia aetate, quae durat ab Abraham usque ad David, tunc coepit Synagoga in Abraham et per circumcisionem factam in carne eius florere [8].

Tertia.

15. In quarta die facta sunt *luminaria caeli*, et adornatum est caelum; et respondet aetati *iuventatis*, quia illa aetas apta est sapientiae. Et in quarta aetate sive tempore, quae durat a David usque ad transmigrationem Babylonis, viguit et floruit regnum et sacerdotium quasi duo luminaria, et stellae fuerunt Prophetae.

Quarta.

16. Quinta die facti sunt pisces; et respondet *senectuti*, ubi iam incipit calor diminui; sic in quinta aetate, scilicet a transmigratione Babylonis usque ad Christum, Synagoga incepit deficere et senuit et perdidit auctoritatem.

Quinta.

17. Sexta die factus est homo princeps bestiarum; et respondet *senio*, quae aetas est matura et apta sapientiae; et respondet sextae aetati, quae est a Christo usque ad finem mundi; et in sexta aetate Christus natus est, sexta die crucifixus, sexto mense conceptus post conceptionem Ioannis [9]. Sapientia ergo sexta aetate incarnata est.

Sexta.

18. Septima aetas currit cum sexta, scilicet requies animarum post Christi passionem. — Ad has sequitur octava aetas, scilicet *resurrectio*, de qua Psalmista [10] ait: *Mane astabo tibi et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Et est reditus ad primum, quia post septimam diem regressus fit ad primam. — Haec sunt *semina* iactata ad intelligentiam Scripturarum, quae producuntur de illis arboribus secundum expositionem communem; et sic tempus dividitur in *septem* aetates.

Septima.

De octava.

19. Secundum alius reducitur tempus ad *quinque*; et hoc ponit Christus [11], qui ponit *quinque vocationes*: *Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*, scilicet *mane, tertia, sexta, nona, undecima*. *Mane* fuit *initium creaturae*, quia posuit Deus hominem in paradiso et praecepit, *ut operaretur et custodiret illum* [12]. Adhuc tamen ligonem non habebat nec sarculum; de lignis tamen fa-

Alia divisio sec. quinque vocationes.

---

[1] Gen. 1, 12. — De seq. propositione cfr. supra collat. 13. et 14.

[2] Cap. 12, 4. Cfr. supra pag. 388, nota 3. — Superius pro *refulsio* A *repercussio*, D *repulsio*, E *reflexio*.

[3] Epist. II. Cor. 3, 18. Vide supra pag. 377, nota 5. — De duobus Cherubim cfr. supra pag. 375, nota 3.

[4] In Genesi allata.

[5] Cfr. supra Prolog. in Breviloq. § 2.

[6] Gen. 7, 24. seqq. Cfr. supra pag. 204, nota 6.

[7] Gen. 1, 6. — Subinde respicitur Gen. 6, 18. seqq.: Ponamque foedus meum vobiscum, et ingredieris arcam tu etc.; ibid. 9, 12. seq. de foedere per arcum, et 11, 7. de divisione linguarum.

[8] Cfr. Gen. 17, 2. seqq.

[9] Vide Luc. 1, 36.

[10] Psalm. 5, 5.

[11] Matth. 20, 1. seqq. Cfr. Gregor., 1. Homil. in Evang. homil. 19. n. 1, ubi quinque aetates distinguit.

[12] Gen. 2, 15. (ibid. v. 8: In quo [paradiso] posuit hominem etc.). Cfr. Ambros., de Paradiso, c. 4. n. 25, et August., VIII. de Gen. ad lit. c. 8. n. 15. seqq.

Digitized by Google

cere poterat, quae sibi obsliebant. — Secunda *vocatio* fuit per flagellum usque sub Noe, qui praedicabat, ut caverent amplius. — Tertia, sub Abraham, qui fuit cultor Dei et erector altarium, et haec usque ad Moysen. — Quarta, sub Moyse per Legem et miracula, et haec usque ad Christum. — Quinta, sub Christo et per Christum per poenitentiam, ad quam omnes vocavit et ad nuptias[1].

Tria etiam tempora. Tres numeri septenarii.

20. Secundum Sanctos modernos et antiquos distinguuntur *tria tempora*, scilicet legis *naturae*, legis *scriptae* et legis *gratiae*[2]. — *Septenarius* appropriatur Spiritui sancto propter septem charismata gratiarum; *quinarius* Filio, propter quinque sensus spirituales — in huius signum Cherubim ala habebat quinque cubitos[3] — *ternarius* Patri, quia ternarius principium est perfectorum; item, omnis probatio necessario a ternario incipit et est prima; item, Pater tres habet notiones; est enim *generans*, *innascibilis*, *spirans*. — Triplex est lex: *intra scripta*, ut naturae; *extra proposita*, ut legis scriptae; *desuper infusa*, ut gratiae. Haec sunt seminaria, quae qui ignorat, scilicet haec tempora, non potest venire ad mysterium Scripturarum.

De mysterio numeri quindecim.

21. Iunge *septem aetates*, *quinque revolutiones*, *tria tempora*, et habes quindecim, qui numerus mysterium habet, ut ostendit Hieronymus[4]. Per descensum Spiritus sancti super centum viginti credentes: per istos quindecim gradus habet sol ascendere super nostrum hemisphaerium in una hora; quia, si dies naturalis viginti quatuor horas habet, et quodlibet signum triginta gradus, et quotlibet die volvuntur duodecim signa; necesse est, ut in una hora elevetur sol super hemisphaerium nostrum quindecim gradibus; et illud est *mane resurrectionis*, quando erimus in fine saeculi: *Mane*, inquit[5], *astabo tibi et videbo*. — Haec seminaria absolute considerata sunt.

Nota.

Secunda, consideratur in eorum partitione.

22. Item, *comparatur* quod oritur ad illud, de quo oritur, ut arbor ad *semen*, de qua oritur, et ad *arborem*, de qua semen oritur. Sic comparatur novum testamentum ad vetus, ut *arbor* ad arborem, ut *littera* ad litteram, ut *semen* ad semen. Et sicut arbor est de arbore, et semen de semine, et littera de littera; sic testamentum de testamento. Secundum hoc assignatur comparatio duorum testamentorum sex modis, secundum differentiam unitatis, dualitatis, ternarii, quaternarii, quinarii et senarii, semper addita unitate.

Duo testamenta sub modis comparantur.

23. Secundum rationem *unitatis* duo sunt testamenta: unum *in servitutem generans*, alterum *in libertatem*[6]; unum secundum *timorem*, alterum secundum *amorem*; unum secundum *litteram*, alterum secundum *spiritum*; unum secundum *figuram*, alterum secundum *veritatem*; et sic distinguuntur ista duo tempora ut nox et dies. Unde in Psalmo[7]: *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.* In nocte illa Lex fuit ut luna; Patres, ut stellae, secundum Gregorium. Sed cum venit sol, tunc fuit clara dies.

Prima.

24. Alia distinctio est secundum rationem *dualitatis*. Vetus testamentum habet duo tempora, scilicet tempus *ante Legem* et tempus *sub Lege*. — Sic in novo testamento respondet duplex tempus: tempus vocationis *gentium*, quod respondet primo; et tempus vocationis *Iudaeorum*, quod respondet secundo. Hoc tempus nondum est, quia tunc impletum erit illud Isaiae[8]: *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad proelium;* quia hoc nondum adimpletum est, cum adhuc vigeat uterque gladius; adhuc sunt disceptationes et haereses. Unde Iudaei, quia hoc sperant, credunt, nondum venisse Christum.

Secundo.

25. Quod autem Iudaei *convertantur*, certum est per Isaiam[9] et Apostolum, qui allegat auctoritatem: *Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiae salvae fient.* Et adhuc: *Caecitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium*

Conversio fidelis Iudaei.

[1] Cfr. Matth. 4, 17. et 22, 2. seqq.

[2] Sufficiat addiuxisse Ambros., Epist. 73. n. 2. seqq.; August., Epist. 157. (alias 89.) c. 3. n. 15; 83 Qq. q. 61, n. 7; IV. de Trin. c. 1. n. 7. Cfr. supra pag. 266, nota B. verba Hug. a S. Vict.

[3] Libr. III. Reg. 6, 21. — De perfectione ternarii cfr. I. Sent. d. 2. q. 4. scholion. — Aristot., I. Poster. c. 15. (c. 19.): Est autem omnis syllogismus per tres terminos. Cfr. ibid. c. 21. (c. 25.). — De notionibus Patris cfr. supra Breviloq. p. I. c. 3. — Inferius pro *quia ternarius est principium perfectorum* B *qui est principium totius Trinitatis secundum Augustinum* (IV. de Trin. c. 20. n. 29.). Sublinde pro *ternario* plures cuiusl. *triangulo*, cui lectioni non bene respondet vox *probatio*, pro qua substituenda esset *figuratio*; cfr. supra collat. 4. n. 16.

[4] Libr. I. Comment. in Epist. ad Gal. 1, 18: Non abs re addiderat, *quindecim dies*, quibus apud Petrum Paulus habitavit, plenam significare scientiam consummatamque doctrinam. Siquidem quindecim sunt carmina in Psalterio et quindecim gradus, per quos ad canendum ascendunt Deo, et in atriis eius consistendum iustus ascendit. Ezechias quoque, quindecim annorum spatio sibi ad vitam dato, signum accipere meruit in gradibus [Isai. 38, 8. seqq.] etc. — Mox respicitur Act. 1, 15, ubi in Glossa et a Beda, et clarius a Rabano, XVIII. de Universo, c. 3,ista de numeris 15 et 120 explicantur. Numeri ab 1-15 additi sunt 120. Quindecim (ex 7 et 8) referuntur ad vitam futuram.

[5] Psalm. 5, 5. Vide supra n. 18. — Pro explicatione praecedentis propositionis *necesse est, ut in una hora* etc., secunda manus in ved. A posuit: ita scilicet, quod totum tempus a principio mundi usque ad finem habet rationem unius horae. *Et illud est mane*, id est prima hora diei.

[6] Respicitur Gal. 4, 21. seqq. — De seqq. cfr. III. Sent. d. 40. q. 1. seqq.

[7] Psalm. 18, 3. — Gregor., XXVII. Moral. c. 8. n. 12. seqq., Patriarchas et Prophetas comparat stellis caeli.

[8] Cap. 2, 1. — Superius pro *Alia distinctio* in A secunda manus substituit *Alia comparatio*, quae etiam subinde post *gentium* addidit *quae erant sine Lege* (cfr. Rom. 2, 14.).

[9] Cap. 10, 22. Rom. 9, 27; ibid. 11, 25: Caecitas ex parte etc. — Seq. textus est Isai. 9, 8. In quem locum Hieron. (IV. Comment. in Isai.) dicit: Iuxta anagogen hunc locum nostri ita edisserunt: Misit Deus Filium suum ad Iacob, hoc est ad Iudaeos, et venit ad Israel, hoc est ad gentium populum, quos et Apostolus appellari dicit Israel [Rom. 9, 6. seqq., ubi etiam dicitur: Neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii... sed qui filii sunt promissionis etc., cfr. etiam Gal. 3, 6. seqq.].

subintraret. Et hoc ostendit Isaias: *Verbum misit Dominus in Iacob et cecidit in Israel. Verbum missum in Iacob; Iacob* est nomen naturae, quia fuit de eius semine, sed *cecidit in Israel; Israel,* nomen *spirituale:* nos sumus *filii Israel* et *filii Abrahae* secundum repromissionem, quia sumus imitatores fidei Abrahae. Unde Isaias [1]: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Bos,* urbi apostolicus, unde Paulus dicit se Hebraeum ex Hebraeis; ipsi fuerunt *boves* proscindentes terram; *asinus* fuit populus gentilis; Isaias: *Venite, et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob.* Et sequitur: *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad proelium.* — Contradicunt Iudaei, quoniam nondum hoc impletum est; sed Propheta non loquitur pro primo adventu, vel pro prima vocatione, sed pro ultima, quando *dies Domini* erit *super omnem arrogantem;* nec est intelligendum, quod illos *ramos* sic dimittat Deus. Contradicunt Iudaei.

26. Tertia comparatio veteris et novi testamenti est secundum rationem *ternarii:* quia est tempus Synagogae *initiatae, promotae, deficientis.* — Sic in novo testamento est Ecclesiae *initiatae, dilatatae, consummatae.* Unde in Cantico [2] ter laudatur Ecclesia, quae unica tantum est, nec sunt nec possunt esse plures. Laus Ecclesiae *initiatae: Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi?* Secundo, Ecclesiae *dilatatae: Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?* Tertio, Ecclesiae *consummatae: Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Necesse est enim, quod Rachel pariat filios suos in finali Ecclesia. Unde in Apocalypsi [3] Manasses ponitur ante patrem, quia sexto loco, et Ioseph undecimo, ultimo Beniamin, et non sine causa. Tertio.

27. Quarta comparatio veteris et novi testamenti secundum *coaptationes temporum* est, quia quatuor tempora in veteri testamento respondent quatuor ordinibus circa tabernaculum duodecim tribuum [4], respondent quatuor lateribus civitatis Apocalypsis et quatuor animalibus circa sedem. Primum tempus est *vocationis Patriarcharum;* secundum, *institutionis iudicum;* tertium, *inunctionis regum;* quartum, *illustrationis Prophetarum.* — His quatuor in novo testamento respondet tempus *Apostolorum, martyrum, pontificum, virginum.* Quarto.

28. Quinta comparatio est secundum rationem *quinarii,* ut sit manus dextera et sinistra habens quinque digitos. Primum tempus est *conditionis naturarum;* secundum, *inspirationis Patriarcharum;* tertium, *institutionis legulium;* quartum, *illustrationis Prophetarum;* quintum, *restaurationis ruinarum.* — In novo testamento respondet *mane, tertia, sexta, nona, undecima* [5]. *Mane* respondet conditioni naturae, quando *posuit Deus Adam in paradiso, ut operaretur et custodiret illum.* Primum tempus in novo testamento est *diffusionis charismatum,* quod respondet *esse* creaturae; secundum, *vocationis gentium,* quod respondet secundo; tertium, *institutionis Ecclesiarum* secundum leges, quod respondet tertio; quartum, *religionum multiplicationis,* quod respondet quarto, maxime Rechabitis, qui morabantur circa Iordanem, qui pauperes erant [6]; quintum, in fine *restaurationis collapsorum,* quia oportet, quod veniat *Elias,* qui *restituet omnia;* cum eo et veniet Henoch. *Bestia* autem *vincet illos duos testes.* Unde necesse est, ut prius *ruant,* et fiat *ruina* et postea *restauratio;* tanta erit *tribulatio, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* [7]. Quinta.

---

[1] Cap. 1, 3; cfr. Hieron. in hunc locum. — Subinde respicitur Phil. 3, 5: Hebraeus ex Hebraeis; allegatur Isai. 2, 3. et 4. ac dein v. 12: Quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum et super omnem arrogantem, et humiliabitur. — Rom. 11, 1. seqq. ostenditur, quod Deus Iudaicum populum non omnino repulit, ibique v. 16. seqq. Apostolus utitur exemplo *radicis* et *ramorum.*

[2] Cap. 3, 6; 6, 9. et 8, 5. Cfr. supra collat. 2. n. 14.

[3] Cap. 7, 6. seqq. Gen. 41, 51: Vocavitque [Ioseph] nomen primogeniti *Manasses.* Cfr. Beda, I. Explanatio Apoc. 7, 5. seqq., ubi etiam ratio affertur pro ordinatione tribuum: Quia non ordinem terrenae generationis, sed iuxta interpretationem nominum virtutes Ecclesiae decrevit [Ioannes] exponere, quae a *confessione et laude* praesenti ad *dexteram* vitae festinet aeternae. Hoc enim nomen Iudae, qui primus, et Beniamin, qui ultimus ponitur, sonat etc.

[4] Cfr. Num. 2, 3. seqq. — Mox respicitur Apoc. 21, 16. (cfr. supra pag. 363, nota 1, ubi etiam de 12 tribubus) et 4, 8. (vide supra pag. 368, nota 7.).

[5] Respicitur Matth. 20, 1. seqq.; cfr. supra n. 19. — Mox allegatur Gen. 2, 15. — Superius pro *ut sit manus dextera et sinistra* B *ut secundum duo testamenta sint duae manus, dextera et sinistra, quaelibet.*

[6] Vide Ierem. 35, 2. seqq. Hieron., Epist. 58. (alias 43.) n. 5. inter principes monachorum recenset etiam Rechabitas. — Seq. locus est Matth. 17, 11: Elias quidem venturus est et restituet omnia. De Henoch cfr. Gen. 5, 21; Eccli. 44, 16. et Hebr. 11, 5. Subinde allegatur Apoc. 11, 7. et Matth. 24, 24. ac 21. — A D E inferius omittunt *cum eo et veniet Henoch.*

[7] Comparatio veteris et novi testamenti continuatur in seq. collatione quoad senarium et septenarium.

Digitized by Google

COLLATIO XVI.

De tertia visione tractatio quarta, quae prosequitur agere de theoriis ex Scriptura germinantibus, et quidem ratione fructuum in coaptatione temporum, qualiatus haec sibi mutuo *correspondent;* et in specie explicatur comparatio septenarii secundum correspondentiam trium temporum.

SUMMARIUM. — *Introductio; repetitio,* 1-6. — Pars I. Mysterium numeri septenarii eiusque generalis applicatio ad decursum temporis originalis, figuralis et gratiosi. *Comparatio senarii; septenarius est numerus universalitatis; invenitur in mundo maiori et minori et in Deo,* 7. — *Mysterium et proportionalitas in eo,* 8. — *Oritur a mundo archetypo,* 9. — *Secundum ipsum est decursus mundi secundum tria tempora, scilicet originale, figurale, gratiosum,* 10. — *Septem dies temporis originalis,* 11. — *Septem tempora figuralia,* 12. — *Septem tempora in novo testamento,* 13. — Pars II. Correspondentia inter septem tempora originalia, figuralia et gratiosa. *Tres primae dies conditionis respondent tribus primis temporibus figuralibus et gratiosis,* 14. — *Item, quarta et quinta, duobus sequentibus temporibus,* 15. — *Item, sexta respondet sexto tempori figurali et gratioso; de Angelo ascendente ab ortu solis; de septimo tempore,* 16. — *De duratione singulorum septem temporum figuralium et gratiosorum,* 17-19. — *Septem haec tempora innuuntur in Apocalypsi et Psalterio,* 20. — Pars III. Correspondentia mysteriorum septem temporum figuralium cum septem temporibus novi testamenti. *Primo, quod tria mysteria tempore naturae conditae,* 21-23. — *Item, quod tria mysteria tempore culpae purgatae,* 24. 25. — *Item, quod tria tempora gentis electae,* 26. — *Similiter, tempore legis statutae,* 27. — *Similiter, tempore regnis gloriae,* 28. — *Similiter, tempore vocis propheticae,* 29. — *Denique septimo tempore quietis medine respondent tria mysteria,* 30. — *Epilogus,* 31.

Introductio. Repetitio totius tertiae visionis.

1. *Protulit terra herbam virentem et facientem semen iuxta genus suum lignumque pomiferum et habens fructum unumquodque secundum speciem suam*[1] etc. Dictum est circa istam visionem intelligentiae *per Scripturam eruditae* de *intelligentia spirituali*, quae intelligebatur per *congregationem aquarum;* item, de *sacramentali figura*, quae intelligebatur per *germinationem terrae.* Dictum est etiam de theoriis, quae intelliguntur et per *semen* et per *fructum.* Habent enim theoriae *sementivam multiplicationem* et *refectivam sustentationem;* ideo intelliguntur partim per *semen* et partim per *germinationem fructuum.* Quantum ad *semen* consistunt in coaptationibus temporum, secundum quod tempora sibi invicem *succedunt;* quantum ad arboris *fructum*, secundum quod tempora sibi mutuo *correspondent.* Secundum comparationem *arboris* vel *seminis* ad semen tempora sibi mutuo *succedunt;* secundum comparationem *germinis ad germinans* mutuo sibi *correspondent*, ut iam patebit.

Repetitio de triplici distinctione temporum.

2. Distinguuntur autem tempora *secundum rationem ternarii*, videlicet secundum *tres leges:* intra scriptam, exterius dispositam, superius infusam; secundum rationem *quinarii:* mane, tertia, sexta, nona, undecima[2], quae sunt *quinque mentiones* usque ad finem mundi. — Et secundum hoc distinguuntur *sex aetates; septima* autem currit secundum omnes cum sexta. — Post novum testamentum non erit aliud, nec aliquod sacramentum novae legis subtrahi potest, quia illud *testamentum aeternum* est[3]. Ista tempora sibi mutuo succedunt, et multa est in eis correspondentia, et sunt sicut germinatio seminis ex semine, ut de semine arbor, et de arbore semen.

Item, repetitio partis II. praecedentis collationis.

3. Assignantur autem tempora, ut sibi mutuo *correspondent*, primo secundum rationem unitatis, ut comparatur unum tempus novi testamenti ad unum tempus veteris testamenti secundum correspondentiam *litterae* et *spiritus*[4], *promissionis* et *solutionis, figurae* et *veritatis, promissionis terrenae* et *caelestis, timoris* et *amoris.*

---

[1] Gen. 1, 12. Pro *lignumque pomiferum* [v. 11.] *et habens fructum unumquodque* Vulgata *lignumque faciens fructum et habens unumquodque sementem.* — In seqq. datur summa collat. 13, 14, et 15.

[2] Respicitur Matth. 20, 1. seqq.; cfr. collat. 15, n. 19.

[3] Hebr. 13, 20, ubi dicit, quod Deus « eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni Dominum nostrum Iesum Christum ».

[4] Cfr. Rom. 2, 29; 7, 6. et II. Cor. 3, 6. seqq.

Digitized by Google

Repetitio continuatur.

4. Item, duorum temporum ad duo: in veteri testamento tempus *ante Legem* et tempus *sub Lege;* in novo autem tempus *vocationis gentium* et tempus *vocationis Iudaeorum*, quae erit in fine. Et ista signata est in duobus filiis Iudae, scilicet Zaram et Phares [1]. Zaram enim primo *extraxit manum et obstetrix ligneit in ea coccinum*, et postea retraxit manum, et exivit Phares, qui *divisit maceriam*. Iudaei *primo* crediderunt, sed statim manum retraxerunt in primitiva Ecclesia; sed postquam plenitudo gentium subintravit, tunc Zaram exibit, et populus Iudaeorum convertetur.

Continuatur.

5. Item, trium temporum ad tria, ut Synagogae *initiatae, promotae* et *ultimatae;* et in Ecclesia tempus Ecclesiae *initiatae, dilatatae* et *consummatae*. Unde in Cantico [2] tres fiunt *admirationes: Quae est ista* etc., in laudem Ecclesiae; et econtra tres *deplorationes* in Lamentationibus; unde non sine causa toties repetitur alphabetum.

Continuatur.

6. Item, quatuor ad quatuor, ut potuit supra in praecedenti collatione [3]. — Item, quinque digitorum ad quinque: *conditionis* naturarum, *inspirationis* Patriarcharum, *institutionis* legalium, *illustrationis* prophetalium et *restaurationis* ruinarum; in novo testamento: *donationis* charismatum, *vocationis* gentium, *institutionis* Ecclesiarum, *multiplicationis* religiosorum, *restitutionis* omnium collapsorum. De quo dicitur, quod Elias, cum venerit, *restituet omnia* [4].

Pars I. De sexto modo.

7. Sequitur de comparatione *senarii*, addita unitate. Et sic accipitur mensura illius qui habebat calamum habentem sex cubitos et palmum ad mensurandum templum [5]. — Septenarius secundum Gregorium est numerus universalitatis; est in maiori mundo et in minori et in Deo. — Iste enim mundus *sensibilis* constat ex *quatuor elementis* susceptivis influentiarum caelestium et in *tribus orbibus* influxivis et motivis. — *Minor* mundus consistit in quatuor elementis, quatuor humoribus, quatuor complexionibus, quatuor qualitatibus et tribus viribus vitalibus perfectivis, scilicet vegetabili, sensibili et rationali; unde illa quae sunt in mundo sensibili, in minori mundo religuntur in quadam paritate. — Unde secundum aliquos, et non irrationabiliter, dictum est, quod orbis *sidereus* disponit ad susceptionem animae *vegetabilis*, orbis *crystallinus* ad susceptionem *sensibilis*, orbis *empyreus* ad susceptionem *rationalis*. Et secundum Hugonem [6] *quaternarius* respondet corpori, *ternarius* respondet spiritui.

Septenarius est numerus universalitatis.

Est in mundo maiori.

Item, in minori.

Influentia orbium.

8. Septenarius autem magnum mysterium habet. Omnis autem proportio et proportionalitas est secundum rationem ternarii et quaternarii: quia necesse est, ubi est proportionalitas, ut sit in quatuor terminis vel secundum rem, vel secundum rationem. Unde Augustinus primo Musicae [7] ostendit, proportionem ascendere usque ad quatuor, quae *ex* partibus quaternarii generatur.

Proportionalitas in septenario.

9. Iste autem septenarius sive in mundo sensibili, sive in mundo minori ortum habet a mundo archetypo, ubi sunt rationes causales secundum rationem septenarii. *Deus* enim habet rationem triformis causae: *originantis, exemplantis, finientis*, nec potest esse pluribus modis; unde Apostolus [8]: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*. — *Ratio* autem *causandi* est secundum quatuor, scilicet sublimitatem *potentiae*, profunditatem *sapientiae*, latitudinem *benevolentiae*, longitudinem *aeternitatis; ut possitis*, inquit Apostolus [9], *comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo et latitudo et sublimitas et profundum. Potentia* creat, *sapientia* gubernat, *benevolentia* perficit, *aeternitas* conservat.

Item, in septenario in Deo.

10. Iste numerus universalitatis in *mundo*, in *homine*, in *Deo* est mysterialis. Secundum hunc numerum fecit Deus currere mundum istum et Scriptu-

Secundum septenarium decurrit mundus.

---

[1] Gen. 38, 27. seqq. — Eph. 2, 14. de Christo dicitur: Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens etc.

[2] Cfr. supra collat. 15. n. 26. — Tres deplorationes insinuantur in Thren. seu Lamentat. c. 1, 1: Quomodo sedet sola civitas etc.; 2, 1: Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion etc.; 4, 1: Quomodo obscuratum est aurum etc. Secundum Hieron., Epist. 30. (alias 135.) n. 3. seqq., Lamentationes continent (in quatuor capp.) *quatuor alphabeta*, ubique nomina Hebraici alphabeti (aleph, beth etc.) exponit. Paschas. Radbert. in Praefatione suae Expositionis in Lamentat. ex his quatuor alphabetis declarat, quod nos, « qui quatuor consistimus existentia [i. e. elementis: igne, aqua, aere et terra], sub quatuor recte plangamur literarum alphabetis », et quod Ieremias « praesenti saeculi delicta quadrato legat alphabeto et ad lamenta omnia invitet ». Solonde addit: Neque igitur est credendum, quod tot literae [a quibus in Hebraica lingua unusquisque versus incipit] vacent a mysterio, cum nec minus apex totae praeterpunendus sit in Lege [cfr. Matth. 5, 18.]. Unde quod singulae literae [sic] interpretentur, intelligentia singulis sententiis est reddenda. Nam aleph *doctrina* interpretatur etc. Cfr. etiam Raban., XVIII. Exposit. super Ierem.

[3] Num. 27. Ibid. n. 28. de seq. comparatione.

[4] Matth. 17, 11. Cfr. supra pag. 102, nota 6.

[5] Ezech. 40, 3. seqq., mensuratione civitatis praemissa, c. 41. agit de mensuratione templi. — Gregor., XXXV. Moral. c. 8. n. 46: In Scriptura tamen sacra septenario numero aliquando secura requies aeternitatis, aliquando universitas praesentis huius temporis, aliquando autem sanctae Ecclesiae universitas designatur. Cfr. II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 1: Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur.

[6] Libr. II. Erudit. didascal. c. 5: Ternarius quoque propter indissolubile mediae unitatis vinculum congruit animae refertur, sicut quaternarius, quia duo media habet, eisque dissolubilis est, et proprie ad corpus pertinet. — De praecedentibus cfr. supra Breviloq. p. II. c. 3. et 4.

[7] Cap. 12. n. 23. seqq. Codd. allegant VI, in quo tamen pauca occurrunt; cfr. VI. c. 17. n. 57. Pro *usque ad quatuor* BDE *usque ad undecim;* August., loc. cit., solvens quaestionem: cur ab uno ad *decem* progressus, et inde ad unum reditus in numerando fiat, ostendit, quod ab uno usque ad *quaternarium* tantum fit moderata progressio sive proportio; unum autem, duo, tria et quatuor simul iuncta reddunt *decem*. Cfr. Iom. IV. pag. 29, nota 9.

[8] Rom. 11, 36.

[9] Eph. 3, 18.

Digitized by Google

ram, quae explicat decursum mundi; et secundum hunc numerum tradi debuit et explicari. Describit ergo Scriptura secundum tempora *originalia*, *figuralia*, *gratiosa* seu salutifera.

Decursus mundi sex tria tempora.

11. Tempora *originalia* consistunt in primis septem diebus, *figuralia*, ab initio mundi usque ad Christum; ubi novum tempus incipit, licet Salomon[1] dicat: *Nihil sub sole novum* — verum est secundum naturam, sed hoc est super naturam — et post sunt tempora *gratiosa*. — A temporibus *originalibus* incepit Moyses[2], et ita debuit facere, quia Scriptura primo debuit proferre *semina* tanquam terra germinans, et post, *arbores figurarum*, et postea, *fructum*. Ponuntur ergo septem dies ut *tempora originalia*. Prima dies, *lucis formatae*; secunda dies, *aquae divisae*; tertia dies, *terrae fecundae*; quarta, *lucis sidereae*; quinta, *motivae vitae*; sexta, *humanae formae*; septima, *quietis primae*.

Septem dies in primo tempore.

12. Septem autem sunt *tempora figuralia*: tempus *naturae conditae*, *purgandae culpae*, *gentis electae*, *Legis statutae*, *regalis gloriae*, *vocis propheticae*, *quietis mediae*.

In secundo 7 tempora.

13. In novo testamento similiter sunt septem tempora: tempus *collatae gratiae*, *baptismi in sanguine*, *normae catholicae*, *legis iustitiae*, *sublimis cathedrae*, *claruae doctrinae*, *pacis postremae*.

Item in tertio.

14. Accipe correspondentiam. Formatio *lucis* est seminarium formationis *naturae*, et formatio *naturae*, *collationis gratiae*. — Tempus *aquae divisae*, tempus *purgationis culpae*, tempus *baptismi in sanguine*; quia, sicut dividitur aqua ab aquis, sic purgatio in arca facta est et formam baptismi gerit, secundum beatum Petrum[3], tam baptismi sanguinis quam fluminis quam flaminis. — Dies *terrae fecundae*, tempus *gentis electae*, tempus *normae catholicae*. Terra germinavit, *Abraham* Isaac genuit, et *Isaac* Iacob[4] etc.; et Ecclesia *normam fidei* statuit, secundum quam succedunt fideles fidelibus.

Pars II. Correspondentia inter triplicata septem tempora.

De primo triplicato.

15. Dies *lucis sidereae*, tempus *Legis statutae*, tempus *normae iustitiae*. *Lux* enim distincta fuit per *solem*, *lunam* et *stellas*; *Lex* secundum *ritum colendi*, *censuram iudicandi*, *formam vivendi*, sive secundum *moralia*, *iudicialia*, *caeremonialia*; sic in Ecclesia *ramnes*, deinde *leges* per Iustinianum in unum corpus redactae; quae primo erant paganorum factae sunt Christianorum, et *regulae monasticae*, ut beati Benedicti. *Canones* respondent caeremonialibus, *politica* iudicialibus, *monastica* moralibus. — Dies *vitae motivae*, tempus *regalis gloriae*, tempus *sublimis cathedrae*, scilicet proprie Romanae cathedrae. Sicut enim una pars *vitae motivae* fuit *repentium*, alia *volatilium*; sic in Ecclesia una pars est *regum* et *Pontificum*, alia *subditorum*.

De quarto.

16. Dies *humanae formae*, tempus *vocis propheticae*, tempus *claruae doctrinae*, in quo esset vita prophetica. Et necesse fuit, ut in hoc tempore veniret unus ordo, scilicet habitus propheticus, similis ordini Iesu Christi, cuius caput esset *Angelus*, *ascendens ab ortu solis habens signum Dei viri*[5], et conformis Christo. — Et dixit, quod iam veneral. — Dies *quietis* sabbati, tempus *quietis mediae*, tempus *quietis postremae*. Tempus *quietis mediae* fuit, quando Prophetae nihil scripserunt. In Sapientia[6]: *Cum quietum silentium continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet; omnipotens sermo tuus de caelo a regalibus sedibus* etc. Et tunc fuit *silentium* Prophetarum, medium inter primam quietem et ultimam. Fuit etiam *quietum*, quia tunc in maxima pace fuit mundus totus, unde et per duodecim annos templum pacis Romae clausum fuit ante adventum Christi, quia tempore guerrae semper apertum erat et tempore pacis clausum, unde etiam portae rubiginosae factae sunt. Tunc etiam imperator describi fecit mundum; et Deus hoc ponebat in corde pagani, ut Virgo iret in Bethlehem et ibi pareret *in diversorio*[7]. — Et frequentissime inculcabat, quod non sunt a casu et a fortuna ista et consimilia posita in Scriptura, sed maxima ratione et maximo mysterio; sed qui non considerat nihil intelligit. — Fuit etiam *nox in suo cursu*, quia tunc erat summa idolatria.

De sexto.

De septimo.

17. Secundum hoc ergo tempus *naturae conditae* fuit ab Adam usque ad Noe; tempus *culpae purgandae*, a Noe usque ad Abraham; tempus *gentis electae*, ab Abraham usque ad Moysen. Elegit enim Deus Abraham, non Lot; Isaac, non Ismael; Iacob, non Esau; et Iudam, de quo natus est Christus[8]. Tempus *Legis statutae*, a Moyse usque ad Samuelem, qui unum reprobum regem inunxit et alium electum[9]. Tempus *regalis gloriae*, a David usque ad Ezechiam, in quo transmigratio decem trium facta est[10]. Tempus *vocis propheticae*, ab *Ezechia* stricte loquendo, large ab *Oziu*, qui fuit leprosus, usque ad *Zorobabel*[11]. Sub Ezechia factum

De tertio triplicato.

---

[1] Eccle. 1, 10.

[2] Gen. 1, 1. seqq. Cfr. supra Breviloq. p. II. c. 2.

[3] Epist. I. 3, 20. seq. Cfr. infra n. 24.

[4] Matth. 1, 2. seqq.

[5] Apoc. 7, 2: Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem etc. — Mox ad verba *Et dixit* secunda manus in cod. A adiecit: *frater Bonaventura* [cfr. supra pag. 356, nota 3.], *et forte intendebat de ordine S. Francisci*. Cfr. tamen infra n. 19. 29.

[6] Cap. 18, 14. seq.

[7] Luc. 2, 7. — Cfr. Iorand., I. de Regnor. et tempor. success.; Paul. Winfrid. diacon., VII. Histor. miscell., ubi de tempore Caesaris Augusti. — Per verbum *inculcabat* intelligitur S. Bonaventura; cfr. supra pag. 356, nota 3.

[8] Cfr. Gen. 12, 1. seqq.; 17, 19. seqq.; 25, 23; 29, 35. et Matth. 1, 2. seqq.

[9] Vide I. Reg. 10, 1. seqq. et 16, 1. seqq. — Superius post *Samuelem* A D E addunt: *quia in illo tempore de Lege et consequentibus*; B C habent: *quando Legem statuit Deus, quam iudices usque ad reges ubique servari fecerunt. Tempus.*

[10] Cfr. IV. Reg. 18, 10. seqq.

[11] Vide II. Paral. 26, 19. seqq. et Zach. 4, 6. seqq. — De seq. propositione cfr. Isai. 38, 8. et IV. Reg. 20, 9. seqq.

Digitized by Google

est illud magnum miraculum, quod dies habuit triginta duas horas per reversionem solis. Tempus *pacis* et *quietis*, a Zorobabel usque ad Christum.

De duratione septem temporum gratiae.

18. In novo testamento tempus *collatae gratiae*, a Christo et Apostolis, comprehendendo mortem Ioannis, usque ad Clementem Papam. — Tempus *baptismi in sanguine*, a Clemente usque ad Silvestrum, quia sub Clemente incepit magna persecutio, quando Iudaei venditi fuerunt, expulsi de Ierusalem, et Clemens cum populo missus est Chersonam in exsilium in Graeciam. Et in illo tempore medio a Clemente usque ad Silvestrum fuerunt decem maximae persecutiones. — Tempus *normae catholicae*, a Silvestro usque ad Leonem Papam primum, sub quo datum est Symbolum. — Tempus *legis iustitiae*, a Leone usque ad Gregorium Doctorem, in quo statutae sunt leges Iustinianae et canones et regulae canonicae et monasticae; in quo beatus Benedictus, qui etiam prophetavit de beato Gregorio et benedixit matrem praegnantem.

Continuatur.

19. Tempus *sublimis cathedrae*, a Gregorio usque ad Hadrianum, sub quo mutatum est imperium ad Alemannos, et divisum imperium Constantinopolitanum. Carolus magnus imperator in Ecclesia occidentali fuit, Pipinus primus rex Italiae de Francis, quia, cum insultum alienarum gentium sustinere non possent, fecerunt eum regem Italiae; et pugnavit contra regem Longobardorum et praevaluit [1]. — Tempus *clarae doctrinae*, ab Hadriano. Sed quandum durabit, quis potest dicere vel dixit? Certum est, quod in illo summo; certum etiam, quod durabit usque ad deiectionem *bestiae ascendentis de abysso*, quando confundetur Babylon et deficietur, et post dabitur pax [2]; primum tamen necesse est, ut veniat tribulatio; et ibi non est ponendus terminus, quia nullus scit, quantum tempus illud magnae pacis duret, quia, *cum dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*. — Tempus autem septimum sive *quietis* incipit a clamore Angeli, qui *iuravit per viventem in saecula saeculorum, quod tempus amplius non erit; sed in diebus vocis septimi Angeli consummabitur mysterium Dei* [3].

Confirmatur per Scripturam.

20. Sed septem tempora Ioannes Apostolus in Apocalysi comprehendit septem visionibus, et quaelibet istarum est septiformis et consurgit ad numerum iubilaei [4]. — Haec septem tempora forte claudunt in Psalterio, ubi sunt tres quinquagenae.

Per illa Correspondentia mysteriorum temporum figuralium ut novi testamenti.

21. Accipe adhuc correspondentiam temporis *figuralis* et *salutaris*. — In tempore *naturae conditae* et *salutaris* tria fuerunt: *formatio hominis* de terra; secundum *tentatio, transgressio* et *nudatio;* tertium *eiectio*, et unus filius interfecit alium, et ideo omnes filii, qui nati sunt de Cain, mali fuerunt et omnes perierunt [6]. — In novo testamento post scripturam universalem et temporum cursus formatus est Christus, sicut homo sexta die, qui *praesit volatilibus caeli et piscibus maris* [6]; sicut dicit Psalmus: *Quid est homo, quod memor es eius; aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves universas, insuper et pecora campi. Volucres caeli et pisces maris* etc. Et quod intelligatur de Christo, Apostolus dicit: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum* etc.; sequitur: *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum*. Homo conditus de terra virginea, quae nondum sanguinem susceperat, significat Christum de Virgine natum; sicut etiam Eva de latere Adae formata [7], sic Ecclesia de Christi latere. — Sed cum Christus nunquam praevaricatus fuerit, quomodo sibi correspondet transgressio Adae? Hoc transferri debet a capite ad membra.

De tribus materiis primi temporis. Correspondentia periti.

Notandum.

De Ecclesia primitiva.

22. Notandum, quod Ecclesia posita fuit in paradiso, sicut primus homo, *ut operaretur* [8], cum nullus *aliquid suum esse diceret*. Incepit enim in magna perfectione quod modo in religiosis observatur, quia amor Christi adhuc recens erat; tunc *multa turba sacerdotum obediebat fidei*. Haec Ecclesia, scilicet quae incepit in Iudaeis, quia convertebantur modo tria millia, modo quinque millia [9], habuit *lignum vitae*, scilicet fidem, quia *iustus meus ex fide vivit;* habuit etiam *lignum scientiae*, scilicet Legem, quae remansit sibi ad videndum et legendum, non ad vescendum; immo *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris* [10]. Unde *lignum scientiae* potes *videre*, non *manducare*, quia destruere is quidquid Christus fecit; et necesse esset, subintrare mortem, quia *littera occidit*. Unde Paulus dixit:

Notandum.

---

[1] Hug. a S. Vict., X. Excerpt. prior. c. 6. refert, quod Carolus, annuens votis Hadriani Papae, venit in Italiam, regem Longobardorum Desiderium cepit et in exsilium misit ac subiectae Italiae filium suum Pipinum regem constituit.

[2] Cfr. Apoc. 17. et 18. — Subinde respicitur Matth. 24, 21: Erit enim tunc tribulatio magna etc., et allegatur I. Thess. 5, 3.

[3] Apoc. 10, 6. et 7. Vulgata plura interficit.

[4] Levit. 25, 8. seqq.: Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quae simul faciunt annos quadraginta novem, et clanges buccina mense septimo... sanctificabisque annum quinquagesimum... ipse est enim iubilaeus.

[5] Cfr. Gen. 4, 8. seqq. Vide Hieron., Epist. 36. (alias 125.) n. 4. seqq., et August., XV. de Civ. Dei, c. 17.

[6] Gen. 1, 26. — Seq. locus est Ps. 8, 5. seqq.; tertius Hebr. 2, 7-9.

[7] Gen. 2, 21. seqq. Cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 1, ubi etiam de ipsius significatione, scilicet Ecclesiae de latere Christi. — Simile de translatione a capite ad membra habetur supra collat. 14. n. 23. 24.

[8] Gen. 2, 15. — Seq. locus est Act. 4, 32, tertius ibid. 6, 7.

[9] Act. 2, 41: Et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia; 4, 4: Et factus est numerus virorum quinque millia. — Subinde respicitur Gen. 2, 9: «Lignum etiam vitae in medio paradisi lignumque scientiae boni et mali»; et allegatur II. Cor. 3, 6. ac Hebr. 10, 38. Cfr. supra pag. 378, nota 4.

[10] Gen. 2, 17. — Seq. locus est II. Cor. 3, 6; tertius Gal. 5, 2.

Digitized by Google

Ego Paulus dico vobis, quod si circumcidamini, Christus vobis nil proderit.

23. Doctores autem illi significantur per Adam fecundantem, qui incumbentes super Legem, quasi amantes uxorem, comederunt de *ligno scientiae*, ut Legem observarent, et consenserunt serpenti, qui suadebat Legem observandam; et inde orta est haeresis Ebionitarum [1], quod Lex observanda esset cum Evangelio; et fuit tantus zelus Legis, ut Petrus iret in illam simulationem; sed gratia Dei ipsum liberavit. — Et inde sequitur *eiectio*, quod Deus ab eis recessit; et dispersi sunt et maledicti sunt *in opere suo* [2] et quasi a duobus ursis, Tito et Vespasiano, devorati sunt. Et sic Cain, scilicet populus Iudaeorum, occisor fratris sui, signum habuit.

Correspondentia secunda. Tertia.

24. In tempore *culpae purgatae* similiter fuerunt tria: *fabricatio arcae, ostensio arcus, divisio linguarum* [3]. Noe per centum annos fabricavit arcam, in qua Noe cum septem animabus salvatus est. Cuius typum gerit baptismus, secundum quod dicit beatus Petrus, et *flaminis* et *flaminis* et *sanguinis*. — In novo testamento Clemens in hac arca contutatus est, quia praeparatum est sibi templum marmoreum in mari angelicis manibus, et alii submersi sunt. Unde fuit magnum miraculum, quod per tot annos aperiebatur mare, donec piratae et latrones asportaverunt corpus eius [4].

De tribus secunda temporis. Correspondentia prima.

25. Aliud fuit *ostensio arcus*; et tunc eduxit Deus Noe et pepigit cum eo foedus. — In novo testamento decem tribulationes fuerunt, ita ut Christiani possent dicere: *Domine, salva nos, perimus* [5]. Et tunc eductus est Constantinus, et ostensum est sibi signum crucis in caelo, in quo vincere deberet; et tunc pepigit foedus, quod nunquam Romanum imperium persequeretur Christianos. — Tunc *imperium Nemrod* dissipatum est, et *turris Babylonis*, scilicet Romani, ad quam tunc omnes aspiciebant. Roma autem in Scripturis *Babylon* dicta est. Facta est etiam *divisio linguarum*, et lingua Hebraea remansit in domo Heber, et remansit confessio Christi in populo christiano.

Secunda. Tertia.

26. In tempore *gentis electae* tria facta sunt: *generatio* Patriarcharum, *descensus* patriarchalis seminis in Aegyptum, *afflictio* populi et liberatio eius. — In novo testamento similiter Pontifici Romano datum est *semen Doctorum* altissimorum in Graeca et Latina lingua quasi Patriarchae duodecim. *Graeci*: Epiphanius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Athanasius, Chrysostomus; *Latini*: Hieronymus, Augustinus, Hilarius, Ambrosius, Orosius, Gregorius. — Post imperator *descendit* Constantinopolim, et alii post eum, et ibi obtinuerunt bona quaeque. — Mortuo Constantino, surrexit Constantius, *qui ignorabat Ioseph* [6], pessimus Arianus: et post Valentinianus et Iulianus, apostata pessimus, et *afflixerunt* populum Dei per haereses usque ad tempus Theodosii, qui natus est in occidente, qui fuit christianissimus, qui deiecit et exstirpavit Arianos et exaltavit Ecclesiam.

De tribus tertii temporis. Correspondentia prima. Secunda. Tertia.

27. In tempore quarto, scilicet *Legis statutae*, fuit *latio Legis*, *prostratio hostium*, *distributio* et vindicatio hereditatum. — In novo testamento, scilicet a Leone usque ad Gregorium, lata est *lex canonica*, *politica*, *monastica*. Leo enim partim ex quatuor Concilibus, partim ipse canones ordinavit. — Item, *prostratio hostium* similiter per Iustinianum, qui Vandalos, Gothos, Longobardos, qui illas partes Italiae invaserant, superavit. — Item, *distributio hereditatum*, quia Gallia, Britannia, Germania conversa est ad fidem in plenitudine, et dilatata est Ecclesia in occidente, licet adhuc essent idolorum templa in Francia; sed dilatatio fuit in *terra promissionis*, non in Aegypto, non circa Graecos, sed circa Latinos.

De tribus quarti temporis. Correspondentia prima. Secunda. Tertia.

28. In quinto tempore, scilicet *regalis gloriae*, fuerunt tria: *deiectio* superbi regis, *ampliatio* cultus divini, *divisio* decem tribuum a duabus. — In novo testamento tempore *sublimis cathedrae* a Gregorio usque ad Hadrianum patriarcha Constantinopolitanus contendebat cum Romano et dicebat se patriarcham catholicum, hoc est *universalem*, et fuit excommunicatus et humiliatus, et thronus David exaltatus, sicut Petro promiserat Dominus [7]. Similiter, Gregorius, adhuc iuvenis et nondum Pontifex pugnavit cum Eutychio, qui negabat resurrectionem, et devicit eum in conspectu populi, ut David Goliam. —

De tribus quinti temporis. Correspondentia prima.

---

[1] De qua vide Iren., I. contra Haereses, c. 26. n. 2: Et circumciduntur ac perseverant in his consuetudinibus, quae sunt secundum Legem etc. — Subinde respicitur Gal. 2, 11. seq. (de Petro); cfr. IV. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 2.

[2] Respicitur Gen. 3, 17: Maledicta terra in opere tuo. Libr. IV. Reg. 2, 24: Egressique sunt duo ursi de saltu et laceraverunt etc.

[3] Gen. 6, 14. seqq; 9, 12. seqq. et 11, 7. seqq. — I. Petr. 3, 20. seq.: In diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo, animae salvae factae sunt per aquam; quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma.

[4] Cfr. Acta martyrii S. Clement.; Metaphrast., in Vita S. Clement. n. 6; Nicephor., III. Histor. eccles. c. 18.

[5] Matth. 8, 25. — Inferius respicitur Gen. 10, 8. seqq. (de Nemrod) et 11, 4. seqq. (de turre Babel et divisione linguarum). Ibid. v. 14. seqq. de *Heber*. Cfr. August., XVIII. de Civ. Dei, c. 2. n. 2, ubi dicitur « Babylonia, quasi prima Roma »; et XVI. c. 11. n. 1: Non defuit [apud Babylon in divisione linguarum] domus Heber, ubi ea quae antea fuit omnium lingua remaneret... Quia ergo in eius familia remansit haec lingua... ideo deinceps *Hebraea* est nuncupata. Cfr. ibid. XVIII. c. 39.

[6] Exod. 1, 8: Surrexit interea rex novus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph [quo figuratur Christus; cfr. supra collat. 14. n. 21.]. — De Theodosio cfr. Socrat., IX. Histor. tripart. c. 7, et Nicephor., XII. Histor. eccles. c. 2. et 15.

[7] Matth. 16, 18. — De pugna Gregorii cum Eutychio vide ipsius XIV. Moral. c. 56. n. 72. seqq. Libr. II. Reg. 6, 12: Et adduxit [David] arcam Dei... et erant cum David septem chori etc.; ibid. 24, 16. seq. de Angelo percutiente Ierusalem. — Paulus Winfridus diaconus in Vita Gregorii n. 11. narrat,

Digitized by Google

Secunda. Sicut etiam David ampliavit cultum, sic iste ordinavit officium; et sicut David ducebat arcam cum septem choris, sic iste fecit processionem cum septem choris; et sicut David vidit Angelum percutientem super Ierusalem et promeruit, ut cessaret, sic iste super Romam et promernit, ut cessaret. —

Tertia. Sicque factum est, quod Graeci, videntes, Ecclesiam Romanam exaltari, divisi sunt et ceciderunt in haeresim Eutychianam, et hoc tempore Iteraclii, qui primo fuit bonus et postea cecidit in haeresim. Post illum nunquam fuit imperator in oriente. Sicut etiam Assyrii vastaverunt Iudaeos, sic Saraceni occupaverunt Ecclesiam Antiochenam, Hierosolymitanam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, usque Siciliam. Sicut illae decem tribus ceciderunt et recesserunt a a domo David; sic illae Ecclesiae, quia ceciderunt et recesserunt a Petro, cui dictum erat [1]: *Tibi dabo claves regni caelorum*, inciderunt in lupos.

De tribus sexti temporis. Correspondentia primi

29. In sexto tempore facta sunt tria: *praeclaritas victoriae, praeclaritas doctrinae, praeclaritas vitae propheticae.* — Praeclaritas *victoriae* in Sennacherib, qui venit contra Ierusalem, et Angelus Domini interfecit *centum octaginta quinque millia* [2]. Et Ezechias contra naturam sanatus est, et sol abiit retro. — Similiter, in tempore Hadriani per Carolum, qui miraculose fecit triumphos quasi missus Angelus a Domino, et sol, id est aestus tribulationis, abiit retro, et facta est pax Ecclesiae, ut postea statueret archiepiscopos, episcopos et coenobia. — Hoc tempore fuit *claritas doctrinae*, quia Carolus vocavit clericos et scripsit libros, ut in sancto Dionysio [3] Biblia et in multis locis, et inceperunt legere et philosophari, et religiosos etiam dilatavit. — Hoc tempore oportuit venire vitam per ordinem, qui haberet *vitam propheticam.* Hoc autem tempus est geminum, unde, sicut in passione Domini fuit primo lux, deinde tenebra, postea lux; sic necesse est, ut primo sit lux doctrinae, et succedat Iosias Ezechiae [4], post quam facta est tribulatio Iudaeorum per captivitatem. Necesse est enim, ut surgat unus princeps zelator Ecclesiae, qui vel erit, vel iam fuit — et addidit: Utinam iam non fuerit — post quem [5] fit obscuritas tribulationum. Hoc tempore similiter Carolus exaltavit Ecclesiam, et eius successores oppugnaverunt eam: tempore Henrici quarti fuerunt duo Papae, similiter tempore Frederici magni, duo. Et certum est, quod aliquis inter eos voluit exterminare Ecclesiam; sed *Angelus ascendens ab ortu solis clamavit quatuor Angelis: Nolite nocere terrae et mari, quousque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum* [6]. Unde adhuc restat Ecclesiae tribulatio. Et dictum est Angelo Philadelphiae, qui sextus est: *Haec dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David; qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit. Scio opera tua, quia ecce, dedi coram te ostium apertum.* — Et dixit, quod adhuc intelligentia Scripturae daretur vel revelatio vel clavis David *personae* vel *multitudini;* et magis credo, quod multitudini.

Secunda. Tertia. Notandum.

30. In septimo tempore scimus quod haec facta sunt: *reaedificatio templi, restauratio civitatis* et *pax data.* Similiter in tempore septimo *futuro erit reparatio divini cultus* et *reaedificatio civitatis.* Tunc implebitur prophetia Ezechielis [7], quando civitas descendet de caelo, non quidem illa *quae sursum est*, sed illa quae deorsum est, scilicet *militans;* quando erit conformis triumphanti, secundum quod possibile est in via. Tunc erit aedificatio civitatis et restitutio, sicut a principio; et tunc *pax* erit. Quantum autem duraldt illa pax, Deus novit.

De tribus ultimis temporis.

31. Igitur cum sint septem tempora et in veteri testamento et in novo, et quodlibet triforme, vel in quolibet tria sint; septenarius multiplicatus per ternarium bis, quadraginta duo facit; et istae sunt quadraginta duae mansiones, quibus perveniur ad terram promissionis [8]. — Et sic patet, quomodo Scriptura describit successiones temporum; et non sunt a casu et fortuna, sed mira lux est in eis et multae intelligentiae spirituales.

Epilogus.

Gregorium tempore pestis *litaniam septiformem* instituisse ad plorandum Deum. Idem Paulus, III. de Gestis Longobard. c. 24. ait: *Septiformis* autem *litania* ideo dicta est, quia omnis urbis populus a beato Gregorio in septem partes deprecatorum Dominum est divisus, in primo namque choro fuit omnis clerus, in secundo omnes abbates cum monachis suis, in tertio omnes abbatissae cum congregationibus suis, in quarto omnes infantes, in quinto omnes laici, in sexto universae viduae, in septimo omnes mulieres coniugatae. Cfr. Gregor. Tur., X. Histor. c. 1; Ioan. Diacon., I. S. Gregor. Magni vita, n. 42. et I. S. Gregorii Magni vita ex eius scriptis adornata, n. 6.

[1] Matth. 16, 19.

[2] Libr. IV. Reg. 19, 35; ibid. 20, 1. seqq. de Ezechia.

[3] Scilicet in monasterio S. Dionysii Parisiis.

[4] Cfr. IV. Reg. 22. et 23; II. Paralip. 34. et 35. — Verba subinde et aliquanto inferius posita *Et addidit* ac. *Et dixit* referuntur ad S. Bonav.; cfr. supra pag. 356, nota 3.

[5] Ita E (a secunda manu, B (E primitus) *postquam sit*, Vat. *priusquam sit.*

[6] Apoc. 7, 2. seq. A Vulgata plura interseruntur. — Seq. locus est ibid. 3, 7. seq. et 1, 11. Ecclesia Philadelphiae *sexto* loco ponitur.

[7] Cap. 40. seqq., ubi de reaedificatione civitatis, templi etc. — Apoc. 21, 2: Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam, descendentem de caelo etc. Gal. 4, 26: Illa autem, quae sursum est Ierusalem, libera est etc.

[8] Vide Num. 33, 1. seqq.

Digitized by Google

COLLATIO XVII.

De tertia visione tractatio quinta, quae agit de theoriis Scripturae significatis per *fructus*, scilicet de considerationibus reficientibus intellectum et affectum, et primo quidem de reficientibus intellectum.

SUMMARIUM. — *Introductio; repetitio*, 1. — Pars I. De theoriis, quae consistunt in considerationibus salutarium refectionum in genere. *Hi fructus reficiunt intellectum et affectum. Multorum panis insipidus est*, 2. — *Ista refectio innititur in Scriptura*, 3. 4. — *Anima, in qua plantata est Scriptura, est paradisus, est hortus conclusus et fons signatus*, 5. — Pars II. De refectione intellectus in specie. *Quid sit anima sine intelligentia veritatis; ipsa indiget obiectu, quod firmet instabiles cogitationes*, 6. — *Hoc praebet Scriptura*, 7. — *Ipsa illustrat intellectum per duodecim aspectus*, 8. — *Primo, ab intra per interna spectacula; secundo, ab extra per exempla proposita*, 9. — *Tertio, a supra per divina promissa*, 10. — *Quarto, ab infra per inferni tormenta*, 11. — *Quinto, antrorsum per praecepta directiva*, 12. — *Sexto, retrorsum per districta iudicia*, 13. — *Septimo, dextrorsum per severa solatia*, 14. — *Octavo, sinistrorsum per benigna flagella*, 15. — *Nono, ex opposito ostendendo acies triplicis belli*, 16-18. — *Decimo, in gyro ostendendo undique praesidia*, 19. — *Undecimo, e longinquo per figurarum signa duodecim in omnibus creaturis*, 20-24. — *Periculum pro theologo est in nimia naturalium rerum investigatione*, 25. — *Duodecimo, e vicino per gratiarum dona; duplex utilitas: exterior et interior*, 26. — *Circa haec duodecim mysteria est tum lignum vitae tum lignum scientiae boni et mali*, 27. — *Epilogus de tempore futuro, quando non erit defensio per rationem, sed per auctoritatem*, 28.

Introductio. Repetitio. 1. *Protulit terra herbam virentem*[1] etc. Dictum est, quod visus intelligentiae per Scripturam eruditae versatur circa tria: circa *intelligentias spirituales*, quae intelliguntur per *congregationes aquarum*; circa *figuras sacramentales*, per *germinationem herbarum* et *arborum*; circa *theorias multiformes*, per *multiplicationem seminum* et *refectionem arborum*. Istae theoriae consistunt in *considerationibus temporum sibi succedentium*, quae sunt seminaria quaedam et in *correspondentia* eorumdem; aliae theoriae consistunt in *considerationibus salutarium refectionum*; quia *non in solo pane vivit homo*[2]. Considerare debet homo, ex quo pascatur, scilicet eloquio Scripturae; unde est *lignum faciens fructum*. Indiget enim *intellectus* refectione, indiget et *affectus*. Argumentum considerationis.

2. Primo dicendum de refectione *intellectus*. Sed, sicut dicit Apostolus[3], *laborantem agricolam oportet prius edere de fructibus*; quia praedicator oportet quod prius sit imbutus et dulcoratus in se, et post aliis proponat. Multi tamen volunt videri prophetae et audiri tanquam prophetae; et panis eorum vel cibus insipidus est et male coctus et frigidus, et detinent populum et parum proficiunt. Pars I. De theoriis reficientibus in genere. Monitio ad praedicatores.

3. Notandum, quod sicut fructus oblectat visum et gustum, tamen principalius *visum* oblectat sua pulcritudine et decore, *gustum* vero dulcore et suavitate; sic et istae theoriae reficiunt *intellectum* suo decore et *affectum* sua suavitate. — Hoc innuit Scriptura dicens[4]: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in qua posuit hominem* etc. Hoc dictum est per recapitulationem post septimum diem, quia ista plantatio facta fuit tertia die. Fructus hi oblectant visum et gustum. Scriptura.

4. Sequitur[5]: *Produxitque omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave: lignum vitae in medio paradisi, lignum scientiae boni et mali*, ut intellectum suo decore reficeret et affectum suavitate. Consummatio autem erat in ligno vitae, si lignum scientiae caveretur. *Terra* ergo est Scriptura, quae produxit *omne lignum pulcrum visu* quantum ad *intellectum*, *et ad vescendum suave* quantum ad *affectum*, scilicet multiformes theorias *oblectantes et reficientes*. In paradiso *caelesti* non est plantatio nisi rationum aeternarum; et licet ibi sit refectio de praedestinationibus *omnium* Sanctorum, potissime tamen gaudebo de *mea* praedestinatione; et hoc innuit Salvator[6]: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt* Paradisus caelestis.

---

[1] Gen. 1, 12. — In seqq. datur summa collat. 13-16.

[2] Matth. 4, 4. — Subinde allegatur Gen. 1, 12: Lignumque faciens fructum.

[3] Epist. II. Tim. 2, 6.

[4] Gen. 2, 8.

[5] Gen. 2, 9.

[6] Luc. 10, 20. — Seq. locus est II. Cor. 12, 2.

Digitized by Google

in caelis. — Paulus potuit loqui de paradiso *caelesti*, qui raptus fuit *usque ad tertium caelum;* nos nescimus, sed loquimur de *terrestri.*

Anima est paradisus.

5. Est autem anima *paradisus*, in qua plantata est Scriptura, et habet mirabiles suavitates et decores. Unde in Cantico[1]: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus.* Anima est hortus, in qua sunt sacramentalia mysteria et spirituales intelligentiae, ubi scaturit *fons spiritualium emissionum;* sed *conclusus* est et *fons signatus*, quia non patet immundis, sed illis, de quibus: *Novit Dominus qui sunt eius.* Hunc hortum sapientia aeterna diligit et circa eum versatur; unde in Ecclesiastico[2]: *Ego sicut fluvius Dorix exivi de paradiso.* Hunc hortum rigavit ille qui omnes plantat; quam enim plantationem non plantat, illa eradicabitur. *Omnis plantatio,* inquit, *quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur.* Sequitur: *Dixi: Rigabo hortum meum plantationum et inebriabo prati mei fructum.* — *Rigat* autem sanguine, quo aspersus est liber et omnis populus; rigat etiam affluentia Spiritus sancti manantis ab ipso, quam Scriptura habet, et quam invenimus in Scriptura. Haec sunt ergo ligna pulcra visu et ad vescendum suavia ratione fructuum pulcrorum et dulcium.

Hortus conclusus. fons signatus.

Pars II. De refectione intellectus in specie.

Quid sit anima sine veritate.

6. De *refectione intellectus* dicendum. Sicut enim corpus sine cibo perdit virtutem, decorem et sanitatem; sic anima sine intelligentia veritatis *tenebrescit* et *infirma, deformis* et *instabilis* fit in omnibus; oportet ergo relici. Hinc est, quod mens vagabunda, non habens cibum discurrit et est instabilis. Unde: *Peccatum peccavit Ierusalem; propterea instabilis facta est*[3]; et ideo, eiecta de paradiso, vagatur et dat *pretiosa quaeque pro cibo ad reforillandam animam.* Unde haec est passio misera. Propter quod nihil sanius, nisi ut figantur cogitationes, ne vagentur in malum. — Unde Ioannes Cassianus[4] venit cum multis ad quendam sanctum Patrem et conquestus est de instabilitate cogitationum, et quod in nullo poterat firmare intellectum. Et ille respondit: Si unquam versificati fuerant, et si tunc de illis cogitabant. Responderunt, quod in tantum, quod vix de aliquo alio cogitare poterant, immo etiam dormiendo cogitabant. Dixit ille, quod illud erat propter consuetudinem. Unde oportet assuescere circa rem aliquam, quae, cum in mentem venerit, non sit mala.

Ipsa lodiet obiecto figendo mentem.

Exemplum

Hic dat Scriptura.

7. Haec autem est *Scriptura*, ubi non unum, sed multa inveniuntur, in quibus est delectatio spiritualis; et sic non exibimus hortum paradisi, sed est anima ut *operans* et *custodiens*[5] et facit sibi ex ea hortum parvum in mente deliciosum. — In hac sola scientia est delectatio, non in aliis. Philosophus dicit, quod magna delectatio est scire, quod diameter est asymeter costae; haec delectatio sit sua; modo comedat illam.

Ipsa delectat.

Ipsa dat 12 aspectus.

8. Egreditur autem de Scriptura quaedam lux seu illustratio in intellectum iunctum imaginationi, ut non pateat egressus sapienti, et hoc aspiciendo ad duodecim, scilicet intra, extra, supra; infra, ante, retro; dextrorsum, sinistrorsum; ex opposito, in gyro; e longinquo, e vicino.

Primo, per interna spectacula.

Secundo per exempla.

9. Illustrat Scriptura suis pullulationibus *ab intra* per *interna spectacula;* proponit enim spiritualia spectacula nobilia, quae specialiter sunt radicalia fidei; *ab extra* per *exempla extrinseca*, de quibus tota Scriptura est plena. Si vis exemplum *patientiae*, respice Iob et Tobiam; si *magnanimitatis*, respice David contra Goliam, et Iudam Machabaeum; si *fidei* exemplum, Abraham et Virginem gloriosam, cuius fides transcendit fidem Abrahae. Abraham enim credidit, posse se habere filium de sterili sene; sed Maria, quod Virgo conciperet de Spiritu sancto, credidit; neque concepisset, nisi credidisset[6]. Si exemplum *caritatis*, vide Moysen, qui dixit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Si exemplum *misericordiae*, in Ecclesiastico: *Hi sunt viri misericordiae, quorum pietates non defuerunt.* Si de *iustitia, fortitudine, prudentia, munditia*, de omni virtute honesta proponit tibi exempla. Quia virtus consistit circa operationes particulares, ideo non sufficit regula interius directiva, nisi sit exemplum particulare; et ideo Scriptura utrumque ponit. Contra iram dedit regulam: *Responsio mollis frangit iram*[7]; vide exemplum de Abigail, quae fregit iram David.

Tertio, per divina promissa.

10. Item, illustrat a *supra per divina promissa;* docet enim Scriptura de his quae sunt supra. Unde

---

[1] Cap. 4, 12. seq. Infra in opusculo de plantatione paradisi in anima multa conveniunt cum seqq. — Inferius allegatur II. Tim. 2, 19: Cognovit Dominus qui sunt eius.

[2] Cap. 24, 41. Vulgata: *Dorix, et sicut aquaeductus exivi.* — Seq. locus est Matth. 15, 13; tertius Eccli. 24, 42. Subinde respicitur Hebr. 9, 19: Accipiens sanguinem vitulorum... ipsum quoque librum et omnem populum aspersit.

[3] Thren. 1, 8, ibid. v. 11. seq. locus.

[4] Collat. 1. c. 16. seq. eadem res, sed aliis verbis proponitur. Cfr. collat. 10. c. 12. seq.

[5] Respicitur Gen. 2, 15: Tulit ergo Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. — Sententia Philosophi habetur I. Topic. c. 13: Amplius, si huic quidem est *aliquid* contrarium, illi autem *simpliciter nihil* [nomen accipitur diverso sensu]: ut ei quae est a potu delectationi ea quae est a siti tristitia, contrarium, ei autem, quae est ab eo quod est considerare, quod diameter est costae incommensurabilis, *nihil* [contrarium est, ideoque simpliciter delectabile]; quare multipliciter delectatio dicitur. — Mox pro *hortum parvum in mente deliciosum* B *hortum et menti deliciosum.*

[6] Cfr. Gen. 15, 2. seqq.; 17, 15. seqq; 18, 11. seqq., et Luc. 1, 26. seqq. — Seq. locus est Exod. 32, 31. et 32; tertius Eccli. 44, 10: Sed illi viri misericordiae sunt, quorum etc.

[7] Prov. 15, 1. De Abigail vide I. Reg. 25, 3. seqq. — Aristot., II. Ethic. c. 3. et 6. docet, virtutem versari circa actiones, quae, ut idem (I. Metaph. c. 1.) ait, « omnes circa singulare sunt ».

Digitized by Google

Apostolus [1]: *Scimus, quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis*; et: *In domo Patris mei mansiones multae sunt*, ait Salvator; in Psalmis dicitur: *Filii hominum sub umbra alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos, quoniam apud te est fons vitae; et in lumine tuo videbimus lumen*; et illud Apocalypsis: *Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitae fontes aquarum*; et in Psalmo: *Delectationes in dextera tua usque in finem*. Proponit ergo nobis *divina promissa*.

11. Item, illustrat *ab infra* proponendo *inferni tormenta*. Psalmus [2]: *Pluet super peccatores laqueos; ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum*; Apocalypsis: *Et pars eorum in stagno ignis et sulphuris. Et ascendet fumus tormentorum eorum in saecula saeculorum*. Haec proponit Scriptura a principio, ubi dictum est, quod *tenebrae erant super faciem abyssi*, usque ad finem. — Proponit ergo *interna spectacula, extrinseca exempla, caelestia promissa, inferni supplicia*. Quarto, per inferni tormenta.

12. Si ista tibi non sufficiunt, sed vis exire et alibi quaerere refectionem intellectus; adhuc dabit tibi alias arbores, alios fructus, in quibus potes refici. Illustrat *antrorsum* per *praecepta directiva*; *retrorsum*, per *districta iudicia*; *dextrorsum*, per *severa solatia*; *sinistrorsum*, per *dulcia* seu *benigna flagella*. — Oportet enim lumen habere *ante se*. *Mandatum* enim *lucerna est, et lex lux* [3]; haec dirigit in caelum, unde: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, quibus adduntur *consilia*; haec proponit nobis Scriptura ubique. Unde in illo Psalmo: *Beati immaculati*, et: *Legem pone mihi, Domine, viam iustificationum tuarum* etc., in omni versu fit mentio de mandatis vel sub nomine *legis*, vel *testimonii*, vel *eloquii*, vel alicuius nominis *aequivalentis*. Unde etiam apud Hebraeos omnes versus unius octonarii ab eadem littera incipiunt; quod non potuit servari apud nos, ut viginti duae litterae respondeant viginti duobus octonariis; et quilibet habet octo versus. Unde etiam Augustinus [4] turbatus fuit circa tantam identitatem; quod tamen est magna scientia et mira varietas. Nam et ipse Augustinus semel vidit unam arborem pulcherrimam, habentem viginti duos ramos, et quilibet habebat octo ramusculos, et de illis guttae dulcissimae roraiant. Et intellexit, quod illa arbor esset Psalmus: *Beati immaculati in via*. Unde meditatio legis summe necessaria est; Psalmus [5]: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, sed in lege Domini fuit voluntas eius. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*. In Ecclesiastico: *In multis operibus eius ne fueris curiosus, sed quae praecepit tibi, illa cogita semper*. Quinto, per praecepta directiva.

13. Item, illustrat *retrorsum* per *districta iudicia*. Semper enim fecit Deus districta iudicia de transgressionibus praeceptorum, ut de lucifero, de Adam, de uxore sua, de Cain, de luxuriosis, super quos diluvium venit, de superbis, qui aedificaverunt turrim, de Chananaeis, de Israel. Similiter, novum testamentum plenum est iudiciis. Iudicium autem est *retro*, praeceptum *ante*. Iudicium respicit praeceptum; si transgredieris, puneris; nisi sequaris lucem dirigentem, gladius perentiet te; Psalmus [6]: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Arcus*, iudicium Scripturae; *duritia ligni*, vetus testamentum; *rhorda*, quae lignum flectit, novum testamentum; iudicia leviora et duriora, *sagittae*. Psalmus: *Lex Domini immaculata convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa* etc. Sexto, per districta iudicia.

14. Item, *dextrorsum* illustrat per *severa solatia*. Nec sine causa dicuntur *solatia severa* et *flagella benigna*, quia *solatia* sunt periculosa. Vide Adam, Saul, Salomonem, Ieroboam idololatram et primum angelum, quibus omnibus solatia temporalia et excellentiae fuerunt occasio ruinae. Sunt autem occasio ruinae, quando placent; quando autem non placent, non se ingerit homo. Unde Christus noluit habere solatium temporale, quia *cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis* [7] etc. Plus debet quis velle esse in ista parte, in qua pauciores cadunt. Septimo, per severa solatia.

15. Item, *sinistrorsum* per *benigna flagella* illustrat. Unde Dominus permisit, Abel iustissimum Octavo, per benigna flagella.

---

[1] Epist. II. Cor. 5, 1. — Seq. locus est Ioan. 14, 2; tertius Ps. 35, 8-10. Vulgata *in tegmine* pro *sub umbra*. Quartus est Apoc. 7, 17; quintus Ps. 15, 10.

[2] Psalm. 10, 7. — Seq. locus est Apoc. 21, 8; Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure. Tertius [*Et ascendet*] est Apoc. 14, 11; quartus Gen. 1, 2.

[3] Prov. 6, 23. — Seq. locus est Matth. 19, 17; ibid. v. 21. de consiliis; tertius Ps. 118, 1. et 33.

[4] Quod hic et paulo inferius de Augustino affertur invenire non potuimus. In fine expositionis huius Psalmi (serm. 32. n. 8.) ipse tangit ea quae hic praemittuntur, scil. quod octoni versus singulis litteris alphabeti Hebraei subiecent, et quod hoc neque in translatione Graeca neque Latina inveniri potuit. Cfr. de hoc Hilar., Tractat. in Ps. 118. Prolog. n. 1. seqq.; Ambros., in Ps. 118. Prolog. n. 1. seqq. et Haymo in eundem Ps.

[5] Psalm. 1, 1-3. Post *impiorum* a Vulgata plura annectuntur. — Seq. locus est Eccli. 3, 22.

[6] Psalm. 7, 13. et 14. August., Enarrat. in Ps. 7. n. 14: *Arcum* ergo istum Scripturas sanctas libenter acceperim, ubi fortitudine novi testamenti, quasi nervo quodam, duritia veteris flexa et edomita est. Hinc tanquam sagittae emittuntur Apostoli, vel divina praeconia iaculantur. — Seq. locus est Ps. 18, 8. et 10. seqq.

[7] Psalm. 90, 7. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 90. serm. 1. n. 9. seqq.

Digitized by Google

Alio exemplo. intertici. Vide Noe, qui centum annis fabricavit arcam, et posuit ibi quidquid habebat; et totus mundus ipsum deridebat. — Et addidit hic, quod rex Franciae non posset hodie talem facere, qui consederat eam secundum suam mensuram cubitorum geometricorum [1]. — De Abraham similiter, Isaac et Jacob, qui peregrinati fuerunt; et Joseph, qui exaltari non potuerat, nisi praecessisset vendito, incarcerato et humiliato. Vide Moysen, quem Deus delectabat praeponere toti mundo, quomodo fuit humiliatus; *pascebat oves* per quadraginta annos unius *sacerdotis* [2]. Similiter David, quandiu fuit in tribulatione, fuit optimus et ad regnum venit per tribulationes; et post, cum fuit in prosperitate, multa peccata commisit. Similiter Ezechias in adversitate valde humilis fuit, sed postea superbus in adventu nuntiorum Babyloniorum. Vide Eliam pauperculum, qui non habebat ad comedendum, nisi quod corvus sibi ministrabat et illa paupercula vidua; qui tamen caelum clausit. Vide Joannem Baptistam, qui septem annorum intravit desertum et ibi super lapillos jacebat. Similiter de Christo et de Apostolis. Similiter dicit Paulus [3]: *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis* etc. Flagella ergo sunt suavissima. Aut ergo Deus flagellat, aut non. *Flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Proleta est haec per particularia; ergo debet inferri universaliter.

16. Adhuc etiam habet Scriptura arbores ad reficiendum. Illustrat autem ex his quae sunt *ex opposito.* Ostendit enim nobis *acies* infinitas contra nos, modo per *septem duces* [4], modo unum bellum, modo multa. Istud bellum est ab illo duce, quo *Michael et Angeli eius proeliabantur cum dracone.* Immmet autem nobis triplex bellum: bellum *domesticum*, bellum *civile* et *campestre.* — Primum cum carne, quae habet multas acies; haec ancilla semper parata est aperire, sicut Eva. Unde: *Ab ea quae dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui* [5].

Nono per eadem aliorum. Triplex bellum. Primum

17. Item, bellum *civile* est tentatio mundi. Omnis enim *creatura est in mussipudam* [6], quia creaturae pulcritudo trahit homines. Unde: *Vanitas*, inquit, *vanitatum, et omnia vanitas. Quid habet homo de universo labore suo, quo laborat sub sole? Vane et frustra fit de quo nihil relinquitur homini in morte, et ideo cuncta vanitas*; in Psalmo: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.*

Secundum.

18. Item, est bellum *campestre*, hostile cum daemonibus, qui die ac nocte infestant, modo magnificando, ut praesumamus, modo per considerationem scientiae, modo per considerationem sanctitatis; modo faciunt hominem iracundum, et sic diabolicum et adimpletum spiritu malignitatis; et faciunt cadere in tristitiam et desperationem, et sic de aliis. Haec docet fugere *Scriptura.* Quae enim *scientia* docet fugere contrarias potestates? Nulla.

Tertium.

19. Item, illustrat *in gyro*, ut, non esse fugiendum, quia undique praesidium habemus. Habemus enim ipsum Dominum et Angelos circa nos; unde in Psalmo [7]: *Montes in circuitu eius, et Dominus in circuitu populi sui.* Unde puero Elisaei clamante propter latrones Syriae, qui volebant eum capere, dixit Elisaeus: *Domine, aperi oculos pueri huius, et aperuit Dominus. Et ecce, mons plenus equorum et currum igneorum in circuitu Elisaei.* Jacob etiam, timens fratrem suum, vidit Angelos, unde dixit: *Castra Dei sunt haec.* Unde Psalmus dicit: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* Et alibi: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel* etc., usque in finem.

Decimo, per ostensionem praesidiorum.

20. Item, illustrat *e longinquo* per *figurarum signa*; facit autem figuras de omnibus. Omnia autem, quae sunt in mundo, reducuntur ad duodecim, quibus utitur Scriptura, quae sunt signa longinqua: *caelestes* formae, *elementares* naturae, *meteoricae* naturae, *minerales* naturae; naturae *germinum*, *natatilium*, *volatilium*, *gressibilium*; humana *organa*, humanae *vires*, humana *opera*, humanae *artes.*

Undecimo, per signorum signa. Sunt duodecim.

21. Primum ergo est *forma caelestis.* Utitur enim Scriptura omnibus caelis et stellis; Psalmus [8]: *Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum*; et Ecclesiasticus: *Altitudinis firmamentum pulcritudo eius, species caeli in visione gloriae.*

Primum signum.

22. Formae *elementares*: ignea, aerea, aquea, terrea; omnibus utitur Scriptura. — Naturae *meteoricae*, ut nube, pluvia, rore, nive etc.; et luminibus apparentibus in caelo, fluminibus, stagnis, quibus

Secundum. Tertium.

---

[1] August., Qq. in Gen. q. 4: Cubitum autem geometricum dicit [Origenes] tantum valere quantum nostra cubita sex valent. Origen., Homil. 2. in Gen. n. 2, secundum novum cervicem ait: Nos autem didicimus a quopiam ex Hebraeorum peritioribus, *trecentos cubitos ductos* fuisse paros illis quos geometrae vocant, vis quadrangudi a tricesimo ducti, ita ut in uno tabulato fuerint nongenta millia cubitorum nostrorum, similiterque in latitudine duo mille quingenti cubiti, et in altitudine nongenti. Ita nota adiecta dicitur, quod, si ponatur, cubitum ex 18 pollicibus constare, longitudo arcae fuit longitudinis 135000 pedum nostrorum sive 27000 passuum geometricorum, videlicet novem leucarum [?] ex tribus millibus passibus geometricis constantium.

[2] Exod. 3, 1. — De David cfr. I. Reg. 16, seqq.; de Ezechia Isai. 38, seqq. et IV. Reg. 20, 1. seqq.; de Elia III. Reg. 17, 1. seqq.; de Joanne Luc. 1. 80. et 3, 1. seqq.

[3] Hebr. 14, 37. — Seq. locus est ibid. 12, 6.

[4] Esther 1, 14. — Seq. locus est Apoc. 12, 7.

[5] Mich. 7, 5.

[6] Sap. 14, 11: Quoniam creaturae Dei in odium factae sunt et in tentationem animabus hominum et in muscipulam pedibus insipientium. — Seq. locus est Eccle. 1, 2. seq. (cfr. Hieron. in hunc locum); tertius Ps. 118, 37. Epist. I. Tim. 6, 7: Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus.

[7] Psalm. 124, 2. — Seq. locus est IV. Reg. 6, 17; tertius Gen. 32, 2; quartus Ps. 26, 1; quintus Ps. 123, 1. seqq.

[8] Psalm. 18, 2. — Seq. locus est Eccli. 43, 1.

Digitized by Google

Quartum. omnibus utitur. — Naturae etiam sunt *minerales*, ut septem metalla principalia et lapis pretiosus, ut lapis onychinus; in Genesi [1] legitur: *Ibi invenitur bdellium et lapis onychinus;* et ibidem: *Ubi nascitur aurum; et aurum terrae illius optimum est.* Et in Quintum. Apocalypsi duodecim lapides pretiosi. — Sunt etiam naturae *germinum*, ut arborum, herbarum, plantarum, seminum; de olere, gramine aliisque tractat de terra nascentibus.

23. Sunt etiam naturae *natatilium*, ut tractat de Sextum. leviathan [2], de piscibus, de cetis. — Sunt naturae *volatilium*, ut de accipitre, de aquila, de columba, de Septimum. passere; et est magnum mysterium, quare tantum tria genera volatilium ponuntur in sacrificio [3]. Loquitur etiam de avibus lucifugis et *de* amatricibus Octavum. lucis. — Item, de *anomali gressabili*, de serpente, de colubro: *Quasi a facie colubri fuge peccatum* [4]; qualiter permisit Deus tentationem fieri per serpentem. Item, de vulpibus, de capra, de porcis, de cervo, de tamulo, de ursu, de lobis. Nec sine mysterio etiam tantum tria genera gressibilium offerebantur vel sacrificabantur.

24. Item, *naturae hominis*, de cuius partibus Nonum Scriptura tractat partim ad Deum translatis, partim ad Angelos. Unde Dionysius [5] ostendit, quid significant Decimum. membra humana in Angelis. — Item, vires *vegetabiles*, vires *sensibiles*, *rationales* etc., quibus omnibus Undecimum. Scriptura per totum utitur. — Item, de *operibus humanis*, ut constructione domorum, puteorum, Duodecimum. agricultura, mercatura; et de omnibus *artibus* liberalibus et mechanicis. Theologus modo vis utitur ut arithmeticus, modo ut astrologus, modo ut geometer; modo videbis eum rhetorem, modo medicum.

25. In hac consideratione est periculum, quia Periculum in his scientiis. periculum est nimis longe recedere a Scripturae domo; puer enim tunquam vult multum recedere a domo. Sic periculum est in scientiis, quod tantum diffundant se per considerationes harum scientiarum, ut postea ad domum Scripturae redire non possint, et quod intrent domum Daedali [6], ut exire non possint. Melius est enim tenere veritatem quam figuram. Si ego vellem facies tuam et rogarem te, ut apportares mihi speculum clarum, ut ibi viderem faciem tuam; stulta esset ista petitio. Sic est de Scripturis sanctis et figuris aliarum scientiarum.

26. Item, illustrat per *gratiarum dona e vicino*, quae supplent omnia, quae non habet industria. Multi enim venerunt hospites scientiae, scilicet ad domum nostram et ad nostram industriam; sed in his debet industria ponere terminum. Unde illustrat haec Scriptura *e vicino;* unde non oportet longe ire pro re, quae prope est. Describit enim Scriptura dona Spiritus sancti per totum; in Iohanne [7]: *Iesus fatigatus ex itinere sedebat super fontem;* sequitur: *Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* — Unde duplex Duplex aqua et notitia. aqua notatur; describitur enim notitia una *exterior*, de qua qui plus bibet plus sitit; alia *interior*, de qua [8]: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu sancto, quem acceperunt credentes in eum.* Istae sunt *aquae de fontibus Salvatoris*, scilicet notitiae gratiarum reficientes animas.

De decimo, per gratiarum dona.

27. Iuxta haec mysteria est mysterium *ligni vitae* Scientia bonum duplex. et mysterium *ligni scientiae boni et mali* [9]. Qui enim tantum quaerit notitiam gustat de ligno scientiae boni Perversa. et mali. Et hoc significatum est in Isaia: *Pro eo quod abiecit populus ille aquas Siloe, quae currunt cum silentio, et assumsit magis Rasin et filium Romeliae; propter hoc, ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas.* Ut dicit Hieronymus, aquae Siloe currunt *cum magno murmure:* ergo manifestum, quod intellectus alius est ibi. — *Aquae* Salutaris. *currentes cum silentio* sunt sacra Scriptura, quae nisi in silentio audiri non potest; et ibi fit illuminatio. In signum huius dictum est caeco [10]: *Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur Missus.* Aquae enim istae per revelationem sunt. Sed oportet

---

[1] Cap. 2, 12. Ibid. et v. 11. habetur seq. locus. Subinde respicitur Apoc. 21, 19. seq. — Isidor., XVI. Etymolog. c. 17: Septem autem sunt genera metallorum: aurum, argentum, aes, electrum, stagnum, plumbum et quod donat omnia ferrum.

[2] Iob 40, 20: An extrahere poteris leviathan hamo etc.

[3] Levit. 1, 14: « Si autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus aut pullis columbae ». His duobus generibus volatilium adiungitur tertium in sacrificio leprae expiandae, ibid. 14, 4: Praecipiet [sacerdos] ei qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se etc.

[4] Eccli. 21, 2. — Levit. 1, 2. et 10. tria genera gressibilium pro sacrificio recensentur, scil. boves sive vituli, oves et caprae. Cfr. supra collat. 14. n. 21.

[5] De Caelesti Hierarchia. c. 15. § 3.

[6] Scilicet labyrinthum *Cretensem*, quem Daedalus, pater Icari, secundum exemplar ab *Aegypto* summum fecit, ut narrat Plinius lib. XXXVI. c. 13. (19.). Praeter hos duos idem refert labyrinthum *Lemnium* ac quartum, scilicet *Italicum*. — Vat. hanc propositionem omittit. — Ad hoc periculum amovendum servit opusculum S. Bonaventurae de Reductione artium ad theologiam.

[7] Cap. 4, 6. Ibid. v. 13. et 14. habetur seq. locus.

[8] Ioan. 7, 38. seq. Cfr. Gregor., XIX. Moral. c. 6. n. 9. — Seq. locus est Isai. 12, 3: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

[9] Respicitur Gen. 2, 9: Lignum etiam vitae etc. Seq. locus est Isai. 8, 6. seq. — Hieron. in hunc locum (III. Comment.) ait: *Siloe* autem fontem esse ad radices montis Sion qui non ingibus aquis, sed in certis horis diebusque ebullit et per terrarum foramina et antra saxi durissimi cum magno sonitu vomat, dubitare non possumus, nos praesertim, qui in hac habitamus provincia. — Superius pro *Iuxta haec* B C E *Inter haec* D *Intra haec*. Sensus est: Circa haec duodecim scripturae humina dupliciter intellectus versari potest, ut subinde dicitur.

[10] Ioan. 9, 7. Ibid. v. 6: Exspuit [Iesus] in terram et fecit lutum ex sputo et linivit lutum super oculos eius. Glossa *ordinaria* apud Strabum in hunc locum (cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 44. n. 2.): Sicut primum hominem de limo terrae formavit, ita per idem genus luto genus humanum reformavit quia *Verbum caro factum est.* Salva est sapientia, quae *ex ore Altissimi* prodiit [Eccli. 24, 5]. *Terra* est caro Christi.

Digitized by Google

prius linire oculos luto ex sputo et pulvere facto; *saliva* est sapientia; *pulvis*, caro Christi; *lutum*, fides de mysterio incarnationis. — Qui autem quaerunt *Rasin et filium Romeliae* sunt qui quaerunt exteriores scientias. Et ideo princeps Assyriorum dominabitur eis [1]; Dominus voluit. Et hic notandum est, quod filii Israel furtive habuerunt vasa argentea Aegypti [2]; sed postea nunquam voluit Dominus, quod reverterentur.

De scientia exterioris.

28. Et dixit: Credite mihi, quod adhuc erit tempus, quando nihil valebunt *vasa aurea* vel *argentea*, id est argumenta; nec erit defensio per rationem, sed solum per auctoritatem. Unde in signum huius Salvator, quando tentatus fuit, non defendit se per rationem, sed per auctoritates [3], et tamen bene scivisset per rationes. Significavit enim, quid facturus est corpus suum mysticum in tribulatione futura.

Epilogus.

COLLATIO XVIII.

De tertia visione tractatio sexta, quae agit de theoriis Scripturae significatis per *fructus*, et quidem quatenus reficiunt affectum.

SUMMARIUM. — *Introductio et repetitio. Illustratio intellectus per has theorias facta ordinatur ad aliud, scilicet ad refectionem affectus*, 1. — *Melius hic ordinantur quatuor ultimi modi illustrationis, quam ordinati sunt in praecedente collatione*, 2. — *Repetitur monitio contra periculum profanae scientiae*, 3. — *Ubertas refectionum spiritualium in Scriptura; sed transire debent in affectum*, 4. — Pars I. In genere de triplici fructu ex duodecim considerationibus praecedentis collationis quoad affectum colligendo. *Hi oriuntur a Christo. Ex primis quatuor oritur fructus gratiae; ex mediis quatuor fructus iustitiae, ex ultimis fructus sapientiae*, 5. — *De his loquitur Scriptura*, 6. 7. 8. — *Omnes hi fructus sunt a Christo et ducunt ad Christum. Probatur quoad singulos*, 9-12. — Pars II. De istis tribus fructibus eorumque quadruplici actu in specie et de duodecim fructibus spiritus. *Primo, de fructu gratiae et quadruplici eius actu secundum Scripturam*, 13. — *Ad primum actum, scil. gratiam stabilientem per fidem, disponitur anima per Scripturae spectacula; item ad secundum, scil. gratiam per amorem sanctificantem, per exempla Sanctorum*, 14. — *Item, ad gratiam per spem sublevantem, per promissiones; item, ad gratiam per timorem inclinantem, per tormenta infernalia*, 15. — *Secundo, de fructu iustitiae et quadruplici eius actu, scilicet facere bona, fugere mala, formidare prospera, ferre adversa*, 16. — *Hi oriuntur ex quatuor mediis considerationibus*, 17. — *Primus actus, scil. facere bona, fit per directionem praeceptorum*, 18. — *Secundus, fugere mala, fit per iudicia districta*, 19. — *Tertius, formidare prospera, per severa solatia; quartus, ferre adversa, per dulcia flagella*, 20. — *Tertio, de fructu sapientiae et quadruplici eius actu; est enim sapientia confortans, colluctans, contemplans, collaudans*, 21. — *Hi oriuntur ex quatuor ultimis considerationibus; hoc docetur de primo actu confortante*, 22. — *De secundo actu colluctante*, 23. — *De tertio, contemplante*, 24. — *De quarto, collaudante. Hinc ascendenda sunt duodecim fructus, ordinati ad caritatem, ad quam tota Scriptura intendit*, 25. — *Similiter descendendo fluunt a caritate duodecim fructus spiritus, relati ab Apostolo Paulo*, 26. — *Sufficientia duodecim fructuum secundum quatuor ex caritate diligenda: tres sunt, quatenus quis fruitur Deo*, 27. — *Tres, in fruendo propria anima*, 28. — *Tres, in fruendo proximo*, 29. — *Tres, in fruendo corpore in Deo*, 30. — *De his duodecim loquitur Scriptura*, 31. — *Epilogus*, 32.

1. *Protulit terra herbam virentem* [4] etc. Dictum est supra, quod istae theoriae reducuntur ad considerationem duplicem: ad considerationem *succedentium* temporum et sibi mutuo *correspondentium* in gubernatione mundi; et sic intelliguntur per *semina*. Consistunt etiam circa considerationem *salutarium circumspectionum* vel refectionum, quibus anima reficitur, et sic intelliguntur per *fructus;* et sic iste fructus est *decorus*, secundum quod ipso reficitur *intellectus;* et est *sapidus*, secundum quod ipso reficitur *affectus*. Sed haec refectio adhuc ad aliud ordinatur. — Dictum est autem, quomodo intellectus

Repetitio.

Duae proprietates fructuum.

[1] Cfr. Isai. 8, 7.
[2] Exod. 3, 22; 11, 2. et 12, 36.
[3] Matth. 4, 4. seqq.
[4] Gen. 1, 12. — In seqq. datur summa collat. 15-17.

illustratur per has theorias, ut ultra procedatur ad degustandum eius fructum; et hoc necesse est. « Qui enim ad hoc tantum laborat, ut sciat, quid et quomodo loquatur; interius vacuus remanet, ut dicit Gregorius [1], ab interna devotione »; quia, secundum Apostolum, factus est *velut aes sonans aut cymbalum tinniens.* Notandum.

2. Illustratur ergo intellectus duodecim modis, ut dictum est [2]; sed in quatuor modis ultimis melius dicetur, quam diceretur prius, ita ut id quod ponebatur in undecimo loco, ponatur in duodecimo. Illa ergo ultima, quibus utitur Scriptura, et illustratur anima, sunt quatuor, scilicet *civium praesidia*, qui sunt spiritus hierarchici, e directo; item, *hostium certamina*, ex obliquo, ut patet de tribus hostibus; *gratiarum dona*, e vicino; *figurarum signa*, e longinquo. Haec est illustratio *ultima*, quia in hanc ultimam praecedentes intrant; ad quam concurrunt *formae caelestes, elementares, meteoricae, minerales; naturae germinum, natatilium, volatilium, gressibilium; humana membra, humanae vires, humana facta, humanae artes*, ex quibus omnibus anima assurgit in laudem Dei. Et iste actus est *affectus*, qui habet rectificare intellectum. Melius hic ordinantur ultimi quatuor fructus.

3. Verum est, quod circa ista incidit periculum *ligni scientiae boni et mali*, ut, dimisso *ligno vitae* [3], scilicet suavitate affectus, anima evagetur circa scientias alias et in tantum elongetur, ut non redire possit et excludatur a deliciis paradisi et non gustet de ligno vitae. *Edere* de ligno vitae his illustrationibus est *refici*, ut homo nihil quaerat nisi intellectum *veritatis*, affectum *pietatis*, delectationem *suavitatis* sive solatium contemplationis. Sed quando homo horum obliviscitur et delectatur in studio curiositatis, vult scire tantum; et ex hoc nascitur *supercilium vanitatis*, cum alios despicit; ex quo sequitur *litigium contentionis*, quia reputat se despectum, quando quis respondet ei; et semper paratus est contra illos qui resistunt ei. Et per hoc aufertur homini vera vita; sicut Adam, vel potius mulier, quae curiosa fuit et voluit esse sicut Deus [4]; et ideo *consuerunt sibi perizomata* et refuderunt culpam in alium, ut Adam in Deum, quia uxorem talem dederat sibi, mulier autem in serpentem. Debent ergo istae illustrationes intrare in affectum, ut intellectus rectificetur. Repetitur monitio. Duo mala.

4. In hoc horto multa deambulatio est, quia, si unu placet stare in primo, vade ad secundum, et sic de aliis. Et sic homo *stipatus est malis;* unde in Cantico [5]: *Fulcite me floribus, stipate me malis;* et in Psalmo: *Scuto circumdabit te veritas eius.* Sicut ergo intellectus ordinatur ad affectum, et fides est via ad caritatem; sic istae illustrationes transire debent in affectum, ut intellectus speculativus fiat practicus. Libertas harum refectionum.

5. Oritur autem ex his duodecim triplex fructus: ex primis quatuor oritur fructus *gratiae*, ex mediis fructus *iustitiae*, ex ultimis fructus *sapientiae*. De his fructibus in Deuteronomio [6]: *De benedictione Domini terra eius*, dicitur de Ioseph, *de pomis caeli et rore, atque abysso subiacente; de pomis fructuum solis et lunae, de vertice antiquorum montium, de pomis collium aeternorum et de frugibus terrae et de plenitudine eius.* Tangit istum triplicem fructum sive istas illustrationes, secundum quod generant *poma refectiva*, secundum quod iste triplex fructus est a Christo; unde in Cantico: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desiderabam, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* Pars I. De triplici fructu in genere. Notandum.

6. De fructu igitur *gratiae* scriptum est in Psalmo [7]: *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum;* de fructu *iustitiae* in Cantico, de fructu *sapientiae* in Proverbiis: *Primi et purissimi fructus eius.* Isti ergo fructus oriuntur a Christo, a Ioseph benedicto, qui producit poma de *caelo et rore, atque abysso subiacente*, scilicet charismata gratiarum per modum *roris* in corda humilia. Scriptura de his.

7. Per *poma solis et lunae* et *verticem montium* intelligitur exercitium perfectae *iustitiae*, quae est in hoc, quod homo se exerceat ad mandata Dei implenda, secundum statum *subiectionis, praelationis, contemplationis.* — *De pomis solis* intelligitur quantum ad merita *iustitiae praesidentis; de pomis lunae*, quantum ad meritum *iustitiae subiacentis; de pomis et vertice montium*, per hoc intelligitur *sublimitas apostolicorum virorum*, qui tenent vitam, quam Deus dedit in paradiso. Si enim homo non peccasset, nulla fuisset agrorum divisio, sed omnia communia. De triplici exercitio iustitiae. Explicatio.

8. Per *poma collium aeternorum* intelligitur *sapientia* vel fructus sapientiae, quae est in contemplatione aeternarum rationum et in consideratione caelestium spirituum sublimatorum; Psalmus [8]: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis, turbati sunt omnes insipientes corde* etc. — *De frugibus terrae*, quantum ad considerationem divinarum con- De triplici obiecto sapientiae.

---

[1] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 3: Quapropter bene de doctis et negligentibus per Salomonem [Eccle. 6, 7.] dicitur: *Omnis labor hominis in ore eius, sed anima illius non implebitur*, quia quisquis ad hoc solummodo laborat, ut sciat, quid loqui debeat, ab ipsa refectione sane scientiae mente vacua ieiunat. — Seq. locus est I. Cor. 13, 1.

[2] Collat. praeced. n. 16-26. Quatuor ultimi sunt: ex opposito (hostium certamina), ex gyro (divina et angelica praesidia), e longinquo (figurarum signa) et e vicino (gratiarum dona).

[3] Respicitur Gen. 2, 9.

[4] Vide Gen. 3, 5, ubi v. 7. habetur etiam seq. locus: Consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata. Subinde respicitur v. 12. et 13: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi... Serpens decepit me etc.

[5] Cap. 2, 5. — Seq. locus est Ps. 90, 5. De propositione *intellectus speculativus fit practicus*, vide II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. ad 2.

[6] Cap. 33, 13-16. — Seq. locus est Cant. 2, 3.

[7] Psalm. 84, 13. — Seq. locus est Prov. 3, 14.

[8] Psalm. 75, 5. et 6.

Digitized by Google

descensionum in ordinibus Ecclesiarum. — *De plenitudine eius*, quantum ad coniunctionem utriusque Ecclesiae *militantis* et *triumphantis*, quomodo Dominus *posuit finem eius pacem* [1], scilicet, ut declarabit, sicut *flumen* pacem.

Tres fructus sunt a Christo.

9. Sic igitur iste fructus est a Christo tripliciter, quia *Iesus Christus est Filius Dei*: quia *Iesus*, ab ipso fructus *gratiae*; quia *Christus*, fructus *iustitiae*; quia *Filius Dei*, fructus *sapientiae*. Omnes enim considerationes et *a Christo* sunt et *ad Christum* reducunt. — Si consideras *interna spectacula* hominum, ad Christum te reducunt. — Si venis ad *exempla*, summum exemplar omnium virtutum in Christo est. Si *patientiam* consideras Iob, maior est Christi patientia; *patientiam Iob audistis et finem Domini vidistis*, dicit ille [2]. Stellae enim nihil sunt in comparatione solis. — Si venis ad *praemia aeterna*, haec non habebimus nisi per Christum; in Ioanne: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum*. — Si ad *tormenta perpetua*; nisi manus Christi te teneat, non liberaberis. Puer enim, si timet cadere in praecipitium, optime se tenet ad matrem; nisi enim per sanguinem Christi liberatus fueris, non poteris salvari.

Considerationes 12 a Christo sunt et ad eum deducunt.

Quatuor primae.

Quinta et sexta.

10. Si consideras *praecepta*: *hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem* [3]. — Si de *iudicio*; Christus iudicare habet; et hunc debemus libenter velle habere iudicem, quia nos diligit; unde debemus sibi dicere: Domine, deles nos iudicare; sed fac, ut sanguis tuus satisfaciat pro nobis.

Septima et octava.

11. Si consideras *solatia severa*, in Christo non videntur per illum modum, sicut in aliis, sed per alium; quia sibi numquam periculosa fuerunt, nec temporalia solatia habuit. — Miscuit enim cum solatiis amaritudinem, cum fruitione *poenam*; anima enim eius, quae semper unita est Divinitati, summe delectabatur; et tamen ipse miscuit amaritudinem, paupertatem, crucem, et e converso miscuit solatia in flagellis, in quibus summe delectabatur. Unde exemplo Christi in consolatione imagendus est timor, et in tristitia imagendum est solatium, exemplo etiam beati Francisci [4], qui, quando ei offerebatur honor, dicebat socio suo, quod ibi nihil erant lucrati; sed quando recipiebant vituperia, tunc lucrabantur.

Dulcia Sapientia.

12. Si consideras e directo ad *civium praesidia*, hierarcha principalis Christus est. — Si de *pugna*; etsi Angeli et Sancti iuvant — Psalmus [5]: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* — principalis tamen pugnator Christus est; unde in Psalmo: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear*; item, in Actibus: *Video caelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei*. — Si *gratiam* consideras, *haec omnia* veniunt de *sede Dei et Agni*. Vidi, inquit Ioannes [6], *fluvium procedentem de sede Dei et Agni*. — Si consideras *figurarum signa*, omnia referuntur ad Christum et sunt obscura, nisi per Christum solvantur signacula. — Unde omnes considerationes remittunt ad Christum.

Quatuor ultimae.

13. A Christo ergo est fructus *gratiae*. Est autem quadruplex fructus *gratiae*: *stabilire* animam per fidem, *sanctificare* per divinum amorem, *sursum ferre* per spem, *inclinare* per divinum timorem. — De primo Apostolus [7]: *Optimum est gratia stabilire cor, non escis*. Iudaei stabiliebant se super escas. — De secundo Petrus: *Propter quod, succincti lumbos mentis vestrae, sobrii, perfecte sperate in eam quae offertur vobis gratiam, in revelationem Iesu Christi*. Sanctificatio enim est in eo, quod virtutes, quae sunt humili mentis, transferuntur in Deum. — De tertio ad Titum [8]: *Iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae*. Et primo Petri: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam*. — De quarto Ecclesiasticus: *Quanto maior es, humilia te in omnibus*.

Pars II. De tribus fructibus et quadruplici eorum actu in specie.

De fructu gratiae et eius actibus.

14. Per *luminum spectacula* disponitur anima ad *primum* actum gratiae. Quanto enim plus intelligitur Scriptura, tanto augetur fides; et sic est una refectio *affectus*. — *Sanctorum exempla* disponunt ad *sanctificationem* animae, ad *secundum* actum gratiae. Inter omnia, quae de Ioseph leguntur, placet illud, quod sic fidelitatem servavit domino suo; cum tamen domina sua pulcherrima erat et commendabatur sibi [9]. David similiter, cum multa fecerit, quae movent ad imitationem, illud potissime placet, quod cum Saul posset interficere, noluit; qui tamen,

Ad 2 primos actus disponit Scriptura per 1 et 2. consideration.

---

[1] Psalm. 147, 14: Qui posuit fines tuos pacem; Isai. 48, 18: Factus fuisset sicut flumen pax tua. — Ut sensus aliquis exhibeatur, substituimus *scilicet*, *ut* pro *quod*, ut habetur in codd. et edd.

[2] Iac. 5, 11: Sufferentiam Iob etc. — Seq. locus est Ioan. 17, 3.

[3] Ioan. 15, 12.

[4] Opuscul. apophthegm. 51: Dum in quodam castro multi sancto viro exhiberentur honores, dixit socio: Abeamus hinc, nihil enim hic lucramur, dum honoramur; ibi est nostrum lucrum, ubi vituperamur et vilipendimur.

[5] Psalm. 120, 1. — Seq. locus est Ps. 15, 8; tertius Act. 7, 56.

[6] Apoc. 22, 1. — Subinde respicitur Apoc. 5, 5: Ne feleris; ecce, vicit leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum et solvere septem signacula eius.

[7] Hebr. 13, 9. — Seq. locus est 1. Petr. 1, 13. — Inferius post *virtutes* edd. et C addunt *amatione*, B *amatae*, D *amantur*, A E vero illa omittunt.

[8] Cap. 3, 7: Ut instituti... simus etc. — Seq. locus est 1. Petr. 1, 3: tertius Eccli. 3, 20: Quanto magnus es etc.

[9] Gen. 39, 7. sequ. — De David cfr. 1. Reg. 24, 5. sequ., et 26, 5. sequ. ubi v. 12. dicitur: Omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos. — August., Epist. 43. (alias 162.) c. 8. n. 23: Tolerat David Saulem persecutorem suum, sceleratis moribus caelestia deserentem, magicis artibus inferna quaerentem; occisum vindicat etc. Serm. 279. (alias 24. ex Sirmond.) n. 5. dicit de Saul, quod erat « rex pessimus, persecutor sancti servi Dei David ». Cfr. XVII. de Civ. Dei, c. 6. n. 2, ubi monet, quod David Saul, licet a Deo reprobatus atque relectus sit, pepercit, cum potuisset occidere eum.

Digitized by Google

ut dicit Augustinus, nec Deum nec hominem timebat: hominem non, quia sopor irruerat in omnes; Deum non, quia ille reprobatus erat, et David secundum veritatem rex erat, et tamen ex caritate dimisit. Et similiter in omnibus Patribus fuit haec *caritas*; qui tamen, si aliquando ceciderunt, poenituerunt. Unde si displicet tibi casus David, placeat tibi eius poenitentia, ut dicit Hieronymus [1], et habes in hoc, ut de casu suo nullus desperet, et de statu suo nullus praesumat.

Item, ad 3. et 4. pertum per 3. et 4. considerationem.

15. Gratia autem *sursum agens* habetur per *spem*. Psalmus [2]: *Quid enim mihi est in caelo, et a te quid voluit super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum*, et alibi: *Dixi: tu es spes mea, portio mea in terra viventium*, ut totum reservetur in illam patriam. Ideo quod *momentaneum est et leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operatur*. Dominus enim delectationes habet in dextera; Psalmus: *Delectationes in dextera tua usque in finem*; in sinistra habet divitias et gloriam et consolationes temporales. Debemus autem adhaerere dexterae; Psalmus: *Me suscepit dextera tua*, Domine. Ergo *praemia* disponunt ad tertium artum gratiae. — Similiter gratiam *inclinantem* facit habere quarta consideratio, scilicet *tormentorum infernalium* [3].

De fructu institiae et eius 4 actibus.

16. Similiter *institiae* quatuor actus sunt: *favere bona, fugere mala, formidare prospera, ferre adversa*. — De primis duobus Psalmus [4]: *Declina a malo et fac bonum. Oculi Domini super iustos*; et: *Vultus autem Domini super facientes mala*. — De tertio: *Beatus homo, qui semper est pavidus* in prosperitatibus. Unde iustus deprecatur, ne ruat, et si corruat, ut resurgat; quia *septies cadet iustus et resurget*. — De quarto in Proverbiis [5]: *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit*. Et: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Et: *Pro iustitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro iustitia*.

Hi oriuntur ex 4 medis considerationibus.

17. Isti fructus oriuntur ex quatuor mediis considerationibus, scilicet *antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum*, ut, secundum Dionysium [6], anima moveatur *circulariter, recte et circumflexe*. Et dicit Richardus, quod quaedam aves sursum volant, quaedam deorsum, quaedam circulariter, quaedam ante etc. Sic anima per istas considerationes.

Actus primus.

18. Ex prima consideratione habetur primus actus, scilicet *favere bonum*, per directionem praeceptorum; *si vis ad vitam ingredi, serva mandata* [7]. Consideratio enim mandatorum Dei facit facere bonum. Praeceptum Domini rectum est in se; iustitia enim nihil aliud est, quam rectitudo; rectitudo autem per se est in lege, per participationem in servante. Oportet ergo praecepta divina *considerare, amplectare, amare*; si sic fecissent Adam et Eva, non recidissent; et sic transformaris per amorem.

Tria necessaria.

Secundus.

19. Ex secunda consideratione oritur fructus iustitiae, scilicet *fugere mala*, scilicet per *iudicia districta*; Ecclesiasticus [8]: *Ne semines mala in sulcis iniustitiae, et non metes ea in septuplum*. Nullus enim vult metere zizaniam vel lolium, quia, ut dicitur in Deuteronomio, *iuxta modum culpae erit et plagarum modus*. Consideratio igitur *iudiciorum* facit fugere mala.

Tertius.

20. Ex tertia consideratione, scilicet per *severe solata*, oritur fructus iustitiae, scilicet *formidare prospera*. Oblatis enim honoribus, fugit homo, quia timet in culpam incidere, quia in quolibet grano est vermis: in grano honoris, *elatio*; in grano divitiarum, *avaritia*; in grano deliciarum, *concupiscentia*. Fructus enim quidam sunt, qui statim incipiunt verminari, ut cerasa in Italia. Quidam sunt, qui apparent optimi, et tamen vermis est intus. — Econtra, per *dulcia flagella* ostenditur fructus iustitiae quartus, scilicet patienter *ferre adversa*; vide Paulum, Laurentium.

Quartus.

De fructu sapientiae et eius 4 actibus.

21. Similiter *sapientiae fructus* ex quatuor ultimis auditibus nascitur. Huius sunt quatuor actus: sapientia enim est *confortans, collactans, contemplans, collaudans*. — *Confortans* in bono; Ecclesiastes [9]: *Sapientia confortabit sapientem super decem principes civitatis*. — Est etiam *collactans* contra malum; unde Ecclesiastes: *Melior est sapientia quam arma bellica*; et in Sapientia: *Certamen forte*

---

[1] Epist. 77. (alias 30.) n. 4: Atque factum est, ut qui [David] me prius docuerat virtutibus suis, quomodo stans non caderem, doceret per poenitentiam, quomodo cadens resurgerem. Ubi Epist. 122. (alias 46.) n. 3.

[2] Psalm. 72, 25. et 26. — Seq. locus est Ps. 141, 6; tertius II. Cor. 4, 17, ubi Vulgata veri *aeternum* praemittit *supra modum in sublimitate*; quartus Ps. 15, 10; quintus Ps. 62, 9.

[3] E ad marginem hic habet: Quarto, consideratio tormentorum inclinat animam ad divinum timorem, quia, sicut crescente spe crescit gratia sursum agens vel ferens, ita crescente timore crescit gratia inclinans deorsum.

[4] Psalm. 33, 15. 16. et 17. — Seq. locus est Prov. 28, 14; tertius Ibid. 24, 16.

[5] Cap. 28, 1. — Seq. locus est Matth. 5, 10; tertius Eccli. 4, 33.

[6] De Div. Nom. c. 4. § 9. — Sententiam Richard. a S. Vict. invenire in eius operibus non possumus; cfr. Hug. a S. Vict., l. et III. c. 27. sepp. de Bestus etc., in quibus natura diversarum avium (secundum Isidor., XII. Etymolog. c. 7. et Haban., XXII. de Universo, c. 6.) describitur. Praecipue cfr. Plin. X. Natur. Histor. c. 16. 15. 34. et XI. c. 22.

[7] Matth. 19, 17. — Quod Iustitia sit rectitudo, docet Anselm.; cfr. supra pag. 256, nota 6. — Hug. a S. Vict., Solloq. de arrha animae: Scis, quod amor Iguis est.., et qui per affectum coniungeris, in ipsius similitudinem ipsa quodam modo dilectionis societate transformaris.

[8] Cap. 7, 3: Fili, non semines etc. — Seq. locus est Deut. 25, 2: Pro mensura peccati erit etc.

[9] Cap. 7, 20: Sapientia confortavit etc. — Seq. locus est Ibid. 9, 18; tertius Sap. 10, 12, quartus Ibid. 7, 29.

Digitized by Google

dedit illi, ut vinceret et sciret, quoniam omnium potentior est sapientia. — Est etiam *contemplans* summum bonum; in Sapientia: *Est enim haec speciosior sole.* Facit enim animam gustare et miri. — Est etiam *collaudans* ex omnibus Deum. Hic fructus est coniunctus *gloriae;* hoc opus, hoc munus, hic fructus: *videbimus, amabimus, laudabimus*[1].

Hi ordinantur ex 1 ultimis considerationibus. Actus primus.

22. Hi quatuor fructus per ordinem orinatur. Consideratio *e directo* per *civium praesidia* disponit ad primum actum sapientiae, in acie terribili, ordinata et in choris castrorum[2].

Secundus.

23. Secundo, per *hostium certamina ex adverso* oritur secundus fructus, scilicet *colluctari* contra hostes; quia homo, quando habet hostes, tunc valde sagaciter se gerit, et inimicus bellum facit hominem sagacem, fortem et sapientem; sicut inclusi multas inveniunt vias ad evadendum; multo tentatio inimicus quasi ex obliquo fortiorem reddit, sicut radius veniens super corpus opacum, densum, solidum, postea reflexus, maius lumen et calorem generat, ut patet in speculo ferreo. Similiter magis castus quis efficitur, cum inimicus fortiter vult trahere ad luxuriam. — Sicut enim dixit, mulier habebat daemonem, qui in illa loquebatur et dixit, quod Franciscus magnum malum eis faciebat, et quod bene erant contra ipsum congregati quinque millia ad ipsum deiciendum; et frater, qui audivit, dixit beato Francisco; tunc ipse surrexit et dixit, quod modo fortior esset[3].

Franciscus.

Tertius.

24. Tertius fructus sapientiae est *contemplari* summum bonum, quod oritur ex consideratione *e civium* per *gratiarum dona.* Tanta enim posset esse gratia, quod existens hic esset quasi in paradiso. Videret enim in intimis suis, sicut beatus Paulus, qui dicit[4]: *Sapientiam loquimur inter perfectos;* et post: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum. Sicut enim nemo scit quae sunt hominis, nisi spiritus, qui in illo est; ita et quae Dei sunt* nescimus, nisi Spiritus Dei intret in nos.

Quartus.

25. Ex quarto, scilicet e *longinquo*, mihi innascitur *collaudatio* Dei in omnibus. Omnes enim creaturae efiantur Deum. Quid ego faciam? Cantabo cum omnibus. Grossa chorda in cithara per se non bene sonat, sed cum aliis est consonantia. Figurarum signa ab omnibus creaturis accipiuntur in Scriptura ad laudandum Deum, ut patet in Psalmo[5]: *Laudate Dominum de caelis;* et in: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, a summo usque deorsum; sic homo Deum videns in omnibus, Deum gustans in omnibus tribus viribus suis. Psalmus: *Iucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino;* et alibi: *Delectasti me, Domine, in factura tua;* et: *Magnificabo eum in laude.* Sic in omnibus habet gustum et refectionem intellectus et affectus. — Ex his omnibus fructibus surgunt fructus amoris et *caritatis*, quae intenditur in omnibus. Omnis enim Scriptura ordinatur ad caritatem. Hi duodecim fructus ordinate *ascendunt* ad caritatem.

In ascensu 12 fructus.

26. *Descendendo* autem a caritate fluunt charismata duodecim, quae sunt *fructus*, quos ponit Apostolus ad Galatas quinto[6]: *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Gratia* enim et *iustitia* et *sapientia* non possunt esse sine caritate[7]. Nam *fructus* dicitur a *frui;* « *frui* autem est inhaerere alicui rei propter se ipsam ». Unde nec iustitia nec miracula nec scire mysteria sine caritate prosunt. Et hoc sentiunt omnes doctores et Sancti. Sic ecce, quod una vetula, quae habet modicum hortum, quia solum caritatem habet, meliorem fructum habet quam anus magnus magister, qui habet maximum hortum et scit mysteria et naturas rerum.

Item, in descensu.

Sufficientia horum.

27. *Sufficientia* autem horum duodecim fructuum sumitur per hunc modum. Secundum Augustinum, filium Pauli[8], quatuor sunt diligenda ex caritate, quibus fruimur: *Deo, nec ipso* in Deo, *proximo* in Deo, *corpore meo* in Deo. — Deo autem fruor, quando summe in Deo *conquiesco, delector, unior: conquiesco* per *amorem, delector* per *gaudium, unior* per *pacem.* Et haec tria ordinata sunt; quia, ubi est *pax*, necesse est, ut sit *gaudium;* et ubi *gaudium*, necesse est, ut sit *quies.*

Quatuor diligenda.

Tria in fruitione prima.

28. Secundo, fruor *nec ipso* in Deo. *Anima* autem mea fruor, quando illam possideo; quia, si transit res in possessionem alterius, fructum non habeo. Tunc autem possideo, quando patienter possum *ferre adversa; in patientia vestra possidebitis animas vestras*[9]; patienter autem ferre adversa non debet

Tria in secunda.

---

[1] August., XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 5: Ibi vacabimus et videbimus, videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus; ecce, quod erit in fine sine fine.

[2] Respiciuntur Cant. 6, 3. 9. et 7, 1.

[3] Opuscul. S. Franc. Apophthieg. 52: Dixit ei quidam ex fratribus, daemoniacam puellam revelasse, licet invitam, multa daemonum agmina contra eum conspirasse, ut suo gradu et virtute deiicerent quem infensum sibi dicebant hostem. Respondit intrepidus: Modo fortior sum.

[4] Epist. I. Cor. 2, 6. et 10. seq. Vulgata *suum* pro *sanctum*, plura etiam interserit.

[5] Psalm. 148, 1. — Seq. locus est Dan. 3, 57. (Ps. 102, 22: Benedicite Domino omnia opera eius); tertius Ps. 103, 34; quartus Ps. 91, 5. et quintus Ps. 68, 31.

[6] Vers. 22. et 23. — Seq. sententia est August., I. de Doctr. christiana, c. 4. n. 4: *Frui* enim est amore alicui rei inhaerere propter se ipsam. Libr. XI. de Civ. Dei, c. 25. dicit, « quod proprie fructus *fruentur*, usus mentis sit ».

[7] Epist. I. Cor. 13, 1. seqq.

[8] Libr. I. de Doctr. christiana, c. 23. n. 22, ubi quatuor ex caritate recenset diligenda. Vide supra Breviloq. p. V. c. 8. — Libr. VII. Confess. c. 21. n. 27. narrat idem, quod ante conversionem suam avidissime arripuerit « prae ceteris Apostolum *Paulum* », et VIII. c. 12. n. 29, quod legendo verba Apostoli *Pauli*, Rom. 13, 13: *Non in comessationibus* etc., conversio sua confirmata fuerit.

[9] Luc. 21, 19.

Digitized by Google

esse a *casu*, vel *fortuna*, sed *intuitu mercedis*; et hoc est *exspectare mercedem*; tertium est *condonare iniurianti* offensam. Et haec tria sunt per *patientiam*, *longanimitatem*, *bonitatem*. *Patientia* est adversa tolerando; *longanimitas*, exspectando mercedem ex omnibus tribulationibus; *bonitas*, liberaliter condonando. Unde si caritas *patiens*, *longanimis*, *bona*; tunc *inundationes maris quasi lac sugit*[1], sicut Laurentius carbonibus quasi floribus laetabatur. Hi fructus sunt in spiritu, non in carne. Unde Iacobus: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.*

Tria in tertia.

29. Tertio, *proximum* fruimur in Deo, quando habemus caritatem ad proximum; et hoc tripliciter: *benigne* in corde vel animo; *mansuete* in contubernio; *fideliter* in verbo vel signo. Cor *benignum* habeo, quando quidquid boni habet proximus in meum bonum refundo. Similiter *mansuetudo* est, quae hominem facit gregalem[2] et socialem. Aliqui homines sunt valde boni, et tamen sunt ita duri in signis, quod homo non audet eis appropinquare; sed quando homo familiarem se reddit, tunc est *mansuetus*. Similiter *fidelitas* multum facit amabilem; et haec facit confidere de homine magis in verbo quam in corde, quia affectus est variabilis.

30. Quarto, fruor *corpore meo* in Deo, quando mundum servo corpus meum, et hoc, quando servatur *modestia* in gustu, *continentia* in tactu, *castitas* in omnibus sensibus. In gustu principaliter notatur modestia. *Corpora* luxuriosorum, gulosorum, incontinentium non *sunt in pace sepulta*[3].

Tria et quarta.

31. Sic ergo *descendendo*, ex caritate, quae est *unguentum fluens a capite ad barbam usque ad oram vestimenti*[4], est fruitio *Dei*, *mei*, *proximi*, *corporis*. Sicut ergo sunt duodecim fructus ex duodecim illustrationibus *ascendendo* ad caritatem, sic sunt duodecim fructus *descendendo*. Et hoc est illud quod in Apocalypsi dicitur, *ex utraque parte fluminis esse lignum vitae, afferens fructus duodecim per duodecim menses:* ab una parte fluminis fructus *intellectuales*, ab altera *affectuales;* vel ab una parte fructus *ascendentes*, ab altera *descendentes*.

De hoc duplici duodenario.

32. Iste ergo est fructus Scripturarum, scilicet caritas. Propter hanc sunt *mysteria*, *intelligentiae*, *theoriae*. Unde in fine Apocalypsis[5]: *Beati, qui lavant vestimenta sua, ut intrent per portam civitatis.* — Et dicebat: Imaginor illas duodecim illustrationes primas sive ascendentes, quae fluunt a Deo et ad Deum terminantur et currunt per totam Scripturam; imaginor sicut duodecim rivulos, ut in quemcumque anima intret, inveniat silvam et arborum amoenitatem ac fructuum ubertatem.

Epilogus.

COLLATIO XIX.

De tertia visione tractatio septima et ultima, quae agit de recta via et ratione, qua fructus Scripturae percipiantur, sive qua per scientiam et sanctitatem ad sapientiam perveniatur.

SUMMARIUM. — *Introductio. Invitatio ad percipiendum praedictos fructus Scripturae et ad transeundum a vanitate ad veritatem; duplex transitus*, 1. — *Relicta vanitate, sectandu est sapientia, quae delectatur in solo Deo*, 2. — *Periculum in transitu de scientia rerum inferiorum ad sapientiam superiorum gustantem; a scientia ascendendum est per sanctitatem ut viam medium ad sapientiam*, 3-5. — Pars I. De scientia et de modo studendi, qui debet habere quatuor conditiones. De his quatuor. *Primo, de ordine observando in studio. Quatuor sunt genera scripturarum*, 6. — *De primo genere sive de s. Scriptura; excellentia eius; quomodo in ea studendum*, 7-9. — *De secundo genere sive de originalibus Sanctorum*, 10. — *De tertio sive de Summis magistrorum*, 11. — *De quarto sive de philosophia*, 12-15. — *De secunda conditione sive de assiduitate*, 16. — *De tertia sive de complacentia*, 17. 18. — *De quarta sive de commensuratione*, 19. — Pars II. De sanctitate ut via ad sapientiam et de ipsa sapientia. *Quatuor proprietates vitae sanctae; primo debet esse vita*

---

[1] Deut. 33, 19: Qui inundationem maris quasi lac sugent. — Seq. locus est Iac. 1, 2.

[2] Vox *gregalis*, teste Forcellini, interdum (etiam apud Ciceronem) sumitur de hominibus in bonam partem; il substituit *congregabilem*, Vat. *familiarem*.

[3] Eccli. 44, 14: Corpora ipsorum in pace etc.

[4] Psalm. 132, 2: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Cfr. supra pag. 290, nota 2. — Inferius allegatur Apoc. 22, 2: Ex utraque... afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.

[5] Cap. 22, 14: Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae, et per portas intrent in civitatem.

Digitized by Google

timorata, 20. — *Secundo, impolluta*, 21. — *Tertia, religiosa*, 22. — *Quarto, aedificatoria*, 23. — *Sapientia, quae est fructus scientiae et sanctitatis, consistit in quatuor: primo in recognitione internorum defectuum*, 24. — *Secundo, in castigatione passionum*, 25. — *Tertio, in ordinatione cogitationum*, 26. — *Quarto, in desiderii sursumactione*, 27.

Introductio.

1. *Protulit terra herbam virentem*[1] etc. Dictum est de fructibus sacrae Scripturae; et ad hos fructus invitat nos Sapientia aeterna: in Ecclesiastico: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et gratiae. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* Si volumus *transire*, oportet, nos esse filios Israel, qui transierunt Aegyptum; sed Aegyptii non transierunt, sed submersi sunt[2]. Illi autem *transeunt*, qui totum suum studium ponunt, qualiter a vanitatibus transeant in regionem veritatis. A veritate in vanitatem *transivit Adam*, unde in Psalmo: *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur. Thesaurizat et ignorat, cui congregabit eo. Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, indurat et arescat.* Quando ergo amatur commutatio bonum, transitorium, vanum; tunc homo *transit*; et hunc transitum reprobat Sapientia. Hic transitus facit omne malum. Sic transivit lucifer, cui dictum est[3]: *Verumtamen ad infernum detraheris.* Primo projectus est per culpam, secundo per judicium. Sic etiam fecit Adam; postquam dimisit lignum vitae, abscondit se. Vidit enim se nudum ab omnibus habitibus bonis; propter quod abiectus est de paradiso.

Invitat Sapientia.

Transitus bonus et malus.

2. *Sapientia* ergo et *caritas* sunt principales fructus: quibus principaliter est contraria *vanitas*. Unde in Cantico exprimitur *sapientia amorosa*. Non enim potest quis *dicere* verba Cantici sine sapientia et amore, nec nisi elongatus a vanitate. Et ideo Ecclesiastes praecedit hunc librum; ubi ostendit vanitatem, cum dicit[4]: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Haec propositio vera est et probatur in toto libro. Oportet ergo transire ab omnibus ad veritatem, ut non sit delectatio nisi in Deo.

Secundo sapientia et caritas.

Relinquenda vanitas.

3. Quomodo autem transeundum est? Volunt omnes esse sapientes et scientes. Sed cito accidit, quod mulier decipit virum[5]. Sapientia autem est *supra* tanquam nobilis; sed scientia *infra*, at videtur homini pulcra, et ideo vult sibi coniungi, et inclinatur anima ad scibilia et sensibilia et vult ea cognoscere et cognita experiri et per consequens eis uniri. Et ita enervatur, ut Salomon, qui voluit omnia scire *et disputavit super ligno a cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum*[6]; et obliitus est principalis, et ideo est factus vanus. Non est ergo securus transitus a *scientia* ad *sapientiam*; oportet ergo medium ponere, scilicet *sanctitatem*. Transitus autem est *exercitium*: exercitatio a studio scientiae ad studium sanctitatis, et a studio sanctitatis ad studium sapientiae; de quibus in Psalmo[7]: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me.* Incipit a summo, quia vellet gustare, quam *bonus et suavis est Dominus*; ad sapientiam autem pervenire non potest nisi per disciplinam, nec ad disciplinam nisi per scientiam: non est ergo praeferendum ultimum primo. Malus esset mercator, qui stannum praeferret auro. Qui enim praefert scientiam sanctitati numquam prosperabitur.

Periculum in hoc transitu.

Media via ad sanctitatem.

Triplex esse etiam.

4. Augustinus, de Civitate Dei[8], dicit, quod Angeli boni sive spiritus habent nomen *angeli*, scilicet *nuntii*, quia de humilitate gaudent; spiritus nequam vocantur *daemones*, scilicet *scientes*, quia ab illius fastu volunt nominari. Sed verendum est quod dicit Job[9] de behemoth-leviathan: *Sternet sibi aurum quasi lutum.* Per scientiam enim est tentatio facilis ad ruinam. Unde: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Unde quidam super viam naturae volunt perscrutari, sicut de contingentibus. Beatus Bernardus dicit de gradibus superbiae, quod primum vitium est curiositas, per quod lucifer cecidit; per hoc etiam Adam cecidit. Appetitus scientiae modificandus est, et praeferenda est ei sapientia et sanctitas.

Tentatio in scientia.

Curiositas.

---

[1] Gen. 1, 12. — Seqq. locus est Eccli. 24, 23. (Vulgata *honestatis* pro *gratiae*) et 26. — De *fructibus* cfr. collat. praeced.

[2] Cfr. Exod. 14, 1. seqq. — Subinde allegatur Ps. 38, 7. et 89, 6. (Mane sicut herba etc.).

[3] Isai. 14, 15. — Inferius respicitur Gen. 3, 6. seqq.

[4] Cap. 1, 2. Cfr. supra pag. 363, nota 8.

[5] Respicitur Gen. 3, 6. et 12.

[6] Libr. III. Reg. 4, 33. Cfr. supra pag. 340, nota 2.

[7] Psalm. 118, 66. Explicationem vide supra collat. 2. n. 3. seqq. — Subinde respicitur Ps. 33, 9: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.

[8] Libr. XV. c. 23. n. 1: Scriptum est enim [Ps. 103, 5.]: *Qui facit angelos suos spiritus*, id est, eos qui natura spiritus sunt, fecit esse angelos suos, iniungendo eis officium nuntiandi. Qui enim Graece dicitur ἄγγελος, quod nomen Latina declinatione angelus perhibetur, Latina lingua *nuntius* interpretatur. Libr. IX. c. 20: Δαίμονες enim dicuntur, quoniam vocabulum Graecum est, ob *scientiam* nominati. Apostolus autem Spiritu sancto locutus ait [I. Cor. 8, 1.]: *Scientia inflat, caritas vero aedificat*... Est ergo in daemonibus scientia sine caritate, et ideo tam inflati, id est tam superbi sunt etc.

[9] Cap. 41, 21. — Seq. locus est Gen. 3, 5. Sententia Bernardi habetur in Tract. de gradibus humilitatis et superbiae, c. 10. n. 28: Primus itaque superbiae gradus est curiositas. Ibid. n. 31. seqq. agit de lucifero et n. 38. ait: Quod [lucifer] per curiositatem a veritate ceciderit, quia prius speravit curiose quod affectavit illicite, speravit praesumtuose. Cfr. II. Sent. d. 5. a. 4. q. 1. arg. 6. ad oppos. Ibid. d. 22. a. 1. q. 2. agitur de peccato Adami et dicitur: Fuit etiam [in eo] quaedam avaritia, dum *curavit* scire voluit, quid sibi evenirent, dum cibum vetitum degustaret.

Digitized by Google

Finis scientiae.

3. Qualiter ergo studendum est *scientiae* et *sanctitati* et *sapientiae?* Oportet *scire*, ut de *fructibus sapientiae* habeatur, et per portas civitatis possimus introire; Ecclesiastes[1]: *Labor stultorum perdet eos qui nesciunt in urbem pergere*, hoc est, qui nesciunt studere in quibus oportet. In Genesi dicitur, quod *tulit Dominus Deus hominem et posuit in paradiso, ut operaretur et custoditet illum.* — Oportet *operari* in sacra Scriptura et exercitare intellectum. Seneca: « Multos inveni exercitantes corpus, paucos ingenium ». Haec exercitatio est spiritus ad pietatem; unde in Proverbis[2]: *Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti. Et ecce, totum repleverant urticae, et operuerant superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erat.* Hoc fit, quando homo habet bonam dispositionem et non exercet eam, sed crescunt ibi *urticae* malignitatis, *spinae* cupiditatis. *Maceria lapidum* virtutum destruitur propter dissipationem cogitationum; unde ibidem: *Praepara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum.*

Exercitatio spiritus necessaria.

Pars I. De scientia et modo studendi.

Quatuor requiruntur.

Primo, ordo.

6. Modus studendi debet habere quatuor conditiones: *ordinem, assiduitatem, complacentiam, commensurationem.* — *Ordo* diversimode traditur a diversis; sed oportet ordinate procedere, ne de primo faciant posterius. Sunt ergo quatuor genera scripturarum, circa quae oportet ordinate exerceri. Primi libri sunt sacrae Scripturae. In testamento veteri secundum Hieronymum[3] viginti duo libri, in novo testamento octo sunt. Secundi libri sunt originalia Sanctorum; tertii, Sententiae magistrorum; quarti, doctrinarum mundialium sive philosophorum.

Genera 4 librorum.

Excellentia Scripturae.

7. Qui ergo vult discere quaerat scientiam in fonte, scilicet in *sacra Scriptura*, quia apud philosophos non est scientia ad dandam remissionem peccatorum; nec apud Summas magistrorum, quia illi ab originalibus traxerunt, originalia autem a sacra Scriptura. Unde dicit Augustinus[4], quod ipse decipi potest et alii; sed ibi est fides tanta, ubi non potest esse deceptio. Et hoc dicit Dionysius de Divinis Nominibus, quod « nihil assumendum est, nisi quod ex eloquiis sacris divinitus nobis est expressum ». — Studere debet Christi discipulus in sacra Scriptura, sicut pueri primo addiscunt *a, b, c, d* etc., et postea syllabicare et postea legere et postea, quid significet pars. Similiter in sacra Scriptura primo debet quis studere in textu et ipsum habere in promptu et intelligere, « quid dicitur per nomen[5] », non solum sicut Iudaeus, qui semper intendit ad litteralem sensum. Tota Scriptura est quasi una cithara, et inferior chorda per se non facit harmoniam, sed cum aliis; similiter unus locus Scripturae dependet ab alio, immo unum locum respiciunt mille loca.

Modus studendi.

Notandum.

8. Notandum, quod quando Christus fecit miraculum de conversione aquae in vinum, non statim dixit: fiat vinum, nec ferit de nihilo; sed voluit, quod ministri implerent hydrias aqua, ut dicit Gregorius[6]. Ad *litteram*, quare sic fecit, ratio reddi non potest; sed secundum *spiritualem intelligentiam* reddi potest ratio: quia Spiritus sanctus non dat spiritualem intelligentiam, nisi homo impleat *hydriam*, scilicet capacitatem suam, *aqua*, scilicet notitia literalis sensus, et post convertit Deus aquam sensus literalis in vinum spiritualis intelligentiae. — Propter hoc Paulus fuit altus, quia ipse didicerat Legem ad pedes Gamalielis[7]. Unde qui Scripturam habet potens est in eloquiis et etiam in venusto sermone. Unde beatus Bernardus parum sciebat, sed quia in Scriptura multum studuit; ideo locutus est elegantissime.

Confirmatur per studio.

Exempla.

9. Primum igitur est, quod homo habeat Scripturam non sicut Iudaeus, qui solum vult corticem. Unde quidam Iudaeus semel legebat illud capitulum Isaiae[8]: *Domine, quis credidit auditui nostro* etc.; et legebat ad litteram et non potuit habere concordantiam nec sensum, et ideo proiecit librum ad terram, imprecans, ut Deus confunderet Isaiam, quia, ut sibi videbatur, non poterat stare quod dicebat.

De quodam Iudaeo.

10. Ad hanc autem intelligentiam non potest homo pervenire per se, nisi per illos quibus Deus revelavit, scilicet per *originalia Sanctorum*, ut Augustini, Hieronymi et aliorum. Oportet ergo recurrere ad originalia Sanctorum; sed ista sunt difficilia; ideo necessariae sunt Summae magistrorum, in quibus elucidantur illae difficultates. Sed cavendum est de multitudine scriptorum. Sed quia ista scripta

Libri Sanctorum magistrorum, philosophorum.

---

[1] Cap. 10, 15. — Seq. locus est Gen. 2, 15. Sententia Senecae habetur in Epist. 80. (alias 81.): Cogito mecum, quam multi corpora exerceant, ingenia quam pauci.

[2] Cap. 24, 30. et 31. — Seq. locus est ibid. v. 27.

[3] Proleg. in libros Regum: Quomodo igitur viginti duo elementa [i. e. litterae alphabeti] sunt, per quae scribimus Hebraice omne, quod loquimur... ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi litteris et exordiis in Dei doctrina tenera adhuc et lactens viri iusti eruditur infantia. Cfr. supra pag. 202, nota 10.

[4] Epist. 82. (alias 19.) c. 1. n. 3. (et c. 3. n. 24.) dicit, quod solis canonicis Scripturarum libris convenit, « ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam ». Cfr. can. *Ego solis eis* (5.) et seqq. d. 9. — Verba Dionys. invenimus de Div. Nom. c. 4. § 2.

[5] Secundum Aristot. supra pag. 50. nota 7. allegatum.

[6] Libr. I. Homil. in Ezech. homil. 6. n. 7: Quem non parvulorum ipsa evangelica historia in miraculi operatione relinquit, quod hydrias vacuas Dominus aqua impleri praecepit eandemque aquam protinus in vinum vertit [Ioan. 2, 7.]?... Qui enim mutare aquam in vinum potuit etiam vacuas hydrias valuit vino statim replere. Sed impleri hydrias aqua iubet, quia prius per sacrae lectionis historiam corda nostra replenda sunt. Et aquam nobis in vinum vertit, quando ipsa historia per allegoriae mysterium in spiritalem nobis intelligentiam commutatur.

[7] Act. 22, 3: Ego sum vir Iudaeus... secus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternae Legis, aemulator Legis, sicut et vos omnes estis hodie.

[8] Cap. 53, 1. seqq.; Rom. 10, 16. praemittitur *Domine*.

Digitized by Google

adducunt philosophorum verba, necesse est, quod homo sciat vel supponat ipsa. — Est ergo periculum descendere ad *originalia*, quia pulcher sermo est originalium; Scriptura autem non habet sermonem ita pulcrum. Unde Augustinus, si tu dimittas Scripturam et in libris suis studeas, pro bono non habet; sicut nec Paulus de illis qui in nomine Pauli baptizabantur [1]. Sacra Scriptura in magna reverentia habenda est. Periculum in secundis.

11. Maius autem periculum est descendere ad *Summas magistrorum*, quia aliquando est in eis error; et credunt, se intelligere originalia, et non intelligunt, immo eis contradicunt. Unde sicut fatuus esset qui vellet semper immorari circa tractatus et nunquam ascendere ad textum; sic est de Summis magistrorum. In his autem homo debet cavere, ut semper adhaereat viae magis communi. Maius periculum in tertiis.

12. Descendere autem ad *philosophiam* est maximum periculum; unde Isaias [2]: *Pro eo, quod abiecit populus ille aquas Siloe, quae currunt cum silentio, et assumsit magis Rasin et filium Romeliae; propter hoc, ecce, Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum* etc. Non amplius revertendum est in Aegyptum. — Notandum de Hieronymo, qui post studium Ciceronis non habebat saporem in propheticis libris; ideo flagellatus fuit ante tribunal [3]. Hoc autem propter nos factum est; unde magistri cavere debent, ne nimis commendent et appretientur dicta philosophorum, ne hac occasione populus revertatur in Aegyptum, vel exemplo eorum dimittat *aquas Siloe*, in quibus est summa perfectio, et vadant ad aquas philosophorum, in quibus est aeterna deceptio. Maximum in quartis. Exemplum.

13. Signatum fuit hoc in Gedeone [4], ubi illi qui probati fuerunt ad aquas, qui scilicet lambuerunt sicut canes, pugnaverunt et vicerunt; et illi qui flexo poplite incurvati biberunt, reversi sunt; et vincentibus datae sunt tubae, lagenae et lanternae, et per clangorem buccinae et complosionem lagenarum vicerunt. Isti sunt Ecclesiae praedicatores, qui clangunt in praedicatione *buccina*. *Lagenae* sunt corpora, *lampades* sunt miracula. Quando enim pro veritate mortui sunt, miraculis coruscaverunt et superaverunt hostes. Isti autem, qui bibunt *lingua* attrahendo sicut canes, qui parum aquae lingua haurinunt, sunt qui de philosophia parum sumunt; sed illi qui *flexo poplite* bibunt, sunt qui totaliter se ibi inrurvant; et illi curvantur ad errores infinitos, et inde fovetur fermentum erroris; Osee [5]: *Quievit paululum civitas a commixtione fermenti, donec fermentaretur totum;* et fovent *ova aspidum, ut quod confotum fuerit erumpat in regulum.* Figurator in Scriptura.

14. Nota de beato Francisco, qui praedicabat Soldano. Cui dixit Soldanus, quod disputaret cum sacerdotibus suis. Et ille dixit, quod secundum rationem de fide disputari non poterat, quia supra rationem est, nec per Scripturam, quia ipsam non reciperent illi; sed rogabat, ut fieret ignis, et ipse et illi intrarent. — Non igitur tantum muscendum est de aqua philosophiae in vinum sacrae Scripturae, quod de vino fiat aqua; hoc pessimum miraculum esset: et legimus [6], quod Christus de aqua fecit vinum, non e converso. — Ex hoc patet, quod credentibus fides non per rationem, sed per Scripturam et miracula probari potest. In Ecclesia etiam primitiva libros philosophiae comburebant [7]. Non enim panes mutari debent in lapides. Exemplum in Francisco. Continuatur.

15. Est ergo ordo, ut prius studeat homo in sacra Scriptura quantum ad litteram et spiritum, post in originalibus, et illa subiiciat sacrae Scripturae; similiter in scriptis magistrorum et in scriptis philosophorum, sed transeundo et furando, quasi ibi non sit permanendum. Quid lucrata fuit Rachel, quod *furata* fuit *idola patris sui* [8]? Tantum fuit lucrata, quod mentita fuit et simulavit infirmitatem et *abscondit ea subter stramenta cameli et sedit desuper;* sic, quando quaterni philosophorum absconduntur. Aquae nostrae non debent descendere ad mare mortuum, sed in suam primam originem. Epilogus.

16. Secundo oportet habere *assiduitatem*. Impedimentum enim est maximum lectio vagabunda, quasi plantans modo hic, modo ibi; modo legere De secunda conditione.

---

[1] Cfr. 1. Cor. 1, 12. seqq.

[2] Cap. 8, 6. et 7. Cfr. supra collat. 17. n. 27.

[3] Epist. 22 n. 30. de se ipso confitetur: Itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus... Dum ita me antiquus serpens illuderet, in media ferme Quadragesima medullis infusa febris corpus invasit exhaustum... cum subito raptus in spiritu ad tribunal iudicis pertraior... Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui praesidebat: Mendris, ait, Ciceronianus es, non Christianus; *ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum* [Matth. 6, 21.]. Illico obmutui, et inter verbera, nam caedi me iusserat, conscientiae magis igne torquebar etc.

[4] Iudic. 7, 4. seqq. Cfr. Gregor., XXX. Moral. c. 25. n. 74. seqq., ubi hic locus simili modo explicatur. Ibi n. 75. dicitur: Designatur itaque in *tubis* clamor praedicantium, in *lampadibus* claritas miraculorum, in *lagenis* fragilitas corporum. Num. 74: *Aquae* namque doctrina sapientiae, *stante autem genu* recta operatio designatur. Qui ergo, dum aquas bibunt, *genuflexisse* perhibentur, a bellorum certamine prohibiti recesserunt etc.

[5] Cap. 7, 4. — Seq. locus est Isai. 59, 5: Ova aspidum ruperunt et telas araneae texerunt; qui comederit de ovis eorum morietur; et quod confotum est erumpet in regulum.

[6] Ioan. 2, 7. seqq. — De S. Francisco cfr. Bonav., Legenda S. Francisci, c. 9.

[7] Cfr. Act. 19, 19. Alloditur ad Luc. 11, 11. et Matth. 4, 3.

[8] Cfr. Gen. 31, 19. Ibid. v. 34. et 35. seq. locus. Inferius respicitur los. 3, 16, ubi narratur, quod, ingresso populo Israel Iordanem, « steterunt aquae... quae autem inferiores erant in mare solitudinis, quod nunc vocatur mortuum, descenderunt, usquequo omnino deficerent ». Ps. 113, 3: Iordanis conversus est retrorsum. Cfr. supra collat. 14. n. 22. — Du Cange, Glossarium etc.: *Quaternum* vel *quaternus* chartae compactae, Gallice *cahier*.

Digitized by Google

unum, modo alium. Vagatio exterior signum est vagationis animae; et ideo talis non potest proficere, quia non figitur in memoria; sicut ponit exemplum Gregorius[1], quod quando homo videt semel faciem hominis, non ita perfecte postea cognoscit, sed quando frequenter videt, postea cognoscet. Sic de sacra Scriptura: quia primo faciem obscuram habet, postea, quando frequenter videtur, efficitur familiaris.

17. Tertio oportet habere *complacentiam*. Sicut enim Deus proportionavit gustum et cibum, quia cibo delit saporem, gustui autem discretionem; et ex his duobus cibus incorporatur: sic primo oportet *sumere* Scripturam, postea *masticare*, demum *incorporare*. Ad quid homo bibet aquam turbidam? Ieremias[2]: *Quid tibi vis in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam?* Sed bibe aquam salutarem, scilicet *sapientiae*. De tertia conditione.

18. Nota, quod animal, quod non ruminat, immundum est[3]. Ruminatio enim fit eo, quod animal habet duos ventres; attrahit cibum ad os et totum ruminat et proicit in alterum ventrem ulteriorem. — In Psalmo[4]: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Non diligas meretricem et dimittas sponsam tuam; in Sapientia: *Hanc amavi et exquisivi a iuventute mea.* Non accipias glandes et *siliquas porcorum*, ut suspendaris cum Absalom *per capillos*, scilicet affectus tuos. Doctrinae saeculares sunt sicut quercus altae, proceres, inflexibiles. Noli comedere pepones Aegypti et porros et allia, sed *manna de caelo*[5]; et non nauseas *super cibo isto*, non sis carnalis, sicut filii Israel; et hi non inveniebant nisi unum saporem, sed alii homines spirituales inveniebant *omnis saporis suavitatem*. Mentio.

19. Quartum est *commensuratio*, ut non velit sapere super vires, *sed sapere ad sobrietatem*[6]. Unde ait Sapiens: *Mel invenisti, comede quod tibi sufficit, ne forte satiatus evomas illud.* Non plus te extendas, quam ingenium tuum potest ascendere, nec infra maneas. Unde in designationem huius, ut dicit Dionysius, Seraphim *mediis* volabant alis, ut nec *sistat* homo citra id quod potest, nec *ascendat* ultra id quod potest; sicut illi qui cantant ultra vires, nunquam bonam faciunt harmoniam. — Et dicit Augustinus[7], quod illi qui non ordinant studium, sunt sicut pulli equorum, qui modo currunt huc, modo illuc; sed iumentum plano passu tantum vadit, eo quod aeque proficit; sic unus durus, dummodo ordinare sciat studium suum, sicut ingeniosus inordinate studens. De quarta conditione. Epilogus partis I.

20. Qui autem vult profitere in hoc studio, oportet, quod habeat sanctitatem et possit studere ad vitam *timoratam*, *impollutam*, *religiosam*, *aedificatoriam*. — Haec est vita Sanctorum *timorata*, ut in his quae agit, semper timeat, sive vadens ad Missam, sive ad mensam, sive stans, sive ambulans, quia in omnibus potest esse peccatum; Iob[8]: *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Optimum signum est timor, et pessimum signum est audacia, quia talis nunquam corrigitur. Pars II. De sanctitate et sapientia. Sanctitatis 4 proprietates. Est timorata.

21. Secundo, vita *impollota*, quod totum faciat propter *amorem Dei*, non propter amorem alicuius rei, qua omnis amor suspectus est nisi Dei. Unde dicit Augustinus[9], et beatus Bernardus in quadam epistola ad quendam monachum, quod dilectio Apostolorum ad carnem Christi impedichat adventum Spiritus sancti. Quid de alio amore creaturarum? Psalmus[10]: *Renuit consolari anima mea* etc. *Custodi me, Domine, ut pupillam oculi.* Pupilla non bene custoditur munda, quando est vapor, vel pulvis, vel humor in ea. Impollota.

22. Tertio, quod sit vita *religiosa*, clausa sicut maceria vineae; sic oportet, quod homo faciat sibi restrictionem gustus, linguae et sensuum ceterorum: quia, *si quis putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum; huius vana est religio*[11]. *Sepi aures tuas spinis.* Vita nostra non debet esse data loquelis, sed lacrymis. Religiosa.

---

[1] Lib. IV. Moral. Praef. c. 1. n. 1: Sicut enim ignotorum hominum facies cernimus et corda nescimus, sed si familiari eis locutione coniungimur, usu colloquii eorum etiam cogitationes indaganmus; ita, cum in sacro eloquio sola historia aspicitur, nihil aliud quam facies videtur, sed si huic *assiduo usu* coniungimur, eius nimirum mentem quasi ex collocutionis familiaritate penetramus.

[2] Cap. 2. 18.

[3] Levit. 11, 26: Omne animal, quod habet quidem ungulam, sed non dividit eam nec ruminat, immundum erit. Cfr. ibid. v. 7.

[4] Psalm. 118. 103. — Seq. locus est Sap. 8, 2. Subinde respicitur Luc. 15, 16: Et cupiebat impiere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant. De Absalom cfr. II. Reg. 14, 26 et 18, 9. Gregor., II. Moral. c. 52. n. 82: Nam quid morahter per *capillos* nisi defluentes animi cogitationes accipimus?

[5] Exod. 16, 3. seqq. et Num. 11, 4. seqq.; ibid. 21, 5: Anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo. Sap. 16 20: Pro quibus Angelorum esca nutrivisti populum tuum... omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem. Cfr. Gregor., VI. Moral. c. 16. n. 22.

[6] Rom. 12, 3. — Seq. locus est Prov. 25, 16. Dionys., de Ecclesiast. Hierarch. c. 4. § 8: Si autem [Seraphim; cfr. Isai. 6, 2.] facies et pedes tegunt et solis volant *mediis alis*, intelligo sacre, quia tantum exaltatus excellentissimarum essentiarum ordo timidus est circa intelligentiarum eius altiora et profundiora, et mediis alis in commensuratione ad divinam visionem exaltatur etc. (versio Scoti Erig.).

[7] Cfr. III. Hypognost. (inter opera August.) c. 11. n. 20, ubi dicit: *Iumentum* animal vivacissimum, ut dometur ad opus homini necessarium, de armento vagum apprehenditur, et incipit per curam domantis se ad eius proficere voluntatem.

[8] Cap. 9, 28.

[9] In Ioan. Evang. tr. 91. n. 4; I. de Trin. c. 9. n. 18; Serm. 270. (alias 22. ex Sirmond.) n. 2. et II. de Peccator. meritis etc. c. 32. n. 52; Bernard., Epist. 420. (alias 385.) ad quosdam noviter conversos, n. 3. et Serm. 3. in Ascens. Domini, n. 3. seq.

[10] Psalm. 76, 3. seqq. et 16, 8.

[11] Iac. 1, 26. — Seq. locus est Eccli. 28, 28. Superius per verba *sicut maceria vineae* respicitur Ps. 79, 13. et Isai. 5, 5.

Digitized by Google

23. Quarto, quod sit vita *aedificatoria* proximi et remoti, ut sit paratus omnes aedificare et doleat, si quis ex ipso scandalizatur; et debet cavere damna alterius; quia, si ego solus bene comederem, et alii ieiunarent, male factum esset. Et iste est fructus aliorum. Aedificatoria.

24. Item sequitur ex his praedictis, scilicet scientia et sanctitate, fructus sapientiae vel studium, quod consistit in quatuor, quae sunt necessaria, scilicet *recognitio internorum propriorum defectuum.* Unde in fronte Apollinis scriptum erat [1]: « Hecognosce te ipsum »; sine hoc impossibile est venire ad sapientiam. Unde quanto sapiens plus proficit, tanto plus se despicit. Unde malus mercator est qui se ipsum decipit; quod facit qui se appretiatur plus quam valet; sed debet alios appretiari et se despicere; et hoc est principalissimum studium sapientiae, ut sibi ipsi persuadeat homo suos defectus et fiat humilis in oculis suis. Fructus utriusque sapientiae hoc consistit in quatuor. Primum studium.

25. Secundum studium sapientiae est *castigatio passionum*, quae sunt septem affectiones animae, quatuor principales et tres annexae: *timor, dolor, spes, gaudium* [2]; *desiderium, verecundia, odium.* Etiam in omnibus his contingit excedere. Puer autem, quando nimis clamat, compescitur; sic homo censura quadam iudiciali debet domare et restringere huiusmodi passiones, ut, quando venit dolor, dicatur sibi: sta in pace, et sic de aliis; et praescinde istas puerilitates et pueriles affectiones. Pueri enim insecutores sunt passionum; *maledictus puer centum annorum* [3]. Secundum.

26. Tertium studium sapientiae est *ordinatio cogitationum;* unde: *Stultus per fenestram prospicit in domum proximi* [4]. Et hic est magna difficultas ordinare phantasmata nostra, ut, quando sumus in Ecclesia, nil cogitemus nisi de officio, et sic de aliis; et necessario oportet ordinare has cogitationes ad hoc, quod Spiritus sanctus intret per sapientiam, quia *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu* [5]. Et ideo oportet habere certas materias, circa quas nos exerceamus. Tertium.

27. Quartum studium sapientiae est *desiderii sursumactio;* hoc facit alia studia valere, ut posteriora *obliti extendamus nos ad ea quae sunt priora* [6]. *Sapientis oculi in capite eius. Cor sapientis in dextera eius.* Hoc est sapientis studium, ut non declinet studium nostrum nisi ad Deum, qui est *totus desiderabilis.* — Haec quatuor sunt difficilia, nisi habeantur prima studia, et cum his sunt facilia. Unde facile est tunc habere dominium supra passiones, ut dicitur de quodam philosopho [7], qui dixit servo suo: « Quantum te affligerem, si non essem iratus ». Quartum. De his quatuor.

COLLATIO XX.

De quarta visione, scilicet intelligentiae per contemplationem suspensae, tractatio prima, quae agit in genere de triplici obiecto huius contemplationis sive de contemplatione caelestis hierarchiae, militantis Ecclesiae et mentis humanae hierarchizatae.

Summarium. — *Introductio*, 1. — *Haec intelligentia respondet quartae diei, in qua luminaria facta sunt*, 2. — *Triplex contemplationis obiectum, respondens luci solis, lunae et stellarum*, 3. — Pars I. De primo obiecto sive de considerratione caelestis hierarchiae. *Haec consideratio assimilatur luci solari ob triplicem rationem*, 4. — *Primo, propter fulgorem puritatis praecipuae; confirmatur*

---

[1] Plato in Protagora (ed. Serrani, tom. I. pag. 343): Illi [Thales, Pittacus, Bias, Solon etc.] cum communiter convenissent, communi sententia suae illius sapientiae primitias Apollini consecrarunt, quae templo Delphico inscriptae omnium vocibus celebrantur: *Nosce te ipsum*, et *Ne quid nimis.* Cfr. I. Alcibiad. (tom. II. pag. 129) et Charmides (ibid. pag. 164). Cicer., I. de Legib. c. 23, dicit, quod hoc « Apollo praecepit Pythius ».

[2] Cfr. tom. III. pag. 555, nota 7. et pag. 556, nota 5. — Mox pro *verecundia* (cfr. III. Sent. d. 34. p. II. dub. 3.) II *amor* (a DE ponuntur perperam *amor* et *verecundia*).

[3] Isai. 65, 20: Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. Gregor., XVII. Moral. c. 6. n. 8, hunc locum ita exponit: Ac si aperte nos deterreat, dicens: vita quidem pueri in longum traditur, ut a factis puerilibus corrigatur; sed si a peccati perpetratione nec temporis longinquitate compescitur, haec ipsa vitae longinquitas, quam per misericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis crescit.

[4] Eccli. 21, 26: Stultus a fenestra respiciet in domum (vox *proximi* supplenda est ex v. 25.).

[5] Sap. 1, 5.

[6] Phil. 3, 13: Quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens me ipsum. — Seq. locus est Eccle. 2, 14: tertius (Cor sapientis) ibid. 10, 2; quartus Cant. 5, 16.

[7] Cicer., IV. Tuscul. Disput. c. 36: Ex quo illud laudatur Archytae [Tarentini, quem Plato, ut ipse refert, Epist. 7. ed. Serrani tom. III. pag. 338, in Dionysii familiaritatem adduxerat], qui, cum villico factus esset iratior, « quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem »? — Laert. Diogen., III. de Vitis philosoph., de Platone narrat: Introeuntem aliquando Xenocratem verberare servum iussit, non enim se posse, quoniam iratus esset. Sed et cuidam servorum: « Vapulasses, inquit, nisi iratus essem ». Cfr. Valer. Maxim., IV. Dictorum factorumque memorab. c. 1. Extern. n. 1. et 2.

Digitized by Google

Scriptura, 5. 6. — *Secundo, propter fulgorem limpiditatis praecharae*, 7. — *In anima contemplativa ut in speculo describuntur miro modo mundus, quilibet spiritus caelestis et ipse radius supersubstantialis*, 8. — *Tertio, propter fulgorem inflammationis vivificae; status quatuor in animis*, 9. — *De perfecta contemplatione*, 10. 11. — *Epilogus partis I*, 12. — Pars II. De secundo obiecto sive de consideratione militantis Ecclesiae. *Haec intelligitur per lucem lunarem propter triplicem rationem*, 13. — *Primo, propter refulgentiam subobscuram sive symbolicam*, 14. 15. — *Secundo, propter refulgentiam excessivam sive ecstaticam: de luna ut mirabiliter crescit et minuitur; ipsa significat vitam acticam et contemplativam*, 16-19. — *Tertio, propter refulgentiam ordinatam*, 20. — *Epilogus*, 21. — Pars III. De tertio obiecto sive de consideratione mentis humanae hierarchizatae et de contemplatione circa haec tria obiecta. *Haec consideratio intelligitur per stellas; triplex radiatio*, 22. — *Radiatio mundana*, 23. — *Radiatio divina*, 24. — *Radiatio iucunda*, 25. — *Epilogus praecedentium*, 26. — *Scriptura de viro contemplativo haec tria contemplante*, 27. 28. — *Quaedam in Apocalypsi explicantur*, 29. — *De ordine contemplativo in sexto tempore*, 30.

Introductio

1. *Dixit autem Deus: fiant luminaria in firmamento caeli et dividant diem ac noctem; et sint in signa et tempora et dies et annos. Et fecit Deus duo magna luminaria: luminare maius, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas. Et posuit eas in firmamento caeli, ut lucerent super terram; et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespere et mane, dies quartus*[1]. Dictum est supra, quod *Deus dedit Danieli intelligentiam omnium visionum*; et occasione eius distinctae sunt sex visiones correspondentes operibus sex dierum. — Nunc dicendum est de quarta, scilicet intelligentiae *per contemplationem suspensae*. — Sed intelligendum, quod hanc visionem nullus habet, nisi sit *vir desideriorum*[2], nec potest eam habere nisi per magnum desiderium. Unde Psalmus: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus*. Prioro dicit *gustate*. Gustus enim suavis non est, nisi praecedat appetitus gustabilis vel ad gustabile suscipiendum.

Haec visio respondet quartae diei.

2. Haec autem intelligentia per contemplationem suspensa datur intelligi per quia *quartae diei*, in qua luminaria facta sunt. Anima autem illa sola per contemplationem suspensa est, quae habet solem et lunam et stellas in firmamento suo. Considera, modo si non esset sol et luna et stellae in firmamento, quid esset mundus? Non esset nisi quaedam massa tenebrosa, quia etiam nox cum lumine siderum adhuc tenebrosa et horribilis est. Sic est de anima. Quae enim non habet gratiam contemplationis est sicut firmamentum sine luminaribus; sed quae habet est firmamentum ornatum luminibus. Et sicut differt caelum non habens haec luminaria a caelo habente, sic anima non habens, ab anima disposita ad hoc; male differt sicut Angelus a bestia. Bestialis est homo carens his et habens faciem inclinatam ad terram sicut animal; sed plenus luminibus est totus angelicus[3].

Est circa tria respondens triplici luminari.

3. In quarto die fecit Deus solem et lunam et stellas, quia haec visio est principaliter circa tria: circa luculentam considerationem *caelestis hierarchiae*, circa luculentam considerationem *militantis Ecclesiae*, circa luculentam considerationem *mentis humanae hierarchizatae*. Nisi enim speculetur supernam monarchiam et contemnatur descensum Ecclesiae militantis ab ea et suam ipsius hierarchicam adornationem, nunquam erit contemplativa; sed tunc habebit lucem *solarem, lunarem* et *stellarem*. Prima consideratio comparatur luci *solari*, secunda luci *lunari*, tertia luci *stellari*. Haec anima est felix, quae *se* contemnitur *ornatam* et conformem illi Ierusalem, et *hierarchiam illustratam*, scilicet angelicam, et *hierarchiam illustrantem*, scilicet divinum principatum personarum.

Pars I. De primo visionis obiecto.

4. Luculenta ergo consideratio *caelestis monarchiae* assimilatur luci *solari* propter triplicem rationem: propter fulgorem *puritatis praecipuae*, propter fulgorem *limpiditatis penecharae*, propter fulgorem *inflammationis vivificae*. Haec tria habet illa consideratio.

Respondet luci solari ob 3 rationes.

5. Ratione primi est summae dignitatis et excellentiae, quae habet puritatem et est elongata ab omni faece corruptionis. De ista puritate Ecclesiasticus[4]: *Sicut sol oriens in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus suae*. Haec verba conveniunt aeternae sapientiae et menti aeternae sapientia illustratae. Est enim sicut sol *in altissimis*, non propter positionem, quia sol non est altior omnibus planetis, sed *sol* dicitur *altissimus* ratione *altissimae puritatis, actualitatis* et *lumino-*

Ratio I.

Sapientia comparatur soli.

---

[1] Gen. 1, 14-19. Vulgata plura interserit. — Immediate post allegatur Dan. 4, 17. et respicitur collat. 3. n. 22. seqq.

[2] Dan. 9, 23. Cfr. supra pag. 296, nota 1. — Seq. locus est Ps. 33, 9.

[3] Cfr. August., l. de Gen. contra Manich. c. 17. n. 28. et VI. de Gen. ad lit. c. 12. n. 22.

[4] Cap. 26, 21. Vulgata post *oriens* adiungit *mundo*. Cfr. supra pag. 392, nota 2.

Digitized by Google

sitatis; unde est secundum Isidorum [1] « quasi solus luceus ». Haec est sapientia aeterna, quae ubique *attingit propter suam munditiam.* — Comparatur autem *mulieri bonae*, non propter aliquod femineum vel effeminatum, quod sit in ipso; sed quia in sapientia aeterna est ratio fecunditatis ad concipiendum, producendum et pariendum quidquid est de universitate legum. Omnes enim rationes exemplares concipiuntur ab aeterno in vulva aeternae sapientiae seu utero, et maxime praedestinationis. Unde quia ab aeterno rationes praedestinationis *concepit*, non potest nos non diligere; et sicut ab aeterno concepit, sic in tempore *produxit* sive peperit, et postea in carne patiendo *parturivit.* Et potest hoc intelligere intellectus et habet altissimam contemplationem.

Bona, mulieri bonae.

6. Est ergo haec consideratio illius *esse purissimi;* purissimum autem, quia *simplicissimum*, simplicissimum autem, quia *summe unum.* Ideo dicitur Israel, viro contemplativo: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est* [2]. — Similiter anima contemplativa intelligitur per mulierem aliam; et dicuntur animae contemplativae *filiae Ierusalem*, quia *formosae* et *fecundae.* Et formositas est fecunditas, quia, quanto plus concipiunt lumina, tanto formosiores sunt; unde: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [3]. Unde per puritatem, non per rationem, oportet intrare in contemplationem. Et ideo *cum simplicibus sermocinatio eius;* qui habent mentes puras, non exaeratas propter malitiam superveniente. Animae ergo, quae sunt *formosae* et *fecundae*, dicuntur *filiae Ierusalem* et intelliguntur per *solem* ratione formositatis, et per *mulierem* ratione fecunditatis.

Puritas fuit data in unitate.

Etiam anima contemplativa comparatur illi mulieri.

7. Secundo comparatur *soli* propter fulgorem *limpiditatis praeclarae;* ubi maior fulgor, ibi maior claritas et limpiditas; unde Ecclesiasticus [4]: *Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus eius.* Unde Gregorius: « Quid est, quod non videant qui videntem omnia vident » ? — Anima beati Benedicti bene fuit contemplativa, quae totum mundum vidit in uno radio solis. Non multum studuerat ipse nec libros habebat, quia decimo tertio anno mundum dimiserat et latitabat inter fruteta cum bestiis, sicut una fera; unde etiam pastores crediderunt eum feram. Et ut dicit Gregorius [5], mundus non fuit coangustatus in uno radio solis, sed eius animus fuit dilatatus, qui vidit omnia in illo cuius magnitudine omnis creatura angusta est et parva et modica. Unde in Sapientia [6]: *Quasi momentum staterae est ante te orbis terrarum et sicut gutta roris antelucani.* De hac praeclaritate in libro Sapientiae: *Est enim speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inveniitur prior.*

Ratio 2.

Exemplum.

8. Considera, quod in anima contemplativa describitur universus *orbis* et quilibet *spiritus* caelestis, qui in se habet descriptum totum orbem; describitur etiam *radius supersubstantialis* [7], qui et universum orbem et universum spiritum continet. Ergo in anima contemplativa mira sunt lumina et mira pulcritudo. Sic ergo *mundus*, pulcher a summo ad imum, ab initio ad finem, descriptus in anima fuerit speculum; et quilibet spiritus est speculum [8]: et sic in anima est mira numerositas, summus ordo, summa proportionalitas. Pulcra ergo est universitas *spirituum*, quia, quoties in anima sic refuret dispositio orbis terrarum et spirituum beatorum et radii supersubstantialis, toties in ea est mira refulgentia; et ex hoc est *speciosior sole.* Rursus, *radius*, qui continet omnem dispositionem et repraesentat omnes theorias, est in anima, et in illo anima absorbetur per mentis transformationem in Deum; et ideo est anima super *omnem dispositionem stellarum.*

Mira trium dev ripiolia anima contemplativa.

Notandum.

9. Tertio, haec consideratio comparatur *luci solari* propter fulgorem *inflammationis vivificae.* Est enim radius solis ad vivificandum, non ad consu-

Ratio 3.

---

[1] Libr. III. Etymolog. c. 71. n. 1: *Sol* appellatus, eo quod solus appareat, obscuratis fulgore suo cunctis sideribus. Codd. allegant *Dionys.*, qui de Div. Nom. c. 4. § 1. de sole secundum versionem Vercellensis dicit: « qui non praemissa deliberatione vel electione, sed ex principali naturae suae proprietate per se ipsum, quantum in se est, circumquaque cuncta illuminat luminis sui caussa » etc. Ibid. § 4: ita secundum imaginariam imitationem [bonitatis divinae] lumen solis congregat et ad se convertit omnia videntia, et quae moveantur, illuminantur vel calefiunt, et quae omnino a fulgoribus eius continentur, propter quod *helios* [ἥλιος] appellatur, quoniam omnia indestructibilia [ἀθλίας] facit et congregat disperso etc. — Seq. locus est sup. 7, 24.

[2] Deut. 6, 4. Vide supra pag. 301, nota 7. Cfr. Itinerarium mentis in Deum, c. 5. n. 3. seqq.

[3] Matth. 5, 8. — Seq. locus est Prov. 3, 32. Verba superius posita *filiae Ierusalem* occurrunt in Cant. 1, 4; 2, 7; 3, 5. etc. — Pro *Et formositas est fecunditas* [BIC *omne fecunditatis*] AD1E: *Et formositas est iucunditas;* cfr. infra n. 20.

[4] Cap. 42, 16. Cfr. supra collat. 13. n. 22. — Sententia Gregorii habetur IV. Dialog. c. 33. (vide supra pag. 37, nota 7.). Ibid. II. c. 35: sicut post ipse [Benedictus] narravit, omnis etiam mundus velut sub uno solis radio collectus ante oculos eius adductus est. Ibid. c. 1: Eodem quoque tempore hunc [Benedictum] in specu latitantem etiam pastores invenerunt, quem, dum vestitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt.

[5] Libr. II. Dialog. c. 35: Animae videnti Creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce Creatoris aspexerit, breve ei fit omne, quod creatum est; quia ipsa luce visionis latinae mentis laxatur sinus tantumque expanditur in Deo, ut superior existat mundo... Quid itaque mirum, si mundum ante se collectum vidit qui suleevans in mentis lumine extra mundum fuit? Quod autem *collectus* mundus ante eius oculos dicitur, non caelum et terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus, qui in Deo raptus videre sine difficultate potuit omne, quod infra Deum est etc.

[6] Cap. 11, 23: Quoniam tanquam momentum... et tanquam gutta etc. — Seq. locus est ibid. 7, 29.

[7] Scilicet Deus. Cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 1. seqq.

[8] Vide supra collat. 5. n. 25. seqq. — Respicitur definitio pulcritudinis supra pag. 301, nota 1. ex Augustino allata. — Haec expositio profecto est admirabilis.

Digitized by Google

mendum nisi per accidens et ratione alicuius dispositionis. De hoc calore inflammante Ecclesiasticus[1]: *Sol in aspectu annuntians in exitu, cas admirabile opus Excelsi. In meridiano exurit terram, et in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans et refulgens radiis suis excaecat oculos.* — Vult dicere, quod quando ille sol aspicitur, quod ipse sol sic annuntiat quae sunt apud se et in se, et oritur super hemisphaerium mentis nostrae, quod *in meridiano exurit, et in conspectu ardoris eius non poterit aliquis sustinere.* — Animae enim non sublevatae sunt quasi in *hiene;* sed quae sunt elevatae ad meliorem contemplationem sunt quasi in *vere;* sed quae elevatae sunt ad excessus *ecstaticos* sunt sicut in *aestate* et percipiunt fructus *autumnales*, quia quiescunt. Tunc enim in *autumno* colligunt fructus et faciunt et celebrant solemnitates in autumno[2]. Sed ubi exurit in *meridie?* Quando in maxima virtute est, hoc est in *caelo.* Status 5 in animis.

10. Haec enim est perfecta contemplatio; et illas inflammationes et ardores, quos emittit ille sol in animas illas, quae habent excessus mentales, nullus potest explicare. Si enim secundum Apostolum[3] *gemitus* sunt *inenarrabiles*, quibus *postulat pro nobis Spiritus*, quid sunt excessus? quid ardores? Unde: *Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?* — Et vere *sol exurit tripliciter*, quia sol aeternus terram illam *hierarchicam* et istam *humanam* irradiat et inflammat triplici vel trifoeni amore et sursum agit in Deum utramque: *illam* per *tentionem, visionem* et *fruitionem; hanc* per *caritatem de corde puro, conscientia bona, fide non ficta*[4]: hierarchiam, *deo*, caelestem secundum trinas hierarchias collocatam. Contemplatio per excessum et per gloriam.

11. Sed quid est, quod iste radius *excaecat*, cum potius deberet *illuminare?* Sed ista excaecatio est summa illuminatio, quia est in sublimitate mentis ultra humani intellectus investigationem. Ibi intellectus *caligat*, quia non potest investigare, quia transcendit omnem potentiam investigativam. Est ergo ibi caligo inaccessibilis, quae tamen illuminat mentes, quae perdiderunt investigationes curiosas. Et hoc est quod dixit Dominus[5], se habitare *in nebula;* et in Psalmo: *Posuit tenebras latibulum suum.* Excaecat et illuminat.

12. Haec est ergo consideratio luculenta caelestis hierarchiae. Propter haec ergo tria dicitur *sol*. De hoc potest accipi quod scribitur primo Machabaeorum[6]: Epilogus et confirmatio.

Refulsit sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis sicut lampades ignis. Clypei sunt rationes aeternae praedestinationum aeternarum, quae habent rationem armaturae et rationem fulgoris incorruptibilis. *Sol aeternus*, scilicet sapientia aeterna, *refulget in clypeos*, quando sublimat Deus mentem contemplativam ad percipiendum fulgorem veritatis aeternae et illarum rationum; et *montes resplendent*, quia sol ille per istas rationes quasi per *clypeos* aureos illuminat *montes*, hoc est spiritus in aeternitate firmatos et sublimitate, qui recipiunt primo *orientales* radios primaria infusione, *meridionales* perfecta illustratione, *occidentales* postrema retentione. Ili tripliciter arminatur a sole et splendent *sicut lampades ignis*, quia est ibi inflammatio permaxima. Et in hoc est tota ratio contemplationis, quia nunquam verat in contemplatione radius splendens, quin etiam sit inflammans. Et idem in Cantico loquitur Salomon per modum amoris et per modum cantici, quia ad illos fulgores non potest pervenire nisi per amorem.

13. Item, contemplatio consistit in consideratione luculenta *militantis Ecclesiae*. Haec consideratio intelligitur per lacum *lunaceum;* qui enim non novit lunae non potest quidquam comprehendere. Unde non est ornatum caelum, nisi habeat *luminare maius* et *luminare minus*[7]. Unde Ioannes vidit *civitatem Ierusalem* non solum stantem, immo etiam *descendentem a Deo*, formatam et ornatam. Sicut enim radius solis per lunam illuminat noctem, sic radius divinus per Ecclesiam illuminat ipsam animam contemplativam. Radius enim divinus in *caelesti* hierarchia umbram non habet, sicut lux solis non habet tenebrositatem in se sive in suo fonte; sed in luna, quae habet obscuritatem, non est simpliciter clarus. Sic in Ecclesia militante, in qua est radius in figuris et in aenigmatibus. — Comparatur autem Ecclesia militans *lunae* propter refulgentiam *subobscuram* sive symbolicam, propter refulgentiam *excessivam* sive ecstaticam, et propter refulgentiam *ordinatam*. Pars II. De secundo visionis obiecto. Haec comparatur lunae. Ob tres rationes.

14. Prima ergo *refulgentia* in Ecclesia est *symbolica* per symbola Sacramentorum et figurarum, per quae decurrit Ecclesia a principio usque ad finem. De hoc Ecclesiasticus[8]: *Luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis et signum aevi.* Dicit ergo, quod luna est manifestatio temporum et per modum signationis; et hoc est in Ecclesia per symbola; quia « aliter non est possibile, nobis lucere Ratio 1.

---

[1] Cap. 43, 2-4. Voci *Tripliciter* Vulgata praemittit *Fornacem custodiens in operibus ardoris.* De sole vivificante vide pag. 426, nota 1, in fine.

[2] Cfr. Exod. 23, 16, ubi de praecepto celebrandae solemnitatis in exitu anni, quando congregatae fuerunt omnes fruges de agro.

[3] Rom. 8, 26: Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. — Seq. locus est Isai. 33, 14.

[4] Epist. I. Tim. 1, 5. — Paulo ante assignantur tres *dotes* Beatorum, de quibus cfr. Breviloq. p. VII. c. 7. et IV. Sent. d. 49. p. 1. q. 5. De *trina* distinctione hierarchiae caelestis cfr. supra pag. 391, nota 7.

[5] Libr. III. Reg. 8, 12: Dominus dixit, ut habitaret in nebula. — Seq. locus est Ps. 17, 12. Vide supra collat. 2. n. 32. seqq. et itinerarium mentis in Deum, c. 7. n. 5.

[6] Cap. 6, 39: Et ut refulsit sol in clypeos aureos et aereos, resplenduerunt montes ab eis et resplenduerunt sicut etc.

[7] Gen. 1, 16. — Seq. locus est Apoc. 21, 2. et 10.

[8] Cap. 43, 6. — Sententia Dionysii habetur in lib. de Caelesti Hierarch. c. 1. § 2.

Digitized by Google

divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum », secundum Dionysium.

15. Unde lunam videre possumus, non solem, quia radius solis contemperatur nobis per lunam. Sic radius aeternitatis non potest aspici in se, sed si aspicimus illum radium, ut est in Ecclesia, velatum per Sacramenta et figuras; possumus aspicere ipsum, qui nobis ostendit, quae sunt *facta*, quae *facienda*, quae *sunt in aeternitate*: quae sunt *facta*, per allegoriam; quae *facienda*, per tropologiam; quae *in aeternitate*, per anagogiam. Intelliginus enim aliquo modo figurarum doctrinam, quibus testamentum vetus et etiam novum plenum est; ut patet per Apostolum [1], quod passio Christi et *veritas* fuit et *figura*, similiter *resurrectio*. — Et ideo figurae nondum explanatae sunt; sed quando luna erit plena, tunc erit apertio Scripturarum, et liber aperietur, et septem sigilla solventur, quae adhuc non sunt aperta. — Credite mihi, tunc videbimus quasi per plenilunium, quando leo noster de tribu Iuda surget et aperiet librum [2], quando consummabuntur passiones Christi, quas modo corpus Christi patitur. Oportet enim surgere Hierusalem, sub quo illudatur Christus, et Petrus incarceretur.

Explicatur

Triplex sensus mysticus Scripturae.

Futura Scripturae apertio.

16. Item, comparatur lunae propter *refulgentiam expressivam*. Ecclesiasticus [3]: *A luna signum diei festi, luminare, quod minuitur in consummatione. Mensis secundum nomen eius est, crescens mirabiliter in consummatione.* Duo dicit de luna: et quod mirabiliter *crescit* in consummatione et mirabiliter *diminuitur*. Et hoc verum est sive in *coniunctione* cum sole, sive in *oppositione*: in *oppositione* fit; quando enim est in plena oppositione ad solem, tunc distat ab eo magis, quam potest, et tunc minus illuminatur secundum veritatem quam in alio tempore quocumque. — Quod sic probatur. Regula est in perspectiva, quod quando corpus luminosum maius est quam corpus opacum sphaericum, quod illuminat; quanto magis appropinquat corpus ad corpus, tanto magis illuminatur opacum, quia basis corporis luminosi est maior, et angulus radiorum maior; quando vero plus distat, tunc angulus minor est, et basis minus de corpore opaci attingit. Sed quando est in plena oppositione, tunc est in maxima distantia: ergo tunc minus illuminatur secundum veritatem, sed plus secundum apparentiam, quia tunc vocatur *luna plena*.

Ratio 1.

Luna crescit et minuitur.

Modus explicatur.

17. Item, apud *coniunctionem* est e contrario, quia, cum sit in maxima appropinquatione, qua esse potest, tunc illuminatur magis secundum veritatem et minus secundum apparentiam, quia tunc nihil videmus de luna [4]. — Ergo sive *consummatio* intelligatur vel quantum ad *oppositionem*, vel quantum ad *coniunctionem*, utrumque verum est: et quod *mirabiliter crescit* et *mirabiliter minuitur in consummatione*.

Continuatur.

18. Luna, quae *crescit* et *minuitur*, significat hominem in vita *activa* et *contemplativa*, sicut stella matutina, quae aliquando praecedit solem, et tunc significat vitam *contemplativam*; et aliquando sequitur, et tunc significat vitam *activam*. — Haec luna est Ecclesia, vacans contemplationi et actioni. Quando vacat contemplationi, tunc summe illuminatur fulgoribus caelestibus: quando vero vacat actioni, tunc minus illuminatur; et non vivit homo, qui non minuatur, quando dat se actioni, excepto Christo, qui fuit perfectus et in actione et contemplatione. Unde nullus homo sapiens unquam descendit ad actionem, maxime praesidentium, nisi quadam necessitate; quia, secundum Gregorium in Pastoralibus [5], « pollens virtutibus invitus accedit, carens vero virtutibus nec coactus ». Quare? quia ex hoc minuitur lumen illud, quod est maximae illuminationis, scilicet contemplationis.

Hinc applicatur ad duplicem vitam.

Notandum.

19. Sed econtra, sicut sponsa desiderat sponsum, et materia formam, et turpe pulcrum [6]; ita anima appetit uniri per excessum contemplationis; et tunc, quando hemisphaerium animae totum luminibus plenum est, tunc homo exterius fit totus deformis, tunc homo fit sine loquela. Unde tunc habet veritatem illud in Cantico [7]: *Nolite me considerare, quod fusca sum, quia decoloravit me sol*, quia tunc maxime coniungitur interioribus illuminationibus; unde in Exodo: *Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae factus sum*. Similiter Iacob, scilicet Israel, vir fortis, fortificatus fuit in luctu Angeli, emarcuit tamen nervus femoris eius, et factus est claudus, quia haec contemplatio facit

De contemplatione extatica.

---

[1] Cfr. Rom. 6-8. Eph. 2. 5. 6. et Col. 2, 12. seqq. — De allegoria etc. vide supra Prolog. in Breviloq. § 4.

[2] Apoc. 5, 5: Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum et solvere septem signacula eius. — Subinde respicitur Luc. 23, 11. (de Herode) et Act. 12, 4. (de Petro). Cfr. August., Epist. 55. (alias 119.) c. 6. n. 10.

[3] Cap. 43, 7. et 8.

[4] Cfr. August., Enarrat. in Ps. 10. n. 3, ubi secundum duplicem, superius collat. 13. n. 23. positam opinionem explicat, quomodo luna crescat et minuatur in lumine. Isidor., de Natura rerum, c. 18. et 23. seqq., ubi (c. 26.) etiam de lucifero seu de *stella matutina* [Eccli. 50, 6; Apoc. 2, 28. et 22, 16.]. Idem III. Etymolog. c. 71. n. 19: Est autem [hesperus seu vesper]... noctem ducens et *solem sequens*. Fertur autem, quod haec stella oriens *luciferum*, occidens *vesperum* fiat. Beda, de Natura rerum, c. 13: « Venus, quae et lucifer et vesper dicitur ». Quae verba in nota adiecta sic explicantur: *Venus* media nocte dicitur a venustate sui luminis, quae *lucifer* mane vocatur, quia lucem ferit ante solis ortum, *vesper* vero dicitur, quia vespere apparet post solis occasum.

[5] Part. I. c. 9: Inter haec itaque quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat?

[6] Respiciuntur verba Aristot., I. Phys. text. 81. (c. 9.), quibus docet, materiam appetere formam, « sicut si femina masculum, et turpe pulcrum ».

[7] Cap. 1, 5. — Seq. locus est Exod. 4, 10. Subinde respicitur Gen. 32, 24. seqq. (de Iacob). — Aliquanto inferius cum B C D ponimus *calem* pro *nigram*, E G *magnum*.

vilem animam apparere hominibus, quando summo soli coniungitur. — Haec est Esther [1], quae non quaerit mundum muliebrem, sed contenta est naturali pulcritudine nec quaerit istos ornatus meretricios. — Et dicebat: quia dico vobis, quod nunquam qui vult apparere potest venire ad contemplationem.

Ratio 3. 20. Tertio comparatur lunae propter *refulgentiam ordinatam*. Ecclesiasticus [2]: *Vas castrorum in firmamento caeli resplendet;* dicitur de luna. Omnia enim, quae sunt in Ecclesia, sunt secundum rationem ordinis *ordinata* et robusta seu indissipabilia et *iucunda*. — Propter primum dicitur: *Vas castrorum in firmamento caeli*, quia *terribilis est, ut castrorum acies ordinata* [3]. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* Quia iste ordo totus est ad *pugnandum* contra universitatem hostium. — Item, habet *iucunditatem;* ideo dicit *resplendet*. Et haec est *gloria*, quae est formositas cum iucunditate; unde et divites ostendunt gloriam suam, incedendo in gloria vestium et laetitia, sicut in nuptiis et festis.

Epilogus. 21. Haec est secunda pars contemplationis, considerare scilicet Ecclesiam, *secundum* quod est *supervestita* lignis et theoriis, et secundum quod est *illustrata a sole*, et secundum quod est *ordinata ad pugnandum;* et sic habetur luna in firmamento animae, ut consideratur per theologiam *symbolicam*, per theologiam *mysticam*, per theologiam *proprie dictam*.

Pars III. De tertio visionis obiecto. Comparatur stellis quoad tria. 22. Tertia pars contemplationis est in consideratione *mentis humanae hierarchizatae;* et haec intelligitur *per stellas* sive per lucem stellarum, quae quidem habet radiationem *mansivam*, *decorum* et *iucundum*. Anima, quae habet haec tria, est hierarchizata.

De primo. 23. De radiatione *mansiva*, quae est in anima hierarchizata, dicitur in libro Iudicum [4]: *Stellae, manentes in ordine et cursu suo, pugnaverunt contra Sisaram*. Sicut enim stellae sunt fixae in caelo, sic oportet quod contemplativus sit fixus et mansivus, non vacillans nec habens oculos tremulos, sed aquilinos. Unde Dionysius [5]: Habens oculos, scilicet investigationis rationis, debet esse fixus, fixione siderea manens. Non manet autem, nisi habeat *cursum* et *ordinem*, ordinem scilicet hierarchicorum graduum et virtutum, et postmodum currat incessanter per illos *de virtute in virtutem* [6]; et hoc est pugnare contra diabolum. Mens enim fixa in stabilitate graduum hierarchicorum et virtutum non est otiosa, sed *dormit* homo exterius et *vigilat* interius; hoc autem est hominum vivacium, stabilitorum infatigabiliter. Hae considerationes faciunt animas robustas.

De secundo. 24. Item, habet radiationem *decoram*. Unde Ecclesiasticus [7]: *Species caeli gloria stellarum. Caeli* sunt animae caelestes, speciosae, decorae; sed in *gloria stellarum*, scilicet in gloriosa refulgentia, quae consistit in consideratione decora. Unde debet esse manens in Deo, crescens *de virtute in virtutem*, ut attentissime attendat ad illos fulgores, ut, si dormiat, cor suum vigilet perspicaciter. Multi enim sunt, qui amant pulcritudinem; pulcritudo autem non est in exterioribus, sed ipsius effigies; vera autem pulcritudo est in illa pulcritudine sapientiae.

De tertio. 25. Tertio assimilatur luci stellarum propter radiationem *iucundam*. Baruch [8]: *Stellae dederunt lucem in custodiis suis et laetatae sunt, vocatae sunt et dixerunt: Adsumus, et luxerunt cum iucunditate ei qui fecit illas*. Ilis anima comparatur, quando vocatur a Deo per inspirationem, et ipsa currit per desiderium; in Psalmo [9]: *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis;* quia ex gaudio in illis illuminationibus nascitur *lumen indeficiens*. Psalmus: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quae tu fundasti;* quae radiant radiatione *mansiva*, *contemplativa* et *hierarchica;* sed debet esse cum virtute, cum decore, cum iucunditate. Unde in Cantico [10]: *Pulcra es, amica mea, suavis et decora: quia iucunda*, ideo *suavis;* quia *decora*, ideo *pulcra;* quia *mansiva*, ideo *terribilis ut castrorum acies ordinata*.

Epilogus. 26. Fecit ergo Deus die quarta solem et lunam et stellas, quia Deus dedit animae, ut habeat considerationem *sui ipsius* et *Ecclesiae militantis* et *cae-*

---

[1] Cap. 2, 15: Quae non quaesivit muliebrem cultum... erat enim formosa valde etc. Tertullian., l. de Cultu feminar. c. 4: Cultum dicimus quem *mundum muliebrem* vocant.

[2] Cap. 43, 9: Vas castrorum in excelsis, in firmamento caeli resplendens gloriose.

[3] Cant. 6, 3. Ibid. 7, 1. est seq. locus.

[4] Cap. 5, 20.

[5] Haec Dionysii verba, quae a B C D omittuntur, in eius operibus non invenimus; cfr. tamen de Caelest. Hierarch. c. 4. § 2, ubi dicitur, quod ab ipsa Scriptura « symbolice nobis et anagogice manifestatas caelestium animorum hierarchias... considerabimus, et principalem et superprincipalem divini Patris claritatem... immaterialibus et *non trementibus mentis oculis* respicientes, iterum ex ipsa in simplum suum restituimur radium. Etenim neque ipse usquam unquam aliquando radius propria singulari unitate descritur... manetque... uniformiter *fixus* et in se, quantum fas est, respicientes proportionaliter se eis extendit et unificat secundum simplicem sui unitatem ». — E legit: *Non habentes mentales oculos, sed investigator rationis* etc. In B ad marginem positum est: *Habentes mentis oculos, scilicet investigabilis rationis, debet esse fixus ordine siderum* (!).

[6] Psalm. 83, 8. — Subinde respicitur Cant. 5, 2: Ego dormio, et cor meum vigilat. — Aliquanto inferius pro *infatigabiliter* G *mirabiliter*.

[7] Cap. 43, 10. — Cfr. August., X. Confess. c. 34. n. 53, ubi docet, pulcritudines exteriores venire a Dei pulcritudine.

[8] Cap. 3, 34. seq.: Stellae autem dederunt lumen in etc.

[9] Psalm. 121, 1. — Seq. locus est Luc. 10, 20: Gaudete autem, quod nomina etc; tertius Eccli. 24, 6: Ego fori in caelis, ut oriretur lumen indeficiens. Subinde allegatur Ps. 8, 3. et 4.

[10] Cap. 6, 3, ubi etiam seq. locus.

Digitized by Google

lestis monarchiae. In Cantico[1]: *Quae est ista quae ascendit quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Aurora* est, quando consurgit in consideratione *sui; luna,* in consideratione *Ecclesiae militantis; sol,* quando in Deum absorbetur; et ex his est *terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Ecclesiasticus de viro contemplativo.

27. De viro contemplativo dicitur in laudem Simonis, Oniae filii, in Ecclesiastico[2]: *Quasi stella matutina in medio nebulae et quasi luna plena in diebus suis lucet et quasi sol refulgens; sic ille refulsit in templo Dei, quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae.* — *Stella* in consideratione *proprii adornatus,* sed in *medio nebulae* propter humilitatem, quae est necessaria viro contemplativo; non sit ut lucifer, sed ut magis dicat: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus illumina tenebras meas*[3]. — *Quasi luna* per considerationem *Ecclesiae militantis,* considerando eius principium, medium et finem. Unde non habetur illuminatio, nisi quando Ecclesia consideratur secundum sua tempora; Rachel adhuc concipiet et parturiet, et Benjamin nascetur. — *Sicut sol refulsit,* quando scilicet elevata est in contemplatione Dei. — Et tunc est sicut *luna plena,* quando istos splendores pulcherrimos et praeclaros ab illa praeclara luce suscipit; et tunc talis anima est *sicut arcus,* quia reconciliatrix Dei et hominis[4], sicut lumina portabat Moyses a Deo ad populum.

Item, Apocalypsis.

28. De hoc Joannes in Apocalypsi[5]: *Vidi signum magnum in caelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona duodecim stellarum.* Prima visio est de candelabris et filio hominis et septem stellis; secunda de septem sigillis; tertia de Angelis tuba canentibus; quarta, quando *apertum est templum, et signum magnum apparuit* de muliere amicta. In prima manifestatur fulgor ordinis *praesidentium;* in secunda, fulgor *pugnantium* ut martyrum; in tertia, fulgor *thurificantium,* per clangorem tubae; in quarta, fulgor *contemplantium,* qui habent solem et lunam et stellas. — Ex consideratione caelestis monarchiae est *amicta sole,* quia est principale. — Sed quando descendit anima ad considerationem *Ecclesiae militantis,* habet *lunam sub pedibus,* non ad conculcandum, sed quia se fundat et sustentat super Ecclesiam. Nec enim est anima contemplativa, nisi per Ecclesiam sustentetur quasi super basim. — Post considerationem *hierarchicorum illuminationum* est quasi habens *stellas duodecim. Stellae* sunt duodecim mysteria reseranda, quae per duodecim signationes in futuro significantur, quae sunt signationes electorum.

De futuro sexto tempore.

29. Nota, quod duodecim signationes sunt sub *sexto sigillo* et sub *sexto Angelo*[6], et mensuratio civitatis et ostensio civitatis et apertio libri; et sexto Angelo, scilicet Philadelphiae, qui interpretatur, *conservans hereditatem,* dictum est de *clave David,* et de quo dicitur[7]: *Qui vicerit scribam super eum nomen meum et nomen civitatis novae Ierusalem* — Vide, quod adhuc non fecerat mentionem de civitate — hoc est, dabo notitiam Scripturarum isti sexto Angelo; sed *amaricabitur venter eius, et in ore eius erit dulce tanquam mel.* Et iste ordo intelligitur per Joannem, cui dictum est[8]: *Sic eum volo manere, donec veniam.*

De indecentibus tribus Israel.

30. Et dicebat, quod malignitatibus latrantium necesse est impleri hoc sexto tempore, in quo fecit Deus *hominem ad imaginem et similitudinem* suam[9]. Et addebat: *Videte vocationem vestram,* quia magna est. Et dicebat, quod malignitatibus ipsorum *iudicium* Deus *pauperibus tribuet,* ut sint *iudicantes duodecim tribus Israel;* et in hac vita talibus dedetur contemplatio. Contemplatio non potest esse nisi in summa simplicitate; et summa simplicitas non potest esse nisi in maxima paupertate; et haec est huius ordinis. Intentio beati Francisci fuit esse in summa paupertate. — Et dicebat, quoniam multum retrocessimus a statu nostro, et ideo permittit nos Deus affligi, ut per hoc reducamur ad statum, qui debet habere terram promissionis. Magna promi-

De ordine Minorum.

Notandum.

---

[1] Cap. 6, 9. Pro *ascendit* Vulgata *progreditur.*

[2] Cap. 50, 6-8.

[3] Psalm. 17, 29. — Inferius respicitur Gen. 35, 16. et 18. (de Rachel). Cfr. supra collat. 15, n. 26. Alludit ad vitam contemplativam ultimo tempore futuram. — Inferius D E *Rachel, dixit, concipet.*

[4] Respicitur Gen. 9, 13: Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis etc. — De Moyse portante tabulas Legis cfr. Exod. 24, 3. seqq., 32, 15. et 34, 29. — B C hic legunt: *quia est signum reconciliationis Dei et hominis; sic Moyses portabat illa verba a Deo ad populum et a populo ad Deum. De hac anima dicit Ioannes* etc. F *sicut mandata apportabat Moyses Dei ad populum.*

[5] Cap. 12, 1: Et signum magnum apparuit in caelo etc. — Quatuor visiones insinuantur Apoc. 4, 12. seqq.; 5, 1; 8, 6; 11, 19. et 12, 1.

[6] De duodecim signationibus vide Apoc. 7, 4-9; de ceteris 6, 12. seqq. et 9, 14. seqq.; ibid. 21, 9. seqq. de ostensione [cfr. 3, 12.] et mensuratione civitatis; 11, 2. seqq. de apertione libri (cfr. 10, 2.). — Omnia hoc dicta infra collat. 23, n. 14. 15. clarius exhibentur, ut ostendatur, *sexto* tempore plura secreta s. Scripturae magis fore manifestanda viris contemplativis.

[7] Apoc. 3, 7. 12. Vulgata plura interserit. — Seq. locus est ibid. 10, 9: Accipe librum et devora illum, et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel. — Haym., l. Exposit. in Apoc. 3, 7: Philadelphia, iuxta quod Beda [in hunc locum] exponit, interpretatur *dilectio fraterna*... vel secundum Ansbertum Ambrosium [inter opera Ambrosii recenseur Exposit. super septem visiones libri Apoc.; auctor eius exhibetur *Berengaudus.* In prima visione ad Apoc. 4, 11. invenitur quod ab Haym. affertur] Philadelphia interpretatur *salvans hereditatem Domini.*

[8] Ioan. 21, 22. Cfr. supra collat. 13, n. 14.

[9] Gen. 1, 26. — Seq. locus est 1. Cor. 1, 26; tertius est Iob 36, 6: Iudicium pauperibus tribuit. Subinde allegatur Luc. 22, 30. — Pro *latrantium,* quod habent B D, A E *intrantium,* Vat. *intrantibus.* Sed locus videtur omissione verborum esse corruptus.

Digitized by Google

sit Deus Israeli, et magni ex illis electi sunt, ut Apostoli sui. — Iudaei fuerunt excaecati, isti fuerunt illustrati; sed illi dederunt se carni; quidam volunt dare loculos Christo. — Nota etiam, quod pauci intraverunt terram promissionis; et illi *qui dissolverunt cor populi*, non introierunt [1].

COLLATIO XXI.

De quarta visione tractatio secunda, quae specialiter agit de primo obiecto intelligentiae per contemplationem suspensae, nempe de consideratione hierarchiae caelestis.

SUMMARIUM. — *Introductio*, 1. — Pars I. De ipso sole sive monarchia caelestis hierarchiae, scilicet de S. Trinitatis vigore, splendore, calore. *Pater summe vigens, Filius summe fulgens, Spiritus S. summe calens; unus sol, et tamen trinus; et vigor, splendor, calor in unaquaque persona; circumincessio*, 2. — *In his est ratio quaedam exemplaritatis respectu omnium illuminationum; quae appropriantur personis divinis secundum numerum novenarium*, 3. — *Novem appropriationes proprietatum essentialium respiciunt Trinitatem tripliciter*, 4. — *Quoad* opera ad extra *primo tria, scilicet potentia, sapientia, bonitas, respiciunt Trinitatem, ut ipsa est origo originans*, 5. — *Secundo, tria alia, pietas, veritas, sanctitas, respiciunt Trinitatem, ut ipsa est medium cuncta gubernans; ab his tribus nunant tres leges*, 6. — *Per has tres Deus gubernat mundum; eaedem eminenter sunt in Deo*, 7. — *Secundum has rationes ex Deo descendunt decem praecepta*, 8. 9. — *Abdicatio cupiditatis est perfectio decem praeceptorum, sicut caritas finis et perfectio omnium praeceptorum*, 10. — *Tertio, tria alia, aeternitas, formositas, iucunditas, respiciunt Trinitatem, ut ipsa est finale complementum, omnia beatificans*, 11. — *Considerando vigorem, splendorem, calorem, quatenus sunt in* ipsa Trinitate, *oriuntur novem considerationes, quae in solo primo monarcha inveniuntur omnes; in ipsa sunt tria: summa celsitudine pollet, summa fortitudine praesidet, summa dulcedine pascit*, 12. — *Pro primo requiruntur tria, scilicet ut sit summe sanctus, sapiens, stabilis*, 13. — *Item, pro secundo, ut sit summe authenticus, praevalidus, invictus*, 14. — *Item, pro tertio, ut sit summe strenuus, sapax, solutus*, 15. — Pars II. De caelesti hierarchia Angelorum et Beatorum per gloriam summa monarchiae assimilata. *Angeli primo recipiunt illuminationem et configurationem; declarantur, quid sit hierarchia; haec dividitur in tres hierarchias, et quaelibet ipsarum in tres ordines*, 16-18. — *Sufficientia horum divisionum ostenditur tripliciter; primo ex ratione exemplaritatis aeternae, secundum quod exemplar aeternum est vigens, fulgens, calens*, 19-21. — *Item, secundum quod idem est in ratione originantis, gubernantis, beatificantis*, 22. 23. — *Item, secundum quod summus monarcha celsitudine pollet, fortitudine praesidet, dulcedine pascit*, 24-26. — *Secundo ostenditur sufficientia ex integritate hierarchiae, ad quam tria requiruntur, scilicet sacra potestas, scientia, operatio*, 27-30. *Tertio ostenditur eadem secundum dispositionem sive triplicem aspectum caelestis monarchiae*, 31. 32. — *Doctrina Dionysii de his*, 33.

1. *Fecit Deus duo magna luminaria* [2] etc. Dictum est, quod contemplatio consistit in luculenta consideratione *caelestis monarchiae*, in luculenta consideratione *militantis Ecclesiae*, in consideratione luculenta *mentis luminae hierarchizatae* sive hierarchice ordinatae. Prima intelligitur per *solem*, secunda per *lunam*, tertia per *stellas*. Primo dicendum de sole. Introductio.

2. Sol aeternus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, est *vigens, fulgens, calens*: Pater est summe *vigens*; Filius, summe *fulgens*; Spiritus sanctus, summe *calens*. Pater, lux vigentissima; Filius, splendor pulcherrimus et fulgentissimus; Spiritus sanctus, calor ardentissimus. Sicut iste sol cuncta vivificat, cuncta illustrat, cuncta calefacit; et sicut ista tria: vigor, splendor, calor, sunt unus sol, et tamen habent distinctionem nec sunt tres soles; sic Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus. Et sicut *vigor* est splendens et calens, *splendor* est vigens et calens, *calor* vigens et splendens in isto sole visibili; sic Pater est in se et in Filio et in Spiritu sancto, et Filius est in Patre et in se et in Spiritu sancto, et Spiritus sanctus est in Patre et in Filio et in se secundum rationem circumincessionis, quae notat identitatem cum distinctione [3]. Pars I. De monarcha caelestis hierarchiae. Tria in ipso. Notandum. Circumincessio.

[1] Respicitur Ios. 14, 8. — Superius pro *volunt dare loculos* BC *etiam voluerunt se dare*.

[2] Gen. 1, 16. — Immediate post datur summa collat. 20.

[3] Cfr. I. Sent. d. 19. p. I. q. 4.

Ratio exemplaritatis divinae appropriatione.

3. In hac consideratione est quaedam ratio exemplaritatis divinae respectu omnium illuminationum; sed quaedam illuminatio respondet *Patri*, secundum quod est in se ipso; et alia, secundum quod est in Filio; et alia, secundum quod est in Spiritu sancto. — Et alia est *Filii*, ut est in se ipso; alia, ut est in Patre; et alia, ut est in Spiritu sancto. — Et alia est *Spiritus sancti*, ut est in se; et alia, ut est in Patre; et alia, ut est in Filio. — Et secundum hunc numerum novenarium habent illuminationes esse. Hae illuminationes habent esse in consideratione Patris et Filii et Spiritus sancti *in se ipsis*, et sunt tres; et aliae, in ipsis ut ad *invicem relatis*, et sunt sex; et ita sunt novem. Et propter illas sex sexies dixit Deus [1]: *Fiat; et factum est*, in operibus sex dierum.

Novem illuminationes.

Appropriationes 9, respondentes operi Dei ad extra.

4. Intelligendum ergo, quod de Deo trino et uno fiunt appropriationes proprietatum essentialium appropriatarum secundum hunc numerum novenarium. Quaedam respiciunt Trinitatem ut *originans principium*, quaedam ut *gubernans medium*, quaedam ut *finale complementum*, ut beatificans omnia, scilicet beatificabilia [2]. Unde Trinitas est sol universorum principiativus, gubernativus, consummativus vel beatifiativus.

Respectus tres.

Secundum primum tria appropriata.

5. Secundum quod est *origo originans*, sic sunt tria appropriata, scilicet *potentia*, *sapientia*, *voluntas*. Haec tria sunt necessaria principio originanti. *Sapientia* enim fundatur in aliqua *potentia* [3]. Si enim *potentiam* non haberet, nihil posset producere. Si haberet *potentiam*, et *sapientiam* non haberet; non produceret sapienter, quia potentia sine sapientia praeceps est. Item, si haberet *potentiam* et *sapientiam*, et *nollet*; tunc aut nihil produceret, aut invitus esset, et sic esset miser. Et sic patet, quod *voluntas* reducit principium in actum. — Et quia in his etiam est ratio principiationis aeternae, ideo appropriantur haec tria ipsis, non solum ut principium originans *aliorum*, sed etiam respectu *personarum*.

Voluntas ultima ad extra.

Item, secundum alterum.

6. Secunda appropriatio est sedi aeterno, secundum quod est *medium cuncta gubernans*; et secundum hoc sunt tria appropriata, scilicet *pietas*, *veritas*, *sanctitas*; quia omnis gubernatio et omnis legislatio est pia, vera, sancta: ad Romanos [4]: *Itaque Lex sancta, et mandatum sanctum et iustum et pium*. — Ab his enim tribus manant tres leges, nec possunt esse plures, scilicet *naturae*, legis *scriptae* et *gratiae*. Lex *naturae* appropriatur Patri, lex *scripta* Verbo, lex *gratiae* Spiritui sancto. — Lex *naturae* est lex *pietatis*. Pietas videtur inesse omni naturae, etiam insensibili. *Radix* enim totum, quidquid recipit, mittit ad ramos; *fons* quidquid haurit transmittit ad rivulos. Similiter in *bestiis* pietas videtur esse patris ad prolem, quia quidquid gustant et sumunt praeter necessarium, et etiam de necessario, in lac convertunt et in nutrimentum prolis. — Lex *Scripturae* est lex *veritatis*, quia est in quadam verae promissionis pronuntiatione. — Lex *sanctitatis* est lex *gratiae*; ad Romanos [5]: *Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis*.

Ab his manant 3 leges.

7. Per haec tria Deus trinitas, scilicet Pater, Filius et Spiritus sanctus, est *pius*, *verus*, *sanctus*, dans legem *piam naturae*, legem *veram Scripturae*, legem *sanctam gratiae*. Et per has tres gubernat mundum et secundum haec tria imprimit leges in mente rationali. Omnis enim moralis lex est secundum haec tria, sive secundum has tres; sed in lege *naturae* sunt minus distinctae et explicitae; in lege *scripta*, magis explicitae et minus perfectae; in lege *gratiae*, magis explicitae et perfectae; unde dixit Dominus [6]: *Non veni solvere Legem, sed adimplere*. — Et secundum haec tria Deus est pius cultor sui, verus professor sui, sanctus amator sui; et quaelibet persona habet se *ad se* pie, vere, sancte et *ad alteram*: ut Pater *pie* ad se, *pie* ad Filium, *pie* ad Spiritum sanctum, et *vere* et *sancte*, et sic de aliis.

Per has Deus gubernat.

Imprimit est sanctitas.

Essentialiter sunt ad Deo.

8. Et ex hoc, quod est sui pius cultor, sui verus professor, sui sanctus amator, descendit de caelis triplex radius in mentem secundum tria mandata primae tabulae. Nam creatura debet se habere ad Deum *pie*, *vere*, *sancte*: *pie* Deum colere, et sic primum praeceptum [7]: *Non adorabis deos alienos*, sed unum solum; *vere* Deum profiteri: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*; *sancte* Deum amare: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*. Haec tria ille sol imprimit in supremam partem animae. — Et quia inferior informatur ex superiori et datur sibi in adiutorium; ideo necesse est, ut inferior habeat praecepta, per quae conformetur superiori, ut *pie*, *vere*, *sancte* se habeat: *pie* ad superiores, maxime ad parentes, et sic: *Honora patrem tuum et matrem tuam*; *vere* et iuste ad pares, et sic: *Non occidas*, ubi prohibetur omnis iniuria; *sancte* ad inferiores, et sic: *Non adulterabis*, ubi prohibetur omnis actus impudicitiae.

Inde tria prima mandata.

Alia tria.

9. Haec autem tria non possumus habere ad aeternum, nisi prius habeamus apud nos. Ideo sunt alia tria praecepta: unum, quod rectificat omnes *actus*; aliud, quod rectificat omnes *sermones*; aliud, quod rectificat omnes *affectiones*. — Quod rectificat *actus*, et sic: *Non furtum facies*; ubi non solum prohi-

Alia tria.

---

[1] Gen. 1, 3. seqq.

[2] Cfr. Breviloq. p. I. c. 6. Alias 9 considerationes vide infra n. 12-15.

[3] Vide supra pag. 215, nota 5.

[4] Cap. 7, 12. Vulgata *bonum* pro *pium*. — De triplici lege cfr. supra collat. 15. n. 20.

[5] Cap. 8, 2.

[6] Matth. 5, 17.

[7] Exod. 20, 3. seqq.; ibid. v. 7. et 8. duo seqq. praecepta; v. 12-17. alia praecepta, quae inferius allegantur. Cfr. III. Sent. d. 37. a. 2. q. 1, ubi plura hic dicta tanguntur.

Digitized by Google

betur alienum, immo praecipitur, ut de suo det. Et sic accipit Apostolus[1]: *Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret manibus suis, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.* — Quod autem rectificat *sermones*, sic: *Non falsum testimonium dices;* ubi prohibetur omnis falsitas sive in se, sive in alio; *loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo*[2]. — Quod autem rectificat omnes *affectiones*, sic: *Non concupisces uxorem* etc. Augustinus: « Bona est lex, quae, dum concupiscentiam prohibet, omnia mala prohibet ». Concupiscentia autem duplex est, scilicet *carnalitatis* et *cupiditatis;* et haec ultima est *radix omnium malorum;* unde etiam Legislator in hoc praecepto descendit ad particulare, ut ad asinum, servum, ancillam etc.

Decimum praeceptum.

10. Et in hoc praecepto est consummatio praeceptorum Dei, velit, nolit unusquisque — sic enim affirmabat — scilicet in abdicatione omnis cupiditatis. — Unde sicut novenarius completur et perficitur per abdictionem unitatis; sic novem praecepta per abdicationem cupiditatis, quae est amor privatus, repugnans bono communi. Et ideo, sicut *caritas est finis* et perfectio *omnium praeceptorum*[3]; sic abdicatio cupiditatis, quae caritati opponitur, perfectio est praeceptorum. — Et ista tria ostendit Apostolus ad Titum: *Sobrie, pie et iuste vivamus in hoc saeculo. Sobrie*, scilicet sancte, *pie* — stat — *iuste*, scilicet vere. Deus ergo dat leges non voluntate, sed maxima ratione.

Abdicatio cupiditatis est consummatio praeceptorum.

Confirmatur.

11. Tertia appropriatio convenit Deo, ut est in ratione *beatificantis;* et secundum hoc sunt tria: *aeternitas, formositas, iucunditas; aeternitas* in Patre, *formositas* in prole, *iucunditas* in nexu utrinsque. Secundum appropriationem Hilarii[4], « *aeternitas* in Patre, *species* in Imagine, *usus* in Munere ». Anima igitur efficitur beata, dum fit particeps *aeternitatis*, quando in memoria Deum habet per *tentionem; formositatis*, per *visionem; iucunditatis*, per *fruitionem.* — Haec appropriata respiciunt Deum non solum in se, sed ut est principium et origo originans, gubernans, beatificans.

Secundum tertium tria appropriata.

12. Ex primis luminibus aeternitatis, secundum quod est in se ipsa et ad alias personas, accipiuntur *novem considerationes*, quae sunt in primo monarcha, et in nullo alio inveniuntur omnes. Iste ergo, qui est summe vigens, summe fulgens, summe calens, iste solus est princeps, qui est *principium* in producendo, *medium* in gubernando, *finis* in beatificando, *in omnibus primatum tenens*[5]. Ad hoc autem, quod sit verus monarcha, debet esse summa *celsitudine* polleus, summa *fortitudine* praesidens, summa *dulcedine* pascens: primum Patri, secundum Filio, tertium Spiritui sancto; summa celsitudine pollens Pater in se, summa celsitudine pollens in Filio, summa celsitudine pollens in Spiritu sancto; et sic de aliis personis. Habemus igitur monarcham summe pollentem, summe praesidentem et dulcissime pascentem.

Quod Deum ita se 9 considerationes.

Tria in Deo.

Appropriantur.

13. Ad hoc autem, quod sit *summe pollens*, necesse est, ut sit summe *sanctus*, summe *sapiens*, summe *stabilis:* summe *sanctus* in diligendo bona, summe *sapiens* in discernendo vera, summe *stabilis* in decernendo iusta. Summa *stabilitas* convenit Patri, *secundum quod* est in se; summa *sapientia*, secundum quod est in Filio; summa *sanctitas*, secundum quod est in Spiritu sancto.

Pro secundo appropriatione tres proprietates.

14. Ad hoc autem, quod sit *summa fortitudine praesidens*, necesse est, quod sit monarcha summe *authenticus*[6], summe *praevalidus*, summe *invictus: authenticus* in praecipiendo, *praevalidus* in prosequendo, *invictus* in triumphando: *authenticus* in statuendo leges, *praevalidus* vel virilis in ministrando vires, *invictus* in superando hostes, ut appareat victoriosus. *Auctoritas* convenit Filio, secundum quod Filius est in Patre; *virilitas*, ut est in se ipsa; *triumphus*, ut est in Spiritu sancto. — Et in his consistit media hierarchia angelica, quae appropriatur Filio, ut patebit[7].

Item, pro secundo.

15. Tertia ad hoc, quod sit *summa dulcedine pascens*, necesse est, ut sit summe *strenuus* in deducendo vel praecendo vel manuducendo, summe *sagax* in erudiendo, summe *sedulus* in custodiendo; ut *strenue* praecedat, *sagaciter* doceat, *sollicite* custodiat; deducat per *exempla*, erudiat per *documenta*, custodiat per *adiutoria*. Et sic Spiritus sanctus *deducit*, secundum quod est in Patre; *erudit*, secundum quod est in Filio; *custodit*, secundum quod est in se ipso[8]. Ad hunc solum aspiciunt omnes

Item, pro tertio.

---

[1] Eph. 4, 28. Vulgata post *manibus suis* addit *quod bonum est.*

[2] Eph. 4, 25. — Sententia Augustini inferius posito habetur in libro de Spiritu et lit. c. 4. n. 6; verbotenus occurrit in Glossa *ordinaria* Rom. 7, 7. Cfr. tom. II. pag. 528, nota 4. et pag. 721, nota 2. Subinde allegatur I. Tim. 6, 10: Radix enim omnium malorum est cupiditas.

[3] Epist. I. Tim. 1, 5: Finis autem praecepti est caritas etc. — Seq. locus est Tit. 2, 12. — De amore privato cfr. August., XI. de Gen. ad lit. c. 15. n. 19. seq. — Inferius verba *stat* subintelligo: in citato loco Apostoli. Non esset igitur circumlocutione; secus est de aliis duobus, scil. *sobrie* et *iuste*. Pro *stat* Vat. *scilicet benigne.*

[4] Vide supra pag. 211, nota 9. — De seq. propositione cfr. Breviloq. p. VII. c. 7.

[5] Col. 1, 18. — Inferius post *tertium Spiritui sancto* E prosequitur: licet se circumineredant. Nam Pater est *in se* summa celsitudine polleus, Pater *in Filio* est summa fortitudine praesidens, Pater *in Spiritu sancto* est summa dulcedine pascens. Similiter Filius *in se* summa fortitudine praesidens, Filius *in Patre* summa celsitudine polleus, Filius *in Spiritu sancto* summa dulcedine pascens. Spiritus sanctus *in se* summa dulcedine pascens, Spiritus sanctus *in Filio* summa fortitudine praesidens, Spiritus sanctus *in Patre* summa celsitudine polleus. Habemus monarchum etc. — Superius de *primis luminibus* vide supra n. 2.

[6] Cfr. supra pag. 206, nota 8.

[7] Infra n. 19. seqq.

[8] E addit *et sic in hac monarchia perfectus monarcha noster est quasi sol.*

Digitized by Google

spiritus caelestes et subcaelestes. In his novem creatura assimilatur, ut potest, Creatori.

Pars II. De caelesti hierarchia Angelorum et Beatorum.

16. Et has illuminationes et conditiones primo recipiunt mentes hierarchiae per gloriam, ut Angeli et animae beatae, quia ille sol primo illuminat illos et per illos nos; quia ordo est, ut illustratio fiat primo eorum quae sunt sibi similiora et propinquiora [1]; unde et locus supremus datus est eis. Illi autem, qui rebelles sunt his luminibus, corruerunt. Et ex eo, quod Angeli primo recipiunt illuminationem a sole primo, inde recipiunt configurationem deiformem et hierarchizationem et sacrum obtinent principatum, et per illos hierarchizatur Ecclesia.

Hoc primo illustrator.

Quid sit hierarchia.

17. Unde definitur hierarchia secundum Dionysium [2]: « Est autem hierarchia ordo divinus, scientia et actio ad deiforme, quantum possibile est, assimilata, et ad inditas ei divinitus illuminationes proportionaliter in Dei similitudinem ascendens ». *Ordo* potestatis respondet Patri, *scientia* sacra Filio, *operatio* Spiritui sancto. Unde *hierarchia* dicit *potentiam*, *scientiam*, *actionem*. Potentia enim sine scientia hebes est, scientia sine actione infructuosa. Ex hoc enim, quod appropinquat soli aeterno, oportet, quod sit *sacra ordinatio*; et per hoc sequitur, quod sit *deiformis*, quia format eam seu creaturam partim per *naturam*, partim per *gratiam*, partim per *gloriam*: per *imaginem*, per *similitudinem*, per *deiformitatem*. Et idem *ascendit ad inditas ei illuminationes*, ascendens per *influentiam*.

De influentia divina.

18. Haec autem influentia non est simpliciter quid increatum; nec ex hoc sequitur, quod influentiae sit influentia [3], quia haec influentia reducit in Deum; dicit enim *continuationem* cum primo principio et *reductionem* in ipsum, non sicut res distans. Unde vera est influentia, quae egreditur et regreditur, ut Filius exivit a Patre et revertitur in ipsum [4]. Unde dicit, quod est *assimilata* in sacra ordinatione, scientia et operatione per hoc, quod est « ad deiforme, quantum possibile est, ascendens », partim per naturam *imaginis*, partim per naturam *similitudinis*, scilicet gratiae, partim per naturam *deiformitatis* gloriae; et *proportionaliter*, quia secundum plus et minus, ut capax est, est in Dei similitudinem reducta. — Et ex hoc hierarchia disponitur per tres hierarchias, ut tripliciter illustrata. Et necesse est, quod quaelibet habeat tres ordines; et quod prima hierarchia appropriatur Patri, secunda Filio, tertia Spiritui sancto; et quod prima hierarchia assimilatur Patri in tribus, et secunda in tribus Filio, et tertia Spiritui sancto in tribus, sicut patebit.

Divisio caelestis hierarchiae et appropriatio.

Sufficientia divinorum monstratur triplici modo.

19. Sufficientia autem horum tripliciter accipitur: prima, ex ratione *exemplaritatis aeternae*; secunda, ex *integritate hierarchiae*; tertia, secundum *dispositionem caelestis monarchiae* [5]. — Nota, quod sicut homini caeco serviunt omnes stellae, sic homini non advertenti serviunt Angeli et mittunt mirabiles illuminationes. Unde peccator multum reprehendendus est, qui negligit ista et adiutoria eorum. — In prima hierarchia sunt nomina ista: Throni, Cherubim, Seraphim; in secunda, Dominationes, Virtutes, Potestates; in tertia, Principatus, Archangeli, Angeli. — Et distinguuntur secundum *exemplar aeternum*, quod est *vigens*, *fulgens*, *calens*, Deus trinitas, Pater, Filius et Spiritus sanctus; et tota essentia Patris in se ipso, tota in Filio, tota in Spiritu sancto; et tota essentia Filii in se ipso, tota in Patre, tota in Spiritu sancto; et tota essentia Spiritus sancti in Patre, tota in Filio, tota in se ipso. Si ergo hierarchia debet assimilari Trinitati, oportet, quod sit ordo, qui respondeat Patri, secundum quod est in se ipso, et secundum quod est in Filio, et secundum quod est in Spiritu sancto. — Similiter oportet, quod sit ordo, qui respondeat Filio, secundum quod est in Patre, et secundum quod est in se ipso, et secundum quod est in Spiritu sancto. Et idem est de Spiritu sancto. Ille enim sol sibi proximo similiume et expressissime imprimit.

Notandum.

Primo, ratione exemplaritatis divinae tripliciter principio.

Principium I, quo monstratur sufficientia.

20. Ordo *Patri* respondens, secundum quod est in se ipso, est ordo Thronorum; ordo respondens Patri, secundum quod est in Filio, est ordo Cherubim; ordo respondens Patri, secundum quod est in Spiritu sancto, est ordo Seraphim. — Ordo respondens *Filio*, secundum quod est in Patre, est ordo Dominationum, cuius est *imperare*; secundum quod Filius est in se ipso, est ordo Virtutum; secundum quod est Filius in Spiritu sancto, est ordo Potestatum. — Ordo respondens *Spiritui sancto*, secundum quod est in Patre, est ordo Principatuum; secundum quod est in Filio, est ordo Archangelorum, quorum est secreta *revelare*; secundum quod est Spiritus sanctus in se ipso, est ordo Angelorum. — Et dicebat, quod semet conferebat cum uno, de quo ordine fuisset Gabriel. Et dicebat ille, quod sibi revelatum fuerat, quod erat de media hierarchia et de medio ordine, scilicet Virtutum. — Et hoc videtur valde congruum, ut ille qui erat nuntius conceptionis Filii Dei, de illo ordine mitteretur, qui Filio appropriatur. Item, quia erat nuntius Mediatoris [6], congruum fuit, ut de medio ordine mitteretur. Hoc dictum est secundum probabilitatem. Unde etiam Ga-

Continuatur.

De Angelo Gabriele.

---

[1] Cfr. Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 4. § 2. sepp.

[2] De Caelest. Hierarch., c. 3. § 1. Cfr. II. Sent. d. 9. *Praenotata*, ubi etiam exponuntur plura, quae inferius exhibentur, praesertim de tribus hierarchiis earumque ordinatione et actibus. — Explicatio Dionysii continuatur in n. 18.

[3] Sicut nec creationis est creatio; cfr. II. Sent. d. 1. p. 1. a. 3. q. 2. ad 5.

[4] Ioan. 16, 28: Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.

[5] In E hic additur *ex supercaelestium aspectuum varietate*; cfr. infra n. 31. et collat. 22. n. 1.

[6] Epist. 1. Tim. 2, 5: Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. — Cfr. III Sent. d. 2. dub. 4, ubi in fine dicitur, Gabrielem fuisse de ordine *Archangelorum*.

Digitized by Google

briel vocatus est *fortitudo Dei* et venit ad confortandam Virginem [1]. Item, quia debebat mitti communis persona. — Sic ergo patet, quod quelibet hierarchia respondet Patri et Filio et Spiritui sancto.

De ordine illuminationis.

21. Nota autem, quod prima hierarchia non originatur nec illuminatur nisi a solo Deo; media autem illuminatur a Deo et a suprema; infima autem a Deo et a suprema et media; ecclesiastica autem ab omnibus [2]. Unde radius solis aeterni primo illuminat hierarchiam sibi propinquam et secundum similitudinem suam hierarchizat eam; deinde per illam venit in mediam et per illas in infimam et per omnes in ecclesiasticam. Nec tamen intelligendum, quod Angelus creet Angelum [3].

Principium 2.

22. Secundum autem, quod primum principium se habet in ratione *originantis, gubernantis, beatificantis*; sic est concordantia hierarcharum. — Nobilius enim est *beatificare* quam *creare* vel *gubernare*, et *creare*, ubi datur *esse*, quam *gubernare*, ubi conservatur quod datum est. Summo principio in ratione *beatificantis* respondet suprema hierarchia, in ratione *creantis* respondet media, in ratione *gubernantis* respondet ultima. Suprema summe inflammat, media summe vigorat, infima summe reducit.

Continuatur.

23. In ratione *beatificantis* erant tria *appropriata*, scilicet *aeternitas, formositas, iucunditas*; et secundum has correspondent ordines primae hierarchiae: *aeternitas* respondet Patri, cui respondent Throni, in quibus Deus *sedere* dicitur, quia Deum habent [4]; *formositas* Filio, cui Cherubim; *iucunditas* Spiritui sancto, cui Seraphim, amor. — Item, sunt alia tria appropriata, scilicet *potentia, sapientia, voluntas*, ut est in ratione *principiantis*. *Potentia* appropriatur Patri, cui respondent Dominationes, quarum est *imperare; sapientia* Filio, cui respondent Virtutes; *voluntas* Spiritui sancto, cui respondent Potestates, in quibus destruuntur omnes adversariae potestates. — In ratione *gubernantis* sunt tria appropriata: *pietas, veritas, sanctitas*. *Pietas* est in Angelis, *veritas* in Archangelis, *sanctitas* competit maxime Principatibus. Oportuit ergo, quod hierarchia, secundum quod est reducta in Deum, haberet expressam similitudinem; quod unus non potuit explicare.

Principium 3.

24. Tertia consideratio est, secundum quod illud principium tenet principium *monarchiae*. Ille enim monarcha est summa *celsitudine pollens*, quia summe *sapiens* in discernendo vera, summe *sanctus* in diligendo bona, summe *stabilis* in decernendo iusta. Seraphim respondent summae *sanctitati*, in quibus est amor sanctus; unde clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus* [5]. *Sapientiae* respondent Cherubim, in quibus est plenitudo scientiae. *Stabilitati* respondent Throni, in quibus est sedes alta, patula ad suscipiendum.

Continuatur.

25. Secundo, monarcha, qui est summa *fortitudine praesidens*, est *authenticus* in statuendo leges, *praevalidus* in ministrando vires, *invictus* in superando hostes. In *statuendo leges* habet ordinem Dominationum, quarum est *imperare, formare imperium*. In *ministrando vires*, sic est ordo Virtutum, quarum est *miracula facere* et *prosequi* quod imperatum est. In *superando hostes*, sic est ordo Potestatum, quarum est omne inordinatum *repellere* et omne ordinatum *promovere* [6].

Continuatur.

26. Tertio, monarcha est summa *dulcedine passens*, quia est summe *strenuus* in munduendo, summe *sagax* in erudiendo, summe *solidus* in custodiendo. Primum est Principatuum, quorum est *roborare*; secundum Archangelorum, quorum est *secreta revelare*; tertium Angelorum, quibus congruit *solida custoditio*. — Istae sunt tres hierarchiae, quas illuminat ille sol tripliciter; unde: *Tripliciter sol exurens montes* [7]. Isti sunt montes Bether; in Cantico: *Similis est dilectus meus capreae hinnuloque cervarum super montes Bether*. Super istos montes iste sol immittit primas illuminationes.

Epilogus.

Secundo, ratione integritatis tripliciter.

27. Alia est distinctio secundum *integritatem hierarchicam*, ad quam requiritur sacra *potestas* vel sacra ordinatio, sacra *scientia*, sacra *operatio*. Triplex enim est genus vitae in caelo et in terra, scilicet *actuosae, otiosae* [8] et ex utraque *permixtae*. *Actuosa* respondet operationi; *otiosa*, scientiae; *permixta*, ordini. Ideo sunt activi, contemplativi, ex utroque permixti.

Prima sec. triplicem scientiam.

28. *Scientia* respondet supremae hierarchiae; *actio*, infimae; *ordo* sive potestas, mediae. *Scientia* autem triplex est: *sursumactiva* et reducens in originem; *speculativa*, suscipiens lumina; *discretiva*, sententiam decernens, iudicia faciens. Prima est in Seraphim, secunda in Cherubim, tertia in Thronis. Et quia scientia, ut est *speculativa*, convenit medio ordini, ideo tenuit nomen *scientiae* [9]; alii duo adiunt *sursumactionem* et *discretionem* vel determinationem; ideo denominantur a superadditis. Scientia enim proprie habet rationem speculationis.

---

[1] Vide supra pag. 62, nota 1, verba Bernardi. Cfr. etiam Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 9.

[2] Cfr. Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 10. § 1.

[3] Vide supra pag. 338, nota 2, in fine.

[4] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 10: Quia enim thronos Latino eloquio *sedes* dicimus, throni Dei dicti sunt hi qui tanta Divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat et per eos sua iudicia decernat. Unde et per Psalmistam [Ps. 9, 5.] dicitur: *Sedes super thronum, qui iudicas aequitatem*. Cfr. infra n. 33.

[5] Isai. 6, 3.

[6] Cfr. Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 8. § 1; Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 10; Bernard., V. de Considerat. c. 4. n. 8.

[7] Eccli. 43, 4. — Seq. locus est Cant. 2, 17.

[8] Cfr. supra pag. 259, nota 8.

[9] *Cherubim* siquidem, ut insinuat Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 7. § 1, significant « multitudinem scientiae aut fusionem sapientiae »; *Seraphim* autem idem est ac « incendentes, aut calefacientes ». De *Thronis* vide supra nota 4.

Secundo, sec. triplex potestatem.

29. Secundo, de sacra *potestate;* est triplex potestas: *sublimis, virilis, triumphalis.* Primae potestati respondet ordo Dominationum; secundae, ordo Virtutum; tertiae, ordo Potestatum. Et quia potestatis proprie est *hostes superare*, ideo ordo Potestatum retinuit sibi nomen.

Tertio, sec. triplicem actionem.

30. Attenditur etiam distinctio secundum *actionem*, quae est infima, in qua sunt omnes spiritus, *in ministerium missi*[1], quia « illi supremi ab intimis nunquam recedunt ». — Unde de Seraph misso ad Isaiam movet quaestionem Dionysius et non solvit eam; magis tamen videtur sentire, quod fuit Angelus alius, accipiens inflammationem ab Angelo illius ordinis, et sic denominabatur ab illo. — Hunus actionis triplex est actus: *purgare, illuminare, perficere.* Maior est *perfectio* quam *illuminatio*, et haec maior quam *purgatio; purgare* convenit Angelis, *illuminare* Archangelis, *perficere* Principatibus.

Tertio, sec. triplicem dispositionem coelestium ordinum et triplices aspectus.

31. Tertia distinctio est secundum *aspectus coelestis monarchiae.* Iste est aspectus ad *supremum*, ad *se ipsum*, ad *infimum;* sicut praelatus bene ordinatus est, qui est subiectus superiori, ordinatus respectu sui, et tunc bene praesidet inferioribus. Lucifer non servavit hunc ordinem, et ideo de ordine est proiectus; primo voluit praeesse, et tamen plus tendebatur Deo quam sibi. — Iste aspectus est secundum rationem *susceptionis, speculationis, unitionis.* Memoria suscipit, intelligentia speculatur, voluntas unitur. Per has vires, et non per alias, est conversio ad Deum. Plus autem est *unici* quam *suscipere*, vel *speculari;* ideo *unitiani* respondent Seraphim, *speculationi* Cherubim, *susceptioni* Throni; in Seraphim est *amor*, in Cherubim *splendor*[2], in Thronis *susceptio* patula et tranquilla.

De primo.

De secundo.

32. Secundum rationem ordinis vel aspectus in *se ipsum* non est nisi secundum potestatem ordinatam quantum ad tria: aut *imperat* quod est faciendum, aut *prosequitur* imperatum, aut *defensat* quod factum est; et in hoc assistunt sibi spiritus, quia unus imperat, alius prosequitur, alius defendit, sicut in collegiis. Nisi sit ordinata susceptio, virtutum communicatio, communicati defensio, non est ordo. Primum est Dominationum, secundum Virtutum, tertium Potestatum. — Et dixit, quod non bene posuerat in alio loco Potestates aut Virtutes, nec bene tunc viderat[3]. — In aspectu autem *ad nos*, sic tria ab eis recipimus beneficia: quid *agere*, quid *praeeligere*, quid *prosequi.* Quid *agere*, docent Angeli; quid *praeeligere*, Archangeli; quid *prosequi*, Principatus.

Retractatio.

De tertio.

Confirmatur per Dionysium.

33. Ex verbis Dionysii, de Angelica Hierarchia, capitulo septimo[4], extrahitur, quod amor *Seraphim* est *continuus*, summe *intensus*, summe *penetrativus* usque ad cor Dei, usque ad intima Dei ex intimis animae praesens; et ponit proprietates ignis semper mobilis. Et loquitur isto modo de igne largo modo, ut extenuatur ad quintam essentiam. Et in hoc ostenditur amor continuus, superfervidus, scilicet intensus, superacutus, scilicet penetrativus. — De *Cherubim* dicit, quod *suscipiunt* copiose, *speculantur* praeclare, *perfruuntur* iucunde illo lumine. — De *Thronis*, quod sedes est *elevata*, quod est *firma, stabilis, patula* ad susceptionem luminis. Throni dicuntur ad iudicandum, quod in illis sedet Deus, quia divinissimi sunt et familiariter manifestant consilium suum per iudicium. Consilium enim occultum est, sed manifestatur per iudicium; illis autem manifestat consilium suum. — De *Dominationibus*[5], quod significant quandam excellentiam in quadam libertate, et cum hoc similiter significant quandam praesidentiam respectu animarum et non appetitum habent inordinata dominii. — De *Virtutibus;* « virtus enim est altitudo de potentia[6] »; unde non dicitur quaecumque potentia virtus, sed quae est ul-

---

[1] Heb. 1, 14: Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi etc. — Seq. sententia est Gregor., II. Hom. in Evang. homil. 34, n. 12: Superiora illa agmina ab infimis nunquam recedunt. De opinione Dionysii respectu Seraph missi ad Isaiam (6, 6.) vide tom. II. pag. 262, nota 5. De triplici actu hierarchico cfr. supra pag. 225, nota 6.

[2] DE *speculari.*

[3] Respicere videtur ea quae posuit II. Sent. d. 9. *Praenotata*, ubi habetur: Perfectio autem virtutis sive potentiae consistit in tribus, scilicet in *praesidendo*, et penes hoc attenditur ordo Dominationum; in *resistendo*, et penes hoc attenditur ordo Potestatum; et in *operando*, et penes hoc est ordo Virtutum. Et ordinantur hi ordines secundum maioremfirmitatem et minorem, quia plus est *praesidere* quam *repugnare*, et *repugnare* quam *per se operari posse* etc. — BCD legunt: *quod non bene posuerat cum alia, scilicet in scripto* [i. e. in Commentario hujus Sent.; BC *in septimo*], *loco Potestates* etc.

[4] Paragr. I: Mobile enim semper eorum circa divina et inessabile et calidum et acutum et superfervidum intensae et non indigentis et inflexibilis semper motionis, et superpositorum reductive et active assimilativum, tanquam recalefactans illo et resuscitans in similem calorem et igneum caetus et holocaustis purgativum... Ipsa vero *Cherubim* cognoscibile eorum et deividum, et altissimae luminum dationis receptivum et contemplativum... Ipsa autem altissimarum et compactarum *Sedium*... omni extremitate inflexibiliter in sublimissimum et circa vere excelsum totis virtutibus incommutabiliter et stabiliter collocatum et divini superinventus... receptivum et deferum et familiariter in divinas susceptiones apertum. Cfr. c. 13. § 3, et Hug. a S. Vict., VI. et VII. Exposit. in Hierarch. caelest. Vide etiam supra n. 24. Infra cum F et G possimus *quintam essentiam;* Vat. *quantulcet essentiam.*

[5] Dionys., loc. cit. c. 8, § 1. ait: Iaitur sanctarum *Dominationum* manifestativum nominationem testimo declarare absolutam quandam et omni ignominia minorationis liberam anagogen, non ad similitudinem tyrannicarum dissimilitudinem illo modo universaliter eam inclinatam, liberaliter severam dominationem... Ipsam vero sanctarum *Virtutum* fortem quandam et incommutabilem virilitatem, in omnes secundum earum diversitatem operationes, ad nullam susceptionem indiscretam et divinarum illuminationum imbecillitatem... Ipsam autem sanctarum *Potestatum*... bene ornatam et incontusam circa divinas susceptiones ordinationem et ordinatam supermundanae et intellectualis potestatis non tyrannice in ea quae inferiora sunt, potestativis virtutibus praecipitatae etc.

[6] Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 116. (c. 11.). Cfr. tom. I. pag. 561, nota 7. et tom. II. pag. 671, nota 6.

Digitized by Google

timata; nec quaecumque res dicitur *virtuosa*, sed quae habet stabilitatem in durando, fortitudinem in resistendo. Item, quod sit fortis, nunquam imbecilliter infirmetur, quandiu Deus vult influere in eam, et in maxima erectione recipere illuminationes. Item, quod habeat subdimitatem, quod semper ad divina feratur. — Similiter, de *Potestatibus*. — Dominationum est, *imperare;* Virtutum, *prosequi;* Potestatum, *ordinare*, ut nihil sit contrarium, unde dicit vim repulsivam. — Item, Principatuum est *deducere;* Archangelorum, *revelare;* Angelorum, *nuntiare*[1].

COLLATIO XXII.

De quarta visione tractatio tertia, quae specialiter agit tum de secundo obiecto huius visionis, nempe de consideratione militantis Ecclesiae, tum de tertio, quod est ipsa anima hierarchizata.

Summarium. — *Introductio, repetitio*, 1. — Pars I. De secundo obiecto huius visionis, id est de Ecclesia militante. *Argumentum; Ecclesia, lunae comparata, debet stabilire animam contemplativam; habet ordines respondentes hierarchiae supernae; triplex distinctio ordinum ecclesiasticorum*, 2. — *Prima eorum distinctio est secundum rationem* processuum; *sic sunt tres ordines, scilicet fundamentales, promotivi, consummantes, respondentes triplici hierarchiae caelesti ac divinis personis*, 3. 4. — *Fundamentales sunt tres: patriarchalis, prophetalis, apostolicus; eorum correspondentia*, 5. 6. — *Item, promotivi: martyres, confessores, virgines; eorum correspondentia*, 7. 8. — *Item, consummantes: praesidentes, magistratus, regulares; eorum correspondentia*, 9. 10. — *Secunda distinctio ipsorum est secundum rationem* ascensuum *et* graduum; *tres gradus: purgativi, illuminativi, perfectivi; purgatio est triplex, cui respondent tres infimi ordines: ostiarii, lectores, exorcistae*, 11. — *Ordines illuminativi iterum tres: acolythi, subdiaconi, diaconi*, 12. 13. — *Ordines perfectivi tres: sacerdotes, episcopi, patriarchae; de Papa*, 14. 15. — *Tertia distinctio eorundem est secundum rationem* exercitiorum; *triplex eorum genus secundum triplicem vitam, scilicet activam, contemplativam, ex utraque permixtam; correspondentia trium statuum*, 16. 17. — *Primo, status laicorum est triplex, scilicet plebium, consulum, principum; correspondentia*, 18. — *Secundo, item status clericorum est vel ministerialis, vel sacerdotalis, vel pontificalis*, 19. — *Tertio, status contemplantium iterum triplex: per modum supplicatorium, speculatorium, sursumactivum; de pluribus ordinibus, et de futuro ordine seraphico; epilogus*, 20-23. — Pars II. De tertio obiecto quartae visionis sive de anima hierarchizata, quae comparatur luci stellarum. *Ipsa habet gradus respondentes supernae hierarchiae; hi gradus disponuntur et distinguuntur secundum* ascensum, descensum *et* regressum. *Primo secundum* ascensum, *sic sunt tres gradus: industriae cum natura, industriae cum gratia, gratiae super naturam et industriam*, 24. — *Primi gradus sunt tres actus respondentes tribus infimis ordinibus caelestis hierarchiae*, 25. — *Item, tres alii actus in secundo gradu cum correspondentia*, 26. — *Item, tres alii actus in tertio gradu, qui respondent tribus supremis ordinibus*, 27. — *Secundo, secundum* descensum, *distinctio fit secundum tres virtutes animae, scilicet susceptivas, custoditivas, distributivas*, 28. — *Sub primo respectu requiruntur tria, respondentia tribus supremis ordinibus caelestis hierarchiae*, 29-31. — *Sub secundo respectu iterum tria, respondentia mediis ordinibus*, 32. — *Similiter sub tertio respectu, et sic est correspondentia cum infimis ordinibus*, 33. — *Tertio fit distinctio secundum* regressum; *tres gradus distinguuntur secundum tres potentias et operationes animae*, 34. — *Primo, secundum virtutes exteriores sunt tria: perlustratio, praelectio, prosecutio; de his et correspondentia*, 35. — *Secundo, hierarchizatio fit secundam potentias interiores; sunt tria: castigatio, confortatio, convocatio*, 36-38. — *Tertio, secundum potentias superiores sunt tria: admissio, inspectio, inductio; epilogus*, 39. — *Duodecim materiae considerandae, respondentes duodecim stellis*, 40. — *De duplici eclipsi lunae*, 41. — *Hoc applicatur ad contemplativum virum deficientem*, 42.

Introductio. 1. *Signum magnum apparuit in caelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim*[2]. Dictum est de consideratione caelestis monarchiae, quae intelligitur per lucem solarem, ut est *sol* vigens, fulgens, calens, secundum quod consurgunt in anima Repetitio.

[1] Cfr. supra n. 20-23.

[2] Apoc. 12, 1. — De seqq. cfr. collat. praeced.

Digitized by Google

novem lumina secundum considerationes divinae *excellentiae*, divinae *influentiae*, divinae *praesidentiae*; et quomodo caelestis hierarchia illustratur ab illo sole et hierarchizatur propter *conformitatem* ad solem, propter *dispositionem* integritatis hierarchiae et propter *multiformitatem* aspectuum.

Pars I. De secundo visionis obiecto. Ecclesia militans ab esse stabilitatem accipiendum.

2. Restat ergo dicere de *luna*. Sicut enim anima contemplativa est mulier bona, *amicta sole*, ita *luna est sub pedibus eius*, non ad conculcandum, sed ad stabiliendum, scilicet militans Ecclesia. Philosophi multa consideraverunt de sole aeterno, sed nihil eis valuit, quia non fuit *luna sub pedibus*. Unde sicut luna est filia solis et recipit lumen ab eo, similiter militans Ecclesia a superna Ierusalem; unde Apostolus [1] dicit eam *matrem nostram*, quia est mater influentiarum, quibus efficimur filii Dei. Caelestis hierarchia est illustrativa militantis Ecclesiae. — Oportet ergo, quod Ecclesia militans habeat ordines correspondentes hierarchiae illustranti. Distinguuntur autem tripliciter: uno modo secundum rationem *processuum*; alio modo secundum rationem *ascensuum*; tertio modo secundum rationem *exercitiorum*.

Ordines eius respondent hierarchiae superiori. Distinguuntur tripliciter.

3. Primo ergo secundum rationem *processuum*, quia in tempore nascitur et proceditur, non sicut Angeli, qui subito creati sunt et simul firmati. Sicut enim luna plus et plus recipit lumen a sole, quousque veniat ad complementum; sic Ecclesia. Habet ergo tres ordines, scilicet *fundamentales*, qui respondent supremae hierarchiae; *promoventes*, qui respondent mediae; *consummantes*, qui respondent infimae.

Distinctio prima. Stabilitatio.

4. *Fundamentales* ergo respondent supremae, quia in *spiritualibus* fundamenta sunt *altissima*; in *corporalibus* vero, quia res descendunt ad infimum, ideo fundamentum est *infimum*, sed in spiritualibus fundamentum est *supremum* [2]. Unde et homo habet caput erectum ad caelum, quod est sicut radix. Unde sicut in arboribus per radicem est derivatio et attractio ad ramos, sic in homine quidquid est in corpore derivatur a capite, licet aliud membrum sit principalius, ut *cor*, secundum Philosophum [3]. Christus autem, qui est *caput*, locum supremum tenet in hierarchia nostra.

Fundamentales ordinet. Notandum.

5. Sunt ergo tres ordines: *fundamentales*, respondentes Patri; *promoventes*, Filio; *consummantes*, Spiritui sancto. Sunt autem in Ecclesia tres ordines fundamentales, scilicet ordo *patriarchalis*, *prophetalis*, *apostolicus*; ad Ephesios [4]: *Iam non estis hospites et advenae*; sequitur: *Superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum*. — Patriarchae fuerunt patres Apostolorum secundum carnem et secundum promissionem. Iste ordo respondet Patri, ut est in se ipso; prophetalis respondet Patri, ut est in Filio; apostolicus respondet Patri, ut est in Spiritu sancto. Isti Apostoli sunt *filii excussorum*; Psalmus [5]: *Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum*; et alibi: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*.

Tres sunt tres.

6. Ordo *patriarchalis* respondet Thronis; ordo *prophetalis*, Cherubim; ordo *apostolicus*, Seraphim. In Patriarchis fuit stabilitas fidei; in Prophetis, limpiditas cognitionis; in Apostolis, fervor caritatis. Si ergo genitura novi testamenti fuit a nobilissimo principio, debuit esse a nobilissimis principibus [6]. Et ideo Apostoli respondent Seraphim, quia *apostolicus* ordo conformatur Christo, et ante illum ordo *illuminativus*, scilicet prophetalis, et ante illum ordo *stabilis*, scilicet patriarchalis.

Correspondentia horum.

7. Sunt etiam tres ordines *promotivi*, per quos Ecclesia stabilitur in ordinibus *martyrum*, *confessorum*, *virginum*. Ordo *martyrum* respondet Filio, ut est in Patre, quia in martyribus fuit maxima potestas. Ordo *confessorum* respondet Filio, ut est in semetipso, scilicet ratione doctrinae. Ordo *virginum* respondet Filio, ut est in Spiritu sancto. Per viros istos dilatata est Ecclesia, in qua sunt exempla virtutis: in ordine *martyrum* documenta veritatis, in ordine *confessorum* privilegia sanctitatis fulgent, in ordine *virginum* privilegia castitatis. Per *virgines* intelliguntur non solum puellae passae pro Christo, sed omnes, qui zelo castitatis sequestraverunt se a mundo, ut Hilarion, Paulus, primus eremita.

Promotivi tres.

8. *Martyres* respondent Dominationibus, *confessores* Virtutibus, *virgines* Potestatibus, ubi removetur omnis deordinatio. In martyribus Ecclesia aliquantulum fuit obscurata, quia luna apparuit *sicut sanguis* [7], sed repurgata est et rediit ad maiorem dilatationem; unde per sanguinem martyrum dilatata est Ecclesia. Similiter tempore confessorum per haereticos impugnata est; sed post haeresis destructa est in Conciliis, et magis est Ecclesiae fides explanata. Similiter tempore virginum, quando homines ad carnem convertebantur, excitavit Spiritus sanctus mentes quorundam, ut castitatem amarent et servarent.

Correspondentia.

9. Tertius est ordo *consummantium*, et sunt tres, scilicet *praesidentium*, *magistratuum*, *regularium*. Ordo *praesidentium* respondet Spiritui sancto, ut est in Patre; ordo *magistratuum* respondet eidem, ut est in Filio; ordo *regularium* respondet

Consummantes tres.

---

[1] Gal. 4, 26: illa autem quae sursum est Ierusalem libera est, quae est mater nostra.

[2] Cfr. August., in Ps. 29, enarrat. 2. n. 10.

[3] Libr. II. de Partib. animal. c. 1. et III. c. 3. seq. Cfr. supra collat. 1. n. 19. et pag. 195, nota 7. in fine.

[4] Cap. 2, 19. et 20.

[5] Psalm. 126, 4. August., in hunc locum n. 9, ait: De arcu excutiuntur sagittae... de arcu suo [Dominus] mandat apostolos suos etc. Cfr. supra pag. 411, nota 6. — Seq. locus est Ps. 44, 17. Vide August. in hunc locum.

[6] Psalm. 44, 17: Constitues eos principes super omnem terram.

[7] Apoc. 6, 12: Et luna tota facta est sicut sanguis.

Digitized by Google

eidem, ut est in se ipso. Primo Ecclesia fuit fundata in primis tribus; secundo, in tribus mediis crevit; tertio oportet, quod sit ordinata in tota sua universitate et compleatur per Spiritum sanctum. Sunt ergo in Ecclesia *praesidentes* et subditi, *docentes* et discipuli, *regulantes* et regulati; et intelligo *magistros* seu docentes vel philosophiam, vel ius, vel theologiam, vel artem quamcumque bonam, per quam promoveatur Ecclesia. Per ordinem *praesidentium* intelliguntur praelati cuiuscumque auctoritatis. Per ordinem *regulantium* et regulatorum comprehenditur vita monastica; et isti sunt ultimi, quia oportet, mundum consummari in castitate, quia ultimi non generabunt. Consistit ergo in hoc consummatio Ecclesiae, ut regatur secundum rationem *praelationis*, secundum rationem *illustrationis*, secundum rationem *a carne abstractionis*.

Correspondentia. 10. Ordo *praesidentium* respondet Principatibus; ordo *magistratuum*, Archangelis; ordo *regularium*, Angelis, qui habent officium humilitatis [1]. Debent enim plus esse subiecti regulares superiori suo, quam discipuli magistro, quam subiecti praesidenti; quia *sic decet nos implere omnem iustitiam* [2]. Unde ille qui magis est humilis, maior est apud Deum.

Distinctio secunda. Gradus tres. 11. Alia est distinctio secundum rationem *ascensus* et gradum ecclesiasticorum. Oportet autem, eam ordinari *tribus ordinibus lapidum* [3]. Sunt autem gradus quidam *purgativi*, *illuminativi*, *perfectivi*. Primus triplicatur. — *Purgatio* autem triplex est: purgatur homo a *consortio foedorum*, a *nubilo ignorantiarum*, ab *infestatione daemonum*. Ilis respondet ordo *ostiariorum*, *lectorum*, *exorcistarum*: ordo *ostiariorum*, ut excludantur immundi, excommunicati, energumeni, catechumeni et non fundati in fide. Et ista fiebant in Ecclesia primitiva, quando Ecclesia optime erat disposita; sed modo porcus et canis intrant. — Lectores. Ordo *lectorum* est, ut homo purgetur a nubilo ignorantiarum per auditum lectionis, ut homo sciat historiam eorum quae leguntur, et sic informetur. Unde etiam in primitiva Ecclesia, quia tunc quasi omnes erant litterati, legebatur eis lectio. — Exorcistae. Tertia purgatio a vexationibus daemonum per ordinem *exorcistarum*. — Ordo primus respondet Angelis, secundus Archangelis, tertius Principatibus.

Item, secundus. 12. Item, est ordo graduum ad *illuminandum* per ordinem *acolythorum*, *subdiaconorum*, *levitarum*. *Acolythorum* est ferre lumina, *subdiaconorum* legere Epistolam, *diaconorum* legere Evangelium. Omnes autem ministrant vasa, sed diversimode, quia acolythus ampullas, subdiaconus parat calicem, diaconus offert; unde etiam aliquando ministrabat Sanguinem, quando ministrabatur Sanguis olim [4].

13. Isti ergo ordines sunt *illuminativi*. Illuminatio autem quaedam est per *exempla exteriora*, quaedam per *documenta mediocria*, quaedam per *documenta suprema*. — Primi portant cereos, ut Acolythi. acolythi, quibus dicitur: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes* [5]. *Lucernae* enim sunt opera lucida secundum Gregorium. — Secundi illu- Subdiaconi. minant *verbo et exemplo; ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes*, ut subdiaconi, qui continent verbum Epistolarum. — Tertii per *documenta altissima*, ut Evangeliorum, sunt Diaconi. diaconi. Unde etiam solebant praedicare, ut Stephanus, Laurentius, Vincentius. Unde in Luca [6] Angelus ad pastores ait: *Annuntio vobis gaudium magnum* etc. Ille Angelus est diaconus. — Ordo aco- Correspondentia. lythorum respondet Potestatibus; ordo subdiaconorum, Virtutibus: ordo diaconorum, Dominationibus [7].

14. Est etiam ordo *perfectivus*, et iste est tri- Item, tertius. plex; *sacerdotalis*, *episcopalis* et *patriarchalis*. Consummatio enim est secundum triplicem modum. *Una* est in administratione *communi* Sacramentorum, Sacerdotes. sine quibus non est salus, ut est baptismus, poenitentia, eucharistia, unctio extrema. Primum est, per quod introducitur homo in Ecclesiam; secundum, per quod reducitur in gradum pristinum; tertium, per quod homo deducitur in caelum. Primum est, ad deletionem culpae originalis; secundum, ad deletionem mortalis; tertium, ad deletionem omnis venialis; et quia in his non est perfectio nisi ut in Christo, ideo Sacramentum eucharistiae committitur sacerdoti specialiter.

15. *Secunda* est in administratione ordinum Episcopi. *privilegiatorum*, ut sacri ordinis et confirmationis; quod est episcoporum, non aliorum; et quia faciunt sacerdotes perfectiores; ideo in ipsis debet esse altior perfectio ad dandum Spiritum sanctum, qui non nisi per Apostolos dabatur; ideo etiam locum tenent Apostolorum. — Super Apostolos autem est Christus, Patriarchae et Papa. et post Petrus. Oportet ergo, esse patrem patrum, quem nos *Papam* vocamus, qui tamen propter humilitatem quatuor habet patriarchas: Constantinopolitanum, Alexandrinum, Hierosolymitanum, Antiochenum. Et de his loquitur Isaias [8]: *Erunt quinque*

---

[1] Cfr. supra collat. 19. n. 4.

[2] Matth. 3, 15.

[3] Libr. III. Reg. 6, 36: Et aedificavit [Salomon] atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum.

[4] Vide tom. IV. pag. 637, nota 8.

[5] Luc. 12, 35. — Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 4: Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. — Seq. locus est Phil. 2, 15. et 16. Codd. legunt: *ut sitis sinceres, inter quos* etc. Forcellini notat, quod ista forma *sinceres* inveniatur, tamen non sit imitanda.

[6] Cap. 2, 10: Evangelizo vobis etc.

[7] Cfr. IV. Sent. d. 24. p. II. a. 2. q. 4.

[8] Cap. 19, 18. Ibid. etiam seq. locus. — De quatuor patriarchis cfr. Concil. Nic. I. can. 6. et 7; Constant. I. can. 5. et apud Gratian. can. *Definimus* (7.), d. 22. — De plenitudine potestatis Romani Pontificis vide supra Quaest. disput. de Perfect. evang. q. 4. a. 3.

Digitized by Google

civitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan et iurantes per Dominum exercituum; Roma autem universalis est, ideo *civitas solis vocabitur una;* quia, etsi aliae quatuor sedes plenam auctoritatem habeant super Ecclesias vicinas illis, tamen Roma habet universaliter, sicut sol, plenitudinem potestatis super omnes. — Et secundum hoc sunt tres ordines, non quidem propter novi characteris impressionem, quia ultra sacerdotium non est gradus; sed propter eminentiam et potestatem [1]. — Primus respondet Thronis, secundus Cherubim, tertius Seraphim; quia oportet, episcopum esse *amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem* [2]. Papa autem debet esse perfectissimus inter omnes. Si autem sic esset ordinatio *interius*, sicut *exterius*, optima esset.

Correspondentia.

16. Tertia ordinatio est secundum rationem *exercitiorum*, quae sunt tria: *actuosum, otiosum*, ex *utroque permixtum;* vita *activa*, vita *contemplativa*, ex *utroque permixta*. Et licet ordo *praelatorum* secundum ordinem *ascensuum* ponatur in summo, tamen secundum *istum processum* ponitur in medio, ex quo *permixtus* est. Est ergo ordo *activorum* in infimo, ordo *praelatorum* in medio, ordo *contemplativorum* in summo. — Ordo *activorum* respondet Patri, cui competit generatio et productio; ordo *praelatorum* Filio; ordo *contemplativorum* Spiritui sancto.

Distinctio tertia. Triplex vita. Correspondentia.

17. Unde in Ecclesia sunt tres ordines: *monasticus*, qui est productus tantum; *laicus*, qui est producens; *clericalis*, qui est productus et etiam producens. Nam ex laico fit clericus, et non e converso, si iam ordinem sacrum habet, nec alio modo fieri debet, etiam si non habet, nisi sit totaliter ineptus. Ex clerico fit religiosus et non e converso.

Tres status.

18. In ordine *laicorum* est triplex ordo, scilicet sacrarum *plebium*, sacrorum *consulum*, sacrorum *principum*. *Restituam*, inquit [3], *iudices tuos, sicut a principio*. Boni enim principes habent bonos consiliarios. Et boni principes et boni consules habent bonas plebes, quia erudiunt illas. Econtra mali principes habent malos consiliarios, et per consequens male instruunt plebes. Malae plebes eligunt malos principes. — Primus ordo, scilicet plebium, respondet Angelis; secundus, scilicet consulum, Archangelis; tertius, scilicet principum, Principatibus. — Modo autem non est ita, sicut quando Constantinus regnabat. Qualis consiliarius fuit Ambrosius, qui adhuc Saracenus, scilicet catechumenus, virgo fuit? Sed modo *principes sunt socii furum* [4], et consiliarii in munere consulunt.

Laici: gradus tres. Correspondentia. Notandum.

19. Secundus ordo est *clericalis*, activus et contemplativus, qui et *pascere* debet et *contemplari*, ut sint medii inter Deum et plebem. *Omnis enim pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [5]. Et hi sunt tres ordines: *ministerialis, sacerdotalis, pontificalis*. Ad hos reducuntur omnes, quia omnes aut sunt *ministrantes*, et sunt primi sex; aut sunt *sanctificantes* per verba; aut sunt *regentes* per eminentiam. — Primus ordo, scilicet *ministerialis*, respondet *Potestatibus;* ordo *sacerdotalis*, in quo est efficacia Sacramenti, est ordo *Virtutum;* ordo *pontificum* respondet *Dominationibus*, quia habet *iubere*, in quo est efficacia et virtus.

Clerici. Tres gradus. Correspondentia.

20. In ordine *contemplantium* sunt tres ordines respondentes supremae hierarchiae, quorum est divinis vacare. Intendunt autem divinis tripliciter: quidam per modum *supplicatorium*, quidam per modum *speculatorium*, quidam per modum *sursumactivum*. — Primo modo sunt illi qui se totos dedicant orationi et devotioni et divinae laudi, nisi aliquando, quando intendunt operi manuali seu labori ad sustentationem suam et aliorum, ut sunt ordo monasticus, sive albus, sive niger, ut Cisterciensis, Praemonstratensis, Carthusiensis, Grandimontensis, Canonici regulares. Omnibus istis datae sunt possessiones, ut orent pro illis qui dederunt. Huic respondent *Throni*.

Contemplantes. Triplex vitae modus. Primus. Correspondentia.

21. Secundus est, qui intendit per modum *speculatorium* vel speculativum, ut illi qui vacant speculationi Scripturae, quae non intelligitur nisi ab animis mundis. Non enim potes noscere verba Pauli, nisi habeas spiritum Pauli: et ideo necesse est, ut sis sequestratus in deserto cum Moyse et ascendas in montem [6]. — Huic respondent *Cherubim*. Hi sunt Praedicatores et Minores. Alii principaliter intendunt *speculationi*, a quo etiam nomen acceperunt, et postea *unctioni*. — Alii principaliter *unctioni* et postea *speculationi*. Et utinam iste amor vel unctio non recedat a Cherubim. — Et addebat [7], quod beatus Franciscus dixerat, quod volebat, quod fratres sui studerent, dummodo facerent prius, quam docerent. Multa enim scire et nihil gustare quid valet?

Secundus. Correspondentia. Ordines Praedicatorum et Minorum. Franciscus.

22. Tertius ordo est vacantium Deo secundum modum *sursumactivum*, scilicet ecstaticum seu excessivum. — Et dicebat: Quis enim iste est? Iste est ordo *seraphicus*. De isto videtur fuisse Franciscus.

Tertius. Ordo seraphicus.

---

[1] Vide IV. Sent. d. 24. p. II. a. 2. q. 3.

[2] Tit. 1, 9.

[3] Isai. 1, 26: Et restituam iudices tuos, et fuerunt prius.

[4] Isai. 1, 23: Principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. — Paulo superius pro *Constantinus* Vat. *Valentinianus* (B *Constantinus vel Valentinianus*), quae subinde pro *Qualis* substituit *cuius*. Voci *Saracenus* secunda manus in margine col. A addidit *seu paganus*. Cfr. Vita S. Ambrosii a Paulino conscripta, n. 8. seq.; Vita et institutum S. Patris nostri Ambros., ubi etiam n. 3. dicitur: Is erat sane vir vita purus etc.

[5] Hebr. 5, 1.

[6] Cfr. Exod. 3, 1. seqq.; 19, 3; 24, 12. seqq. et 33, 2. seqq.

[7] Scilicet Bonaventura, quod in Legenda S. Franc. c. 11. idem refert. Cfr. Opuscul. S. Franc., Colloquium 15. — In praecedentibus pro *unctioni* DE *unitioni* (cfr. supra pag. 307, nota 2.), pro *vel unctio* DC *vel unitio in utero*.

Digitized by Google

Et dicebat, quod etiam antequam haberet habitum, raptus fuit et inventus iuxta quamdam sepem[1]. — Hic enim est maxima difficultas, scilicet in *sursumactione*, quia totum corpus enervatur, et nisi esset aliqua consolatio Spiritus sancti, non sustineret. Et in his consumnabitur Ecclesia. Quis autem ordo iste futurus sit, vel iam sit, non est facile scire.

Corpus enervatur tali contemplatione.

23. Primus ordo respondet *Thronis;* secundus *Cherubim;* tertius *Seraphim*, et isti sunt propinqui Ierusalem et non habent nisi evolare. Iste ordo non florebit, nisi Christus appareat et patiatur in corpore suo mystico. — Et dicebat, quod illa apparitio Seraph beato Francisco[2], quae fuit expressiva et impressa, ostendebat, quod iste ordo illi respondere debeat, sed tamen pervenire ad hoc per tribulationes. Et in illa apparitione magna mysteria erant. — Sic ergo distinguuntur isti ordines secundum maiorem et minorem perfectionem; comparatio autem est secundum *status*, non secundum *personas;* quia una persona laica aliquando perfectior est quam religiosa.

Correspondentia.

De apparitione Seraph facta Francisco.

Notandum.

24. Sequitur de luce *stellari*, per quam *anima hierarchizatur* intelligitur. Necesse est enim, ut anima, quae est hierarchizata, habeat gradus correspondentes supernae Ierusalem. Grandis res est anima: in anima potest describi totus orbis. *Pulcra* dicitur *sicut Ierusalem*[3], quia assimilatur Ierusalem per dispositionem graduum hierarchicorum. Disponuntur autem in anima tripliciter: secundum *ascensum*, secundum *descensum* et secundum *regressum* in divina; et tunc anima videt *Angelos Dei ascendentes et descendentes per scalam*, ut vidit Iacob in mente sua[4]. — Albas Vercellensis assignavit tres gradus, scilicet *naturae, industriae, gratiae*. Sed non videtur, quod aliquo modo per *naturam* anima possit hierarchizari. Et ideo nos debemus attribuere *industriae cum natura, industriae cum gratia, et gratiae super naturam et industriam.*

Pars II. De Ordine Abbatum dicendo.

Anima hierarchizata habet gradus respondentes hierarchiae supernae.

Gradus disponuntur triplicater.

Primo, secundum ascensum tripliciter.

25. Tres autem sunt gradus *industriae cum natura* sive actus, scilicet *nuntiatio, dictatio, ductio. Nuntiatio* respondet Angelis; *dictatio*, Archangelis; *ductio*, Principatibus. — Industria enim primo percipit quod quilibet sensus *nuntiat*. Visus et auditus multa nuntiant, sed auditus plura, ut illa quae Romae fiunt; gustus, odoratus et tactus non vadunt longe, et ideo tardi sunt[5]. Cavere autem debet industria, ut non permittat, omnem nuntium intrare, ut mulieres videre. Industria ergo debet discernere inter nuntiata, utrum sint respuenda, vel eligenda. — Deinde necesse est deliberatio, quae est *dictatio*, utrum liceat; et si liceat, utrum deceat; et si liceat et deceat, utrum expediat. Nil enim expedit, nisi quod licet et decet. — Deinde necessaria est *ductio*, ut prosequatur. « Prosequi autem est assumere in facultatem voluntatis[6] », et hoc est *Principatuum*. Multi enim sunt *Angeli* et *Archangeli*, scilicet *perspicientes* et *deliberantes* quod expedit, sed non sunt *prosequentes*, ut *Principatus.*

Quaed primum sunt 3 gradus cum correspondentia.

Gradus primus.

Secundus.

Tertius.

26. Secundus est gradus *industriae cum gratia;* et sunt tres actus. Primus, ut propter Deum fiat quod deliberatum est; unde prima *ordinatio* est in Deum, quae est *Potestatum*, scilicet in finem *ordinare* et quidquid deordinatum est, *removere;* et quia hoc est difficile, ideo necessaria est *roboratio*, quae est *Virtutum;* et quia in finem ordinare est difficile et roborare; ideo sequitur *imperatio*, quae est *Dominationum.*

Item, quaed secundum.

27. Tertia hierarchizatio est *gratiae super naturam et industriam*, quando scilicet anima supra se elevata est et, se deserta, suscipit divinas illuminationes et supra se speculatur quod sibi datum est: et ex hoc surgit in divina sive sursum agitur. Ista tria sunt *susceptio, revelatio, unio*[7], ultra quam non procedit mens. Et in istis consistit Canticum canticorum totum, scilicet in castis, castioribus, castissimis susceptionibus; in castis, castioribus, castissimis speculationibus; in castis, castioribus, castissimis unitionibus; et tunc poterit dicere illud Cantici[8]: *Osculetur me osculo oris sui.* — *Susceptio* respondet Thronis, *revelatio* Cherubim, *unio* Seraphim. Et haec hierarchizatio est secundum *ascensum.*

Item, quaed tertiam.

28. Item, est hierarchizatio animae secundum *descensum* sive per modum descendendi. Oportet enim, ut *unguentum capitis* hierarchiae supernae cadat *in barbam*, in mediam hierarchiam, et *in vestimenta*[9], id est infimam. Haec autem habent fieri secundum virtutes animae, quae sunt tres, secundum Dionysium: *susceptivae, custoditivae, distributivae;* ut copose suscipiat, studiose custodiat, liberaliter refundat; unde *gratis accepistis, gratis date*[10].

Secunda disponuntur sec. descensum tripliciter.

29. Ad hoc autem, quod anima *recipiat* illa lumina, requiritur *vivacitas desiderii, perspicacitas*

Quaed susceptionem tria requiruntur.

---

[1] Cfr. Legenda S. Franc. c. 1, ubi de eius conversatione in habitu saeculari.

[2] Vide Prolog. in Itinerarium mentis in Deum, n. 2. seq.

[3] Cant. 6, 3: Pulcra es amica mea... sicut Ierusalem. — De praeced. propositione cfr. supra pag. 319, nota 9, verba Aristot., quae hic ab E allegantur.

[4] Gen. 28, 12. — Opera mystica abbatis Vercellensis prae manibus non habemus.

[5] Cfr. Aristot., de Sensu et sens. c. 1. et l. Metaph. c. 1. Vide III. Sent. d. 24. dub. 2.

[6] August., X. de Trin. c. 11. n. 17: Uti enim est assumere aliquid in facultatem voluntatis. Cfr. I. Sent. d. 1. a. 1. q. 1.

[7] Cum cold. propter sequentia retinimus *unio*, licet alibi cum ceteris posuimus *unctio;* cfr. pag. 440, nota 7.

[8] Cap. 1, 1.

[9] Respicitur Ps. 132, 2. Cfr. supra pag. 119, nota 4. — Divisio virtutum animae, quae mox ex Dionys. afferitur, colligitur ex his quae in libr. de Caelest. Hierarch. c. 15. § 3. habentur de anima humana, in quantum corpori conjuncta est et diversas vires exserit in diversis organis. Auctor libri de Spiritu et anima (inter opera August.) c. 20. vires *naturales* animae ad quatuor reducit, scil. appetitivum, retentivum, expulsivum et distributivum.

[10] Matth. 10, 8.

Digitized by Google

scrutinii, *tranquillitas iudicii*. Non enim est contemplativa anima sine *desiderio* vivaci. Qui hoc non habet nihil de contemplatione habet, quia origo luminum est a supremis ad infima, non e converso. — Primus responsuet *Seraphim*, qui est ardens sicut ignis; unde ignis maximam significationem habet in Scripturis. Ad istum ignem ardentem in vertice montis ascendit Moyses, et tamen illum ignem prius vidit in pede montis [1]. Non enim Moyses descendere potuit ad erudiendum populum, nisi prius ad ignem ascendisset. Desiderium ergo disponit animam ad suscipiendum lumen.

De primo et eius correspondentia.

30. Secundo oportet, quod anima *perspicaciter advertat* vel percipiat quae data sunt sibi a Deo, et non habeat phantasmata vel occupationes, quin possit occupari et ferri in illa lumina. Et istud respondet *Cherubim*.

De secundo.

31. Tertio oportet, quod habeat *tranquillitatem iudicii*, quia donum Dei non debet in vacuum recipere [2], ut non pervertatur iudicium in aliqua passione; quia, sicut animae iudicium pervertitur, si inordinate amo vel odio, sic similiter, si spero, et sic de aliis passionibus. Et hoc respondet *Thronis*.

De tertio.

32. Ex his sequitur auctoritas *imperii*. Ex quo enim desiderio suscipit et istud perspicaciter percipit et tranquille faciendum iudicat, quod Deus vult; tunc anima imperat fieri; et istud respondet *Dominationibus*. Sed *imperare* parum valet, nisi faciat; ideo oportet, quod sit *virilitas propositi executiti*, quod respondet *Virtutibus*, ut propter nullam tribulationem dimittat bonum, quod scit Deum velle. — Post quod venit nobilitas *triumphi* propter impedimenta, quae occurrunt, postquam recipitur aliquid a Deo; et istud respondet *Potestatibus*, scilicet de omnibus *triumphare*. Haec tria faciunt mediam hierarchiam animae.

Item, quod custoditio.

33. Tertium est *custoditi distributio*; et in hoc sunt tria vel tripliciter contingit, scilicet per *claritatem exempli*, per *veritatem eloquii*, per *humilitatem obsequii*. Sic debemus vitam dare proximo, scilicet per *exempla*, *scientiam*, *substantiam*. — Praeclaritas *exempli* respondet Principatibus, quorum est ducere; veritas *eloquii*, Archangelis; humilitas *obsequii*, Angelis. — Sic ergo est *consummatio* in *humilitate* secundum *descensum*, et *inceptio* in *caritate*; *ascendendo* e contrario. Sic ergo descendendo incipimus a vivacitate desiderii ad humilitatem obsequii. Unde Christus venit ad humilitatem obsequii nostri. Sicut ergo anima habet Angelos ascendentes, sic debet habere descendentes. Unde in Ioanne [3]: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis, qui est in caelo.*

Item, quod distributio.

Notandum.

34. Tertio modo modus distinguendi in anima secundum *regressum* est secundum triplicem gradum contemplationis. Gregorius super Ezechielem [4] ponit tres gradus: aut enim quod venit in consideratione nostram est *extra nos*, aut *intra nos*, aut *supra nos*. Unde Deus contemplatur aut in his quae sunt *intra nos*, aut *extra nos*, aut *supra nos*, secundum tres potentias, scilicet *exteriores*, *interiores*, *superiores*, sive *apprehensivus*, *amativas*, *operativas*. Et secundum philosophum [5] « omnis anima nobilis tres habet operationes », scilicet *animalem* ad extra, *intellectualem* ad intra, *divinam* ad supra. Oportet ergo, ut anima habeat hierarchizationem secundum has potentias: primo secundum virtutes *exteriores*, circa quas sunt tria, scilicet discreta *perlustratio*, discreta *praeelectio*, discreta *prosecutio*.

Tertio disponantur ad regressum triplicter.

Animae operationes tres.

Quod potentias exteriores tria requirantur.

35. Primo ergo debet esse discreta *perlustratio*, ut discrete consideretur mundus ab anima. Nam in anima est sicut quaedam manus scribens. Sensus enim percipit exterioria et post, sensus communis; deinde imaginatio, et ratio considerat et reponit in memoria [6]. Oportet ergo, quod sit magna discretio ad custodiendum donum, ne omnes intrent ad has vires; nihil mutuetur regi et reginae, quod sit inutile. Latro enim introduci non debet coram rege, nisi forte, ut condemnetur. Eva enim misera et incauta introduxit eloquium serpentis et dulcitavit [7]; et isto eloquio hodie multi corrumpuntur. Nihil ergo debet intrare per portas istas immundum; in Apocalypsi: *Foris canes et venefici et impudici*. — Secundum est discreta *praeelectio*; ex quo apparet, quid percipitur, sequitur, ut praeeligatur, ex quo percipitur bonum; quia in bonis est *electio ordinata*; non enim prius manducandum quam celebrandum. — Et hoc respondet Archangelis, et discreta *perlustratio* convenit Angelis. — Post sequitur *iudicium* — et istud convenit Principatibus — quod est in *prosecutione*. Ex quo bonum percipitur et bonum praeeligitur faciendum, sequi debet *iudicium ad prosequendum*. Haec autem omnia operatur gratia, non industria sola cum natura, ut dicebatur primo [8].

De primo.

De secundo.

De tertio.

36. Secunda hierarchizatio mentis est quantum ad potentias *interiores*; quod est magis difficile quam primum. Haec autem consistit in tribus, quae sunt: districta *castigatio*, districta *confortatio*, districta *convocatio*, quae interius hierarchizatam faciunt animam. — Primo, quod castigentur *radices pessimum* et amputentur, et enerventur *contrariae potestates*. Venit

Item, quod potentias interiores.

De primo.

---

[1] Cfr. Exod. 19, 17. seqq. et 21, 12. seqq.

[2] Epist. II. Cor. 6, 1: Adiuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

[3] Cap. 3, 13.

[4] Libr. II. homil. 5. n. 8. seqq.

[5] Scilicet auctorem libri de Causis, propos. 3: Omnis... operationes. Nam ex operationibus eius est operatio animalis et operatio intelligibilis et operatio divina.

[6] Cfr. supra pag. 300, nota 6. et pag. 301, nota 3.

[7] Vide Gen. 3, 1. seqq. — Seq. locus est Apoc. 22, 15: Foris canes etc.

[8] Num. 24. seqq.

Digitized by Google

enim princeps mundi huius et in me non habet quidquam[1]. Quamdiu enim passiones illae dominantur homini, diabolus habet de suo in homine. Ad hoc autem faciendum necesse est, ut eradicetur triplex libido: libido *principandi*, libido *delectandi*, libido *possidendi*; quia haec triplex libido inducit diabolum in animam. — Haec autem hierarchizatio respondet Potestatibus. Non potest autem anima potestativa esse, quamdiu diabolus habet ius suum in anima. Oportet ergo, ut homo habeat tria opposita: ut sit *subiectus*, *custos*, *pauper*. Et sic amputantur radices passionum; in Cantico[2]: *Tempus putationis advenit*, quia qualibet die putantur.

Triplex libido. Correspondentia.

37. Secunda est districta *confortatio*. Sicut enim triplex *libido* facit promptitudinem ad malum, sic triplex *infirmitas* facit difficultatem ad bonum. Haec autem est infirmitas *negligentiae*, *impatientiae*, *diffidentiae*. Quidam ita sunt *negligentes*, ut durum sit eis facere bonum; secundi, ut cito sint *impatientes*; tertii, etsi ante praemissa non habeant, tamen cito *diffidunt*. Oportet ergo, per mentis *vigilantiam*, *tolerantiam*, *confidentiam* animam reformari. Et huic respondet ordo Virtutum.

De secundo. Triplex infirmitas.

38. Sequitur districta *conversatio*. Quando enim mens est *ordinata* sicut Ecclesia, quando habet potestatem supra se, tunc est *templum* Dei; quando dominatur et imperat omnibus virtibus, tunc est hierarchizata Dominationibus; quando virtutes vocantur ad opera sua, et dicitur hinc: fac hoc, et illi: fac tu illud[3]. Ad hoc autem faciendum necesse est, ut dominetur appetitibus, phantasmatibus, occupationibus, ut sit districtio in appetitibus, phantasmatibus, occupationibus. — Et tunc est anima bonum sui, quando concupiscibili auferitur *concupiscentia* triplex, irascibili auferitur *infirmitas* triplex, rationali auferitur *error* triplex. Tunc anima habet imperium in regno suo; et tunc non expellitur extra domum suam, quando illae passiones sunt amputatae; et in tali anima Deus habitat, non in furiosa concupiscentia etc. Diabolus libenter imprimit quod in se habet; haec sunt «*furor* irrationalis, amens *concupiscentia*, *phantasia* proterva[4]».

De tertio. Triplex dominatio.

39. Sequitur, quomodo anima hierarchizatur quantum ad virtutes *superiores*. Quando enim anima facit quod potest, tunc gratia facile levat animam, et Deus ibi operatur, ut sit digna semper *admissio*, digna *inspectio*, digna *inductio*. — Digna *admissio divinorum* respondet Thronis. Et ita intelligitur illud quod legitur in Threnis[5]: *Consurge in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini*, id est, pone ante Deum preces. In Psalmo: *Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus*. — Et post, quando elevatur, non debet esse otiosa et debet *circumspicere*; Isaias: *Ierusalem, consurge et sta in excelso*; et: *Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum*. Tunc enim debet anima esse fixa et stans et exspectare. — Post sequitur divina *inductio*; quando facta est digna *admissio* et sancta *perceptio*, tunc rapitur in Deum sive in dilectum. Unde in Cantico[6]: *Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia*, quia iam sensit unionem et factus est unus spiritus cum Deo; unde: *Qui adhaeret Deo unus spiritus est*; et hoc est supremum in anima, quod animam facit esse in caelo. — Et istis per ordinem respondent ordines supremae hierarchiae. — Et sic est anima *mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona duodecim stellarum*[7], quia est plena luminibus et nunquam oculum divertit a lumine.

De primo. De secundo. De tertio. Correspondentia. Typicum.

40. Et qua in hac vita non possumus stare in uno, ibi anima habet *duodecim materias* sicut duodecim lumina, circa quae semper moveatur in quodam circulo, sicut sol percurrit duodecim constellationes, scilicet per duodecim signa[8], et nunquam exit. Hae autem considerationes ornant animam, et ideo sunt sicut corona ex duodecim stellis, quae sunt: considerationes corporalium naturarum, spiritualium substantiarum, intellectualium scientiarum, affectualium virtutum, institutarum divinitus legum, infusarum divinitus gratiarum, irreprehensibilium iudiciorum[9], incomprehensibilium misericordiarum, remunerabilium meritorum, praemiantium praeteriorum, temporalium decursuum, aeternalium rationum. — In his debet contemplativa anima versari semper in aliquo istorum luminum, sicut sol semper est in aliquo signo[10].

Duodecim lumina.

41. Et nota, quod luna patitur eclipsim in capite, vel in cauda draconis. Sunt autem duae intersectiones in caelo super eclipticam[11], per quam transit luna, quae vocantur *caput* et *cauda draconis*;

Duplex lunae eclipsis.

Rem. quod potentiae superiores tractentur.

---

[1] Ioan. 14, 30. — Epist. I. Ioan. 2, 16: Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae.

[2] Cap. 2, 12.

[3] Matth. 8, 9: Et dico huic: vade, et vadit; et alii: veni, et venit; et servo meo: fac hoc, et facit.

[4] Dionys., de Div. Nom. c. 4, § 23.

[5] Cap. 2, 19: Consurge, laude in nocte, in principio etc. — Seq. locus est Ps. 37, 10; tertius Isai. 51, 17: Elevare, elevare, consurge, Ierusalem. Baruch 5, 5: Exsurge, Ierusalem, et sta in excelso. Quartus [Tunc videbis] est Isai. 60, 5.

[6] Cap. 2, 6. et 6, 2: Ego dilecto etc. — Seq. locus est I. Cor. 6, 17.

[7] Apoc. 12, 1.

[8] Cfr. supra pag. 221, nota 5.

[9] Rom. 11, 33: Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius.

[10] Cfr. Beda, de Natura rerum, c. 17, ubi docet, quod sol circa medietatem uniuscuiusque mensis incipit introire in unum de duodecim signis.

[11] Scilicet lineam in medio zodiaco, quae circulariter ipsum per totum scindit. Vocatur *ecliptica*, eo quod in ipsa sola ecli-

Digitized by Google

draco vocatur propter circulum, quasi tenens caudam in ore. Illa intersectio, quae est versus aquilonem, vocatur *caput*, quia sol magis laedit nos, quando est ibi, quia magis diametraliter urit nos, sicut draco est peior et magis nocivus in capite. *Cauda* autem est versus meridiem, et minus laedit nos sol, quando est in parte illa, quia magis a nubis elongatur. Et quando sol in una parte est, et luna in puncto alio sibi opponitur, ut in plenilunio; tunc eclipsatur.

Applicatio. 42. Similiter vir contemplativus eclipsatur dupliciter et cadit turpiter et multum periculose, eo quod vix resurgit; nec mirum, quia de alto cadit.

Duplex casus animae. Cadit enim per *errorem* et per *praesumtionem*. Videt enim se illuminatum et *praesumit*, et fit luciferianus et cadit a luce in tenebras horribiles. Cadit similiter per *errorem aestimationis*, quae oritur ex praesumtione, quando credit, se omnia habere per revelationem. Semper tamen debet esse regula. — Unde dicebat, quod multi decipiuntur, quod credunt, se habere omnia per revelationem. — Unde in illa visione et apparitione, quae est regula omnium apparitionum, Domini in monte, apparuerunt Christus, Moyses et Elias [1], ut nihil credatur verum vel revelatum, nisi quod consonat Legi, Prophetis et Evangelio. — Debet ergo contemplativus esse humilis et circumspectus, ut non ad *caput* draconis veniat per *praesumtionem*, vel in *cauda* involvatur per *errorem*. Et ideo mulier, scilicet anima hierarchizata, videt duas visiones, scilicet *arcam* et *civitatem* [2]. Notandum.

COLLATIO XXIII.

De quarta visione tractatio quarta, quae continuat agere de tertio obiecto huius visionis, quod est ipsa anima hierarchizata.

SUMMARIUM. — *Introductio; repetitio; duodecim illustrationes et considerationes*, 1. — *Anima hierarchizata est civitas Dei descripta in Apocalypsi*, 2. — *Tres loci Apocalypsis de hac civitate et signatione animae; de sexto Angelo et sexto tempore, in quo est Ecclesia contemplativa*, 3. 4. — Pars I. De triplici visione caelestis Ierusalem, quam anima contemplativa debet habere, ut sit civitas Dei respondens supernae civitati. *Videt caelestem Ierusalem consistentem, descendentem, ascendentem*, 5. — *In visione prima sive civitatis consistentis considerantur quatuor attributa Dei, et anima fit civitas cum quatuor lateribus*, 6. — *Similiter fit in secunda visione sive civitatis descendentis, si considerantur assumtae humanitatis exortum, occasum, ascensum, regressum*, 7. 8. — *Similiter fit in tertia visione sive civitatis ascendentis, si considerantur caritatis incendium, donum, incendium, solatium*, 9. 10. — *Signa horum quatuor imprimuntur animae*, 11. 12. — *De quarto signo specialiter; quod fuit in signatis super montem et est in anima contemplativa; necesse est, ut haec habeat motum virtuti consonum huic signo caritatis*, 13. 14. — Pars II. De perfectione vitae necessaria, ut anima sit signata et respondeat supernae civitati. *Secundum quatuor latera civitatis, quae singula habent tres portas, necessariae sunt quatuor virtutes, quae singulae habent tria exercitia; primo requiritur perfectus cultus Dei cum tribus exercitiis*, 15. — *Haec respondent signatis ex tribubus Iuda, Ruben et Gad*, 16-18. — *Secundo requiritur perfectus aerus Dei cum tribus exercitiis, quae respondent signatis ex tribubus Aser, Neptthali et Manasse*, 19-22. — *Tertio requiritur perfectus zelus Dei cum tribus exercitiis, quae respondent signatis ex tribubus Simeon, Levi et Issachar*, 23-26. — *Quarto requiritur perfectus Dei sensus cum tribus exercitiis, quae respondent signatis ex tribubus Zabulon, Ioseph et Beniamin*, 27-29. — *Epilogus*, 30.

Introductio. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, ut praeesset diei; et luminare minus,*

Repetitio. *ut praeesset nocti, et stellas* [3]. Dictum est, quomodo anima hierarchizatur in consideratione *lucis solaris*, secundum quod sol ille est vigens, splendens, calens; Pater et Filius et Spiritus sanctus est origo omnium illuminationum vel irradiationum in ratione *excellentiae, influentiae, praesudentiae*; et secundum quod

---

pels accidere possit, dum scil. alius planetarum, v. g. luna, cum sole, qui in cursu suo hanc lineam semper servat, in ipsa reperitur. Illud autem punctum, in quo eclipses contingunt, vocatur *caput*, vel *cauda* draconis, quod non est aliud quam punctum intersectionis eclipticae cum circulo planetarum deferente. Isti enim circuli, ita se intersecantes, quasi figuram duorum serpentium efficiunt, et ubi se tangunt, caput, vel cauda draconis appellatur. Cfr. S. Thom., in II. de Caelo et mundo, lect. 13.

[1] Matth. 17, 3.

[2] Cfr. Apoc. 11, 19. et 21, 2. seqq.

[3] Gen. 1, 16. — Immediate post datur summa collat. 21. et 22.

Digitized by Google

illa assimilatur soli secundum *conformitatem* et propter *integritatem* hierarchicae dispositionis et propter triformem *aspectum*; et sunt sex considerationes. — Hierarchizatur etiam in consideratione *militantis Ecclesiae*, in qua est distinctio secundum rationem *processuum*, *ascensuum* et *exercitiorum*, quia sic consideratur Ecclesia, et non aliter, in qua est unum caput, unum corpus, unus cibus. De qua Paulus[1] loquitur multum, qui exercitatus erat in ea consideratione. Similiter Psalterium multum loquitur de hac; et aliquando loquitur in persona talis, aliquando in persona alterius. Unde in Psalmo: *Dominus regnavit, decorem indutus est*, tangit caput Ecclesiae et quatuor ordines eius. — Postea dictum est, quomodo anima hierarchizatur in contemplatione *sui* secundum *ascensum* et *descensum* et *reascensum*. Et quando anima habet haec, sunt et fiunt in ea mirabiles theoriae. Habet autem duodecim novenarios: tres *exemplares* in sole, tres *exemplatos* in caelesti hierarchia et tres in *subcaelesti* et tres in *se ipsa*. Quae sunt duodecim *illustrationes*, quibus adduntur duodecim *considerationes* quasi duodecim stellae, scilicet corporalium naturarum[2] etc.; ita quod semper anima sit in lumine; quia non potest stare in uno; et in ultima est quies, scilicet in ratione exemplaris in patria. — Haec autem non sunt simul in via, sed in patria uno aspectu omnia videbuntur. Sunt autem liberae[3] omnes istae duodecim considerationes et habent ramos infinitos, de quibus fieret liber magnus.

Illustrationes et considerationes 12.

2. Si autem ducantur duodecim per duodecim, fiunt centum quadraginta quatuor, numerus scilicet civitatis Ierusalem. Anima enim sic hierarchizata est *civitas*, in qua Deus habitat et videtur; de qua loquitur[4]: *Sustulit me in spiritu in montem magnum et altum*; et: *Vidi sanctam civitatem, Ierusalem novam*. Et ibidem dicit, quod *mensus est duodecim millia stadiorum*; et post, quod *longitudo et latitudo et altitudo aequalia sunt*, et *mensura murorum centum quadraginta quatuor cubitorum*.

Apocalypsis.

3. Quomodo potest hoc esse? Vide illud, quod dictum est, in fine Apocalypsis[5]; circa medium autem dictum est: *Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius et nomen Patris eius scriptum in frontibus suis*. In apertione autem sexti sigilli dictum est in Apocalypsi[6]: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit quatuor Angelis, quibus datum est nocere terrae et mari, dicens: Nolite nocere terrae et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda duodecim millia signati* etc. Tribus autem Dan non ponitur, sed Manasses ponitur pro Dan, et Ioseph pro Ephraim. In Deuteronomio[7] non ponitur Simeon.

De sexto Angelo et signo.

4. Primo posit signatos, qui erant *supra montem Sion*, et postea, quod Angelus unus de effundentibus phialas, qui oportet, quod sit sextus[8], ostendit ei civitatem, cuius mensura *centum quadraginta quatuor cubitorum* erat. Circa principium Apocalypsis dicitur sexto Angelo, scilicet Philadelphiae: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei et scribam super eum nomen meum et nomen civitatis novae Ierusalem*, de qua locutus non fuit nisi in fine. — Sex sunt tempora, quorum sextum tempus habet tria[9] tempora cum quiete. Et sicut Christus in sexto tempore venit, ita oportet, quod in fine generetur Ecclesia contemplativa. Ecclesia enim contemplativa et anima non differunt, nisi quod anima totum habet in se, quod Ecclesia in multis. Quaelibet enim anima contemplativa habet quandam perfectionem, ut videat visiones Dei.

Hic respondet Ecclesia sexto tempore.

Notandum.

5. Sustollitur, ut videat Ierusalem tripliciter: in caelo *consistentem*, de caelo *descendentem*, ad caelum *ascendentem*. Aliter non est anima contemplativa. — De primo Isaias[10]: *Surge, illuminare Ierusalem*; et post: *Non erit tibi amplius sol ad*

Pars I. De triplici visione caelestis Ierusalem.

In prima [illegible] Ierusalem.

---

[1] Eph. 1, 22. et Col. 1, 18; Rom. 12, 5. seqq.; 1. Cor. 10, 17. et 12, 12. seqq. — Seq. locus est Ps. 92, 1. seqq.

[2] Cfr. collat. praeced. n. 40.

[3] Vat. *stellae*, E (a secunda manu) et 15 *liberae*, alii omnes *liberae*, qui terminus hic significare videtur sensum supra collat. 15. n. 10. expressum.

[4] Apoc. 21, 10. et 2. Cfr. supra pag. 377, nota 3. — Seq. locus est ibid. v. 16. seq.: Et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia. Et longitudo et altitudo et latitudo eius aequalia sunt. Et mensus est murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum.

[5] Sensus est: quod anima illa sit *civitas*, ex locis Apocalypsis n. 2. citatis elici potest, si conferuntur cum duobus aliis locis eiusdem libri; quod 18 in seqq. — Seq. locus est ibid. 14, 1: Et vidi, et ecce Agnus stabat supra etc. — De dictis n. 3. 4. cfr. infra n. 13. 14. et supra collat. 20. n. 29.

[6] Cap. 7, 2. seqq. — De Dan et Manasse cfr. supra pag. 399, nota 1. et pag. 402, nota 3. Gen. 41, 51. seq.: Vocavitque [Ioseph] nomen primogeniti *Manasses*... nomen quoque secundi appellavit *Ephraim*.

[7] Cap. 33, ubi Moyses moriturus benedicit tribubus Israel, tribu *Simeon* omissa. In fine huius cap. Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum addit: Notandum, undecim tantum esse benedictiones, Simeon namque in his benedictionibus non reperitur, in quo Iudas ab Apostolis excluditur, undecim tantum remanentibus. Inde quoque undecim mansionibus filii Israel de Horeb pervenerunt ad locum, in quo Deuteronomium acceperunt (cfr. Num. 49, 5. seqq.). Ibid. in v. 17: *Hae sunt multitudines Ephraim, et haec milia Manasse*, eadem Glossa dicit, quod « hae duae tribus ex *Ioseph*, non in se, sed in parente benedicuntur. Filios significant utriusque populi [gentium et Iudaeorum], qui in Christo benedicuntur » etc.

[8] Apoc. 16, 12. seqq. — Seq. locus (de Angelo Philadelphiae) est ibid. 3, 12. Vulgata post *Dei mei* prosequitur: *et foras non egredietur amplius, et scribam* etc. Cfr. supra collat. 20. n. 29.

[9] Codd. *sex*; sed cfr. supra collat. 16. n. 29.

[10] Cap. 60, 1. et 19: *Non... ad lucendum per diem nec splendor lunae illuminabit te* etc. A D E G pro *Non... sol ad lucendum* allegant v. 20: *Non occidet amplius* [Vulgata *ultra*] *sol*.

Digitized by Google

lucendum, et splendor lunae non illuminabit te, sed erit tibi Deus tuus in lucem sempiternam.

Attributa Dei et contemplanda, unde I latera civitatis.

6. Quando enim anima elevatur per influxum sibi vigorem, splendorem, ardorem, pie veneratur, clare contemplatur, sancte perfruitur, ac per hoc comprehendit secundum modum suum longam *aeternitatem*, latam *caritatem*, sublimem *potentiam*, profundam *sapientiam* principii, circa quod debet versari, ut sit Rachel primo, scilicet *visum principium*[1]; quando haec considerat, tunc est *civitas*, habens quatuor latera civitatis, considerando, quomodo istud principium omnia originat per sublimem potentiam, omnia gubernat per profundam sapientiam, omnia reparat per latam caritatem sive benevolentiam, omnia remunerat per longam aeternitatem. Sic intelligit ipsum *solem* secundum substantiam, potentiam et operationem et videt omnia reducta ad legem aeternaliter existentem.

Similiter in secundo.

7. Secundo elevatur ad contuendum civitatem *de caelo descendentem*, hoc est *assumptam humanitatem. Filius* enim *Dei* descendit ad nostram humanitatem, et hoc est *descendere Ierusalem; animae* enim non descendunt. *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de caelo descendi*[2], et cum ipso omnia charismata gratiarum; in Sapientia: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo.* Quando ergo anima elevatur per influxum sibi divinitus vigorem, splendorem, ardorem, pie colit, clare speculatur sancteque perfruitur et per hoc comprehendit assumptae humanitatis mirabilem *exortum*, mirabilem *occasum*, mirabilem *ascensum* vel conscensum, mirabilem *regressum*; tunc habet quatuor latera civitatis de caelo *descendentis*. Mirabilem, inquam, *exortum* in nativitate, *occasum* in crucifixione, *conscensum* in resurrectione et ascensione, *regressum* ad iudicium.

Quatuor altera latera.

8. Haec quatuor ostendit Ecclesiastes[3], dicens: *Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur; ibique renascens gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem.* Mirabilis fuit *exortus*, quo radius supersubstantialis unitur humanitati in utero, ex utero prodiit, et quomodo conversatus est in mundo vigens, lucens, inflammans; in morte, quomodo dignatus est mori; et post de inferis ascendit ad corpus et post in caelum; et quomodo regredietur ad iudicandum. — Mira *longitudo aeternitatis* fuit in unione Divinitatis ad humanitatem. Nam separatio fuit impossibile maius, quod sit post[4] *Deum non esse*, quia facilius esset, separari Angelum a suo *esse*. *Latitudo caritatis* fuit in morte; mira *sublimitas potentiae* in ascensione, mira *profunditas sapientiae* erit in iudicio. Haec sunt admirabilia, quibus anima ponitur quasi extra se.

Similiter in tertia.

9. Tertio ad hoc, quod sit hierarchica, necesse est, ut videat civitatem in caelum *ascendentem*. Et hoc est, quando per infusum sibi divinitus vigorem, splendorem, ardorem a sole aeterno pie veneratur, praeclare speculatur, sancte perfruitur, ac per hoc comprehendit divinae caritatis indissolubile *vinculum*, divinae caritatis incoarctabile *donum*, divinae caritatis insuperabile *incendium*, divinae caritatis incomprehensibile *solatium*; tunc videt *civitatem Dei*, scilicet se ipsam, et habet quatuor latera, de quibus ad Ephesios[5]: *In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum* etc.

Quatuor latera.

Explicatur.

10. Non es enim adhuc *civitas Dei* nec *signatus*, nisi *signeris Spiritu sancto* ad pie veneranduin, et per hoc possis comprehendere, quae sunt in Deo et per Deum et apud Deum: indissolubile *vinculum* in praedestinationis ratione, qua diligit semper et semper dilexit et semper diliget praedestinatos aeterna caritate[6]; nisi comprehendas incoarctabile *donum* in universarum rerum conditione, quas libere condidit et ornavit et cuilibet dedit modum, speciem et ordinem; tertio, insuperabile caritatis *incendium* in Filii traditione; quarto, incomprehensibile *solatium*, quando consideras, quod Deus glorificabit corpus et animam, ut absorbeantur et inebrientur a rore caeli.

Signa horum quatuor.

11. Sed oportet, quod signum veritatis imprimatur in animam, per quod etiam anima fit *hortus conclusus, fons signatus*[7]. — Primum signum, ut habeat caritatis *indissolubile vinculum*, scilicet quando anima sic diligit, ut dicat: *Quis vos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames* etc.; non, quin homo possit cadere a caritate, sed quando sic est, ut cogitet unquam peccare. — Secundo, ut habeat divinae caritatis *incoarctabile donum*, ut diligat omnia, quae diligit Deus, et amicos et inimicos et extraneos et propinquos. Unde: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*[8]. Per hanc enim anima se diffundit ad diligendum omne bonum et solum bonum.

Primum.

Secundum.

12. Ulterius, haec caritas dat animae *incendium*; unde in Cantico[9]: *Pone me ut signaculum*

Tertium.

---

[1] Vide supra pag. 111, nota 3. Cfr. etiam Gregor., VI. Moral. c. 37. n. 61, et II. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 10. — Superius respicitur Eph. 3, 18: *Ut possitis comprehendere... quae sit latitudo* etc. — De quatuor lateribus civitatis vide Apoc. 21, 16.

[2] Ioan. 6, 41. — Seq. locus est Sap. 7, 11.

[3] Cap. 1, 5. et 6.

[4] Supple: illud quod est.

[5] Cap. 3, 17. et 18.

[6] Iereu. 31, 3: In caritate perpetua dilexi te. Cfr. Eph. 1, 4. et I. Petr. 1, 20. — De modo, specie et ordine cfr. supra pag. 340, nota 3.

[7] Cant. 4, 12. — Seq. locus est Rom. 8, 35. — Quod homo possit cadere a caritate ostenditur III. Sent. d. 31. a. 1. q. 1. Cfr. IV. Sent. d. 14. p. II. a. 1. q. 1.

[8] Rom. 5, 5.

[9] Cap. 8, 6: Pone... cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia etc. Ibid. v. 7.: Si dederit homo etc.

Digitized by Google

super cor tuum, quia fortis est ut mors dilectio, quando sic diligit, ut in summe desiderabile totaliter feratur et pro nihilo habeat prospera, pro nihilo adversa, ut sint omnia quasi festuca una in fornace; *si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

Quartum. — Quarta signatio est in hoc, quod anima sentiat *incomprehensibile solatium*, quod taliter dilatetur in se, quod nec ipsa possit comprehendere nec aliis explicare. De quo in Cantico [1]: *Comedite, amici, et inebriamini carissimi.* Haec inebriata dicit: *Introduxit me rex in cellam vinariam;* et prius: *Introduxit me rex in cellaria sua*, quando alienatur, sicut homo ebrius, qui nescit, quid faciat; unde Paulus nescivit, utrum in corpore esset, an extra corpus [2]. — De hoc signo Psalmus: *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me et confundantur.*

De quarto specialiter. 13. De isto signo Paulus [3]: *Signati estis spiritu adoptionis.* Per hoc signum discernuntur amici ab inimicis, liberi a servis, caelestes a terrenis. Hoc signum imprimitur in fronte animae *contemplativae* et

De signatis in fronte. in frontibus electorum. Hoc signum fuit in *signatis supra montem Sion* [4]; in secunda ad Timotheum: *Firmum fundamentum Dei stat;* hoc est signum, quo *novit Dominus, qui sunt eius;* novit per signum expressum, per quod anima invocat nomen Domini ab intimis.

14. Sic anima contemplativa signatur a Deo.

De sexto Angelo. Unde sub sexto Angelo dicitur, quod apparuit Angelus habens *signum Dei vivi* [5], hoc fuit in assignatione Ierusalem ut in caelo consistentis. Huic Angelo apparuit signum expressivum, quantum ad modum vivendi consonum isti signo, quod est, quod signatur: *Ex tribu Iuda duodecim millia signati* etc.; et hoc est: qui habet hanc triplicem lucem elevantem, triplicem oportet quod habeat perfectionem, respondentem caritati. Unde signare hoc modo est per professionem ad hoc alligare et imprimere signum, ut respondeat illi signo caritatis.

Pars II. De perfectione vitae in signatis. Requiruntur quatuor. 15. Haec autem perfectio consistit in descriptione *viritatis*, scilicet quod anima habeat in se divinum Dei *cultum*, divinum Dei *nexum*, divinum Dei *zelum*, divinum Dei *sensum*. *Cultus* est in oriente, *nexus* in meridie, *zelus* in septentrione, *sensus* in occidente. Et sunt tres *portae* ad orientem, tres ad occidentem, tres ad meridiem, tres ad septentrionem [6]. — *Cultus* habet duos comites: unum *antecedentem*, alterum *subsequentem*. Ad perfectum cultum tria sunt necessaria, scilicet aeternae *veritatis* veridica *professio*, supernae *maiestatis* humilis *veneratio*, internae *sanctitatis* virilis *custoditio*. Unde ponuntur tres portae ad orientem. Primo, de divino cultu et 3 exercitiis.

16. *Ex tribu Iuda duodecim millia signati.* Primum respondet Iudae. Isti enim non ordinantur secundum *carnalem* generationem, quia Iudas non fuit primus filius, sed ordinantur secundum *spiritualem*. Iudas enim interpretatur *confessio* [7]; et haec est fundamentum, quia spirituale fundamentum *fides* est, super quam fundatur Ecclesia. Hoc est ergo primum, ut apud te sit integra *confessio veritatis*, perfecta *credulitas et assensus*.

17. Secundo requiritur supernae *maiestatis* humilis *veneratio*, et hoc est, quando homo considerat proprii sceleris immanitatem et divinae severitatis immensitatem. Et ideo sequitur: *Ex tribu Ruben duodecim millia signati* [8]. Ruben interpretatur *filius visionis*. Secundum, Ruben.

18. Tertio requiritur internae *sanctitatis* virilis *custoditio*, ut sic sit homo praecinctus, accinctus contra omnia, restrictor omnium defluxionum. Unde etiam sacerdotes prohibebantur bibere vinum et omne, quod inebriare poterat, quando intrabant templum ad ministrandum [9]. Patet etiam de praescriptione munditiae. Ista autem munditia est cordis. — Et ideo sequitur: *Ex tribu Gad duodecim millia signati* [10]. Gad interpretatur *accinctus*. Tertium, Gad.

19. Non sufficit autem verus *cultus*, nisi sit perfectus *nexus*, quia caritas docet Deum colere et amare; et hoc est, quando anima infima *contemnit*, summa *appetit*, in medio *dilatatur*, ita quod in supremo habet sublimationem, in imo sequestrationem, in medio dilatationem; et hoc est sempiternae beatitudinis appetitus praecipuus, supernae dilectionis affectus dilatatus, mundanae prosperitatis vel possessionis contemptus perfectivus. Haec tria intelliguntur per tres signatos sequentes. Secundo, de divino nexu, 3 exercitiis.

20. Necesse est ergo, ut in anima sit contemptus verus, ut sit primo *beatitudinis appetitus*. Et ideo Primum respondet Aser.

---

[1] Cap. 5, 1. Ibid. 2, 4. et 1, 3. duo sequ. loci.

[2] Epist. II. Cor. 12, 2. et 3. — Seq. locus est Ps. 85, 17.

[3] Eph. 1, 13: Signati estis Spiritu promissionis sancto. Cfr. Rom. 8, 15. et II. Cor. 1, 22.

[4] Apoc. 14, 1. Cfr. supra n. 3. — Seq. locus est II. Tim. 2, 19; tertius ibid.: Cognovit Dominus etc.

[5] Apoc. 7, 2. Ibid. v. 5. seq. locus. Cfr. supra n. 3. et 4.

[6] Apoc. 21, 13: Ab oriente portae tres, et ab aquilone portae tres, et ab austro portae tres, et ab occasu portae tres.

[7] Vide supra pag. 102, nota 3. Cfr. Gen. 29, 35.

[8] Apoc. 7, 5. — De interpretatione nominum tribuum cfr. Exposit. in Apoc. (inter Opera Ambros.) Visio tertia, et Beda, in Apoc. 7, 5. seqq.; ipsi sequuntur Hieron., Libro de Nominibus Hebraicis, V. T. de Genesi: Ruben *videns filium* vel *videns in medio*. Secundum Isidor., VII. Etymolog. c. 7. n. 7: Ruben interpretatur *visionis filius*. Cfr. Gen. 29, 32.

[9] Lev. 10, 9: Vinum et omne, quod inebriare potest, non libetis tu [Aaron] et filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini.

[10] Apoc. 7, 5. — Hieron., loc. cit.: Gad *tentatio*, sive *latrunculus*, vel *fortuna*. Cfr. Gen. 30, 11. Beda, loc. cit.: Gad, qui *tentatio* vel *accinctus* interpretatur. Isidor., loc. cit. n. 15: « Gad ab *exercitu* sive procinctu vocatus est. Quando enim eum peperit Zelpha [Gen. 30, 9-11.], dixit domina eius Lia *in fortuna*, id est, quod dicitur *in procinctu* vel *exercitu* ». Gen. 49, 19: Gad, *accinctus* proeliabitur ante eum etc.

Digitized by Google

sequitur: *Ex tribu Aser duodecim millia signati*[1]. Aser interpretatur *beatus*, scilicet *pinguis panis, praebens delicias regibus*. Beatus autem est qui in beatitudinem summo amore transfertur.

Secundum. Nephthali.

21. Deinde sequitur *supernae dilectionis dilatatio*. Et ideo sequitur: *Ex tribu Nephthali duodecim millia signati*[2]. Nephthali interpretatur *latitudo* et significat, quod quicumque vult habere caritatis *nexum*, quod habeat ordinatum affectum ad omnes; sed hoc habere non possunt, si sint privati boni amatores.

Tertium Manasses.

22. Ideo oportet, quod sit *contemptus omnium*. Et ideo sequitur: *Ex tribu Manasse duodecim millia signati*[3]. Manasses interpretatur *oblivio*. Aliqui enim *despiciunt* mundialia, sed non *deserunt*; alii *deserunt*, sed non *despiciunt*; alii *despiciunt* et *deserunt*, sed *non obliviscuntur*. Quando ergo anima *dimittit* et *obliviscitur*, tunc est perfectio; et ista collocatur in sexto loco; Psalmus[4]: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui*. Augustinus: « Minus te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat ». — Manasses igitur ponitur sexto loco, qui fuit filius Ioseph, qui fuit undecimus filius Iacob. Unde non sine mysterio ponitur sexto loco[5].

Tertio, de divino zelo; 3 exercitia.

23. Tertio, in anima contemplativa oportet quod sit perfectus *zelus*, ut sic amet, quod omne malum repellat. Duo autem sunt comites zeli caritatis, scilicet *pietas* praecedens et *patientia* subsequens; quia aliqui sunt *pii zelatores*, et postea convertuntur in *furorem impatientiae*. Et tunc erunt tres *portae* ad aquilonem, scilicet benignae miserationis affectuosa *condescensio*, severae districtionis aemulatoria *rectitudo*, acerbae vel humanae tribulationis victoriosa *perpessio*; et sic est contra aquilonem civitas munita.

Primum respondet Simeon.

24. Et ideo sequuntur tres signati: primus, *ex tribu Simeon duodecim millia signati*[6]. Simeon interpretatur *audiens moerorem*, et significat *miserationem ad proximum*. Iste Simeon est *iustus et timoratus*, recipiens Christum inter brachia. Nisi enim homo sit misericors, non est dignus recipere illum qui propter misericordiam descendit de caelo.

Secundum. Levi.

25. Deinde, quia misericordia sine *rectitudine aemulatoria* nihil valet; ideo sequitur: *Ex tribu Levi duodecim millia signati*[7]. Levi interpretatur *additus*; Levi enim accepit sacerdotium propter zelum, unde interfecit fratres suos idololatras. Phinees similiter adeptus est sacerdotium propter zelum, et Mathathias et filii eius propter zelum adepti sunt sacerdotium et principatum et duraverunt usque ad Herodem. *Levi* significat praelatos, qui debent habere spiritum severitatis et pietatis, ut Moyses, qui cum esset mitissimus, confregit tabulas[8]; econtra Heli, qui, quia fuit remissus, ipse mortuus est et filii eius. Unde plus nocet praelatus misericors abiiciens omnem rigorem disciplinae quam praelatus rigidus sine misericordia. Et ita intelligitur illud Ecclesiastici: *Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens*. Notandum.

Tertium. Issachar.

26. Tertio, oportet, quod sit mundanae tribulationis *victoriosa perpessio*. Qui enim corripit debet se praeparare ad patientiam. Unde Christus *subvertit mensas* in zelo[9], et post, quando quaerebant eum, exhibuit se; unde: *Qui patiens est multa gubernatur sapientia*. Non est dubium, quod illi quorum mensas subverterat, postea clamabant: *Crucifige eum*. — Ideo sequitur: *Ex tribu Issachar duodecim millia signati*[10]. Issachar interpretatur *asinus fortis*, et ad litteram asinus crucem habet in spatulis. Hanc crucem ferre debet semper esse paratus. Non est autem eius interpretatio *asinus fortis*, sed *merces*; et significat virum, qui *amore mercedis* est armatus. Unde in Matthaeo: *Cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis*. — Et dicebat, quod semel loquebatur cum fratre Aegidio, qui dicebat sibi, quod non sumus sapientes, sicut beatus Franciscus sapiens mercator fuit; sed nos dissipamus substantiam, quia deberemus dare unum De fratre Aegidio.

---

[1] Apoc. 7, 6. — Gen. 30, 12. seq.: Peperit quoque Zelpha [ancilla Liae] alterum. Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea. Beatam quippe me dicent mulieres; propterea appellavit eum *Aser*. Ibid. 49, 20: *Aser*, pinguis panis eius et praebebit delicias regibus.

[2] Apoc. 7, 6. — Gen. 30, 7. seq.: « Rursumque Bala [famula Rachelis] concipiens peperit alterum. Pro quo ait Rachel: Comparavit me Deus cum sorore mea et invalui; vocaviique eum *Nephthali* ». Secundum Hieron.: Nephthali *conservavit me*, vel *dilatavit me*, vel certe *implicuit me*. Secundum Bedam: Nephthalim... quod est *latitudo*.

[3] Apoc. 7, 6. — Gen. 41, 51: Vocaviique [Ioseph] nomen primogeniti *Manasses* dicens: oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum et domus patris mei.

[4] Psalm. 44, 14. — Sententia August. habetur X. Confess. c. 29. n. 40.

[5] Cfr. infra n. 28. et supra n. 3. ac collat. 15. n. 26.

[6] Apoc. 7, 7. — Gen. 29, 33: Quoniam audivit me [sit Lia] Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi. Vocaviique nomen eius *Simeon*. Hieron.: *Exaudito*, vel *nomen habitaculi*. Beda: Simeon, id est *audivit tristitiam*, vel *nomen habitaculi*. — Seq. locus est Luc. 2, 25.

[7] Apoc. 7, 7. — Levi secundum Hieron. et Bedam interpretatur *additus*. Cfr. Gen. 29, 31. — De interfectione idololatrarum per Levi vide Exod. 32, 26. seqq.; de Phinee cfr. Num. 25, 7. seqq.; de Mathathia vide I. Mach. c. 2. seqq. Cfr. Petr. Comestor, Histor. scholast. libri II. Mach., ubi historia Mach. perducitur usque ad Herodem (c. 15. seqq.).

[8] Exod. 32, 19. — De Heli cfr. I. Reg. 4, 14. seqq. — Seq. locus est Eccli. 42, 14.

[9] Cfr. Ioan. 2, 14. seqq. Ibid. 18, 4. seqq. de seq. propositione. Seq. locus est Prov. 14, 29; tertius Ioan. 19, 15.

[10] Apoc. 7, 7. — Gen. 49, 14: Issachar, asinus fortis, accubans inter terminos. Ibid. 30, 18: Et ait [Lia]: Dedit Deus *mercedem* mihi... appellaviique nomen eius Issachar. — Subinde allegatur Matth. 5, 11. et 12. — De *spatulis* cfr. Ducange.

Digitized by Google

denarium, ut homo alapam nobis daret; sed nos nec habemus sapientiam *asini*, qui portat sarcinam suam, et ubi plus percutitur et plura vituperia sibi dicuntur, tanto melius portat. Sic homo obediens nullum bonum debet dimittere, immo melius facere propter quamcumque tribulationem, nec aliter est contemplativus.

Quarto, de diversarum; ita excessu.

27. Ex parte *occidentis* est perfectus Dei *sensus*; et hic sensus facit nos contemplari et comites habet *statum* quietum et *excessum* iucundum. In *quiete* enim potest esse status cogitandi et contemplandi [1], in *occidente* scilicet, ubi est quies, conciliatio, caligo sive introitus in caliginem. — Ad istum sensum requiritur sublimis mansionis *pacificus status*, sagaris discretionis *perspicuus conspectus* vel contuitus, suavis consolationis *ecstaticus excessus*.

Primum respondet Zabulon.

28. Oportet habere signum Zabulon, quod est *habitaculum fortitudinis* [2], qui habet statum primum; Psalmus: *Quoniam tu es, Domine, spes mea;* unde: *Turris fortissima nomen Domini, ad illam confugiet iustus.* Ille solus est pacatus, qui figit se in illo, in quo non *est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Unde: *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.*

Secundum, Ioseph.

29. Secundo, oportet habere sagacis desiderii *perspicuum contuitum*, ut, sicut columba videt super aquas residens avem rapaceum [3], sic homo videat in Scripturis. Et hoc pertinet ad Ioseph, qui interpretatur *accrescens; Filius accrescens Ioseph*, filius pulcherrimus [4], salvator Aegypti, princeps fratrum, significat discretionem, per quam homo est aliorum rector et instructor; et hoc sagacitatis est. Et est in undecimo loco, ut *frumenta* colligat, non folia, sed documenta veritatis in Scripturis sacris, et postea refundat ad salutem populi. — Hic est Angelus sextus Philadelphiae, *salvans hereditatem* [5]. Hic providet frumenta contra famem futuram.

Tertium, Beniamin.

30. Ultimo est suavis contemplationis *gustus ecstaticus. Ex tribu*, inquit [6], *Beniamin duodecim millia signati. Filius dexterae* Beniamin, *filius doloris*, in cuius partu mortua est Rachel, et tamen *Beniamin amantissimus Domini tota die quasi in thalamo morabitur;* et significat ecstaticum excessum contemplationis. Ultra hunc non nascitur filius Iacob. Hic est sopor cum excessu. Ad hanc signationem nullus venit, nisi transeat omnes praecedentes.

Sexagesimum.

Epilogus.

31. Hae signationes consistunt ex duplici perfectione, scilicet *duodenarii*, qui numerus abundans est [7], et ex *mille*, qui consurgit ex denario in se replicato replicatione perfecta; decies enim decem sunt centum, et decies centum sunt mille. Hunc signationem nemo accipit, nisi ille qui habet *calculum, in quo est nomen, quod nemo scit, nisi qui accipit* [8]; hoc est *lignum vitae*, hic fruitur homo vita. Unde: *Beati qui lavant vestimenta sua et intrant per portas civitatis, ut sit potestas eorum in ligno vitae.* — Et dicebat: Ad hoc *lignum vitae* volui vos adducere. *Ferculum fecit Salomon de lignis Libani; columnas fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media caritate construxit* [9]. *Reclinatorium aureum* est sapientia contemplativa. Hanc nullus habet, nisi qui habet *columnas argenteas*, quae sunt virtutes stabilientes animam; *ascensus purpureus* est caritas, quae facit ascendere ad superiora et descendere ad inferiora [10].

Intentio auctoris.

EXPLICIUNT COLLATIONES IN HEXAËMERON.

---

[1] Aristot., VII. Phys. text. 20. (c. 3.): Nam, quia quieta est residetque mens, sciens fit et prudens. — De oratione in caligine vide supra pag. 313, nota 3.

[2] Hieron.: Zabulon, *habitaculum eorum*, vel *iniuriandum eius*, aut *habitaculum fortitudinis*, vel *fluctus noctis*. — Seq. locus est Ps. 90, 9; ordinis Prov. 18, 10: Turris... Domini, ad ipsum currit iustus et exaltabitur. Quartus Iac. 1, 17; quintus Ps. 30, 2.

[3] Hug. a S. Vict., I. de Bestiis etc. c. 11, recensens proprietates columbae, ut nonam proprietatem exhibet, a quod super fluenta aquarum residet, ut, visa accipitris umbra, venientem ultius devitet ». Idem dicit Beda, in Matth. 3, 16.

[4] Gen. 49, 22: Filius accrescens Ioseph [cfr. 30, 24.], filius accrescens et decorus aspectu. Ibid. 41, 45: Vertitque [Pharao] nomen eius [Ioseph] et vocavit eum lingua Aegyptiaca *salvatorem mundi*. Eccli. 19, 17: Neque ut Ioseph... princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.

[5] Vide supra pag. 430, nota 7. et Apoc. 3, 7. seqq.

[6] Apoc. 7, 8. — Gen. 35, 18. seq.: Vocavit [Rachel] nomen filii sui Benoni, id est filius doloris mei; pater vero appellavit eum Beniamin, id est filius dexterae. Mortua est ergo Rachel etc. — Seq. locus est Deut. 33, 12: Et [Moyses benedicens] Beniamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.

[7] Vide supra pag. 383, nota 5.

[8] Apoc. 2, 17: Vincenti dabo manna absconditum... et in calculo novum nomen scriptum, quod nemo scit etc. Ibid. 2, 7: Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei. — Seq. locus est Ibid. 22, 14. Cfr. supra pag. 419, nota 5.

[9] Cant. 3, 9. seqq.: Ferculum fecit sibi rex Salomon... columnas eius fecit etc.

[10] Hic explicitat codd. n nobis collati. Additamentum, quod sequitur, non invenitur nisi in editionibus et in codice Senensi (H): et quia non videtur esse ipsius S. Doctoris, totum ad calcem ponimus. Plura de hoc additamento vide in Prolegomenis nostris.

ADDITAMENTUM.

Adhuc superest visio *quinta* in principio operis proposita, scilicet visio intelligentiae *per spiritum prophetiae sublimatae;* quibus exercitiis contemplationis, quibus virtutibus, quibusque Scripturae sacrae documentis anima humana in via illustretur, ut per sapientiam increatam novo et singulari intuitionis genere, quae *omnibus mobilibus mobilior est* [Sap. 7, 24.], illustretur illustratione gratuita ad praedicendum futura, ad dicendum longe distantia, ad inveniendum coelitum secreta, pro

Digitized by Google

SCHOLION.

Opusculum hoc ultimum S. Doctoris hucusque fere neglectum est. Ratio principalis fuit corruptio textus imperfecte ex ore dicentis exepti et ex parte mutati, ac postea inordinate atque incomposite in praecedentibus editionibus impressi. Unde opus videbatur esse quasi silva inculta, errorum spinis repleta ac pene inaccessibilis. Diligenti collatione codicum et improbo labore hoc, ni fallimur, asserenti sumus, ut legens has collationes, exceptis paucissimis locis, inoffenso pede possit percurrere et flores et fructus salubres ex copiosissima S. Doctoris doctrina colligere. Sed praeter profundarum sententiarum et utilium documentorum copiam alia etiam ratione idem opus attentione videtur nobis esse dignissimum. Auctor enim suis auditoribus in studiis theologicis Parisiis versantibus consulto aperit suam de perfecta res divinas tractandi et discendi ratione sententiam, eosque monet de defectibus et periculis in hoc studio cavendis, non sine quadam censura corruptionum, quae praecipue in studiis *artium*, ut tunc dicebatur, late serpere incipiebant. Hoc luculenter testantur notl illi 219 errores, plerumque horrendi et ab artistis traditi, qui iam an. 1277 a Stephano, Parisiensi episcopo, condemnati et correctissime denuo editi sunt a cl. P. Denifle Ord. Praed. in suo praeclaro Chartulario Universitatis Parisiensis pag. 543-555. Nec alienum est a veritate, si quis asserat, scholam vulgo dictam scholasticam a nomine suo et admiraldii fastigio non tam cito delapsuram fuisse, si sancti nostri Doctoris documenta in toto hoc opere tradita et in collat. 19. sub uno conspectu proposita non fuissent, non duo ab omnibus magistris, sed a plurimis neglecta. Quid igitur dicendum de nostra aetate, cum deplorenus, et ipsas scientias et institutiones scholarum fere ubique esse saecularizatas, non raro penitus antichristiana et enormium errorum et tenebrarum perpetua propugnacula? Experiendo evidens habemus argumentum, quod spiritus humanus, reiecto Christo, magistro veritatis, servus fiat gravissimorum errorum, et quod, ubi non *vivificat Spiritus Domini*, *littera occidat*, et *scientia inflet* (II. Cor. 3, 6. et I. Cor. 8, 1.).

Cum autem immensa sententiarum copia, cum multis divisionibus et subdivisionibus, omissis multis docentis auctoris verbis, ab excipientibus librariis nobis tradita sit in forma nimis coarctata, ita ut mentem suam plenitudine quasi opprimat; non tam facile est legenti intimum rerum et verborum ordinem et cohaerentiam, revera ad finem suum bene adaptatum mente persicere, licet iam per adiecta a nobis summaria et notas marginales vias faciliores aperuerimus. Hinc non esse inopportunum visum est paucis dicere de rebus sententiisque hic traditis, et primo quidem de *proposito et fine* ab auctore intento; secundo de *ordine et processu* operis secundum partes principales, ita ut etiam sententiae magis notabiles et quaedam difficultates tangantur.

1. Finem et consilium suum auctor expressis verbis in principio et fine collationum dicit esse, ut auditores doctrinae studiis dediti « a sapientia mundana traducantur ad sapientiam christianam (collat. 1. n. 9.); et loquens de Christo, *ligno vitae*, ait (23. n. 31.): « Ad hoc lignum vitae volui vos adducere »; quibus verbis simul cum *fine* suo indicat principale *medium*. Christo enim ut *ligno vitae* (1. n. 15. et 17.) et verae sapientiae doctori passim opponitur *lignum scientiae boni et mali* (Gen. 2, 9.), quod est figura scientiae profanae (cfr. 16. n. 22; 17. n. 27.). Et autem haec sententia sincere intelligatur, haec notanda.

1. Communiter distinguitur scientia naturali via comparata a sapientia christiana, quae non comparatur nisi in schola Christi mediante lumine supernaturali tum fidei tum donorum Spiritus S. illam auctor vocat *scientiam exteriorem* (17. n. 26. 27.), vel « notitiam rerum *in experientia* » (1. n. 17.), quae bona quidem est in se, immo quodam respectu necessaria; tamen valde inferior est quam sapientia christiana (1. n. 10. seqq.; 3. n. 2. seqq.; 6. n. 2-6; 7. n. 13. seqq.; 19. n. 3. 4. et passim). Ita est etiam insufficiens ad salutem (7. n. 5-12, 19. n. 7.), immo per accidens non raro est *occasio mortis* ut *littera occidens*, nec sine quodam periculo (1. n. 17; 6. n. 19; 17. n. 25; 19. n. 3. 4, et 18. n. 1, ubi referuntur verba Gregorii: « Qui ad hoc tantum laborat, ut sciat, quid et quomodo loquatur, interius vacuus manet ab interna devotione »). De talibus, qui nihil habent nisi « splendores scientiarum », apte dicitur (1. n. 8.): « Faciunt casas vesparum, quae non habent favum mellis, sicut apes, quae mellificant ». Haec distinctio et doctrina, cum manifeste doceatur in sacra Scriptura (cfr. Iac. 3, 17. et I. Cor. 13.) est extra controversiam et egregie inculcatur ab auctore aureli libelli *Imitatio Christi* I. 3. et III, 2. Cfr. infra de Dono scientiae.

2. Quantum autem alienus sit S. Doctor ab opposito et erroro extremo eorum qui penitus contemnunt studium scientiarum

---

quanto sibi Dominus bonus incerta et occulta divinae sapientiae dignabitur communicare, sicut nudis sibi carissimis aperire dignatus est, ut patet de multis tam in novo quam in veteri testamento. Nam et haec visio non minima pars est vitae spiritualis.

Superest etiam visio *sexta* in principio proposita, scilicet visio intelligentiae *per raptum mentis in Deum absorptae*, videlicet quibus exercitiis et donis anima contemplantis appropinquat ad mentis excessum restaurandum, quae etiam revelationes fiant animae raptae et dulcedines, quantum sacrae Scripturae auctoritas et mysteria innuunt. Et haec est ultima pars vitae spiritualis in via. Et hi hac sexta visione homo formatus *in animam viventem* [Gen. 2, 7.], post quam ultimate quiescit Deus in anima contemplantis, cessans a novorum donorum collatione; ipsaque anima, prout status viae patitur, in Deo quiescit, cessans a novis vitae humanae exercitiis in statu viae.

Superest etiam ultima visio, scilicet visio intelligentiae *per statum gloriae consummatae*, quando fit reversio animae ad corpus, quae et qualiter in illo statu gloriae videbit. Et haec visio est post hanc vitam. Istae autem tres ultimae visiones adhuc plus continerent quam quatuor praedictae.

Sed heu, heu, heu! superveniente statu excelsiori et vitae excessu hominis et magistri huius operis, prosecutionem prosecuturi non acceperunt. Haec autem, quae de quatuor visionibus notavi, talia sunt, qualia de ore loquentis rapere poteram in quaestionum. Alii quidem duo socii mecum notabant, sed eorum notulae prae nimia confusione et illegibilitate nulli fuerunt utiles nisi forte sibi. Correcta autem meo exemplari, quod legi poterat ab auditorum aliquibus, ipse doctor operis de ipso meo exemplari et quamplures alii rescripserunt, qui pro eo mihi dedent grates. — Elapsis autem diebus multis, concedente mihi copiam temporis et libri reverendo patre fratre Thoma, ministro Alemanniae superioris, rursum respexi quae scripseram velocl manu; et visus sum recolligere ordinate, cooperante mihi memoria, quo loquentis vocem audieram, audiri et visu, quo recordabar gestuum loquentis, quae sident memoriae cooperari, secundum Philosophum, in libro de Memoria et reminiscentia [c. 1.]. Nec tamen apposui quidquam quod ipse non dixerat, nisi ubi distinctionem librorum Aristotelis localiter amplius, quam ipse dixerat, distinxi. Alia autem non apposui, nisi quod etiam loca auctoritatum aliquarum assignavi. — Legebatur et componebatur hoc opusculum Parisiis, anno Domini MCCLXXIII, a Pascha usque ad Pentecosten, praesentibus aliquibus magistris et baccalaureis theologiae et aliis fratribus centum sexaginta.

Digitized by Google

profanarum et in specie studium philosophicarum disciplinarum et improbant earundem applicationem ad res theologicas tradendas; satis ipse hoc opusculo demonstrat, cum toties easdem (sicut iam fecerat per totum suum Commentarium in Sententias) ad suum propositum adhibet et diversis verbis dicat, convenire theologis easdem uti tanquam spolia ex Aegypto sibi vindicandis (cfr. I. 11. seqq. et passim collationes 4-7; item 9. n. 23. seqq.; 17. n. 20. seqq.). Quod ipse facto et proprio exemplo docuit, hoc secundum sana principia ita exponit (I. Sent. Prooem q. 2. in corp.), loquens de modo theologiam ad promotionem fidei tractandi: « Modus enim *rationcinativus* sive inquisitivus valet primo ad confundendum adversarios... ad favendum intimus... ad delectandum perfectos ». Ibid. ad 5. de relatione inter fidem et scientiam theologicam dicitur: « Fides elevat ad assentiendum, scientia et intellectus elevant ad ea quae credita sunt intelligenda ». Commendat igitur seraphicus Doctor theologis sanum usum philosophiae et aliarum scientiarum non sacrarum; sed in usurpandis et adhibendis eisdem tria docet esse cavenda: *primo*, ut non derogetur *charismatibus melioribus* (I. Cor. 12, 31.), praecipue tali ultimo theologiae, qui non est, ut, contenti abstractu divinarum rerum notitia, in sola scientia acquirenda quasi pedem figamus (cfr. 5. n. 33; 6. n. 19; 17. n. 27; 19. n. 3. 4; 20. n. 2.), sed potius, ut « boni fiamus » sive ut « extendatur intellectus ad *affectum* ». Tunc enim intellectus « perficitur ab habitu medio inter puro speculativum et practicum, qui complectitur utrumque; et hoc habitus dicitur *sapientia*, quae simul dicit cognitionem et affectum... Unde hic est contemplationis gratia, et ut boni fiamus, principaliter tamen ut boni fiamus » (I. Sent. Prooem. q. 3. et cfr. scholion). — *Secundo* cavendus est excessus in mensura huius usus. « Non igitur fuitum miscendum est de aqua philosophiae in vinum sacrae Scripturae, quod de vino fiat aqua; hoc pessimum miraculum esset; et legimus, quod Christus de aqua fecit vinum, non e converso » (19. n. 14.). Et 19. n. 12. monetur: « Non nimis commendent magistri dicta philosophorum » etc. — *Tertio* cavendum, ne quis ignoret vel parum intelligat periculum, quod incautae animae afferre potest *arbor scientiae boni et mali*, de quo graviter loquitur auctor 17. n. 26; 18. n. 3; 19. n. 10-15.

3. Haec principia sana esse et media quodam inter extrema via incedere, nemo, qui vera fide illuminatus est, in dubium vocare poterit. Cum officium gravissimum theologi sit tueri veritatem fidei contra falsas eiusdem interpretationes et defendere contra quasi infinitas obiectiones, quas ex omnibus scientiis petunt et haud labore arcessunt haeretici et sacrileghi; absurdum esset interdicere usum armorum ex eisdem scientiis in favorem fidei adhibitorum, praesertim cum hoc studium cedat tum in exaltationem fidei tum triplici modo in favorem fidelium, ut supra verbis S. Doctoris diximus. Ex altera parte non facile aliquis contendetur, nihil aliud spectare ad partes theologi nisi munus apologeticum et bellum contra *errores*. Laboremus strenue, defendentes fidei thesaurum et terrestrem Ierusalem, murum nostrum, sinistra manu gladium portantes contra hostes (II. Esdr. 4, 17.) et veritatem explanantes in favorem *errantium*; sed simul etiam quasi unanimi dexteram adhibeamus in *aedificanda civitate Dei*, ita ut etiam *fideles* ius suum habeant, ipsique via pareatur ad gustandam divinam veritatem et eam acquirendam sapientiam, quam Paulus, ut ipse testatur (I. Cor. 2, 6.), loquebatur *inter perfectos*, *sapientiam vero non huius saeculi*.

4. Quod autem in hac parte, quae verae sapientiae christianae fovendae et divinae maiestati gloificandae intenditur, S. Bonaventura praecipuo quodam charismate a Deo exornatus sit, manifestissime comprobatur ipsius operibus et summorum virorum testimoniis confirmatur (cfr. Bened. Bonelli, Prodromus ad opera omnia S. Bonav. tib. II. col. 81-147.). Unum tantummodo audiamus testem S. Antoninum, magnum Ordinis Praedicatorum decus (Chronic. p. III. tit. 21. c. 1.): « Bonaventura, sicut in luminibus scientiarum et maxime in Scripturis sanctis videtur mira capacitate profecere, ita in devotionis gratia continuam sumebat gratiae incrementum. Siquidem omnem veritatem, quam percipiebat intellectu, ad formam orationis et laudationis divinae reducens, rumiando ruminabat affectu... Intellectus eius perspicacitatem omnia opuscula eius redoleant his, qui divinam scientiam respirantes, hanc libentius quam vanitatem Aristotelicam veneranter ».

5. Haec sapientia christiana sola industria hominis naturali minime comparari potest (22. n. 21. seqq.). Supponit enim non tantum fidem, quae est « omnium supernaturalium illuminationum, quamdiu *peregrinamur a Domino*, et *fundamentum* stabilens et *lucerna* dirigens et *iuma* introducens » (Breviloq. Prolog. in princ.), sed etiam statum gratiae cum donis Spiritus S. Iuma S. Bonav. docet (19. n. 3.): « Non est securus transitus a *scientia* ad *sapientiam*; oportet ergo medium ponere, scilicet *sanctitatem*. Transitus autem est exercitium: exercitatio a studio scientiae ad studium sanctitatis, et a studio sanctitatis ad studium sapientiae » etc.; quod diffusius exponitur ibid. n. 20. seqq. — Insuper requiri *contemplationem*. Anima, « quae non habet contemplationis gratiam, est sicut firmamentum sine luminaribus, sed quae habet est firmamentum ornatum luminibus. Et sicut differt caelum non habens haec luminaria a caelo habente, sic anima non habens alt animo disposita ad hoc; unde differt sicut Angelus a bestia. Bestialis est homo carens his et habens faciem inclinatam ad terram sicut animal; sed plenus luminibus est totus angelicus » (20. n. 2.). De hoc contemplationis lumine cfr. II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. in fine corp. et ad 5; de dispositione ad eam Itinerarium mentis in Deum, Prologus et c. 1, et infra Collat. de Donis Spiritus S. — Licet autem fides ut virtus theologica dignitate antecedat dona Spiritus S., quatenus considerantur praecise secundum se, ut docet etiam S. Thomas (S. I. II. q. 68. a. 1; II. II. q. 4. a. 8.); tamen idem asserit, quod donum *intellectus* fidei adiicit « quoddam lumen supernaturalitatis ad ea quae nobis supernaturaliter innotescunt » (S. II. II. q. 8. a. 1. ad 2.), quia « nominat quandam excellentiam cognitionis penetrantis ad intima » (dist. ad 3.). Non quod donum Spiritus S. per se dicant quandam novam revelationem, ita ut obiectis fidei revelatis aliquid adiiciant; sed hoc tantum sensu S. Bonav. lumen contemplationis commendat, quod res, quae fidei innotescunt, quadam superna illustratione magis et intelligantur et gustentur. Lumen enim hoc contemplationis omnino supponit fidem, cuius notitia aliqua ratione quasi extenditur donis Spiritus S.; haec autem inseparabilia sunt a statu gratiae et caritatis.

6. Compendiose et modo ad usum vitae accommodato S. Doctor explanat sententiam suam de via ac ratione assequendi perfectam rerum divinarum cognitionem in tota collatione 19, quae quasi clavem praebet totius opusculi. Primo ibi agitur de quatuor conditionibus in modo studendi requisitis, tum de sanctitate tanquam immediata dispositione ad sapientiam, nec non de ipsa sapientia, quatenus est fructus scientiae et sanctitatis. — Sed transeamus ad singulas partes recensendas.

II. Primae tres collationes per modum introductionis primo agunt de tribus dispositionibus, quae in auditoribus verbi Dei requiruntur, ne lucis radiis potius excaecentur, quam illuminentur (1. n. 1-9); deinde quasi fundamentum ponit Christum totius sapientiae principalem magistrum, qui declaratur esse radio eminenti *medium* septem scientiarum (ibid. 10-39.). Cum autem ius et tractus huiusce collationum sit, ut auditores « adimplentur spiritu sapientiae et intellectus »; in collat. 2. et 3. agitur de his duobus donis Spiritus S., ita tamen, ut auctor se referat supplendo ad ea quae antea de iis dixerat in Collationibus de septem donis, quae in nostra editione immediate sequuntur. Specialem attentionem merentur tum descriptio *formae* sapientiae, quod scilicet sit *uniformis, multiformis, omniformis, multiformis* (2. n. 8-33.), tum reductio doctrinarum moralium et scientialium ad Verbum incernitum, incarnatum et inspiratum tanquam ad *clavem* contemplationis (3. n. 2. seqq.), tum brevis et luculenta solutio principalium difficultatum contra theoriam creationis allatarum (3. n. 4-9.), tum praeclara laus

Digitized by Google

praerogativarum Verbi incarnati, quod solum est *lignum vitae* (3. n. 12-21.). — Denique ipsum *argumentum* hactenus collationum proponitur et breviter explicatur, videlicet sex sive septem distinctae visiones, quas per quandam Scripturae applicationem coaptat sex diebus creationis cum septima die quietis, quae Gen. c. 1. enumeranturur. Attamen non sunt expositae nisi quatuor visiones propter auctoris promotionem et discessum a Parisiis.

III. Incipit tractatio argumenti ab expositione primae visionis (collat. 4-7.), quae est intelligentiae *per naturam inditae*, ubi agitur de scientiis naturalis ordinis, prout illa aetate tradi consueverunt. Quodsi haec de profanis scientiis documenta S. Doctoris suo tempore fuerunt opportuna et salutaria, eo fortius hoc vitet nostra aetate, cum pleraque in mundo cathedrae scientiarum subserviant potius errori quam Christo. Tot enim scholarum rectores respondent *lignum vitae*, mandducantes de *ligno scientiae boni et mali*. Unde videmus et deploramus, ingenia quam plurima per profanam *huius saeculi sapientiam* (1. Cor. 2, 6.) ita mente esse *excaecata, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei* (II. Cor. 4. 4.); potius tot populi magistri quoad superna principia religiosa, moralia et etiam sociala in deusores quam praestantiores philosophi pagani tenebras inciderunt.

1. Dicit igitur auctor: « Philosophi dederunt novem scientias et promiserunt dare decimam, scilicet contemplationem. Sed multi philosophi, dum se voluerunt dividere a tenebris erroris, magnis erroribus se insinuaverunt » (4. n. 1.). Facta igitur harum novem scientiarum divisione et descriptione, simul cum elencho principalium errorum et brevi expositione modi, quo theologus eis uti possit (1. n. 2-25; 3. n. 1-22.); transitur (5. n. 24-33.) ad illam decimam scientiam a quibusdam philosophis *promissam*, quam vocabant *sapientiam* sive *contemplationem* sive *intellectum adeptum*. Haec autem versatur circa trin obiecta, dum « anima convertit se primo super *se*, secundo super *intelligentias spirituales*, tertio super *rationes aeternas* (ibid. n. 23.). Circa hanc contemplationem observandum est, quod similiter trin illa obiecta (adunata tamen Ecclesia militante), sed ordine inverso infra in quarta visione (collat. 20-23; vide 20. n. 3.) contemplanda proponuntur *intelligentiae per contemplationem suspensae*, scilicet per fidem et dona spiritus S. elevatae. Si quis utramque contemplationem, id est *naturalem* et proprie *christianam*, confert; videbit immensam utriusque differentiam quoad excellentiam et modum contemplandi.

2. Subinde observandum est *ultima ratio* ab auctore assignata, quare etiam inter philosophos, ut inter Angelos, facta sit divisio lucis a tenebris, quae praefigurata est per illam quam Deus fecit prima die creationis (Gen. 1, 4.). Hanc rationem dicit esse defectum in hac *decima* scientia, et praecise circa *rationes vel ideas aeternas*. « Unde, inquit, aliqui tenebras secuti sunt? Ex hoc, quod licet omnes viderint primam causam omnium *principium*, omnium *finem*; in *medio* tamen [scilicet in ratione exemplari] diversitati sunt. Nam aliqui negaverunt, in ipso esse exemplaria rerum, quorum princeps fuisse videtur Aristoteles, qui ea in principio Metaphysicae et in fine et in multis aliis locis exseeratur ideas Platonis » (6. n. 2.). Ex hoc defectu et errore fluxisse docet alios graves errores cum triplici caecitate, nempe circa aeternitatem mundi, unitatem intellectus (ita Averroes) et negationem gloriae et poenae post hanc vitam (6. n. 3. 4.). Inferius tamen (7. n. 2.) afferuntur rationes ab aliis probatae, quibus Aristoteles aliquo modo excusari possit.

3. Contra istos philosophos asserit, quod « illa lux aeterna est *exemplar omnium*, et quod mens elevata, ut mens aliorum nobilium philosophorum antiquorum, ad hoc pervenit » (6. n. 6.). Insistit igitur seraphicus Doctor vestigiis illuminatissimi Augustini (83 Question. q. 46. n. 4.) docentis: « Siquidem tanta in eis [divinis ideis] vis constituitur, ut, nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit ». Hinc est, quod S. Doctor in omnibus operibus suis, et praecipue in Breviloquio, Itinerario mentis in Deum et in his Collationibus summo studio incumbit contemplandis illis rationibus et reducendis omnibus rebus, virtutibus et veritatibus ad Deum. Ipsam autem *doctrinam* de ideis diligentissime tractavit et excoluit, praecipue I. Sent. d. 35. et 39; Quaestion. disp. de scientia Christi q. 1-4; Breviloq. p. I. c. 8; Itinerar. m. in Deum c. 1-3; eandem rem hic exponit integra collatione 12. insuper cfr. 4. n. 13; 2. n. 9. 10. (ubi inter alia dicit, quod regulae infallibiles mentis humanae « radicantur in luce aeterna et ducunt in eam, *sed non propter hoc ipsa videtur* »); 5. n. 1. 9. et 16. Ad has rationes sive ad *virtutes exemplares* reducitur doctrina de *moribus* et speciatim de *virtutibus cardinalibus* (6. n. 6. seqq.: « Absurdum enim est, ut dicit Platonis, quod exemplaria aliarum rerum sint in Deo, sed non exemplaria virtutum » (ibid. n. 6.). Idem fit respectu *legum et decem praeceptorum* (21. n. 7-8.), et in ultima visione (collat. 22. et 23.), adhibita doctrina de appropriationibus divinis, ostendit, quomodo in hierarchias Angelorum ac Beatorum, militantis Ecclesiae et animae hierarchizatae multipliciter resplendeat Deus unus et trinus. — Concludit hanc primam visionem (collat. 7.) demonstrando (ibid. n. 3-12.) defectus doctrinae moralis, qualis tradita est etiam ab illis « nobilibus » philosophis, qui virtutes *exemplares* cognoverunt; deinde miritice exaltat revelatam de moribus doctrinam, cum sola fides lucem et tenebras dividere possit *sanans, rectificans, ordinans* (n. 13-20).

4. Superius (6. n. 5.), postquam auctor reprobavit « errores pessimos », ex ignoratia rationum aeternarum exortos, addit: « Nec adhuc clausi sunt claves putei abyssales. Hic sunt tenebrae Aegypti; licet enim magnam lux videretur in eis ex praecedentibus scientiis, tamen omnis exstinguitur per errores praedictos ». Loquitur de philosophis antiquis et suae aetatis. Sed post sex saecula malum deplorandum nobis est iisdem verbis: Nec adhuc clausi sunt claves putei abyssales; quantumcumque magna lux videtur esse in eis, omnis exstinguitur per tenebras errorum! Postquam enim invalit ille subtilitivismus, ut aiunt, quo philosophi ex proprio *ego*, quasi ex fonte et centro veritatis, tentarunt haurire et pro suo quisque arbitrio de novo fabricare vel saltem fulcire doctrinam veritatis; vix meliores inter tales assurgere poterunt ad primam causam *efficientem*, ante et supra mundum existentem; causam vero primam *finalem* et multo magis *exemplarem* vel ignorant, vel practicate respuunt. Hinc, neglecta suprema lucis *esse, veri* et *boni* causa et ratione, orta est perpetua illa ab uno erroris extremo ad alterum oppositum circulatio; et tandem post inexhibiles labores et conatus frustra tentatos nihil his remansit, nisi ut, desperantes de veritate assequenda, minimum ad imaginem primae Veritatis factam demergant in paludem turpis scepticismi sive positivismi.

IV. Secunda visio (collat. 8-12.), quae est intelligentiae *per fidem illustratae*, comparatur secundae creationis diei, quando *vocavit Deus firmamentum caelum* (Gen. 1, 8.). Exponitur primo (collat. 8.) duplex *altitudo* fidei (sive mysteria Trinitatis et incarnationis); secundo (collat. 9.) triplex *firmitas* fidei, quam auctor primo pro more suo reducit ad Trinitatem, et deinde ex parte humanorum testimoniorum ingeniose demonstrat. Tertio, celebratur *speciositas* fidei (collat. 10-12.); quae pars nostra documenta continet ad theologiam speculativam illustrandam, praesertim circa *essentiam metaphysicam* Dei, cum omnia attributa Dei reducantur ad *esse* (10. n. 6. seqq.), ubi satis apparet verus sensus, saepe male intellecti capitulii 3. Itinerarii mentis in Deum; et deinde circa *Trinitatem* ex duobus speculis consideratam (collat. 11.). Hic occurrit valde notabilis expositio duodecim generationum atque analogiae et differentiae inter has et aeternam Filii generationem. Ultima eiusdem visionis collatio (12.) tota est, ut iam diximus, in profundo et magnificando divino omnium rerum exemplari.

V. 1. Tertiam visionem, quae est intelligentiae per *Scripturam revelatae* ac respondet tertiae diei creationis, S. Doctor pro suo singulari erga S. Scripturam amore ac studio diffusius quam ceteras tractat (collat. 13-20.), ita ut res in ea traditas consideret sub triplici respectu. Primo agit (collat. 13.) de *spiritualibus* ipsius *intelligentiis* secundum communem sensum SS. Pa-

Digitized by Google

trum iam exhibitum in suo Breviloq. (Prolog. § 4.) et hic diffusius et quodam modo auctori proprio expositum. Multum quidem ipse occupatur in triplici sensu mystico exponendo, sed praerequirit, ut prius per assiduam lectionem *littera* textus commendetur memoriae, nec ubique vult esse quaerendam mysticam expositionem; nihil tamen vult in Scriptura esse contemnendum tanquam *inutile*, nihil respuendum tanquam *falsum*, nihil repudiandum tanquam *iniquum* (loc. cit. § 6. 5, et de sensu litterali hic n. 10. 11. 16. 17.). Observatione digna est *ratio*, quam affert (n. 12.), ut probet, post lapsum generis humani primo libro creaturarum alium librum a Deo convenienter adiungendum fuisse. Cum enim primi libri finis *principalis* fuerit, ut hominem per contemplationem reduceret in Deum, et idem « liber quasi emortuus et deletus esset; necessarius fuit *alius* liber, per quem iste illuminaretur, ut acciperet metaphoras rerum... Liber ergo Scripturae reparativus est totius mundi ad Deum cognoscendum, laudandum, amandum ». Quatuor alias speciales rationes afferuntur 14. n. 7-11. (cfr. II. Tim. 3, 16.). His additur specialissima ratio exposita in Breviloquio (Prolog. § 2. in fine) et hic passim supposita, quod scilicet sit data, ut puteritudo ordinis et regiminis in decursu mundi, quae nisi ea *tota* videatur, perspici non possit, manifesteur nobis per « librum Scripturae, cuius longitudo commetitur se decursui regiminis universi ». — Cum hoc principio cohaeret assertio, quod in fine temporum magis manifestabitur *intelligentia* s. Scripturae, cuius plura mysteria nondum reserata sunt, praesertim quoadam prophetiae in Prophetis et in Apocalypsi contentae. (cfr. 13. n. 7. 8; 16. n. 19; 20. n. 15.). Nam, ut pluries repetit, qui « ignorat haec tempora non potest venire ad mysterium Scripturarum » (15. n. 20.).

2. Secundo exponuntur *mysteria et figurae* Scripturae, quae referuntur ad Christum secundum caput eiusque membra mystica, et ex opposito etiam ad antichristum (cfr. 14. per totam et 15. n. 1-9.). Observatione digna sunt dicta de singulari et distincto *ordine*, quem habent Scripturae, quem vocare possumus *organicum* (14. n. 5.); item, verba de quadruplici earum *fine* (n. 7-11.); item reductio earum ad duodecim principalia mysteria, quorum unumquodque habet quatuor Christi figuras (n. 12-30.), quibus 48 figuris Christi opponuntur duodecim figurae antichristi (15. n. 1-9.).

3. Tertia pars agit de *theoriis* ex s. Scriptura per considerationem humanam elicendis, quae incipit in II. parte collationis 15. (n. 12.). Hic distinguuntur dupliciter secundum duplicem productionem, scilicet *seminum* et *fructuum*, quae in Genesi assignantur tertiae diei. De primis tractatur collat. 15. n. 10. seqq. et 16. per totam, et simul proponitur conspectus quinsdam *philosophiae historiae*, ut nunc aiunt, quae ratione illius aetatis est satis singularis et notabilis et explicat, confirmat et applicat ea quae dicta sunt de mundi aetatibus in Breviloq. Prolog. § 2. et II. Sent. d. 12. a. 1. q. 2. Comparantur enim tempora secundum eorum tum *successionem* tum motuum *correspondentiam*, ut secundum diversas coaptationes temporum diversae elicuntur *theoriae*, quarum numerus, ut in *seminibus*, dicitur esse indefinitus. « Qui tempora ignorat, inquit, ista scire non potest. Nam scire non potest futura qui praeteria ignorat. Si enim non cognosco, cuius arboris semen est; non possum cognoscere, quae arbor debet inde esse. Inde cognito futurorum dependet ex cognitione praeteritorum ». — Primo ponitur triplex temporum divisio (15. n. 12-21.), scilicet secundum *septem aetates*, ut vult Augustinus, secundum *quinque vocationes* (ita Gregorius) et secundum *triplicem legem* communiter distinctam. His positis, comparantur duo testamenta sex modis (15. n. 22-28 et 16. per totam) et praecipue secundum *sex* respective *septem* aetates (16. n. 7. seqq.) Septenarius enim praevalet in mundo maiori, in minori, in decursu temporum et Scripturarum et « ortum habet a mundo archetypo » (16. n. 40.). Trium temporum, quae inter se respondent, unumquodque habet suum septenarium (n. 11-20.). Deinde specialiter conferuntur septem periodi temporum figuralium cum septem periodis temporum post Christum decurrentium, ita quidem, ut auctor nitatur ostendere, quomodo tria mysteria in unaquaque periodo duorum temporum (sive 21 in summa) sibi mutuo respondeant. Verisimile est, S. Doctorem, si nostra aetate scriberet post elapsa sex saecula, adhibita horum notitia, in nonnullis aliam ordinationem periodorum et mysteriorum adhibiturum esse.

4. Bene observat cl. Dr. Hipler in suo egregio opusculo: Die christliche Geschichtsauffassung, edito 1884 a societate, quae denominatur a celeberrimo I. Görres (pag. 55), sane apparere ex his collationibus, licet textus earum sit mancus, depravatus et etiam interpolatus, quod S. Doctor sibi proposuerit, in descriptione historicae evolutionis opinionibus abbatis Ioachim et sectatorum opponere speculationes S. Augustini et indirecte contutare pseudoprophetiarum temporum distinctiones et conformationes, quas exhibet *Evangelium aeternum*. Idem addit, nihil pro illo tempore et loco (Parisiis) opportunius a Generali ordinis Minorum fieri potuisse. Verissimum hoc iudicium esse, magis etiam ex reformato nostro textu apparet. De abbate Ioachim S. Bonav. (I. Sent. d. 5. dub. 4.), reprobans eius de Trinitate opinionem, scripsit sic: « Et ideo ignoranter Ioachim reprehendit Magistrum, et quia, cum esset simplex, non est reveritus Magistrum; ideo iusto Dei iudicio damnatus fuit libellus eius in Lateranensi Concilio et positio Magistri approbata ».

Pro confirmatione praedicti iudicii inter plurima alia attendatur, quod auctor noster, neglecta divisione temporum secundum tres divinas personas, revertitur ad distinctionem Augustini secundum septem aetates; item, quod docet: « Post novum testamentum non erit aliud » etc. (16. n. 2.); contra millenarismum asserit, septimam aetatem ratione temporis coincidere cum sexta (16. n. 2, 15. n. 18.), atque *caelestem* septima aetate de caelo descendentem non esse illam « quae desursum est, sed quae deorsum, scilicet *Ecclesia militans*, quando erit conformis triumphanti, secundum quod possibile est in via... Et tunc *pax* erit. Quantum autem durabit illa pax, Deus novit » (16. n. 30.). Commemorat quidem auctor *vitam*, vel *Ecclesiam* contemplativam, vel *ordinem* contemplativum inter maximas tribulationes antichristo resistentem (16. n. 29; 20. n. 29. 30. 23. n. 4.); sed nullibi dicit, maiorem tunc futuram esse effusionem Spiritus S., quam fuit illa quae venerit super Apostolos; quoad intelligentiam Scripturae reliquit iudicandum, utrum dicatur haec, « vel revelatio, vel clavis David *personae*, vel *multitudini*, et magis credo, quod multitudini » (16. n. 29; cfr. 20 n. 15. in fine). Et quoad *ordinem* illum *propheticum seu seraphicum* alium eum esse explicite docet ab ordine S. Francisci et Praedicatorum, quos respondere vult *Cherubim* (22. n. 21.); deinde (n. 22.): « Quis autem, ait, iste futurus sit, non est facile scire »; item: « Iste ordo non florebit, nisi Christus appareat et patatur in corpore suo mystico » (22. n. 23.). Immo videtur nomen *ordinis* accipere largiore sensu, ut se extendat a primitiva Ecclesia usque ad ultimam. Nam de Ioanne Ev. dicit (13. n. 11.): « Iste est istius ordinis specialiter » (cfr. 20. n. 29.) et de S. Francisco (22. n. 22): « De isto [seraphico ordine] *videtur fuisse* Franciscus ». — Generatim de particularibus ultimorum temporum rebus semper caute loquitur. Ceterum mirum videtur, auditores verba de his loquentis litteris mandantes raro ea referre *integra*, sed tantum *sensum* principalem; quod indicant adiungentes formulam: « Et dicebat », vel similia verba.

5. Haec de theoriis, quae respondent *seminibus*; de aliis, quae comparantur *fructibus* relicientibus tum intellectum tum affectum, qui oriuntur a Christo et ducunt ad ipsum, sermo est in collat. 17. et 18. In his ex s. Scriptura colliguntur sub uno conspectu plurima et salutaria documenta ad doctrinam ascetiam et mysticam spectantia. Non exigua horum pars, alia tamen proposita ratione, repetitur in sermone de Plantatione paradisi infra impresso. — Concluditur autem visio tertia illa iam laudata collatione 19, quae perspicue tradit methodum et rationem in studiis observandam, ut per scientiam et sanctitatem pervenatur ad veram sapientiam.

VI. In quatuor ultimis collationibus agitur de quarta visione, scilicet intelligentiae *per contemplationem suspensae*, et

Digitized by Google

explicantur tria eiusdem obiecta, comparata *soli, lunae* et *stellis*. De his fit sermo primo in *genere et communiter* (collat. 20.), deinde specialiter de singulis. In unoquoque autem obiecto ponuntur *tria novenaria luminum*, ad quae contemplativa anima se convertere possit (cfr. 23. n. 1. in fine). Primum obiectum est duplex, nempe ipse *sol aeternus* et *curia caelestis*. In ipso sole divino ratione *circumincessionis* distinguuntur novem illuminationes (21. n. 2. 3.), similiter, secundum appropriationes quoad opera *ad extra* (n. 4-11.), nec non quoad novem proprietates in ipso summo monarcha resplendentes (n. 12-15.). — Sequitur alterum obiectum, scilicet *hierarchia angelica*, cuius novem sunt ordines; huius numeri sufficientia triplici adhibito principio ostenditur (n. 16-33.). — Quoad secundum obiectum, id est *Ecclesiam militantem*, quae comparatur lunae, eadem novenariorum distinctio ostenditur secundum triplicem aspectum (22. n. 1-23. — Denique tertium obiectum sive ipsa *anima hierarchizata*, id est per gratiam et illuminationem caelesti hierarchiae conformata, iterum habet novem gradus, quae iterum distinguuntur secundum triplicem rationem. (22. n. 24-42.). — Mira praeconia de tali anima ex Scriptura afferuntur in ultima collatione; ut autem sit *civitas Dei* descripta in Apocalypsi, habere debet triplicem caelestis Ierusalem *visionem* (n. 5-14.) et triplicem *vitae perfectionem*; ita exornata respondet signatis in Apocalypsi.

Tota haec visio altissimis speculationibus et sententiis referta est, et magna ex parte fundata est in sublimi doctrina Dionysii, vulgo dicti Areopagitae. — Sane dolendum est, quod S. Doctor, tanta doctrinae et luminis copia conspicuus, tres ultimas visiones non potuerit exponere nec gravissimum hoc opusculum perficere. Non raro orator supponit ea quae in Collationibus de septem donis Spiritus S. antea eodem loco dixerat, praesertim de dono scientiae et de donis intellectus et sapientiae.

Digitized by Google

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

COLLATIONES

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI

Digitized by Google

COLLATIO I.

Praemittitur tractatio de gratia secundum eius ortum, usum et fructum.

Summarium. — *Introductio, numero* 1. 2. — *Divisio argumenti*, 3. — Pars I. De gratiae ortu. *Descendit desursum*, 4. — *Et quidem per Verbum incarnatum, crucifixum et inspiratum*, 5-7. — *Requiritur dispositio ad eam et horror peccati*, 8. — Pars II. De usu gratiae. *Debet esse fidelis ad Deum*, 9. 10. — *Virilis in se*, 11. — *Liberalis in proximum*, 12. — Pars III. De fructu gratiae. *Iste est triplex*, 13. — *Primus est remissio peccatorum*, 14. — *Secundus, plenitudo iustitiae*, 15. — *Tertius, assecutio beatitudinis aeternae*, 16. — *Hinc est triplex gratia cum septem septenariis*, 17. 18.

Introductio.

1. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*[1]. — *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum.* Verbum secundo propositum dirigitur ad Dominum nostrum Iesum Christum, secundum quod apparet in Psalmo ex textu praecedenti et subsequenti. Praemittitur enim in Psalmo — ubi scribuntur haec verba — *Speciosus forma prae filiis hominum;* et subsequitur: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi* etc. Loquitur ergo de Christo, qui est benedictus, in quo benedicuntur omnes gentes terrae. *In semine tuo benedicentur omnes gentes,* dictum est Abrahae[2]; et quia Christus est Verbum, per quod omnia benedicuntur; et qui benedicitur de Deo Patre benedicitur de Christo: ideo omnia per Christum benedicuntur.

In Christo omnia benedicuntur.

2. Dicitur in Ecclesiaste[3]: *Verba ovis sapientis gratia.* Verum est quod scribitur in Ioanne: *Lex per Moysen data est, gratia vero et veritas per Christum facta est.* Ad salutem duo sunt necessaria, scilicet notitia veritatis et exercitatio virtutis. Notitia veritatis habetur per Legem, sed exercitatio virtutis habetur per gratiam. « Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus in nobis operatur[4] ». Lex se habet ad gratiam, sicut virtus apprehensiva ad motivam, et sicut instrumentum ad virtutem operativam. Esto, quod avis haberet aspectum ad videndum caelum et non haberet virtutem in alis, non posset volare nec ita pertingere. Sic, quantumcumque gloriatur Iudaeus in Lege, ex quo est sine gratia, nihil est. Artifex, quando habet instrumentum, per quod operatur, nisi habeat virtutem operativam in manibus, nihil boni potest facere. Iudaee perfide, Legem habes in manu, sed nisi habeas virtutem operativam, frustra putas, te Legem habere. Ideo per Legem nemo salvatur, nisi adsit gratia. Et sic patet, quod multo excellentior est gratia Dei quam ipsa Lex. — Alias dixi vobis de lege decalogi[5], et modo dicam vobis de gratia; et magis necessaria est nobis gratia quam Lex; ad quam gratiam fructuose recipiendam hortatur nos mater Ecclesia et Apostolus Paulus. Et in principio rogabimus Dominum, ut verba nostra gratiae deserviant, et intentio mentis nostrae, si gratiam habeat, corroboretur in verbis, ut possimus aliquid dicere, quod sit ad Dei laudem et salutem animarum nostrarum.

De Lege et gratia.

Notandum.

3. *Hortamur vos*[6] etc. Apostolus Paulus in isto brevi verbo excitat nos ad divinam gratiam *suscipiendam*, ad susceptam *custodiendam* et ad gratiam susceptam et custoditam *multiplicandam*. Hortatur nos, *ne in vacuum gratiam Dei* accipiamus, sed fructuose eam recipiamus: erga vult dicere, quod simus prompti ad gratiam Dei suscipiendam, custodiendam et multiplicandam. Et autem ista exhortatio in nobis impleri possit, tria occurrunt nobis hic consideranda: primo, quis sit gratiae *ortus;* secundo, quis sit gratiae *usus;* et tertio, quis sit gratiae *fructus.* Nolo dicere nisi planiori modo, quo potero, ut quilibet capere possit.

De argumento. Exhortatio ad gratiam.

Tria considerenda.

Notandum.

Pars I. De gratiae ortu.

4. Primo dico: si consideremus gratiae *ortum*, quaero, quid sit originale principium gratiae. Certum est, quod gratia est *datum optimum et donum perfectum, desursum descendens a Patre luminum.* Facio argumentum ex Canonica Iacobi[7]. Pono maiorem universalem affirmativam sic: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descen-*

---

[1] Epist. II. Cor. 6, 1: Adiuvantes autem exhortamur, ne etc. Seq. locus Ps. 44, 3, ubi etiam dicitur: *Speciosus forma* etc., et v. 7: *Sedes tua* etc., quae verba secundum Hebr. 1, 8. referuntur ad Christum, Filium Dei.

[2] Gen. 22, 18. et 26, 4. — Quae sequuntur exhibentur sermonis genere ob omissionem plurium satis abruptio. Idem pluries occurrit.

[3] Cap. 10, 12. Seq. locus est Ioan. 1, 17.

[4] De hac definitione, quae est secundum August., cfr. II. Sent. Ii. Magistri d. XXVII. c. 5, et ibid. Comment. dub. 3.

[5] Vide infra opusculum de Decem Praeceptis. — Ultima prologi propositio in A brevius contrahitur.

[6] Epist. II. Cor. 6, 1. Vide supra nota 1.

[7] Cap. 1, 17.

Digitized by Google

deus a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio; sed gratia, ut ostendam in sequentibus, est datum optimum et donum perfectum — totum, quod dicam, volo ordinare ad probandum istam assumptam — sed si gratia est datum optimum et donum perfectum: ergo est desursum descendens a Patre luminum.

De via qua descendit.

5. Sed qua via descendit gratia in homines? Quaerit Iob dicens [1]: *Per quam viam spargitur lux, et dividitur aestus super terram?* Respondeo et dico, quod gratia descendit super mentes rationales per Verbum *incarnatum*, per Verbum *crucifixum* et per Verbum *inspiratum*. — Probatio. Dicitur in Canonica Iacobi [2]: *Voluntarie genuit nos Verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius.* Per Verbum incarnatum descendit ad nos copia gratiarum; unde in Ioanne: *De plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia.* Certum est, quod originale principium, quod est Deus, quando creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam in statu innocentiae, ita propinquum creavit illum sibi, ut per Verbum *increatum* informabilis esset homo ad gratiam. Postquam vero homo lapsus est per peccatum, providit divina sapientia modum condescensionis per Verbum *incarnatum*, per quod homo adaptaretur ad gratiam. Et quia istud factum est in utero Virginis gloriosae, ideo dictum est ei: *Ave, gratia plena, Dominus tecum* [3]; et Apostolus Paulus studet volentibus gratiam obtinere, ut accedant ad thronum gratiae, id est ad Virginem gloriosam. *Adeamus*, inquit, *cum fiducia ad thronum gratiae eius.* — Sic ergo prima facie occurrit nobis *Pater misericordiarum* et mater misericordiarum et Filius, qui est lux misericordiarum. Sic patet prima originatio gratiae in nobis, quae fit per Verbum *incarnatum*. O infelicissimi! qui ignorant istud initium gratiam habere non possunt.

Primo, per Verbum incarnatum.

Notandum.

Ratio triplex misericordiae.

6. Secundo, descendit gratia in nos per Verbum *crucifixum*. Non solum eramus inepti ad gratiam suscipiendam propter ignorantiam divinorum praeceptorum, immo etiam propter infirmitatem nostram et impotentiam et concupiscentiam terrenorum: ideo voluit Dominus ponere fabrimenta. Ut sanaret languores nostros, descendit in nos per Verbum *crucifixum*. Unde Apostolus ad Ephesios [4]: *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos; cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cuius gratia salvati estis.* Nos sumus vivificati Christo per Christum, quia Christus de morte triumphavit; unde non potuit ipsam mors absorbere, immo fons vitae absorbuit mortem, secundum quod dictum est [5]: *Ero mors tua, o mors.* Aliter sanari et salvari non potuimus. Unde Apostolus ad Galatas: *Non abiicio gratiam Dei; si enim per Legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est;* mortuus autem est Christus, ut mortuos resuscitaret ad susceptionem vitae et gratiae: ergo influitur nobis gratia per Verbum *incarnatum* et per Verbum *crucifixum*. — Et beata Virgo suscepit istud Verbum *plenum gratia* [6]; et egressus est fluvius gratiarum de eius latere, qui habet efficaciam nos sanandi.

Secundo per Verbum crucifixum.

De Virgine.

7. Tertio oritur gratia in nobis per Verbum *inspiratum*. Quantumcumque *Deus misit Filium suum* in carnem [7], nisi credas ipsum crucifixum, non habebis gratiam. Unde Apostolus ad Titum: *Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit abunde in nos per Iesum Christum, Salvatorem nostrum.* Carissimi! Spiritus sanctus est, qui est dator gratiarum et amor procedens a Patre et Filio. Quidquid igitur agat Pater et patiatur Filius, sine Spiritu sancto nihil est. Ipse enim iungit nos Patri et Filio. Unde Apostolus [8]: *Gratia Domini nostri Iesu Christi*, quantum ad secundum, *et caritas Dei*, quantum ad primum, *et communicatio Spiritus sancti*, quantum ad tertium, *sit cum omnibus vobis. Amen.*

Tertio, per Verbum inspiratum.

8. Igitur, si vis habere amorem Filii et originalis Principii et Doni Spiritus sancti, dispone te ad gratiam. Unde igitur oritur gratia? Dico, quod oritur a Patre luminum per Verbum incarnatum, per Verbum crucifixum et per Verbum inspiratum. Nobilis influentia, quae a Deo incarnato habet originem! Multum bene deberet custodiri ista gratia; sed perdis eam per peccatum. Quomodo ausus esses inducere in domum tuam meretricem, quae tolum asportaret, quidquid haberes? Diligis res temporales; multo plus deberes diligere gratiam. Cum quis dignus est vita aeterna, per peccatum facit se dignum morte aeterna. Talis multum debet puniri. Unde Apostolus ad Hebraeos [9]: *Irritam quis faciens Legem Magsi sine ulla misericordia duobus aut tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et*

Requiritur dispositio.

De abominatione peccati.

---

[1] Cap. 38, 24.

[2] Cap. 1, 18. — Seq. locus est Ioan. 1, 16. Subinde respicitur Gen. 1, 26: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. — De statu primitivo cfr. II. Sent. d. 29. a. 2. q. 1. 2.

[3] Luc. 1, 28. — Hebr. 4, 16: Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Deinde allegatur II. Cor. 1, 3: Pater misericordiarum. — Subinde omisimus propositionem, quae melius immediate post in A reperitur, sed in B omittitur.

[4] Cap. 2, 4. et 5. Pro *Christo* Vulgata *in Christo*. — Paulo superius respicitur Isai. 53, 4: Vere languores nostros ipse tulit etc. Cfr. Breviloq. p. III. c. 5, ubi de ignorantia etc.

[5] Osee 13, 14. — Seq. locus est Gal. 2, 21.

[6] Ioan. 1, 14: Verbum... plenum gratiae.

[7] Gal. 4, 4. — Seq. locus est Tit. 3, 5-7.

[8] Epist. II. Cor. 13, 13. — Verba intercalata *quantum ad...* supplevimus ex Bonelli Suppl. III. col. 421.

[9] Cap. 10, 28. et 29.

sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiae contumeliam fecerit? Si homo peccat, Filium Dei conculcat. — Descendit igitur gratia Dei ad nos per Verbum incarnatum, per Verbum crucifixum et per Verbum inspiratum. Istam nobilissimam influentiam impugnat homo per peccatum. Pro omnibus rebus de mundo non deberet homo committere peccatum. Non sine causa voluit Deus tentari. Dicitur in Ecclesiastico [1]: *Quasi a facie colubri fuge peccatum.* Coluber effundens venenum occidit, ita peccatum occidit vitam gratiae. — Patet modo, quis sit gratiae *ortus*. Epilogus.

9. Videamus, quis sit gratiae *usus*. Intelligere debetis, quod usus gratiae est ad hoc, quod nos ducat in profectum; ad hoc autem requiritur, quod usus gratiae sit *fidelis* respectu Dei, *virilis* in se et *liberalis* in proximum. — Primo, dico, debet usus gratiae esse *fidelis* respectu Dei. Unde Apostolus [2]: *Cum autem complacuit ei qui me segregavit ex utero matris meae et vocavit per gratiam suam, continuo non acquievi carni et sanguini.* Fidelis est qui donum, quod accipit pro alio, non diminuit. Sed quando quaeris aliquid principalius Deo, non es fidelis. Ideo dicit Apostolus: *Non acquievi carni et sanguini*, id est, non quaesivi carnalem gloriam, sed solum divinam. Sapientes in perspectiva dicunt, quod si radius perpendiculariter cadat super corpus tersum et politum; necesse est, quod per eundem viam reperentur. Influxus gratiae est sicut radius perpendicularis; dico de gratia gratum faciente, quia gratia gratis data est sicut radius incidentiae; necesse est igitur, quod qui gratiam Dei vere suscipit, quod gloriam Deo reddat. Unde si ad gloriam tuam praedicas, nihil melius est tibi. Super illud Ecclesiastae [3]: *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur*; dicit Bernardus, quod « origo fontium mare est, virtutum et scientiarum origo est Christus ». Dicit igitur: *Ad locum, unde exeunt flumina*, scilicet gratiarum, *revertuntur, ut iterum fluant.* Sicut enim fons non habet durationem, nisi habeat continuam connunctionem cum sua origine, nec etiam lux; sic gratia Spiritus sancti non potest vigere in anima nisi per reversionem eius in ipsius originale principium. Pars II. De usu gratiae. Tres requiruntur proprietates. Primo, sit fidelis. Simile. Christus est ego boni.

10. Istam reversionem et connunctionem servat humilitas, et dissolvit superbia. Unde in Canonica Iacobi [4]: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et quae est ratio? Quis est humilis? Certe, qui omnia bona, quae habet, attribuit suo originali principio; sed superbus attribuit omnia sibi ipsi. Humilis continuatur cum sua origine, sed superbus discontinuatur et quasi dicit: hoc non accepi a te. Et ideo lucifer factus est obscurus, quia recessit a suo originali principio; sed Christus reduxit se in suum originale principium per humilitatem, et ideo clarus fuit. — Propter hoc dicitur in Ecclesiastico [5]: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Es archiepiscopus vel episcopus; vis invenire gratiam? Humilia te. Aliter summus latrones, nisi nos humiliamus. Si rex ditasset aliquem, et ille non vellet recognoscere, se recepisse bona ab ipso; esset multum infidelis et deberet lapidari. Videmus aliquos exaltatos per Deum, qui tamen erigunt se contra Deum, dicentes: *Manus nostra excelsa, et Deus non fecit omnia haec* [6]. Tales et terram viventium perdunt et gratiam Spiritus sancti. Necessaria est humilitas. Ibertatio.

11. Secunda differentia usus gratiae est, quod debet esse *virilis* in se. Unde Apostolus ad Hebraeos [7]: *Optimum est gratia stabilire cor*, non dicit ventrem. Aliis temporibus laborastis ad stabiliendum corpora vestra. Qui vult habere brachia forta, oportet, quod exerceat se ad opera fortia. Similiter, qui vult habere gratiam stabilientem, oportet, quod exerceat se in operibus virtutum. Apostolus [8], quando dixit: *Gratia Dei sum id quod sum*; subdit: *Abundantius omnibus laboravi.* Ergo laudas te, Apostole? Non; unde subdit: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Nobile exemplum est, quod aliqui cognoscant virtutem suam et non superbiant de ea. Quam virtuosa agunt aliqui cum gratia Spiritus sancti! — Samson capillatus fortissimus fuit; ibat fortitudo eius super naturam. Et quare erat fortitudo eius in septem capillis [9]? Dico, quod septem capillis significatur septiformis gratia Spiritus sancti, per quam *roboratur fortitudo eius.* Sed quando accubuit in sinum Dalilae et capillos non habebat, factus est in viribus sicut ceteri homines. Detis mihi unum sine gratia, qui posset sustinere quod beatus Laurentius sustinuit. Nihil enim potest homo facere sine gratia; et nihil est ita durum, quod homo non possit sustinere cum gratia. Unde Apostolus [10]: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Secundo, sit virilis. Exemplum.

12. Tertio debet usus gratiae esse *liberalis* in proximum. Unde in Matthaeo [11]: *Gratis accepistis, gratis date.* O sol, quare non vendis lucem tuam? Et tu, Sequana, quare non vendis guttas aquae? Tertio, sit liberalis.

---

[1] Cap. 21, 2: Quasi... fuge peccata. — De tentatione Christi cfr. Matth. 4, 1. seqq.

[2] Gal. 1, 15. et 16. Vulgata plura addit.

[3] Cap. 1, 7. — Sententia Bernardi habetur Serm. 13. in Cantic. n. 4.

[4] Cap. 4, 6.

[5] Cap. 3, 20: Quanto... omnibus et coram Deo invenies gratiam.

[6] Deut. 32, 27.

[7] Cap. 13, 9.

[8] Epist. I. Cor. 15, 10, ubi etiam duo seqq. loci.

[9] Iudic. 16, 19: At illa [Dalila] dormire eum fecit... et in sinu suo reclinare rapuit. Vocavitque tonsorem et rasit septem crines eius, et coepit affligere eum et a se repellere; statim enim ab eo fortitudo discessit. Cfr. Isidor., Commend. sive Quaest. in Iudic. c. 8. n. 7. (cuius verba allegantur in Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum), ubi docet, per Nazaraei crines significari gratiam Spiritus S.; infra respicitur Dan. 8, 24.

[10] Phil. 4, 13. — Ioan. 15, 5: Sine me nihil potestis facere.

[11] Cap. 10, 8.

Digitized by Google

Certe, quia gratis accepit, ideo gratis communicat. Solus miser homo est, qui vendit gratiam sibi collatam. Unde intravit primo ista venditio? Certe a Simone mago, cui dixit Apostolus Petrus [1]: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Vertex Apostolorum, beatus Petrus dicit: *Unusquisque ut accepit gratiam, in alterutrum ministrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.* Dionysius determinat nobis usum gratiae in angelica hierarchia et caelesti [2] et dicit, quod si superiores Angeli continerent se et non vellent influere in inferiores Angelos, tunc ipsi claederent sibi viam influentiae Dei. Si bonum, quod habes a Deo, denegas alii et vides pauperem in vita aut in merito; non es dignus vita aeterna, et vita tua est pessima et porcina [3]. — Difficile est, quod bonum sit *fidelis, viribus* et *liberalis;* ideo multi errant circa *usum* gratiae.

Contra unus miser.

Pars III. De fructu gratiae. Et triplex

13. Sed quis est *fructus* omnium istorum? Qui plantat vineam plantat eam propter fructum. Triplex autem est fructus gratiae, qui unquam potest reperiri, nisi in eo qui est in gratia. Primus est *remissio culpae*, secundus est *plenitudo iustitiae*, et tertius est *perpetuatio vitae beatae.*

Primus, remissio culpae.

14. Primus, dico, fructus gratiae est *remissio culpae.* Unde Apostolus ad Romanos [4]: *Iustificati per fidem, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Sicut vult Philosophus, non mutatur quis de vitiositate ad virtutes nisi per assuefactionem ad contrarium habitum; ita non remittetur culpa in aeternum nisi per gratiam. Potestne avarus in liberalitatem devenire nisi per exercitium liberalitatis? Philosophus considerat vitium, in quantum dicit *deordinationem* quandam; quando habeo notitiam de Deo, indico de peccato, quod est *offensa Dei;* nam *per privationem legis Deum inhonoras* [5]; unde necesse est, quod subiaceas vindictae Dei. Qui inordinatus est in culpa, necesse est, quod subiaceat poenae. — Peccatum subiacet vindictae divinae; oportet igitur, quod poena sit aeterna, quia offensa est infinita. Tanta enim est offensa, quantus est ille qui offenditur; sed Deus est immensus, et maiestas est infinita: ergo et offensa est infinita: ergo et poena est infinita, non *intensive*, sed *processive;* quia impossibile est, virtutem creatam activam infinitam esse [6]. Necesse est igitur, quod virtus aeterna operetur; sed Deus infinitus est: ergo si ipse mittet animam, oportet, quod hoc fiat per aliquam influentiam gratiae. Item, gehenna non diuittitur nisi per gratiam. Videte igitur, quomodo gratia liberat a servitute peccati et diaboli [7].

Poena est aeterna.

Requiritur virtus infinita.

Secundus, plenitudo iustitiae. Et triplex.

15. Secundus fructus gratiae est *plenitudo iustitiae*, quae consistit in hoc, quod homo sit iustus *in se* et quoad *Deum* et quoad *proximum*, scilicet quod homo vitet malum et operetur bonum. Et quomodo? Dicit Apostolus ad Titum [8]: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, iuste et pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei. — Apparuit gratia Dei nostri Iesu Christi* etc. Haec est gratia, quae omnia mala expellit et omnia bona tribuit: ergo in gratia est *plenitudo iustitiae.* Unde in Ecclesiastico [9] dicit Sapientia increata: *Ego mater pulcrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei; in me omnis gratia viae et veritatis; in me omnis spes vitae et virtutis; transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini.* Vultis esse pleni gratia et virtute? Transite ad me, scilicet ad Christum. Et qualiter? Non possumus hoc facere, nisi supra nos *elevamur;* sed aliqua impediunt nos, ne elevemur supra nos: ideo oportet, quod *insurgamus* contra illa quae nos impediunt. In ista plenitudine gratiae non collocatur, nisi qui insurgat contra se et elevetur supra se et diligat Deum super omnia et inimicum sicut se ipsum [10]; quia nomine *proximi*

Transire ad Christum, id est deo.

---

[1] Act. 8, 20. — Seq. locus est I. Petr. 4, 10.

[2] Cap. 3. § 2, ubi secundum ablatum Verrellensem in descriptione scopo hierarchiae dicitur: ita quod superiores ipsam claritatem [divinam] suis inferioribus copiose cum splendore influunt, secundum quod est eis divinitus constitutum. Illicitum est enim et superioribus, qui perficiunt, et inferioribus, qui ab eisdem perficiuntur, aliquid operari praeterquam singulis ordinatum est a Deo, principe perfectionis; siquidem necessaria est eis divinae ordinationis observantia ad hoc, ut in suae felicitatis statu persistant et divina claritate ipsos deificante perfruantur et ad ipsam reformentur luxta cuiuslibet sanctarum mentium capacitatem; quod summe desiderant.

[3] Epist. I. Ioan. 3, 17: Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Cfr. Iac. 2, 15. seqq.

[4] Cap. 5, 1. seq. — De sententia Aristotelis vide eius lib. de Praedicam. c. *de Opposito*, ubi ad explicandum, quod in quibusdam de uno contrario in aliud mutatio sit possibilis, proponitur exemplum de *prauo*, qui ad meliores exercitationes deductus, si perseveret et semper proficiat, perfecte mutabitur et in contrarium habitum restituetur. Cfr. II. Ethic. c. 1. seqq., ubi ostenditur, quod virtus *assuefactione* operationum bonarum acquiratur.

[5] Rom. 2, 23. — Vitium, secundum Aristot., VII. Phys. text. 18. (c. 3.), est corruptio et remotio perfectionis secundum naturam. Idem II. Ethic. c. 6. docet, vitium consistere aut in excessu, aut in defectu. — August., Epist. 140. (alias 120.) c. 2. n. 4: Qui enim iniuste se ordinat in peccatis iuste ordinatur in poenis. Cfr. supra pag. 335, nota 2.

[6] Cfr. IV. Sent. d. 41. p. II. a. 1. q. 4. fundam. 5. Vide etiam ibid. d. 15. p. I. q. 1. et III. Sent. d. 20. q. 3. seq.

[7] Vide Rom. 6, 16. seqq.

[8] Cap. 2, 11-13. — De Iustitiae plenitudine cfr. supra pag. 121, nota 3. et tom. III. pag. 728, nota 2, ubi ipsius partes *integrales* exhibentur, scil. declinare a malo et facere bonum (Ps. 36, 27.).

[9] Cap. 24, 24-26.

[10] Matth. 5, 43. seq.: Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem

Digitized by Google

omnis homo intelligitur. Plena igitur iustitia est diligere Deum super omnia, et hoc est diligere omnem hominem, ergo et domesticum et inimicum. Sed quid faciet, quod homo levetur contra se et supra se? Certe gratia; dico, *gratia viae et veritatis*. Difficile est alicui, quod diligat inimicum, nisi per gratiam. Lapis non potest calefacere per se; sed si ponatur iuxta fornacem ardentem, potest postea calefacere. *Si diligitis qui vos diligunt*, quae gratia[1]? Diligere amicum tantum non est virtus gratiae.

Hoc officit gratia.

16. Tertius fructus gratiae est *assecutio beatitudinis aeternae*. Unde Apostolus ad Romanos[2]: *Stipendia peccati mors; gratia autem Dei vita aeterna*. Habes plantationem vitae et mortis. Gratia Dei est *vita aeterna*. Quid autem est peccatum? Certe nihil aliud nisi arbor mortis. Hic est arbor *mortis*, et hic est arbor *vitae*; pone te in horto, ubi est *lignum vitae*[3]. Stultus esset qui plantaret arborem mortis; si plantasti arborem, in qua deberes suspendi, stultus esses. Mali igitur illum arborem peccati plantant. — Est igitur triplex fructus gratiae: primus est *remissio culpae*, secundus est *plenitudo iustitiae*, et tertius est *assecutio beatitudinis aeternae*.

Tertius, assecutio beatitudinis.

Peccatum arbor mortis.

17. Et secundum hoc est triplex gratia, scilicet gratia *curans*, gratia *corroborans* et gratia *consummans*[4]. — Gratia *curans datur* in septem Sacramentis contra septemplicem morbum; in iustis *custoditur* per septem exercitia iustitiae, de quibus agitur in septem Psalmis poenitentialibus. Et non sine ratione dicuntur illi septem Psalmi poenitentiales, et non alii, nec mutari possunt nec multiplicari[5]. Item, *perficitur* gratia curans in septem operibus misericordiae. — Gratia vero *corroborans* consistit in duobus. Aut enim se habet per modum *rectificantis*, et sic consistit in septem *virtutibus*; aut se habet per modum *expellentis*, et sic consistit in septem *donis Spiritus sancti*[6]. — Gratia vero *consummans* consistit in duobus septenariis, scilicet gratia consummans in *via* in septem *beatitudinibus*, quae tangunter in Evangelio, cum dicitur[7]: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum caelorum* etc.; sed gratia consummans *patriae* in septem *dotibus*, scilicet in tribus dotibus ipsius *animae*, quae sunt *visio*, *fruitio* et *tentio*. Prima respondet fidei; secunda, spei; et tertia respondet caritati. Consistit etiam in quatuor dotibus *corporis*, quae in corpus redundant ex beatitudine animae et sunt *claritas*, *subtilitas*, *agilitas* et *impassibilitas*; quae respondent quatuor virtutibus cardinalibus.

Triplex gratia.

Curantis sunt 3 septenarii.

Roborantis sunt 2 septenarii.

Dona consummantia.

18. Et sic sunt septem septenarii. Dicere de septem Sacramentis, de septem exercitiis iustitiae et de septem operibus misericordiae esset nimis longum; dicere etiam de septem beatitudinibus et de septem dotibus ad praesens esset nimis arduum. Et ideo in medio proponimus nos tenere et dicere de septem donis Spiritus sancti, quae sunt donum *sapientiae* et *intellectus*, donum *consilii* et *fortitudinis*, donum *scientiae* et *pietatis* et donum *timoris Domini*. Et procedemus non eo modo, quo procedit Isaias[8], sed incipiemus ab ultimo dono, scilicet a dono *timoris Domini*; et rogabimus Dominum, quod det nobis dona Spiritus sancti, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat etc.

Septenarii septem.

Argumentum horum collationum.

---

dico vobis: Diligite inimicos vestros etc. Ibid. 22, 39: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. — August., l. de Doctr. christiana, c. 30. n. 32: Manifestum est, omnem hominem *proximum* esse deputandum. Cfr. III. Sent. fit. Magistri, d. XXVIII. c. 3.

[1] Matth. 5, 46: Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt?

[2] Cap. 6, 24.

[3] Respicitur Gen. 2, 9: Produxitque Dominus... lignum etiam vitae in medio paradisi, lignumque scientiae boni et mali.

[4] Cfr. IV. Sent. d. 1. p. I. q. 6. — Ibid. d. 2. a. 4. q. 3. deducitur numerus Sacramentorum ex septiformi morbo *culpae* (originalis, mortalis, venialis) et *poenae* (ignorantiae, infirmitatis, malitiae, concupiscentiae), de quo vide etiam supra Breviloq. p. VI. c. 3.

[5] Alcuin. et Innocent. III. in *Praefatione* expositionis in VII Ps. poenitentiales, numerum horum Psalmorum derivant ex *perfectione* septenarii. Alcuin. sit: Notissimum quippe est, in sancta Scriptura magnam habere perfectionem septenarium in significatione ubique numerum... quocirca propter perfectam remissionem peccatorum, quam in baptismo accepimus, vel etiam lacrymis confessionis et poenitentiae, Psalmi poenitentiales septenario numero conservantur. Innocent. III. dicit: « Verum, etsi plures sint Psalmi poenitentiales, ratione tamen mysterii septem solummodo sunt excepti de pluribus, qui appropriato vocabulo *poenitentiales* dicuntur... Septenarius enim numerus est sacratus propter septem dona Spiritus sancti » etc. Praeter hanc generalem rationem addit specialem: Ideo poenitentiales Psalmi septenario sunt numero comprehensi, ut peccata, quae sub hoc numero praevaricando committimus, sub eodem numero poenitendo deleamus. Septem enim sunt vitia principalia, ex quibus universa peccata nascuntur... ut et, quemadmodum macutae criminum in hoc saeculo septem dierum hebdomada contrahuntur, ita horum septem Psalmorum poenitentia diluantur etc. Cfr. etiam Gregor., Exposit. in VII Ps. poenit. Idem lib. XIX. Moral. c. 23. n. 38. docet, opera *iustitiae* praemitti debere operibus *misericordiae*: Ille quippe bene agit quae pia sunt, qui sit prius servare quae iusta, ut collatus in proximos rivus misericordiae de iustitiae fonte ducatur. Nam multi proximis quasi opera misericordiae impendunt, sed iniustitiae facta non deserunt... Unde scriptum est [Eccli. 30, 24.]: *Miserere animae tuae, placens Deo.* — De operibus misericordiae vide Matth. 25, 35. et 36.

[6] Cfr. supra Breviloq. p. V. c. 4. et 5.

[7] Matth. 5, 3. seqq. Cfr. supra Breviloq. p. V. c. 6. et p. VII. c. 7.

[8] Cap. 11, 2. et 3.

Digitized by Google

COLLATIO II.

De dono timoris Domini.

SUMMARIUM. — *Introductio et repetitio*, 1. — *Septem donorum duo effectus: expellunt septem peccata et introducunt septem virtutes*, 2. 3. — *Ipsa petuntur in oratione dominica*, 4. 5. — *Invitatur ad donum timoris; de eo tria considerunda*, 6. — Pars I. De origine timoris Domini. *Oritur ex triplici consideratione: primo sublimitatis potentiae Dei*, 7. — *Secundo, perspicacitatis divinae sapientiae*, 8. — *Tertio, severitatis divinae vindictae. Septem sunt iudicia Dei*, 9-12. — *De his tribus unitis*, 13. — Pars II. De utilitate eiusdem. *Valet ad trin*, 14. — *Primo, ad impetrandam gratiae influentiam*, 15. — *Secundo, ad introducendam institiae rectitudinem*, 16. — *Tertio, ad obtinendum sapientiae illustrationem*, 17. — *De his tribus unitis*, 18. — Pars III. De perfectione eiusdem. *Haec consistit in tribus: primo, in perfecta conscientiae sanctificatione*, 19. — *Secundo, in perfecta obedientiae promptitudine*, 20. — *Tertio, in perfecta fiduciae firmitate*, 21.

1. *Venite, filii, audite me; timorem Domini doceho vos* [1]. — *Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia.* Verbum ultimum scribitur in Ecclesiastico, in quo hortatur Sapiens bonum auditorem, quod tacite et cum reverentia audiat verbum Dei; quia non est ei inutilis taciturnitas et reverentia, quia per haec accedet ei bona gratia. Quae est *bona gratia?* Numquid sunt *malae gratiae?* Bona est gratia, quae hominem facit bonum; sed *fallax gratia et vana est pulcritudo*, ut dicitur in Proverbiis [2]. Gratia *gratis data* stat cum mortali peccato. *Istam* gratiam parum reputat Ecclesiasticus, sed gratiam *gratum facientem* multum appretiatur. — Istam gratiam descripsi volis tripliciter, scilicet quantum ad gratiae *ortum*, quantum ad gratiae *usum* et quantum ad gratiae *fructum*. Quantum ad gratiae *ortum* dixi, quod gratia nihil aliud est quam *datum optimum et donum perfectum, descendens a Patre luminum* per Verbum *incarnatum*, per Verbum *crucifixum* et per Verbum *inspiratum*. Et dixi, quod Verbum illud reducit nos in summum principium; et hoc notat Dionysius [3] tractans hoc verbum: *Omne datum optimum* etc., et addit et dicit: « Sed et omnis, Patre moto, manifestationum processus in nos large ac bene proveniens ut unifica virtus nos replet et convertit nos in Patrem luminum ». — Quantum ad *usum* gratiae dixi, quod usus gratiae debet esse *fidelis, virilis* et *liberalis;* ergo gratia gratum faciens est *donum perfectum*, per quod bene utimur ipso et aliis. Et debet usus gratiae esse, ut bene *fideliter* utatur homo gratia quantum ad Deum, *viriliter* quantum ad se ipsum et *liberaliter* quantum ad proximum. — Tertio, quantum ad *fructum* gratiae dixi, quod gratia *curat* a culpa, *corroborat* in virtute et *consummat* in gloria. — Et ex hoc elicitur descriptio gratiae talis, quod gratia est *datum optimum et donum perfectum, descendens a Patre luminum*, curans a malo, corroborans in bono et consummans in gloria. — Gratia *curans* datur in septem Sacramentis, custoditur in septem exercitiis institiae et perficitur in septem operibus misericordiae. Gratia *corroborans* consistit in septem habitibus virtutum et in septem donis Spiritus sancti. Gratia vero *consummans* consistit in septem beatitudinibus et in septem dotibus. — Isti sunt septem septenarii, qui numerantur in anno iubilaeo [4]. De ista multitudine diximus, quod non possumus dicere nisi de uno septenario, scilicet septem donorum Spiritus sancti. Rogabimus Dominum etc.

Introductio. Repetitio. Descriptio gratiae.

2. *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* [5]. De istis spiritibus volo quod intelligatis quod Ioannes in Apocalypsi vidit *in medio throni et quatuor animalium Agnum habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Ponit Ioannes visionem phantastiram et exprimit veritatem.

Septem dona. Figurae eorum.

---

[1] Psalm. 33, 12. — Seq. locus est Eccli. 32, 9.

[2] Cap. 31, 30. — Inferius respicitur Prov. 22, 20: Ecce descripsi eam tibi tripliciter. (Triplex ista descriptio dicta est in collat. praeced.).

[3] De Caelest. Hierarch. c. 4. § 4: Sed et omnis, Patre moto, manifestationis luminum processio, in nos optime ac large proveniens, iterum ut unifica virtus restituens nos replet et convertit ad congregantis Patris unitatem et deificam simplicitatem. — Locus Scripturae est Iac. 1, 17.

[4] Cfr. supra pag. 406, nota 4.

[5] Isai. 11, 2. et 3. — Seq. locus est Apoc. 5, 6. Post *animalium* Vulgata prosequitur *et in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum, habentem* etc. Beda in hunc locum ait: Spiritus in Christo septiformis propter eminentiam potestatis *cornibus*, propter illuminationem gratiae comparatur *oculis*. — De seqq. cfr. supra Breviloq. p. V. c. 6. et III. Sent. d. 34. p. 1. a. 2. q. 1.

Vocat dona Spiritus sancti *cornua* et *oculos*. Et quare? Debetis intelligere, quod donorum Spiritus sancti est quaedam efficacia, per quam *impugnantur omnia mala*; est alia efficacia donorum, per quam homo *expeditur ad omnia bona*. Et quia in cornibus est fortitudo, ideo dona, per quae impugnantur mala, vocat *cornua*. Et quia virtus expeditiva est in *oculis*, ideo dona, per quae homo expeditur ad omnia bona, vocat *oculos*. — Septem sunt peccata, quae impugnantur per septem dona Spiritus sancti. Primum est peccatum *superbiae*, secundum peccatum est *invidia*, tertium *ira*, quartum *accidia*, quintum *avaritia*, sextum est *gula* et septimum est *luxuria*.

Dupleg efficacia.

Septem peccata expellenda.

3. Ista vitia expelluntur per septem dona Spiritus sancti, et septem *virtutes* introduruntur, quas Christus docuit, quando fundamenta salutis proposuit in monte. Prima virtus est *paupertas voluntaria*, de qua in Evangelio[1]: *Beati pauperes spiritu*. Secunda est *mansuetudo* sive mititas, de qua in Evangelio: *Beati mites* etc. Tertia est *luctus*, de qua in Evangelio: *Beati, qui lugent*. Quarta est *esuries iustitiae*, de qua in Evangelio: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam*. Quinta est *misericordia*, de qua in Evangelio: *Beati misericordes*. Sexta virtus est *munditia cordis*, de qua in Evangelio: *Beati mundo corde*. Et septima est *pax*, de qua in Evangelio: *Beati pacifici*. — Per ista septem dona Spiritus sancti, designata per *septem cornua*, destruuntur septem peccata mortalia, et introduruntur septem virtutes. Donum *timoris* destruit superbiam et inducit bonum paupertatis; donum *pietatis* destruit invidiam et introducit mansuetudinem sive mititatem animi; donum *scientiae* destruit iracundiam et introducit donum luctus — nihil ita contrarium est iracundiae quam serenatio mentis — donum *fortitudinis* destruit accidiam et introducit esuriem iustitiae; donum *consilii* destruit avaritiam et introducit misericordiam; donum *intellectus* destruit gulositatem et introducit munditiam cordis; donum *sapientiae* destruit luxuriam et introducit pacem. — Unde per septem dona Spiritus sancti omnia mala destruuntur, et omnia bona introduciuntur.

Septem virtutes introducendae.

Explicatur.

4. Ista septem dona Spiritus sancti tanguntur in oratione dominica. Ista dona non habentur nisi a Patre luminum; ideo Christus volens nos docere, quomodo possumus ea obtinere, docet nos ista petere in oratione dominica[2]. In prima parte petitur donum *timoris*, cum dicit: *Pater noster, qui es in caelis; sanctificetur nomen tuum*. Secundo petitur *pietas*, cum dicit: *Adveniat regnum tuum*. Tertio petitur donum *scientiae*, cum dicit: *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*. Quarto petitur donum *fortitudinis*, cum dicit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Panis cor hominis confirmat*[3]. Quinto petitur donum *consilii*, cum dicit: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Sexto petitur donum *intellectus*, cum dicit: *Et ne nos inducas in tentationem*. Septimo petitur donum *sapientiae*, cum dicit: *Sed libera nos a malo. Amen*.

Dona petuntur in oratione dominica.

5. In prima petitur sanctificatio nostra, et hoc per donum *timoris*, cum dicit: *Pater noster, qui es in caelis; sanctificetur nomen tuum*. Isaias[4]: *Dominum exercituum sanctificate, et ipse est pavor et timor vester*. In secunda petitur consummatio humanae salutis, quae non habetur nisi per donum *pietatis*: *iudicium sine misericordia fiat ei qui non fecerit misericordiam*[5]. Istud donum tangitur, cum dicit: *Adveniat regnum tuum*. In tertia parte petitur adimpletio divinae legis per donum *scientiae*, quod docet bene agere et mala vitare. Hoc donum tangitur, cum dicit: *Fiat voluntas tua* etc. In quarta parte petitur reforillatio aeternae virtutis, et per hoc donum virtutis sive *fortitudinis*, cum dicit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Panis cor hominis confirmat*[6]. In quinta petitur remissio peccati per donum *consilii*, cum dicit: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut* etc. In sexta petitione petitur propulsatio fraudis hostilis per donum *intellectus*, cum dicit: *Et ne nos inducas in tentationem*. In septima petitione petitur subingatio concupiscentiae carnalis per donum *sapientiae*, cum dicit: *Sed libera nos a malo. Amen*. Impossibile est, quod anima domet carnem suam, nisi repleatur dono sapientiae. De istis loqui esset longum.

Explanatur et confirmatur.

6. *Venite, filii*[7] etc. Verba ista sunt Prophetae David, in quibus invitat filios gratiae Dei et filios adoptionis ad addiscendam istam lectionem; et non solum invitat parvulos, sed etiam provectos et senes et decrepitos. Haec est una lectio, quae doceri debet in iuventute et nunquam deseri. Unde in Ecclesiastico[8]: *Serva timorem Domini et in illo inveterasce*. Et in Tobia dicitur, quod Tobias genuit filium, *quem ab infantia sua docuit timere Deum*. Omnium est igitur ista lectio. Verum est quod sacra Scriptura loquitur de timore Domini; et traditur timor Domini in sacra Scriptura. Praedicator facit sicut homo, qui est in prato et colligit flores; non potest omnes colligere, sed colligit aliquos et facit

Invitatio ad primum donum acquirendum.

Colligitur sermo ex Scriptura.

---

[1] Matth. 5, 3. sepq. — Cfr. III. Sent. d. 36. q. 1. scholion, in quo ratio affertur pro eo, quod non *octo*, sed tantum *septem* beatitudines a Doct. seraph. recensentur.

[2] Matth. 6, 9-13. Cfr. Luc. 11, 2-4.

[3] Psalm. 103, 15.

[4] Cap. 8, 13: Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester et ipse terror vester.

[5] Iac. 2, 13: Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.

[6] Psalm. 103, 15.

[7] Psalm. 33, 12. — De dono timoris cfr. III. Sent. d. 34. p. II. per totam.

[8] Cap. 2, 6: Serva timorem illius et in illo veterasce. — Seq. locus est Tob. 1, 10.

Digitized by Google

inde sertum. Dicitur in Ecclesiastico[1]: *Corona sapientiae timere Dominum.* Volo vobis facere sertum de floribus, quos collegi, quod ad praesens volo vobis ministrare. Videtur mihi, quod timor Domini sit arbor pulcherrima in corde viri sancti plantata, quam Deus rigat continue; et cum consummata est arbor, tunc dignus est homo gloria aeterna. Volo vobis describere *radicem* istius arboris et *ramificationem* eius una cum *fructu.* — Tria hic consideranda volo vobis dicere, ut una vobiscum discant timere Deum. Volo vobis describere, quae sit divini timoris *origo*, quae *utilitas*, et quae *perfectio.*

Divisio sermonis.

7. Et quae est radix timoris Domini? Oportet enim ire ad originale principium, ut sciamus, per quam viam oritur timor Dei in nobis. Oritur autem timor Dei in nobis primo ex consideratione *sublimitatis divinae potentiae*, secundo, ex consideratione *perspicacitatis divinae sapientiae*, tertio, ex consideratione *severitatis divinae vindictae.* — Primo, dico, oritur timor Dei in nobis ex consideratione *divinae potentiae.* Unde in Ieremia[2]: *Non est similis tui, Domine, magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine; quis non timebit te, o rex gentium? Tuum enim est decus; inter cunctos sapientes gentium et in universis regnis eorum quis similis tui?* Praemittit primo magnitudinem divinae potentiae, cum dicit: *Non est similis tui, Domine* etc.; unde in libro Sapientiae: *Sicut gutta roris antelucani, sic ante te omnis orbis terrarum.* Igitur quis non timebit te, nisi impius et stultus? Quare et dicitur in Malachia[3]: *Filius honorat patrem et servus dominum suum; si ego sum pater, ubi est honor meus? Et si sum dominus, ubi est timor meus?* Si homo est impius, indiget poena; si est stultus, indiget sensu. Quod summa stultitia sit non timere, dicit Dominus in Ieremia: *Audi*, inquit, *populo stulte, qui non habetis cor; qui habentes oculos, non videtis, aures, et non auditis. Me ergo non timebitis et a facie mea non dolebitis? qui posui arenam terminum mari, praeceptum sempiternum, quod non praeteribit.* Me non timetis? — Dico igitur, quod oritur primo in nobis timor ex consideratione divinae *potentiae.*

Pars I. De ortu timoris Domini.

Consideratio triplex.

Consideratio prima.

8. Secundo vero oritur in nobis timor Domini ex consideratione *perspicacitatis divinae sapientiae.* Unde Iob[4]: *Ipse enim solus est; et nemo potest avertere cogitationes eius. Et ideireo a facie eius turbatus sum et considerans eum, timore sollicitor.* — *Ipse solus est*, id est, a se solo habet *esse*, et omnia alia ab ipso. Et sicut a primo ente manant omnia, ita Deus omnium est causa. Igitur si Deus omnium est causa, nulla creatura est, quae non sit *nuda in oculis eius*, quia ipse videt et intuetur cogitationes hominum. Ideo Iob in persona hominis considerantis divinam sapientiam cuncta librantem dicit: *Considerans eum, timore sollicitor.* Unde super illud Psalmi[5]: *Qui respicit terram et facit eam tremere* etc.; dicit Glossa: « Tunc Deus terram respicit et tremere facit, quando terrenum hominem illustrat respectu gratiae suae et convertit ad originale principium suum, per quod cuncta principiantur et gubernantur. Et tunc homo contremiscit ». — Ideo nullum debet homo considerare, quid cogitet, quid loquatur et quid agat; quia Deus omnia videt. Unde Boethius in libro de Consolatione[6] dicit: « Magna vobis, si dissimulare non vultis, indicta est necessitas probitatis, cum cuncta agatis in conspectu iudicis cuncta cernentis ». Et in Esther dicitur: *Vidi te, Domine, quasi Angelum Dei, et conturbatum est cor meum prae timore gloriae tuae; valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena gratiarum.* — *Vidi te, Domine, quasi Angelum Dei.* Angelus omnia videt et circumspicit, bona approbat et mala reprobat; item, Angelus bonum diligit et malum odit.

Secundo.

Boethius.

9. Tertia originatio timoris Domini est ex consideratione *severitatis divinae vindictae.* Unde in Habacuc[7]: *Domine, audivi auditionem tuam et timui. Audivi et conturbatus est venter meus; a voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis.* Dicit: *Audivi auditionem tuam et timui*, scilicet, illam auditionem, quando

Tertio.

---

[1] Cap. 1, 22, secundum septuaginta interpretes; Vulgata: *Corona sapientiae timor Domini.*

[2] Cap. 10, 6. et 7. — Seq. locus est Sap. 11, 23: Quoniam tanquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram.

[3] Cap. 1, 6. — Seq. locus est Ier. 5, 21. et 22. — Aristot., I. Topic. c. 9: Non oportet autem omne problema nec omnem positionem considerare, sed quam dubitabit aliquis eorum qui ratione [iuvante ad fidem alterius partis contradictionis] egent, et non poena vel sensu. Nam qui dubitant, utrum oporteat deos honorare et parentes diligere, an non, *poena* indigent; qui vero, utrum nix alba, an non, *sensu.* Cfr. supra pag. 356, nota 11. in fine.

[4] Cap. 23, 13. 15. Vulgata *cogitationem* pro *cogitationes.* — Inferius respicitur Hebr. 4, 13: Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius; omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius. I. Reg. 16, 7: Dominus autem intuetur cor.

[5] Psalm. 103, 32. — Glossa, quae apud Petr. Lombardum (in hunc locum) extensiore modo exhibetur, quam apud Strabum et Lyranum, est secundum August. (in hunc locum, serm. 4. n. 16.) et sic sonat: *Qui respicit* misericordia *terram* humanae mentis, quae exsultabat de bonitate sua et sibi vires opulentiae suae tribuebat, quam Deus respicit *et facit eam tremere.* Melior est tremor humilitatis quam confidentia superbiae... Et ipse est, *qui tangit* compunctione, vel amissione rerum, *montes*, id est eos qui superbi erant, iactantes se, *et* tacti *fumigant*, id est precem Deo reddunt, qui ante se rogari volebant et superiorem non rogabant; sed modo rogant, et sacrificium cordis fumigat ad Deum. Incipit [mons i. e. superbus] etiam flere, quia et fumus excutit lacrymas.

[6] Lib. V. prosa 6. Textus originalis exhibet finem verborum sic: *cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.* — Seq. locus est Esther 15, 16.

[7] Cap. 3, 2. et 16. — Inferius allegatur Matth. 25, 41: Discedite a me, maledicti etc.

dicetur: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Dicit: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat; ut requiescam in die tribulationis.* Non solum *in die tribulationis* sive severitatis ultimi iudicii, sed cuiuslibet alterius iudicii, quia plura sunt iudicia Dei. Unde Psalmus [1]: *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui.*

10. Septem enim sunt iudicia Dei; sex sunt in praesenti, et septimum est in morte, et illud duplicabitur. — Primum iudicium Dei est *alligationis;* secundum iudicium est *excaecationis;* tertium iudicium Dei est *obstinationis;* quartum iudicium Dei est *derelictionis;* quintum est *dissipationis;* sextum est *desperationis*, et septimum est *condemnationis.* — Primum, dico, iudicium Dei est *alligationis*, quia peccator, quando peccat, spoliatur gratuitis et vulneratur in naturalibus [2]. Et sic duabus catenis ligatur peccator, scilicet *pronitate ad malum* et *difficultate ad bonum.* Istis duabus catenis ligatur peccator in manus diaboli, sicut Petrus ligatus fuit in manus Herodis [3]. — Post istud iudicium sequitur aliud iudicium, scilicet iudicium *excaecationis*, quod figuratur in libro Iudicum [4], ubi dicitur, quod Philisthaei, cum cepissent Samsonem, eruerunt ei oculos et ad molam fecerunt eum molere. Ex peccato enim habet homo caliginem in mente, ita quod nihil reputet peccatum; putat, lumen esse tenebras et tenebras esse lucem, quia oculos spirituales habet excaecatos.

Septem iudicia Dei. Primum. Secundum.

11. Tertium iudicium Dei est iudicium *obstinationis*, scilicet quando cor hominis nec promissis nec minis nec flagellis nec tormentis emolliri potest. De tali dicitur [5]: *Cor eius indurabitur quasi lapis.* Uxor Lot in lapidem est conversa. Magis vellem, quod cor meum converteretur in lapidem, quam sic obduraretur. — Quartum iudicium Dei est iudicium *derelictionis*, scilicet quando Deus derelinquit hominem et exponit eum cuilibet tentationi et peccato. Psalmus [6]: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me,* Domine. *Ne discesseris a me.* Magnum periculum est, quando pater exponit filium in medio luporum. — Quintum iudicium Dei est iudicium *dissipationis*, quando omnia, quae facit homo, dissipata sunt. Nihil recte loquitur, nihil prosperum, nihil ordinatum facit; immo totum est iniquum, quod facit.

Tertium. Quartum. Quintum.

12. Sextum iudicium Dei est iudicium *desperationis*, scilicet quando Dominus aufert homini spem, et credit homo, se esse privatum gloria aeterna. De talibus dicitur [7]: *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in avaritiam.* Istud est horribilissimum iudicium. In istud iudicium cecidit Iudas; et est istud iudicium maximum, ita quod in vita praesenti non potest dari maius. — Septimum iudicium est in morte, scilicet iudicium *condemnationis.* Quando moritur homo in peccato mortali, separatur perpetuo a gloria aeterna, et aeterno igni condemnatur anima usque in finem mundi, et tunc punietur etiam in corpore. Unde dicit Apostolus [8]: *Terribilis est exspectatio iudicii. Istud* iudicium timebat Habacuc, sed *omnia* iudicia Dei timebat David; unde dixit: *A iudiciis enim tuis timui.*

Sextum. Septimum.

13. Collige igitur tres istas considerationes, scilicet considerationem *sublimitatis divinae potentiae*, considerationem *perspicacitatis divinae sapientiae* et considerationem *severitatis divinae vindictae.* Et quis erit, qui non timebit? Unde dicit Iob [9]: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus eius ferre non potui.* Si esses in navi parva, quando fluctus transcenderent navem ex omni parte; non posses *fugere*, quia fluctus essent undique; non posses *latere*, quia non posses te abscondere, sicut homo abscondit se contra fulgura; non posses etiam *resistere*, quia nihil haberes, quod *contra undam ponere posses.* Collige ista tria; si sic esset tibi, multum timeres. Et Iob dicit: *Semper quasi tumentes super me fluctus Deum timui.* Et quare? Non possum *fugere* propter sublimitatem divinae potentiae; quia, *si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua* [10]. Item, non possum *latere* propter perspicacitatem divinae sapientiae, quia Deus omnia videt. Item, non possum *resistere* propter severitatem divinae vindictae, quia aeterno iudicio punitur qui peccat. Unde in Evangelio [11]: *Nolite timere eos qui occidunt corpus et post haec non habent amplius, quid faciant; ostendam autem vobis, quem timeatis; timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Necesse est igitur, quod timeamus Deum. Malleem per septem millia annorum esse in maxima poena de mundo, quam sustinere minimam poenam aeternam; Apostolus [12]: *Horrendum*

De tribus modis. Exhortatio. Tria sunt impossibilia.

---

[1] Psalm. 118, 120.

[2] Vide Glossam *ordinariam* apud Lyranum (sumtam ex Beda) in Luc. 10, 30. alibiam tom. II. pag. 506, nota 3. Cfr. ibid. pag. 700, nota 1.

[3] Act. 12, 6.

[4] Cap. 16, 21: Quem cum apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos eius et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt. — Subinde respicitur Iud. 5, 20: Vae, qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras.

[5] Iob 41, 15. Vulgata *tanquam* pro *quasi.* — Gen. 19, 26: Respiciensque uxor eius [Lot] post se, versa est in statuam salis.

[6] Psalm. 70, 9. Ibid. 21, 12: Ne discesseris a me.

[7] Eph. 4, 19.

[8] Hebr. 10, 27: Terribilis autem quaedam exspectatio iudicii et ignis aemulatio etc. Verba Habacuc vide supra n. 9, ubi etiam verba David occurrunt.

[9] Cap. 31, 23.

[10] Psalm. 138, 8-10.

[11] Luc. 12, 4. et 5: Ne terreamini ab his qui etc. Cfr. Matth. 10, 28.

[12] Hebr. 10, 31.

est incidere in manus Dei viventis, quia Deus in aeternum affligit. — Ecce, *origo* timoris Dei. Consideretis sublimitatem divinae potentiae, perspicacitatem divinae sapientiae et severitatem divinae vindictae, ut timeatis Deum.

Pars II. De utilitate timoris. Valet ad tria.

14. Sed quae *utilitas* est in timendo Deum? Dicit Tobias[1]: *Noli timere, fili mi; pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Ad tria valet timor Dei, scilicet ad impetrandam divinae *gratiae influentiam*, ad introducendam divinae *iustitiae rectitudinem* et ad obtinendam divinae *sapientiae illustrationem*. In istis tribus *omnia bona* comprehenduntur.

Utilitas prima.

15. Prima, dico, utilitas timoris Dei est, quia timor Dei valet ad impetrandam divinae *gratiae influentiam*. Unde Isaias[2]: *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos?* Quantumcunque sit homo potens, dives, sciens et fortis, nisi timeat Deum, nihil valet ei. Unde Psalmus: *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei; beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia eius;* et Apostolus ad Philippenses: *Cum metu et timore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Non possumus habere gratiam Dei nisi per Dei timorem, quia *misericordia Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum*[3]. Nullus recipit gratiam Dei, nisi qui timet Deum. Bernardus: « In veritate didici, nihil aeque efficax esse ad gratiam Dei promerendam, conservandam et multiplicandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. Time ergo, cum arriserit gratia; time, cum abierit; time, cum denuo revertetur ». Qui non habet gratiam multum debet sibi timere; similiter, si Dominus reddit homini gratiam perditam, debet multum sibi timere, ne ipsam perdat et ingratus fiat, *et fiant novissima hominis peiora prioribus*[4]. — Valet igitur timor Dei ad impetrandam divinae *gratiae influentiam*.

Secunda.

16. Secundo valet timor Dei ad introducendam divinae *iustitiae rectitudinem*. Unde Ecclesiasticus[5]: *Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est non poterit iustificari.* Iniustitia non intrat in animam nisi per peccatum; prima autem iustificatio animae est, quod subiaceat divinae sublimitati. Isto timore destructo, necesse est, quod posteriora destruantur. Propter hoc dicitur in Ecclesiastico[6]: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore et praepara animam tuam ad tentationem;* et Ecclesiasticus dicit: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.* Considera David, qui dicit: *Servite Domino in timore et exsultate ei cum tremore.*

Tertia.

17. Tertio valet timor Dei ad obtinendam divinae *sapientiae illustrationem*, quia *principium sapientiae timor Domini*[7]. Est enim timor Domini sapientiae *principium extrinsecum* et *principium intrinsecum* et sapientiae *complementum;* quia est timor *servilis*, et iste est initiativus sapientiae, quia, sicut seta introducit filum et non remanet cum filo, ita timor servilis introducit sapientiam et non remanet cum sapientia[8]. Alius est timor vindictae et offensae Dei; et iste est initium sapientiae *intrinsecum* et *radix sapientiae*. Tertius est timor filialis reverentiae; et iste est sapientiae *complementum*, quia *plenitudo sapientiae est timere Deum.* Triplex timor.

De his tribus.

18. Ista tria facit timor in nobis, quia *principium sapientiae timor Domini;* et *radix sapientiae timere Deum*, et *plenitudo sapientiae timere Deum;* Iob[9]: *Ecce, timor Domini ipsa est sapientia.* Qui non timet Deum, nihil scit. Et quia timor Domini valet ad ista tria, scilicet ad impetrandam divinae sapientiae influentiam, ad introducendam divinae iustitiae rectitudinem et ad obtinendam divinae sapientiae illustrationem; ideo dicit Ecclesiasticus[10]: *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.* Et Salomon in Proverbiis: *Timor Domini fons vitae, ut declinent a ruina mortis;* Ieremias: *Scito et vide, quia malum et amarum est, te dereliquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te.* Si non times Deum, perdidisti gratiam, perdidisti iustitiam et perdidisti veram sapientiam. *Vide* ergo, *quam malum et amarum est, te dereliquisse Dominum Deum tuum.* Ubi non est timor, ibi non est sapientia nec iustitia nec gratia. Psalmus[11]: *Sepulcrum patens est guttur eorum, venenum aspidum sub labiis eorum, linguis suis dolose agebant, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem; quorum os maledictione et amaritudine plenum est, contritio et infelicitas in viis eorum* etc.; *non est* Exhortatio.

---

[1] Cap. 4, 23.

[2] Cap. 66, 2. — Seq. locus est Ps. 146, 10. et 11; tertius Phil. 2, 12. seq.

[3] Psalm. 102, 17. — Sententia Bernardi habetur in Serm. 54. in Cantic. n. 9: In veritate didici, nil aeque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam etc. Respiciuntur Rom. 11, 20; Noli altum sapere, sed time; et Prov. 28, 14: Beatus homo, qui semper est pavidus.

[4] Matth. 12, 45.

[5] Cap. 1, 27. 28.

[6] Cap. 2, 1. — Seq. locus est ibid. 27, 4; tertius est Ps. 2, 11.

[7] Prov. 9, 10. Cfr. ibid. 1, 10; Ps. 110, 10. et Eccli. 1, 16, ubi Vulgata: *Initium sapientiae* etc.

[8] Cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. XXXIV. c. 5, et ibid. Comment. p. II. a. 1. q. 3, ubi etiam idem exemplum de *seta* ex August. (in I. Epist. Ioan. tr. 9. n. 4.) adducitur. Ibid. a. 2. q. 1. de timore *initiali* et *filiali*, et dub. 5. de timore, ut est initium sapientiae. — Eccli. 1, 16: Initium sapientiae timor Domini. Ibid. v. 25: Radix sapientiae est timere Dominum. Ibid. v. 20: Plenitudo sapientiae etc.

[9] Cap. 28, 28.

[10] Cap. 10, 28. — Seq. locus est Prov. 14, 27; tertius Ier. 2, 19.

[11] Psalm. 13, 3.

Digitized by Google

Notandum. *timor Dei ante oculos eorum*. Quando homo non habet timorem Dei, tunc *sensus* eius convertitur in malitiam et egreditur foras sicut venenum aspidum. Unde dicit: *Sepulcrum patens est guttur eorum, venenum aspidum sub lingua eorum*. Sequitur iniquitas *in opere*; unde dicit: *Linguis suis dolose agebant, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*. Quando homo deordinatus est in *affectione* quantum ad cogitationem, in *sermone* quantum ad locutionem et in *opere* quantum ad effectum; tunc nihil boni habet. Unde dicit: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt*, scilicet viam gratiae Spiritus sancti. Et quare? Quia *non est timor Dei ante oculos eorum*. — Faciamus demonstrationem per impossibile [1]. Si vis conari ad habendam gratiam, iustitiam et sapientiam; et ista haberi non potes sine timore: ergo timor Dei est tibi necessarius. Item, ubi non est timor, ibi est insipientia, malitia et iniquitas, *contritio et infelicitas*; sed ista sunt fugienda tanquam res pessimae: ergo etc. — Considerata igitur *origine* et *utilitate* timoris Domini, debes conari ad timorem Dei habendum.

Pars III. De perfectione ipsius. Consistit in tribus.

19. Tertia particula timoris Domini est de *perfectione* timoris Dei. Perfectio autem timoris Dei in tribus consistit, scilicet in perfecta *conscientiae sanctificatione* et emundatione, in perfecta *obedientiae promptitudine* et in perfecta *fiduciae firmitate*. — Primo, dico, consistit perfectio timoris Dei in perfecta *conscientiae sanctificatione* sive emundatione. Unde Apostolus ad Corinthios [2]: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei*. Et quomodo perficiemus sanctificationem? Dicitur in Ecclesiastico: *Qui timent Dominum praeparabunt corda sua et in conspectu illius sanctificabunt animas suas; dicentes: si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini et non in manus hominum*. Apostolus ad Romanos [3]: *An ignorus, quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei*. — *Qui timent Dominum praeparabunt corda sua*, id est abstinebunt se et cessabunt a peccatis. Accedamus igitur ad conscientiam mundificandam. Miram est, quomodo homo potest stare in peccato mortali. Quando homo intrat lectum suum, intrat in sepulcrum. Non credo, quod homo intret lectum suum, nisi speret, quodsi moriatur, quod Deus misereatur animae ipsius. Vidi de spiritualibus hominibus, quod quando modicum veniale habebant, vix potuerunt dormire. Si haberem leonem mecum ligatum, quomodo possem dormire? Inimicus tenet te ligatum, si es in peccato mortali. Surge igitur et sanctifica animam tuam. Non dimidies confessionem tuam, sed perfectissime et integerrime confitearis [4]. Timor Domini inducat te ad hoc.

Primo, in conscientiae sanctificatione.

Secundo, in obedientiae promptitudine.

20. Alia particula perfectionis timoris Domini consistit in perfecta *obedientiae promptitudine*. Unde in libro Paralipomenon [5]: *Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite*; quasi dicat: non sitis segnes neque negligentes, quia scribitur in Ecclesiaste: *Qui timet Deum nihil negligit*. Si crederem, quod latro deberet intrare cameram meam et asportare thesaurum; non dimitterem fenestram apertam. Debes semper timere Deum, quia qui *totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* [6]. Et in Deuteronomio dicitur: *Et nunc, Israel, quid petit Dominus Deus tuus a te, nisi ut timeas ipsum et custodias omnia mandata eius et ambules in viis eius?* Et Salomon dicit: *Deum time et mandata eius observa; hoc est omnis homo*, id est perfectus. Ergo si vis perfectus esse, time Deum.

Tertio, in fiduciae firmitate.

21. Tertia pars perfectionis timoris Domini consistit in perfecta *fiduciae firmitate*; quia timor Domini est firmitatis et fiduciae turris, quia reddit hominem securum ab omni alio timore. Psalmus [7]: *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano*. Et in Proverbiis: *Timor Domini turris fortitudinis*. Qui Deum non timet, oportet eum ubique timere; et qui Deum vere timet habet quod nullus potest ei auferre. Qui vero aliud a Deo timet habet quod ei auferri debet. Qui timet Deum non potest perdere Deum. Non sic est de pecunia. Si habet bonam pecuniam, timet, ne perdat eam, et securus est, quod perdet eam. Sed qui Deum timet securus est ubique. *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te* [8]; sequitur: *Perfecisti eis qui sperant in te*. Ideo debet timor Dei esse perfectus, quia *timentibus Deum bene erit*, quia venient ad benedictionem gloriae, ad quam nos perducat qui cum Patre etc.

Notandum.

---

[1] De qua vide Aristot., II. Prior. c. 14.

[2] Epist. II. 7, 1. — Seq. locus est Eccli. 2, 20. et 22.

[3] Cap. 2, 4. et 5: An... ignoras, quoniam benignitas etc.

[4] Cfr. tom. IV. pag. 561, nota 8.

[5] Lib. II. 19, 7. — Seq. locus est Eccle. 7, 19.

[6] Iac. 2, 10. — Seq. locus est Deut. 10, 12. et 13. Vulgata, duabus ultimis propositionibus transpositis, plura interseri. Tertius est Eccle. 12, 13.

[7] Psalm. 90, 5. et 6. — Seq. locus est Prov. 14, 26: In timore Domini fiducia fortitudinis. Ibid. 18, 10: Turris fortissima, nomen Domini.

[8] Psalm. 30, 20, ubi etiam seq. locus; tertius Eccli. 1, 13: Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis benedicetur. Ibid. v. 19: Timenti Dominum bene erit, et in diebus consummationis illius benedicetur.

Digitized by Google

COLLATIO III.

De dono pietatis.

SUMMARIUM. — *Introductio; duplex exercitium*, 1. — *Tria consideranda*, 2. — Pars I. De pietatis exercitio. *Hoc consistit in tribus*, 3. — *Primo, in reverentia venerationis divinae*, 4. 5. — *Secundo, in custodia sanctificationis intrinsecae*, 6. 7. — *Tertio, in affluentia miserationis internae*, 8. 9. Pars II. De pietatis originali principio. *Hoc est triplex*, 10. — *Oritur primo a Trinitate increata*, 11. — *Secundo, a Sapientia incarnata*, 12. — *Tertio, a sancta matre Ecclesia*, 13-15. — Pars III. De pietatis emolumento sive utilitate. *Valet ad tria*, 16. — *Primo, ad vera cognoscenda*, 17. — *Secundo, ad mala declinanda*, 18. — *Tertio, ad bona consequenda*, 19.

Introductio.

1. *Exerce temetipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia valet, promissionem habens vitae, quae nunc est et futurae.* Verba ista sunt in prima Epistola ad Timotheum[1], in quibus Apostolus ostendit, duplex esse exercitium, quod competit homini: unum *corporale*, et alind *spirituale;* et ostendit, quod exercitium *spirituale* praeferendum est *corporali* tanquam exercitium *nobilius* et tanquam *utilius*. Corporalis enim exercitatio modicam habet utilitatem; unde dicit: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est;* spiritualis vero exercitatio maximam habet utilitatem. Unde spiritualis exercitatio praeferenda est corporali: quantum spiritualia praeferenda sunt corporalibus, aeterna temporalibus, et invisibilia visibilibus; tantum illa exercitatio spiritualis praeferenda est corporali. Ideo, si quis sapiens est, magis debet quaerere exercitationem spiritualem quam corporalem, quia *corporalis exercitatio ad modicum utilis est*, quia utilis est ad commoditatem corporis; sed quandoque est causa et occasio contrarii. Credit aliquis ire ad iocum, et vadit ad bellum; quaerit iocunditatem, et invenit tristitiam. Unde dicit Senera[2]: « Multos inveni exercitantes corpus, paucos vero ingenia ». Fatuus esset qui posset fodere aurum et vellet fodere lutum. Plus excedit exercitatio spiritualis corporalem, quam aurum transcendat lutum. De ista exercitatione spirituali, in quantum ordinata est ad pietatem, loqui debemus; post *timorem* enim loqui debemus de *pietate*. — Sed istam sacratissimam exercitationem non possumus explicare sermone[3] nec in opus ponere nisi per adiutorium Spiritus sancti. Ideo in principio invocabimus gratiam Spiritus sancti et rogabimus Dominum, quod det mihi aliquid dicere, quod sit ad eius honorem et ad utilitatem animarum nostrarum.

Duplex exercitium.

Praeferendum spirituale.

2. *Exerce temetipsum ad pietatem* etc. Apostolus Paulus tanquam bonus magister excitat sollicitudinem ingeniorum et mentium nostrarum ad bonum usum divini doni. Et supposito pietatis *influxu*, invitat nos ad pietatis *exercitium* et praeponit pietatis *emolumentum*. Si accepisti donum Dei, *exerce te ad pietatem*, ne cadas a dono; si non habes donum Dei, *exerce te ad pietatem* obtinendam. Rationem huius assignat, cum subdit: *Pietas ad omnia valet* etc. Ideo ostendit, quod circa istud donum pietatis tria sunt nobis consideranda, scilicet pietatis *exercitium*, pietatis *emolumentum* et pietatis *originale principium*. Si est *donum*, tunc oportet scire, qualiter *donatur;* si est *nobile donum*, oportet scire, qualiter in ipso *proficiamus* et nos exerceamus; si est *donum utile*, videamus, quem *fructum* inde consequamur. — Videte, tota intentio mea est, quod concipiatis donum pietatis in anima et discatis, quid sit *esse pium*.

Divisio rei memoriae commendi.

Intentio auctoris.

3. Incipiamus ab *exercitio*. Exercitium autem pietatis in triplici actu consistit, videlicet in *reverentia venerationis divinae*, in *custodia sanctificationis intrinsecae* et in *superaffluentia miserationis internae*. Primi duo modi pietatis sunt magis radicales quam tertius.

Pars I. De pietatis exercitio.

Ea triplex.

4. Primo, dico, consistit exercitium pietatis in *reverentia venerationis divinae*. Unde in Ecclesiastico[4] dicitur de Iosia, quod *abstulit abominationes impietatis et gubernavit ad Dominum cor illius et in diebus peccatorum corroboravit pietatem*. Certum est, quod ante adventum Christi cultus Dei non vigebat nisi in populo Israelitico et non vigebat in toto populo, quia decem tribus tempore Ieroboam adorabant idola, scilicet vitulum aureum; nec etiam secundum totum tempus vigebat cultus Dei in duabus tribubus; quia David optimus cultor Dei fuit postea

Exercitium primum.

---

[1] Cap. 4, 7. et 8. Pro *ad omnia valet* Vulgata *ad omnia utilis est*. — De hoc dono cfr. III. Sent. d. 35. q. 6.

[2] Vide supra pag. 121, nota 4.

[3] Eccle. 1, 8: Cunctae res difficiles, non potest eas homo explicare sermone.

[4] Cap. 49, 3. et 4: Et tulit abominationes etc. — De Ieroboam cfr. III. Reg. 11, 30. seqq. et 12, 15. seqq.; de Manasse vide IV. Reg. 21, 1. seqq.; ibid. 22, 1. seqq. de Iosia, de quo dicitur: Octo annorum erat Iosias, cum regnare coepisset etc.

Digitized by Google

venit Manasses pessimus, qui populum fecit idololatrare; post ipsum vero venit Iosias, qui octavo anno suo coepit regnare et abstulit totam idololatriam et *in diebus peccatorum corroboravit pietatem*, id est cultum divinum.

5. Quod pietas sit cultus Dei, dicit Iob [1]: *Ecce*, inquit, *pietas ipsa est sapientia*. Alia translatio habet: *Ecce timor, ipse est sapientia*; sed in translatione Septuaginta habetur: *Ecce, pietas ipsa est sapientia*. Et Augustinus dicit, quod *pietas* in Graeco idem est quod *theosebia*, quod est idem quod cultus Dei. Consistit autem cultus Dei maxime in reverentia Dei, quae non habetur sine timore. Oportet enim, cultorem Dei *altissime, piissime*, cum *reverentia et timore* sentire de Deo [2]. — Si sentis diminute de *potentia* Dei, scilicet quod non possit omnia de nihilo creare; non sentis altissime. Similiter, si diminute sentis de *sapientia* Dei, scilicet quod per sapientiam suam non possit intima penetrare; non sentis altissime. Sicut habemus testimonium lucis, quod non solum in se lucet, sed multa alia corpora possit illuminare; ita Deus omnia videt et illustrat, quia ipse est lux [3]. Si sentis de Dei *potentia* et de Dei *sapientia*, quod *non* possit corpora reparare male, vel bene; tunc male sentis de Deo nec sentis altissime. Item, si non credis *condescensiones et miserationes* divinas, per quas Deus creaturam sibi servientem gratia, indulgentia et beatitudine replet; non es cultor Dei. — Dico igitur, quod *pietas* nihil aliud est quam piae, primae et summae originis pius *sensus*, pius *affectus* et pius *famulatus*. Summum bonum non potest haberi nec coli sine pietate. Naturaliter quaelibet res tendit ad suam originem: lapis deorsum, et ignis sursum, et flumina currunt ad mare [4], arbor continuatur cum radice, et ceterae res continuationem habent cum radice. Deiformis est creatura rationalis, quae potest redire super originem suam per memoriam, intelligentiam et voluntatem [5]; et non est *pia*, nisi refundat se super originem suam. Ideo dixi, quod pietas nihil aliud est quam piae, primae et summae originis pius sensus, pius affectus et pius famulatus. — Prima igitur exercitatio doni pietatis consistit in reverentia venerationis divinae.

Confirmatur. Applicatur. Quid sit pietas.

6. Secunda exercitatio doni pietatis consistit in *custodia sanctificationis intrinsecae*; de qua dicit Apostolus [6]: *Obsecro primum omnium, fieri postulationes, obsecrationes, orationes et gratiarum actiones pro omnibus* etc.; sequitur: *ut quietam vitam agamus in omni pietate et castitate*. Intelligere debetis, quod summa christianae religionis consistit in pietate et puritate. Nunquam enim potest homo pie ad se ipsum affici, nisi habeat *pacem* [7]. Haec est religio christiana, quae consistit in his duobus. Tranquillitas pacis non est nisi *in* tranquillitate conscientiae. Et non est conscientia sancta, nisi sit bona et pia, scilicet quod praeferat vitam virtutis et gratiae vitae naturae. — Videatis bene, si homo plus afficeretur ad calceamentum quam ad pedem, non multum diligeret pedem. Qui pedem exponeret fractioni propter calceamentum, nunquid multum diligeret pedem et multum afficeretur ad pedem? Certo non. Qui propter modicam rem exponeret se suspendio non multum diligeret vitam suam. Nunquid oportet, quod homo custodiat animam suam in sanctitate [8]? Certe sic. Sed animam suam exponit confusioni, qui non cavet sibi de peccato.

Secundum. Notandum. Simile.

7. O, quam pauci sunt, qui pietatem religionis custodiunt! Sed *Dominus interrogat impium* [9]. Dicitur in Ecclesiastico: *Miserere animae tuae, placens Deo; et congrega et contine cor tuum in sanctitate*. — *Miserere animae tuae*, id est, habeas pietatem ad animam tuam; *placens Deo*, scilicet, ut studeas placere Deo. Et quomodo? *Congrega et contine cor tuum in sanctitate*. — Aliqui contenti sunt, quod sanctitatem exteriorem habeant, scilicet in verbo et gestu et exteriori conversatione; sed hoc est ornare sanctitatem exterius, sicut homo, qui se dealbat exterius et facit sepulcrum mortuorum, quod *exterius est dealbatum* [10]. Sed sicut « simulata aequitas non est aequitas, sed duplex iniquitas »; ita simulata sanctitas non est sanctitas, sed potius iniquitas. Contra tales dicit Apostolus [11]: *In novissimis temporibus erunt homines voluptatum amatores, habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. — *Habentes speciem pietatis*, « id est religionis », dicit Glossa. Speciem pietatis habentes sunt hypocritae.

Exhortatio. De falsa sanctitate.

---

[1] Cap. 28, 28. — Sententia August. habetur Enchirid. c. 2. n. 1; X. de Civ. Dei, c. 4. n. 3. et XII. de Trin. c. 14. n. 22. Cfr. III. Sent. d. 9. a. 2. q. 4. seqq.

[2] Cfr. supra in Hexaëm. collat. 9. n. 24. seqq.

[3] Epist. I. Ioan. 1, 5: Deus lux est.

[4] Eccle. 1, 7: Omnia flumina intrant in mare etc. Aristot., II. Ethic. c. 4: Nihil enim ex iis quae natura fiunt, assuescere aliter potest, ut lapis, cum natura deorsum feratur, nunquam sursum ferri assuescet, neque si millies quispiam eum sursum proiiciendo velit assuefacere; neque ignis deorsum ferri, neque aliud quidpiam aliter quam natura comparatum sit, unquam assuescet.

[5] Cfr. supra Breviloq. p. II. c. 12. et Itinerarium mentis in Deum, c. 3.

[6] Epist. I. Tim. 2, 1. Ibid. v. 2: Ut quietam et tranquillam vitam etc.

[7] Manifestum est, sermonem hic a codd. imperfecte et confuse referri.

[8] Deut. 4, 9: Custodi igitur temetipsum et animam tuam sollicite etc.

[9] Psalm. 10, 6: Dominus interrogat iustum et impium. — Seq. locus est Eccli. 30, 24: Miserere... Deo, et contine; congrega cor tuum in sanctitate eius.

[10] Respicitur Matth. 23, 27. seq.: Vae vobis! Scribae et Pharisaei hypocritae, quia similes estis sepulcris dealbatis etc. — Seq. sententia est August., Enarrat. in Ps. 63. n. 11, ubi addit hanc rationem: « Quia et iniquitas est et simulatio ».

[11] Epist. II. Tim. 3, 1. 2. 4. et 5. Plura in Vulgata inseruntur. — *Glossa* secundum Petr. Lombard., in hunc locum, dicit: *Habentes quidem speciem pietatis*, id est religionis, quia eadem Sacramenta habent cum piis, et ideo periculosi sunt. Cfr. August., XIX. contra Faustum, c. 11. et 12.

Talis enim *filius est perditionis*[1]. De tali dicitur: *Spiritu labiorum suorum percutiet impium*, scilicet illum qui habebit maximam speciem pietatis. — Igitur secunda exercitatio doni pietatis est per custodiam sanctitatis intrinsecae. — Sed quidam de anima sua non habent misericordiam, immo faciunt animae suae peius, quod possunt. Summe odiunt animam suam, non possent ei peius facere, quam faciunt, quia faciunt omnia, quae diabolus suggerit eis. *Miserere animae tuae!* Et quidam sub specie pietatis assumunt quae sunt contra animam suam. Dicunt: ibo ad turpitudinem sub specie pietatis. Quae pietas est ista? Certe nulla.

Peccator odit animam suam.

8. Tertia exercitatio doni pietatis est in *affluentia miserationis internae*. De ista dicitur in Ecclesiastico[2]: *Hi sunt viri misericordiae, quorum pietates non defuerunt; cum semine eorum permanent bona.* — Carissimi! debetis percurrere vitas sanctorum Patrum, et videbitis, quod hi sunt viri misericordiae, scilicet Noe, Abraham, Moyses, Ioseph et Samuel. Quae fuit pietas Noe? Per centum annos non fecit nisi aedificare arcam, ut salvaret genus humanum[3]. Quanta pietas fuit in sacratissimo Abraham! Deus descendit, ut percuteret civitates, in quibus erant abominationes peccati; et intercessit Abraham ad Dominum pro illis et extorsit a Domino, quod si inveniret decem iustos in civitatibus, parceret eis Dominus. Quanta pietas fuit Ioseph! Qui venditus a fratribus suis — immo volebant ipsum interficere fratres sui — et fratres suos custodivit, gubernavit et ditavit et filios eorum; et pietatem habuit ad conservandum universum orbem colligendo et conservando bladum. Quanta pietas fuit Moysi! Qui populum Dominum irritantem dilexit et pro eo oravit ad Dominum dicens[4]: *Audi me, Domine, peccavit populus iste; aut dimitte populo huic hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Ponit Bernardus exemplum de muliere, quae habet infantulum suum et est extra domum. Si dicatur ei: dimitte infantulum tuum extra domum, et tu intra domum; non vellet domum intrare, ita quod puer remaneret extra. Ita Moyses voluit, quod Dominus populo dimitteret peccatum suum, aut quod deleret ipsum de libro vitae. Sic fuit de Samuele, quando populus petiit regem; postea cognovit populus, quod Samuel bene rexerat populum, et cum populus peccasset, timebat, ne Samuel pro ipso vellet ad Dominum orare. Et rogavit eum populus, ut pro ipso oraret, et dixit Samuel[5]: *Absit a me, ut cessem orare pro vobis.* Quantae pietatis fuit David rex Israel! Saul quaerebat eum ad interficiendum, et David habebat Saulem in manu sua; potuit ipsum interfirere, nec prohibente Deo, quia Deus dixit ei: *Tradam eum in manus tuas*[6]. Potuit ipsum interficere, nec prohibente homine, nec prohibente lege; et tamen pepercit ei et domui suae. Hi sunt igitur viri misericordiae, quorum pietates non defuerunt.

Tertium. Exemplo.

9. Ad istam pietatem invitat nos beatus Petrus, qui fuit alter Apostolus, in secunda Canonica sua dicens[7]: *Ministrate in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis et in amore fraternitatis caritatem.* Quid vult dicere? Pietatem ponit in medio duorum, scilicet inter *patientiam* et *caritatem*. *Pietatem* dicit esse vestem purpuream, et patientiam et caritatem dicit esse vestem regiam. Qui vult esse pius ad proximum, oportet, quod supportet ipsum patienter et caritative diligat. David patienter et caritative se habuit ad hostem; ita oportet, quod homo se habeat ad proximum. — Ubi est pietas hodie? Non est medium, quia Dens abstulit extrema; tanta est hodie crudelitas, quod homo non potest satiari de vindicta; regnat hodie impatientia et iracundia; male iudicat homo; etiam si non offendit me homo, male tamen iudicabo de ipso. Unde est hoc? Certe, quia non habeo caritatem. Beatus Petrus bene scit dicere, quomodo potero habere caritatem, quia, si habeo patientiam ex una parte et caritatem ex altera; ecce, exercitium pietatis.

Exhortatio. Interpretatio.

10. Dices forte, frater: non habeo istud donum. Oportet igitur, ut explicem tibi *originale principium* pietatis. Et dices: tu debuisti incipere a *principio*; et incepisti ab *exercitio*. Non, frater, non possem te ducere ad originale principium pietatis nisi per actum et exercitium pietatis. Originatur autem donum pietatis primo a *Trinitate increata*, secundo a *Sapientia incarnata*, et tertio a *sancta matre Ecclesia* per Spiritum sanctificata.

Pars II. In ipsum erudit gratia. Et triplex.

11. Videte, dico, quod donum pietatis oritur primo a *Trinitate increata*, scilicet a Deo Patre. Quamquam Deus habeat omnes proprietates nobilis-

Primo Trinitate increata.

---

[1] Ita vocatur *Iudas* Ioan. 17, 12. et *antichristus* II. Thess. 2, 3. — Seq. locus est Isai. 11, 4. Vulgata *interficiet* pro *percutiet*.

[2] Cap. 44, 10. seq.: Sed illi viri... etc.

[3] Cfr. Gen. 6. et 7. — De Abraham deprecante pro Sodoma vide ibid. 18, 20. seqq.; de Ioseph ibid. 37. et 41. seqq.

[4] Exod. 32, 31. seq.: Obsecro, peccavit etc. — Bernard., Serm. 12. in Cantic. n. 4, his verbis Moysi allegatis, adiungit: O vere hominem unctum unctione misericordiae! Loquitur plane *parentis* affectu... verbi gratia, si dives quispiam mulieri pauperculae dicat: Ingredere tu ad prandium meum, sed quem gestas infantulum relinque foris, quoniam plorat et molestus est nobis, nunquid faciet? Nonne magis eliget ieiunare, quam exposito pignore caro, sola prandere cum divite? Ita nec Moysi sedet solum se introduci in gaudium Domini sui, foris scilicet remanente populo, cui, licet inquieto et ingrato, vice pariter et affectione matris intuetur.

[5] Libr. I. Reg. 12, 23: Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut etc.

[6] Libr. I. Reg. 24, 5: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, sicut placuerit in oculis tuis. Cfr. ibid. v. 14. et 26, 23. Vide supra pag. 416, nota 9.

[7] Cap. 1, 5-7.

simas, excellentissimus tamen est in ista proprietate, scilicet pietatis; unde dicitur in oratione[1]: « Deus, cui proprium est misereri semper et parcere » etc. Et in Ecclesiastico: *Pius et misericors Deus, et in tempore tribulationis peccata dimittit et protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* — *Pius est et misericors,* quia parcit et protegit. Dicit Dominus[2]: *Quomodo miseretur pater filiorum, sic misertus sum tui.* — Quaere omnia opera Dei a principio usque in finem, semper invenies operationes miserationis magnas, maiores et maximas. Magnae operationes miserationis divinae sunt operationes *naturae;* maiores operationes miserationis divinae sunt operationes *gratiae,* sed maximae operationes sunt operationes *gloriae.* Audi! es imago Dei; et imago dicitur quasi imitago[3]: igitur si vere es imago Dei, debes te configurare Deo in pietate. Unde in Ecclesiastico: *In iudicando esto pupillis misericors ut pater et pro viro matri illorum; et eris velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui.* — *In iudicando,* id est in fovendo ius, *esto pupillis misericors,* scilicet ut sis vere *filius Altissimi.* Quando Deus gloriosus compatitur in miseros; quare tu non imitaris ipsum? Si esset aliquis fons, qui faceret virescere plantas desiccatas, multum appretiaretur. Anima sine pietate habet plantas desiccatas. Fluvius miserationis divinae copiosissime se infundit et facit virescere plantas mortuas. Nonne oportet, quod tu introducas in animam tuam illum fluvium? Sed non potes eum introducere nisi per pietatem. Prima igitur originalis influentia pietatis est a Trinitate increata.

Gradus divinae miserationis.

Exhortatio.

12. Secunda influentia originalis ipsius pietatis est a *Sapientia incarnata.* Unde Apostolus ad Timotheum[4]: *Manifeste magnum pietatis est sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum in spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria.* Mysterium redemptionis humanae factum per Verbum incarnatum et crucifixum est *magnum pietatis sacramentum.* — Dicit, quod *manifestatum est in carne,* per incarnationem; *iustificatum est in spiritu,* in crucis patibulo; *apparuit Angelis,* in glorificatione; *praedicatum est gentibus,* in Spiritus sancti missione; *creditum est in mundo,* per dilatationem fidei; *assumtum est in gloria,* per examen finalis iudicii. Dico, quod Filius Dei incarnatus assumsit inopiam nostram. Quid fecit hoc? Certe pietas. *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi*[5]. Per *pietatem* carnem assumsit, crucem ascendit, resuscitatus est a mortuis, Spiritum sanctum in terram misit, Ecclesiam ad se vocavit et omnes idoneos a miseria per *pietatem* liberavit. Apostolus ad Romanos dicit[6]: *An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis? An ignoras, quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Tu vero secundum duritiam tuam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.* Filius Dei obtulit holocaustum, scilicet se ipsum pro nobis; hoc est *magnum pietatis sacramentum.* — Hoc sacramentum quotidie iteratur in altari. Pro istis rationibus dedit nobis Sacramentum altaris, ut, memores sacramenti pietatis, induamur viscera pietatis[7]. Crudele est cor, quod ad ista non emollitur.

Secundo. Sapientia incarnata.

Sacrificium altaris.

13. Tertia influentia originalis doni pietatis est a *sancta matre Ecclesia* per Spiritum sanctum sanctificata, quae habet pignus Spiritus sancti. Sancta mater Ecclesia omnibus pietatem indixerat. Qui nati sunt ab uno patre et una matre plus se diligunt invicem, quam qui nati sunt ab uno patre, vel ab una matre tantum. Spiritus sanctus facit nos filios unius patris et unius matris et membra unius corporis. Apostolus[8]: *Apparuit gratia Domini nostri Iesu Christi, Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ut, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo.* — Carissimi! videte, si pietas vestra est fratris ad fratrem, et fratris uterini ad fratrem uterinum! Quis est pater noster? Certe Deus. Quae mater nostra? Est Ecclesia, quae de utero suo genuit nos per Spiritum sanctum et pariet nos, quando praesentati erimus in luce aeterna. Nonne videtis, quod sicut unum membrum compatitur alteri membro[9], sic et nos debemus nobis invicem compati? Omnes sumus membra unius corporis, uno cibo cibamur, ab eodem utero producimur, ad eandem hereditatem tendimus; et magnificabitur heredilas nostra, quanto plures erimus, non angustiabitur[10]. Sumus unum corpus, pie debemus affici ad invicem. Veni ad patrem, pater

Tertio, mater Ecclesia.

Unio in ea.

Exhortatio.

---

[1] Apud Gregor. in libro Sacramentorum, oratio 4. inter orationes pro peccatis (ed. Migne, Patrol. lat. tom. 78. col. 197). S. Bonav. in Exposit. libri Sapientiae 12, 15. ait: Virtus enim Dei est pietas, secundum illud Gregorii: Deus, cui proprium est misereri semper et parcere. — Seq. locus est Eccli. 2, 13.

[2] Psalm. 102. 13: Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Isai. 54, 8: In misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus.

[3] Vide tom. I. pag. 540, nota 1. Aristot., VI. Topic. c. 2: Imago, id est, cuius generatio per imitationem est. — Seq. locus est Eccli. 4, 10. et 11.

[4] Epist. I. 3, 16.

[5] Hebr. 2, 17.

[6] Cap. 2, 4. et 5.

[7] Col. 3, 12: Induite vos ergo... viscera misericordiae etc.

[8] Tit. 2, 11. et 12. Rom. 12, 5: Ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Cfr. I. Cor. 12, 12. seqq. — Post *videte, si* adiecimus *pietas vestra.*

[9] Epist. I. Cor. 12, 26: Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Ibid. 10, 17: Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.

[10] De extensione et mutua communicatione gaudiorum in patria cfr. III. Sent. d. 31. a. 3. q. 3. et Breviloq. p. VII. c. 7.

Digitized by Google

recipit te, vel mater; si assistat sancta mater Ecclesia, etiam flagitiosi peccatores compellentur redire. Debemus igitur nobis invicem compati.

14. In huius designatione scribitur in Psalmo[1]: *Ecce, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Unum Patrem habemus, unum sacrificium, unum Sacramentum et unum praemium. Dicit: *Sicut unguentum in capite* etc. Primo est unguentum pietatis in *capite;* postea descendit in omnes alios, qui appropinquant capiti. — Primo debet esse pietas in praelatis et maioribus et postea in plebe; unde dicit: *quod descendit in oram vestimenti eius*[2]. De isto oleo pietatis dicitur in quarto Regum, quod mulier quaedam venit ad Eliseum et dixit, quod creditores sui volebant pueros suos accipere; et dixit: *Vir meus fuit vir timens Deum.* Et dixit Eliseus, quod afferret omnia vasa vicinorum suorum et imponeret in quolibet aliquid de illo oleo, donec omnia impleta essent. Ad quid praecepit ei afferre vasa vicinorum? Nunquid multiplicare non potuit oleum et implere dolium, et non laborasset tantum mulier? Dico, quod mulier tenet typum Ecclesiae, Eliseus tenet typum Christi. Quando Ecclesia paupercula est in meritis, et oportet, quod fenus reddat; per quid reddet? Oportet, quod impleat vasa vicinorum. Vis, quod pietas matris Ecclesiae ad te descendat? Impleas vasa vicinorum. Istud oleum pietatis apud omnes debet haberi. Unde in Cantico[3]: *Oleum effusum nomen tuum.*

Confirmatur. Requiritur prius in praelatis.

15. Specialiter debet esse in cordibus pontificum. Unde pontifices unguntur in capite, et ipsi inuncti postea omnes de plebe debent purificare. Dicitur in libro Machabaeorum[4]: *Cum sancta civitas in pace habitaretur, et leges optime custodirentur propter Oniae pietatem et animos odio habentes malum; fiebat, ut locum reges et pontifices in reverentia ducerent et multis muneribus illustrarent.* Postea Menelaus et sui intraverunt templum, et Antiochus contaminavit templum. Credo, quod impedimentum fuit, quod Spiritus sanctus non fuit in plebe, quia impedimentum fuit in pastore. — Beatus Gregorius fuit nobilis et dives; septem monasteria fundavit et ditavit et in septimo in urbe Romana factus est monachus[5], postea cardinalis et Papa tandem. Consuevit beatus Gregorius, cum fuit Papa, habere pauperes duodecim, qui comedebant ante ipsum. Quadam die fuit cum illis duodecim unus, qui aliquando apparuit iuvenis, aliquando venerandae canitiei. Post prandium surrexit beatus Gregorius et duxit illum in cameram suam et quaesivit, quis esset. Qui respondit: ego naufragus ille sum, cui tu fecisti misericordiam circa portum maris. Dixi, quod navis mea erat periclitata, et petii a te eleemosynam, unde possem sustentari. Fecisti mihi dari quinquaginta aureos[6], postea omnes scutellas argenteas, quae fuerunt in domo tua; et tunc scivi, quod Deus aeternus disposuit te ad istum honorem, et dispensative ad istam dignitatem devenisti, ut posses multum dare pro Deo. Et dixit beatus Gregorius: quis es tu? Respondit ille: ego sum Angelus eius. Et territus est beatus Gregorius, quia vidit Angelum; et sic consolatus est, quia opera pietatis tantum placent Deo. Martinus et Nicolaus quia viri misericordes fuerunt, ideo ex ipsorum tumba manat oleum[7]. — Patet modo de *exercitio* pietatis et de eius *originali influentia.*

Exempla. Notandum.

16. Sed quae est *utilitas* doni pietatis? Dicit[8]: *Pietas ad omnia valet, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.* Non scio plus addere. Habes bona temporalia? Ad illa valet pietas; et similiter ad bona spiritualia. Qui lubricum carnis passi sunt, liberati sunt quandoque per donum pietatis, et postea misericordiam consecuti sunt. *Pietas* enim *valet ad omnia:* valet *ad vera cognoscenda,* ad omnia *mala declinanda* et ad omnia *bona consequenda.*

Pars III. De ipsius emolumento. Valet ad tria.

17. Primo, dico, valet pietas ad *vera cognoscenda,* scilicet *salutaria;* unde in Ecclesiastico[9]: *Omnia fecit Dominus et pie agentibus dedit sapientiam.* Dat Deus dona sua super quamlibet creaturam; sed notitiam veritatis non dat nisi pie agentibus. Quomodo posset attingere *originata* qui non attingit *originem* veritatis? Quomodo originem sciret veritatis qui adversatur origini veritatis? Dicit Apostolus ad Timotheum[10]: *Si quis aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, et ei quae secundum pietatem est doctrinae, superbus est et nihil sciens et languens circa quaestiones et pugnas verborum.* Oportet, quod homo

Primo, ad vera cognoscenda.

---

[1] Psalm. 132, 1. et 2. Cfr. supra pag. 441, nota 9.

[2] Psalm. 132, 2. — De seqq. vide IV. Reg. 4, 1. seqq.: Mulier autem quaedam... clamabat ad Eliseum, dicens: Servus tuus, vir meus, mortuus est, et tu nosti, quia servus tuus fuit timens Dominum, et ecce, creditor venit, ut tollat duos filios meos etc. Cfr. Haban. in hunc locum.

[3] Cap. 1, 2.

[4] Libr. II. 3, 1. et 2. — De Menelao vide ibid. 4, 23. seqq. De contaminato templo 6, 2. seqq. et 10, 3.

[5] Cfr. S. Gregorii vita a Ioanne diacono scripta, lib. I. n. 8. et 6. Ibid. n. 10. et II. n. 23. narratur, quod duodecim pauperibus invitatis, tertium decimum, Angelum sibi divinitus deputatum, recognoverit.

[6] B *quinque obolos aureos.*

[7] Surius (Histor. seu vitae Sanctorum) in vita S. Nicolai (6. Dec.), § 20: Ex purissimis autem illis et redolentibus membris per antearcta saecula in hunc usque diem nectareus distillat liquor, certissima spiritualium ac corporalium aegritudinum medicina. De Martino cfr. Gregor. Turon., III. de Miraculis S. Martini, c. 24.

[8] Epist. I. Tim. 4, 8. Cfr. supra pag. 468, nota 4.

[9] Cap. 43, 37.

[10] Epist. I. 6, 3. et 4. — Subinde pro *secundum pietatem* codd. *secundum veritatem.*

Digitized by Google

assentiat doctrinae, quae est secundum pietatem. Dicitur in Daniele[1]: *Porro impie agent impii*; claudetur revelatio impiis. Si vultis esse veri scholares, oportet, vos habere pietatem.

Secundo, ad mala declinanda.

18. Secundo valet pietas ad omnia *mala declinanda*. Unde beatus Petrus[2]: *Novit Dominus pios de tentatione eripere, impios autem cruciandos in diem iudicii reservare. Impii* sunt qui non recognoscunt pietatem divinam. *Impius* autem, *cum in profundum peccatorum venerit, contemnit*. Impius est qui propriam impietatem defendit, scilicet peccatum. De talibus dicit Psalmus[3]: *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant; iudica illos Deus. Deridant a cogitationibus suis; secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.* Vis liberari a malo? Audi David, qui dicit: *Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Lauda Deum et irascaris contra peccatum et noli defendere peccatum, quia defendere peccatum est duplex peccatum. Notabile est quod dicit Psalmus[4]: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, peccato consentiendo; *et in via peccatorum non stetit*, in peccato permanendo; *et in cathedra pestilentiae non sedit*, peccatum suum defendendo.

Tertio, ad bona consequenda.

19. Tertia utilitas doni pietatis est, quod facit *consequi omne bonum*. Unde dicitur in libro Machabaeorum[5], quod consideraiat Iudas, *quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam reportabant gratiam*, quam nobis praestare dignetur qui cum Patre etc.

COLLATIO IV.

De dono scientiae.

SUMMARIUM. — *Introductio*, 1. — *Expositio textus. Duo antecedentia donum scientiae, et duo consequentia*, 2. — *Quatuor sunt charitates sive scientiae, quae omnes sunt dona Dei; earum definitiones*, 3-5. — Pars I. De scientia philosophica. *Ipsa est veritatis secretabilis notitia certa. Triplex eius divisio principalis comprobatur*, 6. — *Salomon has tres habuit*, 7-11. — *Eaedem scientiae facile eclipsantur; requiritur igitur ulterius lumen*, 12. — Pars II. De scientia theologica. *Ipsa est veritatis credibilis notitia pia; fundatur super articulos fidei; Scriptura comparatur aquis maris ob triplicem rationem*, 13. — *Primo, propter profunditatem negotiorum*, 14. — *Secundo, propter multiplicitatem sensuum*, 15. — *Tertio, propter stabilitatem Ecclesiarum*, 16. — *Deficiente scientia fidei, commoveretur Ecclesia; haec scientia est necessaria pontificibus; requiritur insuper operis impletio, aliter est damnosa; ideo necessaria est ulterior scientia*, 17. 18. — Pars III. De scientia gratuita. *Ipsa est veritatis credibilis et diligibilis notitia sancta. Dicitur scientia Sanctorum ob triplicem rationem*, 19. — *Primo, quia a Spiritu S. datur*, 20. — *Secundo, quia nihil vitiositatis habet*, 21. — *Tertio, quia aemulationem sanctitatis habet; exhortatio*, 22. — *Scientia gratuita docet scire et verum modum sciendi*, 23. — *Iungenda est caritas scientiae*, 24. — *Scientia gloriosa*, 25.

Introductio.

1. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Iesu*[6]. — *Qui corripit gentes non arguet, qui docet homines scientiam?* Psalmus David dicit, quod magnus doctor scientiarum Deus est. Scitis, si aliquis habet haurire aquam, libentius haurit eam ab originali suo principio quam a rivulo. Ideo, si Dominus est doctor magnus et donator doni, de quo intendimus loqui; oportet, quod recurramus ad fontem illum ad illuminationem consequendam. Sic fecit Psalmista, sic fecit Salomon et factus est clericus[7] magnus. In principio oportet quod levemus animas nostras et rogemus largitorem donorum, quia non petimus temporalia, sed utilitatem et salutem animae nostrae; et hoc placet Deo, sicut fecit Salomon, qui petiit sapientiam a Domino[8]. Rogemus ergo Dominum, ut ipse aperiat oculos mentis nostrae et det mihi lumen scientiale, ut possim aliquid loqui de dono scientiae, quod sit ad honorem Dei etc.

---

[1] Cap. 12, 9. seq.: Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad praefinitum tempus... et impie agent impii, neque intelligent omnes impii; porro docti intelligent.

[2] Epist. II. 2, 9. Pro *impios autem* Vulgata *iniquos vero*. — Seq. locus est Prov. 18, 3.

[3] Psalm. 5, 11. — Seq. locus est Ps. 31, 5.

[4] Psalm. 1, 1.

[5] Libr. II. 12, 45. Pro *reportabant* Vulgata *haberent repositam*.

[6] Epist. II. Cor. 4, 6. — Seq. locus est Ps. 93, 10. — De hoc dono cfr. III. Sent. d. 35. q. 2.

[7] Du Cange, Glossarium etc., notat, quod nomine *clericorum* intelligantur viri literati ac docti, vel etiam scholares.

[8] Cfr. III. Reg. 3, 7. seqq.

Digitized by Google

Textus expositio.

2. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere* etc. Verbum istud scriptum est in secunda Epistola ad Corinthios, in quo Apostolus Paulus, doctor magnus, explicat ipsius scientiae donum; et explicat *ipsum donum* quantum ad *antecedentia* et *subsequentia*. Donum scientiae duo antecedunt: unum est sicut lumen *innatum*, et aliud est sicut lumen *infusum*. Lumen innatum est lumen *naturalis iudicatorii* sive rationis; lumen superinfusum est *lumen fidei*. Quantum ad primum dicit: *Deus, qui dixit lucem splendescere*, id est lumen naturalis indicatorii impressit creaturae rationali, id est non solum intellectum possibilem, sed etiam intellectum agentem [1]. Quantum ad *lumen fidei* superinfusum dicit: *Illuxit in cordibus nostris* etc., scilicet per infusionem lucis fidei. Deus naturam rationalem condidit et superaddidit gratiam. Duo igitur sunt antecedentia. — Consequentia etiam sunt duo, scilicet *clara notitia Creatoris*, et *revelata notitia Salvatoris* [2]. Quantum ad antecedentia dicit: *Deus, qui dixit* etc.; quantum ad consequentia dicit: *Ad illuminationem scientiae claritatis Dei*, ubi tangitur *clara notitia Creatoris*; *in facie Christi Iesu*, ubi tangitur *revelata notitia Salvatoris*. — Dat Apostolus intelligere, quod anima multiformem habet claritatem et ab una transcendit in alteram. Unde Apostolus ad Corinthios [3]: *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu*. Claritas animae est scientia, econtra *tenebra* animae est ignorantia. Dicit: *transformamur a claritate in claritatem*.

Duo antecedentia.

Duo consequentia.

Multiformis claritas.

3. Hic notandum est, quod est claritas scientiae *philosophicae*, scientiae *theologicae*, scientiae *gratuitae*, et claritas scientiae *gloriosae*. Claritas scientiae philosophicae est magna secundum opinionem hominum mundialium, parva tamen est in comparatione ad claritatem scientiae christianae. Claritas vero scientiae theologicae parva videtur secundum opinionem hominum mundialium, sed secundum veritatem magna est. Claritas scientiae gratuitae est maior, sed claritas scientiae gloriosae est maxima; ibi est status. Psalmus [4]: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non poterо ad eam*, scilicet in hac vita.

Quadruplex claritas scientiae.

4. Omnes istae scientiae et claritates earum divinitus dantur, quamquam semper in donatione ipsarum sit manus donum. Verum est, quod scientia *philosophica* et *theologica* est donum Dei; *proprie* vero est donum Dei scientia *gratuita*; scientia vero *gloriosa* non tantum est *donum*, sed etiam *praemium*. In Cantico autem Annae dicitur in libro Regum [5]: *Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi praeparantur cogitationes*; non stultae cogitationes, quae dissipantur per vias errorum, sed bonae cogitationes praeparantur Domino per vias veritatis. Iob: *Nunquid nosti semitas nubium, semitas magnas et perfectas scientias?* Dicit *semitas magnas*, id est scientiam *philosophicam* et *theologicam*, quae dicuntur *magnae semitae*, quia multas scientias comprehendunt; *semitas perfectas* dicit quantum ad scientiam *gratuitam* et *gloriosam*. *Semitae nubium* sunt *virorum perfectorum scientiae*, quia, sicut nubes abstrahuntur virtute caloris in altum, ita viri perfecti in abstractione mentis sublimantur. — De istis quatuor scientiis volumus dicere, ut ad tertiam possimus pervenire, de qua loquimur hic.

Quo sensu sint dona Dei.

Definitiones ipsarum.

5. Scientia *philosophica* nihil aliud est quam veritatis ut *scrutabilis notitia certa*. Scientia *theologica* est veritatis ut *credibilis notitia pia*. Scientia *gratuita* est veritatis ut *diligibilis notitia sancta*. Scientia *gloriosa* est veritatis ut *desiderabilis notitia sempiterna*.

Pars I. De scientia philosophica.

6. Primo incipiamus a scientia *philosophica*. Dico, quod scientia philosophica est veritatis ut *scrutabilis notitia certa* [6]. De hac scientia dicitur in Proverbiis: *Ecce, descripsi eam tripliciter in cogitationibus et scientia, ut ostenderem tibi firmitatem et eloquia veritatis*. Potest illud verbum esse *Salomonis* et verbum *Dei*. Dico, quod potest esse verbum *Dei*. Ipse enim describit scientiam philosophicam tripliciter, id est secundum triplicem rationem describit eam, ut *naturalem*, ut *rationalem* et ut *moralem*, scilicet in quantum est « *causa essendi, ratio intelligendi* et *ordo vivendi* [7] ». In quantum est *causa essendi*, designat scientiam naturalem; in quantum est *ratio intelligendi*, significat scientiam *rationalem*; in quantum est *ordo vivendi*, describit scientiam *moralem*.

Divisio tripartita philosophiae.

Ita etiam Salomon.

7. Nec tantum est verbum illud *Dei*, immo est etiam *Salomonis*, qui *disputavit a cedro Libani usque ad hyssopum* [8]. Ipse dicit: *Ecce, descripsi eam tibi tripliciter, ut ostenderem tibi firmitatem*, id est solidam et firmam veritatem, *et eloquia veritatis*; ipse describit eam tripliciter, scilicet in quantum est veritas *rerum*, veritas *sermonum* et veritas *morum*, secundum quod est indivisio entis *ab esse*, et indivisio entis *ad esse*, et entis *a fine*. Veritas rerum est indivisio entis ab *esse*; veritas sermonum

---

[1] Vide supra pag. 365, nota 4.

[2] Locum hunc in codd. corruptum emendavimus, adhibita editione Bonelli.

[3] Epist. II, 3, 18.

[4] Psalm. 138, 6.

[5] Libr. I, 2, 3. — Seq. locus est Iob 37, 16.

[6] Cfr. supra opusculum de Reductione artium ad theolog. n. 4. et in Hexaem. collat. 4, n. 4. seqq. — Seq. locus est Prov. 22, 20. et 21.

[7] Est sententia Platonis ab Augustino allata; cfr. supra pag. 19, nota 7.

[8] Libr. III. Reg. 4, 33: Et disputavit super lignis, a cedro, quae est in Libano, usque etc.

Digitized by Google

est indivisio entis *ad esse;* veritas morum est indivisio entis a *fine*[1]. — Veritas *morum* est rectitudo, secundum quam homo bene vivit *intus* et *extra* secundum dictamen iuris, quia ius est regula rectitudinis; veritas *sermonum* est adaequatio vocis et intellectus; veritas *rerum* est « adaequatio intellectus et rei[2] ». Et quia scientia philosophica *eloquia veritatis* docet; et triplex est veritas: ideo dicit, quod descripsit eam tripliciter.

8. Non creditis, quod Salomon istam triplicem notitiam acquisierit? — De scientia *sermocinandi* dicit, quod eam habuit. Unde in libro Sapientiae[3] dicit: *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut dignus sim sedium patris mei.* Ibi scriptum est: *Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia et praesumere digna horum quae mihi dantur. In manu eius sumus nos et sermones nostri.* Impossibile est, quod sapientia fiat doctrina nisi per sermonem. Sermo autem non est sufficiens ad docendum, nisi sit sententiosus. Et non loquitur homo sententiose, nisi sermo eius sit *discussivus, inquisitivus* et *persuasivus*, scilicet quod habeat sermonem potentem ad loquendum omne illud, quod potest apprehendi vel nosci, vel ad quod affectus potest inclinari. Congrue autem exprimit quod dicit per *grammaticam*, rationabiliter investigat per scientiam *logicam* et efficaciter persuadet per *rhetoricam*. Ista igitur est pars philosophiae, scilicet scientia sermocinalis, quae triplex est, ut patet[4], quam adeptus est Salomon.

Primam partem philosophiae habuit Salomon.

Subdistinctio trimembris.

9. Alteram partem philosophiae, scilicet quae est in veritate *rerum*, dicit se Salomon adeptum esse. Unde dicit in libro Sapientiae[5]: *Mihi dedit Deus eorum quae sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum et virtutes elementorum.* Certum est, quod notitia veritatis *rerum* triformis est, secundum quod sunt formae *concretae*, formae *abstractae*, et formae *separatae*. Formas *concretas* considerat physicus, formas *abstractas* metaphysicus, et formas *separatas* mathematicus. Unde dicit: *Mihi dedit Deus scientiam eorum quae sunt*, id est entium principaliter, quae vere entia, quantum ad scientiam *metaphysicum; ut sciam dispositionem orbis terrarum*, quantum ad *mathematicam; et virtutes elementorum*, quantum ad *naturalem philosophiam*. Salomon scivit anni cursum ex dispositione stellarum, naturas animalium et virtutes radicum; omnia docuit Salomon[6].

Item, secundam.

Subdistinctio trimembris.

10. De tertia parte philosophiae, scilicet de *morali*, dicit etiam Salomon, quod eam est adeptus. Unde in Ecclesiaste[7]: *Lustravi universa animo meo, ut scirem et considerarem et quaererem sapientiam et rationem, et ut cognoscerem impietatem stulti et errorem imprudentium.* Multa dicit se considerasse et omnia ordinasse ad mores. — Carissimi! *impietas stulti* est in male sentiendo de causa causarum; *error imprudentium* est circa regimen vitae monasticae, vel vitae oeconomicae, vel politicae, id est circa regimen sui, vel familiae, vel civitatis. Magna prudentia requiritur ad regimen sui, maior ad regimen familiae, sed maxima circa regimen civitatis. Impossibile est, quod sol illuminet remota corpora a se et non illuminet propinqua sibi. Non potest aliquis habere ordinatam familiam, nisi ipse sit ordinatus. Si velit aliquis habere servientes castos; et ipse non erit castus, hoc non potest esse. Similiter nisi homo bene regat familiam suam, non poterit bene regere civitatem, quia *qualis princeps civitatis, tales et habitantes in ea*[8].

Item, tertiam.

Subdistinctio trimembris.

11. Ostendit igitur Salomon, se pervenisse ad triformem descriptionem scientiae philosophicae, scilicet ad descriptionem scientiae rationalis, moralis et naturalis et ad triformem descriptionem quarumlibet istarum. — Qui haberet descriptionem istarum scientiarum secundum veritatem, maximum speculum haberet ad cognoscendum, quia nihil est in aliqua istarum scientiarum, quod non importet vestigium Trinitatis. Illud esset facile ostendere, sed longum esset[9].

Vestigia Trinitatis in his.

12. Prima claritas, scilicet scientiae *philosophicae*, magna est secundum opinionem hominum mundialium; sed de facili eclipsatur, nisi homo caveat sibi a capite et cauda draconis[10]. Si aliquid interponatur inter ipsum et solem iustitiae, patitur eclipsim stultitiae. Ieremias: *Stultus factus est omnis homo a scientia sua*, scilicet *occasionaliter*, non *causaliter*. Qui confidit in scientia philosophica et appretiatur se propter hoc et credit, se esse meliorem, stultus factus est, scilicet quando per istam scientiam sine ulteriori lumine credit, se apprehendere Creatorem; sicut si homo per candelas vellet videre caelum vel corpus solare. — Certum est, quod *rationalis* philosophia in rhetorica consummatur; cum sit triplex genus deliberativae, scilicet quando homo deliberat de *utilitate*, de *securitate* et de *honestate*, et eius opposito, scilicet de *damno*, de *periculo* et de *peccato* sive

Periculum in his scientiis.

Requiritur ulterius lumen.

Non sufficit rationalis philosophia.

---

[1] Cfr. supra in Hexaëm. collat. 4. n. 2. et IV. Sent. d. 14. p. II. a. 1. q. 4: *Verum* (dicit) indivisionem entis ab *esse* sive actu *absoluto*... et *bonum* indivisionem ab actu ut *in finem relato*.

[2] Vide supra pag. 344, nota 5.

[3] Cap. 9, 4. et 12: Et ero dignus sedium patris mei. Ibid. 7, 15. et 16. habetur seq. locus. Post *dantur* in Vulgata plura adduntur.

[4] Cfr. supra Itinerarium mentis in Deum, c. 3. n. 6, opusculum de Reductione artium ad theolog. n. 4. et in Hexaëm. collat. 4. n. 18. seqq.

[5] Cap. 7, 17. — De seqq. cfr. loci in nota praecedente allegati.

[6] Vide Sap. 7, 18. seqq.

[7] Cap. 7, 26.

[8] Eccli. 10, 2: Et qualis est rector civitatis etc. Cfr. I. Tim. 3, 2. seqq.

[9] Cfr. opusculum de Reductione artium ad theolog. n. 15. seqq.

[10] Vide supra in Hexaëm. collat. 22. n. 41. et 42. — Seq. locus est Ier. 10, 14. Vulgata omittit *sua*.

Digitized by Google

de inhonestate[1]. Non potest homo scire, quid *utile*, quid *damnosum*, nisi ex additione ultra istam scientiam. Dicitur in Evangelio[2]: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* Quid valet, quod homo multa sciat, si vera honestas animae relinquatur? —

Nec moralis. Certum est etiam, quod secundum scientiam *moralem* non potest homo scire, quid utile, quid damnosum, nisi ex additione ultra scientiam moralem, secundum quod scientia moralis est *ritus* colendi, *norma* vivendi et *censura* iudicandi[3]. Quis potest scire *ritum*

Nec naturalis. colendi per philosophiam naturalem? — Esto, quod homo habeat scientiam naturalem et metaphysicam, quae se extendit ad substantias summas, et ibi devenat homo, ut ibi *quiescat;* hoc est impossibile, quin cadat in errorem, nisi sit adiutus lumine fidei, scilicet ut credat homo Deum trinum et unum, potentissimum et optimum secundum ultimam influentiam bonitatis. Si aliter credas, insanis circa Deum; quod proprium est Dei attributis alteri, blasphemas et idololatra es, sicut si homo simplicitatem Dei vel

Epilogus. huiusmodi attribuat alteri. — Igitur ista scientia praecipitavit et obscuravit philosophos, quia non habuerunt lumen fidei. Unde Apostolus[4]: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes se sapientes stulti facti sunt.* Et in libro Sapientiae: *Si enim tantum potuerant scire, ut possent aestimare saeculum, quomodo huius Dominum*

Notanda sententia. *non facilius invenerunt?* — Philosophica scientia via est ad alias scientias; sed qui ibi vult stare cadit in tenebras.

13. Ultra scientiam philosophicam dedit nobis

Pars II. De necessitate theologica. Deus scientiam *theologicam*, quae est *veritatis credibilis notitia pia:* quia lux aeterna, scilicet Deus, est lux inaccessibilis nobis[5], quamdiu sumus mor-

Fundatur in fide. tales et habemus oculos vespertilionis. Unde Augustinus: « Acies mentis invalida in tam excellenti lumine non figitur, nisi per institiam fidei emundetur ». Ideo super fidem fundata est scientia theologica: sicut scientiae philosophicae super prima principia sua fundantur, ita scientia Scripturae fundatur super articulos fidei, qui sunt duodecim fundamenta civitatis[6]. De ista scientia dicitur in Isaia: *Non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo;* sequitur: *quia repleta est terra scientia Domini et velut aquae maris operientes* eam. Comparatur sacra Scriptura aquae maris propter *profunditatem mysteriorum*, propter *multiformitatem sensuum* et propter *stabilitionem*[7] *Ecclesiarum.* Scriptura comparatur mari.

14. Primo, dico, comparatur sacra Scriptura Ratio 1. aquae maris propter *profunditatem mysteriorum.* Mare est profundum, nec potest homo ipsum transvadere; ita est tanta profunditas mysteriorum sacrae Scripturae, quod, quantumcumque homo sit illuminatus et quantaecumque sit industriae, non potest ad ipsarum profunditatem attingere. Unde Isaias[8]: *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum; et respondebit: Non possum; signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei: Lege; et respondebit: Nescio litteras.* Nec sciens nec non sciens poterit legere. Quis ergo leget ipsum? Dico, quod qui cum superbia vult intrare sanctuarium Dei non poterit, licet sit litteratus; similiter, si illiteratus velit intrare, stultus esset. Oportet igitur, quod habeat *litteraturam* et *spiritum.* Notandum.

15. Secundo comparatur sacra Scriptura aquae Ratio 2. maris propter *multiformitatem sensuum.* In mari sunt diversae scaturitiones; ita in sacra Scriptura in una littera est multiplex sententia. Unde in Daniele[9]: *Tu autem, Daniel, claude sermones et signa librum usque ad tempus statutum; plurimi pertransibunt, et multiplex erit scientia.* — Mirantur aliqui, quod in eadem Scriptura habemus tot sententias. Dicit Anselmus, quod in eadem terra possunt diversa plantari; terra per virtutem divinam varias facit pullulationes; ita per Spiritum sanctum in eadem littera sunt sententiae variae. Nec est inconveniens aequivoco multipliciter posito uti aequivoce. In theologia significant et *res* et *voces*[10]. Ideo, quando sunt plures proprietates rei, tunc per unam rem plura significantur. Quot sunt proprietates solis, tot, quando *sol* significat iustum, sunt proprietates iusti.

16. Tertia ratio, quare sacra Scriptura compa- Ratio 3. ratur aquae maris, est propter *stabilitionem Ecclesiarum.* Psalmus[11]: *Super maria fundavit eam;* et alibi: *Qui fundasti terram super stabilitatem suam.*

---

[1] Cfr. supra in Hexaem. collat. 4. n. 23.

[2] Matth. 16, 26.

[3] Cfr. supra in Hexaem. collat. 5. n. 14. seqq. et collat. 7. n. 3. seqq.

[4] Rom. 1, 21. et 22. — Seq. locus est Sap. 13, 9.

[5] Epist. I. Tim. 6, 16: *Et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* — De comparatione cognitionis nostrae cum oculis vespertilionis cfr. supra pag. 309, nota 2, et de sententia August. vide supra pag. 345, nota 4.

[6] Respicitur Apoc. 21, 14. Cfr. supra in Hexaem. collat. 8. n. 12. seqq. et collat. 9. n. 8. seqq. — Seqq. duo loci sunt Isai. 11, 9.

[7] Cod. A *stabilitationem*, sicut etiam infra.

[8] Cap. 29, 11. et 12. Cfr. Ambros., Epist. 2. n. 3, et Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 6. n. 13.

[9] Cap. 12, 4. — Sententiam Anselmi non invenimus in eius operibus explicite; cfr. tamen de Concepta virg. etc. c. 11; Ambros., III. Hexaëm. c. 8. n. 34. seqq., et supra in Hexaëm. collat. 13. et 14. Godefrid. abbas Admont., Homil. Domin. homid. 27. comparat Scripturam terrae varia producenti.

[10] Cfr. supra pag. 389, nota 6, ubi etiam de usu terminorum.

[11] Psalm. 23, 2. — Seq. locus est Ps. 103, 5. — Aristot., II. de General. et corrupt. text. 16. (c. 3.): Aqua autem frigida et humida; terra autem frigida et sicca. Cfr. Ambros., III. Hexaëm. c. 4. n. 18; ibid. I. c. 6. n. 22. de positione terrae.

Digitized by Google

Derisernnt aliqui David, quia dixit, quod Deus fundavit terram super aquas. Terra, cum sit sicca, nisi esset humidum, quod penetrat terram, redigeretur in pulverem; et sicut corpus humanum per venas recipit humorem, ita necesse est, quod a mari veniant aquae dulces et tenent terram. Dicit, quod fundavit terram super aquas, propter mysterium. Terra, quam implevit Spiritus, est hierarchia ecclesiastica; qui *appendit tribus digitis molem terrae*[1], quia fundavit sacram Ecclesiam super eloquia divina. Eloquia sacra sunt stabilimenta. Dicit Apostolus ad Timotheum: *Scribo tibi, Timothee, ut scias, qualiter oportet te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.*

Scriptura stabilit Ecclesiam.

17. Ubi sacra Scriptura deficit, necesse est, terram, id est Ecclesiam, commoveri: *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant; movebuntur omnia fundamenta terrae*[2]. Arius, qui fundamentum Trinitatis voluit auferre; Nestorius, qui voluit unitatem personae, et Eutyches, qui volebat confundere naturas in Christo; isti concusserunt fundamenta Ecclesiae. — Omnis pontifex debet scire istam scientiam; unde petitur ab hierarcha: Scis vetus testamentum et novum? — Rex Angliae petiit a quodam episcopo, quid significarent duo cornua in mitra sua. Respondit, et bene, quod significant duo testamenta, quae episcopi scire debent[3]. « Et quid significant illa duo pendicula, quae pendent post tergum »? Respondit, quod significant ignorantiam utriusque, « quia neque hoc neque illud scimus, sed totum proiecimus post tergum ». Et in hoc male dixit.

Haec scientia necessaria episcopis. Exemplum.

18. Quia hierarchia ecclesiastica fundata est in Scriptura, quae comparatur aquae maris propter ista tria; ideo sententia data est contra illos qui non habent istam scientiam. In Osee[4]: *Quia tu repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* A gubernaculo navis et a regimine civitatis repellitur qui nihil scit de regimine. Si fundamenta Ecclesiae consistunt in scientia sacrae Scripturae, ideo qui sacram Scripturam nescit repellendus est ab officio et dignitate ecclesiastica. Si caecus vellet alium ducere, maxima fatuitas esset[5]. Non sorte nec amicitia eligendus est nauta. — Et sciendum, quod *scientia repellitur*, quando homo *non curat eam addiscere.* Isaias[6]: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*, scilicet in capite neque in membris. — Item, *repellitur scientia*, quando homo scit scientiam et *non vult secundum scientiam vivere* nec eam implere. Unde dicit Dominus[7]: *Vae vobis, Scribae et Legisperiti! quia tulistis clavem scientiae; ipsi non introistis et eos qui introibant, prohibuistis.* Medicus si comedit cibum, quem prohibet infirmo, scandalizatur infirmus et vult illum cibum comedere. — Quare *vae vobis, Scribae et Pharisaei!* quia *scienti bonum et non facienti peccatum est*, ut dicit beatus Iacobus[8]. Ex scientia culpa augetur etiam et poena; unde in Luca: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui et non praeparavit et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.* Si homo *non prohibeat* malum exemplo, vel consilio, vae ipsi! Facis te doctorem sacrae Scripturae, sed suades contrarium bono et veritati. Qui deberet incedere per viam rectam, et alter *diceret* ei, quod incederet per viam tortam; esset peccatum eius inexpiabile. Impediendo salutem alterius exemplo, consilio, vel suadendo, oportet dare animam tuam pro anima illius[9]. Nunquid, si possum alium trahere ad id quod melius, et traho ipsum ad peius, non graviter pecco? Si impedio bonum alterius, peius facio quam diabolus; quia diabolus facit sicut hostis. — Ista scientia, si non adsit operis impletio, non est utilis, sed damnosa. Prima claritas potest *obscurari*, sed ista potest *damnari.*

Duplex modus repellendi scientiam. Simile. Increpatio contra scandalum. Notandum.

19. Ideo aliam claritatem oportet habere, scilicet *scientiae gratuitae*, quae est forma claritatum duarum praecedentium. Deficis in tertio signo[10], si non habes istam scientiam. Ista scientia est veritatis ut *credibilis et diligibilis notitia sancta.* De ista scientia dicitur in libro Sapientiae[11]: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas et ostendit illi regnum Dei; honestavit illum in laboribus et dedit illi scientiam Sanctorum.* Scientia gratuita dicitur *scientia Sanctorum* ex triplici causa.

Pars III. De scientia gratuita. Vocatur scientia Sanctorum ob 3 rationes.

20. Primo, quia a Spiritu sancto datur; dico a Spiritu sancto *movente* animam, *inspirante* et *informante* ad sanctitatem. Dico a Spiritu sancto *inspirante* ad sanctitatis *notitiam*, ad sanctitatis *placentiam* et ad sanctitatis *custodiam.* Unde Apostolus ad Corinthios[12]: *Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis;* et quomodo? Si scimus, custodimus et approbamus inspirata per Spiritum sanctum ad sanctitatis notitiam, ad sanctitatis

Ratio 1. Subdistinctio trimembris.

---

[1] Isai. 40, 12. Cfr. supra in Hexaem. collat. 9. n. 3. — Seq. locus est 1. Tim. 3, 14. et 15. Vulgata plura interserit.

[2] Psalm 81, 5.

[3] Secundum Pontificale Romanum, quando mitra capiti consecrati imponitur, haec dicitur oratio: Imponimus, Domine, capiti huius antistitis et agonistae tui galeam munitionis et salutis, quatenus decorata facie, et armato capite, cornibus utriusque testamenti terribilis appareat adversariis veritatis etc.

[4] Cap. 4, 6. — Superius ante *Quia* codd. addunt *Tertio;* subinde omittunt verba *fundata est in Scriptura, quae.* Secundum contextum et Bonelli haec supplevimus.

[5] Matth. 15, 14: Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.

[6] Cap. 5, 13. [7] Luc. 11, 52.

[8] Cap. 4, 17. — Seq. locus est Luc. 12, 47.

[9] Respicitur poena talionis Exod. 21, 23. seq.: Reddet animam pro anima, oculum pro oculo etc. — In praecedentibus apparet defectus codicum.

[10] Respicitur Exod. 8, 19. Cfr. supra pag. 341, nota 7. et pag. 375, nota 2.

[11] Cap. 10, 10. Vulgata invertit ordinem verborum.

[12] Epist. 1. 2, 12. — Seq. locus est Ioan. 17, 17.

Digitized by Google

placentiam et custodiam. Unde in Ioanne: *Pater, sanctifica eos in veritate.*

21. Alio modo dicitur scientia gratuita *scientia* Ratio 2. *Sanctorum*, quia nihil vitiositatis habet admixtum, nihil carnalitatis, nihil curiositatis et nihil vanitatis. Unde in Levitico [1]: *Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum et omne, quod inebriari potest, non bibetis tu et filii tui, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum.* Qui habet scientiam discernendi inter sanctum et profanum ab omni eo, quod inebriare potest, abstinebit, id est ab omni delectatione superflua in creatura; haec est Tria vitia. vinum inebrians. Sive quis propter *vanitatem*, sive propter *curiositatem*, sive *carnalitatem* inclinet ad delectationem superfluam, quae est in creatura; non habet scientiam Sanctorum. Dicitur in Genesi [2]: *De omni ligno, quod est in paradiso, comedes; de ligno autem scientiae boni et mali non comedes, quia, quacumque hora comederitis, morte moriemini.* Adam cum uxore sua contraxit vitium *curiositatis*, quando diabolus dixit eis: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum;* contraxit etiam vitium *carnalitatis*, quando comedit de fructu; contraxit etiam *vitium vanitatis*, quando voluit esse sicut Monitio. dii. — Audite, fratres: qui scientiam habent Sanctorum, scilicet clerici, caveant sibi, ne aliquid vitiositatis habeant admixtum; quia, si admisceat homo aliquid vitiositatis, amittit scientiam discernendi inter bonum et malum.

22. Tertio dicitur scientia gratuita *scientia San-* Ratio 3. *ctorum*, quia habet aemulationem omnis sanctitatis. — Unde in libro Ecclesiastae [3]: *In multa sapientia erit indignatio; qui addit scientiam addit dolo-* Propter dolor. *rem.* Sciens homo defectus suos, habet dolorem *compunctionis* pro se ipso, dolorem *compassionis* pro proximis, et dolorem *aemulationis* pro honore Dei. — Primus. Psalmus: *Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium? Et scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum; Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum. Irascimini, et nolite peccare; quae dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris compungimini.* Qui veram habet scientiam et novit Deum et videt, se non ambulare recte nec perfecte, in continuo dolore est, quia videt, quod dissipentur eius affectus et cogitationes. Augustinus [4]: «Scientia parit luctum». Secundus. — Videt homo strages *corporum*, dolet multum. Qui igitur videt strages *animarum*, quomodo potest se abstinere a lacrymis? Dolor iste multum placet Deo. Dicit Dominus de ista scientia [5]: *Misericordiam volo et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.* Scio infirmitates alienas; debeo compati eis. Isaias: *Vidimus eum, virum dolorum et scientem infirmitatem.* Non est spiritus scientiae Dei in isto membro, quando videt membrum capitis sui laesum et non condolet ei. David dolebat de morte Absalonis, qui tamen ipsum persecutus erat. Est igitur dolor *compunctionis* pro se ipso, dolor *compassionis* pro proximis. — Tertius dolor est aemu- Tertius. lationis pro *honore divino*. Unde in libro Machabaeorum [6]: *Tu, Domine, qui habes scientiam, nosti, quod cum a morte liberari possem, duros sustineo corporis dolores; secundum animam vero propter timorem tuum libenter haec patior.* Verba ista dixit Eleazarus, quando potius voluit mori, quam simulationem comedendi carnes porcinas facere. Hoc non docet philosophia, quod pro conclusione exponam me morti.

23. Psalmus [7]: *Servus tuus sum ego; da mihi* Haec scientia dicit. *intellectum, ut sciam testimonia tua.* Scientia gratuita docet *scire* et *modum sciendi*. Unde super illud Apostoli: *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quomodo oporteat eum scire;* dicit Bernardus: «Vides, quod non approbat Apostolus multa *scientem*, sed *modum sciendi;* vide, quod omnem fructum et utilitatem scientiae in *modo sciendi* constituit. Quid dicit *modum sciendi?* Scire, *quo ordine*, quo *studio*, quo *fine* quisque addiscat: quo *ordine*, ut id prius addiscat, quod maturius est ad salutem; quo *studio*, ut id ardentius, quod vehementius trahit ad amorem Dei; quo *fine*, ut non propter inanem gloriam, aut curiositatem, sed propter aedificationem suam et proximi addiscat. Sunt qui scire volunt tantum, ut sciant, et turpis *curiositas* est. Sunt qui addiscunt et scire volunt, ut *sciantur*, et turpis *vanitas* est. Et sunt qui scire volunt, ut *scientiam vendant* pro pecunia, aut honoribus, et turpis *quaestus* est. Sunt qui scire volunt, ut alios *aedificent*, et *caritas* est. Et sunt qui scire volunt, ut *aedificentur*, et *prudentia* est».

24. *Scientia inflat, sed caritas aedificat* [8]; ideo Iungenda scientiae caritas. oportet iungere cum scientia caritatem, ut homo habeat simul scientiam et caritatem, ut possit impleri illud quod dicit Apostolus: *In caritate radicati et*

---

[1] Cap. 10, 8-10. Post *filii tui* in Vulgata plura interseruntur.

[2] Cap. 2, 16. et 17. ac cfr. 3, 4. 5. — Seq. locus est ibid. 3, 5. Cfr. supra pag. 420, nota 9. in fine.

[3] Cap. 1, 18. Pro *dolorem*, quod exhibent septuaginta interpretes, Vulgata *et laborem*. — Seq. locus est Ps. 4, 3-5.

[4] Libr. II. de Doctr. christiana, c. 7. n. 10: Ista scientia bonae spei hominem non se iactantem, sed lamentantem facit. Cfr. Serm. 347. (alias 17. de Sanctis) c. 3. n. 3.

[5] Osee 6, 6. Pro *volo* (ita interpretes septuaginta) Vulgata *volui*. — Seq. locus est Isai. 53, 2. et 3. Post *eum* Vulgata plura addit. Subinde respicitur I. Cor. 12, 26. (de compassione membri, cfr. supra pag. 471, nota 9.) et II. Reg. 18, 33.

[6] Libr. II. 6, 30.

[7] Psalm. 118, 125. — Seq. locus est I. Cor. 8, 2. — Sententia Bernardi habetur Serm. 36. in Cantic. n. 3. Textus originalis quaedam alio modo exhibet et plura interserit.

[8] Epist. I. Cor. 8, 1. — Seq. locus est Eph. 3, 17-19. Pro *ut possitis scire* Vulgata *scire etiam*.

Digitized by Google

fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, scire etiam supereminentem scientiae claritatem Christi. Ista est scientia, quae est donum Spiritus sancti.

25. De ultima scientia, scilicet de scientia *gloriosa*, dicam unum verbum. Dicitur de ea in libro Sapientiae [1]: *Nosse te summa iustitia est;* sequitur: *et radix est immortalitatis.* Ista scientia *initiatur* in contemplativis, *perpetuatur* in dormientibus et *consummatur* in resurgentibus. Istam scientiam nobis praestare dignetur qui cum Patre etc. De quarta scientia.

COLLATIO V.

De dono fortitudinis collatio prima.

Summarium. — *Introductio*, 1. — *Expositio textus; Virgo Maria commendatur a tribus*, 2. — *Primo a fortitudine*, 3. — *Fortitudo est donum Dei; argumenti divisio trimembris*, 4. — Pars I. De dono fortitudinis ex parte dantis. *Datur a Deo secundum triplicem rationem: a Deo protegente, redimente, inhabitante*, 5-7. — *Figura huius in Samsone*, 8. — Pars II. De ipsa ex parte suscipientis. *Dispositio triplex*, 9. — *Primo disponitur anima per inexpugnabile fidei scutum*, 10. — *Secundo, per imperturbabile spei solatium*, 11. — *Tertio, per inextinguibile caritatis incendium*, 12. — Pars III. De ipsa ex parte operis consequentis. *Datur ad tria: primo ad perficiendum operationes viriles*, 13. — *Secundo, ad prosternendas nereas potestates*, 14. — *Tertio, ad perferendas mundiales tribulationes*, 15.

Introductio. 1. *Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius. Quaesivit lanam et linum et operata est consilio manuum suarum* [2]. — *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Verbum ultimum scribitur in Cantico canticorum et dictum est sponsae sive matri Ecclesiae, cuius collum simile est *turri David; mille clypei* etc. *Collum* dicitur, unde egreditur doctrina veritatis. Collum ad duo servit nobis, scilicet ad suscipiendam escam et ad exprimendum sermones [3]. Ita dicitur mater Ecclesia *collum*, quia ex ea egreditur doctrina veritatis; unde dicit: *mille clypei pendent ex ea.* Item, procedit ab ea universitas sermonum ad corroborandum animas; unde dicit: *omnis armatura fortium.* Nihil est, quod valet ad habendam spiritualem fortitudinem, quod sacra Scriptura non explicet. — Debemus loqui de quarto dono Spiritus sancti, scilicet de dono *fortitudinis.* Rogabimus in principio Dominum etc.

2. *Mulierem fortem quis inveniet* etc. Verbum istud scriptum est in Proverbiis; absque dubio dictum est ad commendationem matris Ecclesiae [4], specialiter ad commendationem Virginis gloriosae. In quo verbo a tribus commendatur: primo, a *spiritualis fortitudinis roboratione;* secundo, a *supernaturalis conceptus fecunditate;* et tertio, a *salutaris consilii discretione.* Primum notatur, cum dicit: *Mulierem fortem quis inveniet* etc. Secundum, cum dicit: *Procul et de ultimis finibus pretium eius.* Tertium subdit: *Quaesivit lanam et linum* etc. — De dono fortitudinis dicemus nunc; de privilegio fecunditatis eras in mane, et de dono consilii eras in sero. Virgo commendatur a tribus. Nota.

3. Primo, dico, commendatur a *spiritualis fortitudinis robore*, cum dicit: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quaerit non desperando, sed confidendo. Quis igitur inveniet? Certe ille qui *attingit a fine usque ad finem* [5]; Ipse inveniet eam et misit ad eam paranymphum, id est Gabrielem Archangelum. Gabriel interpretatur *fortitudo Dei*, et ipse missus est ad inveniendum *fortem mulierem.* Absque dubio Salomon in ea voluit requiescere tanquam in loco securo; sed hoc non potuit esse, nisi esset fortis, quia dicitur in Cantico [6], quod ante *lectum Salomonis ambiunt sexaginta fortes.* Salomon interpretatur *rex desiderabilis;* lectum eius ambiunt Primo, a fortitudine.

---

[1] Cap. 15, 3: Nosse enim te consummata iustitia est, et scire iustitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis.

[2] Prov. 31, 10. et 13. — Seq. locus est Cant. 4, 4.

[3] Beda, II. in Cantic. cantic. allegoricae Exposit., explicans 4, 9: *Collum tuum sicut monilia*, dicit: Per collum namque et cibos traiicimus in corpus reficiendum, et verba proferimus, quibus nostri cordis secreta proximis declaremus. Unde recte in *collo Ecclesiae* doctorum persona designatur. Cfr. ibid. III. in 4, 4.

[4] Vide August., Serm. 37. (alias 45. de Diversis), et Bedae Libellum de Muliere forti. Bernard., Homil. 2. super *Missus est* n. 5. exponit de B. M. V. Seq. divisio dat argumenta collat. 3. 6. 7.

[5] Sap. 8, 1. — De interpretatione nominis *Gabriel* cfr. supra pag. 435, nota 1.

[6] Cap. 3, 7: En lectulum Salomonis etc. Cfr. Gregor. et Beda in hunc locum, qui etiam dant explicationem numeri sexagenarii. — Quoad interpretationem nominis *Salomon* respicere videtur S. Bonav. III. Reg. 10, 24: Et universa terra deside-

Digitized by Google

Numerus 60. sexaginta fortes. — Sexagenarius numerus est perfectus et resurgit ex duplicatione numeri senarii in denarium, et sic per ipsum significatur universitas operum; vel resurgit ex duplicatione numeri denarii in senarium numerum, et significatur per ipsum universitas decem praeceptorum decalogi. Quantum aliquis est fortis et expeditus secundum dictamen legum et praeceptorum decalogi; tunc est fortis, ita quod ab exteriori laedi non potest. Unde in Proverbiis [1]: *Fortitudo et decor indumentum eius.* Sicut corpus ornatur ex habitu, ita ornatur anima ex fortitudine; ideo dicitur indumentum *animae;* nec solum fortitudo est indumentum *animae,* vel *Virginis gloriosae,* immo *matris Ecclesiae.* Unde Isaias: *Consurge, consurge, filia Sion; induere vestimentis gloriae tuae.*

Fortitudo est Dei donum. 4. De habitu fortitudinis, qualiter possimus indui, est sermo. Si recte volumus describere fortitudinem; attendendum, quod de caelo est. Unde in libro Machabaeorum [2]: *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de caelo fortitudo est.* Psalmus: *Mirabilis Deus in Sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae.* Ergo fortitudo est donum Dei [3]. Et ut melius cognoscamus

Divisio argumenti. donum fortitudinis, tria volumus dicere de isto dono. Primo volo ipsum describere ex parte *dantis;* secundo, ex parte *suscipientis;* et tertio, ex parte *operis consequentis.*

Pars I. De hoc dono ex parte dantis est triplici ratione. 5. Primo, dico, volo ipsum describere ex parte *dantis;* et dico, quod datur a Deo *protegente,* a Deo *redimente* et a Deo *inhabitante.* — Primo, dico,

Est a Deo protegente. datur donum fortitudinis a Deo *protegente.* Protegit enim nos Deus secundum ordinationem hierarchicam, municns nos intus et extra. Scribitur in Proverbiis [4]: *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit iustus et exaltabitur;* et in eodem: *Substantia divitis urbs fortitudinis et quasi murus validus circumdans eum.* Fortitudo est, sicut a principio solido, saldini et forti, a Deo; et Deus aeternus est origo fortitudinis in omnibus rebus; quia nihil est potens neque forte nisi per fortitudinem primi principii. Igitur ista fortitudo descendit a Deo nos protegente tanquam a primo principio secundum hierarchicas dispositiones [5]; quae fortitudo reddit omnem hominem divitem et securum et potentem et confidentem.

A Deo redimente. 6. Secundo est ista fortitudo a Deo *redimente* per Verbi divini incarnationem. Unde Isaias [6]: *Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem; hauritis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Istae sunt aquae, in quibus anima fortificatur, purificatur, redimitur, sanctificatur et eripitur de potestate daemonum. Per quid redimitur anima? Dicitur in Habacuc [7]: *Splendor eius ut lux erit; cornua in manibus eius; ibi abscondita est fortitudo eius.* Item scribitur: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet; si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet.* Iste fortior est *Deus,* quia *quod infirmum est Dei fortius est hominibus.* Filius Dei factus est infirmus propter nos.

A Deo inhabitante. 7. Tertia ratio influentiae fortitudinis est a Deo *inhabitante.* Unde in Michaea [8]: *Repletus sum fortitudine Domini, iudicio et virtute.* Corpus humanum, quando non habet spiritum, non habet virtutem, etiam si esset corpus giganteum; ita si Deus non est in anima, tunc ipsa non habet virtutem. De fortissimo nostro, scilicet de Christo, dicitur [9]: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis* etc.; et ponit in medio *fortitudinem,* quia non habitat Christus in nobis, nisi habeamus istu duo, scilicet Spiritum Domini et fortitudinem; et ideo in medio posuit *fortitudinem.* Petrus ad vocem ancillae negavit, et stetit contra caesarem; quia sine Spiritu Domini anima est debilis, et cum Spiritu Domini est fortis. Contra caesarem stetit, quia cum Spiritu Domini tunc fortis fuit.

Figura huius. 8. In huius mysterii designationem dicitur [10], quod Samson secundum doctrinam Angeli non permisit, novaculam ascendere super caput suum; sed creverunt crines, et factus est fortissimus hominum. Mirabile fuit, quod cum crinibus fortis fuit et sine capillis factus est infirmus. Dalila meretrix decepit eum; petiit ab eo, ubi esset fortitudo eius. Quatuor vicibus petiit ab eo, et quarta vice dixit ei veritatem, tribus vero primis vicibus relavit ei veritatem. Prima vice dixit [11]: *Si septem funibus nerveeis fuero ligatus,* ero similis ceteris hominibus; et cum esset

---

rabat vultum Salomonis. Cfr. II. Paral. 9, 23. Isidor., VII. Etymolog. c. 6. n. 64. et 65: David, *fortis manus,* et *desiderabilis* [Idem dicit Hieron., de Nominibus Hebraic. I. Reg.]... Salomon trinomius fuisse perhibetur. Primum vocabulum eius *Salomon* dicitur, id est pacificus, eo quod in regno eius pax fuerit. Secundum nomen *Idida,* eo quod fuerit dilectus et amabilis Domino. Tertium vocabulum eius *Coheleth,* quod Graece appellatur *ecclesiastes,* Latine *concionator,* quod ad populum loquereiur.

[1] Cap. 31, 25. — Seq. locus est Isai. 52, 1: Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion, induere etc.

[2] Lib. I. 3, 19. — Seq. locus est Ps. 67, 36.

[3] Cfr. III. sent. d. 35. q. 5.

[4] Cap. 18, 10. Ibid. v. 11. est locus seq., de quo cfr. etiam ibid. 10, 15. Vide supra in Hexaem. collat. 17. n. 19.

[5] Cfr. supra in Hexaem. collat. 21. n. 16. et 21. seqq.

[6] Cap. 12, 2. et 3.

[7] Cap. 3, 4. — Seq. locus est Luc. 11, 21. et 22; tertius I. Cor. 1, 25.

[8] Cap. 3, 8.

[9] Isai. 11, 2. seq. — Inferius respicitur Matth. 26, 69. seqq. (de Petro negante Christum); de eius constantia in conspectu principis sacerdotum etc. cfr. Act. 4, 5. seqq.

[10] Iudic. 13, 3. seqq.

[11] Iudic. 16, 7. Ibid. v. 11. et 12. sunt duo seqq. loci; ibid. v. 17. insinuatur alis verbis quarta responsio Samsonis.

ligatus, et venirent Philisthaei ad eum, ut caperent eum, statim rupit funes. Item petiit ab eo, ubi esset fortitudo sua; et dixit: *Si ligatus fuero septem funibus novis, qui nondum fuerunt in opere;* ero sicut ceteri homines. Tertio dixit ei: *Si septem capillos meos infixeris in terra cum clavo,* ero sicut ceteri homines. Quarto revelavit ei veritatem et dixit: *Si septem capillos meos, qui sunt in capite meo, abraseris, ero similis ceteris hominibus;* et tunc ceperunt eum Philisthaei. Quid est hoc? — Dico, quod abrasio capillorum significat subtractionem septiformis gratiae Spiritus sancti [1]. De omnibus Sanctis planum est, quod, quamdiu remansit cum eis gratia Spiritus sancti, fortes fuerunt. — Quare non dixit ei, ubi esset fortitudo sua? Videte, in amissione Spiritus sancti est iste processus; per istam viam perditur Spiritus sanctus. Quatuor sunt obtectamenta sensuum, scilicet *occupatio, cogitatio, incurvatio affectionum interiorum* et *impugnatio divinarum legum.* In ultimo amittitur Spiritus sanctus, in aliis vero disponitur homo ad hoc. Primo diabolus offert *delectabilia sensus;* et hoc est *septem funibus nerviceis* ligari. Postea, cum homo immoratur cogitationibus in delectabili oblato, tunc ligatur *septem funibus novis, qui nondum fuerunt in opere.* Post sequitur *incurvatio affectionum:* sicut ex multitudine radiorum generatur calor; sic, quando est multiplex cogitatio in anima, tunc incurvatur anima ad illud; et hoc significat *ligatio crinium cum clavo in terra.* Adhuc non perdit homo Spiritum sanctum. Sed quarto sequitur *impugnatio divinarum legum,* cum crines capitis abraduntur, id est, cum gratia Spiritus sancti subtrahitur. — Habemus modo, a quo procedit donum Spiritus sancti, quia a Deo *protegente,* a Deo *redimente* et a Deo *inhabitante.* Per gratiam Spiritus sancti natura custodit originem vitae, et nos debemus custodire spiritum vitae. Quid valeret homo, nisi haberet Spiritum sanctum?

Explicatur. Obtectamenta quatuor. Epilogus.

9. Dicas modo: per quid disponitur anima ad *susceptionem* influxus istius doni? Dico, quod fortitudo, quae est donum Spiritus sancti, venit in nos primo per *inexpugnabile fidei scutum;* secundo, per *imperturbabile spei solatium;* et tertio, per *inextinguibile caritatis incendium.*

Pars II. De dispositione ex parte susceptionis. Est triplex.

10. Primo, dico, disponitur anima ad donum fortitudinis per *inexpugnabile fidei scutum.* Unde Apostolus ad Hebraeos [2]: *Qui per fidem vicerunt regna* etc.; *fortes facti sunt in bello;* ad Ephesios: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere;* et in Esdra: *Fortis res est vinum, fortior est rex, fortiores sunt mulieres,* dixit tertius; et quartus dixit: *Fortissima res est veritas.* — Ostendit, qualiter homo potest vincere fortitudinem diaboli. Diabolus trahit hominem ad concupiscentiam carnis, ad concupiscentiam oculorum et ad superbiam vitae [3]. Concupiscentia carnis reddit homines fortissimos; multa patiuntur homines, ut possint explere libidinem carnis. Similiter, ambitio reddit homines fortes; propter ambitionem honorum multi multa patiuntur. Item, concupiscentia oculorum, quae est fomentum concupiscentiae et superbiae, reddit homines fortes, quia multa patiuntur homines, ut temporalia acquirant. In *rege* significatur *superbia;* in *vino,* quod facit hominem ebriosum et reddit hominem audacem, significatur *concupiscentia oculorum.* Scribitur [4]: *Ne intueris vinum, cum flaverscit* in scypho. Per *mulieres* significatur *concupiscentia carnis.* Quae est materia resistendi istis? Quomodo potest vinci vinum et alia duo? Dico: per *veritatem.* Psalmus [5]: *Scuto circumdabit te veritas eius,* scilicet per *fidem* inhabitantem, *non timebis a timore nocturno* etc. Et beatus Petrus dixit: *Adversarius vester tanquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret; cui resistite fortes in fide.* Si amaremus veritatem, non timeremus diabolum, quia scriptum est: *Oculi Domini contemplantur universam terram et praebent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum.*

Primo. Explicatio hujus loci.

11. Secunda dispositio influxus doni fortitudinis est per *imperturbabile spei solatium.* Unde Apostolus ad Hebraeos [6]: *Fortissimum habemus solatium, qui confugimus ad tenendum propositam nobis spem.* Et in Isaia: *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem suam; assument pennas ut aquilae, current et non laborabunt; ambulabunt et non deficient.* Homo libenter portaret magnum onus pro marca auri. Si tantum reficit musca [7]; igitur multum deberes te movere ad sustinendum pro spe futuri praemii et aeterni. In Deo debemus confidere, quia *dat lasso fortitudinem* [8]. Philosophus vult, quod una de virtutibus cardinalibus sit magnanimitas; sed non oportet, quod sit in te, sed in Deo ista magnanimitas, quae est virtus.

Secunda.

12. Tertio disponitur homo ad influxum doni fortitudinis per *inextinguibile caritatis incendium.* Unde in Cantico [9]: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades eius lampades ignis atque flammarum; aquae multae non potuerunt exstin-*

Tertia.

---

[1] Cfr. supra pag. 459, nota 9. et in Hexaëm. collat. 14. n. 23.

[2] Cap. 11, 33. et 34. — Seq. locus est Eph. 6, 16; tertius III. Esdr. 3, 10-12.

[3] Epist. I. Ioan. 2, 16.

[4] Prov. 23, 31.

[5] Psalm. 90, 5. — Seq. locus est I. Petr. 5, 8. et 9: Adversarius vester diabolus tanquam etc; tertius II. Paral. 16, 9.

[6] Cap. 6, 18. — Seq. locus est Isai. 40, 31.

[7] Ita S. Franciscus vocare solebat pecuniam; cfr. Opuscula eius, Apopht. 47; Bonav., Vita c. 7.

[8] Isai. 40, 29. Pro *fortitudinem*, quod in aliis versionibus invenitur, Vulgata *virtutem.* — De sententia Philosophi vide supra pag. 354, nota 4. et pag. 355, nota 11.

[9] Cap. 8, 6. et 7.

Digitized by Google

guere caritatem. Credis exstinguere fornacem ardentem cum gutta aquae? Omnis virtus est sicut gutta aquae respectu animae amantis. *Fortis est ut mors dilectio;* mors omnes vincit, similiter dilectio totum vincit. *Dura sicut infernus aemulatio;* infernus quod tenet non dimittit, ita caritas omnia vincit et fortiter tenet. Paule, quid dicis de caritate? *Quis,* inquit[1], *separabit me a caritate Dei?* Respondet: *Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Et dicit: *Certus sum, quia neque mors neque vita neque instantia neque futura poterunt me separare a caritate, quae est in Christo Iesu.* Chrysostomus dicit, quod Paulus enumerat omnes creaturas et dicit: *Neque creatura alia poterit me separare a caritate, quae est in Christo Iesu;* id est, si de novo posset fieri creatura, non posset separare me. — Ista caritas est trahens nos ad naturam caelestem, non permittit peregrinam impressionem in nobis; quantum est de se, perpetua est; nisi dem libellum repudii, non auferet Deus caritatem suam a nobis. In Psalmo[2]: *Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum et refugium meum et liberator meus. Protector vitae meae, a quo trepidabo?* Catharina et Lucia fortes fuerunt per amorem Dei. Si non sumus ligati cum Domino per caritatem, facile amittimus fortitudinem nostram. — Patet modo, a quo est origo doni fortitudinis, et per quae disponimur ad istum influxum doni fortitudinis.

Notandum.

13. Sed scitis, quod habitus sine actu nihil est[3]; ideo sciendum, quod ad tria datur donum fortitudinis: primo, ad *perficiendum operationes viriles;* secundo, ad *prosternendum aëreas potestates;* et tertio, ad *perferendum mundiales tribulationes.* — Primo, dico, datur donum fortitudinis ad *perficiendum operationes viriles;* unde in Proverbiis[4]: *Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium parat divitias.* Et de forti muliere dicitur: *Manum suam misit ad fortia, et digiti eius apprehenderunt fusum.* Loquitur de Ecclesia et de membris eius. Prius oportet ponere manum ad fortia, quam digiti apprehendant fusum, id est, oportet prius fortiter agere, antequam homo possit perspicaciter docere. In *fuso,* quo extrahitur filum de stupa, significatur industria, per quam homines accipiunt doctrinam et explicant eam. Qui vult bene docere, oportet, quod manum mittat ad fortia. In libro Regum[5] dicitur: *Ingredere, quia vir fortis es et bona annuntians;* et in Isaia: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion.* Si brachium est debile, etiam si gladius fuerit fortis et bonus; non erit bonus ictus. Aliqui pleni sunt sermonibus et parum habent de operationibus.

Pars III. De fine triplici ex parte operis consequentis.

Primo.

Simile.

14. Secundo datur donum Spiritus sancti ad *prosternendas aëreas potestates.* Unde in Ioanne[6]: *Scribo vobis, iuvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum.* Ista fortitudo debet esse in omni Christiano et specialiter in duce exercitus populi christiani. Scribitur in libro Machabaeorum, quod *Iudas fortis viribus a iuventute sua, ipse sit vobis princeps militiae, et ipse aget bellum populi.* Omnis, qui accipit curam animarum, efficitur princeps militiae; et quando princeps non est bonus, tunc exercitus est in magno periculo. Unde conqueritur Ieremias[7]: *Recessit,* inquit, *omnis decor a filia Sion; facti sunt principes eius sicut arietes non invenientes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Duo fuerunt, quibus Dominus dedit fortitudinem, scilicet Caleb et Iosue. De Caleb dicitur[8]: *Dedit Dominus fortitudinem ipsi Caleb, et usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terrae locum.* Et similiter dicitur de Iosue, quod *fortis in bello* factus est. Caleb interpretatur *totum cor,* et Iosue interpretatur *salvatio.* Isti pro salute aliorum circumierunt explorare terram promissionis[9].

Secundo.

15. Tertio datur donum fortitudinis ad *perferendas mundiales tribulationes.* Unde dicitur in libro Machabaeorum[10], quod Eleazarus, quando a vita decessit, exemplum fortitudinis iuvenibus et senibus derelinquens dixit: *Libenter pro amore tuo haec patior.* Potuit liberari, si simulasset, se carnes porcinas comedisse; sed noluit, immo potius voluit mori

Tertio.

---

[1] Rom. 8, 35. et 38. — Chrysost. in hunc locum (homil. 15. n. 5.) ait: Deinde, quasi haec non satis essent ad suum declarandum amorem, alias rursus subiicit: *Neque creatura alia,* id est, etiam si alia creatura esset, quanta est ea quae videtur, quanta illa spiritualis, nihil me a caritate illa submovebit.

[2] Psalm. 17, 2. seq. Ibid. 26, 1: Dominus, protector etc. — Superius respicitur opinio Aristot. de corporibus caelestibus, quae propter incorruptibilitatem non « recipiunt peregrinas impressiones »; cfr. tom. IV. pag. 979, nota 4.

[3] Aristot., l. Ethic. c. 8: Fieri enim potest, ut habitus, licet adsit, nullum tamen bonum efficiat; id quod in dormiente, vel alio aliquo modo manente otioso homine evenit; ut operatio autem nihil boni agat, non datur; aget enim necessario et bene etiam aget.

[4] Cap. 10, 4. Ibid. 31, 19. est seq. locus. Beda in hunc locum (de Muliere forti) ait: *Fortia* dicit perfecta in Christi caritate opera... Solent feminae tenentes *fusum* in dextera, colum tenere in sinistra; in colo enim lana involuta est, quae filo ducenda et nenda transeat in fusum.

[5] Libr. III. 4, 42. — Seq. locus est Isai. 40, 9. Act. 4, 1. dicitur: Coepit Iesus facere et docere.

[6] Epist. I. 2, 14. — Seq. locus est I. Mach. 2, 66.

[7] Thren. 1, 6: Et egressus est a filia Sion omnis decor eius; facti etc.

[8] Eccli. 46, 11. Ibid. v. 1. est seq. locus: Fortis in bello Iesus Nave. — Hieron., de Nominibus Hebraic. (de Numerorum libro): *Caleb,* quasi cor, aut omne cor etc.; *Iesu,* salvator.

[9] Cfr. Num. 13, 7. et 17.

[10] Libr. II. 6, 26. seqq.: Manum omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo; adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. — In v. 30. Vulgata *propter timorem tuum* loco *pro amore tuo.*

Digitized by Google

Monitio. et exemplum fortitudinis aliis relinquere. — Quis habebit illud donum? Omnes modo fugiunt pro modico, pro amissione modicae rei temporalis, vel modici commodi; et quare? Quia non habent fortitudinem. Sed dicit ipse Iob[1]: *Tenebit iustus viam suam.* Via ipsius Christi est, quod homo munde et fortiter ambulet. *Accinxit*, inquit, *fortitudine lumbos suos.* Et alibi dicitur: *Super excelsa deducet me victor in psalmis canentem.* — Rogabimus Dominum nostrum Iesum Christum, ut ipse per suam misericordiam dignetur nos ita ducere et regere in ista vita mortali, ut possimus dona praedicta Spiritus sancti obtinere et pervenire ad illud ineffabile gaudium, in quo vivit et regnat ille quem « videbimus, amabimus et laudabimus[2] », praestante ipso, qui est trinus et unus; Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen. Epilogus.

COLLATIO VI.

De dono fortitudinis collatio secunda.

Summarium. — *Introductio*, 1. — *Repetitio et applicatio textus*, 2-4. — *Divisio argumenti trimembris*, 5. — Pars I. B. Virgo protulit pretium nostrae redemptionis ut fortis et sancta. *Triplex sanctitas eius. Primo, sanctitas pudicitiae incorruptae*, 6. — *Secundo, sanctitas obedientiae promptae*, 7. — *Tertio, sanctitas benevolentiae plenae*, 8. — *Figurae Virginis sex, tres in historia, tres in verbis; hae significant sex proprietates amoris divini*, 9-11. — *Imitari debemus in his B. Virginem, sed non Evam; increpatio peccati, speciatim luxuriae; cavendum a mulieribus*, 12-14. — Pars II. Ipsa persolvit illud ut fortis et pia. *Obtulit sub cruce Filium ad solvendum pretium mundi*, 15. — *De B. Virginis pietate; haec est triplex*, 16. — *Persolvit pretium primo pietate venerationis divinae; hinc super omnes est laudabilis; reprehenditur impietas hominum*, 17. — *Secundo, pietate compassionis ad Christum; compassio cum Christo*, 18. 19. — *Tertio, pietate miserationis ad mundum; B. Virgo mater pia Christianorum; commendatur pietas omnibus*, 20. 21. — Pars III. Ipsa possidet illud ut fortis et strenua. *Strenua fuit tripliciter: primo, viriliter pugnans conterendo caput serpentis*, 22. — *Secundo, nobiliter triumphans de diabolo, ut Iudith de Holoferne*, 23. — *Tertio, sublimiter regnans, ut Esther coronata*, 24.

1. *Mulierem fortem quis inveniet*[3]? etc. — *Ora* Introductio. *pro nobis, quia mulier sancta es.* Verbum ultimum fuit verbum sacerdotum ad Iudith; et potest esse verbum nostrum ad Virginem gloriosissimam, quae plena est sanctitate et gratia, ut oret pro nobis ad obtinendam gratiam et sapientiam: *sapientiam* ad *cognoscendam veritatem*, et *gratiam* ad *faciendam veritatem.* Ista duo debemus petere a Deo. Ad hoc venimus ad sermonem, ut intellectum bonum habeamus et affectum poenitentiae reportemus. Sed indigemus prece ad hoc; et quia sumus hebetes et tardi, ideo indigemus suffragio Virginis gloriosae, ut per eius suffragium imploremus divinum auxilium, quod possimus aliquid dicere etc.

2. *Mulierem fortem* etc. In sero tangebamus Repetitio. verbum illud, quod est Salomonis ad Virginem gloriosam, in quo commendat eam a tribus: primo, a *spiritualis fortitudinis robore;* secundo, a *supernaturalis conceptus fecunditate;* et tertio, a *salutaris consilii discretione*[4]. — Et recte coniunguntur ista tria: Explicatio textus. quia robur *fortitudinis* spiritualis initium fuit supernaturalis conceptus, et donum *consilii* fuit quasi complementum, quia illa Virgo, quae debebat concipere Christum, Dei Filium, *Dei virtutem et Dei sapientiam*[5], debuit esse *fortis* et *sensata: fortis* virtute et *sensata* per sapientiam. Et ideo Sapiens, volens explicare de conceptu Virginis, praemittit de spiritu fortitudinis et subiungit de dono consilii; quia illa, super quam debuit requiescere *spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis et spiritus timoris Domini*[6], debuit esse repleta spiritu septiformi donorum Spiritus sancti, specialiter vero spiritu *fortitudinis* et *consilii.*

3. In hoc autem, quod dicit: *Procul et de ultimis* Continuatur et confirmatur. *finibus pretium eius*, intelligitur Virgo gloriosa commendari a *supernaturali conceptus fecunditate.* Hoc non habeo ex me, sed Bernardus[7] dicit: « Si nostra

---

[1] Cap. 47, 9. — Ioan. 14, 6: Ego sum via etc. Seq. locus est Prov. 31, 17; tertius Habac. 3, 19.

[2] Secundum August.; cfr. supra pag. 418, nota 1.

[3] Prov. 31, 10. — Seq. locus est Iudith 8, 29. Subinde respicitur Luc. 1, 28: Ave, gratia plena.

[4] Cfr. collat. praeced. n. 2.

[5] Epist. I. Cor. 1, 24.

[6] Isai. 11, 2. et 3.

[7] Homil. 2. super *Missus est* n. 5. Textus originalis quaedam alio modo exhibet et plura interserit. Allegatur in fine Ps. 18, 7.

Digitized by Google

et omnium salus, si innocentiae restitutio posita est in manu mulieris; necesse est, ut fortis mulier quaeratur, quae ad tantum opus est necessaria »; et subdit: « Non de terra, non de caelo propinquo, sed *a summo caelo egressio eius* ». — *Procul igitur et de ultimis finibus pretium eius.* Hoc est pretium, de quo dicit Apostolus [1]: *Empti estis pretio magno; portate et glorificate Deum in corpore vestro.* Quod pretium illud sit *magnum*, dicit Apostolus Petrus: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati et incontaminati.* Hoc debuit esse pretium magnum, quo redimi debebat totus mundus et totum genus humanum; quia homo satisfacere non potuit, quia nullus homo potuit valere omnes homines, nec creatura aliqua. Nihil fuit sufficiens ad redimendum totum genus humanum, nisi haberet humanam naturam et naturam super omnem creaturam; ergo oportuit, quod haberet naturam divinam et humanam.

Continuatur

4. Illud pretium ubi invenietur? Certe nusquam nisi in utero Virginis gloriosae. Unde Isaias [2]: *Ecce, Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* — *Emmanuel* interpretatur *nobiscum Deus.* Non decebat Virginem habere filium nisi Deum, nec Deum habere matrem nisi Virginem. Pretium illud non potuit inveniri nisi in Virgine. *Procul et de ultimis finibus* est, quia in ipso coniunctum est *summum* cum *infimo*, et *primum* cum *ultimo.* Pretium illud *procul* est, quo redimitur totum genus humanum; quia redimitur *infimum*, ideo est *summum;* quia redimitur *ultimum*, ideo est *primum.* Homo inter creaturas ultimo creatus est [3].

Divisio argumenti.

5. *Procul et de ultimis finibus pretium eius;* et cuius *eius?* Huius mulieris Virginis benedictae est pretium, per quod regnum caelorum obtinere valeamus; sive est *eius*, id est ex ea *sumtum*, per eam *solutum* et ab ea *possessum*: ex ea *sumtum* in incarnatione Verbi; per eam *solutum* in redemptione generis humani; et ab ea *possessum* in assecutione gloriae paradisi. Ipsa pretium illud *protulit*, *solvit* et *possedit:* ergo est eius ut *originantis*, ut *persolventis* et ut *possidentis.* Mulier ista *protulit* pretium illud ut *fortis* et *sancta*; *solvit* ut *fortis* et *pia*; et *possedit* ut *fortis* et *strenua.*

Pars I. Pretium protulit.

6. Dico primo, quod pretium illud *protulit*, scilicet Deum et hominem. Protulit Virgo benedicta ut mulier *fortis* et *sancta*, sanctitate, dico, *pudicitiae incorruptae*, sanctitate *obedientiae promptae* et sanctitate *benevolentiae plenae.* — Primo, dico, protulit pretium illud Virgo benedicta ut fortis et sancta sanctitate *pudicitiae incorruptae.* Unde in Ecclesiastico [4]: *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata;* et Angelus dixit: *Ave, gratia plena*, quia *sancta* et *pudorata: sancta* carne et *pudorata* mente. Apostolus: *Mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* Super illud: *Missus est Angelus Gabriel* etc., dicit Bernardus [5]: « *Missus est Gabriel ad Virginem*, qualem describit Apostolus, *mente et corpore sanctam*, nec de novo nec fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam, ab Angelis servatam, a Patriarchis praesignatam, a Prophetis promissam ». Ad istam Virginem mitti debuit Gabriel tanquam paranymphus. Haec sola placuit Altissimo. Item Bernardus [6]: « Virgo regia, gemino mentis decore praefulgida civium in se provocavit aspectus, ita ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret et caelestem nuntium ad se de supernis adduceret ».

Tertia sanctitas. Primo.

Secundo.

7. Secundo protulit Virgo benedicta illud pretium ut fortis et sancta sanctitate *obedientiae promptae.* Unde in Ecclesiastico [7]: *Fundamenta aeterna supra petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctae.* Ecclesia debuit fundari; ideo oportuit iacere fundamenta, scilicet mandata Dei, et oportuit, quod in aliqua persona essent collocata. Non potuit hoc esse nisi in Virgine gloriosa; Psalmus: *Fundamenta eius in montibus sanctis; homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Dicit: *Mandata Dei in corde mulieris sanctae*, id est Virginis gloriosae. Non fuit otiosa, non fuit sciens et non faciens, sed fuit obediens. Ideo in corde eius fuerunt fundata ista mandata Dei. Dicitur in Evangelio [8]: *Omnis, qui audit verbum Dei et facit, similis est ei qui aedificat domum suam supra firmam petram; qui autem audit et non facit, similis est ei qui aedificat super arenam.* — Primo oportuit invenire personam, in qua mandata Dei collocarentur, scilicet mulierem fortem. Haec fuit Virgo gloriosa. Unde in Luca [9]: *Extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit ei: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti.* Et dixit Iesus: *Quinimmo, beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* — Non solum ipsa beata est, quae ipsum concepit et lactavit, sed etiam qui eam sequuntur. Et qui sunt illi? Qui

Applicatio.

---

[1] Epist. I. Cor. 6, 20. — Seq. locus est I. Petr. 1, 18. et 19. — De redemptione generis humani vide supra Breviloq. p. IV. c. 4. seqq. et III. Sent. d. 20. q. 3. seq.

[2] Cap. 7, 14. Cfr. Matth. 1, 23, ubi post *Emmanuel* additur: quod est interpretatum *nobiscum Deus.*

[3] Cfr. Gen. 1, 26. seqq.

[4] Cap. 26, 19. — Seq. locus est Luc. 1, 28; tertius I. Cor. 7, 34.

[5] Homil. 2. n. 4: *Missus est*, inquit [Luc. 1, 26. et 27], *Angelus ad Virginem:* virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, qualem etc.

[6] Homil. 2. super *Missus est* n. 2: His [virginitate et humilitate] nimirum Virgo regia, gemmis ornata virtutum geminoque mentis pariter et corporis decore praefulgida, specie sua et pulchritudine sua in caelestibus cognita, caeli civium etc.

[7] Cap. 26, 21. — Seq. locus est Ps. 86, 1. et 5.

[8] Matth. 7, 25. et 26. Vulgata paulo aliter legit.

[9] Cap. 11, 27. et 28.

audiunt verbum Dei et implent illud. Eva, transgressa mandatum Dei, destruxit domum, quam Deus nobis praeparavit ad salutem; sed mulier sapiens aedificavit domum et reparavit salutem nostram.

Tertio.

8. Tertio protulit pretium illud Virgo benedicta ut fortis et sancta sanctitate *benevolentiae plenae*. Unde Gabriel Angelus dixit ei[1]: *Benedicta tu in mulieribus* etc. *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Augustinus: Spiritus sanctus amor est, et quamquam detur cum donis suis, non est donum, a quo non possit separari, nisi donum amoris. Cum ceterae virtutes communes sint bonis et malis; dilectio Dei et proximi propria est bonis et piis; ipsa sola est, quae sanctificat. *Supervenit Spiritus sanctus*, quia additur amor amori, ut metas aliorum transcenderet. Unde dicit Hugo[2]: « Quia amor Dei in mente Virginis singulariter ardebat, ideo in carne mirabilia faciebat ». — Dicitur in Exodo: *Quod rubus ardebat et non comburebatur*, id est, Virgo gloriosa, Filium Dei et lucem proferens, per ignem divini amoris lucem mundo dedit et corrupta non fuit. Amor caritatis a corruptione conservat. *Ideoque et quod nascetur ex te*, per amorem illibatum et impollutum, *vocabitur Filius Dei*. Sicut ex amore viri cum muliere nascitur filius carnalis; ita ex amore Virginis cum Deo natus est Dei Filius.

Figura Virginis prima.

Aliae figurae.

9. Sed praecessit figura in *rubo et igne*, quam vidit Moyses; figura in *virga et flore Aaron*[3]; figura in *vellere et rore* Gedeonis; et praecessit figura in *forti muliere* et *eius pretio*, quam desideravit Salomon; figura in *femina* et *viro*, quia dicit Ieremias[4]: *Mulier circumdabit virum*. Illud totum consummatum est in Virgine gloriosa. Unde Bernardus: « Quod monstratum est Moysi in rubo et igne, Aaron in virga et flore, Gedeoni in vellere et rore; hoc aperte praevidit Salomon in forti muliere et eius pretio; apertius praecinuit Ieremias de femina et viro; apertissime Isaias declaravit de Virgine et eius filio: et tandem exhibuit Gabriel Virginem salutando ».

Tres in historia.

10. Tanguntur hic historiae. Prima historia est in *rubo et igne*, ubi exprimitur mysterium incarnationis. Secunda historia est in *virga Aaron*, quae praecisa et sicca in noctis unius spatio fronduit, floruit et fructum protulit. Tertia historia est, quod Gedeon petiit a Domino, quod *ros* cadens totus in *vellere* esset, et area remaneret sicca; et implevit concham rore. — Tria alia verba sunt Salomonis, Ieremiae et Isaiae. Verbum Salomonis est de *forti muliere* et eius pretio. Verbum Ieremiae de *muliere et viro: Novum*, inquit[5], *faciet Dominus super terram; mulier circumdabit virum*. Verbum Isaiae de *Virgine et eius filio: Ecce*, inquit, *Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel. Et hoc vobis signum* etc.

Tres in verbis.

Significant tres proprietates amoris.

11. Quis fecit, quod Virgo conciperet? Certe Spiritus sanctus, qui est amor *fervens*, *fecundus*, *impollutus*, *virilis*, *incorruptus* et *deificus*. Quod sit amor *fervens*, significatur nobis in *rubo et igne*. Quod sit amor *fecundus*, significatur in *virga* Aaron, quae in noctis spatio fronduit, floruit et fructum protulit. Quod sit amor *impollutus*, significatur in *vellere* completo, quia ros vellus non inquinavit, sed mundavit. Quod sit amor *virilis*, significatur nobis in *muliere et viro*, quia *mulier circumdedit virum*, id est ex omni parte cinxit. Quod sit amor *incorruptus*, significatur nobis in *Virgine, quae concepit filium*. Quod sit amor *deificus*, significatur nobis in *Virgine pariente Deum*. — Pretium illud pretiosissimum est. Propter hoc dicit Isaias[6]: *Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo*. Hoc dicit de Christo, qui nos pretiosos fecit.

Imitanda Virgo.

12. Omnis, qui vult esse sanctus, debet sequi Virginem gloriosam in sanctitate *pudicitiae incorruptae, obedientiae promptae* et *benevolentiae plenae*. Et sicut sequendo Virginem gloriosam efficimur pretiosi et sancti, ita sequendo Evam efficimur mali et viles. Unde in Proverbiis[7]: *Pretium scorti vix est unius panis; mulier autem viri pretiosam animam capit*. Eva stulta, pro esu unius pomi te et virum tuum et omnes nos vendidisti! O fili Evae!

Non Eva.

---

[1] Luc. 1, 28-35. — De sententia August. (ut omittit *Augustinus*) cfr. Enarrat. in Ps. 103, serm. 4. n. 9; Serm. 95. n. 7; II. de Diversis Qq. ad Simplician. q. 1. n. 8. seqq.; XV. de Trin. c. 18. n. 32. seqq., et Prosperi Aquitani sententiae ex August. (inter opera August.) n. 7: Dilectio Dei et proximi propria et specialis virtus est piorum atque Sanctorum, cum ceterae virtutes et bonis et malis possint esse communes. — Libr. III. Sent. d. 27. a. 1. q. 4. et d. 34. p. II. a. 1. q. 1. ad 1. ostenditur, quod aliquando Spiritus S. datur cum suis donis, aliquando non.

[2] In libello de B. Mariae Virginitate, c. 2: Nam quia in corde, quo amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne eius virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat. — Seq. locus est Exod. 3, 2. Quod per *rubum* Maria figuretur, docent Gregor. Nyss., Mystica Interpretatio vitae Moysi (Migne, Patrol. Graec. Lat. tom. 44. col. 331); Theodoret., Qq. in Exod. 3, interrog. 6; Eucherius, libr. Formular. spiritualis intelligentiae, c. 4, quem sequitur Raban., XIX. de Universo, c. 6; Bernard., Serm. in Dominica infra octavam assumt. B. M. V. n. 5. Gregor., XXVIII. Moral. c. 1. n. 8. intelligit. per ipsum figurari incarnationem Christi, de quo vide supra in Hexaem. collat. 3. n. 13. et collat. 11. n. 15.

[3] Cfr. Num. 17, 3. seqq., et Hebr. 9, 4. Serm. 245. in Appendice serm. August. (alias 3. de Tempore) n. 5. ostenditur, quod virga Aaron Delparam figuravit. — De vellere Gedeonis vide Iudic. 6, 37. seqq. et Ps. 71, 6. Origen., Homil. 8. in Iudic. n. 4; Hieron., Epist. 9. ad Paulam et Eustochium de assumtione B. M. V. (inter opera Hieron.) n. 5; August. et Cassiodor. in Ps. 71, 6. docent, rore et vellere significari incarnationis Christi mysterium (*ros* Christus, *vellus* Maria). Vide etiam Rabon., Allegor. in S. Scriptur. sub nominibus *virga* et *vellus*.

[4] Cap. 31, 22: Femina circumdabit virum. — Verba Bernardi sumta sunt ex Homil. 2. super *Missus est* n. 11.

[5] Cap. 31, 22: Creavit Dominus novum super terram; femina etc. — Seq. locus est Isai. 7, 14; tertius Luc. 2, 12: Et hoc vobis signum: invenietis infantem etc.

[6] Cap. 13, 12.

[7] Cap. 6, 26. — Seq. locus est Matth. 16, 26.

Digitized by Google

cave, ne sis imitator Evae; sed pro quacumque delectatione animam tuam das; imitator es Evae. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, detrimentum autem animae suae patiatur? Aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* Pro toto, quod Deus creavit, non darem animam meam. Christus sanguinem suum dedit pro anima tua redimenda, et pro peccato vendis te et animam tuam!

13. Scitis, quid accidit per peccatum? Pretiosissimus fit vilissimus. Unde in Ecclesiastico [1]: *Mulier fornicaria quasi stercus conculcabitur in via.* Clericus igitur et sacerdos fornicarius quid est? Certe abominatio Domino. Fugite igitur concupiscentias et sequimini Virginem, quae credidit Gabrieli Archangelo, non mulierem, quae credidit serpenti. Salomon secutus est mulieres fatuas, ideo luget et dicit in Ecclesiaste [2]: *Inveni mulierem amariorem morte, quae laqueus est venatorum, et sagena cor eius, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo effugiet eam, qui autem peccator est capietur ab ea. Laqueus* est aspicientibus, *sagena* concupiscentibus et consentientibus, et *vincula* contingentibus.

Reprobatur peccatum.

Cavendum a mulieribus.

14. Dico primo, quod est *laqueus* aspicientibus; unde scribitur [3]: *Speciem mulieris alienae multi admirati, reprobi facti sunt.* Legitur de beato Bernardo, quod soror eius venit eum videre, ornata pulcherrimo ornatu; ipse spuit in faciem eius et fugit ab ea. Illa impatiens quaesivit, quare hoc faceret; respondit: « quia in meretriceo ornatu venis ad capiendum animas et portas diabolum tecum ». Ideo dicit: *Laqueus est venatorum*, id est diaboli, qui per eam capit animas; quia *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo* [4]. — Item, est *sagena* concupiscentibus et consentientibus. Unde in Ecclesiastico [5]: *Propter speciem mulieris multi perierunt.* Difficile est *ignem portare in sinu, ut non comburantur vestimenta.* — Item, *manus mulieris sunt vincula* contingentibus, quia stricte tenet, quod non potest homo ab ea separari. Unde Apostolus [6]: *Bonum est homini mulierem non tangere. — A vestimento procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* — Si volumus esse pretiosissimi, debemus adhaerere pretio mulieris fortissimae, Virginis incorruptae, obedientissimae et amantissimae. Illa mulier, scilicet Eva, nos a paradiso expellit et vendit; ista nos reducit et emit. — Protulit igitur pretium illud ut mulier *fortis et sancta.*

Exponitur locus Scripturae.

Monitio.

15. Secundo, *persolvit* istud pretium ut mulier *fortis et pia*, scilicet quando Christus passus est in cruce ad persolvendum pretium istud, ut nos purgaret, lavaret et redimeret; tunc beata Virgo fuit praesens, acceptans et concordans voluntati divinae. Et placuit ei, quod pretium uteri sui offerretur in cruce pro nobis. Unde in Ioanne [7]: *Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius, Maria Cleophae, et Maria Magdalena. Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat; dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus*, scilicet, qui tradetur in pretium redemptionis generis humani; ac si diceret: oportet, te carere me, et me carere te — et tu ipsa sicut sancta ipsum concepisti, et sicut pia eum offers — placeat tibi, Virgo, quod genus humanum redimo et Deum placo. Et ne destituta esset, dixit discipulo: *Ecce, mater tua;* hominem virginem dedit Virgini.

Pars II. Pretium persolvit.

Sub cruce.

16. Audiamus aliquid de pietate eius. Haec est spes nostra, quae persolvit pretium istud, ut pia pietate *venerationis divinae;* secundo, pietate *compassionis ad Christum;* et tertio, pietate *miserationis ad mundum*, et praecipue ad populum christianum.

Triplex Virginis pietas.

17. Primo, dico, persolvit pretium istud ut fortis et pia *pietate venerationis divinae.* Unde in Proverbiis [8]: *Fallax gratia et vana est pulcritudo, mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.* Nullus autem est, qui posset reddere honorem subtractum Deo nisi Christus. Et beata Virgo est venerativa et restaurativa honoris Deo subtracti, et mater consentiens, quod Christus in pretium offerretur. Ergo *laudabitur.* Laudata fuit Anna, quia obtulit Samuelem; unde dicitur de ipsa [9]: *Abiit in viam suam mulier et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati.* Ipsa obtulit filium ad serviendum; sed beata Virgo obtulit filium suum ad sacrificandum. — Abraham, voluisti offerre filium tuum, sed obtulisti arietem! sed Virgo gloriosa filium suum obtulit. — Laudatur vidua paupercula, quia obtulit to-

Pietas prima.

Virgo laudabilis.

---

[1] Cap. 9, 10: Omnis mulier, quae est fornicaria etc. — Inferius respicitur Gen. 3, 1. seqq. (de serpente seducente Evam).

[2] Cap. 7, 27.

[3] Eccli. 9, 11. — De B. Bernardo ejusque sorore Humbelina, quae ex modo, quo Bernardus ipsam arguebat, conversa est, cfr. S. Bernardi vitae primae (auctore Gulielmo) l. c. 6. n. 30. et vitae secundae (auctore Alano), c. 7. n. 22. His locis dicitur: Cumque venisset [soror in saeculo nupta et saeculo dedita] quasi visura venerabilem fratrem suum, et adesset cum comitatu superbo et apparatu, ille detestans et exsecrans eam tanquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquievit exire ad videndum eam. Quod audiens illa, confusa et compuncta vehementer... tota in lacrymas resoluta: « Et si peccatrix sum, inquit, pro talibus Christus mortuus est... Et si despicit frater meus carnem meam, ne despiciat servus Dei animam meam. Veniat, praecipiat; quidquid praeceperit, facere parata sum ». Hanc ergo promissionem tenens, exiit ad eam cum fratribus suis frater eius etc.

[4] Matth. 5, 28.

[5] Cap. 9, 9. — Deinde respicitur Prov. 6, 27: Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?

[6] Epist. I. Cor. 7, 1. — Seq. locus est Eccli. 42, 13: De vestimentis enim procedit etc.

[7] Cap. 19, 25. et 26. Ibid. v. 27. locus seq.

[8] Cap. 31, 30.

[9] Libr. I. Reg. 1, 18. Ibid. v. 11: Dabo eum Domino omnibus diebus vitae eius. — Subinde respicitur Gen. 22, 9. seqq. (de Abraham) et Marc. 12, 41. seqq., Luc. 21, 1. seqq. (de vidua).

Digitized by Google

tum, quod habuit; sed haec mulier, scilicet Virgo gloriosa, misericordiosissima, pia et Deo devota obtulit totam substantiam suam. — In hoc reprehenditur impietas hominum, qui non reddunt grates Deo de hoc quod acceperunt. Tot bona recepisti a Deo, scilicet praebendas et alia; si aliquid facis pro Deo, videtur tibi magnum. Sed si te et omne, quod habes, pro Deo des, nihil est. Beata Virgo solvit pretium illud fortis et pia pietate venerationis divinae. Pietas principaliter consistit in cultu Dei [1].

Impietas hominum.

18. Secundo persolvit pretium illud Virgo gloriosa, fortis et pia pietate *compassionis ad Christum*. Dicitur in Ioanne [2]: *Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius*. Propter parturitionem habet mulier dolorem, scilicet antecedentem ad partum. Sed beata Virgo non habuit dolorem antecedentem partum; quia non concepit ex peccato, sicut Eva, cui maledictio data est; sed habuit dolorem post partum. Unde peperit, antequam parturiret. In cruce parturivit; unde in Luca [3]: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. In aliis mulieribus est dolor corporis, in ista est dolor cordis; in aliis est dolor corruptionis, in ista est dolor compassionis et caritatis. Unde invitat nos ad considerandum dolorem ipsius in Ieremia: *Omnes*, inquit, *qui transitis per viam; attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus*.

Secunda.

19. Iste dolor debet transverberare mentes omnium. Christus propter te mortuus est, nonne debes ei compati? Beata Virgo compatiebatur ei maxime; sed ex altera parte placebat ei, quod pro nobis traderetur. Nullus scit, quantum valet compassio Christi. Nihil est, quod tantum exstinguit tentationes et elationem, quam quod mens custodiatur in compassione doloris Christi. Venit tempus passionis Christi; et aliqui *rursus* sunt *crucifigentes sibimetipsis Filium Dei* [4], scilicet quantum in ipsis est. Summa crudelitas iniquitatis christianae est, quod qui totus es sanguine Christi peccando iterum crucifigis ipsum, quantum in te est.

Compassio cum Christo commendatur.

20. Tertio persolvit beata Virgo pretium illud sicut mulier fortis et pia *pietate miserationis ad mundum*, et specialiter ad populum christianum. Isaias [5]: *Nunquid obliviscі potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*. Hoc dicitur de Christo. — Et potest intelligi hic, quod totus populus christianus de utero Virginis gloriosae sit productus; quod significatur nobis per mulierem de latere viri formatam, quae significat Ecclesiam. Unde in Genesi [6]: *Immisit Dominus soporem in Adam; cumque obdormisset tulit unam de costis eius* et fecit mulierem *et adduxit eam ad Adam*. Et dixit Adam, quod esset *virago, quia de viro sumta est. Hoc*, inquit, *os ex ossibus meis, et caro de carne mea*. Et dixit Dominus [7]: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem* et filios et filias, *et adhaerebit uxori suae*. Et Apostolus dixit: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo et in Ecclesia*. — Et quare, eo dormiente, tulit unam de costis eius? Nonne potuit facere hoc, ipso vigilante? Hoc est mysteriale. Nunquid formata est Ecclesia de latere Christi, donec Christus obdormivit in cruce? Et de latere eius refluxit *sanguis et aqua* [8], id est Sacramenta, per quae renascitur Ecclesia. De costa Adam formata est Eva, quae ei copulata est in coniugium. Sicut homo formatus est de terra virginea, sic Christus de Virgine gloriosa. Et sicut de latere Adae dormientis formata est mulier, ita Ecclesia de Christo in cruce pendente. Et sicut de Adam et Eva formatus est Abel et successores sui, sic de Christo et Ecclesia totus populus christianus. Et sicut Eva mater est Abel et omnium nostrum, ita populus christianus habet matrem Virginem.

Tertia.

Maria nostra pia mater.

Expositio.

21. O quam piam matrem habemus! Configueremus nos matri nostrae et sequamur eius pietatem. Tantum compassa est animabus, quod damnum temporale et passionem corporalem nihil reputavit. Ita propter salutem animae nostrae placeat nobis cruciligere corpus nostrum. Dicitur in Matthaeo [9]: *Cum esset Iesus in domo Simonis leprosi, venit mulier habens alabastrum unguenti, et fregit alabastrum et infudit unguentum super caput Iesu. Et impleta est domus ex odore unguenti. Videntes hoc discipuli, murmuraverunt quidam ex eis dicentes: Ut quid perditio haec? Potuit enim venundari multo et dari pauperibus. Et dixit Iesus: Ut quid molesti estis huic mulieri? Bonum opus operata est in me; nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis*. Magdalena typum gerit poenitentium; fregit alabastrum unguenti ex pietate, quam habuit ad Christum. Et nos ad universalem Ecclesiam et ad animam poenitentem debemus habere pietatem. Et sicut Magdalena offendendo perdidit Deum; ita, quando ungebat pedes Christi et caput, invenit ipsum. — Videte, quod quilibet vestrum habeat illud unguentum, ut pie afficiatur ad Deum et poeniteat a peccato sibi caveat. Compatiuntur aliqui carni suae, non animae. Unde

Commendatur pietas compassionis.

Exsecratur oppositum.

---

[1] Vide supra collat. 3. n. 5.

[2] Cap. 16, 21. — Subinde respicitur Gen. 3, 16: Mulieri quoque dixit: Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos, in dolore paries filios.

[3] Cap. 2, 35. — Seq. locus est Thren. 1, 12.

[4] Hebr. 6, 6.

[5] Cap. 49, 15.

[6] Cap. 2, 21-23.

[7] Matth. 19, 5. Cfr. Marc. 10, 7. et Gen. 2, 24. — Seq. locus est Eph. 5, 32. Cfr. supra pag. 406, nota 7.

[8] Ioan. 19, 34.

[9] Cap. 26, 6. seqq. Cfr. Marc. 14, 3. seqq. et Ioan. 12, 2. seqq., ex quibus verba textus sunt composita.

Digitized by Google

in Threnis [1]: *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos.* Talis non est similis Virgini neque Christo. *Filios coquit* qui animae suae non compatitur, sed eam exponit incendiis concupiscentiarum et tormentorum infernalium. De tali muliere dicitur: *Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens;* non potes nimis affligere corpus. Non demus corpus nostrum peccato. *Empti* sumus *pretio magno* [2]. *Nolite fieri servi hominum* neque daemonum neque peccatorum. Si redemissem servum aliquem, non darem eum pro nihilo. — Patet modo, quomodo Virgo gloriosa pretium illud *protulit* sicut *fortis et sancta* et *persolvit* sicut *fortis et pia.*

Pars III. Pretium possidet. Est strenua triplicitor. Primo, ut pugnans.

22. Tertio, *possidet* pretium illud in caelo glorificatum, quia *fortis et strenua*, viriliter *pugnans*, nobiliter *triumphans* et sublimiter *regnans.* — Primo, dico, beata Virgo possidet pretium illud, quia fortis et strenua tanquam *viriliter pugnans.* In Genesi [3]: *Dixit Dominus ad serpentem: Ponam inimicitias inter te et mulierem et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Bernardus de Virgine gloriosa dicit: « Caput serpentis antiqui ipsa contrivit, dum omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra quam de mentis superbia ad nihilum deduxit ». — Non permittas, quod serpens intret in cor tuum per suggestionem; quia dicit Gregorius [4], quod quando caput serpentis intraverit in aliquod foramen, tunc de facili totum corpus intrat. Propter hoc dicit Psalmus: *Beatus, qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram*, id est primos motus ad Christum; et tunc habebit pacem. Qui vult defendere terram suam timet sibi, ne hostis intret in terram; quia qui confinia terrae in fortitudine tenet medullium securius possidet.

Monitio.

Secundo, ut triumphans.

23. Secundo possidet beata Virgo istud pretium, quia fortis et strenua *nobiliter triumphans*, quod significatur in Iudith [5], ubi dicitur: *Una mulier Hebraea fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Iudith amputavit caput Holoferni, et omnes sui fugerunt. In Evangelio dicitur: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius;* et Iudith interfecit Holoferneu proprio gladio. — Quomodo igitur Iudith signat Virginem gloriosam? Vide novum testamentum et vetus. Sacer Simeon: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, id est dolor vivus. Unde? Certe de passione Christi. Quis intulit passionem Christo? Iudaeus, paganus, Pilatus. Isti fuerunt *instrumenta*; sed quis *movebat* eos ad hoc? Certe diabolus faciebat gladium, unde transfigebatur anima Virginis; et ipsa curata est, et diabolus victus. Diabolus voluit escam carnis Christi habere; sed Deitas adhaesit gutturi eius tanquam hamus [6]; clavum infixit in tempus Sisarae. Qui destruxit exercitum Madianitarum nobiliter triumphavit. — Igitur ad eius exemplum non permittamus nos vinci.

Figura eius Iudith.

Tertio ut regnans.

Figura eius Esther.

24. Tertio possidet beata Virgo illud pretium, quia fortis et strenua *sublimiter regnans.* Unde in Esther [7] dicitur, quod Esther invenit gratiam coram Assuero prae cunctis mulieribus, et posuit diadema in caput eius et fecit eam reginam. Beata Virgo propter suam sanctitatem, pietatem et sublimitatem habuit *coronam de lapide pretioso.* Quis est iste lapis? Certe Christus. Unde beatus Petrus [8]: *Ecce, mittam in fundamento lapidem pretiosum.* Coronata est lapide isto beata Virgo in carne; videns in *carne* corpus Christi glorificatum, videns in *spiritu* animam eius glorificatam et in *mente* eius Divinitatem. Coronatus est primo Christus, et ipsa post. Unde in Cantico [9]: *Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius*, id est in carne et mente, quia induit primo carnem, passus et postea glorificatus est; et tota Ecclesia coronata est per ipsum. Unde in Apocalypsi: *Signum magnum apparuit in caelo; mu-*

---

[1] Cap. 4, 10. — Seq. locus est Eccli. 42, 14. Applicatio huius loci fit secundum modum loquendi Scholasticis familiarem, quo mulier metaphorice intelligitur pro *carne*, *vir* autem pro *parte animae superiore;* cfr. II. Sent. lit. Magistri d. XXIV. c. 6. seqq. et ibi Comment. p. II. a. 1. q. 1. seqq.

[2] Epist. I. Cor. 6, 20: Empti enim estis pretio magno. Seq. locus ibid. 7, 23.

[3] Cap. 3, 14. et 15. — Sententia Bernardi habetur in Homil. 2. super *Missus est* n. 4.

[4] Haec sententia colligi potest ex I. Moral. c. 36. n. 53; XVII. c. 32. n. 51. et XXXII. c. 19. n. 33. In his locis docet, primae suggestioni tanquam capiti serpentis esse resistendum, ne serpens se totum in cor consituat per peccatum. Idem insinuat August., Enarrat. in Ps. 103. serm. 4. n. 6. seqq. — Seq. locus est Ps. 136, 9. Cfr. in hunc locum Hilar., August. et Cassiodorum.

[5] Cap. 14, 16. — Seq. locus est Luc. 2, 35.

[6] Secundum Gregor., XXXIII. Moral. c. 9. n. 14-17. et II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 8. — In seqq. propositionibus (in quibus aliquid videtur excidisse) respicitur Iudic. 4, 21, ubi narratur, quod Iahel, uxor Haber, « ingressa abscondite et cum silentio posuit supra tempus capitis eius [Sisarae] clavum percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram; qui soporem morti consociens defecit et mortuus est »; et c. 7, ubi de victoria, quam Gedeon reportavit ex Madianitis (cfr. supra in Hexaem. collat. 19. n. 13.), Isidor., Comment. sive Qq. in lib. Iudic. c. 2. ait: Ista [Ecclesia, quae significatur per Iahel] palo, id est clavo, Sisaram hostem interficit, id est, ligni crucis acumine et virtute diabolum interimit etc. Cfr. Petr. Lombard. in Ps. 82, 10: Fac illis sicut Madian et Sisarae etc.

[7] Cap. 2, 17: Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite eius fecitque eam regnare in loco Vasthi. — Inferius respicitur Ps. 20, 4: Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

[8] Epist. I. 2, 6, ubi respiciens haec verba Isai. 28, 16. ipsa paulo aliter profert; cfr. supra pag. 373, nota 5.

[9] Cap. 3, 11. — Seq. locus est Apoc. 12, 1.

Digitized by Google

lier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim. — Istam coronam habebimus, si volumus Virginem gloriosam imitari. Unde scribitur [1]: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae*; et in Apocalypsi: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae*; quam nobis praestare dignetur qui cum Patre etc.

COLLATIO VII.

De dono consilii.

SUMMARIUM. — *Introductio*, 1. — *Repetitio et propositio argumenti*, 2. — *Narratur exemplum*, 3. — *Divisio argumenti. Describitur consilium quoad triplicem actum*, 4. — Pars I. De actu proprio consilii. *Triplex est consilium*, 5. — *De his tribus in specie*, 6-8. — Pars II. De actu praeambulo. *Triplex proprietas vestimentorum et triplex intelligentia et consilium*, 9. 10. — *Primum consilium regulatur secundum dictamen divinitus institutarum legum*, 11. — *Item alterum, secundum dictamen divinitus inspiratarum rationum*, 12. — *Item tertium, secundum dictamen divinitus inspiratorum hominum: oportet discernere consiliarios et eligere bonum et fugere malum*, 13. — *De bono consiliario, Christo*, 14. — *De aliis bonis consiliariis*, 15. 16. — *De tribus malis consiliariis; primo, de iis qui magna convertunt in nihil*, 17. — *Secundo, qui bona convertunt in malum*, 18. — *Tertio, qui certa deducunt in dubium*, 19.

Introductio. 1. *Mulierem fortem quis inveniet* [2]? etc. — *Sapientia ubi invenitur? Et quis est locus intelligentiae? Nescit homo pretium eius, nec invenitur in terra suaviter viventium.* Iob facit quaestionem, ubi inveniatur sapientia; et respondet negative, quod non invenitur ab homine humano modo vivente, dicens: *Nescit homo pretium eius, nec invenitur in terra suaviter viventium.* Illud ultimum reddit causam: haec est causa, quare carnalis homo nescit pretium sapientiae, quia carnalis homo non percipit saporem sapientiae; nec potest homo scire sapientiam, nisi inveniat saporem; et non invenit in ea saporem, si deliciose vivat, quia deliciae carnales non possunt esse cum sapientia. *Nescit homo pretium eius.* Quis potest dicere: ego sum plus quam homo? Verum est, quod *sapientia trahitur de occultis* [3] mysteriorum. — Duo genera praedicatorum. Accidit, quod praedicator transfundit aliis sapientiam et gustat et facit eam alios gustare; aliquando vero est sicut canalis, faciens alios gustare, et ipse nescit, quid sit; parum valet ei et eis qui audiunt Maria. eum, nisi bonae dispositionis sint. — Ista gloriosissima invenit Sapientiam in *se ipsa* et *protulit eam mundo.* Invocabimus eam, ut spiritu consilii velit nobis impetrare sapientiam, ut possim aliquid dicere etc.

Repetitio. 2. *Mulierem fortem quis inveniet?* etc. Dixi heri et hodie, quod beatissima Virgo gloriosa commendatur in verbis istis primo *a spiritualis fortitudinis robore*; secundo, a *supernaturalis conceptus fecunditate*; et tertio, a *salutaris consilii discretione.* Primum notatur ibi: *Mulierem fortem quis inveniet?* secundum ibi: *Procul et de ultimis finibus pretium eius*; tertium ibi [4]: *Quaesivit lanam et linum et operata est consilio manuum suarum.* De duobus diximus: heri diximus de robore et dono fortitudinis, hodie in mane diximus, qualiter pretium redemptionis hominis vel generis humani mundo *protulit, persolvit* et *possidet* [5]. Verum est, quod exemplum proposueram vobis dicere; sed quia dicere debeo *de dono consilii*, et beata Virgo hic partem Nota. habet et nos voluit habere partem; ideo reservavi usque nunc.

De argumento.

3. Pretium cuiuslibet est Virgo gloriosa, et quare? Exemplum. Quia pretium nostrum ipsa *protulit* mundo, *persolvit* et *possidet.* Quidam conversus fuit in religione monachorum alborum; bonae voluntatis fuit ad Virginem gloriosam, omni die persolvit ei psalterium de centum et quinquaginta Ave Maria; at fuit durae cervicis. Quadam die infirmatus est et portatus est ad abbatiam de grangia. Una quadam nocte, cum omnes essent ad matutinas, solus remansit in infirmaria; et visus est ei, quod quidam portarent eum in aulam maximam, in qua videbat Christum et Apostolos et coetum Angelorum; et daemones praesentabant eum Christo. Et ille qui portabat eum, dixit: « iustus es iudex; iste noster est ». Dixit beata Virgo: « meus est, quia mihi servivit ». Facta est contentio gravis. Hostis dixit: « iustus es iudex, non acceptor personae; volo, quod secundum veritatem iudices ». Et

[1] Iac. 1, 12. — Seq. locus est Apoc. 2, 10.
[2] Prov. 31, 10. — Seq. locus est Iob 28, 12. et 13.
[3] Iob 28, 18.
[4] Prov. 31, 13.
[5] Cfr. supra collat. 5. et 6.

Digitized by Google

dixit Christus: « videamus cuius sit ». Et omnes defectus sui scripti in charta positi sunt ex una parte staterae, et ex alia parte staterae posita sunt bona, quae fecerat. Et pars, in qua fuerunt defectus eius, incurvata est ad terram. Et tunc dixit hostis: « vides, Domine, quod iste noster est; peto iustitiam ». Et tunc beata Virgo dixit ad Christum: « tu es filius meus; sanguinem, quem habuisti, a me habuisti; peto, quod des mihi unam guttam ». Et dixit Christus: « hoc non possum vobis negare ». Et tunc posuit beata Virgo guttam sanguinis cum meritis illius; et statim illa pars staterae incurvata est ad terram. Et dixit hostis: « non est bonum pugnare tecum ». Tamen, quia Dominus iudum, quod ille fecerat, noluit dimittere impunitum; dedit daemonibus potestatem super corpus suum; et tunc atrocissime ipsum percusserunt, ita quod vix remansit in eo aliquod membrorum, quod non esset totaliter allisum. Et dixit iudex: « satis est ». Cum redirent fratres de matutinis, invenerunt ipsum quasi mortuum. Quaesivit abbas et fecit requiri, quis hoc fecisset. Nullus inventus est, qui de hoc aliquid sciret. Postea locutus est et petiit abbatem suum et confessus est ei; et assumta nobili comunectione, migravit ad Dominum, et fuit ei poena illa pro purgatorio.

4. Dicamus de consilio. — *Quaesivit lanam et linum et operata est consilio manuum suarum*[1].

Donis sermonis. Videte, quod Spiritus sanctus describit hic *donum consilii* quantum ad actum *praeambulum*, et hoc quantum ad actum *intrinsecum* et *extrinsecum*, et quantum ad actum *propium*[2]. Primum et secundum notatur, cum dicit: *Quaesivit lanam et linum*; et tertium ibi: *Operata est consilio manuum suarum*.

5. Dicamus primo de actu *proprio*. Intelligere

Pars I. De actu proprio. Triplex consilium. delectis, quod est consilium, quo erudimur ad discernendum, quid licet, quid decet, et quod expedit ad salutem secundum *iudicium rationis rectae*; aliud est consilium, quo erudimur ad eligendum quod licet, quod decet, et quod expedit secundum *imperium voluntatis bonae*. — Tertium est consilium, quo erudimur ad prosequendum quod licet, quod decet, et quod expedit secundum *exercitium operationis virtuosae*. — Et de isto consilio dicitur: *Operata est consilio manuum suarum*.

6. Primum, dico, consilium est, quo *erudimur* ad

De primo. discernendum, quid licet, quid decet, et quid expedit secundum *iudicium rationis rectae*. Unde in Proverbiis[3]: *Ego sapientia habito in consilio et eruditis intersum cogitationibus*. — *Habito in consilio*, scilicet quo homo erudiatur ad discernendum quid, licet, quid decet, et quid expedit secundum iudicium rationis rectae. — Primo debet homo considerare, an liceat, an deceat; multa licent, quae non decent. Postea debet considerare, si expediat, quia dicit Apostolus[4]: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Habita ista triplici consideratione, erudiuntur cogitationes, et habitat sapientia in consilio hominis.

7. Aliud est consilium, quo *elevamur* ad eli- De secundo. gendum quod licet, quod decet, et quod expedit secundum *propositum voluntatis bonae*. Unde in Ecclesiastico[5]: *Aurum et argentum est constitutio pedum, et super utrumque consilium beneplacitum*. Per *aurum* significatur sacra Scriptura, per *argentum* scientia philosophiae. Utraque est speculativa, vel practica. Sacra Scriptura est de fide et moribus, partim speculativa et partim practica. Per istas scientias *stabiliuntur pedes*, quia cor stabilitur per documenta theologica et philosophica; tamen *consilium* magis stabilit.

8. Tertium est consilium, quo *expedimur* ad De tertio. prosequendum quod licet, quod decet, et quod expedit secundum *exercitium operationis virtuosae*. De isto consilio dicitur in Iudith[6], quod dixerunt sacerdotes ad Iudith: *Deus Patrum nostrorum det tibi gratiam et omne consilium cordis tui sua virtute corroboret*. — *Consilium cordis tui* etc., id est, quod bene concepisti in mente, consumes in opere. Psalmus: *Tribuat tibi secundum cor tuum et omne consilium tuum confirmet*. Consilium illud superaddit *expeditionem*. — Triplex est operatio, scilicet Triplex operatio. *discernere* recte, *eligere* bene et *prosequi* expedite. Idem dicit: *Operata est consilio manuum suarum*. Non solum *decrevit* et *elegit*, sed *prosecuta* fuit. Non sufficit bonam voluntatem habere, nisi homo velit eam expedire in opere, a virtute intellectiva in affectivam et ab affectiva in operationem. Philosophus dicit[7], tria ad virtutem esse necessaria, scilicet « *scire, velle* et *immutabiliter operari* ».

9. Et idem solum explicat donum consilii quan- Pars II. De actu praeambulo. tum ad *actum proprium*, immo etiam quantum ad *actum praeambulum*, cum dicit: *Quaesivit lanam et linum*. *Lana* est, de qua fit vestimentum *grossum*; *linum* est, de quo fit vestimentum *subtile*. De lana Triplex vestimentum et intelligentia. fit vestimentum *calidum*, de lino vestimentum *delicatum*. Item, de lana fit vestimentum *extrinsecum*, de lino vero fit vestimentum *intrinsecum*[8]. Secun-

---

[1] Prov. 31, 13. — Cfr. III. Sent. d. 35. q. 4.

[2] Bonelli habet tantum duo membra: *quantum ad actum extrinsecum et praevium... et quantum ad actum intrinsecum et proprium*. A: *ad actum praeambulum, quantum* [haec verba desunt in B] *ad actum intrinsecum, et quantum*. Deinde codd. transponunt *secundum* ante *et tertium*. Nostra lectio respondet melius sequenti expositioni. [3] Cap. 8, 12.

[4] Epist. I. Cor. 6, 12. et 10, 22. Prov. 15, 22: Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium

[5] Cap. 40, 25.

[6] Cap. 10, 8. — Seq. locus est Ps. 19, 5.

[7] Libr. II. Ethic. c. 4. Cfr. supra pag. 323, nota 6.

[8] August., Serm. 37. (alias 45. de Diversis) c. 5. n. 6: *Lanam* carnale aliquid puto, *linum* spirituale. Hoc coniicere audeo ex ordine vestimentorum nostrorum; *interiora* sunt enim linea vestimenta, lanea *exteriora*. Quidquid carne operamur, in promptu est; quidquid spiritu, in secreto... Lana ista et linum hoc in *Scripturis* sanctis est etc. Cfr. Isidor., XIX. Etymolog. c. 27. — De triplici intelligentia cfr. supra in Hexaëm. collat. 2. n. 13. seqq.

Digitized by Google

dum istam triplicem proprietatem tres sunt intelligentiae, scilicet *allegorica*, *anagogica* et *tropologica*.

Secundum triplicem sensum tres expositiones.

10. Secundum allegoriam per *lanam* et *linum* significatur novum et vetus testamentum. — Secundum anagogiam vero per *lanam*, de qua fit vestimentum calidum, significatur orationis *revelatio*, quia oratio est sicut calor; per *linum* vero, de quo fit vestimentum delicatum, significantur *deliciae*. — Secundum tropologiam per *lanam* forinseca dantur intelligi, per *linum* virorum instorum experientiae. — Igitur cum dicitur: *Quaesivit lanam et linum* etc.; intelligitur novum et vetus testamentum, orationum revelatio et deliciae; similiter intelliguntur forinseca et virorum instorum experientiae. — Ex istis eli-

Tria consilia.

cio, quod est consilium, quo *erudimur* ad discernendum, quid licet, quid decet, et quid expedit secundum iudicium *rationis rectae*; et est consilium, quo *eleramur* ad eligendum quod licet, quod decet, et quod expedit secundum *propositum voluntatis bonae*; tertium est consilium, quo *expedimur* ad prosequendum quod licet, quod decet, et quod expedit secundum *exercitium operationis virtuosae*.

Tripliciter regulatur.

11. Primum consilium regulatur secundum dictamen *institutarum divinitus legum*; secundum consilium regulatur secundum dictamen *inspirotarum divinitus rationum*; tertium consilium regulatur secundum dictamen *illustratarum divinitus hominum*.

Primo, sec. leges divinas.

— Primum, dico, consilium regulatur secundum dictamen *divinitus institutarum legum*. Unde in Proverbiis[1]: *Custodi legem atque consilium, et habebis gratiam faucibus tuis et vitam animae*. Quae est ista lex? Certe lex foris scripta et lex divinitus inspirata. De ista lege dicit: *Custodi legem* etc. Psalmus: *Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum iustificationes tuae*; quod consilium fit in testamentis et testimoniis. In designationem huius dicitur in Exodo, quod quando Moyses debebat intrare oraculum, intrabat per *medium* duarum Cherubim. Ibat per *medium*, quia Christus debet habere respectum ad duo testamenta.

Secundo, sec. inspiratas rationes.

12. Secundo regulatur consilium secundum dictamen *divinitus inspirotarum rationum*. De hoc dicitur in Tobia[2]: *Omni tempore benedic Dominum et pete ab eo, ut vias tuas diriget, et omnia consilia tua in ipso permaneant*. Psalmus: *Revela Domino viam tuam, et ipse dabit tibi petitiones cordis tui. Subditus esto Domino* etc. Quantumcumque homo habeat scientiam novi et veteris testamenti; oportet tamen, quod consulat Dominum; non dico, quod habeat specialem allocutionem cum eo, sed oportet, quod Dominus educat sibi tanquam lucem veritatem. — In hoc reprehenduntur aliqui, qui propria scientia regi volunt; de quibus Isaias[3]: *Vae filii desertores! ut faceretis consilium et non ex me, et ordiremini telam et non per spiritum meum*. Faciunt *telas araneorum* qui sacram Scripturam allegant ad mala. Dicit Bernardus: « Nunquam Paulum intelligis, nisi spiritum Pauli invenias ».

Defectus reprehenditur.

13. Est consilium, quo erudimur secundum dictamen divinitus institutarum et inspiratarum legum; sed quia difficile est, hominem erudiri per *se*; ideo requiritur tertio consilium, quo regulatur secundum dictamen *divinitus inspirotorum hominum*. De quo scribitur[4]: *Cor boni consilii statue tecum*. Econtra de malis consiliariis scribitur: *A consiliario serva animam tuam. Non attendas his in omni consilio. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei; cuius anima est secundum animam tuam*. Reddit causam: quia *anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum*, et videt plus quam tu. — Colliginus ex hoc, quod totum consilium in hoc consistit, quod homo consilium in se ipso non ponat; sed debet postulare consilium ab alio. Nec tantum consistit in hoc, immo etiam, quod sciat discernere consiliarium et eligere bonum et fugere malum.

Tertio, sec. inspiratos homines.

Duo requiruntur.

14. Sed quis est bonus consiliarius? Ille certe, de quo dicit Ecclesiasticus[5]: *Multi pacifici sint tibi, unus consiliarius de mille*. — *Unus consiliarius*, id est, Christus, de quo dicit Isaias: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis*. Ipse est *magni consilii Angelus*; iste est, ad quem debemus puro corde attendere. Dicit Ecclesiasticus[6]: *Ante omnia opera verbum verax praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile*. — *Verbum verax*, quod nec falli nec fallere potest, est unigenitus Dei Filius et sua doctrina et sua vita. Istud verbum praecedat te et *consilium stabile*. Stabile consilium non est nisi Dei mei; *consilium Domini in aeternum manet*.

Quis sit bonus consiliarius.

Christus.

15. Iste consiliarius, scilicet Christus, habet multos consiliarios, quibus consilium suum participat. Dixit Paulus[7]: *Beatior erit, si sic permanserit se-*

Alii multi.

Paulus.

---

[1] Cap. 3, 21. et 22, ubi Vulgata: et erit vita animae tuae, et gratia faucibus tuis. — Seq. locus est Ps. 118, 24. Subinde respicitur Exod. 25, 18. seqq., cfr. supra pag. 375, nota 3. et pag. 391, nota 2.

[2] Cap. 4, 20. — Seq. locus est Ps. 36, 4. seqq. S. Bonav. ponit versus ordine inverso. Subinde alluditur ad illud Ps. 36, 6: Educet quasi lumen iustitiam (veritatem).

[3] Cap. 30, 1. Subinde respicitur Isai. 59, 5: Et telas araneorum texuerunt. — Sententia Bernardi habetur in Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi, estque Guigonis Carthus.) lib. I, c. 10. n. 31: Nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonae intentionis in lectione eius et studio assiduae meditationis spiritum eius imbiberis.

[4] Eccli. 37, 17. Ibid. v. 9. et 14-16. et 18. sunt seqq. loci. Locum hunc in codd. corruptum emendavimus referendo ipsum textum Vulgatae.

[5] Cap. 6, 8. — Seq. locus est Isai. 9, 6, ubi septuaginta interpretes: Et vocatur nomen eius magni consilii Angelus.

[6] Cap. 37, 20. — Seq. locus est Ps. 32, 11.

[7] Epist. I. Cor. 7, 40. — Seq. locus est II. Cor. 8, 9. Ibid. v. 10: Et consilium in hoc do. Epist. I. Cor. 7, 25: De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.

Digitized by Google

cundum meum consilium; puto autem, quod et ego spiritum Dei habeo. Unde ad Corinthios: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam, cum dives esset, pro vobis egenus factus est.* Et ipse Apostolus dicit: *In hoc consilium do, praeceptum autem non habeo.* Augustinus dicit in originali [1], quod « in tantum factus est Christus egenus, quod non habet quod vulpes habent, quia *vulpes foveas habent; Filius autem hominis non habet, ubi reclinet caput suum*; subaudi: factus est Christus egenus, ut eius paupertatem imitemur ». Magister dicit, ut ipsum imitemur in dando eleemosynas, in humilitate, in paupertate et obedientia.

Apostoli et Sancti.

16. Consilium istud confirmatum est per duodecim Apostolos et per consilia Sanctorum. Unde dicitur in Ecclesiaste [2]: *Verba sapientium sicut stimuli et quasi clavi in altum defixi; quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.* Si vis testimonium Sanctorum de istis consiliis, quaere Antonium, Paphnutium et Macarium, qui omnes statuerunt servare ista consilia. Quaere pontifices Basilium, Augustinum, Martinum et Gregorium; omnes monachi fuerunt et statuerunt servare consilia et ea servaverunt. Quaere etiam Benedictum, qui fuit abbas; quaere Dominicum, quaere Franciscum, qui omnia ista consilia statuerunt servanda. Ab Agno procedunt *lampades* [3] et sunt illuminationes ad consilia manifestanda. Scribitur: *Deus, qui glorificatus est in consilio Sanctorum;* Psalmus: *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio iustorum et congregatione.* Debemus igitur eligere bonum consiliarium.

Cavendum a malo consiliario.

17. Non sufficit tibi eligere consiliarium bonum, nisi caveas tibi a consiliario malo. Unde scribitur [4]: *A consiliario malo serva animam tuam;* et in Ecclesiastico: *Spiritus consilii mali disperdit intelligentiam.* Quis est iste spiritus? Qui convertit *magna in nihilum*, et *bona in malum*, et *certa in dubia.* Et quare *disperdit?* Dico, quod *intelligentia* est ad hoc, quod processus de dubio veniat in certitudinem; igitur, quando aliquis ducit in dubium, tunc facit cadere intelligentiam. — Primo, dico, consiliarius malus est, qui *magna convertit in nihilum*, sicut qui dicunt, consilia Dei esse mala et nulla. Tales consiliarii fuerunt Pharisaei et Legisperiti, de quibus dicitur [5]: *Pharisaei et Legisperiti spreverunt Dei consilium.* Utinam nulli sint modo tales! — Dicet aliquis: « laudas mihi, quod sequar consilia et intrem religionem Fratrum Minorum vel Praedicatorum »? Dicit: « ordo fictitius est, de novo institutus, habet signa exteriora ». Ulterius dicit: « parum est spernere temporalia; non possumus ea dimittere. Quare debemus dimittere ista pauca bona? Quid valet nuditas pedum? *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia* [6] ». — Carissimi! quantumcumque sit ordo fictitius et novus, est tamen bonus. Et quod dicit, quod *corporalis exercitatio ad modicum utilis est*, et parum est dimittere temporalia; dico, quod ista sunt sacrificia maxima. Venit Christus non pro parvo. Maximum est in castitate et paupertate vivere. Ista sunt sacrificia maxima, altissima et nobilissima, et tu pro nihilo reputas consilium Dei, contemnis consilium Dei in te et in aliis. Si tu non vis intrare religionem, noli prohibere alium. Gregorius [7] dicit, quod « tot a sequentibus dimissa sunt, quot a non sequentibus concupisci poterunt ». Ideo dixit beatus Petrus: *Ecce, nos reliquimus omnia.* Maximum est, quod homo corpus suum in perpetuam servitutem redigat. *Holocaustum medullatum* est propriam voluntatem in potestatem alterius ponere. Quando illud facio propter Deum, valet plus quam totus mundus. Contra illos qui loquuntur contra consilia Dei, dicitur in Proverbiis [8]: *Vocavi, et renuistis; despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis; propter hoc in interitu vestro ridebo.* — Canis, quando iacet in paleis et non vult manducare, non permittit, quod alius manducet. Ita isti nolunt intrare religionem nec permittunt, alios intrare. — Igitur primus consiliarius malus est, qui magna convertit in nihilum.

Exemplum mali consiliarii.

Improbatur.

Simile.

Tripler consilium malum.

De primo malo consiliario.

18. Alius consiliarius malus est, qui *bona convertit in malum.* Psalmus [9]: *Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire; quoniam pones eos dorsum* etc. Malum est, quando aliquis dicit aliquid, unde consilium Christi possit reputari malum; sicut quando aliquis reprobat consilium introeundi sanctam religionem. Stultum, periculosum, perniciosum et temerarium est, illud quod Christus dixit bonum in malum convertere. De ingressione religionis dicunt aliqui, quod unum calceamentum non competit omnibus pedibus; sed religio imponit unam regulam omnibus. Si dicis hoc, dicis, Christum esse stultum et Apostolos. Dicit etiam: *Nemo, mittens manum ad aratrum* Dei et *respiciens retro, aptus est regno*

De secundo.

Exemplum huius.

---

[1] Vide supra pag. 126, nota 2. Allegatur Matth. 8, 20: Vulpes etc. Ibid. 19, 21: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus... et veni, sequere me. Luc. 12, 33: Vendite quae possidetis et date eleemosynam. Matth. 11, 29: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.

[2] Cap. 12, 11.

[3] Cfr. Apoc. 4, 5. et 5, 6. — Seq. locus est Ps. 88, 8. Ibid. 110, 1: Confitebor etc.

[4] Eccli. 37, 9. Vulgata omittit *malo*, in versione Syriacae translationis habetur *iniquo*. — Seq. locus est ibid. 32, 22: Vir consilii non disperiet intelligentiam (per oppositionem ad haec formavit S. Bonav. textum).

[5] Luc. 7, 30.

[6] Epist. I. Tim. 4, 8.

[7] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2. Cfr. supra pag. 125, nota 2. — Seq. locus est Matth. 19, 27. Epist. I. Cor. 9, 27: Castigo corpus meum et in servitutem redigo. Ps. 65, 15: Holocausta medullata offeram tibi etc. Vide supra Quaest. disput. de Perfectione evang. q. 2. a. 1. fundam. 22. verba Gregorii. Ibid. et in seq. art. aliae multae obiectiones, quae a Guilelmo a S. Amore et sociis contra Mendicantes proferebantur, solide solvuntur.

[8] Cap. 1, 24-26.

[9] Psalm. 20, 12. seq.

Digitized by Google

Dei[1]; et beatus Petrus dicit: *Melius est viam iustitiae non cognoscere quam post agnitionem retrorsum converti.* — Carissimi! dico: si posset fieri calceamentum, ad quod posset quilibet pes informari, illud calceamentum posset fieri omnibus. Quilibet potest se informare ad regulam religionis, quia aliter fit iuveni, aliter seni, aliter forti, aliter debili. Unde dicit Augustinus[2]: « Distribuatur unicuique vestrum a praeposito vestro victus et tegumentum, non aequaliter omnibus, quia non aequaliter valetis omnes, sed potius unicuique, sicut opus fuerit ». Unde in Ecclesiastico: *Inuice pedem tuum in vincula illius et in torques illius collum tuum. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriae. Decor enim vitae est in illa, et vincula illius alligatura salutaris.* — Dices: « dare medicinam purgatoriam, non praeparatoriam, hoc est fatuum ». Dico, quod religio habet medicinam purgatoriam et praeparatoriam, quia contemperat se secundum *posse* recipientium. — Dicis, quod « est periculum *in falsis fratribus*[3] ». Hoc non dictum est de religiosis, sed de falsis fratribus christianis, nondum religiosis. — Dices: « multi cadunt, et beatus Petrus dicit: *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti* ». Non debes cadere cum cadentibus, sed stare cum stantibus.

Reprobatur.

Alia tria mala consilia reprobantur.

19. Tertius consiliarius malus est, qui *certa deducit in dubium.* Unde dicitur in Esdra[4], quod venerunt quidam, qui fuerunt trans fluvium, ad Iudaeos et dixerunt: *Quis dedit vobis consilium, ut domum hanc aedificaretis et muros eius instauraretis?* Iudaei habuerunt consilia Dei et Prophetarum; tamen isti trans fluvium venerunt dare consilium, nescierunt tamen, quid ageretur in Ierusalem. — Nesciunt aliqui, quid agatur in religione, et tamen volunt dare consilium et dicunt volenti intrare: « quid vis facere? Attende divinum beneplacitum: Melius est esse in voluntate Dei quam *in manu consilii*[5] ». — Per istam viam si vis exspectare, donec Dominus revelet tibi, et non vis facere quod sancta Scriptura et sancti viri dicunt tibi, et quod Christus inspirat tibi, semper poteris esse in bivio. De tali dicitur: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* Debet homo sequi consilia sanctorum Benedicti et aliorum. Non debet adducere consiliarios novos, sed sequi consilium Christi, cuius vita est certa forma vivendi. Si dicat religiosus: « non est salus nisi apud nos »; male dicit. Non debet se tantum laudare, quod alios reprobet. Potest stare pro religione sua, ita quod non excedat in modo dicendi et suadendi. Qui sic sequitur consilium habebit gaudium. Unde in Proverbiis[6]: *Qui pacis iniunt consilia, sequitur eos gaudium* in aeternum, ad quod nos perducat qui cum Patre etc.

De tertio.

Malum consilium.

Reprobatur.

COLLATIO VIII.

De dono intellectus.

Summarium. — *Introductio; utile est omnibus audire verbum Dei*, 1. — *Expositio textus, in quo innititur dispositio ex parte hoc donum suscipientis, et liberalis diffusio ex parte dantis. Primo per modum prooemii agitur de* triplici dispositione ex parte suscipientis, 2. — *Prima est vitae sanctimonia*, 3. — *Secunda, mansuetudinis tractabilitas*, 4. — *Tertia, intelligentiae captivatio*, 5. — De liberalitate ex parte dantis. *A prima intelligentia est omnis radiositas intelligentiae; notantur specialiter tres, quarum duae priores exponuntur*, 6. — Pars I. De intellectu, qui est regula circumspectionum moralium. *Oportet, quod homo dirigatur secundum divinas regulas, ut hoc donum recipiat*, 7. — *Intellectus tria docet: primo, quid evitandum*, 8. — *Secundo, quid exsequendum*, 9. — *Tertio, quid exspectandum*, 10. — *Haec confirmantur per Scripturam*, 11. — Pars II. De intellectu, qui est iuma considerationum scientialium. *Hic habet triplicem radicem*, 12. — *Primo, partim est a dictamine naturae*, 13. — *Secundo, partim a frequentia experientiae*, 14. — *Tertio, partim ex illustratione lucis aeternae; triplex certitudo; haec illuminatio iuvatur per Angelos; Deus causa essendi in numero ut principium, ordo vivendi ut donum infusum, ratio intelligendi ut sol intelligentiae*, 15. — *Contra haec tria sunt tres errores, scilicet de aeternitate mundi, de necessitate fatali et de unitate intellectus*, 16-19. — *Quomodo differant tres intellectus*, 20.

Introductio.

1. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*[7]. — *Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.* In secundo verbo ostendit Salomon, quod utile est audire verbum Dei;

[1] Luc. 9, 62. — Seq. locus est II. Petri 2, 21.

[2] In Regula ad servos Dei, n. 1. Secuti sumus textum originalem; codd. hanc sententiam minus distincte exhibent. — Quae inferius alligantur ex Eccli. habentur c. 6, 25. 30. et 31.

[3] Epist. II. Cor. 11, 26. — Seq. locus est II. Petr. 2, 21.

[4] Libr. I. 5, 3.

[5] Eccli. 15, 14: Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. — Seq. locus est Iac. 1, 8.

[6] Cap. 12, 20.

[7] Psalm. 15, 7. — Seq. locus est Prov. 1, 5.

Digitized by Google

Utile est verbum Dei audire.

et ratio est, quia in auditu verbi Dei proficit et ille qui intelligit, et similiter ille qui non intelligit: ergo et *sapientes* et *simplices* ire debent ad audiendum verbum Dei. Quod sapientes proficiant audiendo verbum Dei, patet, quia dicit, quod *audiens sapiens* sapientiam *sapientior erit*. Item, quod proficiant simplices audiendo verbum Dei, patet, quia dicitur in Psalmo[1]: *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis. Parvulus* appellatur hic qui propter mediocritatem scientiae suae *parvulus* dicitur, sicut parvam animam dicitur habere qui pauca novit, et similiter *magni intellectus* dicitur qui multa novit. *Parvulus* etiam dicitur qui humiliter se habet, etsi multa noverit et sit multum intelligens. Unde in Evangelio[2] dicitur: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*, id est humilibus. — Nihil enim tam obscurat intellectum in his quae Dei sunt, sicut praesumtio. Omnes laudamus humilitatem et vituperamus praesumtionem; pauci tamen immunes sunt a praesumtione. Dicit Richardus de sancto Victore, quod « disputando contra superbiam homo frequenter superbit ». Ecce, quod fortis deceptor decipit multos. Nullus potest illuminare corda hominum, nisi ille qui novit conscientias hominum. In principio rogemus Deum etc.

Contra praesumtionem.

2. *Benedicam Dominum etc.* Istud breve verbum est ipsius David per Spiritum sanctum explicantis nobis ipsum donum *intellectus*[3] datum nobis a Spiritu sancto, et explicat ipsum nobis quantum ad *suscipientis gratitudinem humilem* et quantum ad *dantis diffusionem liberalem. Suscipientis gratitudo humilis* notatur, cum dicit: *Benedicam Dominum*; *dantis liberalis diffusio* notatur, cum subdit: *Qui tribuit mihi intellectum.* Donum istud requirit, hominem esse gratum Deo, et facit, quod homo recognoscat *se ipsum* et *donum* et *doni principium*; et intelligendo *doni principium* recognoscat homo *se ipsum*, et sic gratias agat. Et tunc *benedicit Deum* et refundit puritudinem doni in ipsum auctorem doni et ipsum laudat et dantem non impugnat. — Disponimus autem nos ad suscipiendum istud donum per tria: primo, per *vitae sanctimoniam*; secundo, per *mansuetudinis tractabilitatem*; et tertio, per *intelligentiae captivationem*, ut benedicamus auctorem istius doni.

In textu duo notantur.

Dispositio per tria.

3. Primo, dico, disponimus nos ad recipiendum istud donum intellectus per *vitae sanctimoniam*; unde Isaias[4]: *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte et avulsos ab uberibus.* — *Lac* significat dulcedinem delectationum carnalium, qua dulcedine pascuntur carnales et infantes, id est, qui sequuntur motus infantiles. Et quamdiu homo coniunctus est istis consolationibus carnalibus, dicitur *lactans* et non est idoneus ad suscipiendum solidum cibum vitae et intellectus. Si volumus benedicere Deum et recipere istud donum, oportet, quod simus avulsi ab istis consolationibus et sequestremus nos a lacte concupiscentiarum. De Daniele[5] et sociis eius, qui continentes erant, dicitur, quod *dedit eis Deus scientiam et disciplinam in omni libro et sapientia.* Delectatio circa tactum impugnat maxime istud donum, ebrietas ex parte anteriori et luxuria ex parte posteriori.

Primo.

4. Secundo disponitur homo ad recipiendum istud donum per *mansuetudinis tractabilitatem.* Unde in Ecclesiastico[6]: *Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas.* Concupiscentia obnubilat intellectum, et furor impedit intelligentiam, quia « impedit ira animum, ne possit cernere verum ». — Philosophus dicit, quod, « quiescendo anima fit prudens et sciens ». Quando aqua est quieta, tunc homo videt in ea bene faciem suam; sed quando est turbata, tunc nihil potest in ea videre. Ita, quando homo est in ira, tunc non videt veritatem. Contentiosi intelligentiam impediunt in se et in aliis. Iratus etiam pertinaciter defendit falsum. Unde Legislator mitissimus fuit. Dicit Isaias[7]: *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Homo tractabilis addiscit et fit mitis.

Secunda.

5. Tertio disponitur homo ad donum intellectus digne suscipiendum per *intelligentiae captivationem.* Unde Isaias[8] secundum translationem Septuaginta dicit: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et Augustinus dicit: « Nisi homo captivet intellectum suum et sequatur per fidem ea quae audit, non disponitur ad donum intellectus ». Et Apostolus[9] dicit: *Captivantes intellectum in obsequium Christi.* Qui secundum lucem intelligentiae suae vult sacram Scripturam indagare, cogitat errores falsissimos. In vita ista summus parvuli, et « oportet addiscentem credere[10] »;

Tertia.

Notandum.

---

[1] Psalm. 118, 130.

[2] Matth. 11, 25. — Sententia Richardi habetur in eius libro Benjamin minor, c. 46.

[3] De hoc dono cfr. III. Sent. d. 35. q. 3.

[4] Cap. 28, 9. Cfr. Hieron. in hunc locum. Hebr. 5, 12. seqq.: Et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiae; parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

[5] Cap. 1, 17. — De delectatione circa tactum cfr. Aristot., III. Ethic. c. 10; VII. c. 4. et c. 7.

[6] Cap. 5, 13. — Seq. sententia: Impedit ira etc., habetur inter Disticha de moribus vulgo Catoni adscripta (Ed. secunda Arntzenii, Amstelaedami 1754), lib. II. n. 4. (pag. 154); sententia Aristot. in VII. Phys. text. 20. (c. 3.); cfr. supra pag. 449, nota 4.

[7] Cap. 28, 19. — Num. 12, 3: Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.

[8] Cap. 7, 9. Cfr. supra pag. 306, nota 4, ubi etiam locus Augustini indicatur, ex quo seq. sententia August. colligi potest. Vide etiam in Ioan. Evang. tr. 29. n. 6; Serm. 91. (alias 234. de Tempore) c. 6. n. 6. et Serm. 126. (alias 32. ex Homiliis 50) c. 4. n. 4. seqq.; Enarrat. in Ps. 118. serm. 18. n. 3; 83 Qq. q. 48.

[9] Epist. II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum etc.

[10] Aristot., I. Elench. c. 2.

Deo enim oportet credere et maxime in sublimibus, quae transcendunt intelligentiam nostram. Primus Angelus erravit, quia praesumsit de se. — *Concupiscibilis* deordinata impedit istud donum; similiter et *irascibilis*, quando est deordinata; sed quando *rationalis* est deordinata, maxime impedit istud donum. Oportet igitur, quod captivemus intellectum nostrum, si volumus suscipere istud donum. Furibundus est qui omnia despicit; non est dispositus ad suscipiendum istud donum nec praesumtuosus. Oportet igitur, quod captivemus intellectum nostrum, quia qui plus credit scire frequenter minus scit. — Per ista tria disponitur homo ad digne suscipiendum donum intellectus. Patet modo primum, scilicet *suscipientis humilis gratitudo.*

Impedimenta 3.

6. Sequitur *liberalitas ex parte dantis*, quae tangitur, cum dicit: *Qui tribuit mihi intellectum.* Deus det mihi aliquid dicere et tribuat mihi intellectum ad dicendum aliquid congruum de isto dono intellectus. — Omnis radiositas intelligentiae ab illo fonte intelligentiae venit. Et licet multiformis sit radiositas intelligentiae, volo tamen ad praesens dicere de tribus, scilicet quod intellectus est *regula circumspectionum moralium, ianua considerationum scientialium et clavis contemplationum caelestium;* et iste est donum [1].

Argumentum collationis.

Divisio eiusdem.

7. Primo incipiam ab illo qui est *regula circumspectionum moralium.* Oportet enim, te esse morigeratum, si vis habere istud donum intellectus. Psalmus [2]: *Intellectum dabo tibi et instruam te in via hac, qua gradieris; firmabo super te oculos meos. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Dominus promittit nobis istum intellectum et ostendit nobis, qualiter debemus ipsum recipere. — *Firmabo*, inquit, *super te oculos meos.* Divina complacentia acceptat quod facimus approbando in praesenti et remunerando in futuro. Si vis regulari secundum istam regulam, caveas tibi, quod non sis bestialis, sed regularis: non dirigaris secundum impetum sensus, sed secundum iudicium rationis; non secundum phantasmata bestialia, sed secundum iudicia intellectualia. Aliter accidet tibi quod accidit Adae, qui, contempta regula veritatis, secutus est instinctum mulieris, et mulier secuta est instinctum serpentis. Psalmus [3]: *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.* Factus est homo brutalis et subiectus passionibus.

Pars I. De intellectu et regula circumspectionum moralium.

Regula generalis.

8. Iste intellectus prudentialis est, quo instruitur homo secundum dictamen divinae legis ad cognoscendum, quid *evitandum*, quia omne malum; quid *exsequendum*, quia omne bonum; et quid *exspectandum*, quia summum bonum. — Primo, dicit, intellectus prudentialis docet, quid *evitandum*, quia omne malum. Unde dicit Sapiens [4]: *Si sapientiam invocaveris et inclinaveris cor tuum prudentiae et quaesieris eam quasi pecuniam et sicut thesauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini et scientiam Dei invenies.* Qui intellectum istum vult habere, debet ipsum quaerere cum *desiderio* cordis et *studiositate* operis; et quid tunc invenies? Certe, *timorem Domini et scientiam Dei.* Quod omnis homo, qui vult dirigi in bonum, debet timere Deum, ut vitet omne malum; dicit Psalmus [5]: *Sanctum*, inquit, *et terribile numen eius; initium sapientiae timor Domini; intellectus bonus omnibus facientibus eum. Ecce, timor Domini sapientia, et recedere a malo prudentia*, dicit sapiens. — Igitur intellectus prudentialis docet primo, quid evitandum, quia omne malum.

Docet tria.

Primo, quid evitandum.

Notandum.

9. Secundo docet, quid *exsequendum*, quia omne bonum secundum viam *interioris cogitatus* et *exterioris operationis.* Scribitur in Iosue [6]: *Non declines a lege;* sequitur: *ut intelligas cuncta, quae agis. Sapientia callidi est intelligere viam suam, et imprudentia stultorum errans.* Scribitur: *Si est tibi intellectus, responde proximo tuo; si non, sit manus tua super os tuum.* Et in libro Sapientiae: *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu.* Deus enim vult, quod omnia agamus rationabiliter. Et beatus Ambrosius [7] dicit, quod nihil agere nec loqui debemus de eo, de quo non possimus reddere rationem. — Ista est secunda pars intellectus moralis. Dicit Salomon: *Omni negotio tempus est et opportunitas.*

Secundo, quid exsequendum.

10. Tertio instruit intellectus prudentialis, quid *exspectandum*, quia summum bonum. Unde in Proverbiis [8]: *Gemma gratissima exspectatio postulantis; quocumque se vertit, prudenter intelligit.* In omnibus, quae dirigunt intelligentiam nostram in agendis et in vitandis, debet homo uti consilio *finis.* Oportet enim, quod homo aliquid exspectet in eo quod agit. Si intendis *temporale* commodum, vilem mercedem exspectas. *Grata*, immo *gratissima gemma* est bonum *aeternum.* Unde in Baruch [9]: *Disce, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul, ubi sit longitudo vitae et victus, ubi sit lumen oculorum et pax.* — Dicit: *ut scias, ubi sit longitudo vitae et victus, lumen oculorum et pax.* Et ubi est? Certe, *longitudo dierum in dextera eius* [10]; et Psalmus dicit: *Apud te*

Tertio, quid exspectandum.

---

[1] Cfr. supra in Hexaem. collat. 3. n. 1.

[2] Psalm. 31, 8. et 9.

[3] Psalm. 48, 13.

[4] Prov. 2, 3-5.

[5] Psalm. 110, 9. et 10. — Seq. locus est Iob 28, 28. Pro *prudentia* Vulgata *intelligentia.*

[6] Cap. 1, 7. — Seq. locus est Prov. 14, 8: Sapientia callidi etc; tertius est Eccli. 5, 14; quartus Sap. 1, 5.

[7] Cfr. I. de Officiis ministr. c. 2. n. 5; c. 3. n. 13. seq.; c. 10. n. 35; c. 22. n. 99. et 24. n. 105. seqq.; Enarrat. in Ps. 36, 30. n. 66. et 68; in Ps. 38, 2. n. 5. et in Ps. 118, 9. serm. 2. n. 5. — Seq. locus est Eccle. 8, 6.

[8] Cap. 17, 8.

[9] Cap. 3, 14.

[10] Prov. 3, 16. — Seq. locus est Ps. 35, 10.

Digitized by Google

est fons vitae etc. Si *lumen oculorum* habetis, prudenter agetis.

Haec confirmantur.

11. Hic est intellectus prudentialis triplex, et qui non habet istum intellectum rectificari non potest. Unde scribitur [1]: *Gens absque consilio est et sine prudentia; utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent.* Tangit tres partes intelligentiae, scilicet *memoriam praeteritorum, intelligentiam praesentium* et *circumspectionem futurorum.* — Intellectus iste est regula *circumspectionum moralium* cum desiderio cordis et prosecutione operis, ut homo consideret, quid sit vitandum, quid agendum, et quid exspectandum. Deus enim dat istum intellectum, et est donum Dei. Unde Psalmus [2]: *Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac, qua gradieris.*

Epilogus.

Pars II. De intellectu et suprema consideratione scientialium.

12. Alius est intellectus, qui est *ianua considerationum scientialium*, de quo dicitur in Ecclesiastico [3]: *In thesauris sapientiae intellectus* etc.; hoc est dicere, quod thesauri absconditi scientiae vel consistunt in cognitione *causarum altissimarum*, vel *conclusionum*, vel *principiorum.* Et oportet fodere per studium veritatis, ut homo ad istum thesaurum perveniat. — Iste intellectus, qui est ianua considerationum scientialium, partim est a *dictamine naturae*, id est a lumine *interiori;* partim ex *frequentia experientiae*, sicut a lumine *exteriori;* et partim ex *illustratione lucis aeternae*, sicut a lumine *superiori.*

Triplex ipsius origo.

Primo pars est a dictamine naturae.

13. Quod sit partim ex dictamine naturae, patet in Ecclesiastico [4], ubi dicitur: *Deus de terra creavit hominem*, scilicet quantum ad corpus, *et secundum imaginem suam fecit illum*, scilicet quantum ad animam. Sequitur: *Creavit ex ipso adiutorium simile sibi; consilium et linguam et oculos et aures et cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos.* Dat intelligere, quod anima humana tres habet operationes, secundum quod est eius potentia et operatio. « Omnis anima nobilis tres habet operationes [5] », quibus se convertit super *corpus suum*, super *se* et ad *divina.* Aliquando convertit se super *corpus:* habet linguam ad loquendum, aures ad audiendum etc.; aliquando convertit se super *se;* aliquando ad *intelligendum et cognoscendum Deum.* — Et hoc est secundum triplicem consideationem animae; consideratur enim anima ut *forma* et perfectio corporis, ut *hoc aliquid* [6] et ut *imago.* — Quod autem iste intellectus sit partim a *dictamine naturae*, patet in Adam, quia omnibus rebus nomina imposuit [7]. Sed quod Deus eum *replevit disciplina intellectus*, istud fuit privilegium eius; unde non est in nobis. Anima autem nostra habet supra se quoddam lumen naturae signatum, per quod habilis est ad cognoscenda prima principia, sed illud solum non sufficit, quia, secundum Philosophum [8], « principia cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus ». Quando enim scio, quid totum, quid pars; statim scio, quod « omne totum maius est sua parte ».

Secundo, partim ex experientia.

14. Secundo dico, quod partim est a *frequentia experientiae;* in Ecclesiastico [9]: *Vir in multis expertus cognascet multa.* Philosophus: « Ex multis *sensibus* fit una *memoria;* ex multis *memoriis* fit una *experientia;* ex multis *experientiis* fit unum universale, quod est principium artis et scientiae ».

Tertio, partim ex illustratione divinae sapientiae.

15. Et quantumcunque homo habeat *naturale iudicatorium* bonum et cum hoc *frequentiam experientiae*, non sufficiunt, nisi sit *illustratio per divinam influentiam.* Unde dicitur in Daniele [10]: *Dat sapientiam sapientibus et scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse revelat profunda et abscondita et novit in tenebris constituta; et lux cum eo est.* Tangit certitudinem *sapientialem, scientialem* et *intellectualem.* Sed unde est ista certitudo? Certe a Deo. Certitudinem sapientialem tangit, cum dicit: *Ipse revelat profunda.* Apostolus: *Ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei.* Lux ista pura est et *est cum eo;* unde in Iohanne: *Ipse est lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Nullus certitudinaliter illuminatur nisi per ipsum. Et Augustinus decimo quarto de Trinitate [11] quaerit, unde hoc, quod impius bene iudicat aliquando; unde quaerit: « Ubi scriptae sunt illae leges iustitiae, secundum quas iudicat bene impius »? Et respondet, quod « scriptae sunt in libro lucis aeternae, et non migrando, sed imprimendo descendunt in animam, sicut imago anuli, quae cerae imprimi-

Triplex certitudo.

Notandum.

---

[1] Deut. 32, 28. et 29. — De seq. propositione cfr. supra pag. 90, nota 1.

[2] Psalm. 31, 8.

[3] Cap. 1, 26. — De seq. propositione cfr. supra pag. 356, nota 2. et Aristot., I. Poster. c. 2. — De triplici lumine cfr. opusculum de Reductione artium ad theolog. n. 1.

[4] Cap. 17, 1. et 5.

[5] Secundum auctorem libri de Causis, propos. 3. Vide supra 442, nota 5. — In seqq. codd. ordinem propositionum confundunt, et B aliqua omittit. Adhibita ed. Vaticana, quae hanc collationem interserit collationi 3. in Hexaëm., ordinem restituimus et pauca verba supplevimus.

[6] Cfr. supra pag. 227, nota 3.

[7] Vide Gen. 2, 19. De isto actu cfr. II. Sent. littera Magistri, d. XXIII. c. 3. et Comment. ibid. a. 2. q. 1. ac dub. 3. — Subinde respicitur Ps. 4, 7: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.

[8] Cfr. supra pag. 49, nota 1. — De dignitate: Omne totum etc., vide supra pag. 303, nota 6. — In hoc numero 13. A est valde confusus et corruptus; secuti sumus meliorem B, adiunctis tamen nonnullis ex A. Idem prorsus docetur supra Quaest. disp. de Scientia Christi q. 4. in fine corp. et infra in Serm.: *Unus est magister* etc., post medium.

[9] Cap. 34, 9. — De sententia Philosophi vide supra pag. 21, nota 10.

[10] Cap. 2, 21. seq. — Seq. locus est II. Cor. 4, 6; tertius Ioan. 1, 9. De certitudine sapientiali etc. vide supra in Hexaëm. collat. 7. n. 1.

[11] Cap. 15. n. 21; cfr. supra pag. 17, nota 10. et pag. 23, nota 6. et 7.

tur, anulum non relinquit » etc. — Haec autem illuminatio invatur per Angelos; in Daniele[1] dicitur: *Factum est autem, cum viderem ego Daniel visionem et quaererem intelligentiam; ecce, stetit in conspectu meo quasi species viri* etc.; *et clamavit et ait: Gabriel, fac intelligere istum visionem.* Visiones istae descenderunt a Patre luminum, et Angelus adiuvat intellectum Danielis, ut capiat lucem Dei et per hanc intelligat. Dicit Glossa, quod intellectus per naturam habet vim intelligendi, secundum quod discernitur homo a pecore; sed solus Deus illuminat perfecte. Verum est, quod homo ministerialiter et adminiculative per Angelum instruitur, sicut patuit in Daniele; sed effective solus Deus habet potestatem super ipsam animam rationalem, quia ipsa immediate a Deo formatur. Ipse enim illuminat omnem hominem. Unde Angelus sic illuminat, sicut ille qui fenestram aperit, dicitur illuminare domum. « Solus enim habet cathedram in caelis qui docet hominem in terris ». — Unde non est verum quod dicunt philosophi, quod una Intelligentia aliam creat, quia *creare* est omnipotentis Dei, non alicuius virtutis creatae; unde illius lucis, quae est actus purus, est hoc facere. Dixit Paulus in Actibus Apostolorum[2]: *In ipso vivimus et movemur et sumus;* et dicit Augustinus, quod Apostolus non loquitur ibi de vita corporali, sed de vita intellectuali. Unde loquitur ibi de Deo, secundum quod est omnibus « causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi ». *Causa* est *essendi* immediate producens omnia perpetua, mediate vero temporalia, immediate tamen per virtutes elementares. *Ratio* autem *intelligendi* est, quia certificantur per ipsum intelligentiae super transmutabilitatem naturae. Si omnes creaturae impugnarent, Deus tamen est amandus; nec Deus potest facere, quin sit amandus. Corruptis omnibus, remanet certitudo veritatis. Est etiam Deus *ordo vivendi;* nisi donum Spiritus sancti inhabitat in homine, non regetur secundum regulam rectae vitae. — Secundum quod Deus est *causa essendi*, intrat in animam ut principium; secundum vero quod est *ordo vivendi*, intrat in animam ut donum infusum; secundum quod est *ratio intelligendi*, intrat in animam ut sol intelligentiae. Iste est sol, qui omnes illuminat; a quo aliqui aberrant, secundum quod dicunt impii in libro Sapientiae[3]: *Ergo erravimus a via veritatis et iustitiae; lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis* etc.

Notandum. Error philosophorum. Deus triplex causa. Notandum.

16. Tres sunt errores cavendi in scientiis, qui sacram Scripturam et fidem christianam et omnem sapientiam exterminant; quorum unus est contra *causam essendi*, alius contra *rationem intelligendi*, et tertius contra *ordinem vivendi*[4]. Error contra causam essendi est de aeternitate mundi, ut ponere mundum aeternum. Error contra rationem intelligendi est de necessitate fatali, sicut ponere, quod omnia eveniunt de necessitate. Tertius est de unitate intellectus humani, sicut ponere, quod unus est intellectus in omnibus. — Isti errores significantur in Apocalypsi in numero nominis bestiae. Dicitur ibi[5], quod habuit nomen, cuius numerus sexcenti sexaginta sex, qui est numerus cyclicus. Primi fundant se super circulum motus et temporis; secundi, supra motum siderum; tertii, supra Intelligentiam unam, dicendo, quod ingreditur et egreditur in corpus. — Totum istud est falsum. Primus error refellitur per id quod scriptum est in veteri testamento: *In principio creavit Deus caelum et terram*[6]. Secun

Errores 3 cavendi. Significantur in Scriptura. Refellitur.

---

[1] Cap. 8, 15. et 16. (Aliquae edd. Vulgatae *istam* pro *istum*). — Glossa inferius allegata est in Ps. 118, 73. et est secundum August. (cfr. supra pag. 348, nota 7.), ad cuius mentem est etiam seq. sententia: Solus enim habet etc. Cfr. supra pag. 324, nota 2. et pag. 331, nota 6. De opinione philosophorum respectu intelligentiae vide supra pag. 338, nota 2. in fine.

[2] Cap. 17, 28. — August., XIV. de Trin. c. 12. n. 16: Et quidem *non longe positus ab unoquoque nostrum*, sicut Apostolus [Act. 17, 27. et 28.] dicit, adiungens: *In illo enim vivimus et movemur et sumus.* Quod si secundum corpus diceret, etiam de isto corporeo mundo posset intelligi. Nam et in illo secundum corpus vivimus, movemur et sumus. Unde secundum mentem, quae facta est ad eius imaginem, debet hoc accipi, excellentiore quodam eodemque non visibili, sed intelligibili modo. Nam quid non est in ipso, de quo divine scriptum est [Rom. 11, 36.]: *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia?* Cfr. supra pag. 349, nota 8, ubi etiam de seq. sententia: causa essendi etc.

[3] Cap. 5, 6. seq.

[4] Vide supra in Hexaem. collat. 6. n. 2. seqq. et collat. 7. n. 1. seq.

[5] Cap. 13, 17. et 18: Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiae, aut numerum nominis. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiae. Numerus enim hominis est; et numerus eius sexcenti sexaginta sex. — Secundum Boeth., II. Arithmet. c. 30, numerus *cyclicus* vel sphaericus est ille qui in multiplicatione apparet tanquam terminus multiplicationis; v. g. « quinquies quinque, qui fit 25, ab 5 progressus, in eosdem 5 desinit. Et si hos rursum quinquies ducas, in eosdem 5 eorum terminus veniet. Quinquies enim 25 fiunt 125 » etc. Hoc modo *non accipitur* hic numerus *cyclicus;* Bonelli in sua ed. huius opusculi de Septem Donis Sp. S. pro *qui est numerus cyclicus* habet: *in quo sunt tres circulationes.* Rupert. abbas Tuitiens., in praenotatum locum Apoc.: *Et numerus eius sexcenti sexaginta sex*, ait: « Ecce, senarius numerus tertio repetitus, immo in decuplum atque inde in centuplum multiplicatus est ». Subinde ostendit, quod in hac triplicatione senarii, qui est numerus creaturarum et specialiter *hominis* (sexto die creati), significetur malitia multiplicata satanae; nam ipse primo peccavit, hominem seduxit et in antichristo malitiam suam complebit. Richard. a S. Vict., IV. super Apoc. c. 5. ait: Sex perfectionem significant. Possumus autem per *senarium* minimam perfectionem accipere, et per *sexagenarium* mediocrem, et per *sexcentenarium* maximam et consummatam perfectionem intelligere. Merito itaque tali numero describitur, qui et in omni gradu malorum perfecte malignus, et in omni gradu bonorum bonitati perfecte contrarius invenitur etc. Cfr. Bonelli, tom. II. Supplement. oper. S. Bonav. col. 608 n. 985, ubi eadem explicatio datur in Comment. in Apoc. S. Bonaventurae erroneo tributo. — In col. B ea quae hic sequuntur desiderantur.

[6] Gen. 1, 1. seqq.

Digitized by Google

dum errorem secundum nihil est de libero arbitrio, nihil valet crux Christi. Secundum tertium non est differentia in merito et praemio, si una est anima Christi et Iudae proditoris. Totum est haereticum.

Contra errorem primum.

17. Primus, dico, error destruit *causam essendi:* quia tu sentis, Deum esse causam omnium aut secundum *partem*, aut secundum *totum*. Si secundum *partem:* ergo aufers Deo suam principalitatem causandi. Si secundum *totum:* ergo cuiuscumque alterius Deus est causa: ergo producit illud non de se ipso, non de aliquo alio, quia nihil est: ergo de nihilo [1]. — Item, sequitur secundum istum errorem, quod res habuit simul *esse* et *non-esse*, et quod *esse* ante *non-esse;* et multa alia inconvenientia. Unde certum est, quod Deus omnia creavit. Et ideo dixit illa bona mulier filio suo in libro Machabaeorum [2], quod respiceret omnia, *quia de nihilo ea creavit Deus.*

Contra secundum.

18. Secundus error est de necessitate fatali, sicut de constellationibus: si homo sit natus in tali constellatione, de necessitate erit latro, vel malus, vel bonus. Istud evacuat liberum arbitrium et meritum et praemium: quia, si homo facit ex necessitate quod facit, quid valet libertas arbitrii? Quid meretur? — Sequitur etiam, quod Deus sit origo omnium malorum. Verum est, quod aliqua dispositio relinquitur ex stellis; sed tamen solus Deus principatur animae rationali. Dicit Ieremias [3]: *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum.* Opprobrium sempiternum habebunt qui sic errant.

Contra tertium.

19. Tertius error est pessimus, qui comprehendit utrumque. Aliqui insani male intellexerunt de intellectu. Unde quidam dixerunt, quod esset *ignis;* quidam, quod *aqua;* isti reprobati sunt per philosophos [4]. — Quod iste intellectus sit unus in omnibus, istud est contra radicem distinctionis et individuationis, quia in diversis intellectus habet *esse* distinctum: ergo habet principia suae essentiae propria et distincta et individuantia. — Quod alii dicunt, quod una Intelligentia irradiat super omnes; istud est impossibile; quia nulla creatura istud potest. Unde hoc est solius Dei.

De differentia trium intellectuum.

20. « Omnis substantia intellectualis est sciens et rediens supra se reditione completa [5] ». Unde omnis substantia intellectualis intelligit se et diligit et iudicat. Unde habet rationem speculi et lucem super illud radiantem. Et hoc quidem verum est in Deo, et tam in Angelo quam in homine; sed differenter: quia in Deo idem sunt *speculum* et *lux* ipsa *re*, sed differunt *ratione*. In Angelo autem differunt *ratione* et *natura* [6], sed non *tempore*, quia non potest intelligere plus quam intelligat, quia « intelligentia plena est formis [7] ». Sed in homine differunt et *ratione* et *natura* et *tempore*, quia homo non statim intelligit, cum potest intelligere. Sic ergo intellectus humanus habet rationem *apprehendentis* et *iudicantis*, intellectum *possibilem* et *agentem;* nec potest iste intellectus sufficiender illuminari sine adminiculo superioris et altioris lucis, quia Sapiens [8] dicit: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam* etc.; et Philosophus dicit: « Sicut se habet oculus vespertilionis ad lucem solis, sic se habet intellectus noster ad manifestissima naturae ».

De tertio intellectu, scilicet qui est *clavis contemplationum caelestium*, longum esset dicere [9]. Rogabimus Dominum etc.

COLLATIO IX.

De dono sapientiae.

Summarium. — *Introductio*, 1. — *Explicatio textus; duplex sapientia cum subdivisione*, 2. 3. — *Evacuanda sapientia falsa, appetenda vera*, 4. — Pars I. Sapientia desursum descendens triplici suo effectu aedificat domum Dei. *Lux descendit ad tres potentias animae; primo, ad intellectivam illuminandam*, 5. — *Secundo, ad affectivam laetificandam*, 6. — *Tertio, ad operativam corroborandam*, 7. —

---

[1] Cfr. supra Breviloq. p. II. c. 1.

[2] Libr. II. 7, 28: Peto, nate, ut aspicias ad caelum et terram et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.

[3] Cap. 20, 11. Cfr. II. Sent. d. 14. p. II. a. 2. q. 3.

[4] Cfr. Aristot., I. de Anima, text. 19. seqq. (c. 2. seqq.). Ibid. text. 20. insinuatur, quod « Democritus quidem ignem quendam et calorem dicit esse ipsam [animam; cfr. text. 30.], et text. 32, quod « magis autem onerosorum quidam [ipsam animam] et aquam existimaverunt, ut Hippo ». — Seq. opinio (Averrois) refellitur II. Sent. d. 18. a. 2. q. 1. — In codd. corrupte legitur: *hoc est contra radicem distinctum* (!). Adiecimus textui verba *distinctionis et individuationis, quia in diversis intellectus habet esse* (cfr. loc. cit. in corp. et ad 1.).

[5] Secundum auctorem libri de Causis, propos. 15, supra pag. 215, nota 1. allegatum. Cfr. supra in Hexaëm. collat. 2. n. 10.

[6] Praecedentia septem verba supplevimus ex Bonelli (in hac collat.). Verba *non tempore* referuntur ad *species innatas*, quin excludatur nova *actualis cognitio*, ut explicatur II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. in corp. et ad 1.

[7] Ut ait auctor libri de Causis, propos. 10; cfr. supra pag. 299, nota 5. — De speculo et luce cfr. supra in Hexaëm. collat. 5. n. 23. seqq. et collat. 12. n. 2. seqq.

[8] Sap. 9, 15. — De sententia Philosophi vide supra pag. 309, nota 2. De intellectu possibili et agente cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1.

[9] De ipso sive de tertio membro divisionis (vide supra n. 6.) agit S. Doctor in Hexaëm. collat. 3. n. 1. seqq., ubi auctor se refert ad ea quae in hac collatione dixerat.

Digitized by Google

Sic aedificat Ecclesiam et animam, ut sit domus Dei; in qua requiruntur septem columnae insinuatae a Iacobo, 8. — Pars II. De septem domus Dei columnis; *hae enumerantur*, 9. — *Prima columna est pudicitia in carne*, 10. — *Secunda, innocentia in mente*, 11. — *Tertia, modestia in sermone*, 12. — *Quarta, suadibilitas in affectu*, 13. — *Quinta, liberalitas in effectu; haec requiritur praesertim in praelatis*, 14. 15. — *Sexta, maturitas in iudicio; duo ad hoc requiruntur*, 16. — *Septima, simplicitas in intentione*, 17.

Introductio.

1. *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram*[1]. — *Fili, concupiscens sapientiam, conserva iustitiam, et Deus praebebit illam tibi.* Verba ultima sunt in Ecclesiastico, in quibus ostendit Ecclesiasticus, qualiter homo poterit adipisci donum sapientiae.

Conditio 1.

Verum est, quod a Deo est illud donum; sed si vis ipsum habere, oportet, te sapientiam *concupiscere*, quia non intrat sapientia in animam, nisi quae magno affectu fertur ad eam, nec negatur animae desideranti; unde in libro Sapientiae[2]: *Optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae.*

Conditio 2.

Desiderio sapientiae debet servari *iustitia*, quia non concordat sapientia inaequitati; unde dicit: *conserva iustitiam.* Inter alia haec est summa iustitia, ut homo non sit *ingratus* Deo, sed dona sibi collata refundat in datorem. Unde in Ecclesiastico[3]: *Dando mihi sapientiam dabo gloriam*, quia, si de sapientia gloriaris, hoc ipso sapientiam perdis; Ieremias: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua.* Et causa huius redditur in Ezechiele, ubi dicitur: *Tu, plenus sapientia et decore, in deliciis paradisi Dei fuisti;*

Notandum.

perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. — Haec est iustitia summa, ut demus Deo gloriam et petamus ab ipso sapientiam. Unde in Canonica Iacobi[4]: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet eam a Deo* etc., *in fide nihil haesitans.* Et quia ego loquturus de sapientia indigeo sapientia, et vos auditores similiter; ideo in principio rogemus Dominum etc.

Explicatur textus.

2. *Si consurrexistis cum Christo* etc. Verbum illud competit praesenti tempori et nostro proposito; ipsum est scriptum in Epistola, quae legitur in Missa, et est verbum Apostoli ad Colossenses[5], in quo sacer Apostolus hortatur nos *adipisci* sapientiam veram et *effugere* sapientiam vanam. Primum tangit, cum dicit: *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite* etc. Secundum tangit, cum dicit: *non quae super terram;* in quo dat intelligere, quod

Duplex aspectus, affectus et sapientia.

sicut est duplex *aspectus* animae, sic est duplex eius *affectus.* Unus aspectus eius est ad caelestia et invisibilia, alius est ad terrena et corruptibilia; ita est etiam duplex *affectus* animae: unus est aeternorum, et alius est temporalium. Sic est etiam *sapientia*, quae est *desursum*, et alia, quae est *deorsum.* Hortatur nos ad primam et dehortatur nos ad illam, quae est super terram. — Illam, quae est deorsum, describit beatus Iacobus[6] dicens: *Nolite gloriari et mali esse adversus veritatem. Non est enim haec sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Ista tota sollicitudine quaerit delectari in omni suavitate, in affluentia divitiarum saecularium et in experientia sensualium delectationum et in excellentia sive in ambitione saecularium pompositatum. In quantum facit hominem sollicitum, ut delectetur omni suavitate in affluentia *divitiarum*, est *terrena;* in quantum facit hominem sollicitum, ut delectetur in experientia sensualium *delectationum*, est *animalis;* sed in quantum facit hominem sollicitum, ut delectetur in excellentia et ambitione saecularium *pompositatum*, est *diabolica;* quia *radix omnium malorum superbia*, et principaliter dominatur in rege diabolico.

Sapientia deorsum est triplex.

Reprobatur triplex sapientia falsa a Christo.

3. De ista triplici sapientia dicit Apostolus ad Corinthios[7]: *Scriptum est: perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Illa est sapientia, de qua dicit Ieremias: *Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Ad istam sapientiam dispergendam mortuus est Christus, pauper factus, afflictus et humilis, ut nos doceret cavere ab ista. Apostolus ad Corinthios: *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* quasi dicat, quando in cruce elegit contraria sapientiae mundiali. Apostolus: *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Quod stultum est Dei sapientius est hominibus.* Tu appretiaris affluentiam divitiarum, et Christus elegit paupertatem; appretiaris experientiam sensualium delectationum, et Christus elegit acerbitatem passionis; appretiaris ambitionem saecularium pompositatum, et Christus voluit esse despectus et confusus. Et praevaluit sapientia Dei; ideo dicit: *Quod stultum est Dei sapientius*

---

[1] Col. 3, 1. et 2. — Seq. locus est Eccli. 1, 33. — De hoc dono cfr. III. Sent. d. 35. q. 1.

[2] Sap. 7, 7. — Cfr. supra in Hexaëm. collat. 2. n. 2.

[3] Eccli. 51, 23. — Seq. locus est Ier. 9, 23; tertius Ezech. 28, 12. seqq. In Vulgata interseruntur multa.

[4] Cap. 1, 5. et 6.

[5] Col. 3. 1. seq.

[6] Cap. 3, 14. 15. In fine expositionis citatur 1. Tim. 6, 10: Radix enim omnium malorum est cupiditas.

[7] Epist. I. 1, 19. In hoc textu respicitur Isai. 29, 14. — Seq. locus est Ier. 4, 22; tertius I. Cor. 1, 20; ibid. v. 21: Placuit Deo etc.; et v. 25: Quod stultum est etc.

Digitized by Google

est hominibus. Salomon in Proverbiis[1] dicit: *Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam et non novi sapientiam Sanctorum.* Stultus fuit Christus apparentia exteriori, quando recessit ab appetitu stultorum; stultior, quando voluit affligi; stultissimus vero, quando morbum crucis elegit et turpissima morte mortuus est. — Haec est *sapientia Sanctorum.* Apostolus[2]: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae,* quia *non in sapientia carnali, sed in sapientia Dei conversati sumus in hoc mundo.* Apostolus: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Et ad Philippenses dicit: *Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est,* propter sapientiam *animalem; et gloria in confusione ipsorum,* propter sapientiam *diabolicam; qui terrena sapiunt,* scilicet propter sapientiam *terrenam.*

Item, ab Apostolo.

4. *Non* ergo sapiatis *quae sunt super terram,* quia crucifixus est Christus, ut istam sapientiam evacuaret; et sicut mortuus est Christus, ut *vanam* sapientiam evacuaret et perderet; ita resurrexit et ascendit, ut *veram* sapientiam doceret et in cordibus nostris stabiliret. In cruce docuit sapientiam mundi spernere, et in caelum vadens docuit sapientiam Dei appetere et fontem vitae diligere. Omnis sapientia mundi est spernere ista. Maxima autem stultitia est mortem Christi evacuare; quod faciunt qui sapiunt *quae sunt super terram;* ideo oportet sapientiam istam evacuare et sapientiam, quae *desursum* est, appetere.

Admonitio.

5. Sed quae est sapientia, quae est *desursum?* Dicit Sapiens in Ecclesiaste[3]: *Vidi, quod tantum praecederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris.* Ergo dat intelligere, quod sapientia est lux; lux, inquam, *descendens desursum a Patre luminum,* a quo *omne datum optimum et omne donum perfectum.* Lux ista descendit ad nostram potentiam *cognitivam illuminandam,* ad nostram *affectivam laetificandam* et ad nostram *operativam corroborandam.* Descendit a summo Deo in intellectum, ab intellectu in affectum et usque ad infimum, scilicet operationem. — Quod sit lux descendens ad nostram potentiam *intellectivam illuminandam;* patet, quia scribitur in libro Sapientiae[4], quod *est candor lucis aeternae, speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest, et in se permanens omnia innovat et per nationes in animas sanctas se transfert et amicos Dei et prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi cum qui cum sapientia inhabitat. Est enim haec speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum, huic comparata invenitur prior.* Merito sapientia *sedes Dei* dicitur, et anima sic descripta, quae pulcrior est caelo, immo toto universo, sedes Dei est.

Pars I. De sapientiae, quae est desursum, effectu.

Est lux cum triplici effectu.

Primo, illuminat intellectivam.

6. Secundo descendit sapientia desursum tanquam lux ad nostram *affectivam laetificandam.* Unde in Ecclesiastico[5]: *Vinum et musica laetificant cor, et super utrumque dilectio sapientiae.* — *Vinum et musica laetificant cor,* scilicet ab exteriori et secundum *species impressas,* quae non sunt ipsa *veritas,* sed *similitudo* quaedam rei, nec implent animam et non vere, sed phantastice laetificant. Sed ubi est unia secundum *veritatem,* ibi est iucunditas, ubi veritas illabitur animae et eam replet et laetificat. De ista sapientia dicit Sapiens[6]: *Hanc amavi et praeposui illam regnis et sedibus et divitias nihil esse duxi in comparatione illius; super salutem et speciem dilexi illam. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa et innumerabilis honestas per manus illius; et laetatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia.* Philosophus dicit, quod sapientia maximas habet delectationes. Si magnum est *illustrari* sapientia, plus est *laetificari,* in quantum diligit principium suum.

Secundo, laetificat affectum.

7. Tertio descendit sapientia desursum tanquam lux ad nostram *operativam corroborandam.* Unde in Ecclesiaste[7]: *Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis.* Nota, quod nulla virtus subcaelestis, nec terrena nec humana, vel caelestis sive angelica, tantum corroborat animam, sicut supercaelestis sapientia. Unde in libro Sapientiae: *Sapientia intravit in animam servi Dei, et stetit contra reges. Certamen forte dedit illi, ut vinceret et sciret, quoniam omnium potentior est sapientia.*

Tertio, corroborat operativam.

8. Et sic haec sapientia aedificat Ecclesiam et animam, ut sit habitaculum Dei et *domus Dei,* domus, dico, *amoena,* domus *pulcra* et domus *robusta.* Dicitur in Matthaeo[8]: *Omnis, qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra firmam petram.* Domus ista principaliter aedificatur a sapientia; unde in Proverbiis: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Certum est, quod sapientia delectatur esse cum hominibus; unde dicit: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* Quod autem

Aedificat domum Dei.

---

[1] Cap. 30, 2. et 3. — Inferius respicitur Sap. 2, 20: Morte turpissima condemnemus eum.

[2] Epist. II. Cor. 1, 12. — Seq. locus est I. Cor. 3, 18; tertius Phil. 3, 18. et 19; ibid. habentur etiam verba: qui terrena sapiunt.

[3] Cap. 2, 13. — Seq. locus est Iac. 1, 17.

[4] Cap. 7, 26-29.

[5] Cap. 40, 20. — De seq. propositione cfr. supra pag. 382, nota 7. et pag. 387, nota 4; cfr. I. Sent. d. 1. a. 3. q. 2.

[6] Cap. 8, 2. ubi verba: *Hanc amari,* cetera habentur ibid. 7, 8. 10. et 11. — Sententia Philosophi habetur X. Ethic. c. 7. Cfr. ibid. VI. c. 12, ubi docet, sapientiam efficere felicitatem.

[7] Cap. 7, 20. — Seq. locus est Sap. 10, 16; ibid. v. 12: Certamen etc.

[8] Cap. 7, 24. — Seq. locus est Prov. 9, 1; ibid. 8, 31: Deliciae etc.

Digitized by Google

sapientia non habitet nobiscum, non est defectus ex parte sui, sed ex parte nostra. Si volumus, quod lux praedicta habitet in nobis; oportet, quod habeamus *columnas septem*. — Sed quae sunt septem columnae huius domus? Nunquid eas fabricabo de capite meo? Absit; sacra Scriptura satis explicat eas. Ubi igitur inveniamus eas? Beatus Iacobus[1], describens sapientiam, quae desursum est, ponit septem eius conditiones dicens: *Primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione*. Si posset ista vobis explicare, non crederem perdere verba mea, immo darem vobis magnam viam ad sapientiam.

Requiruntur septem columnae.

9. Istae columnae non sunt nisi gradus quidam ad sapientiam. Collige septem columnas. Prima est *pudicitia* in carne; secunda est *innocentia* in mente; tertia est *moderantia* in sermone; quarta est *suadibilitas* in affectu, et quinta est *liberalitas* in effectu; sexta est *maioritas* in iudicio, et septima est *simplicitas* in intentione. Per ista stabilitur domus sapientiae.

Pars II. De septem columnis huius domus.

10. Prima, dico, columna domus sapientiae est *pudicitia* in carne; unde dicit: *Primum quidem pudica est*. Quare ista est prima? Quia haec est, qua oportet incipere; scribitur enim in libro Sapientiae[2]: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Corpus immundum est *subditum peccatis*; ideo sapientia in eo non potest habitare. Dicitur in libro Sapientiae: *Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*. — Gregorius Nazianzenus fuit inventus mundissimus. Accidit, quod studebat Athenis. Quadam nocte, cum dormiret, venit ad eum domina pulcherrima, habens duas pedissequas tanquam virgines; ipse incepit eam repellere. Et dixit domina: « non fugias me, quia non veni ad te corrumpendum. Sum sapientia, et duae pedissequae sunt *humilitas* et *castitas* sive pudicitia. Si vis me, quae sum sapientia, serva pedissequas istas, scilicet humilitatem et castitatem, quia *ubi fuerit superbia, ibi erit contumelia; ubi autem est humilitas, ibi est sapientia* »[3]. Vera virginitas est, in qua sapientia associatur. Humilitas cum pudicitia est principalis columna sapientiae. Dicit Salomon[4]: *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens*; et alibi: *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes et arguent sensatos*. Exemplum tractabile habes in illo Salomone, qui apostatavit propter mulieres usque ad cultum idolatriae; qui tamen *repletus fuit sapientia sicut fluvius*. Si esset taberna, in qua venderetur vinum, quod induceret omnis sapientiae oblivionem; credo, quod nullus esset ita fatuus, quod emeret vinum illud. Credo, quod Deus aeternus altissima sui consilii dispensatione permisit Salomon cadere, ut omnes homines doceret fugere mulieres.

Columna prima.

Exemplum.

11. Secunda columna domus sapientiae est *innocentia* in mente; quod notatur, cum dicit: *deinde pacifica*. Augustinus[5] dicit, quod « pax est tranquillitas ordinis », scilicet, quando quis humiliter subiicit se *superiori*, aequanimiter se habeat ad *parem* et discrete praesit *inferiori*. Omnes, qui sunt filii sapientiae, habent hunc ordinem. Dicitur in Ecclesiastico: *Filii sapientiae, ecclesia iustorum*. Unde bellum? Si diligeres parem, obedires superiori et praeesses ordinate inferiori; haberes pacem. Qui istam pacem perturbat destruit domum sapientiae. Scribitur in Proverbis[6]: *Qui patiens est multa gubernatur sapientia; qui impatiens est exaltat stultitiam suam*, et sic pervertit domum sapientiae. Beatus Iacobus: *Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae*.

Secunda.

12. Tertia columna domus sapientiae est *moderantia* in sermone; et hoc notatur, cum dicit: *modesta*. Super omnia exigitur moderantia in *sermone*; unde in Ecclesiastico[7]: *Homo sapiens tacebit usque*

Tertia.

---

[1] Cap. 3, 17: Quae autem desursum est sapientia primum etc. In cod. A additur, sed corrupte: *Aliqua addunt « sine simulatione » addere (?); et hoc falsum est, ut patebit*. Videtur hic insinuari illa non infrequens lectio, quae, omissa particula *non*, unit *sine simulatione* cum verbo *iudicans*. Cfr. Bonelli, Supplem. III. col. 492, nota f.

[2] Cap. 1, 4. Ibid. 8, 21. est seq. locus.

[3] Prov. 11, 2. — Narratio de Gregorio est in quodam prologo Ruffini in libros S. Gregorii, qui invenitur in ed. operum S. Gregorii Naz. ex versione Iac. Billii (Venet. 1753) tom. I. col. 649 seq. (in ed. Migne hic prologus, sicuti etiam orationes seqq., quae a Ruffino presbytero in Latinum translatae dicuntur, tanquam opera spuria iudicantur et orationes praedictae Phoebadio, episcopo Aginnensi, ascribuntur). In isto Prologo legitur: « Athenis et altus et eruditus [Gregorius] ut pauci. Nec tamen in conversatione scholari, vel aetatis vel sodalium illecebris cedens, prodidit pudicitiam... Denique cum philosophiae studis apud Athenas floreret, vidit per soporem sedenti sibi et legenti duas decoras satis dextra laevaque feminas consedisse. Quas ille castitatis instinctu oculo torviore respiciens, quaenam essent et quid sibi vellent, percunctabatur. At illae... aiunt: Ne moleste accipias, iuvenis, notae tibi satis et familiares sumus. Altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur; et missae sumus a Domino tecum habitare, quia iucundum nobis et satis mundum in corde tuo habitaculum praeparasti ». Baronius in vita S. Gregorii Naz. (apud Bolland. die 9 Mail) c. 1. n. 10. et 11. huius visionis mentionem facit, sed addit, duas puellas se appellasse *castitatem* et *temperantiam*. Cfr. Petrus de Natalibus, episcopus Equilinus, Catalog. Sanctorum lib. II. c. 69. de Gregor. Naz., ubi haec visio refertur alio modo, qui minus discrepat ab illo quo exhibetur a S. Bonav., ut notat Bonelli, Supplem. tom. III. col. 489, nota c.

[4] Prov. 20, 1. — Seq. locus est Eccli. 19, 2. Deinde respicitur ibid. 47, 16. De Salomone cfr. III. Reg. 11, 1. seqq.

[5] Libr. XIX. de Civ. Dei, c. 13. n. 1: Pax omnium rerum tranquillitas ordinis. — Seq. locus est Eccli. 3, 4.

[6] Cap. 14, 29. — Seq. locus est Iac. 3, 13.

[7] Cap. 20, 7. — Seq. locus (Omni negotio etc.) est Eccle. 8, 6.

Digitized by Google

ad tempus, lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. Omni negotio tempus est et opportunitas. Nonne summa est insipientia, ut homo cum eodem gladio transverberet se ipsum et proximum suum? Sermo malus est necans audientem et dicentem. Non potes detrahere proximo, quin te ipsum interficias eodem gladio. Si dico verbum scandalizationis, non possum laedere te, nisi et laedam me. Tanta est vicinitas taciturnitatis et sapientiae, quod *stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur*[1]; et sapiens, qui multum loquitur, reputatur stultus. Uno verbo possum dicere detractionem, propter hoc oportet *verbis facere stateram*. Unde summe caveuda est inmoderantia sermonis. — Sermo enim instrumentum est expressivum sapientiae, et ideo moveri debet secundum regulam sapientiae. Unde scribitur[2]: *Verba oris sapientis, gratia;* et Apostolus: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* Mirabile est, cum homines sedent ad mensam, ut se spiritualiter reficiant, et unus diabolus loquitur de temporalibus et de detractionibus et omnes, qui sunt in mensa, pascit illo veneno. *Mors et vita in manu linguae*[3]. Si mulier tacuisset, quando diabolus dixit ei: *Quare praecepit vobis Deus, ut non comederetis* de ligno scientiae boni et mali? non lobuisset diabolus occasionem ipsam amplius tentandi. Et philosophi etiam docuerunt discipulos suos, ut tacerent; Cato: « Virtutum primam puto esse compescere linguam ». Credo, quod peccata linguae tanta sunt, quod mundus satis habet facere pro illis tantum, si Deus exsurgeret ad iudicandum ea[4].

Regula sermonis.

13. Quarta columna domus sapientiae est, quod est *suadibilitas* in affectu; quod notatur, cum dicit: *suadibilis, bonis consentiens.* Non est qui sit suadibilis in bono, nisi sit benignus; et hoc etiam concordat cum sapientia. Malignus suadibilis est in malo. Scribitur[5]: *Benignus est spiritus sapientiae, et non liberabit maledicum a labiis suis.* Suadibilitas bona facit appretiari et diligere et eis consentit; et quanto sapientior est homo, tanto suadibilior est in bonis. Unde in Proverbiis: *Inauris aurea et margarita fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem.* Sicut inauris ornat aurem, et margarita in corona ornat faciem; sic verbum bonum ornat sapientem. Quando sapiens arguitur, se habet, ac si ornaretur. Si enim corrigo me ad verbum admonitionis bonae, quid aliud facio, quam quod illo verbo me orno? Si tamen haec margarita proponitur stultae, conculcat eam ut canis. Unde in Proverbiis[6]: *Noli arguere derisorem, ne oderit te; argue sapientem, et diliget te.* Carissimi! *melius est a sapiente corripi quam stultorum adulatione decipi.* Stultus, quando corripitur, non recedit a malo nec ducitur ad bonum. Qui defectus suos cognoscit, et isti displicent ei, est sapiens. Qui hominem arguit et a malo revocat plus facit ei obsequii, quam si daret ei totum mundum.

Quarta.

14. Quinta columna domus sapientiae est *liberalitas* in effectu. Sapientia vult habere misericordiam non solum in *affectu*, sed etiam in *effectu*. Haec notatur, cum dicit: *plena misericordia et fructibus bonis. A fructibus eorum cognoscetis eos*[7]. Unde in Proverbiis dicitur: *Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem. Os suum aperuit sapientiae, et lex clementiae in lingua eius. De fructu manuum suarum* dedit inopi. Docet Sapientia, quod homo faciat opera non indicra, sed fructuosa, quia *bonorum laborum gloriosus est fructus.* Inter omnia fructuosa opera magis fructuosa sunt opera misericordiae. Date igitur de fructibus manuum vestrarum.

Quinta.

15. Istam misericordiam debent habere qui praeficiuntur ad gubernationem aliorum; unde in Actibus[8]: *Considerate ergo, fratres, ex vobis viros boni testimonii, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus ad hoc opus* dispensandum. Non esset sapiens dispensator, qui furaretur bona Dei. Si aliquid daretur tibi ad dispensandum familiae, et tu furareris et poneres in bursa tua; nonne credis, quod clamaret contra te familia domini et te diceret pessimum dispensatorem, et diceret dominus: *Servum inutilem eiicite in tenebras exteriores*[9]? Maior sapientia, quae possit esse, est, quod dispensator fructuose expendat quae habet dispensare, et tradita sunt ei ad dispensandum. Talis fuit beatus Stephanus et Laurentius. Pontifices summi in primitiva Ecclesia non vacabant istis terrenis; modo curatur de rebus temporalibus habendis, non dispensandis. Dicit: *plena misericordia*; Apostolus[10]: *Quae seminaverit homo, haec et metet.* Si dominus daret servo bladum ad seminandum agrum suum, et ille poneret bladum in sacco et non seminaret; male fructificaret terra, immo clamaret contra eum. Sicut *misericordia* amica est sapientiae, sic *avaritia* est inimica. Avari derident omnes, qui non amant pecuniam. In Deuteronomio[11]: *Munera excaecant oculos sapientum et mu-*

Requiritur in praelatis.

---

[1] Prov. 17, 28. — Mox respicitur Eccli. 28, 29: Verbis suis facito stateram.

[2] Eccle. 10, 12. — Seq. locus est Eph. 4, 29.

[3] Prov. 18, 21. — Subinde respicitur Gen. 3, 1: Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Seq. sententia est Catonis, I. Distich. (cfr. supra pag. 494, nota 6.) distich. 3. (pag. 50).

[4] Iob 31, 14: Quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus?

[5] Sap. 1, 6. — Seq. locus est Prov. 25, 12.

[6] Cap. 9, 8. — Seq. locus est Eccle. 7, 6.

[7] Matth. 7, 16. et 20. — Seq. locus est Prov. 31, 20. et 26, et v. 16: De fructu manuum suarum *plantavit vineam;* tertius Sap. 3, 15.

[8] Cap. 6, 3.

[9] Matth. 25, 30. — De primitiva Ecclesia cfr. Act. 6, 2. seqq.

[10] Gal. 6, 8. — Superius in A deest tota propositio: *Pontifices.* Auctor videtur loqui de Apostolis, sive de *pontificibus* sive episcopis in genere.

[11] Cap. 16, 19. — Seq. locus est Matth. 19, 24.

Digitized by Google

tant verba iustorum. — *Excaecant oculos,* non corporales, sed spirituales; ergo auferunt lumen sapientiae. Scriptum est: *Facilius est, camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum caelorum,* quia habet cor terrenum et ponderosum.

16. Sexta columna domus sapientiae est *maturitas* in iudicio; et hoc notatur, cum dicitur: *non iudicans.* Maturitas est in iudicio, quando homo non iudicat temerarie. Unde in Ecclesiastico [1]: *Iudex sapiens iudicabit populum suum,* scilicet super quem *habet auctoritatem.* Sed si transcendat auctoritatem, non est iudex sapiens, sed est iudicium temerarium. Si sine auctoritate iudicat, quid est? Certe nihil. Oportet etiam, iudicium sapientis habere *zeli rectitudinem* et *notitiae claritatem.* De *primo* [2]: *Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium.* Iudex iustus est qui iusto zelo movetur, omnia bona approbat et mala reprobat; qui vero non habet rectum zelum non potest bene iudicare. Amor et odium pervertunt iudicium. Si odis me, non potes me recte iudicare; et quare? Quia videtur tibi, quod omnia, quae sunt in me, mala sint. — Item apparet, quod iudex habeat *notitiae claritatem.* Quomodo iudicarem bene de re ignota? Unde cum amici Iob arguerent eum, quod non esset iustus, dicentes: Deus iustus iustum non punit; et te tamen punit: ergo non es iustus; voluerunt iudicare de occultis. Iob, audiens haec, respondit eis dicens [3]: *Convertimini et venite, et non inveniam in vobis ullum sapientem.* Ideo dicit beatus Iacobus: *non iudicans,* non quod homo non debeat iudicare loco et tempore de re, de qua habet certitudinem et auctoritatem et rectum zelum; sed quia iudicant homines malum bonum, et econtra bonum malum. Melius est, si debeam iudicare de alio, quod sentiam bene quam male. Debet homo esse promior ad clementer excusandum quam ad male iudicandum. Omnes modo sunt iudicatores *iniquarum cogitationum* [4]. Debet igitur homo non *transcendere auctoritatem* nec temerarie iudicare sine *zeli rectitudine* et *notitiae claritate.* Matthaeus: *Nolite iudicare, ut non iudicemini.* Quod homines defectus alienos intrinsecos iudicant et se negligunt, summa stultitia est. Gregorius: « Animus, quanto curiosior est ad investigandum aliena, tanto stultior est ad cognoscendum propria ».

Sexta. Conditio 1. Conditio 2. Conditio 3.

17. Septima et ultima columna sapientiae est *simplicitas* in intentione, quae notatur, cum dicit: *sine simulatione.* De ista dicitur [5], quod *rex Salomon fecit thronum de ebore grandem,* et fecit in eo *sex gradus.* Aliae columnae sunt *in gyro,* sed ista est *principalissima* et *in summitate.* De ista loquitur Apostolus dicens: *Quae sursum sunt quaerite;* et in Ecclesiaste: *Quid habet amplius sapiens a stulto, et quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita?* Certe, *ubi est Christus,* et cum apparuerit Christus, apparebit vita. — Sed ubi est Christus? Certe, sursum in caelo; Apostolus: *Quae sursum sunt quaerite.* Igitur in caelo est Christus et vita. Christus *fons sapientiae,* ipse est huius doni fundamentum et complementum. Apostolus ut *sapiens architectus* dicit [6]: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Ut dicit quaedam Glossa, homo contrario modo se habet arbori in radice; arbor enim habet radicem deorsum, homo sursum; et aedificium spirituale habet fundamentum sursum, sed corporale deorsum; Christus igitur est huius doni *fundamentum.* Idem est etiam eius *complementum,* quia in ipso *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* [7]. In ipso consummatur domus sapientiae. Unde dicitur in Ecclesiaste: *Sapientis oculi in capite eius,* id est in Christo; *stultus in tenebris ambulat.* In Christo est consummatio omnis boni. Unde in Ioanne: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum.* Illa *quae sursum sunt,* debemus desiderare, videre et facere; et ad ea nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen.

Septima. Christus vita et fons sapientiae. Item, fundamentum et complementum ipsius.

EXPLICIUNT COLLATIONES DE DONIS SPIRITUS S.

---

[1] Cap. 10, 1.

[2] Psalm. 36, 30.

[3] Cap. 17, 10. Ibid. 29, 16: Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. — Inferius respicitur Isai. 5, 20: Qui dicitis malum bonum et bonum malum.

[4] Iac. 2, 4: Nonne iudicatis apud vosmetipsos et facti estis iudices cogitationum iniquarum? — Seq. locus est Matth. 7, 1. Sententia Gregorii insinuatur in III. Moral. c. 31. n. 60: Sicque fit, ut, dum ad aliena diiudicanda mens ducitur, proprii iudicii lumine privetur, et eo durius contra aliena superbiat, quo sua negligentius ignorat.

[5] Libr. III. Reg. 10, 18. et 19. — Seq. locus est Col. 3, 1; tertius Eccle. 6, 8. Subinde respicitur Col. 3, 4.: Ubi Christus est in dextera Dei sedens; et 4: Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.

[6] Epist. I. Cor. 3, 11. et v. 10: Ut sapiens architectus fundamentum posui. — De Glossa eiusque expositione (sumta ex August. in Ps. 29. enarrat. 2. n. 10. (cfr. supra pag. 438, nota 2.) vide tom. IV. pag. 583, nota 1. Verba Glossae in B corrupta et in A omissa supplevimus ex Bonelli in fine eiusdem collationis.

[7] Col. 2, 3. — Seq locus est Eccle. 2, 14; tertius Ioan. 17, 3.

Digitized by Google

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

COLLATIONES

DE DECEM PRAECEPTIS

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLATIO I.

De quatuor motivis ad observantiam divinorum praeceptorum inducentibus et de decalogo in genere.

SUMMARIUM. — *Introductio, numero* 1. — Pars I. De motivis observantiae. *Quatuor movent ad observandas praecepta*, 2. — *Primo, auctoritas mandantis, et quidem triplici ratione, scilicet quia nos creat, gubernat et salvat*, 3-5. — *Secundo, utilitas observationis triplex, scilicet impetratio charismatum, revelatio Scripturarum et assecutio praemiorum*, 6-9. — *Tertio, periculum transgressionis triplex, quia non observans multa bona perdit, in nefanda flagitia ruit et aeterna supplicia meretur*, 10-12. — *Duo ultima confirmantur per Scripturam*, 13. — *Quarto, irreprehensibilitas mandatorum, monstrata tripliciter, quia non continent aliquid impossibile nec onerosum nec iniquum*, 14-17. — *Conclusio primae partis*, 18. — Pars II. De decalogo in genere. *De mandato primo et magno, quod est summa totius Legis*, 19. — *Decem praecepta sunt fundamenta omnium legum et praeceptorum; ipsa enumerantur*, 20. — *Omnis lex non mandat nisi duplicem institiam, scilicet quae ordinat ad Deum et ad proximum; hinc duae tabulae*, 21. — *Tabula prima cum tribus praeceptis, quae appropriantur tribus personis divinis*, 22. — *Tabula secunda cum septem aliis*, 23. 24.

Introductio

1. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Verba ista scripta sunt in Matthaeo[1] et sunt verba Salvatoris nostri, in quibus explicatur nobis summa totius nostrae salutis quantum ad duo: primo, quantum ad *praemium* retributionis aeternae; ibi: *Si vis ad vitam ingredi;* secundo, quantum ad *meritum* operationis humanae, ibi: *serva mandata.* Et est hic rectus ordo, quia finis movet agentem, ut se exerceat in debitum finem[2]. — Sequamur igitur formam istius magni Magistri; et antequam de istis *praeceptis* aliquid dicamus, prius dicamus de *observantiis praeceptorum.*

Pars I. De motivis observandae. Sunt quatuor.

2. Praemittit Dominus *motivum*, postea subiungit *actum*, per quem possumus devenire in debitum finem. Et notandum, quod sunt quatuor, quae nos movent ad observandum mandata Dei. Primum est *auctoritas* sive dignitas mandantis; secundum est *utilitas* observationis; tertium est transgressionis *periculum;* quartum est *irreprehensibilitas* mandatorum. Quoniam igitur ille qui mandat, praecepta observari[3], est magnae auctoritatis, et observatio mandatorum est magnae utilitatis, et in transgressione magnum consistit periculum, et irreprehensibile est mandatum; ideo nullus est, qui possit habere excusationem de observatione mandatorum.

De primo motivo.

3. Primum igitur movere nos debet ad observandum mandata Dei *auctoritas* mandantis: quia Deus est, qui mandat, observari praecepta. Est enim magnae auctoritatis; quod patet ex tribus: primo, quia ipse sua magna potentia nos *creat;* secundo, quia nos sua mira sapientia regit et *gubernat;* tertio, quia sua munifica benevolentia nos *salvat.* — Primo dico, quod ille qui mandat, observari mandata Dei, est magnae auctoritatis, quia sua magna potentia nos *creat;* Iob[4]: *Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu;* et Deuteronomii undecimo: *Oculi vestri viderunt omnia opera magna Dei, quae fecit, ut custodiatis mandata eius.*

Ratio triplex.

Ratio 1.

4. Secundo, est magnae auctoritatis, quia sua mira sapientia nos *gubernat.* Unde dicit Isaias[5]: *Ego Dominus, docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas. Utinam attendisses mandata mea! facta fuisset sicut flumen pax tua.* Psalmus: *Servavi mandata tua et testimonia tua; quia omnes viae meae in conspectu tuo.*

Ratio 2.

5. Tertio, est magnae auctoritatis, quia sua munifica benevolentia nos *salvat;* Deuteronomii decimo[6]: *Et nunc, Israel, quid petit Dominus Deus tuus a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum et am-*

Ratio 3.

---

[1] Cap. 19, 17.

[2] Cfr. Aristot., II. Phys. text. 29. (c. 3.) et V. Metaph. text. 2. seq. (IV. c. 2.). — C: Et multum convenienter praemittitur motivum; quia secundum exigentiam finis est dispositio causarum, quia finis est principium in intentione agentis.

[3] Ex B supplevimus *praecepta observari*, et inferius cum ipso posuimus *consistit* pro *est.*

[4] Cap. 10, 8. — Seq. locus est Deut. 11, 7. et 8.

[5] Cap. 48, 17. et 18. — Seq. locus est Ps. 118, 168.

[6] Vers. 12. et 13.

Digitized by Google

bules in viis eius et diligas eum ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua, custodiasque mandata Domini? — *Dominus*, qui te *creavit*; *Deus*, qui te *gubernat*; *tuus*, qui te *salvat*. — Patet modo, quod ad servandum mandata Dei debet nos movere primo *auctoritas* mandantis.

De secundo motivo. Triplex utilitas.

6. Secundo debet nos movere ad observandum mandata Dei observationis *utilitas*. In servando enim mandata Dei est multiformis utilitas, quae ad tres utilitates reducitur. Prima utilitas est *impetratio* divinorum *charismatum*; secunda est *revelatio* sacrarum *Scripturarum*; tertia est *assecutio* caelestium *praemiorum*.

Prima.

7. Prima, dico, utilitas in servando mandata Dei est *impetratio* divinorum *charismatum*; unde in Ioanne[1]: *Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem meum, et dabit vobis alium paracletum.*

Secunda.

8. Secunda utilitas est *intelligentia* sacrarum *Scripturarum*; Psalmus[2]: *Super senes intellexi, quia mandata tua quaesivi.* Sed quomodo pervenimus ad intelligentiam sacrarum Scripturarum, ostendit Gregorius; unde super illud, quod discipuli, quando viderunt Iesum, ipsum non intellexerunt, sed quando audierunt ipsum loquentem, tunc ipsum intellexerunt, dicit ibi Gregorius, quod « audiendo Dei praecepta discipuli illuminati non sunt, sed faciendo ea illuminati sunt »; quia *non auditores legis* tantum, *sed factores iustificabuntur*[3]. Propter hoc dicit Iacobus in sua canonica: *Estote factores verbi Dei et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos; quia, si quis auditor est verbi Dei tantum et non factor, hic comparabitur viro considerenti vultum nativitatis suae in speculo.* Si vult homo decies vultum suum proprium in speculo, adhuc non bene cognoscet ipsum; sed si vult vultum alterius hominis extra speculum, bene cognoscit ipsum; et hoc est propter fortem impressionem speciei super organum visus secundum lineam rectam, sed in speculo non est verus intuitus. Similiter, quando homo audit verbum Dei, videtur ei, quod ipsum bene intelligat, sed statim recedit; sed quando ponit ipsum ad experientiam bene operando, tunc ipsum intelligit.

Tertia.

9. Tertia utilitas observationis mandatorum Dei est *assecutio* caelestium *praemiorum*. Unde dicitur in Proverbiis[4]: *Serva mandata mea, et vives; et legem meam quasi pupillam oculi.* Haec est ratio, quare homini existenti in paradiso Deus dedit observantiam mandatorum. — Patet modo, quod ad observandum mandata Dei debet nos movere *utilitas* observationis.

De tertio motivo. Triplex periculum.

10. Tertio debet nos movere ad observantiam mandatorum transgressionis *periculum*, quia transgressor mandatorum incidit in multa pericula: primo, quia multa *bona perdit*; secundo, quia in nefanda *flagitia ruit*; tertio, quia aeterna *supplicia meretur*. — Primo, dico, debet nos movere ad servandum mandata Dei transgressionis periculum, quia transgressores multa *bona perdunt*; unde in Levitico[5]: *Si non audieritis vocem meam et non feceritis omnia mandata mea; visitabo vos in egestate et calore, qui conficiet oculos vestros et consumet animas vestras.* Dicit: *Visitabo vos in egestate*; ecce, omnium bonorum privatio; *et calore, qui conficiet oculos vestros et consumet animas vestras*, quia excaecat intellectum veri et aufert affectum boni; et propter hoc in persona transgressoris dicit Psalmista[6]: *Deseliquit me virtus mea et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.* Primum.

Secundum.

11. Secundo, transgressores mandatorum in nefanda *flagitia ruunt*; unde in Baruch[7]: *Non obedivimus voci Domini, ut ambularemus in mandatis eius, et abivimus unusquisque in sensum cordis sui maligni.* De talibus transgressoribus dicit Psalmus: *Populus meus non audivit vocem meam, et Israel non intendit mihi, et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Tales enim transgressores dat Dominus in manus daemonum. Quod bene significatum est in Danielis tertio, ubi dicitur, quod tres pueri existentes in fornace ignis dixerunt: *Peccavimus et inique egimus et praevaricati sumus*; sequitur: *Et traditi sumus in manibus inimicorum nostrorum iniquorum et pessimorum praevaricatorumque et regi iniusto et pessimo ultra omnem terram.*

Tertium.

12. Tertio, transgressores mandatorum aeterna *supplicia promerentur*; Psalmus[8]: *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis; maledicti*, quia dicetur eis: *Ite, maledicti, in ignem aeternum*, Matthaei vigesimo quinto.

Confirmatio.

13. Ecce, observationis mira utilitas et transgressionis mira calamitas. Unde Dominus per Moysen: *En*, inquit, *propono tibi benedictionem et maledictionem: benedictionem, si mandata mea feceris; maledictionem, si non feceris.* Ponit nos Dominus in medio et operatur nobiscum mirabiliter.

---

[1] Cap. 14, 15, et 16.

[2] Psalm. 118, 100. — Sententia Gregorii, qua exponitur Luc. 24, 13. seqq., habetur II. Homil. in Evang. homil. 23, n. 2.

[3] Rom. 2, 13: Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. — Seq. locus est Iac. 1, 22. et 23.

[4] Cap. 7, 2.

[5] Cap. 26, 14. et 16: Visitabo etc.

[6] Psalm. 37, 11.

[7] Cap. 1, 18: Non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut etc. Ibid. v. 22: Et abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni. — Seq. locus est Ps. 80, 12. et 13; tertius Dan. 3, 29: Peccavimus enim et inique egimus, recedentes a te, et deliquimus in omnibus. Ibid. v. 32: Et tradidisti nos etc.

[8] Psalm. 118, 21. — Seq. locus est Matth. 25, 41: Discedite a me, maledicti etc.; tertius Deut. 11, 26-28: En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem: benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quae ego hodie praecipio vobis; maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri etc. — Locus hic omittitur in codd.

Digitized by Google

Duplex via demonstrationis.

Quando aliquis vult aliquid alii ostendere, procedit contra ipsum duplici via, scilicet per rationem *ostensivam* et per rationem *ducentem ad impossibile*[1]. Sic facit Dominus: ponit hominem in medio inter caelum et infernum; in caelo est aeterna gloria, in inferno sunt aeterna suppliria. Et quando Dominus ostendit homini gloriam paradisi, quam potest promereri servando mandata; tunc inclinat ipsum ad observantiam mandatorum per rationem *ostensivam*. Quando vero ostendit ei supplicia inferni, in quae ruet, si transgreditur mandata; tunc inclinat ipsum per rationem *ducentem ad impossibile*. — Ecce, proponit nobis maledictionem et benedictionem; dimittamus Iudae proditori maledictionem et laqueos, de quo dicitur, quod *noluit* benedictionem, et elongabitur ab eo[2]; et nos cum beato Matha recipiamus benedictionem.

Admonitio.

De quarto motivo.

14. Quarto debet nos movere ad observantiam mandatorum *irreprehensibilitas* mandatorum. Mandatum dicitur *irreprehensibile*, quando non continet aliquid *impossibile* nec aliquid *onerosum* nec aliquid *iniquum*. Sic est in mandatis Dei.

Triplex conditio.

Prima.

15. Primo, dico, sunt mandata Dei irreprehensibilia, quia non continent aliquid *impossibile*; unde in prima Ioannis[3]: *Haec est caritas Dei, ut mandata eius custodiamus, et mandata eius gravia non sunt.* Praemittit: *haec est caritas Dei*; habenti enim caritatem mandata Dei sunt facilia et suavia, sed non habenti caritatem videntur difficilia. Et ponit Augustinus exemplum de ave habente plumas et de ave sine plumis; et dicit, quod avi habenti plumas facile est volare, sed avi non habenti plumas est difficile. Similiter homini perversae voluntatis videntur mandata difficilia, quae habenti caritatem sunt facilia. Unde dicitur in Deuteronomio[4]: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non est super te nec procul positum nec in caelo situm nec trans mare positum, sed iuxta te est valde sermo, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum.*

Secunda.

16. Secundo, mandata Dei sunt irreprehensibilia, quia non continent aliquid *onerosum*, immo sunt suavia. Unde dicitur in Ecclesiastico[5]: *Nihil melius est quam timor Dei, et nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini*; Psalmus: *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum. Gaudium iusto est facere iudicium* sive iustitiam. Sed videmus, quod palato infecto ribus dulcis videtur esse amarus; similiter homini perversae voluntatis mandata Dei, quae sunt facilia et suavia, videntur difficilia.

Tertia.

17. Tertio, mandata Dei sunt irreprehensibilia, quia non continent aliquid *iniquum*; unde Apostolus[6]: *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum et iustum et bonum.* Propter hoc dicit alibi: *Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, ut sine macula serves mandatum irreprehensibile.* — Patet igitur modo *irreprehensibilitas* mandatorum.

Conclusio.

18. Coniungamus igitur ista quatuor, scilicet *auctoritatem* praecipientis, *utilitatem* observationis, transgressionis *periculum* et *irreprehensibilitatem* mandatorum; et videbimus, quod nullus est, qui se poterit excusare de observatione praeceptorum.

Pars II. De decalogo in genere.

De numero mandatorum.

19. Sed *quod est mandatum primum et magnum in Lege?* Respondet Dominus in Matthaeo[7]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus universa Lex pendet et Prophetae.* Augustinus ostendit, quod in isto verbo[8]: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est*, continetur totum hoc, quod dicitur: *Diliges Dominum Deum* etc. Debemus enim diligere Deum, quia hoc est iustum, sanctum, facile et suave. Unde Augustinus[9]: « Domine, quis mihi es? Et ego quis tibi, ut iubeas me amare te, et si non amem te, mineris mihi ingentes miserias »?

Praecepta hisce sunt fundamentum legum.

20. Ceterum decalogus sacer, qui datus est Moysi in monte Sinai, ostendit, quomodo debemus custodire mandata Dei; et volo vobis ostendere, quod sicut sunt octo partes orationis, quae sunt fundamentum omnium eorum, quae per vocem exprimi

---

[1] De hac duplici ratione cfr. Aristot., II. Prior. c. 14.

[2] Psalm. 108, 18. Cfr. August. in hunc locum. Ibid. n. 10, v. 8. « Et episcopatum eius accipiat alter », quae verba Apostolus Petrus allegavit in sua oratione de uno in locum Iudae sufficiendo, Act. 1, 20.

[3] Epist. I. 5, 3. — Sententia August. habetur Serm. 164. (alias 22. de Verbis Apostoli) c. 3. n. 7. Cfr. etiam supra pag. 187, nota 2.

[4] Cap. 30, 11-14. Vulgata plura interserit.

[5] Cap. 23, 37. — Seq. locus est Ps. 18, 11. Immediate sequitur Prov. 21, 15: Gaudium etc.

[6] Rom. 7, 12. — Seq. locus est I. Tim. 6, 13. et 14. Post *omnia* in Vulgata plura interseruntur.

[7] Cap. 22, 36-40. Cfr. Marc. 12, 28. seqq.

[8] Psalm. 72, 28. — August., I. de Moribus Eccles. cath. c. 8. n. 13. seqq., ex locis tam novi testamenti [Matth. 22. 37. et Rom. 8, 28. 35. seqq.] quam veteris [Deut. 6, 5. et Ps. 43 22.] dedicit, Deum esse summum bonum, in quod summo amore homo tendere debeat; c. 16. n. 26. hoc confirmat per verbum Ps. 72, 28: Nam enim Paulus tantum dicit, Deo nos esse debere subiunctos [I. Cor. 15, 27.], ita ut in medio, quod separet, nihil sit [Rom. 8, 35.]? Nonne et Propheta commodissime hoc et brevissime significat, cum dicit: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est?* Nonne quod ibi latissime de caritate dictum est hic uno verbo continetur, quod ait *inhaerere?* Item, quod addidit: *bonum est*, nonne ad illud respicit, quod ibi [Rom. 8, 28.] positum est: *Diligentibus Deum omnia procedunt in bonum*, ita ut una sententiola duoque verbis Propheta et vim et fructum caritatis ostendat?

[9] Libr. I. Confess. c. 5. n. 5: Quid mihi es? Miserere, ut loquor. Quid tibi sum ipse, ut amari te iubeas a me, et nisi faciam, irascaris mihi et mineris ingentes miserias?

Digitized by Google

possunt in grammatica[1], et sicut sunt decem praedicamenta, quae sunt fundamentum omnium eorum quae determinantur in dialectica; sic decem praecepta sunt fundamentum omnium legum et divinorum praeceptorum. Voluit enim Dominus, quod non sine ratione essent Moysi[2] data. — Hicam modo ista praecepta in generali:

Non habebis deos alienos.
Non assumes nomen Dei tui in vanum.
Memento, ut diem Sabbati sanctifices.
Honora patrem tuum et matrem tuam.
Non occides.
Non moechaberis.
Non furtum facies.
Non falsum testimonium dices.
Non concupisces uxorem proximi tui,
Neque aliquam rem eius.

Duplex iustitia et tabula.

21. Et notandum, quod lex omnis non mandat nisi iustitiam. Est enim lex regula iustitiae[3]; iustitia autem est, secundum quam homo habet ordinari ad Deum et ad proximum. Secundum hoc est duplex iustitia: una, qua ordinamur ad Deum; alia, qua ordinamur ad proximum; et secundum hoc datae fuerunt Moysi duae tabulae, scilicet prima et secunda. In prima continentur mandata ordinantia nos ad Deum, in secunda continentur mandata ordinantia nos ad proximum[4].

In 1. tabula tria praecepta.

22. In prima, dico, tabula continentur mandata ordinantia nos ad Deum; Deus autem est Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Patri attribuitur *maiestas*, Filio *veritas* et Spiritui sancto *bonitas*. In Patre est summa *maiestas* humiliter adoranda; in Filio est summa *veritas* fideliter asserenda; in Spiritu sancto est summa *bonitas* sincere amanda. Sed si ista tria ex aeterna ordinatione debemus facere, tunc necesse est, in prima tabula esse tria mandata secundum ista tria appropriata tribus personis divinis. In primo quidem mandato praecipitur *humilis adoratio* divinae maiestatis, cum dicitur: *Non habebis deos alienos*. In secundo mandato praecipitur *fidelis assertio* divinae veritatis, cum dicitur: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. In tertio praecipitur divinae bonitatis *sincera dilectio*, cum dicitur: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*. Ista sunt tria mandata primae tabulae.

In 2. tabula septem.

23. In secunda tabula continentur septem mandata ordinantia nos ad proximum, quae significantur per duo praecepta legis naturae[5], scilicet: hoc facias alii, quod tibi vis fieri; non facias alii, quod tibi non vis fieri. — Et secundum haec duo praecepta legis naturae accipitur duplex iustitia, quarum una est *innocentiae*, altera *beneficentiae*; et secundum istam duplicem iustitiam duplex est mandatum: primum *beneficentiae*, alterum *innocentiae*. — Mandatum *beneficentiae* est: *Honora patrem tuum et matrem tuam*. Hoc autem mandatum non solum est reverentiae, sed est etiam beneficii et obsequii; et non solum est in patre, immo in omnibus, qui[6] a patre procedunt.

Duo praecepta legis naturae et duplex iustitia et mandatum.

Mandatum beneficentiae.

Non innocentiae.

24. Mandatum autem, quod est *innocentiae*, necesse est multiplicari, quia consistit in hoc, ut homo caveat ab offensa proximi sui. Tripliciter autem contingit offendere proximum, scilicet in *animo*, *verbo* et *facto*. — Offensa autem in *facto* est tribus modis, quia potest homo offendere proximum per factum aut in *persona propria*, aut in *persona sibi conjuncta*, aut in *possessione terrena*. Et secundum hoc sunt tria mandata: *Non occides; non moechaberis; non furtum facies*. — Deinde sequitur offensa in *verbo*, contra quam est unum mandatum, scilicet *non falsum testimonium dices*. Per *falsum* autem *testimonium* significantur omnia, quae homo potest dicere contra proximum suum. — Offensa autem in *animo* duas habet radices secundum duplicem concupiscentiam, scilicet *carnis* et *oculorum*[7]. Contra concupiscentiam *carnis* est unum mandatum: *Non concupisces uxorem proximi tui*. Contra concupiscentiam *oculorum* est aliud mandatum: *non agrum neque aliquam aliam rem*. — Patet modo in generali, quae sint decem praecepta et penes quid accipiantur.

Tripliciter offensa proximi.

COLLATIO II.

De primo praecepto decalogi in specie.

Summarium. — *Introductio*, 1. 2. — *Repetitio et confirmatio secundae partis I. collationis*, 3. 4. — *De modo, quo decem praecepta tradunturur*, 5. — De primo praecepto, pars I. Explicatio litteralis verborum primi praecepti, quo tria prohibentur. *Primum praeceptum est fundamentum aliorum*, 6. —

---

[1] Scil.: nomen, pronomen, verbum, adverbium, participium, coniunctio, praepositio et interiectio. Cfr. Priscian., II. Gramm. c. 4, et supra in Hexaëm. collat. 4. n. 19. — De decem praedicamentis, scil. substantia, quantitate etc., vide supra in Hexaëm. collat. 3. n. 8.

[2] Exod. 20, 3. seqq. et Deut. 5, 7. seqq.

[3] Cfr. Aristot., I. Magn. Moral. c. 31. (c. 34.), et Cicero, I. de Legib. c. 6, ubi dicit, quod lex sit « iuris atque iniuriae regula ». — De duplici iustitia cfr. supra pag. 121, nota 3.

[4] Cfr. Isidor., Comment. sive Qq. in Exod. c. 29; supra in Hexaëm. collat. 21. n. 7-10. et III. Sent. d. 37. a. 2. q. 1-3.

[5] Vide Tob. 4, 16; Matth. 7, 12. et Luc. 6, 31. — August., de Mendacio, c. 19. n. 40: *Innocentia* est, qua nulli nocemus; *benevolentia*, qua etiam prosumus cui possumus. Cfr. XIX. de Civ. Dei, c. 16. — In seqq. secuti sumus A, paulo brevius legunt B D, adhuc brevius et corrupte edd.

[6] Vat. *quae*; sed sententia ipsa est obscure vel corrupte dicta, sed explicata infra col. 5. n. 14-15.

[7] Epist. I. Ioan. 2, 16.

Digitized by Google

Verba huius praecepti, quae continent tria, scilicet praemittenda ad cognitionem, subiungenda ad observantiam et interponenda ad integritatem, 7. 8. — *Primo, praemittenda sunt duo, scilicet notitia Creatoris et Reparatoris*, 9-13. — *Secundo, subiungenda duo, quae valent ad observantiam, scilicet timor et amor*, 14-16. — *Tertio, in medio ponenda quae valent ad integritatem mandatorum et prohibent in negativa cultum aliorum atque implicant in affirmativa cultum Dei; explicantur singula verba, quibus prohibetur triplex idololatria*, 17-20. — Pars II. Explicatio amplior secundum fidem christianam. *Prohibentur alia tria: pactiones daemonum, adinventiones errorum, perversae appretiationes mundialium naturarum*, 21. — *De pactionibus daemonum*, 22. 23. — *De adinventionibus errorum*, 24-28. — *De perversis appretiationibus mundialium naturarum*, 29.

Introductio.

1. *Ascende ad me in montem, et dabo tibi duas tabulas lapideas et Legem et mandata, quae scripsi, ut doceas filios Israel*, Exodi vigesimo quarto[1]. — *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei.* Legitur, quod beatus Gregorius, qui fuit Papa et Doctor Ecclesiae, habuit pro consuetudine, quod quando ibat ad studium legis divinae, semper dicebat ista verba: *Declinate a me* etc. Quaesitum fuit ab eo, quare hoc faceret; et respondit Petro, cui consuevit dicere secreta sua, quod experimento didicerat, quod quando cogitare voluit in lege Dei, sentiebat daemones semper sibi adversantes. In aliis autem subtilitatibus non instigant daemones, quia in ipsis non vident suum damnum; immo exspectant emolumentum. Sed quando fit mentio de documentis veritatis, per quae fugantur daemones; tunc princeps tenebrarum occurrit armatus modo per occupationes terrenas, modo per illusiones phantasticas, et nititur revocare animos hominum a studio veritatis. Verum est, quod verba ista: *Declinate a me* etc., dixit beatus Gregorius, qui virtutem habuit compescendi daemones; sed ego non sum ex illis. Ideo in principio rogemus Dominum, ut imperet daemonibus, ne nos impediant, sed ut det nobis mentes serenas ad intelligendum verba de mandatis suis.

Exemplum Gregorii.

Ascendendum est in montem.

2. *Ascende ad me* etc. Verbum illud dixit Dominus Moysi, et Moyses, audito verbo, ascendit in montem et accepit duas tabulas lapideas et Legem et mandata. In quo significatur, quod si volumus pervenire ad intelligentiam mandatorum Dei, debemus ascendere in montem, id est in eminentiam mentis; quia secundum impressionem lucis aeternae lex naturae est nobis data, et secundum illam lucem documenta legis divinae suscepimus.

Repetitio.

3. Tangebam vobis alias[2], quod certum est, quod *ens* ex se primo cadit in animam. Duplex autem est *ens*, scilicet creatum et increatum, et secundum hoc duplex est *iustitia*: una, per quam ordinamur ad ens increatum, alia, per quam ordinamur ad ens creatum. Et secundum hanc duplicem iustitiam duplex est tabula Moysi data, scilicet prima et secunda. In prima tabula continentur mandata, per quae ordinamur ad ens increatum, id est Deum. In secunda tabula continentur mandata, per quae ordinamur ad ens creatum[3], scilicet proximum.

Triplex causa in Deo.

4. Ens autem increatum est causa omnium rerum, causa, dico, *efficiens*, *formalis-exemplaris* et *finalis*, et habet potentiam, sapientiam et benevolentiam et producit omnia in *esse*. Et ista tria appropriantur tribus personis in Trinitate: *potentia* sive maiestas appropriatur Patri, *sapientia* sive veritas Filio, *benevolentia* sive bonitas Spiritui sancto[4]. Summa maiestas in Patre humiliter est adoranda, summa veritas in Filio fideliter est asserenda, et divina bonitas in Spiritu sancto sincere est amanda. — Ista dicta fuerunt de mandatis primae tabulae in generali; sed quia sermones circa mandata in *generali* dicti sunt inutiles, nisi fiant in *speciali*; ideo oportet explicare de mandatis in *speciali*. — Dictum fuit[5] in generali, quod sunt decem mandata, quorum prima tria continentur in prima tabula et septem in secunda.

Appropriatio.

Notandum.

De modo, quo praecepta tradita sunt.

5. Dicam autem vobis generale documentum: aeterna Dei sapientia, quae scripsit tabulas istas, *brevissimo* modo, *clarissimo* modo et *facillimo* modo, quo potuit, tradidit. Brevissimo quidem modo tradidit, ne oneraretur nostra memoria; clarissimo modo, ne offuscaretur nostra intelligentia; facillimo modo, ne retraheretur vel revocaretur nostra voluntas. Haec est ratio, quare per verba quanto breviora et quanto clariora et facilioria et per actus synecdochicos[6] data sunt mandata.

Pars I. Explicatio literalis.

Praeceptum 1. est fundamentum.

6. Primo igitur videamus de primo mandato. Et hic notandum, quod, sicut videmus in aliis rebus, quod primum opus est fundamentum et regula

---

[1] Vers. 12: Ascende ad me in montem, et esto ibi, daboque tibi... doceas eos. — Seq. locus est Ps. 118, 115. — Non invenimus, unde sumta sit haec de Gregorio narratio.

[2] Cfr. supra pag. 308, nota 8, verba Avicennae. Sed ad quem sermonem alium Parisiis a S. Doctore habitum respiratur, nobis non constat. — Pro *ens ex se*, quod habent clare AD, Vat. *ens per se*.

[3] Cfr. supra pag. 510, nota 4.

[4] Vide Breviloq. p. I. c. 6, et de causa formali-exemplari sive formali *extrinseca* tom. I. pag. 73, nota 7.

[5] Collat. 1. n. 20.

[6] Isidor., l. Etymolog. c. 36. n. 8: Synecdoche est conceptio, cum a parte totum, vel a toto pars intelligitur.

Digitized by Google

omnium subsequentium, sic primum mandatum est fundamentum et regula omnium aliorum mandatorum.

Verba 1. praecepti.

7. Prima verba de mandatis sunt haec[1]: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies sculptile neque similitudinem eorum quae in caelis sunt, neque quae in terris, neque eorum quae in aquis sunt. Non adorabis neque coles ea. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me.*

Ipsa continent tria.

8. Ad plenam explanationem istorum verborum concurrunt tria: quaedam pertinent ad mandati *cognitionem*, et ista debent *praemitti;* quaedam pertinent ad mandati *observantiam*, et ista debent *subiungi;* quaedam vero pertinent ad mandati *integritatem*, et ista debent *interponi*.

Primo de praemittendis ad cognitionem.

9. Primo dico, quod quaedam pertinent ad mandati *cognitionem*, et ista debent *praemitti*, quae sunt duo maxima fundamenta fidei. Primum est notitia *Creatoris*, secundum est notitia *Reparatoris*[2]; et ista sunt duo radii sive duo oculi spirituales, dirigentes nos in viam mandatorum Dei. Homo enim debet prius aperire oculos, quam ambulet; similiter debet homo prius cognoscere mandata per fidem, quam exsequatur ea per operationem. — Ad cognoscendum autem *Creatorem* dicit: *Ego Dominus Deus tuus*. In hoc, quod dicit *Dominus*, insinuat Patris potentiam. In hoc, quod dicit *Deus*, insinuat Filii sapientiam. In hoc, quod dicit *tuus*, insinuat Spiritus sancti benevolentiam sive bonitatem. In hoc autem, quod dicit *Ego*, notat identitatem essentiae, et in hoc insinuat Deum trinum et unum, Creatorem universorum.

Duplex notitia.

Primo, Creatoris.

Secundo Reparatoris.

10. Sequitur: *Qui eduxi te de terra Aegypti;* hic insinuat donum *reparationis* per Verbum incarnatum. Omnibus loquitur Dominus, quibus dedit praeceptum, et omnibus praecepta dedit, licet primo daret ipsa filiis Israel. *De domo servitutis*, id est peccati: omnes enim sumus de servitute peccati educti, qui per sanguinem Agni sumus redempti[3].

Incarnatio Trinitas.

11. Verba ista dicit tota Trinitas[4]. Dicit igitur *Ego*, scilicet cui debes obedire et quem debes diligere et adorare. Vel dicit *Ego*, qui te feci in *esse* naturae et in *esse* gratiae. Debemus igitur et nos dicere: Domine, tu es, quem debemus adorare, cui debemus servire; tu es, qui me creasti; tu es, qui me redemisti. Psalmus[5]: *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus;* sequitur: *Ipse fecit nos, et non ipsi nos. Venite, adoremus et procidamus et ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuae eius et oves manus eius.* — Haec igitur duo, scilicet notitia Creatoris et Reparatoris, praemittuntur, sine quibus nihil intelligere possumus, quia ista sunt fundamenta fidei nostrae.

Esse.

Alia adiumenta sunt necessa.

12. Ut autem intelligamus ista, oportet scire adminiculantia quaedam. Scitis, cui est prima notitia nobilis data de mandatis? Certe Moysi, qui scripsit per Spiritum sanctum. Sed quando habuit istam cognitionem? Certe, quando Dominus apparuit ei. Et qualiter apparuit ei? Certe, in igne flammae rubi ardentis. Et tunc dixit Moyses: Quis es tu, Domine? Et respondit ei Dominus: *Ego sum qui sum*[6]. Et tunc Dominus dedit ei duo lumina, scilicet lumen essentiae aeternitatis et lumen aeternae veritatis. Rubus ardebat et non comburebatur, in quo significatur nobis mysterium incarnationis[7].

De signo crucis.

13. Ista sunt duo lumina et principalia fundamenta fidei, scilicet lumen essentiae aeternitatis et lumen aeternae veritatis et cum hoc et mysterium incarnationis Salvatoris nostri. — Et quando facimus crucem in fronte in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, recognoscimus Trinitatem et cum hoc nostrum Redemptorem. Dicendo: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, recognoscit homo Trinitatem; faciendo crucem in fronte, recognoscit Redemptorem. — Patet modo, quod duo valent ad mandati cognitionem, quae debent *praemitti;* et ista sunt duo fundamenta fidei, scilicet notitia *Creatoris* et *Redemptoris*.

Secunde, de quibus debet ad observantiam.

14. Secundo sunt quaedam, quae valent ad *observantiam* mandatorum, et ista debent *subiungi*. Notandum autem hic, quod omnia mandata aut sunt *affirmativa*, aut *negativa*. *Affirmativa* quidem sunt, ut bonum faciat bonum; *negativa* vero, ut homo vitet malum. Sed impossibile est, ut homo evitet malum nisi per *timorem*, et quod faciat bonum nisi per *amorem;* et propter hoc ad observantiam mandatorum duo sunt necessaria, scilicet *timor* et *amor*[8]. —

De proprietate timor et amor.

---

[1] Exod. 20, 2-6. Vulgata in paucis verbis differt.

[2] Cfr. supra in Hexaem. collat. 8. n. 4. sequ.

[3] Cfr. 1. Petr. 1, 18. 19. — Pro praecedentibus verbis concisis Vat., refragantibus codd. et Supplemento Bonelli, habet hanc longiorem expositionem: Israel. Unde quod dicitur: *Qui eduxi te* etc., dictum est non solum Hebraeis pro ipsis quoad corporalem eductionem de Aegypto, sed generaliter pro toto genere humano quoad eductionem de Aegypto aeternae damnationis: de peccato primi hominis, ex quo educimur per Verbum incarnatum, quia, sicut illi educti sunt de Aegypto post comestionem agni paschalis, et per aspersionem sanguinis eius liberati ab Angelo exterminatore: sic nos educimur de servitute diabolico per esum carnis Verbi incarnati in Sacramento altaris et per sanguinem eius in baptismo: quia, secundum Apostolum, *quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus* [Rom. 6, 3.].

[4] Scilicet quia *ego* hic est nomen *essentiae*, non unius trium divinarum personarum; cfr. 1. Sent. d. 2. dub. 4.

[5] Psalm. 99, 3, et 94, 5-7.

[6] Exod. 3, 14.

[7] Cfr. supra nota 2.

[8] August., Enarrat. in Ps. 69. n. 13: Ad omne recte factum

Simile. Avis non potest volare sine duabus alis, nec homo potest ambulare sine duobus pedibus. Similiter non potest esse aliquis perfectus observator mandatorum Dei, nisi sit repletus *timore* et *amore*. Sed non repletur homo *timore* nisi ex consideratione severitatis divinae, nec repletur *amore* nisi ex consideratione bonitatis divinae.

Repletur timore. 15. Ista igitur duplex consideratio homini est necessaria. Et propter hoc dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me.* — *Fortis zelotes*[1], id est fortissimum habens zelum, scilicet *eorum qui oderunt me. Visitans iniquitatem patrum in filios*, non quod propter actualia peccata patrum vindicet in filios, sed cum filii sunt imitatores paternorum scelerum, tunc Dominus peccata patrum punit cum peccatis ipsorum usque ad tertiam et quartam generationem, scilicet *qui oderunt me*[2]. Hoc dicit, ut timeamus et per timorem a malo declinemus; unde in Ecclesiaste[3]: *Deum time et mandata eius observa; hoc est omnis homo*, id est, ad hoc est omnis homo. Vis mereri, ut ad summum complementum pervenias? Deum time. Sed quomodo timebo? Certe considerando, quod Dominus est fortissimus zelator.

Item, amor. 16. Item, cum hoc etiam oportet amare ipsum, quia ipse dicit de se, ut sequitur: *Et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me*; in quo ostendit nobis, quod Dei misericordia et benignitas transcendit ultionem iniquitatum. Quando cor dilatatur per amorem, tunc homo faciliter servat mandata Dei; Psalmus[4]: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Omnis consummationis vidi finem; latum mandatum tuum nimis.* Dicit, quod via mandatorum Dei est lata, tamen quibusdam videtur esse arcta. Certe amantibus est lata; sed non amantibus videtur esse arcta. — Patet igitur, quomodo *timor* et *amor* valent ad observantiam mandatorum Dei.

Tertio de interponendis ad integritatem. 17. Tertio, quaedam valent ad *integritatem* mandatorum, et ista debent *interponi*, id est in medio poni; et hoc tangit, cum dicit: *Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem eorum quae in caelis sunt, neque quae in terra deorsum, neque eorum quae sunt in aquis.* — Nota, quod *latria* est cultus soli Deo debitus et exhibetur ita, quod nulli alii est debitus[5]. Cultum aliorum prohibet Deus in *negativa*, et ex hoc implicuit cultum Dei in *affirmativa*, quae explicatur in novo testamento, quando dicit Dominus Matthaei quarto[6]: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*

Quid latria. 18. Sed quaeritur, quare Dominus prohibuit cultum aliorum in *negativa* et non explicuit cultum Dei in *affirmativa?* Certe, quia faciliori modo, quo potuit, voluit nobis dare mandata; et ideo in negativa revocabat a cultu aliorum, ut implicaret cultum suum in affirmativa. — Et notandum, quod revocabat ab *omni* idololatria. Omne autem, quod adoratur aliud a Deo, aut est *creatura intellectualis*, ut Angeli et daemones; aut *creatura corporalis*, ut caelum et terra et aqua et huiusmodi; aut est *figmentum* humanae mentis. Et haec tria prohibet Dominus adorare. Quaestio incidens solvitur. Triplex objectum idololatriae.

De tertio. 19. Sed quare inter idololatriam posuit Dominus *figmentum* mentis humanae, cum figmentum nihil sit in re? Dico, quod *idolum nihil est*[7], immo fertur ad illud quod est in aestimatione. — Et videte, quomodo sacra Scriptura procedit: creaturam *intellectualem* ponit in supremo, *figmentum* in medio et naturam *corporalem* in infimo; et secundum hoc primo prohibet idololatriam respectu creaturae *intellectualis*, cum dicit: *Non habebis deos alienos.* Secundo prohibet idololatriam respectu *figmenti* humanae mentis, cum dicit: *Non facies sculptile.* Tertio prohibet idololatriam respectu naturae *corporalis*, cum dicit: *Neque facies similitudinem eorum quae in caelis sunt, neque quae in terris, neque eorum quae in aquis sunt.* Primo prohibetur respectu *caelestium*, secundo respectu *terrestrium*, tertio respectu *eorum quae sunt in aquis.* De ordine horum trium.

Scripturae de his tribus. 20. De idololatria respectu *creaturae spiritualis* dicitur in Psalmo[8]: *Quoniam omnes dii gentium daemonia, Dominus autem caelos fecit.* — De idololatria respectu *figmenti* mentis humanae dicitur in Psalmo: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.* Quod homo incurvetur ad adorandum figmentum suum et sic glorietur in adorando ipsum, hoc est perversio summa. — De idololatria respectu *naturae corporalis* dicit Apostolus[9]: *Qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei*; sequitur: *Et servierunt creaturae potius quam Creatori.* Ecce, quod vera adoratio Dei hic implicatur, et omnis idololatria prohibetur. — Habemus ergo adminiculandia ad mandata.

---

amor et timor ducit; ad omne peccatum amor et timor ducit. Ut facias bene, amas Deum et times Deum; ut autem facias male, amas mundum et times mundum.

[1] Alter Vulgata, quae interserit virgulam inter haec verba.

[2] Cfr. II. Sent. d. 33. a. 1. q. 1, et Origen., Homil. 8. in Exod. n. 5. et 6.

[3] Cap. 12, 13. Cfr. supra de Donis Spiritus S. collat. 2. n. 20.

[4] Psalm. 118, 32. et 96. Cfr. August. in hos locos et supra collat. 1. n. 15.

[5] Secundum August., X. de Civ. Dei, c. 1. n. 2. seq. Cfr. III. Sent. d. 9. a. 2. q. 1. sequ.

[6] Vers. 10.

[7] Epist. I. Cor. 8, 4. Scimus, quia nihil est idolum in mundo etc. Cfr. III. Sent. d. 37. dub. 1, et Origen., Homil. 8. in Exod. n. 2. et 3, ubi etiam seq. expositio huius praecepti insinuatur.

[8] Psalm. 95, 5. — Seq. locus est Ps. 96, 7.

[9] Rom. 1, 23: Et mutaverunt gloriam etc. Ibid. v. 25: Et servierunt etc.

Pars II. Explicatio amplior ecc. 6. dem. Tria alia prohibentur.

21. Modo dico, quod nos Christiani ultra illum Iudaicum populum, cui haec mandata fuerunt data, videre debemus; quia nobis patefacta est veritas, et secundum tria, quae prohibentur hic, magna lux et vera nobis apparuit. Prohibentur autem tria, per quae avertitur mens humana a reverentia Creatoris sui, et in illis tribus prohibentur nobis primo omnes profanae *pactiones daemonum*, ibi: *Non habebis deos alienos coram me.* Secundo prohibentur falsae et superstitiosae *adinventiones errorum*, ibi: *Non facies sculptile.* Tertio prohibentur omnes perversae *appretiationes mundialium naturarum*, ibi: *Neque similitudinem eorum quae in caelis sunt* etc.

Primo, de pactione daemonum triplex.

22. Dico igitur, quod in primo verbo: *Non habebis deos alienos coram me*, prohibentur omnes profanae *pactiones daemonum*, sive fiant per incantationes verborum, sive per inscriptiones characterum vel imaginum, sive per immolationes sacrificiorum. In istis tribus consistunt omnes partes artis magicae. Et sic prohibendo ista tria, prohibentur omnia, ex quibus oriuntur omnes profanae pactiones daemonum, sive fiant ad transmutationem naturarum, sicut fecerunt magi Pharaonis [1]; sive ad fallificationem sensuum, sicut faciunt histriones; sive sint ad investigationem futurorum contingentium. Omnia ista vocat Augustinus [2] *pactiones daemonum*, quia in talibus attribuitur creaturae quod debet attribui Creatori; et ideo tales peccant contra primum verbum mandati, quod est: *Non habebis deos alienos coram me.* De talibus dicitur in cantico Deuteronomii, trigesimo secundo [3]: *Provocaverunt eum in diis alienis, et in eo qui non erat Deus, ad iracundiam concitaverunt.* Unde tales incidunt in manus daemonum; Apostolus: *Tradidit eos Deus in passiones ignominiae*, id est, permisit trahi, exigentibus peccatis eorum.

Exemplum

23. Huius exemplum habemus in quodam litterato [4], qui diu studuerat, qualiter posset effici dives, et linguam suam fecerat venalem longo tempore, et tamen semper egebat. Cogitavit autem sic: ex quo non possum ditari per Deum, ditabor per diabolum. Quaesivit magum inter Iudaeos et Christianos et nullum invenit. Tandem cogitavit: ego ipse experiar, utrum possim fieri dives per diabolum. Ivit quadam via umbrosa, saxosa et iuxta torrentem et dixit: ubi es, daemon, qui semper quaeris decipere homines? Ego sum hic, ut dem tibi animam meam. Prima et secunda vice non venit daemon nec respondit, quia Dominus adhuc non permisit. Tertia autem vice venit diabolus et dixit: quid petis a me? Respondit ille: ut facias me divitem. Cui diabolus: oportet, quod prius adores me. Et tunc ille incurvavit se et adoravit eum. Et statim diabolus habuit potestatem in ipsum et ludificavit eum: fecit, quod omnes illi lapides videbantur ei esse aurum. Et dixit ei daemon: accipe satis de auro. Et tunc ille gaudens oneravit se lapidibus, et cum venit domum, posuit lapides in quodam angulo domus; et accensi sunt lapides, et combusta est domus et quidquid in ea erat, ita quod ipse vix evasit. Cogitavit iterum redire ad locum pristinum dicens: ibo et accipiam satis de auro. Et cum venit ad locum, tunc vidit, quod nihil esset ibi nisi lapides; et sic ludificatus est. — Patet modo, quomodo in primo verbo prohibentur omnes profanae pactiones daemonum.

Secundo, de adinventionibus errorum

24. In secundo verbo: *Non facies sculptile*, prohibentur omnes falsae et superstitiosae *adinventiones errorum.* Et notandum hic, quod omnis error nihil aliud est nisi fictio mentis. Errorem autem facit phantasia obnubilans rationem et faciens videri esse quod non est. Omnes autem falsae et superstitiosae adinventiones errorum proveniunt aut ex *improbo ausu investigationis philosophicae*, aut ex *perverso intellectu sacrae Scripturae*, aut ex *inordinata affectu carnalitatis humanae.*

Triplex error.

De primo.

25. Ex *improbo ausu investigationis philosophicae* procedunt errores in *philosophis*, sicut est ponere mundum aeternum, et quod unus intellectus sit in omnibus. Ponere enim mundum aeternum, hoc est pervertere totam sacram Scripturam et dicere, quod Filius Dei non sit incarnatus. Ponere vero, quod unus intellectus sit in omnibus, hoc est dicere, quod non sit veritas fidei nec salus animarum nec observantia mandatorum; et hoc est dicere, quod pessimus homo salvatur, et optimus damnatur [5]. Hoc igitur ponere provenit ex improbo ausu investigationis philosophicae. Et tales ponunt, quod impossibile sit, mortale devenire ad immortalitatem. Et qui hoc *confingit*, aut *tuetur*, aut *imitatur* sive secundum hoc incedit, errat gravissime, quia facit contra secundum verbum mandati: *Non facies sculptile*; unde tam fictor quam defensor et imitator, omnes hic prohibentur.

Notandum.

De secundo.

26. Secundo proveniunt errores in aliquibus ex *perverso intellectu sacrae Scripturae*, sicut in *haereticis*, qui male sentiunt de Trinitate et Spiritu sancto. Tales sunt Ariani, Sabelliani, Donatistae, Pelagiani et huiusmodi.

De tertio.

27. Tertio prohibentur errores, qui proveniunt ex *perverso affectu carnalitatis humanae*, sicut sunt errores *Epicureorum* [6], qui dicunt, nullam aliam esse vitam nisi istam; et Nicolaitae, qui dicunt, quod liceat, quemlibet turpiter agere cum qualibet. Sara-

[1] Cfr. Exod. 7. et 8.

[2] Libr. II. de Doctr. christiana, c. 20-21. n. 30-37.

[3] Vers. 16. Vulgata *in abominationibus* pro *in eo qui non erat Deus*, quae verba occurrunt Ibid. v. 21: Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis. — Seq. locus est Rom. 1, 26.

[4] B O *advocato.*

[5] De his duobus erroribus cfr. supra in Hexaëm. collat. 4. n. 13; collat. 6. n. 4. et 5; collat. 7. n. 4. et 2; de Donis Spiritus S. collat. 8. n. 16. sequ.

[6] Cfr. Laërt. Diog., X. de Vitis etc. philosoph. — De Nicolaitis vide Epiphan., I. adversus Haereses, haeres. 25. n. 1; August., de Haeresib. n. 5, et Damasc., de Haeresib. n. 25, ubi etiam sub n. 101. de Saracenis.

cení etiam id quod dicunt, non habent ex sacra Scriptura nec ex altitudine divinae sapientiae. Omnes igitur errores, quocumque modo procedant, debent tanquam sculptilia abominari, quia peccant contra hoc verbum mandati: *Non facies sculptile.*

Scriptura de hoc.

28. De talibus autem, qui hos vel consimiles errores inveniunt, vel tuentur, vel imitantur, dicit Ieremias [1]: *Stultus factus est omnis homo a scientia* sua, id est ab investigatione propria et nimiae philosophiae, *confusus est artifex omnis in sculptili; vana sunt eorum opera et risu digna, et in tempore visitationis suae peribunt.* Standum igitur est super hoc quod humana fidei dictant, et quidquid huic adversatur, totum debemus abominari tanquam sculptile. — Audivi, cum fui scholaris, de Aristotele, quod posuit mundum aeternum; et cum audivi rationes et argumenta, quae fiebant ad hoc, necepit concuti cor meum et incepit cogitare, quomodo potest hoc esse? Sed haec modo sunt ita manifesta, ut nullus de hoc possit dubitare [2]. — Patet modo, quomodo in secundo verbo mandati: *Non facies sculptile*, prohibentur omnes profanae et superstitiosae *adinventiones errorum.*

Notandum de Aristotele.

29. In tertio verbo: *Neque facies similitudinem eorum quae in caelis sunt* etc., prohibentur omnes perversae *appretiationes mundialium naturarum.* Omnis autem perversa appretiatio creaturarum procedit aut ratione *sublimitatis*, aut ratione *sufficientiae*, aut ratione *delectationis.* Primo modo est idolatria *superborum;* secundo modo est idolatria *avarorum;* tertio modo est idolatria *lasciverorum.* Contra primos dicit Propheta [3]: *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum;* contra secundos Apostolus: *Avaritia est idolarum servitus;* contra tertios Apostolus: *Quorum Deus venter est.* Alias, volente Altissimo, plenius prosequemur.

Tertio de perversis appretiationibus rerum mundialium.

Fiunt tripliciter.

COLLATIO III.

De secundo praecepto decalogi.

SUMMARIUM. — *Introductio: triplex ratio, ut sermo fiat de praeceptis*, 1. — *Repetitio praecedentium collationum*, 2-6. — *Confirmatio per Scripturam*, 7. — *Supplentur omissa de Iudaeis, qui Christianis obiiciunt tres transgressiones primi praecepti*, 8. 9. — *Solutiones harum oppositionum*, 10-14. — De secundo praecepto, pars I. Explicatio litteralis eiusdem. *Prohibetur perjurium; tres conditiones boni iuramenti*, 15. — *Explicantur hae tres conditiones quoad iuramentum assertorium*, 16-19. — *Obiectio Manichaeorum solvitur*, 20. — *Item, tres fines cum triplici utilitate in iuramento promissorio*, 21-23. — Pars II. Explicatio spiritualis eiusdem. *Tribus modis nomen Dei non assumitur in vanum, scilicet ad efficiendum, id est in Sacramentis, ad promittendum in votis, ad exprimendum in iuramentis*, 24. — *Item, tribus modis assumitur in vanum: primo, per fractionem Sacramenti, et hoc tripliciter*, 25. — *Secundo, per fractionem voti emissi, et hoc iterum tripliciter*, 26. — *Tertio, per prolationem sermonis blasphemi, item tripliciter*, 27.

Introductio.

1. *Non assumes nomen Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumserit nomen Dei frustra* [4]. — *Servus tuus sum ego; da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Propheta David in verbis istis ostendit, qua de causa debemus loqui de mandatis Dei, et hoc ostendit per rationem triplicem. Prima est, ut *inflammemur ad dilectionem* divinorum mandatorum; nihil enim est ita necessarium, sicut diligere legem Dei et mandata eius. Et propter hoc dixit: *Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion.* — Secundo debemus loqui de mandatis Dei, ut ea melius *cognoscamus.* Quanto enim homo frequentius vadit per viam aliquam, tanto melius cognoscit eam. Unde Gregorius [5] dicit, quod homo cognoscit viam frequentius vadendo. Sed via mundi in patriam est per observantiam mandatorum; sed non potest homo servare mandata Dei, nisi cognoscat; et non cognoscit ea nisi audiendo loqui de ipsis. Ideo dicit David: *Da mihi intellectum, et discam man-*

Triples ratio loquendi de praeceptis.

---

[1] Cap. 10, 14. et 15. Post *sculptili* Vulgata plura addit.

[2] Similia dicuntur II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 2.

[3] Psalm. 80, 10. — Seq. locus est Eph. 5, 5: Avarus, quod est etc.; tertius Phil. 3, 19. — Vat. hoc loco non opportune ponit totam illam repetitionem, quae a codd. et nobis recte exhibetur infra in sequenti collat. n. 2-11.

[4] Exod. 20, 7. — Seq. locus est Ps. 118, 125. 127. et 128. Cfr. III. Sent. d. 37. dub. 2.

[5] Hanc sententiam non invenimus in Gregorio. Similis allegatur supra in Hexaem. collat. 19. n. 16. — Subinde respicitur Matth. 19, 17: Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.

Digitized by Google

data tua. — Tertio debemus loqui de mandatis Dei, ut *odio habeamus iniquitatem.* Ideo dicitur in Psalmo: *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Quando enim homo incipit cognoscere iniquitatem sive peccatum et peccati deordinationes, quae sunt contra Deum; tunc incipit detestari peccatum. — Debemus igitur loqui de mandatis, ut ipsa diligamus et intelligamus et in viam ad patriam dirigamur et iniquitatem odio habeamus. Et ut haec tria possimus consequi, ideo in principio rogemus Dominum etr.

Repetitio 1 collationis.

2. Dixi, quod decem sunt mandata decalogi, quae sunt fundamenta omnium legum, et quod sunt duae tabulae, scilicet prima et secunda. In prima tabula continentur tria praecepta ordinantia nos ad Deum trinum et unum, et hoc secundum tria appropriata tribus personis divinis [1]. In divinis enim est paternitas, filiatio et processio; et secundum haec sunt tria appropriata tribus personis divinis. Patri appropriatur *maiestas*, Filio *veritas*, Spiritui sancto *bonitas*. Ista tria respiciunt triplex genus causae, scilicet causam *efficientem*, *exemplarem* et *finalem*. Patri attribuitur causa *efficiens*, Filio causa *exemplaris*, quia est imago Patris, et Spiritui sancto causa *finalis*. In Patre est summa maiestas humiliter adoranda, in Filio summa veritas fideliter asserenda, in Spiritu sancto summa bonitas sincere amanda. Et secundum haec tria, ut dictum est, sunt in prima tabula tria mandata. Primum est: *Non habebis deos alienos coram me;* secundum est: *Non assumes nomen Dei tui in vanum;* tertium est: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.*

Repetitio 2. collationis.

3. De primo mandato dictum est [2], quod quaedam *praemittuntur* ad mandati cognitionem, quaedam *subiunguntur* ad mandati observantiam, et quaedam *interponuntur* ad mandati integritatem. — Dictum etiam fuit, quod in verbo isto: *Non habebis deos alienos coram me*, prohibetur omnis idololatria respectu creaturae *intellectualis*. Secundo prohibetur idololatria respectu *figmenti* humanae mentis, cum subdit: *Non facies sculptile.* Tertio prohibetur idololatria respectu *naturae corporalis*, et hoc respectu caelestium, terrestrium et infernorum, cum dicit: *Neque similitudinem eorum quae in caelis sunt* etc.

4. Dictum etiam fuit, quod in hoc verbo: *Non habebis deos alienos coram me*, omnes *pactiones daemonum* prohibentur, sive sint per incantationes verborum, sive per inscriptiones characterum et imaginum, sive per immolationem sacrificiorum. In istis tribus consistunt omnes artes magicae.

5. Dictum etiam fuit, quod in secundo verbo: *Non facies sculptile*, prohibentur omnes superstitiosae *adinventiones errorum.* Et circa hoc dictum fuit, quod omnis error provenit aut ex *improbo ausu investigationis philosophicae*, aut ex *perverso intellectu sacrae Scripturae*, aut ex *inordinato affectu carnalitatis humanae.* Propter primum proveniunt errores in *philosophis*, sicut ponere mundum aeternum et huiusmodi. Propter secundum proveniunt errores in *haereticis*, qui male sentiunt de Trinitate et Spiritu sancto. Propter tertium proveniunt errores in *Epicureis*, qui dicunt, non esse aliam vitam nisi istam.

6. In tertio verbo: *Neque similitudinem eorum quae in caelis sunt* etc., prohibentur omnes perversae *appretiationes creaturarum.* Et circa hoc dictum fuit, quod omnis perversa appretiatio creaturarum aut est ratione *sublimitatis*, aut ratione *sufficientiae*, aut ratione *delectationis.* Primo modo est idololatria *superborum*, secundo modo *avarorum*, tertio modo *lascivorum.* Ista dicta fuerunt de primo mandato. — Modo dicebam, quod est triplex idololatria: scilicet pactiones daemonum, superstitiosae adinventiones errorum et perversae appretiationes creaturarum. In pactionibus daemonum est summa omnium vitiorum malitia et *radix omnium malorum* [3].

7. Ex his tribus idololatriis procedunt omnes falsitates et peccati deordinationes, quibus misera anima daemonibus subiicitur; quod bene significatur in Apocalypsi [4], ubi dicitur: *Vidi de ore draconis et de ore bestiae et de ore pseudoprophetae exire spiritus tres immundos in modum ranarum.* Per *draconem* significatur *pactiones daemonum*, per *pseudoprophetam* superstitiosae *adinventiones errorum*, per *bestiam* perversae *appretiationes creaturarum.* — Et omnia ista prohibentur in primo mandato. Et sicut Deus in prima creatione rerum quodam modo omnia produxit [5], sic et in primo mandato omnia mala prohibet, licet ad maiorem explanationem plura ponat mandata. Confirmatur per Scripturam.

8. Omisi dicere, quod Iudaei aliquando insultant nobis et dicunt, quod non bene servemus illud mandatum, et imponunt nobis, quod ipsum transgredimur. In isto enim mandato continentur tria verba: *Non habebis deos alienos coram me — non facies sculptile — neque similitudinem eorum quae in caelis sunt* etc. Omnia explentur. Insultatio Iudaeorum.

9. De primo verbo, scilicet: *Non habebis deos alienos*, dicunt, quod dicit Dominus [6]: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est;* et vos ponitis Trinitatem, scilicet Patrem et Filium et Spiritum sanctum. — De secunda dicunt, quod *facimus sculptile*, quia ecclesiae nostrae plenae sunt imaginibus. — De tertio: *neque similitudinem etc.*, in quo prohibet Deus Obiciunt 3 transgressiones.

[1] Collat. 1. n. 21. 22. et collat. 2. n. 3. 4.
[2] Super collat. 2. n. 8. seqq.
[3] Respicitur 1. Tim. 6, 10, ubi hoc de avaritia dicitur.
[4] Cap. 16, 13.
[5] Cfr. August., V. de Gen. ad lit. c. 20. n. 40. seqq.
[6] Deut. 6, 4: Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est. Cfr. Marc. 12, 29.

Digitized by Google

adorare corporalem naturam, dicunt, quod adoramus frustum panis; et hoc maxime videtur eis absurdum.

10. Ad primum, quod opponunt, quod adoremus tres deos; dico, quod si adoraremus tres personas, ita quod diceremus, quod ibi essent tres dii et triplex essentia; necessario oporteret, quod adoraremus tres deos. Sed nos adoramus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum et unam essentiam, sed tres personas. Unde sicut videmus, quod in homine est pluralitas naturarum, scilicet intellectualis et corporalis, et tamen non est ibi nisi una persona; sic econtra in divinis est unitas essentiae et pluralitas personarum. Resp. ad 1. obiectum.

11. Dixit quidam Iudaeus: Vos dicitis, quod Deus habet filium, quare non datis ei uxorem? — Isti Iudaei vilissime intelligunt. Deus Pater habet Verbum et Spiritum sanctum: Verbum quidem habet, per quod omnia fecit[1]; et Spiritum sanctum habet, per quem omnia conservat. Verbum manat a dicente et est Deus de Deo. Similiter Spiritus sanctus spiratur a Patre et Filio et est Deus et in Deo. Solus Spiritus sanctus est, qui profunda cordium scrutatur[2], et ille est Deus. — Unde homo, qui ista vult intelligere et de istis loqui, oportet quod habeat elevatissimas cogitationes, non pedestres; aliter enim non potest intelligere altissima de Deo. Quando enim ponimus Trinitatem, non ponimus Christum hominem purum, sed Deum cum homine. Iudaeus quidam repellitur. Notandum.

12. De secundo, quod dicitur: *Non facies sculptile*, opponunt, quod facimus sculptile, quia habemus plures imagines in ecclesiis nostris; dico, quod impossibile est, Divinitatem sculpi; sed facimus effigiem Christi, Christi, dico, *humanati*, et illam adoramus. — Sed intelligendum est, quod duplex est adoratio: quaedam, quae dicitur *duliae*, alia, quae dicitur *latriae*[3]. Adoratione *duliae* possumus adorare omnes, in quibus est *potestas*, *sapientia* et *sanctitas*; et sic adoramus principes, praelatos, magistros tanquam illos, in quibus est *potestas* et *sapientia*; item illos qui habent excellentiam *prophetiae*, ut illos, in quibus est sapientia; et sic quinquagenarius ille princeps adoravit Eliam[4]. — Item, adoramus sic Sanctos, qui sunt in patria, sicut illos, in quibus est *sanctitas* eximia. — Similiter imaginibus exhibenda est adoratio *duliae*, non in quantum est imago, vel pictura, sed ratione illius quod per ipsam significatur. — Soli autem Deo exhibenda est adoratio *latriae*. Resp. ad 2. obiectum. Duplex adoratio.

13. De tertio, quod opponunt et quod maxime abhorrent, scilicet de corpore Christi, hoc fuit secretissimum, sed modo est omnibus promulgatum. — Aliquando dixerunt aliqui, quod non esset ibi Deus nisi sicut in signo[5]. Sed intelligendum est, quod ad prolationem verbi sacerdotis et intentionem dicentis substantia panis statim convertitur in verum corpus Christi, quod habet unitam animam cum Divinitate; et hoc est planum. — Sed dicit Iudaeus: quomodo potest hoc esse? Dico, quod ille qui potest separare substantiam ab accidentibus, potest facere, quod non appareat substantia sensibus nostris, quae est sub accidentibus nlienis. Unde dico, quod adoramus verum corpus Christi et Deum trinum et unum; et in hoc virtus Dei, potentia, sapientia et bonitas manifestantur. Sed Iudaeus errat, qui pedestri modo credit sentire de hoc. Resp. ad 3. obiectum. Iterata reprobatio. Obiectio refutatur.

14. Audivi, quod fuit quidam incantator daemonum. Quadam die, cum invocaret daemonem in medio quorundam, qui volebant aliquid a daemone impetrare; transivit quidam sacerdos portans corpus Christi, et statim inclinavit se ei daemon, similiter in redeundo. Et dixit incantator: unde hoc? Prohibuisti mihi, ne adorem Christum, et tu adoras? Respondit daemon: invitus feci. Nonne scriptum est[6]: *In nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum?* — Ista dicta sunt de primo mandato. Confirmatur exemplo.

15. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Sicut in primo mandato praecipitur *humilis adoratio* summae maiestatis, sic in isto mandato secundo praecipitur *fidelis confessio* summae veritatis, et prohibetur abnegatio veritatis. In veteri testamento[7] dicitur, quod qui iurat in nomine Dei iuret et non periuret. *Periurare* enim idem est, quod *peierare*, et hoc est *nomen Dei in vanum assumere*. — Ieremias[8] dicit: *Et iurabis: vivit Dominus in veritate et in iudicio et in iustitia*; et dicit ibi Glossa, quod « iuramentum debet habere tres comites: *veritatem*, *iudicium* et *iustitiam* ». Pars I. Explicatio litteralis. Prohibetur periurium. Tres conditiones

16. Primo, dico, debet fieri iuramentum *cum veritate*; unde dicit: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, hoc est *sine veritate*. — Intelligendum est autem, quod est duplex iuramentum, scilicet *assertorium* et *promissorium*, ita quod est quoddam iuramentum in *testimonium*, quoddam in *promissum*. Iuramentum *assertorium* sic fit: hoc tibi assero et testificor per testimonium divinae veritatis. Distinctio iuramenti.

---

[1] Ioan. 1, 3: Omnia per ipsum facta sunt. — Infra pro *Deus de Deo* A B *Deus in Deo*, D *Deus et in Deo*; Inferius autem quoad Spiritum S. substituimus ex B D *Deus et in Deo* pro *Deus in Deo*.

[2] Cfr. I. Cor. 2, 10. seq.

[3] Vide III. Sent. d. 9. per totam.

[4] Libr. IV. Reg. 1, 13: Qui [quinquagenarius] cum venisset, curvavit genua contra Eliam etc.

[5] Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. X. c. 1. seq.; Ibid. Comment. p. I. q. 4. et d. 14. p. I. q. 1. seqq.

[6] Phil. 2, 10.

[7] Exod. 23, 13: Per nomen externorum deorum non iurabis. Lev. 19, 12: Non periurabis in nomine meo. Deut. 6, 13: Dominum Deum tuum timebis... ac per nomen illius iurabis. — A B D sic habent: *veritatis in Matthaeo*, *ubi* (B D omittunt *ubi dicitur*: *Qui iurat in nomine meo iuret*. Sed Matth. 5, 33. tantum dicitur: Dictum est antiquis: Non periurabis; reddes autem Domino iuramenta tua.

[8] Cap. 4, 2. — Glossa sumta est ex Hieron. in hunc locum. Cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. XXXIX. c. 1, et Comment. ibi dub. 1.

Digitized by Google

Quoad assertorium primo veritas.

17. Istud autem iuramentum *assertorium* primo debet habere *veritatem* [1]. *Veritas* autem est in iuramento assertorio, quando homo non *negat* verum nec *affirmat* falsum nec *asserit* scienter dubium; quia sermo est indicativus eorum quae sunt in corde. Sed scitis, quid est, quando homo aliquod falsum testificatur per testimonium divinae veritatis? Hoc est dicere, quod mentitur, et quod divina veritas mentitur secum. Et hic est primus modus assumendi nomen Dei in vanum, scilicet quando *negamus* veritatem.

Secundo, iustitia.

18. Secundo debet fieri iuramentum assertorium *cum iustitia*. Fit autem cum iustitia, quando non fit contra mandatum divinae legis neque contra praeceptum sanctae matris Ecclesiae neque in dispendium salutis propriae vel alienae. Et qui contra ista tria iurat temerarie iurat et dupliciter peccat: et quia iurat, et quia iuramentum servat [2].

Tertio, iudicium.

19. Tertio oportet, quod cum iuramenta assertorio comitetur *iudicium*, quod sit in mente [3] discretio veritatis et iustitiae, scilicet utrum iuramentum sit verum, vel falsum; iustum, vel iniustum; fructuosum, vel infructuosum. Unde si iuro absque iudicio, non discernens inter ista tria, temerarie iuro. — Isti tres comites debent esse in iuramento *assertorio*.

Obiectio Manichaeorum reiicitur.

20. Sed Manichaei insultant nobis et dicunt, quod non debemus *omnino* iurare, quia dicitur in novo testamento, scilicet in Matthaeo [4]: *Noli periurare*; et sequitur: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Sit autem sermo vester: est est, non non.* — Certe dico, quod in certis casibus vel ex certis causis bene licet iurare. Haeretici autem non bene attendunt vim vocabulorum. Differt enim dicere: non iurare omnino, et dicere: omnino non iurare; sicut differt dicere: quidam homo non currit, et non quidam homo currit. *Omnino non iurare* idem est, quod *nullo modo iurare*, et *non omnino iurare* idem est, quod *non omnibus modis iurare*, sed ex *certis causis*.

Iuramenti promissorii triplex finis.

21. Secundo debet nomen Dei assumi non in vanum in iuramento *promissorio*. Fit autem iuramentum promissorium tribus modis, scilicet ad *promovendum bonum*, ad *conservandam fidelitatem* et ad *ineundam mutuam pacem*. Primo modo iurant inferiores superioribus, secundo modo pares paribus, tertio modo superiores inferioribus. Primo iuramento iuravit Apostolus dicens ad Romanos primo [5]: *Testis mihi Deus est, cui servio in spiritu meo.* Secundo modo iuravit Laban fidelitatem Iacob. Tertio modo iurant superiores praegere populum. — Ex primo iuramento relinquitur triplex utilitas: *fides* in intellectu, *amor* in affectu et *pax* in effectu. Istis tribus de causis fit iuramentum ad *promovendum bonum*.

Ex iuramento ad 1. finem triplex utilitas.

Item, ex iuramento ad 2. finem.

22. Secundo modo fit iuramentum promissorium ad *conservandam fidelitatem*, et hoc fit tribus modis, scilicet ad *compescendam malitiam*, ad *sedandam controversiam* et ad *expurgandam infamiam*. — Primo, dico, fit ad *compescendam malitiam*, ut homo non neget verum nec affirmet falsum; et haec est ratio utilitatis iuramenti. — Secundo fit ad *sedandam controversiam*. Unde Apostolus ad Hebraeos [6]: *Omnis controversiae finis est iuramentum.* — Tertio fit ad *expurgandam infamiam*. Unde in Deuteronomio [7] dicitur, quod maiores debebant se expurgare per iuramentum, quando inveniebatur cadaver mortuum. — Istis tribus de causis fit iuramentum ad *conservandam fidelitatem*.

De iuramento ad 3 finem.

23. Tertio modo fit iuramentum promissorium ad *ineundam mutuam pacem*; et in hoc intelligitur colubitio omnium peccatorum mortalium; quia [8] « omnis iuratio *vera* est periculosa, *falsa* est perniciosa, *nulla* vero est secura ». Et propter hoc dicitur in Ecclesiastico: *Iuratiani non assuescat os tuum.* — Iste est intellectus verborum *litteralis*.

Para II. Expiratio spiritualis.

Recte fit tripliciter.

24. *Spiritualis* vero intellectus huius praecepti iste est, quod assumimus nomen Dei non in vanum tribus modis, scilicet ad *efficiendum*, ad *promittendum* et ad *exprimendum*. — Primo, dico, assumimus nomen Dei non in vanum ad *efficiendum*, ut in Sacramentis, quando dicitur in baptismo: Ego baptizo *te* in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. — Secundo assumimus nomen Dei nostri non in vanum ad *promittendum*, sicut quando promitto ire ad sanctum Iacobum, vel intrare religionem, per iuramentum. — Tertio assumimus nomen Dei non in vanum ad *exprimendum*, sicut quando loquimur cum iuramento.

In vanum tripliciter.

Primo modo iterum tripliciter.

25. Econtra assumimus nomen Dei in vanum tripliciter: primo per *frustrationem Sacramenti susceptí*; secundo per *fractionem voti* emissi; tertio per *prolationem sermonis blasphemi*. — Primo assumimus nomen Dei in vanum per *frustrationem Sa-*

---

[1] Vide III. Sent. d. 39. a. 1. q. 1.

[2] Cfr. III. Sent. lib. Magistri, d. XXXIX. c. 9, et ibid. Comment. a. 3. q. 3.

[3] Scilicet *in iurante*. Cfr. III. Sent. d. 39. dub. 1, ubi docetur, quod *iudicium* respicit *iurantem*, sicut *veritas* respicit *rem*, de qua iuratur, et *iustitia* respicit *causam*, pro qua III. Defectus autem *iustitiae* in eo ponitur, quod non fit « *discrete*, quia sine praemeditatione, licet fiat *vere* et *iuste* ». — Pro *in mente* A B D *in medio*. Deinde A prosequitur: *scilicet discretionem veritatis*; B *medio discretionem utriusque, scilicet*; D *medio discretionem veritatis*.

[4] Cap. 5, 34. et 37. Cfr. III. Sent. d. 39. a. 2. q. 1. — Pro lectione Vulgatae *est est* A B D *sic sic*.

[5] Vers. 9. — Gen. 31, 44. narratur, quod Laban cum Iacob pepigit foedus, erectusque est lapis in tituum testimonii et fidelitatis.

[6] Cap. 6, 16: Homines enim per maiorem sui iurant, et omnis controversiae eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum.

[7] Cap. 21, 6. seqq.

[8] Hic aliquid excidisse videtur. — Seqq. verba sunt August., Serm. 180 (alias 28 de Verb. Apost.) c. 4. n. 4, et sequitur Eccli. 23, 9.

Digitized by Google

cramenti susceptí; et secundum hoc est triplex gradus assumendi nomen Dei in vanum. Primus est, quando quis in Sacramento non credit, sicut haereticus. Secundo, quando credit, sed se non disponit ad Sacramentum, sicut usurarius. Tertio, quando quis gratiam in Sacramento susceptam non custodit, sicut ille qui postea peccat. — Audi tu, qui es insignitus nomine christiano, character tunc tibi imprimitur per virtutem nominis Dei; et quando postea peccas, evacuas virtutem Sacramenti. De talibus dicit Apostolus ad Titum[1]: *Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant;* et sic *conculcas Filium Dei* et *pollutum duxis sanguinem* testamenti, qui ablutus es in sanguine Christi! Admonitio.

26. Secundus modus assumendi nomen Dei in vanum est per *fractionem voti emissi.* Et hic est triplex gradus similiter. Primus est per *dilationem irrationalem,* sicut quando promitto ire ad sanctum Iacobum per iuramentum et non assigno mihi certum terminum, et sic semper procrastino. — Secundo modo fit voti fractio per *volantatem contrariam,* sicut quando quis promittit aliquid Deo et postea poenitet. Contra tales dicitur in Deuteronomio[2]: Si quid processerit de labiis tuis, non facies irritum. — Tertio modo fit fractio voti per *apostaticam rebellionem,* sicut quando homo apostatat a religione. — Primus istorum modorum est malus, secundus peior, tertius pessimus, quia dicitur[3]: *Homo apostata vir inutilis;* propter quod dicitur in Ecclesiaste: *Si quid vovisti Deo, non moreris reddere; displicet enim Deo stulta et infidelis promissio.* Et hoc est, quando tempus et hora et dies et annus interpellabunt[4]. Item, secundo modo triplicitter.

27. Tertio modo assumimus nomen Dei in vanum per *prolationem sermonis blasphemi;* et hoc fit tribus modis: primo quando quis, loquens de Deo, utitur locutione *maledica,* sicut quando maledicit Deo. — Secundus modus est per locutionem *mendacem,* quando quis de Deo negat verum, vel affirmat falsum; quia dicit Anselmus[5], quod omnis contradictionis nobilior pars est Deo attribuenda. — Tertius modus est per locutionem *probrosam,* sicut quando quis loquitur de membris Christi inferioribus, blasphemat pessime, etiam si verum dicat, et Christum despicit in eo, quod humilis fuit et naturam nostram assumsit. — Et tales divino iudicio sunt exterminati. Narrat enim Gregorius[6], quod quidam puer sex annorum erat consuetus blasphemare nomen Domini. Quadam die, cum blasphemaret et esset in sinu patris, raptus est a daemonibus et portatus in infernum. Propter quod dicitur in Levitico[7]: *Quicunque blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* — Patet modo, quibus modis assumitur nomen Dei in vanum. Item tertio modo triplicitter. Exemplum.

COLLATIO IV.

De tertio praecepto decalogi.

Summarium. — *Introductio,* 1. — Pars I. Explicatio litteralis tertii praecepti. *Proponuntur integra verba eiusdem,* 2. — *Legislator in eo tria ponit: aliquid praecipit, aliquid concedit, aliquid interdicit,* 3. — *Ratio praecepti subiungitur,* 4. — *Obiectio Iudaeorum insultantium,* 5. — *Responsio: distinguendum hic id quod est mere morale, id quod est mere caeremoniale, id quod est mixtum ex utroque,* 6. — *De his tribus singillatim,* 7. 8. — *Septem opera mechanica; quaedam prohibita, quaedam permissa,* 9. 10. — *Quaestio incidens solvitur,* 11. — Pars II. Explicantur requisita ad perfectam caritatem. *Tria ad hanc requiruntur; primo, divina vacatio, convertens animum in Deum per opera tria intrinseca et quatuor extrinseca,* 12. — *Secundo, imitatio Christi in sex operibus misericordiae cum sex respondentibus exercitiis virtutum,* 13. 14. — *Tertio, cessatio ab omni opere peccaminoso; quinque modis fit peccatum,* 15. 16.

1. *Memento, ut diem Sabboti sanctifices*[8]. — *Misericordia Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum, et iustitia illius in filios filiorum his qui servant testamentum eius.* Indigemus divina *misericordia* condonante offensas nostras, et divina *iustitia* recompensante merita nostra. Sed Introductio. Indigemus divina

[1] Cap. 1, 16. Deinde respicitur Hebr. 10, 29: Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est. — A corrupte, vel saltem incomplete *sic cum clericis et pollutum duxis sanguinem;* D *sic cum clericis conculcas et pollutum.*

[2] Cap. 23, 23 Vulgata: Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis et facies, sicut promisisti Domino Deo tuo etc.

[3] Prov. 6, 12. — Seq. locus est Eccle. 5, 3.

[4] Ita B; Vat. et D *Tempus, dies et hora interpellabit;* A *interpellantur.*

[5] Monolog. c. 15.

[6] Libr. IV. Dialog. c. 18.

[7] Cap. 24, 16: Et qui blasphemaverit etc.

[8] Exod. 20, 8. — Seq. locus est Ps. 102, 17. et 18. Cfr. III. Sent. d. 37. dub. 3.

Digitized by Google

timor Dei facit invenire *misericordiam*, et observantia mandatorum, *iustitiam*. Consideratio autem *magnificentiae Dei* inducit ad timendum; consideratio vero *divinae legis* inducit ad observantiam mandatorum. Et propter hoc inuitur nobis, ut semper cogitemus divinam legem. Unde Iudaei die Sabbati consueverunt semper disputare de lege Dei [1], quia hoc est opus Dei. Ideo in principio rogemus Deum etc.

Pars I. Explicatio litteralis.

2. *Memento* etc. Dicebam vobis [2], quod in prima tabula continentur tria mandata ordinantia nos ad Deum secundum tria appropriata tribus personis divinis. In primo mandato praecipitur *humilis adoratio* divinae maiestatis, in secundo *fidelis confessio* summae veritatis, in tertio *sincera dilectio* summae bonitatis. Et hoc est tertium praeceptum, et est summa verborum: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Sequitur [3]: *Sex diebus operaberis et facies omne opus tuum; septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est; non facies omne opus in eo, tu et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum et advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo. Ideirco benedixit Dominus diei Sabbati et sanctificavit eum.*

Verba tertii praecepti.

3. Videte, quod in his verbis Spiritus sanctus scripsit tabulas; quia Spiritus sanctus per *digitum Dei* intelligitur, qui omnia praecepta conscripsit cum summa diligentia, insinuans mandati *integritatem* et *consummationem*. In hoc autem mandato Legislator aliquid *praecipit*, aliquid *concedit* et aliquid *interdicit*. *Praecipit* sanctificare diem Sabbati, ibi: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Sanctificatio enim est convertens animam ad Deum sanctum, ad Deum verum et ad Deum summe diligendum. Aliquid *concedit* in isto mandato, ibi: *Sex diebus operaberis et facies omne opus tuum.* Aliquid vero *interdicit*, ut opus servile, ibi: *Nullum opus facies in eo* etc. Haec est perfecta vacatio, quae habet adiunctam bonam operationem et prohibitam operationem servilem.

Spiritus sanctus.

Tria in his verbis.

Quod sanctificatio.

4. *Ratio* praecepti subiungitur, ibi: *Sex diebus fecit Dominus coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo. Ideirco benedixit Dominus et sanctificavit eum.* Sed quare praecipit *vacare?* Certe, quia *benedixit et sanctificavit eum.* Ideo et tu, creatura Dei, quae es imitatrix Christi, debes hoc facere.

Ratio subiungitur.

5. Sed Iudaei insultant nobis et dicunt: vos tenetis decalogum, et decalogus non habuit nisi praecepta moralia [4]; morale autem necessitatem habuit pro omni tempore. Septima autem dies, in qua non licet operari, a prima die, in qua licet operari, est dies Sabbati, quae dicitur dies saturni; et vos vacatis die dominica pro die Sabbati. — Item dicitur: *Omne opus non facies in eo;* et vos facitis multa opera, et ita totum dissipatis.

Obiciunt Iudaei.

6. Videte, carissimi; intelligendum est, quod praeceptum illud habet aliquid, quod est *mere morale;* et habet aliquid, quod est *mere caeremoniale;* et habet aliquid, quod est *mixtum* ex morali et caeremoniali. — Quod praecipit Dominus *sanctificationem*, id est vacationem ad amandum, hoc est *mere* praeceptum *morale.* Unde beatus Petrus dicit [5]: *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris*, id est, amate. Ille enim sanctificat sive facit sanctum Sabbatum, qui Deum super omnia diligit propter *se*, non propter aliud.

Resp. cum distinctione.

Mere morale.

7. Item, est in praecepto aliquid *figurale*, sicut significatio diei septimae. Dies enim septima significat quietem animarum et quietem Domini in sepulcro et cessationem ab omni opere servili cum vacatione et contemplatione Dei [6]. Deus enim sex diebus operatus est omnia, non quia non potuisset fecisse una die; sed intelligendum est hic, quod mundus habet aliquid *in arte aeterna*, scilicet *esse aeternum*, quod est aeternitas vitae et possessio una [7], in quo nihil est prius nec posterius; et hoc impressit Deus mentibus angelicis. — Item, habet mundus aliquid in *intelligentia creata*, scilicet *prius et posterius natura*, simul quidem est secundum durationem. — Sed habet *prius et posterius* [8] secundum

Mere figurale.

---

[1] Cfr. Act. 13, 14. seqq.; 15, 21; 17, 2; 18, 1.

[2] Supra collat. 1. n. 21. 22. et collat. 2. n. 3. 4.

[3] Exod. 20, 9-11. — Quoad sequentia dicit August., Epist. 55, (alias 119,) c. 16. n. 29: « Lex data est in monte Sina famulo Dei Moysi, digito Dei scripta [Exod. 31, 18.]; in libris autem Evangelii apertissime declaratur, digitum Dei significare Spiritum sanctum. Cum enim unus Evangelista [Luc. 11, 20.] dixisset: *In digito Dei eicio daemonia*, alius [Matth. 12, 28.] hoc idem ita dixit: *In Spiritu Dei eicio daemonia* ». Subinde dicit, quod magi Pharaonis « in signo *tertio* defecerunt, facientes, sibi adversum esse Spiritum sanctum, qui erat in Moyse. Nam deficientes dixerunt [Exod. 8, 19.]: *Digitus Dei est hic.* Sicut autem concilians et placatus Spiritus sanctus requiem praestat mitibus et humilibus corde, ita contrarius et adversus inimites ac superbos inquietudine exagitat. Quam inquietudinem *muscae albae brevissimae* significaverunt, sub quibus magi Pharaonis defecerunt, dicentes: *Digitus Dei est hic.*

[4] Codd. (cum aliquibus variantibus) corrupte: *decalogus non habuit necessitatem nisi pro tempore, morale autem necesse fuit pro omni.*

[5] Epist. I. 3, 15.

[6] Cfr. supra pag. 203, nota 8. et pag. 220, nota 4.

[7] Respicitur definitio aeternitatis a Boethio data; cfr. supra pag. 89, nota 1. Vide etiam in Hexaëm. collat. 1. n. 15.

[8] Locus in sex codd. et Vat. est varie corruptus, quia, ut videtur, saltem linea excidit. Secuti sumus potissime B et D, sed addentes verba *habet prius et posterius.* — Cfr. de Intellectu angelico II. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 1, ubi docetur, quod Angeli habuerunt a prima origine *species* rerum innatas; immo ob auctoritatem Augustini S. Bonav. vult concedere, quod Angeli etiam *actu* quaedam, non omnia, simul cum origine naturae secundum ordinem *temporis et durationis* cognoverint (ibi a. 1. q. 2 ad 3.).

Digitized by Google

durationem — non secundum *naturam* — secundum quod est in *materia*, non propter defectum operantis, sed propter condescensionem ipsius, ut coaptaret omnia et omnia in primis operibus designaret. Et sicut *radices* omnium operationum in primis operibus produxit; sic et *seminaria* omnium operum et quietationem plene produxit. — Septimo vero die requievit et intellectualem creaturam ad se revocavit et septimo die animas in limbo existentes ad quietem paradisi reduxit. Significatio igitur diei septimae est figuralis quietis animarum [1]. — Sic igitur in mandato isto continetur aliquid, quod est *mere morale*, scilicet, ut Deus super omnia diligatur, et aliquid, quod est *mere caeremoniale*, ut significatio diei septimae.

Mixtum. Distinctio. 8. Item, continetur aliquid, quod est *partim morale* et *partim caeremoniale*, ut cessatio ab operibus. Et hic quaedam sunt intelligenda *generaliter*, quaedam vero *specialiter*. Si intelligamus *generaliter*, sicut Iudaei, qui dicunt, quod debet fieri universalis cessatio ab omni opere servili; sic insinuatur Christiano, quod debet abstinere ab *omni peccato*. Si autem intelligamus *specialiter*, quod ab aliquibus debemus abstinere, ab aliquibus non; sic est *morale*, non sicut in *praecepto*, sed sicut in *bene esse*, et remansit, sicut in ecclesiastica institutione est praeceptum.

Septem opera mechanica. 9. Dico autem opera servilia opera mechanica, quae sunt septem, scilicet *agricultura*, quae comprehendit omnem modum colendi terram; *lanificium*, quod consistit in omni opere et genere vestimentorum; *fabricatio*, sive sit in materia ferrea, sive metallica, sive lapidea, sive lignea; *venatio*, quae comprehendit pistorum et coquorum omne opus et omnem modum praeparandi cibaria; *medicina*, quae consistit in arte conficiendi pigmenta vel syrupos et huiusmodi; *navigatio*, quae comprehendit omne opus nautarum in mari sive omne opus mercationis; et *theatrica*, quae comprehendit omnem modum ludi vel iocunditatis [2].

Distinctio. 10. Modo dico, quod in omnibus istis sunt quaedam, quae sunt *merae servilitatis*; quaedam, quae sunt *continuae necessitatis*; quaedam, quae sunt *merae iocunditatis*. Illa quae sunt *merae servilitatis*, prohibentur ab Ecclesia; illa autem, quae sunt *continuae necessitatis*, sicut illa quae sunt ad conservationem vitae vel sanitatis, concedunturur, in quantum sunt necessitatis, prohibentur autem, in quantum sunt servilitatis. Illa vero, quae sunt *merae iocunditatis*, sunt permissa, non prohibita; quia propter pronitatem nostram permittuntur ab Ecclesia. — Et sic poterimus respondere [3].

Quaestio incidens solvitur. 11. Sed dices: quare confundit et miscuit simul *moralia* et *caeremonialia*? — Dico, quod hoc praeceptum: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*, est de caritate; et quidquid patet et latet in aliis in isto mandato consummatur. Et ideo miscuit simul caeremonialia et moralia, ut melius ad memoriam reduceremus; ne si specialiter posuisset, gravaretur memoria nostra.

Pars II. Ad perfectam caritatem tria requiruntur. 12. Sunt autem tria, quae requiruntur ad perfectam dilectionem. Primum est *divina vacatio*, convertens animam in Deum. Secundum est *imitatio Christi* in bonis operibus. Tertium est *cessatio ab omni opere servili*, quae cor reddit purum et mundum. — Conversio autem in Deum est secundum septem opera, sine quibus anima non convertitur ad perfectam vacationem in Deum; quorum tria sunt *intrinseca*, quae fiunt *meditando*, *orando* et *exultando* [4]; et ex his tribus resultat contemplatio. Alia quatuor sunt *extrinseca*, quae fiunt *legendo*, *psallendo*, *sacrificium offerendo* et divinam *legem adimplendo*; et hoc fit sive audiendo, sive docendo, sive cum aliis conferendo. — Et hoc est quod dicit: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*. Mandat igitur Dominus primo *vacationem* convertentem animam in ipsum. De primo. Septem opera.

De secundo. 13. Secundo mandat *sui imitationem*, cum dicit: *Sex diebus operaberis*. De ista imitatione dicit Apostolus [5]: *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi*; et in Luca dicitur: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*. — Sex autem sunt opera misericordiae, scilicet pascere esurientes, potare sitientes, vestire nudos, colligere hospites, visitare infirmos et redimere captivos. Aliter autem opus virtutis perfectae esse non potest, nisi creatura in istis conformetur Christo. Sex opera misericordiae.

Sex exercitia virtutum. 14. Ad opus autem virtutis requiruntur sex correspondentia operibus sex dierum, quae sunt *circumspectio* provida, *intentio* recta, *affectio* pura, *electio* iusta sive recta, *prosecutio* vigorosa et *informatio* caritativa. — Primum igitur intelligitur in opere primae diei, quando dixit Deus [6]: *Fiat lux; et facta est lux*; hoc est *circumspectio provida*. — Secundo oportet, quod homo ponat sibi rectum finem in Deum; et hoc notatur, cum dicit: *Fiat firmamentum in medio aquarum. Et vocavit Deus firmamentum caelum*; quia oportet, quod homo agitur sursum, ut habeat *rectam intentionem* ad Deum. — Tertio requiritur *affectio pura*; et hoc intelligitur in tertio opere, quando divisit Deus terram ab aquis [7], id est affectiones saeculares a divinis. — Quarto requiritur *electio iusta* sive recta, ut ordinate fiant omnia nostra opera, secundum quod debent; et hoc notatur

---

[1] Cfr. supra Breviloq. p. II, c. 2. — Superius cum D posuimus *in limbo existentes* pro *in sepulcro*; D *in verbo* (?) *existentes*.

[2] Cfr. supra opusculum de Reductione artium ad theolog. n. 2. [3] Scilicet ad calumniam Iudaeorum.

[4] Eodem verbo utitur auctor in Itinerario mentis in Deum, prolog. n. 4, dicens, quod non sufficit « circumspectio *sine exultatione* ». Haec *exultatio* significat illos actus anagogicos orationis, « qui ad mentales ducunt excessus » (ibid. n. 3.).

[5] Eph. 5, 1. — Seq. locus est Luc. 6, 36. De operibus misericordiae vide Matth. 25, 35. et 36.

[6] Gen. 1, 3. Ibid. v. 6. et 8. est seq. locus.

[7] Gen. 1, 9: Congregentur aquae... et apparent arida. Ibid. v. 14. habetur seq. locus.

Digitized by Google

in quarto opere, cum dicit: *Fiant luminaria in firmamento caeli*, id est, sint opera nostra ordinata. — Quinto requiritur *prosecutio vigorosa*, quod notatur in quinto opere, quando Deus produxit animam vivam in aquis, ut natatilia, et in aere volatilia[1]. — Sexto requiritur *informatio caritativa*, ut sint[2] integra opera, supervestita omnibus circumstantiis, secundum quod exigit lex divinae caritatis. Caritas autem est forma perfectiva omnium; et ille qui habet caritatem, habet omnia ista sex. Sextum igitur opus virtutis est informatio caritatis; quod notatur, cum dicit[3]: *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam.* — Quando opus hominis integratur ex istis sex, tunc dicitur homo *recte vivere.*

De tertio. 15. Sed non sufficit facere opus virtutis, nisi homo sibi caveat ab opere vitioso; et hoc tangitur, cum dicitur: *Nullum opus facies in eo*, id est nullum peccatum. — Quinque autem modis potest homo facere peccatum: primo, quando contra mandatum peccatum perpetrat; secundo, quando alium ad peccandum incitat; tertio, quando peccantem defensat; quarto, quando peccantem acceptat; quinto, quando peccantem dissimulat nec arguit nec punit, et hoc est maximum periculum, quando quis alium castigare negligit.

Quinque modis peccatur.

16. Primum peccatum tangitur, cum dicitur: *Nullum opus facies in eo*, id est, tu nullum perpetrabis peccatum[4]. — Secundum peccatum tangitur, cum dicitur: *nec filius nec filia*, id est, nec eris *pater* peccati instigando alium ad peccandum vel verbo, vel opere, vel exemplo. — Tertium peccatum tangitur, cum dicitur: *nec servus tuus nec ancilla tua.* Ille *qui facit peccatum, servus est peccati*[5]; sed ille qui defensat peccatum, *dominus* est peccati praebendo patrocinium facienti peccatum. — Quartum peccatum est, quando aliquis peccantem acceptat; quod tangitur, cum dicitur: *nec iumentum tuum.* Iumentum, cum fuit ligatum, non ducebatur ad opus, nisi acceptante domino, et ista acceptatio est religatio[6]. — Quintum peccatum est, quando aliquis alium castigare negligit; quod tangitur, cum dicitur: *non advena, qui est intra portas tuas. Advenam* quis reputat hominem, quando videt hominem peccantem et dicit: quid ad me de peccato suo? Et sic, quando homo non punit peccatum alterius, efficitur *particeps* peccati illius. — Aliis etiam multis modis efficitur homo particeps peccati alterius; et propter hoc dicit Psalmus[7]: *Ab occultis meis munda me*, Domine, *et ab alienis parce servo tuo.*

De quoque modo.

COLLATIO V.

De quarto praecepto.

Summarium. — *Introductio; curiositas dissipat intelligentiam*, 1. — *Repetitio*, 2. 3. — De quarto praecepto, pars I. Expliciatur sensus litteralis. *Primo loco recte ponitur praeceptum beneficentiae, deinde praecepta innocentiae; triplex ratio distinguitur in patre, et secundum hanc etiam triplex filiorum debitum*, 4. — *Explicantur generatim tria debita*, 5. — *De promissione huic praecepto adiuncta; triplici honori parentibus praestando respondet triplex praemium promissum*, 6-9. — *De obedientia in specie; obediendum in tribus*, 10. — Pars II. Expliciatur sensus spiritualis. *Tria in patre: primo, auctoritas, ratione cuius obediendum est; honorandi sunt etiam illi qui praesunt rei publicae, rei politicae sive ecclesiasticae, rei monasticae*, 11-13. — *Secundo, antiquitas et debilitas, ratione cuius omnibus similiter indigentibus praestanda sunt sustentamenta, documenta, patrocinia*, 14. — *Tertio, amicabilitas, ratione cuius quilibet homo honorandus est bene ei volendo quoad affectum, effectum, signum*, 15. — *Sed in his est ordo observandus secundum rationem proximitatis, similitudinis, obligationis*, 16-18. — *Repetitio*, 19. — *Duo exempla*, 20. 21.

Introductio. 1. *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus daturus est tibi*[8]. — *Quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, et in plurimis operibus eius ne fueris curiosus.* Verba ultima specialiter dicuntur litteratis; in quibus docet Ecclesiasticus *cogitare uti-*

---

[1] Cfr. Gen. 1, 20-23.

[2] Parum apte Vat. et plerique codd. legunt: *Sexto fecit Deus integra* [A *integrata*] *opera, circumcestata omnibus* etc. Sed B post *Sexto* interserit *requiritur informatio caritativa; unde sexto die.* Verba *ut sint* a nobis suppleta sunt claritatis causa.

[3] Gen. 1, 26. et 27: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram... Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.

[4] Cfr. tom. III. pag. 832, nota 3.

[5] Ioan. 8, 34: Omnis, qui etc.

[6] Respici videtur illud in Evangeliis narratum, quando Dominus misit discipulos, « dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea; solvite et adducite mihi » (Matth. 21, 2; cfr. Luc. 19, 30. seqq.).

[7] Psalm. 18, 13. et 14.

[8] Exod. 20, 12: Honora... dabit tibi. — Seq. locus est Eccli. 3, 22. Cfr. III. Sent. d. 37. dub. 4.

Digitized by Google

lia et *vitare curiosa*. *Utilia* autem dirigunt nos in viam salutis; sed *curiosa* distrahunt nos a via salutis et dissipant intelligentiam nostram. Magna pars intelligentiae perditur propter curiositatem; et tamen nihil in nobis est pretiosius intelligentia. Multum dolemus, cum perdimus aurum; multo plus debemus dolere, si amittamus intelligentiam; quia nihil est ita carum sicut actus intelligentiae. — Summus dictuni de praeceptis et indigemus, quod Dominus illustret intelligentiam nostram; ideo in principio rogemus Deum etc.

Curiositas dissipat intelligentiam.

2. *Honora patrem tuum* etc. Dicebam[1] vobis, quod secundum quod anima rationalis habet ordinari ad Creatorem et ad creaturam, secundum hoc est duplex tabula, in qua lex Dei est scripta. In prima tabula continentur tria mandata ordinantia nos ad Deum, secundum tria appropriata tribus personis divinis et secundum triplicem operationem animae. In primo mandato praecipitur *humilis adoratio* summae maiestatis, in secundo *fidelis confessio* summae veritatis, in tertio *sincera dilectio* divinae bonitatis. Ista tria mandata sunt fundamentum omnium praeceptorum Legis. Propter hoc quilibet timoratus, verax et Deo devotus tenetur ista principaliter custodire.

Repetitio.

3. Modo dico, quod in secunda tabula continentur septem praecepta; unum est affirmativum, et alia sex sunt negativa. Ratio distinctionis est haec: quia omnia mandata reducuntur ad duo[2]: hoc facias alii, quod tibi vis fieri; non facias alii quod tibi non vis fieri. Et iuxta hoc accipiuntur duo praecepta. Primum est *innocentiae*, secundum est *beneficentiae*, quae sunt duae partes institiae.

Ratio.

4. Modo dico, quod praecepta ordinantur secundum ipsorum nobilitatem; et *beneficentia* melior est quam *innocentia*: ideo mandato *innocentiae* praeponitur mandatum *beneficentiae*; et est synecdochice traditum Iudaeis sic: *Honora patrem tuum et matrem tuam*. — Et ponitur hic primo forma mandati, cum dicit: *Honora* etc. Secundo subditur promissio, ibi: *Ut sis longaevus super terram*. — Intellige secundum litteralem intelligentiam, quod *pater* nominat personam *generantis*, personam *instruentis* et personam *educantis*, quia pater, habens filium, ipsum generat, ipsum instruit et nutrit, et ipsius est filio legare bona sua; et secundum haec tria pater respectu filii tenet rationem *originis*, rationem *regiminis* et rationem *benefactoris*. Et secundum hoc debetur patri triplex honor: honor *reverentiae*, honor *obedientiae* et honor *beneficentiae*.

Pars I. Explicatio sec. sensum litteralem.

Continet duo.

Triplex ratio in patre.

Triplex debitum.

5. Primo, dico, patri, in quantum tenet rationem *originis*, debetur honor *reverentiae*; unde in Ecclesiastico[3]: *Qui timet Deum honorabit patrem suum et matrem suum, et quasi dominis servient eis qui se genuerunt*. — Secundo ratione *regiminis* debetur patri honor *obedientiae*; unde Apostolus ad Ephesios: *Filii, obedite parentibus vestris, hoc enim iustum est. Honora patrem tuum et matrem tuam; quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram*. — Tertio debetur patri honor *beneficentiae*, quia tenet rationem benefactoris; unde in Ecclesiastico[4]: *Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius*. — Praecipitur igitur, quod triplex honor impendatur parentibus, scilicet honor reverentiae, obedientiae et beneficentiae. Et hoc est primum mandatum, quod debes custodire propter *promissionem*, scilicet *ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram*.

De primo. De secundo. De tertio.

6. Sed nunquid verum est semper, quod diutius vivant? Videmus enim, hoc falli quandoque: ergo Deus fallax est in promisso suo. — Dico, quod *longaevitas* attenditur non solum secundum *longitudinem* dierum currentium, sed secundum *valorem*. Et secundum quod est triplex honor, qui exhibetur parentibus; sic respondet huic triplici honori triplex praemium: quia honoranti patrem honore *reverentiae* debetur vita *gloriosa* sive honorifica; honoranti patrem honore *obedientiae* debetur vita *iucunda*; honoranti patrem honore *beneficentiae* debetur vita *opulenta*.

Obiectio. Resp. Triplex praemium.

7. Primo, dico, honoranti patrem honore *reverentiae* concedit vita *gloriosa* sive honorifica; unde in Ecclesiastico[5]: *Gloria hominis ex honore patris sui*; item ibidem: *Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria eius confusio*. Naturale enim est, quod filius vehementissime diligat patrem, et quod indignetur, quando aliquis iniuriatur patri.

De primo.

8. Secundo, honoranti patrem honore *obedientiae* concedit vita *iucunda*; unde in Ecclesiastico[6]: *Qui honorat patrem suum iucundabitur in filiis et in diebus orationis suae exaudietur. Qui honorat patrem suum vita vivet longiore; et qui obedit patri suo refrigerabit matrem suam*. Summa iucunditas est, quod homo non sit rebellis superiori suo; quia qui rebellis est superiori inveniet rebellem inferiorem, et contemptor superiorum potestatum contemnetur ab inferioribus; sicut Adam, quando fuit inobediens superiori suo, omnia inferiora, quae sibi fuerant subiecta, invenit sibi contraria[7].

De secundo. Notandum.

9. Tertio, honoranti patrem honore *beneficentiae* concedit vita *opulenta*; unde in Ecclesiastico[8]: *Honora pátrem tuum et matrem tuam, et superveniet tibi benedictio, et benedictio tua in novissimo*

De tertio.

---

[1] Supra collat. 2. n. 2. seqq.
[2] Vide supra collat. 1. n. 23.
[3] Cap. 3, 8. — Seq. locus est Eph. 6, 1-3.
[4] Cap. 3, 14.
[5] Cap. 3, 13; ibid. v. 12. est seq. locus.
[6] Cap. 3, 6. et 7.
[7] Cfr. Gen. 3, 10. seqq.
[8] Cap. 3, 9. et 10: In opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo numen.

Digitized by Google

manebit. Benedictio ista appellatur multiplicatio bonorum. — Ecce, praeceptum et ecce promissio.

Obediendum in tribus.

10. Obligamur ad obediendum parentibus, quamdiu utimur ipsorum bonis; et debemus eis obtemperare in *exercitatione actuum virtuosorum* sive salubrium, in *dispensatione temporalium* et in *subministratione obsequiorum;* quia debemus *vivere* secundum consilium ipsorum et *expendere* secundum ipsorum imperium et quando, exigunt, *subministrare obsequium.* Si tamen parentes aliquid velint, dicant, vel imperent, quod sit contra profectum nostrae salutis, non est ipsis in talibus pietas exhibenda. Et hoc est quod dicit Dominus in Evangelio [1]: *Qui non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Vult Dominus, quod ex affectu paterno non dimittat homo facere quod pertinet ad salutem suam. Et hoc est quod dicit Dominus: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos; tu autem vade et annuntia regnum Dei.* Et Hieronymus [2] dicit: « Si pater in limine iaceat, si mater ubera, quibus te lactavit, ostendat; per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem et ad vexillum crucis evola. Solum enim pietatis genus est in hoc esse crudelem ». — Ecce, intellectus verborum secundum sensum *litteralem;* videte modo *latiorem* intellectum.

Pars II. Explicatio sensus spiritualis. Tria in patre.

11. Praecipitur beneficentia ad omne genus hominum. *Pater* nominat personam, in qua est praecipua ratio *auctoritatis, antiquitatis* et *amicabilitatis.* In *esse naturae* filius non est coequus patri. — Primo dico, in patre est *auctoritas;* et in isto mandato datur praeceptum, quod obediatur patri, quia habet auctoritatem. Auctoritatem autem habet omnis, qui praeest rei publicae, vel rei politicae, vel rei monasticae. — Primo dico, quod ille qui praeest *rei publicae*, dicitur *pater* ratione *auctoritatis*, ut princeps, baro, comes et huiusmodi, et dicitur *pater* tutela vel defensione; et debemus ipsum honorare tanquam patrem. Unde beatus Petrus [3]: *Deum timete, regem honorificate.*

Ratione auctoritatis tres honorandi.

De primo.

12. Secundo dicitur *pater* ratione auctoritatis qui praeest *rei politicae* sive *ecclesiasticae.* Et ipsum debemus honorare, secundum quod exigit dispositio ecclesiastica, et debet ei obedire vulgus; unde Apostolus ad Hebraeos [4]: *Obedite praepositis vestris et subiacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

De secundo.

13. Tertio dicitur *pater* ratione auctoritatis qui praeest *rei monasticae.* Et ipsum debemus honorare et ei obedire, secundum quod regula et promissio facta est. Unde Hieronymus [5]: « Praepositum monasterii diligite ut patrem, timete ut dominum, audite ut magistrum, credite salubre quidquid vobis dixerit ». — Patet igitur, quod istis debemus obedire, secundum quod exigit *auctoritas.*

De tertio.

14. Secundo in patre intelligitur *antiquitas* et *debilitas;* senes enim debilitantur. Et qui patrem honorat ratione antiquitatis et debilitatis honorat omnem hominem, qui indiget adiutorio, vel qui caret sensu, vel fortitudine, vel qui infestatur ab alio. Et propter hoc debemus alium iuvare per *documenta*, vel per *sustentamenta*, vel per *patrocinia.* Et ad hoc specialiter sunt praelati: si homo caret sensu, debent ipsum iuvare per *documenta;* si caret fortitudine, debent ipsum iuvare per *sustentamenta;* si infestatur ab alio, debent ipsum iuvare per *patrocinia.*

Item, ratione antiquitatis.

Triplici modo.

15. Tertio in patre intelligitur ratio *amicabilitatis;* et in hoc intelligimus, quod ratione *originis* amabilis et amandus est omnis homo, et tenetur quilibet homo alium honorare. Unde Apostolus [6]: *Honore invicem praevenientes;* et iterum: *Reddite omnibus debita, cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Debet enim homo alium diligere, bene volendo cuilibet quantum ad *affectum*, quantum ad *effectum* et quantum ad *signum* [7].

Item, ratione amicabilitatis.

Triplici modo.

16. Habet autem ista dilectio *ordinem*, quia debemus diligere secundum rationem *proximitatis*, secundum rationem *similitudinis* et secundum rationem *obligationis.* — Primo, dico, debemus diligere secundum rationem *proximitatis;* et secundum hoc debemus maiorem amorem domesticis quam extraneis, et amicis plus servire quam inimicis.

Ordo in hoc observandus.

Primo, ratione proximitatis.

17. Secundo habet dilectio ista ordinem secundum rationem *similitudinis*, qua aliquibus debemus ratione similitudinis maiorem dilectionem quam aliis: sic ratione similitudinis in *forma specifica* tenemur diligere hominem; tamen secundum similitudinem rationis *convenientiae in fide* debemus plus diligere Christianum quam Saracenum [8]; item ratione *professionis in collegio* plus tenetur diligere religiosus fratrem ordinis sui, et unus canonicus alium canonicum.

Secundo, ratione similitudinis.

18. Tertio debemus diligere ratione *obligationis;* et sic aliquibus plus tenemur quam aliis. Teneor enim diligere alium et eum honorare ratione *praecepti;* teneor tamen plus ratione *praecepti* et *beneficii*, si accepi beneficium; teneor maxime diligere alium et eum honorare plus ratione *praecepti* et ratione *be-*

Tertio, ratione obligationis.

---

[1] Luc. 14, 26: Si quis venit ad me et non odit etc. — Seq. locus est Luc. 9, 60: Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos etc. Cfr. Matth. 8, 22: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

[2] Epist. 44, (alias 1.) n. 2: Licet, sparso crine et scissis vestibus, ubera, quibus te nutriverat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat; per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus etc.

[3] Epist. I. 2, 17.

[4] Cap. 13, 17.

[5] Epist. 125, (alias 4.) n. 15: Praepositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem; credas tibi salutare quidquid ille praeceperit.

[6] Rom. 12, 10. Ibid. 13, 7, et 8. est seq. locus. Post *debita* Vulgata plura interseriit.

[7] De hac propositione et de seqq. cfr. III. Sent. d. 29. per totam.

[8] Ita B D; Vat. *quam Judaeum vel gentilem*, A omittit haec verba.

Digitized by Google

neficii et ratione *promissi*, id est illum, de quo est mihi praeceptum, et recepi beneficium, et feci promissum, talem debeo plus diligere et honorare.

Repetitio. 19. Patet ergo, quomodo in verbis istis: *Honora* etc., tangitur *praeceptum*, et quomodo subditur promissum, ibi: *Ut sis longaevus super terram.* Et etiam dictum est, quomodo intelliguntur secundum intelligentiam litteralem, et quomodo secundum spiritualem. — Ut autem melius teneatis in mente, dicam vobis duo exempla: unum bonum de illo qui matrem honoravit, et aliud malum et crudele de illo qui patrem non honoravit. Dicam primo de bono.

Exemplum I. 20. Fuit quidam magister magnus et famosus Parisiis et multis notus et dilectus. Hoc audiens mater sua, quae fuit paupercula, cogitavit ire ad filium suum; accepit baculum et in tunicella de burello venit Parisios et quaesivit a quibusdam dominabus de tali magistro. Dixerunt illae matronae: quid vultis ab eo? Respondit: ego sum mater sua. Tunc illae matronae duxerunt eam in domum suam et refocillaverunt eam. Postea cogitaverunt, quod ille bonus homo verecundaretur, si videret ipsam in tali statu; et induerunt ipsam bene et dederunt ei mantellum et duxerunt ipsam ad magistrum. Tunc dixit illa: ego sum mater vestra. Respondit magister: ego non credo, quia mater mea fuit paupercula et non consuevit induere nisi tunicellam de burello. Et cum magister non vellet acquiescere verbis eius, reduxerunt ipsam matronae in domum suam et reddiderunt ei tunicellam et baculum. Tunc illa accessit ad filium suum in congregatione multorum; et ille matrem suam in tali habitu recognovit, et deponens caputium suum, amplexatus est eam dicens: *modo scio bene*, quod estis mater mea. Hoc fuit divulgatum per villam et reputatum est ei pro magno bono. Et postea factus est episcopus Parisiensis [1].

Exemplum 2. 21. Aliud exemplum malum dicam de illo qui non honoravit patrem suum. Vidi illum qui novit eum, cui hoc accidit. Fuit quidam bonus pauper, qui per industriam suam multa bona acquisierat, et habebat unicum filium. Hoc videntes quidam nobiles, fecerunt, quod contraxit filius cum filia cuiusdam nobilis. Et tunc illa, quae fuit iuvenis, pulcra et nobilis, coepit abominari patrem mariti sui et fecit tantum cum marito suo, quod pater in convivio expelleretur a domo; et non habebat, quid comederet nisi fabas malas. Quadam die fuit famelicus et venit ad domum filii et petiit cibum, et datae sunt ei fabae malae, et expulsus est a domo. Tunc illa dixit marito suo: modo possumus comedere in pace. Vade ad arcam et accipe caponem coctum. Et cum aperuit arcam, mutatus est capo in bufonem. Qui subito salens ad faciem eius, ponebat duos pedes ad mentum et duos ad frontem et operuit totam faciem, et non fuit medicus, qui scirel ipsum amovere. Tandem venit quidam faber, qui cum tenellis [2] suis ipsum voluit amovere. Tunc bufo respexit ipsum ita horribili vultu, quod ille cecidit in terram et amplius non audebat aliquid facere; et non fuit aliquis, qui scirel apponere consilium; sed mala morte mortuus est ille [3].

COLLATIO VI.

De quinto, sexto et septimo praecepto.

Summarium. — *Introductio*, 1. — *Repetitio*, 2. — *De sex aliis praeceptis in genere*, 3. — Pars I. De quinto praecepto. *Ira triplex, offendens tria proximi bona*, 4. — *Monachacorum obiectiones*, 5. — *Contra eos fit triplex occisionis distinctio, scilicet occisio fit primo a lege; in ministro legis tria requirantur*, 6. 7. — *Secundo, ab homine, et hoc tripliciter: casu, necessitate, voluntate*, 8-10. — *Tertio, interpretative, et hoc tripliciter*, 11. — Pars II. De sexto praecepto. *Septem modis contra hoc peccator; triplex castitas; fundamentum ipsarum*, 12. 13. — *Confirmatur; exemplum*, 14. 15. — *Conclusio et additio*, 16. — Pars III. De septimo praecepto. *Definitio furti*, 17. — *Divisiones furti*, 18. — *Ratio, quare usura, et non commodatio, sit peccatum*, 19. — *De simonia*, 20.

Introductio. 1. *Non occides. Non moechaberis. Non furtum facies* [4]. — *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Beatus Iacobus dicit: *Qui totam legem servaverit, offendat autem*

[1] In II ad *calcem* notatur: *Iste fuit episcopus Mauritius, qui iacet apud sanctum Lazarum* (?). In *margine* vero adhuc distinguuntur verba rasa: Non fuit episcopus Mauritius, qui iacet apud sanctum Lac... — Similia, sed respectu *patris*, narrantur de magistro Ioanne de Corbellis, qui tempore Innocentii III. Parisiis studuisse dicitur et postea fuit archiepiscopus Senonensis. Quod ex antiquo codice Vaticano publicavimus in Analectis Francisc. I. pag. 417. Notum est, idem attribui etiam papae Benedicto XI, saeculi XIV.

[2] Tenella idem est ac *forceps*; vide Ducange, Glossarium etc.

[3] Teste Sbaralea (Supplem. Script. Ord. Min. p. 250, col. 1.), eadem narratio invenitur in Thoma Cantipratensi, II. de Apibus, c. 7. p. 4, et apud Caesarium Heisterbachensem in Dialogo miraculorum.

[4] Exod. 20, 13-15. — Seq. locus est Ps. 118, 6; tertius Iac. 2, 10; Quicumque autem totam legem etc. (cfr. III. Sent. d. 36. q. 4. ad 1. et 2; IV. Sent. d. 22. a. 1. q. 2. in corp.).

Digitized by Google

in uno, factus est omnium reus; non quod pro una transgressione tantum puniatur poena *sensus*, quantum pro transgressione omnium; sed punietur tantum poena *damni*, non tamen ita acriter pro uno, sicut pro omnibus. Ideo, si quis vult pertingere ad veram vitam, oportet, quod perspiciat *in omnibus mandatis* Dei corde, ore et opere. Et ideo dicit: *Cum perspexero*, id est, perfecte spexero et consideravero et iuxta hoc egero, non timebo confundi. Non est magnum confundi in praesenti, sed confundi aeternaliter. Talis confusio valde est abhorrenda. Sed non possumus evadere istam confusionem, nisi perspiciamus in omnibus mandatis Dei. Ideo in principio rogemus Deum, ut *revelet oculos nostros* ad *consideranda mandata*. Confusio duplex.

2. *Non occides* etc. Dicebam [1] vobis, quod mandata Dei distinguebantur in duas tabulas. In prima continentur mandata secundum legem iustitiae ordinantia nos ad Trinitatem, qua continentur tria mandata secundum tria appropriata tribus personis. In secunda tabula continentur mandata ordinantia nos ad proximum, et hoc secundum duplicem partem iustitiae, scilicet beneficentiae et innocentiae. Reducitur autem tota iustitia ad tria: quia Deo debemus exhibere debitam *reverentiam* per orationem, per confessionem et per satisfactionem; patri debemus exhibere *beneficentiam*, et omnibus aliis *innocentiam*. — Dictum est de tribus mandatis, quae nos ordinant ad Deum; dictum est etiam de quarto mandato, quod accipitur penes partem iustitiae, quae est *beneficentia*; in quo praecipitur, quod debemus exhibere honorem patri et matri. Repetitio.

3. Sequitur de sex aliis mandatis, quae pertinent ad *innocentiam*, in quibus praecipitur, ne quis noceat proximo suo. Nocet autem quis proximo suo tripliciter: *perversitate operis, falsitate sermonis* et *improbitate voluntatis*; et secundum hoc Legislator primo prohibet nocumentum, quod provenit ex *perversitate operis*. Perversitas autem operis, qua quis alii iniuriatur, est triplex: aut enim iniuriatur quis alii in *persona propria*, aut in *persona coniuncta*, aut in *temporali substantia*; et secundum hoc sunt tria mandata, quae pertinent ad *innocentiam*. In primo prohibetur nocumentum in *propria persona*, ibi: *Non occides*. In secundo prohibetur nocumentum in *persona coniuncta*, ibi: *Non moechaberis*. In tertio prohibetur nocumentum in *substantia temporali*, ibi: *Non furtum facies*. De sex aliis praeceptis in genere. Distinctio. Subdistinctio.

4. Primo, dico, in isto mandato: *Non occides*, prohibetur ira prorumpens in iniurias peremptivas vitae *naturalis* sive substantialis et vitae *incolumis* et vitae *honorabilis*. « Natura enim appetit quod melius est [2] », et ideo non sufficit sibi, quod habeat vitam stantem, immo cum hoc vult vitam salubrem et incolumem et honorabilem; et secundum hoc Legislator in isto mandato: *Non occides*, prohibet primo iras prorumpentes in iniurias peremptivas vitae *naturalis*; secundo, vitae *incolumis*, scilicet, quando fit iniuria per verbera, vel vulnera; tertio, vitae *honorabilis*, sicut est iniuria, quae fit per contumeliam apertam vel occultam, sicut illa quae fit per signum. — Unde in Evangelio [3]: *Audistis, quia dictum est antiquis:* Non occides; *qui autem occidet reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis.* Ergo planum est, quod tribus modis facit homo contra illud mandatum: *Non occides*, scilicet quando quis irascitur fratri suo, vel quando dicit: raca, vel quando dicit: fatue. Et quando hoc facit ex deliberatione animi, tunc dicit, quod *reus est gehennae ignis*. Et quia vita naturalis est fundamentum aliarum, ideo sub isto modo: *Non occides*, Legislator expressit mandatum. Pars I. De quinto praecepto. Triplex ira offensiva. Confirmatur.

5. Manichaei autem obiiciunt nobis et dicunt, quod sibi contradicit Legislator. Dicit enim: *Non occides*, et alibi [4] dicit: *Maleficos non patieris vivere*. Et hoc est contra *principes* in christiana lege, qui per sententiam iudiciariam alios occidunt. — Item obiiciunt, quod Dominus dicit: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt:* ergo non licet gladium accipere. — Et similiter dicunt, quod non licet, sacerdotem esse occisorem. Et hoc est contra *Ecclesiam* et ecclesiasticas personas, quae exsequendo iudicium et imperando accipiunt gladium. — Item obiiciunt, quod dicitur [5]: *Ego autem dico vobis, non resistere malo*, et hoc est contra *Legislatorem*. Obiicunt Manichaei quatuor.

6. Intelligere debemus, quod prohibetur hic occisio *hominis*, non bestiarum vel virgultorum, sicut dicebant antiqui Manichaei, qui nolebant comedere de fructibus arborum [6]. — Occisio autem hominis potest esse a *lege*, aut ab *homine in veritate*, aut *interpretative*. Occisio autem hominis ab homino ut ab *homine*, non ut a *lege*, prohibetur; sed Deus, qui Resp. Triplex occisio.

De his tribus praeceptis vide III. Sent. d. 37. dub. 4-6. In fine introductionis respicitur Ps. 118, 18: Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.

[1] Collat. 4. n. 21. 22 et collat. 2. n. 3. 4.

[2] Secundum Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 59. (c. 10.). — Subinde substituimus ex A B C D *vitam stantem* lectioni Vat. *vitam subsistentem*.

[3] Matth. 5, 21. et 22.

[4] Exod. 22, 18. — Seq. locus est Matth. 26, 52.

[5] Matth. 5, 39.

[6] August., de Haeresib. n. 46, refert, quod Manichaei « animas auditorum suorum in electos revolvi arbitrantur, aut feliciore compendio in escas electorum suorum, ut iam inde purgatae in nulla corpora revertantur. Ceteras autem animas et in pecora redire putant et in omnia, quae radicibus fixa sunt atque niuntur in terra. Herbas enim atque arbores sic putant vivere, ut vitam, quae illis inest, et sentire credant et dolere, cum laeduntur; nec aliquid inde sine cruciatu eorum quemquam posse vellere aut carpere. Propter quod agrum etiam spinis purgare nefas habent » etc. Cfr. tom. III. pag. 834, nota 4.

Digitized by Google

conditor est naturae et conservator naturae et legis, potest hominem privare vita, quando vult. — *Lex* autem occidit hominem, quando minister legis occidit, et hoc servato iusto *ordine*, iusta *causa*, et iusto *animo*.

Prima requirit tria.

7. Oportet, quod adsit iustus *ordo* et iusta *causa*, id est, quod ex iusta causa occidatur, quia lex dicit[1]: *Iuste quod iustum est exsequeris.* — Item, oportet habere *animum iustum*, ut homo, qui est minister legis, ex lege hominem occidat, non libidine vindictae, sed amore iustitiae. Unde Apostolus ad Romanos[2], loquens ad principes, dicit, quod *princeps non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit.* — Quod igitur Dominus dicit Petro: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt;* non refertur nisi ad hoc, quod ille qui non est minister legis, non debet occidere. — Et quod dicitur: non licet, sacerdotem esse occisorem, hoc non refertur ad principes. — Primum ergo, quod dicit Dominus: *Non occides*, verum est, ut *homo*, sed ut *minister legis*. Secundum, quod dicit Dominus: *Omnes, qui accipiunt gladium, gladio peribunt*, verum est, si *non praeest* reipublicae. — Tertium, quod dicit Dominus: *Ego autem dico vobis, non resistere malo*, verum est, *ultionis libidine;* sed *amore iustitiae* bene licet resistere malo. — Patet modo, quomodo lex occidit hominem.

Explicantur haec tria.

Respondetur Manichaeis.

8. Item, occiditur homo ab *homine* ut ab *homine*, et hoc contingit tribus modis: aut *casu*, aut *necessitate*, aut *voluntate*. — Si homo occidit hominem *casu;* aut adhibet operam rei licitae et adhibet debitam diligentiam; et tunc excusatur *a tanto* et *a toto*. Si vero sit homicidium *casuale*, et homo adhibet operam rei illicitae nec adhibet debitam diligentiam; tunc excusatur *a tanto*, non *a toto*[3].

Secunda occisio fit tripliciter.

Primo fit distinctio.

9. Si autem fuerit homicidium *ex necessitate*, hoc est dupliciter: aut ex necessitate *evitabili*, aut *inevitabili*. Necessitas *evitabilis* est, si possum effugere, sed dimitto propter verecundiam, vel aliam causam; et in isto casu excusatur homo a *tanto*, non ex *toto*, quia melius esset, quod fugeret. Si autem sit necessitas *inevitabilis*, scilicet ut homo alium occidat non libidine vindictae, sed amore conservationis vitae et animae, ut non interficiat ipsum ex crudelitate, sed ut impediat ipsum, ne perdat suam vitam et animam, et si hoc fiat cum moderamine inculpatae tutelae; tunc concessum est personis imperfectis, non perfectis — et hoc dicit Augustinus de Libero Arbitrio[4] — et excusatur hic a *toto* et a *tanto*.

Secundo fit distinctio.

10. Tertio modo fit homicidium ab homine *voluntate*, et hoc dupliciter: aut *libidine vindictae*, sicut quando aliquis interficit patrem alterius; aut *animi crudelitate*, sicut latrones vel irati interficiunt alios; et utrumque istorum est prohibitum, et primum est gravius quam secundum.

Tertio fit distinctio.

11. Item fit homicidium *interpretative*, et hoc fit tripliciter: primo *omittendo* in facto; unde Ambrosius[5]: « Pasce fame morientem; si non paveris, occidisti ». — Secundo modo fit, quando aliquis occidit alium *consulendo*, vel *accusando*, vel *detrahendo*, quando hoc facit ex malignitate animi. — Tertio modo fit homicidium interpretative *odiendo* in animo; unde in canonica lectione[6]: *Qui odit fratrem suum homicida est.* — Dico igitur, quod secundum principalem intellectum prohibetur hic occisio, non quae a lege est, sed quae ab homine, et illa quae fit *voluntate*, aut *interpretative;* et hoc est quod dicit: *Non occides.*

Tertia occisio fit tripliciter.

Notandum.

Sextum praeceptum.

12. Sequitur: *Non moechaberis.* Hic praecipitur, quod nemo uxorem proximi sui violet. Et dicit beatus Augustinus[7], quod hic prohibetur omnis illicitus usus membrorum generationis, qui fit ad procurationem libidinis cum impugnatione castitatis. Et hoc fit septem modis, scilicet per *adulterium*, *fornicationem*, *meretricium*, *stuprum*, *sacrilegium*, *incestum* et *peccatum contra naturam*.

Pars II de sexto.

Septem species peccati.

13. Notandum, quod est pudicitia *coniugalis*, *communis* et *privilegiata*[8]. Secundum hoc dico, quod aliquis potest esse impugnator pudicitiae *coniugalis*, et dicitur *adulterium;* aut est impugnator castitatis *communis*, et hoc vel fit cum soluta simpliciter et vocatur *fornicatio*, vel cum soluta vagabunda et prostituta, et dicitur *meretricium*. Si quis autem sit impugnator pudicitiae *privilegiatae*, id est virginitatis, hoc est dupliciter: aut fit cum conditione adiuncta, quae est defloratio, et sic vocatur *stuprum;* aut fit cum domina Deo consecrata, et sic dicitur *sacrilegium*, scilicet quando aliquis Domino consecratam violat. — Si autem fit contra *fundamentum*

Triplex pudicitia.

Sex species declaratur.

Fundamentum istorum.

---

[1] Deut. 16, 20. Pro *exsequeris* Vulgata *persequeris*.

[2] Cap. 13, 4. — Seq. locus est Matth. 26, 52; tertius Matth. 5, 39.

[3] Ita B; sed A D et Vat. *nec excusatur a toto nec a tanto* (sed D et Vat., inverso ordine verborum).

[4] Libr. I. c. 4. n. 9. seqq. — Superius A B omittunt *inculpatae* ante *tutelae*. — Pro lectione codd. A B D *personis imperfectis, non perfectis* Vat. *personis etiam perfectis, non solum imperfectis;* quae lectio non est penitus improbanda, sed alia magis respondet eis quae ab Augustino loc. cit. n. 13, 14. docentur; unde etiam dicitur *excusatur*, non *approbatur*.

[5] Gratian. can. (21.): *Pasce*, d. 86: « Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem servare poterat, si non pavisti, occidisti ». In nota adiecta dicitur: Caput hoc non est inventum apud B. Ambrosium... et Bartholomaeus Urbinas eremita in Milleloquio, quod collegit ex dictis B. Ambrosii, affert hunc locum ex eodem Ambrosio in libro de Alendis Pauperibus, qui liber hactenus desideratur.

[6] Epist. I. 3, 15.

[7] Quaest. in Exod. q. 71. n. 4.

[8] Cfr. supra Quaest. disput. de perfectione evangelica, q. 3. per totam.

Digitized by Google

Septima est duplex. omnium istorum, sic dicitur *peccatum contra naturam*; et hoc fit dupliciter: aut contra *dictamen naturalis rationis*, scilicet contra hoc « quod omnia animalia natura docuit [1] », et sic dicitur proprie *peccatum contra naturam*; aut fit contra *instinctum naturae*, et hoc modo est *incestus*, scilicet quando quis peccat cum persona sibi coniuncta. — Peccatum contra naturam scelestissimum est et super omnia fugiendum. Et de hoc crimine *accusavit Ioseph fratres suos apud patrem suum crimine pessimo* [2].

14. Dicit igitur: *Non moechaberis*. Patet primo, Repetitio. quomodo hic prohibetur omnis moechia cum uxore proximi; et secundum Augustinum [3] prohibetur omnis illicitus usus membrorum generationis, qui fit ad procurationem libidinis cum impugnatione castitatis. Patet etiam, penes quid accipiuntur septem transgressiones huius mandati: *Non moechaberis*; et quod peccatum contra naturam super omnia est fugiendum.

15. Narrat Petrus Damianus [4], quod duo fuerunt simul in deserto, qui asperrimam fecerunt poenitentiam. Unus illorum fuit idiota et, peccatis suis exigentibus, fuit illusus a diabolo, qui dixit ei, quod peccatum pollutionis contra naturam non esset maius peccatum, quam proiicere mucilagines de naso. Et tunc ille pestifer exercuit se in illa impudicitia. In morte diabolus portavit animam suam. Hoc videns alius miratus est, quod homo tantarum vigiliarum et dolorum esset perditus. Et tunc astitit Angelus Domini, qui narravit ei, quod totum foedaverat per tale peccatum. Exemplum.

16. Omnis igitur actus, qui est in experientia Conclusio. libidinis, qualiumque modo homo peccatum ipsum excogitet [5], est prohibitus, nisi fiat in forma matrimonii Ecclesiae. — In somnis patitur homo quandoque pollutiones absque culpa et absque causa. Quidam stultus presbyter confitenti sibi de nocturna pollutione dixit: non potes denarium dare ad expleudam libidinem tuam? — Patet modo, quomodo prohibetur hic omnis illicitus usus corporis et libidinis, procuratus extra formam matrimonii. Nota.

Septimum praeceptum.

Pars III. De septimo. Quid furtum 17. Sequitur: *Non furtum facies*. Furtum est contrectatio rei alienae, invito domino, ex cupiditate. Si fiat non ex cupiditate, sicut filii Israel ex praecepto Domini portaverunt secum de Aegypto *vasa argentea et aurea* [6], vel cum quis alii aufert gladium, ne faciat malum; tunc non dicitur facere furtum.

18. Furtum autem dividitur in partes, quia furtum est contrectatio alienae rei, invito domino; et hoc fit aut per *meram fraudem*, aut per *violentiam*, aut per *circumventionem*. — Si fiat per *meram fraudem* et furtive, tunc dicitur *furtum*. — Si fiat per *violentiam*, aut illa est aperta, et sic dicitur *rapina*; aut est occulta, et sic dicitur *latrocinium*. — Si vero fiat contrectatio rei alienae per *circumventionem*, hoc potest fieri cum *pactione adiuncta*, et hoc tripliciter: aut cum pactione *fraudulenta*, aut *iniqua*, aut *profana*. Primo modo contingit in negotiationibus, et hoc fit tripliciter, scilicet aut in *pondere*, aut in *numero*, aut in *mensura* [7]; et de hoc rarissime evadunt mercatores. Si autem fiat cum pactione *iniqua*, sic est *usura*, in qua id quod venditur, est *commune*, scilicet tempus. Si autem fiat cum pactione *profana*, in qua venditur *proprium Dei*, sic est *simonia*. Distinctio. Sex species.

19. Sed quaeritur: quare, si accommodo tibi vestem vel equum vel domum pro denariis, non est usura, sicut est de pecunia [8]? — Dico, quod in veste vel equo vel domo trahitur *usus* ex re, non ex pecunia; et ideo non dicitur *usura*. Quidam credunt, quod usura sit mala, quia prohibita; sed certe est prohibita, quia mala. In mutuo meum fit tuum; et si tu acquiras aliquid per industriam tuam ex illo mutuo, et ego aliquid de illo repeto; vendo tempus, quod est commune, et quod non est licitum vendere. Sed in *accommodato* non transit res mea in tuam, ut in *mutuo* pecunia mea fit tua; et non minoratur pecunia nec peioratur, sicut contingit in domo vel veste vel equo, quia oportet pecuniam reddere totam et integram. Et ideo, cum ex usura homo petit aliquid, est ibi perversio ordinis et appropriatio communitatis; et debet quilibet sibi de hoc cavere. Sic igitur, quando fit circumventio cum pactione *iniqua*, dicitur *usura*. Differunt usura et commodatio.

20. Si autem fiat circumventio cum pactione *profana*, sic dicitur *simonia* [9], in qua qui emit nihil acquirit, nec ille qui vendit, aliquid habet, sed

---

[1] Respicitur definitio iuris naturalis: Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit. Cfr. tom. II. pag. 901, nota 3. et tom. IV. pag. 748, nota 7.

[2] Gen. 37, 2.

[3] Vide supra pag. 527, nota 7.

[4] Opuscul. VII. c. 21.

[5] Ita D, A B *modo homo cogitet*, Vat. *modo fiat*. Subinde substituimus *matrimonii Ecclesiae* pro *matris Ecclesiae*, sicut paulo inferius legitur *extra formam matrimonii*; supplendo etiam dici posset sic: *a coniugatis* in forma Ecclesiae.

[6] Exod. 12, 35. et 36. Cfr. ibid. 3, 22. et 11, 2. — De definitione furti secundum Iustinian. paulo superius data cfr. tom. III. pag. 835, nota 3.

[7] Cfr. Lev. 19, 35. et 36; Deut. 25, 13-16; Prov. 11, 1; 20, 10. et 23. — Inferius post *proprium* Vat. et etiam codd. omittunt *Dei*; sed tunc sensus deficit, cum obiectum simoniae sit aliquid *spirituale*, vel *spirituali annexum* et Deo proprium, dicente S. Petro Simoni mago (Act. 8, 20.): Quoniam *donum Dei* existimasti pecunia possideri.

[8] Vide III. Sent. d. 37. dub. 7. — *Accommodare* pro *commodare* occurrit etiam apud Gregorium.

[9] De simonia cfr. IV. Sent. d. 25. a. 1. q. 3. 4. et dub. 2-6. — In seqq. in Vat. et codd. locus corruptus est, quem sanavimus transponendo verba *emit* et *vendit*. — Sic locus respondet verbis S. Leonis in Decreto Gratiani (c. 1. q. 1. c. 1.): « Simoniaci... gratiam non accipiunt. Si autem non accipiunt, non habent; si autem non habent, nec gratis nec non gratis cuiquam dare possunt » (cfr. IV. Sent. d. 25. a. 1. q. 3. arg. 4. ad oppos.). Et in eit. q. 3. dicitur de mere spiritualibus rebus: Impossibile est pretio comparare nec vendere.

Digitized by Google

solum rem alienam contrectant; et hoc fit, cum res spiritualis venditur tanquam res vilis. Contra quos dicit Dominus[1]: *Nolite domum Patris mei facere domum negotiationis.* Sed quidam faciunt eam *spelunca latronum*; unde: *Principes eius in muneribus iudicabant, et sacerdotes eius in mercede docebant, et prophetae eius in pecunia divinabant.* Rogemus ergo Dominum Iesum Christum etc.

COLLATIO VII.

De octavo, nono et decimo praecepto.

SUMMARIUM. — *Introductio*, 1. — *Repetitio*, 2. — Pars I. De octavo praecepto. *Triplex mendacium: officiosum, iocosum, perniciosum*, 3. 4. — *Octo genera mendaciorum*, 5. — Pars II. De nono et decimo praecepto. *Prohibetur duplex concupiscentia, scilicet internus actus illicitus concupiscentiae carnis et oculorum*, 6. — *Repetitio et confirmatio praecedentium collationum*, 7-9. — Pars III. De decem plagis Aegyptiorum et decem Christi condescensionibus. *Sapientia discitur per flagella; decem plagae*, 10. — *Huic respondent transgressionibus decem praeceptorum*, 11-14. — *Solus Christus ab his liberat per decem condescensiones*, 15-17. — *Admonitio, ut fiat pascha cum Christo.*

Introductio.

1. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces rem proximi tui. Nec desiderabis uxorem eius*[2]. — *Considera, quod proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum, ut diligas Dominum Deum tuum et ambules in viis eius et custodias mandata illius.* In principio rogemus Deum etc.

Repetitio.

2. In Deuteronomio loquitur Moyses de decem mandatis, quae Deus aeternus per ipsius os proposuit, ut non despicerent ea Iudaei; et ostendit, quod in observantia mandatorum est vita et bonum, et in ipsorum transgressione mors et malum. — Dicebam alias[3], quod prima distinctio mandatorum est secundum duplicem partem iustitiae, quae nos ordinat ad Deum et ad proximum, et secundum hoc duae tabulae datae sunt Moysi. In prima continentur mandata, quibus ordinamur ad Deum, et sunt tria. In secunda continentur mandata, quibus ordinamur ad proximum, et sunt septem, quorum unum est[4] affirmativum, et sex alia negativa. De affirmativo et tribus negativis dictum est.

Pars I. De octavo praecepto.

3. Sequitur modo de aliis, quorum primum est: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Prohibetur hic mendacium, quod est nocivum proximo. Et secundum *generalem* intelligentiam prohibetur hic omne mendacium *perniciosum;* et datur intelligi, quod *omne* mendacium est malum. Augustinus[5] distinguit et dicit, quod est mendacium *officiosum, iocosum, perniciosum.* Mendacium *officiosum* dicitur, quod nulli obest et alicui prodest. *Iocosum* est, quod fit non voluntate nocendi, sed libidine mentiendi, et quandoque obest, sed non prodest. Mendacium *perniciosum* est, quod fit intentione mentiendi, et hoc, ut noceat; et illud nulli prodest, sed omnibus obest. Et dicit Augustinus, quod « in primo mendacio est minima culpa, in secundo mediocris, in tertio gravis ».

Triplex mendacium.

4. Mendacium *officiosum* fit tripliciter: aut pro defensanda *re* alienius *temporali*, aut pro tuenda *vita*, aut pro servanda *castitate*. Mendacium *iocosum* fit duobus modis: aut *solo mentiendi libidine*, aut *placendi*. Mendacium autem *perniciosum* tripliciter fit: aut in *doctrina religionis* contra sacram Scripturam, aut in *impositione falsi criminis;* et istis duobus modis nulli prodest, sed omnibus obest. Tertio modo fit mendacium perniciosum in *causa* alienius; et sic alicui prodest et alicui obest.

Singula tria distinguuntur.

5. Sic igitur patet, quod sunt octo genera mendacii. Et dicit Augustinus[6], quod Deus potest facere,

Octo genera.

---

[1] Ioan. 2, 16. Cfr. Matth. 21, 13, ubi et dicitur: Vos autem fecistis illam speluncam latronum. — Seq. locus est Mich. 3, 11.

[2] Exod. 20, 16. et 17. Seq. locus est Deut. 30, 15. et 16. — De his tribus praeceptis cfr. III. Sent. d. 37. dub. 8; d. 40. dub. 1. et 2.

[3] Collat. 4. n. 21. 22. et collat. 2. n. 3. 4. — De propositione praecedente vide collat. 6. n. 1.

[4] Collat. 5. n. 3.

[5] Cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. XXXVIII. c. 4. seq., et Ibid. Comment. q. 5. seq., ubi loci Augustini sunt allati, in quibus etiam *octo* genera mendacii inferius posita recensentur.

[6] Cfr. Quaest. in Exod. q. 6. et 39, Quaest. in Lev. q. 68. et 69; contra Mendacium, c. 15. n. 31, ubi addunt Ps. 118, 142: Lex tua veritas, et I. Ioan. 2, 21: Omne mendacium non est ex veritate. Ibid. c. 12. n. 26: Mendacium est quippe falso significatio cum voluntate fallendi (cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. XXXVIII. c. 3. seqq., et Ibid. Comment. q. 2.). Vide I. Sent. d. 47. q. 4. — Post *mendacii* A B addunt: *et aliquando* (B *quandoque*) *fit mendacium sine peccato, et aliquando* (B *quandoque*) *cum peccato.* Sed cum S. Doctor nullis argumentis probet (III. Sent. d. 38. q. 2.), mendacium *semper esse* peccatum, hoc additamentum omisimus, quia vel est spurium, vel saltem non correctis verbis expressum.

Digitized by Google

Notandum

quod *furtum* non sit peccatum; sed non potest facere, quod *mentiri* non sit peccatum. Et hoc est propter nobilitatem veritatis; quia mendacium est falsa vocis prolatio cum intentione fallendi, et Deus non potest recedere a veritate, quia est ipsa veritas; sed cum furto bene potest dispensare, quod non sit peccatum. Unde maxime necessarium est homini, quod servet fidem et habeat veritatem in sermone, quia dicit Senera [1]: « Qui fidem perdit non habet amplius quid perdat ». — Videt modo de isto mandato: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

Pars II. De tribus et decem. Triplex concupiscentia.

6. Postea subjungit illa praecepta sunt [2]: *Non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem eius;* in quibus duplicem concupiscentiam, scilicet *oculorum* et *carnis* [3], prohibet, quae sunt fomenta omnium malorum et radix omnium peccatorum; quia, quando vis concupiscibilis est infecta et corrupta, corrumpit omnes alias animae vires. In praecedentibus mandatis: *Non occides, non moechaberis, non furtum facies, non loqueris falsum testimonium*, prohibetur omnis actus illicitus *exterior*, qui fit contra proximum. In istis duobus: *Non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem eius*, prohibetur actus illicitus *interior*, et prohibetur hic concupiscentia *oculorum* sive cupiditas, quae *radix est omnium malorum* [4]; prohibetur etiam concupiscentia *carnis*, quae est fomes omnium peccatorum. Per istam duplicem concupiscentiam fit transfusio omnium malorum et peccatorum; et ideo lex divina ipsam prohibet, et in hoc omnia mala et omnia peccata prohibet. Haec est febris, qua omnes filii Adam febricitant, et quae generat omnia mala.

Repetitio.

7. Patet modo, quod sunt decem praecepta sacri decalogi. In tribus primis praecipitur recta ordinatio ad Deum, in quarto recta ordinatio et beneficentia ad parentes, in sex aliis praecipitur recta ordinatio et innocentia ad proximum.

Quodlibet praeceptum continet affirmationem et negationem.

8. Resumamus ista praecepta, quae sunt: *Non habebis deos alienos coram me. Non assumes nomen Dei tui in vanum* etc. Intelligere debemus, quod quamquam quaedam dicantur praecepta *affirmativa* et quaedam *negativa*, omnia tamen affirmationem et negationem in se continent. Quando Deus aliquid prohibet in aliquo mandato, praecipit eius contrarium; et e converso, quando aliquid praecipit, prohibet contrarium eius. Quod patet. In primo enim mandato praecipitur humilis adoratio divinae maiestatis, et prohibetur idololatria. In secundo praecipitur fidelis assertio divinae veritatis, et prohibetur periurium. In tertio praecipitur devota dilectio divinae bonitatis, et prohibetur indevotio. In quarto praecipitur pietas ad parentes, et prohibetur inhonoratio. In quinto praecipitur mansuetudo, et prohibetur iracundia. In sexto praecipitur pudicitia, et prohibetur moechia. In septimo praecipitur largitas, et prohibetur furtum. In octavo praecipitur veritas, et prohibetur mendacium. In nono praecipitur liberalitas cordis, et prohibetur concupiscentia rei temporalis. In decimo praecipitur castitas mentis, et prohibetur concupiscentia carnis.

In quolibet est vita et mors.

9. Videte, quod omnia praecepta continent in se affirmationem et negationem, et quod in omni praecepto est vita et bonum, mors et malum [5]. In observantia mandatorum est vita et bonum, et in transgressione est mors et malum. Et ex observantia legis sequitur *benedictio*, et ex transgressione *maledictio*. — Ex observantia enim legis fit homo reverens, fidelis, devotus, pius, mansuetus, pudicus, largus, verdicus, proprius contentus sive liberalis corde et impolitus mente. Econtra ex transgressione legis efficitur homo idololatra, blasphemus, indevotus, impius, homicida, moechus sive adulter, fur, falsidicus, rapidus et carnalis. Ergo transgressor legis et observator plus distant a se, quam infernus a paradiso, quia unus est in centro, alius est in circumferentia; nec Deus caeli aliud facere potest, quia iustus est et *se negare non potest* [6].

Effectus duplex.

Pars III. De decem plagis et Christi consecrationibus.

10. Videte modo, quod homines non addiscunt sapientiam nisi per flagella, et ideo Dominus decem flagella, id est plagas, emisit in terram Aegypti [7]. — Prima fuit sanguinis; secunda, ranarum; tertia, multitudo scniphum; quarta, multitudo muscarum mordentium; quinta, mortis pecorum et iumentorum; sexta, ulcerum sive vesicarum turgentium; septima, destructionis bonorum temporalium per grandinem; octava, locustarum; nona, tenebrarum; decima, mortis primogenitorum. — Modo videte, quomodo Spiritus sanctus flagellavit Aegyptios et manuduxerat ad observantiam mandatorum et nos propriissime manducit.

Decem plagae.

Illae respondent decem transgressionibus.

11. Decem sunt transgressiones legis, et secundum hoc decem fuerunt plagae eis correspondentes.

---

[1] In fine ed. operum Senecae (ed. Basil. 1529) exhibentur sententiae sive proverbia Senecae, quorum aliquot dicuntur esse collecta ex Publii Syri Laberique Mimis; sub litera F habetur etiam haec: Fidem qui perdit perdere ultra nihil potest.

[2] Vulgata: Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum nec omnia, quae illius sunt.

[3] Cfr. 1. Ioan. 2, 16.

[4] Epist. I. Tim. 6, 10. — De seq. propositione cfr. tom. II. pag. 721, nota 1, et 2, ac pag. 767, nota 4.

[5] Vide supra n. 1.

[6] Epist. II. Tim. 2, 13: Ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest. — De positione inferni et paradisi cfr. IV. Sent. d. 44. p. II. a. 1. q. 2. — Quae sequuntur diffusius exhibentur in C: *Modo videte, quod homines non addiscunt sapientiam, nisi cognoscant suam fragilitatem, quam quidem non possunt cognoscere, nisi respiciant divina mandata, ad quae non respicit homo carnalis, nisi eruditus fuerit per flagella. Et ideo Dominus flagellavit Aegyptios nequam, ut sapientiam discerent, et misit decem plagas super terram, quia decem mandatorum suorum fuerunt transgressores.*

[7] Exod. 7-11. Cfr. August., Serm. 8, in quo decem praecepta comparantur decem plagis. Vide etiam Isidor., Comment. seu Quaest. in Exod. c. 14.

Digitized by Google

Plaga prima. — Prima fuit sanguinis, quae percussi sunt *idololatrae*, quia de ipsis dicit Psalmus [4]: *Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.*

Secunda plaga fuit ranarum, qua percussi sunt Secunda. *blasphemi* et *periuri*, qui comparantur ranis. Rana enim animal est clamosum et se ipsam clamando consumit. Similiter facit homo, quando perdit stabilitatem veritatis.

Tertia plaga fuit sciniphum, qua percussi sunt Tertia. *indevoti*, qui non custoderunt diem Sabbati, quae est dies devotionis. Sciniphes sunt muscae parvae et inquietant et vexant multum homines. Similiter inquietantur indevoti. In hoc signo defecerunt magi Pharaonis [2], in signum, quod inquietudinem cogitationum non possumus effugere nisi per devotionem. De beato Gregorio legitur, quod vix tota die habuit unam cogitationem de terrenis.

12. Quarta plaga fuit muscarum caninarum, qua Quarta. percussi sunt *impii*, qui habent apud se muscas caninas, id est carnales affectiones.

Quinta plaga fuit mortis iumentorum, qua percussi sunt *homicidae*; quia omnis, qui gladio occidit, reus est mortis [3]. Tales moriuntur sicut iumenta, quia non sunt digni divina protectione nec humana; quia qui alium occidit se ipsum interimit et brutalitatem suam non sentit. Quinta.

Sexta plaga fuit vesicarum turgentium, qua per- Sexta. cutiuntur *adulteri*, qui habent vesicas turgentes, id est carnem infectam. Vesicae nascuntur ex humore faciente pruritum, et cum homo se scalpit, postea dolet. Similiter, qui luxuriatur primo delectatur, postea dolet.

13. Septima plaga fuit destructionis bonorum Septima. temporalium, qua percutiuntur *fures*, quia dignus est perdere sua qui auferit aliena. Ista fuit plaga grandinis, quae destruxit omnia. Mirabile est, quod qui fornicatur, si poenitet, Deo reconciliari potest; sed qui aliena rapit Deo reconciliari non potest, nisi aliena restituat.

Octava plaga fuit locustarum comedentium omnem Octava. herbam virentem, qua *usurarii* percutiuntur, qui dentibus et labiis suis veritatem conculcant; Psalmus [4]: *Cor eorum vanum est, sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.*

Nona plaga fuit tenebrarum, qua percutiuntur Nona. *cupidi* et *avari*, quia nihil adeo excaecat hominem sicut cupiditas. Unde Propheta [5]: *Xenia et dona excaecant oculos prudentum et mutant verba iustorum*; Salomon: *Avaro nihil est scelestius. Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima.*

14. Decima plaga fuit mortis primogenitorum, Decima. qua percutiuntur *carnales*, sicut Esau. Ait enim Apostolus [6]: *Ne quis inter vos fornicator, sicut Esau, perdat primogenita sua.* Carnalis concupiscentia abstulit nobis nobilem generationem, qua omnes nasceremur innocentes et heredes paradisi, et facit nos nasci in morte et culpa et perditione primogenituae. Quod figuratum est in Ruben [7], qui perdidit ius primogenituae, quia ascendit cubile patris sui et maculavit stratum eius; et Ioseph propter castitatem suam factus est princeps fratrum suorum [8]. — Patet modo, quomodo transgressores legis percutiuntur plagis istis.

15. Sed quis liberabit nos a plagis istis? Certe Solus Christus ab his liberat. nemo solus est, qui venit, ut nos liberaret, scilicet Christus, qui fecit decem condescensiones contra decem plagas. Quod figuratur in libro Regum [9], ubi dicitur, quod sol retrocessit decem gradibus; per quos significantur decem condescensiones, quas fecit Dominus propter hominem.

16. Prima fuit usque ad carnem nostram. — Se- Condescensiones Christi decem. cunda fuit usque ad mortalitatem nostram. — Tertia, ad nostram necessitatem, qua famem, sitim et frigus passus est. — Quarta fuit ad nostram paupertatem, quia *egenus factus est* [10], non habens locum, ad quem declinaret. — Quinta, ad nostram tentationem, quando permisit, se tentari; et in hoc nostram infirmitatem portavit; Apostolus [11]: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia.* — Sexta, ad corporis lassitudinem et laborem nostrum. — Septima, ad nostram anxietatem; unde: *Coepit Iesus pavere et taedere et dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem* [12]. — Octava fuit ad crucem, et haec fuit miraculis. — Nona fuit ad mortem. — Decima fuit ad carcerem infernalem.

17. Istae sunt decem condescensiones, quibus Deus condescendit homini. Sed quare descendit ad carcerem infernalem? Certe, ut in sanguine testa-

---

[1] Psalm. 105, 38.

[2] Vide supra pag. 341, nota 7. et pag. 375, nota 2. — Unde summa sit sequens narratio de Gregorio, non invenimus.

[3] Cfr. Matth. 26, 52. supra collat. 6. n. 5. allegatus.

[4] Psalm. 5, 10. et 11.

[5] Eccli. 20, 31 (pro *oculos prudentum* Vulg. *oculos iudicum*) et Deut. 16, 19, ex quo ultima verba (*et mutant* etc.); cfr. Exod. 23, 8. — Seq. locus est Eccli. 10, 9. et 10. Post *scelestius* Vulgata plura addit.

[6] Hebr. 12, 16: Ne quis fornicator aut profanus, et Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua [Gen. 25, 33.].

[7] Gen. 49, 3. et 4; cfr. I. Paral. 5, 1.

[8] Vide Gen. 39. sequ. et Eccli. 49, 17, ubi Ioseph nominatur « princeps fratrum ».

[9] Libr. IV. Reg. 20, 9. sequ., cfr. Isai. 38, 8.

[10] Epist. II. Cor. 8, 9 Matth. 8, 20: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.

[11] Hebr. 4, 15.

[12] Marc. 14, 33. et 34.

Digitized by Google

menti educeret vinctos de carcere, sedentes in tenebris et umbra mortis[1]. Christus per sanguinem novi testamenti nos liberavit et eduxit de morte ad vitam, et de tenebris ad lucem.

18. Debemus igitur et nos resurgere ad novam vitam, ut, sicut *Christus resurrexit a mortuis, sic et nos in novitate vitae ambulemus*[2]. Christus liberavit nos hoc tempore de manu Pharaonis et introduxit nos in terram promissionis; et in signum huius manducatur modo pascha, quia modo liberati sumus. Debemus et nos facere transitum et inchoare novam vitam et non redire in Aegyptum. Nullus sit falsus proditor. Tria sunt necessaria cuilibet poenitenti, scilicet quod displiceat ei peccatum, et quod paratus sit sibi cavere a peccato cum adiutorio Dei et Spiritus sancti, et velit satisfacere pro modulo possibilitatis suae et proponat peccatum nunquam iterare. Et haec est consummatio verborum; semper debemus conformari Christo et cum ipso refici, ut perveniamus ad refectionem aeternam, quam nobis praestare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Admonitio.

EXPLICIUNT COLLATIONES DE DECEM PRAECEPTIS.

---

[1] Cfr. I. Petr. 3, 19. Respiciuntur in hac propositione Hebr. 13, 20 (in sanguine testamenti); Ps. 67, 7: Qui educit vinctos in fortitudine; Luc. 1, 79: Qui in tenebris et in umbra mortis sedent. Cfr. III. Sent. d. 22. q. 1. seqq.

[2] Rom. 6, 4. — Subinde respicitur Exod. 12, 3. seqq., ubi de agno paschali.

Digitized by Google

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

SERMONES SELECTI

DE REBUS THEOLOGICIS

Digitized by Google

Digitized by Google

SERMO I.

De triplici testimonio sanctissimae Trinitatis.

SUMMARIUM. — *Introductio; tria de Trinitate insinuantur, numero* 1. 2. — *Triplex spirituale caelum, et in unaquoque speciale testimonium, scilicet in summo caelo Deus dat testimonium de se ipso, in medio de Christo, in infimo per Christum de mundo,* 3. — Pars I. Testimonium de se ipso in summo caelo. *Hoc sibi dat Trinitas tripliciter: divinae maiestati per miracula omnipotentiae, veritati per documenta sapientiae, bonitati per charismata beneficentiae,* 4-6. — *Hoc testimonium datur per vestigia, quae relucent in unaquaque creatura,* 7. — Pars II. Testimonium de Mediatore in medio caelo. *Hoc est triplex: a Patre in facto, a Filio in verbo, a Spiritu S. in animo,* 8. — *De unoquoque singillatim,* 9-11. — Pars III. Testimonium Christi de toto mundo. *Hoc est triplex,* 12. — *Primum est informativum respectu omnium; quod datur triplici modo,* 13. 14. — *Secundum est approbativum respectu iustorum,* 15. — *Tertium est increpativum respectu perversorum,* 16.

Introductio.

1. *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt;* primae Ioannis quinto[1]. In hoc verbo describitur mysterium beatissimae Trinitatis quoad

De Trinitate tria insinuantur.

triplicem retributionem, quam est in ea reperire, scilicet quoad *inseparabilitatem* in opere, *pluralitatem* in origine et *consubstantialitatem* in *esse*. Habet enim beatissima Trinitas *inseparabilitatem* in operando, quae notatur, cum dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo.* — Habet etiam *pluralitatem* in emanando, et hoc notatur, cum subditur: *Pater, Verbum et Spiritus sanctus;* in quo insinuantur origo et distinctio personarum. — Habet nihilominus *consubstantialitatem* in existendo; et hoc notatur, cum subiungitur: *Et hi tres unum sunt.*

Indivisum testimonium et certum.

2. *Inseparabilitas* autem in operando recte intelligitur in hoc quod dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo;* quia, cum sint vere tres, unum tamen et indivisum dant testimonium, quod quidem tanto certius est et solidius, quanto maior est conformitas et indiviso testium. Ita enim est in testibus vera pluralitas, et in pluralitate conformitas, et in conformitate inseparabilitas; ibi etiam solidissima fit veritas[2]. Et hoc est in Trinitate beata, cuius testimonium adeo est roboratum, ut per illa cetera confirmentur. In cuius rei signum omnes testificantes iurant per Deum, invocando Deum trinum et unum in testimonium. *Iurare* enim *per Deum* nihil aliud est quam Deum in testimonium adducere.

Est triplex vivendo e Beatum.

3. Licet autem divinum testimonium sit quantum ad inseparabilitatem testium indivisum, pluralicatur tamen, cum dicitur, ratione commutatorum sive effectuum. Cum enim *spirituale caelum*, in quo Deus Trinitati perhibetur testimonium dare, tripliciter contingat accipi; contingit secundum hoc Trinitatis testimonium triplicari. — Est enim caelum spi-

Triplex caelum.

rituale triplex secundum correspondentiam ad caelum materiale, videlicet caelum *summum*, quod est divina natura; de quo in Psalmo[3]: *A summo caelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius.* — Est caelum *medium*, quod est natura assumpta; de quo habetur in Psalmo: *Dominus in caelo sedes eius;* quod designatur per illud, Genesis primo: *Fiat firmamentum in medio aquarum* etc. — Est caelum *infimum*, quod est praesens Ecclesia, iuxta quod frequenter in Evangelio[4] dicitur: *Simile est regnum caelorum* etc. Per hoc, ut dicit Gregorius, datur intelligi praesens Ecclesia. — In hoc igitur triplici caelo dat primum Deus-trinitas testimonium de *se ipso*, dat per se ipsum testimonium de *Iesu Christo*, dat et per Christum testimonium de *hoc mundo*.

Pars I. Testimonium primum de se ipso triplex.

4. Testimonium autem dat Deus-trinitas de *se ipso* quoad *Patris maiestatem*, quoad *Filii veritatem*, quoad *sancti Spiritus bonitatem*. — Dat igitur

---

[1] Vers. 7. — Cfr. supra de Mysterio Trin. q. 1. a. 2, praesertim conclusio (pag. 54. seqq.), in qua explicatur triplex testimonium datum *pro* Triplaris mysterio, dum hic proponitur triplex testimonium unumquodque iterum triplicatum, quod ipsa Trinitas dat de se, de Christo et per Christum de mundo. Similia multa dicuntur Hexaem. collat. 9. n. 2. seqq. De dictis in introductione cfr. etiam 1. Sent. d. 2. q. 2. et 4, d. 5. a. 2. q. 2, et in specie de indivisione divinarum operationum ad extra 1. Sent. d. 2. q. 1. ad 3. et III. Sent. d. 1. a. 1. q. 2. in corp. et ad 2.

[2] Ultima verba *et in conformitate... veritas*, excideruntur B, et A videtur potius habere *unitas;* sed perperam; cfr. Hexaem. collat. 9. n. 19-22.

[3] Psalm. 18, 7. Seq. locus est Ps. 10, 5; tertius Gen. 1, 6.

[4] Cfr. Matth. 13, 24. 31. 33. 44. 47; 22, 2; 25, 1. — Locus Gregorii est II. Homil. in Evang. homil. 12. n. 1.

Digitized by Google

De primo. primum Deus-trinitas testimonium *maiestati* suae per *miracula omnipotentiae;* et hoc testimonium appropriatur *Patri;* et de hoc dicitur Ecclesiastici trigesimo sexto[1]: *Reple Sion inenarrabilibus virtutibus tuis, et gloria tua populum tuum. Da testimonium his qui ab initio creaturae tuae sunt;* hoc est, ostende omnipotentiam tuam, per quam creasti omnia de nihilo, et faciendo prodigia et mirabilia. Unde et paulo ante praemiserat: *Innova signa et immuta mirabilia. Glorifica manum et brachium dexterum.* Huiusmodi signa et mirabilia nihil aliud sunt quam quaedam testimonia manifestantia nobis divinae maiestatis immensam *potentiam.* Unde post miracula in Aegypto ostensa cantavit populus in deserto, Exodi decimo quinto[2]: *Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?*

3. Dat etiam secundo testimonium *veritati* suae
De secundo per *eloquentia sapientiae;* et hoc testimonium appropriatur *Filio*, secundum illud Ioannis tertio: *Qui est de terra de terra est et de terra loquitur; qui de caelo venit super omnes est; et quod vidit et audivit, hoc testatur*[3]. Hic autem est *unigenitus Dei Filius*, de quo in Ioannis primo: *Qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et ideo testimonium eius ab omnibus deberet accipi; et tamen subditur verbo praemisso: *Et testimonium eius nemo accipit*, licet istud sit testimonium manifestissimae veritatis. Propterea adiungit: *Qui accepit eius testimonium signavit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus verba Dei loquitur.* Si ergo Deus verax non profert nisi verbum veritatis; et Filius Dei docet verbum Dei: dat ergo certum testimonium veritatis; unde et ante in eodem capitulo[4] praemiserat: *Amen, amen, dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis.* Hoc enim dicit ipse Filius, loquens incredulis, qui veritatem non amant, et ideo non accipiunt testimonium veritatis. Nam omnis, qui est veritatis amator, est bonus testimonii fidelis auditor, secundum illud quod Salvator dicit Ioannis decimo octavo[5]: *Ego ad hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.*

6. Dat nihilominus Deus-trinitas testimonium
De tertio. *bonitati* suae per *charismata benevolentiae;* et hoc appropriatur *Spiritui sancto*, secundum illud primo Ioannis quinto[6]: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis.* Spiritus enim sanctus, descendens in corda nostra per gratiam adoptionis, dat testimonium divinae benignitati et dilectioni, secundum illud ad Romanos octavo[7]: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei;* in quo manifeste datur testimonium benignitati, dum servos et malos Deus sua permaxima benignitate adoptat in filios; quod quidem facit, cum Spiritum adoptionis dat in Sacramento regenerationis, et hoc per meritum passionis. Et ideo recte ista tria coniungit: *spiritus, aqua et sanguis.* In hoc enim *apparuit benignitas Salvatoris nostri Dei*, qui *secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti*, ad Titum tertio.

7. Ex dictis igitur colligi potest, quod Deus-tri- In creaturis omnibus
nitas testatur se ipsum trinum per vestigium *omni- Deus se testatur trinum.*
potentiae, sapientiae* et *benevolentiae.* Et quoniam hoc vestigium relucet in omnibus et singulis creaturis — nulla est enim creatura, quae sit omnino expers virtutis, veritatis et bonitatis — manifeste colligitur, quod Deus-trinitas manifestat et testificatur se ipsum trinum per universitatem omnium creatorum. — Ad
quod tamen testimonium audiendum et videndum Sed solis fidelibus.
aperiuntur aures et oculi solorum fidelium, quibus revelata sunt divina mysteria, secundum quod figuratur Isaiae sexto[8]: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat omnis terra maiestate eius.* Et post subdit: *Seraphim stabant super illud*, et *clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* In quorum voce expresse declaratur Trinitatis mysterium in hoc, quod ter dicunt *Sanctus;* et simul cum hoc, quod *omnis terra* beatissimae Trinitati gloriosissimum perhibet testimonium, ita ut vere possit dici illud Psalmi: Pater, *testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Omnia enim caelestia et ter- Notandum.
restria per Trinitatis vestigium testimonium dant *caelo summo*, id est Deo trino et uno; vel potius Deus trinus per hoc dat testimonium de se ipso. — Tres sunt igitur, qui testimonium dant in *caelo summo.*

8. Tres etiam sunt, qui testimonium dant in Pars II. Testimonium secundum de Christo triplex.
caelo mediio, hoc est de *Mediatore nostro*, Domino Iesu Christo, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus. Pater testificatur in *facto*, quia ipse est virtus; Filius in *dicto*, quia ipse est verbum; Spiritus sanctus in *animo*, quia ipse est amor et nexus.

9. Dat igitur primo testimonium *Deus Pater* De primo.
de Christo in *facto*, secundum quod ipse dicit Ioannis quinto[9]: *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quae dedit mihi Pater, ut*

---

[1] Vers. 16, ubi Vulgata pro *virtutibus* habet *verbis;* et seq. loc. ibid. v. 6. 7.

[2] Vers. 11.

[3] Vers. 31. 32; deinde respicitur Ioan. 1, 18, et sequitur continuatio praecedentis loci v. 32; denique v. 33. 34.

[4] Vers. 11.

[5] Vers. 37. Vulgata: Ego in hoc natus sum.

[6] Vers. 8.

[7] Vers. 16. Sequens locus est Tit. 3, 4-6: Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit etc.

[8] Vers. 1-3; sed multis omissis. — Seq. locus est Ps. 92, 5.

[9] Vers. 36. 37.

Digitized by Google

perficium ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Et qui misit me, Pater, ipse testimonium perhibuit de me. Hoc testimonium fuit per opera miraibilia, quia, sicut ipse dicit Ioannis decimo[1]: *Opera, quae ego facio, haec testimonium perhibent de me;* et illud est testimonium infallibile et indubitabile, et ideo qui huic testimonio non credunt sunt inexcusabiles. Unde Ioannis decimo quinto: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent* — quia possent habere aliquam excusationem — *nunc autem excusationem non habent de peccato suo,* quod hoc testimonium non accipiunt, quia non est humanum, sed divinum, et ideo non est repellendum, sed acceptandum, secundum illud primae Ioannis quinto[2]: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est, quoniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei habet testimonium Dei in se. Qui non credit in Filium mendacem facit Deum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo.* — Ex quo colligitur, quod qui non credit in Christum non credit in Deum, dum testimonium Dei Patris reputat esse mendacium; quod est summa impietas et blasphemia in Deum aeternum.

De secundo. 10. Testimonium etiam dat *Filius* de se ipso in *verbo*, sicut dicitur Ioannis octavo[3], ubi Pharisaeis insultantibus sibi et dicentibus: *Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum; respondit Iesus et dixit eis: etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum.* Quod videtur esse contrarium ei quod dicitur Difficultas explicatur. Ioannis quinto: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum;* quod quidem non est contrarium. Nam secundum *humanitatem* testimonium non habuit datum pro semetipso; secundum Divinitatem autem, quae est veritas, quae sibi testimonium perhibet, potest absque dubio de se ipso testimonium perhibere, quia in hoc testimonio solus non est, sed necessario coniunctus cum Patre; unde et paulo post subdit[4]: *In Lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me qui misit me, Pater.* — Si igitur iungatur testimonium Patris, quo testificatur de Filio per *factum*, et testimonium Filii, quo testificatur de se ipso per *verbum;* solidissimum erit testimonium. Si enim Christus mentiretur, dicendo se ipsum Deum; non posset esse tantorum actor miraculorum.

De tertio. 11. Testimonium etiam dat *Spiritus sanctus* Christo in *animo*, sicut dicitur primae Ioannis quinto[5]: *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.* Testificatur autem in animo eius, in quo inhabitat tanquam in templo suo; unde Ioannis decimo quinto: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me,* videlicet in cordibus vestris, et per vos testimonium perhibebit aliis; unde subdit: *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis;* quia Spiritus sanctus adveniens non solum testifica- Notandum. tur in occulto, sed etiam fecit testificari exterius in manifesto; sicut dicitur Actuum primo[6]: *Accipietis virtutem superveniente Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes* etc. Spiritus enim sanctus per Apostolos testimonium perhibuit Christo, per quos fides eius divulgata fuit in toto mundo tam solida et firma assertione, ut nullus de incredulitate se valeat excusare, nec aliquis fidelis haesitare de fide. Unde Richardus de sancto Victore[7]: « Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius, nihil constantius tenemus, quam quod fide apprehendimus. Sunt namque Patribus et caelitus revelata, et tam multis, tam magnis, tam miris signis, vel prodigiis divinitus confirmata, ut genus videatur esse dementiae in iis vel aliquantulum dubitare. Timur namque in eorum attestatione sive confirmatione *signis* pro argumentis, *prodigiis* pro experimentis ». Et paulo post: « Certe a summae sanctitatis viris sunt nobis tradita et cum summa et authentica attestatione prolata, te ipso *cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* ». — Sicut igitur Deus-trinitas per universitatem creatorum testimonium dat de *se ipso;* sic etiam universitate creatorum dat testimonium *Iesu Christo.*

Pars III. Testimonium tertium de mundo triplex. 12. Ut igitur fiat circulatio et perfectissima testificatio, opportunum est, quod Dominus Iesus testimonium perhibeat de *toto mundo;* et hoc est testimonium, quod dicitur dari in *tertio cuclo.* Dat autem Christus triplex testimonium: primum est *informativum*, secundum *approbativum*, tertium *increpativum.*

De primo. 13. Dat namque Christus testimonium *informativum* respectu *omnium*, secundum illud Isaiae quinquagesimo quinto[8]: *Ecce, testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.* Testimonium enim *informativum* gentibus et populis tra-

---

[1] Vers. 25. Vulgata post *facio* addit: in nomine Patris mei. Seq. locus est Ioan. 15, 24. Verba: *nunc autem... peccato suo,* sumta sunt ex v. 22.

[2] Vers. 9. Vulgata pro *non credit in Filium mendacem facit Deum* legit: non credit Filio mendacem facit eum.

[3] Vers. 13, 14. Seq. locus est Ioan. 5, 31.

[4] Cap. 8, 17.

[5] Vers. 6. Seq. locus est Ioan. 15, 26, cui subiungitur v. 27.

[6] Vers. 8; Sed accipietis etc.

[7] Libr. I. de Trin. c. 2. Ed. Migne post *miris* non bene omittit *signis vel.* Post *aliquantulum dubitare* in originali sequitur: Innumera itaque miracula et alia, quae non nisi divinitus fieri possunt, in huiusmodi fidem faciunt et dubitare non sinunt; utinam itaque in eorum etc. — Ultima huius loci verba sumta sunt ex Marc. 16, 20.

[8] Vers. 4.

Digitized by Google

Fit triplex tes. didit in *vita*, *doctrina* et *patientia* sive poena; et ideo tria dicit, *testem* scilicet, *ducem* et *praeceptorem*. Doctrina enim non *acceptatur* nisi cum *bona vita*, nec *authenticatur* nisi per *patientiam*; sicut enim dicitur in Proverbiis [1], *doctrina viri per patientiam noscitur*. Et ideo Christus testimonium suae *doctrinae* ratificavit per testimonium *patientiae*, secundum illud primae ad Timotheum secundo: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis.* Cuius testimonium operibus suis confirmatum est; hoc fuit testimonium *passionis*, per quod nos informavit et conformavit; unde primae ad Timotheum sexto [2]: *Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bona confessione, ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile.*

Idem fecerunt Martyres. 14. Huius autem testimonii imitatores perfecti sunt Martyres, qui et *testes* dicuntur, quia testimonium Christi non tantum imitati sunt in *vita* et *doctrina*, sed etiam in *patientia*, qua vicerunt omnem inimici perfidiam, secundum illud Apocalypsis duodecimo [3]: *Ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Hoc dictum intelligitur de Martyribus, in quibus testimonium Christi quodam modo renovatur ad informationem et conformationem aliorum.

De secundo. 15. Dat vero testimonium *approbativum* respectu *iustorum*; de quo gloriabatur Iob decimo sexto [4]: *Ecce enim, in caelo testis meus et conscius meus in excelsis.* Ille enim gloriari potest de testimonio Christi approbante, qui non habet remorsum conscientiae, ut secundae ad Corinthios primo: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* In quo quidem testimonio non est gloriandum secundum se, nisi concurrat testimonium superium, ut qui gloriatur non in se, sed in *Domino glorietur*, ne forte gloriatio sua frustata sit super mendacio, a quo immunes non sunt, nisi qui approbantur per Christi testimonium. Propter quod dicebat Apostolus ad Romanos nono [5]: *Veritatem dico et non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto*; et ad Philippenses primo: *Testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.* Sine hoc testimonio *approbativo* vana est humani testimonii approbatio; et ideo illud est potissime inquirendum; aliud vero, scilicet humanum, non est nisi propter alios opportunum, videlicet ad aedificationem aliorum, secundum illud primae ad Timotheum tertio [6]: *Oportet autem, illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.* — Quando enim haec duo testimonia concurrunt, tunc redditur homo approbatus coram Deo et hominibus; et talis deberet esse praelatus, qualis erat ille, de quo dicitur in Canonica Ioannis: *Demetrio testimonium redditur ab omnibus et ab ipsa veritate.* Nam humanum testimonium sine veritatis contestatione est nihilum computandum. Applicatio.

De tertio. 16. Dat etiam tertio testimonium *increpativum* respectu *perversorum*, secundum illud Apocalypsis tertio [7]: *Haec dicit: amen, testis fidelis et verus; scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus*; quod quidem dictum est ad increpationem *negligentium*. Si ergo Christus sic increpat desidiosos, quanto magis increpat et detestatur farinorosos! — Hoc autem testimonium odiosum est malis, secundum illud Ioannis septimo [8]: *Non potest mundus odisse vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt.* In quo magis apparet eius malitia, quia non solum vult male agere, sed etiam eum odit, qui vult ad viam veritatis reducere. Sed certe, quia nolunt nunc testimonium Christi audire ad correctionem, audient illud aliquando ad suam damnationem, secundum illud Ieremiae vigesimo nono [9]: *Ego sum iudex et testis, dicit Dominus*; quia ipse idem, qui dat testimonium increpativum, dabit et iudicium condemnativum. Et hoc est quod minatur Dominus per Michaeam: *Dominus Deus sit vobis in testem, Dominus de templo sancto suo; quia ecce, Dominus egredietur de loco suo et descendet et calcabit super excelsa terrae; et consumentur montes subtus eum, et valles scindentur sicut cera a facie ignis.* In quo ostenditur triplex adventus ipsius iudicis, cuius testimonium et iudicium non poterit declinari; de quo Malachiae tertio [10]: *Accedam ad vos in iudicio, et ero testis velox maleficis et adulteris et periuris* etc., pro eo, quod nullus poterit effugere a facie eius nec aliquid occultare, simul in unum concurrentibus libro vitae et libris conscientiarum [11]. — Ad hoc autem testimonium terribile declinandum perutile est consilium Boethii, in fine libri de Consolatione [12], ubi sic ait: « Aversamini vitia, colite virtutes, ad rectas spes animum levate, humiles preces in excelsa porrigite. Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis ». — Explicit.

Est odiosum malis. Notandum. Triplex adventus iudicis.

Notandum.

---

[1] Cap. 19, 11. Seq. locus est I. Tim. 2, 5.

[2] Vers. 13. 14. Vulgata: *bonam confessionem* pro *bona confessione*.

[3] Vers. 11: Et ipsi etc.

[4] Vers. 20. Seq. locus est II. Cor. 1, 12: Nam gloria etc.

[5] Vers. 1. Vulgata: Veritatem dico in Christo, non mentior etc. Seq. locus est Phil. 1, 8.

[6] Vers. 7. Seq. locus est III. Ioan. v. 12.

[7] Vers. 14. 15.

[8] Vers. 7. Vulgata: *quod opera* pro *quia opera*. Superius pro *farinorosos* A *schismaticos*.

[9] Vers. 23. Seq. locus est Mich. 1, 2: Audite populi omnes, et attendat terra et plenitudo eius; et sit Dominus etc.

[10] Vers. 5.

[11] Cfr. IV. Sent. d. 43. a. 2. 3. et Breviloq. p. VII. c. 1.

[12] Libr. V. prosa 6. Originale: *sublevate* pro *levate*.

Digitized by Google

SERMO II.

De regno Dei descripto in parabolis evangelicis [1].

SUMMARIUM. — *Introductio; nobilissimum est evangelizare regnum Dei, numero* 1. — *In ista parabola generaliter notantur de Deo tria: potentia, providentia, iustitia*, 2. — *Divisio in tres partes: prima, de regno Dei absolute considerato, quae habet quinque quaestiones; secunda, quomodo conveniat ei similitudo in duodecim parabolis evangelicis; tertia, de tribus circa malum quaestionibus*, 3. — Pars I. De ipso regno Dei in se considerato. *Primo, quid sit regnum Dei. Definitio secundum S. Paulum; tres eius conditiones: iudicia directa, imperia tranquillata, desideria consummata*, 4. — *Haec nunc deficiunt*, 5-7. — *Exemplum*, 8. — *Secundo, ubi sit regnum Dei; primo, non in exterioribus, sed in interioribus*, 9. — *Secundo, non in inferioribus, sed in superioribus*, 10. — *Tertio, non in rebus creatis, sed in rationibus causalibus*, 11. — *Viae peccatorum opponitur via adventicia Salvatoris*, 12. — *Tertio, quale sit regnum Dei; est gloriosum, speciosum, deliciosum; de his singillatim*, 13-15. — *Quarto, quantum sit regnum Dei; est magnum longitudine aeternitatis, latitudine caritatis, celsitudine sublimitatis*, 16-18. — *Quinto, quorum est regnum Dei; regnum gloriae non est nisi habentium gratiam; gratia est quadruplex: prima, gratia baptismalis; haec conservatur per tria: per fidem veritatis, amorem bonitatis, imitationem virtutis*, 19-22. — *Secunda, gratia poenitentialis; haec exercetur tribus modis: in suppeditatione mentalis arrogantiae per humilitatem, in refrenatione mundialis avaritiae per paupertatem, in macceratione carnalis concupiscentiae per castitatem*, 23-27. — *Tertia, gratia finalis; necessaria est cooperatio liberi arbitrii; ad integritatem gratiae finalis requiruntur tria: stabilis patientia, sublimis confidentia, longanimis perseverantia*, 28-33. — *Quarta, gratia sapientialis, quae integratur tribus: sapientialibus speculationibus, desideriis, exercitiis*, 34-36. — Pars II. Regnum Dei descriptum apte in duodecim parabolis evangelicis. *Parabolae Evangelii reduci possunt ad duodecim; tres quidem ex parte Opificis, scilicet ut creantis, gubernantis, retribuentis*, 37. — *Tres ex parte Redemptoris, scilicet descendentis in mundum, conversantis in caelum, revertentis ad iudicium*, 38. — *Tres ex parte doni gratuiti, scilicet quoad gratiam praevenientem, concomitantem, subsequentem*, 39. — *Tres ex parte liberi arbitrii: quoad simplicitatem intentionis, studiositatem sollicitudinis, strenuitatem operationis, quarum singulae duo requirunt*, 40-42. — Pars III. Tres quaestiones de malo. *Primo, unde malum orintur*, 43. — *Secundo, quare sustineatur*, 44-46. — *Tertio, quomodo puniatur*, 47.

Introductio.

1. *Simile est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo*, Matthaei decimo tertio [2]. — *Detinebant illum, ne discederet ab eis*, scilicet Galilaei, *quibus ipse ait: Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia idcirco missus sum.* Istud verbum ultimum scribitur Lucae quarto; ubi notandum, quod inter omnia officia hierarchica nobilissimum officium est evangelizare regnum Dei, ad quod quidem officium dicit se Christus missum. Unde Isaiae sexagesimo primo [3]: *Spiritus Domini super me ad annuntiandum* vel evangelizandum. Bonae ergo vitae debet esse qui vult Christi officium exercere; et nisi ipse praecepisset, Matthaei decimo: *Euntes praedicate, dicentes, quia appropinquabit regnum caelorum*; mirum esset, quomodo aliquis praedicare auderet. Quia ergo, carissimi, ad tam dignum officium vita nostra non sufficit, rogemus etc.

Nobile est officium evangelizandi regnum Dei.

2. *Simile est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.* In ista tota parabola Evangelii hodierni tria notantur in generali. Primum est divina *potentia* sive [4] *sapientia* in con-

Tres in ista parabola notantur.

De primo.

---

[1] Bonelli inscripsit hunc sermonem titulo: *De seminante*, qui rem tractatam valde imperfecte exprimit. Ipse usus est codice bibliothecae Laurentianae, a nobis in Prolegomenis descripto, et interdum quodam Assisiensi, qui breviorem textum habet. Retinuimus numeros ab eodem appositos usque ad numerum 41; inde alter res distribuimus.

[2] Vers. 24. Vulgata: Simile factum est etc. Seq. locus est Luc. 4, 43. — Notandum, auctorem principaliter quidem agere de *regno caelorum*, ut in cit. parabola intelligitur, tamen etiam ceteras de regno caelorum parabolas evangelicas considerat. — Illud Evang. in Missali R. adhibetur Dom. V. post Epiphaniam.

[3] Vers. 1. Seq. locus est Matth. 10, 7. Vulgata: quia appropinquavit. — Inferius pro *carissimi* A C *fratres*.

[4] A C omittunt *potentia sive*; inferius ex A B C substituimus *creaturae bonae* pro *creaturae bonitas*. Locus Scripturae est Gen. 1, 31. Glossa illa est *interlinearis* apud Lyranum, Matth. 13, 24.

Digitized by Google

ditione creaturarum; quod designatur per hoc quod dicitur: *Simile est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. — Bonum semen* creaturae bonae, Genesis primo: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat; et erant valde bona. Ager,* sicut postmodum ipsemet Christus exponit, est mundus; et dicit ibi Glossa: « Bonum non seminat nisi bonus ».

Secundum est divina *providentia* in longanimitate et sustinentia malorum; quod notatur ibi: *Ne forte, colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Simile utraque crescere usque ad messem*[1]; interlinearis: « Ecce, longanimitas, quae usque ad finem est necessaria ». De secundo.

Tertium est divina *iustitia* in retributione meritorum; quod notatur ibi: *Et in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum*[2]; interlinearis: « Qui longanimiter tulit per iustitiam digna retribuit ». Et propter hoc, sicut dicit Glossa, « in patiendo iustitiam meditemur, in iudicando patientiam non negligamus ». De tertio.

3. Sed quia *nobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant*, sicut dicitur Lucae octavo[3]; et nullae rerum similitudines bene cognoscuntur, nisi prius cognitis ipsis rebus, sicut non possum cognoscere, quod Petrus sit similis Paulo, nisi prius utrumque cognoscam; ideo de regno caelorum videnda sunt aliqua absolute, et postmodum, quomodo conveniat ei similitudo. Et sunt hic de regno caelorum sex consideranda. Divisio 1. et 2. partis.

Primum est, quid sit regnum caelorum.

Secundum, ubi sit.

Tertium, quale sit.

Quartum, quantum sit.

Quintum, quorum sit.

Sextum, de parabolis regni, quae inveniuntur in Evangelio duodecim[4].

Ultimo autem videndum erit de tribus quaestionibus difficilibus, quae in hanc parabolam incidunt, De 3. parte.

videlicet unde malum oriatur, quare sustineatur, et quomodo puniatur.

4. Primum igitur videndum est, *quid* sit regnum. Quid sit, dicit Apostolus ad Romanos decimo quarto[5]: *Regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto.* Hic subtiliter describit Apostolus felicitatem totius *liberi arbitrii*, quod est facultas voluntatis et rationis. Quid autem est regnum Dei? *Regnum Dei* nihil aliud est quam influentia deiformis, universaliter rectificans *iudicia* rationis, tranquillans vel pacificans *imperia* facultatis, adimplens vel laetificans *desideria* voluntatis. Unde *iustitia* nihil aliud est quam iudiciorum rationis universalis rectificatio; *pax* nihil aliud est quam imperiorum facultatis universalis tranquillitas; *gaudium* nihil aliud est quam desideriorum voluntatis universalis[6] adimpletio. Et tunc regnat liberum arbitrium, et regnum animae totaliter est pacatum; quod impossibile est fieri in praesenti. Nam quod omnia *iudicia* nostra sint directa, *imperia* tranquillata, *desideria* consummata, impossibile est, dum sumus in hac vita. Pars I. De regno in se considerato. Primo, quid sit. Definitio. Haec tria nunc deficiunt.

5. De *iudiciis* patet in scientiis, maxime medicorum, iuristarum, astrologorum, theologorum; per quas quidem scientias omnia fere reguntur. — Medicorum enim iudicia saepe sunt obliqua; quia illa sunt media inter *innatum* et *accidens*, et accidentia sunt varia et innumerabilia, et modicum temporis[7] complexionem immutat; et propter hoc falluntur. — Iuristarum iudicia saepe sunt distorta; quia illa sunt medium inter *verum* et *verisimile*, et interdum, quia verisimile probatur et magis apparet, verum diminuitur, et decipiuntur[8]. — Astrologorum iudicia similiter saepe sunt fallibilia, quia illa sunt media inter *necessarium* et *possibile*. Quia enim causae inferiores sunt possibiles et[9] ideo variabiles, idcirco multoties decipiuntur. — Theologorum iudicia similiter quandoque sunt minus recta, quia illa sunt media inter *aeternum* seu aeviternum et *temporale*. Temporalia sunt intentiones, affectiones et circumstantiae innumerabiles, quae interdum variant operationes[10] et in aliud genus mutant: et ideo, quia Primo, quod iudicia. Nunc sunt fallibilia.

---

[1] Matth. 13, 29. 30. — Ex A B C pro *intellige* substituimus *interlinearis: Ecce, longanimitas, quae* etc.: quae Glossa est apud Lyranum ibi, sed sine *Ecce*, quod est ibi in *ordinaria*.

[2] Ibid. vers. 30. — In sequ. secuti sumus A B C, qui habent *interlinearis*, licet apud Lyranum verba haec sint in Glossa *ordinaria*. Bonelli, supplens brevior dicta, hic exhibet duas Glossas ordinaria, ut leguntur apud Lyranum loc. cit. sic: horreum meum. Intelligo iustitiam, quae in fine exercebitur. Et propter hoc dicit Glossa super illud *simile* etc.: Sicut inter lolium et triticum, quandiu herba est, parum distat: ita monet Dominus, ne de ambiguo iudicemus, quod Dominus in die iudicii non suspiciose, sed manifeste dinumerabit. In patiendo iustitiam meditemur, in iudicando patientiam non negligamus. Et super illud *et in tempore* etc.: qui longanimiter tulit per iustitiam digna retribuit; discretae sunt enim virtutes, sed non contrariae.

[3] Vers. 10. — Inferius pro *cognitis ipsis rebus* D E *res ipsae cognoscantur*.

[4] Bonelli, retinentibus A B C, habet *Christi* pro *duodecim*, et inferius *videndum est* pro *videndum erit*; subinde *difficillimis* pro *difficilibus*.

[5] Vers. 17. — Quod liberum arbitrium sit facultas utriusque potentiae, defendit S. Bonav., II. Sent. d. 25. p. 1. a. 1. q. 2. 3. et dub. 4. — Pro *totius* mallemus *in regno* sive *regni*.

[6] Ita Bonelli et B; in aliis omittitur *universalis*. Subiunde ante *peri* idem perperam adiicient *posse*; porro pro *Nam quod* ponunt *Nam hoc ut*, et *tranquilla* pro *tranquillata*, quod habent cod. Assisiens. et C D E, et repetunt infra. — Ista tria respondent analogiae cum *regno*.

[7] Ita A C D E: Bonelli *tempus*.

[8] Cfr. de iuristis Hexaem. collat. 5. n. 21.

[9] Bonelli transponit *et* ante *idcirco*, et deinde ante *aeviternum* omittit *seu*, quod habent A B C.

[10] A C D E *peccata*. Hinde respicitur Eccle. 9, 1: Nescit homo, utrum amore etc. — Ex A C D E substituimus *animarum iudices* pro *animarum iudicia*.

Digitized by Google

nemo scit, *utrum* aliquis *amore*, *an odio dignus sit*, animarum iudices aliquando falluntur. — Sic ergo patet, quod humana iudicia in hac vita non sunt universaliter recta.

Secundo, quoad imperia.

6. De *imperiis* autem nostrae facultatis similiter patet. Quis enim unquam in praesenti habuit omnia imperia sua tranquillata? Habemus enim nos miseri pugnam quadruplicem, qua iugiter impugnamur, scilicet pugnam *temporis*, *corporis*, *sensualitatis* et *voluntatis*. — *Tempus* impugnat nos miserabiliter: aestas per nimiam caliditatem, hiems per nimiam frigiditatem, autumnus per nimiam siccitatem, ver per excedentem humiditatem. Tempus etiam est principium corruptionis. — *Corpus* etiam nos impugnat et affligit, modo famescens [1], modo febricitans, modo frigescens etc. — Quis autem de *sensualitate* dubitet, quin nobis inferat magnam pugnam, voluntati multoties contraliceus? Vult enim comedere, habere, dormire et cetera huiusmodi. — Contra *voluntatem* etiam pugnam habemus, quia nec ipsa multoties est obediens rationi, immo etiam in semetipsa est contraria et diversa. Nam [2] contradicit divinis legibus nec vult subiici rationi; sed in semetipsa est contraria et divisa; nam vellet velle quod non potest velle. — Cum igitur nullus sit in hac vita, qui non molestetur hac pugna quadruplici, planum est, quod nullus hic habet sua imperia tranquillata [3].

Quatuor impugnantia. Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

Tertio, quoad desideria. Sunt quatuor. Primum. Secundum. Tertium.

7. De *desideriis* utique hoc idem patet. Quis est enim qui in praesenti habeat sua [4] desideria? Nullus. Sunt autem quatuor desideria, quae sunt fere ad omne malum inductiva [5], scilicet desiderium *principandi*, desiderium *sciendi* vel cognoscendi, desiderium *delectandi* et desiderium *abundandi*. Primum est radix *superbiae*, secundum *curiositatis*, tertium *lasciviae*, quartum *cupiditatis*. — Primum desiderium impleri non potest, quia, etsi toti mundo principeris, mors tamen principabitur tibi, quia, ut dicit Sapiens Ecclesiastici decimo [6], *omnis potentatus*, id est principatus, *vita brevis*. — Secundum desiderium impleri non potest, quia, si per multos annos viveres, adhuc naturam unius festucae, seu muscae, seu minimae creaturae de mundo ad plenum cognoscere non valeres. — Tertium desiderium, scilicet delectandi, hic impleri non potest, quia, ubi inveneris delectamentum, sequitur postea cruciatus et tormentum. Omnis enim delectatio in praesenti respersa est amaritudine [7]. — Quartum autem desiderium, scilicet abundandi, similiter hic impleri non potest, quia *avarus non implebitur pecunia* [8]. Unde Bernardus in libro de Diligendo Deo: « Pecunia sic non minuit animae famem, quomodo nec corporis ventus. Denique si fanelicum hominem apertis faucibus, vento inflatis haurire buccis aerem cernas, quo quasi consulat fami; nonne credas insanire? Sic non minoris insaniae est qui spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari quam satiari. Quid namque de corporibus ad spiritus? Nec illa sane spiritualibus, nec isti e regione corporalibus refici queunt ». Totum est Bernardi.

Quartum.

8. Nota de Alexandro rege, qui cum audiret Epicureos ponentes duos mundos, cogitavit statim, quomodo secundum mundum posset habere; et dixit: modo habeo plura [9] facere. — Et propterea multum debemus desiderare regnum illud, ubi universaliter et recta erunt nostra iudicia, pacificata imperia et desideria terminata.

Exemplum. Conclusio.

9. Secundo videndum est, *ubi* sit illud regnum, ut sciamus, quo [10] debeamus quaerere. Ad hoc notandum, quod illud regnum non est in *exterioribus*, sed in interioribus, quia est *spirituale*. Item, non est in *inferioribus*, sed in superioribus, quia *sublime*. Nec est [11] etiam in *creatis rebus*, sed in causalibus rationibus, quia *perpetuum* et *incorruptibile*.

Secundo, ubi sit. Triplex assertio.

Non est, inquam, illud regnum in *exterioribus*, sed in interioribus. Unde dicit Salvator noster Lucae decimo septimo [12]: *Ecce, regnum Dei intra vos est*. Sed quid sibi vult hoc? Si intra nos est, videtur, quod sit regnum valde exiguum et angustum. — Sed attendendum, quomodo *magnum* est. Quadruplex est virtus in anima, scilicet *sensus*, *imaginatio*, *ratio* et *intelligentia*. Vide, quantum *sensus* capit. Oculus enim in puncto pupillae totum apprehenderet mundum, secundum quosdam, si non haberet obstaculum. *Imaginatio* vero multos tales potest apprehendere mundos. *Ratio* vero ulterius apprehendit, quia abstrahit *universale*, quod est semper et ubique, a *particulari*, quod est hic et nunc. Si ergo sensus, imaginatio, ratio tantae sunt capacitatis et apprehen-

De prima. Difficultas solvitur. De magnitudine regni. Notanda doctrina.

---

[1] Bonelli, refragantibus codd., *famescit*.

[2] Ita A C et magna ex parte etiam B et E D. Bonelli, secutus cod. Assisiens., sic: *huiusmodi: ipsa etiam voluntas multipliciter nos impugnat. Saepe namque contradicit.*

[3] Haec praeposito deest in A B C.

[4] Ita A C; Bonelli *habeat desideria consummata. Scilicet*, et autem omittit *utique*, ac transponit *qui post praesenti*.

[5] A C D E *radicatia*.

[6] Vers. 11.

[7] Hanc propositionem adiecimus ex B E.

[8] Eccle. 5, 9. — Superius post *delectandi* supplevimus ex B *hic*. — Locus Bernardi est c. 7. n. 21. Ex A C et originali in fine substituimus *repci queunt* pro *repci possunt*.

[9] Bonelli male et contra codd. omittit *plura*, et subinde ponit *postea* pro *propterea*. — Post *facere* cod. Assisiens. (et brevius D E) prosequitur: Cum igitur regnum istud mundanum non habeat recta iudicia nec tranquilla imperia nec desideria iucunda, desiderare debemus illud regnum, in quo et recta erunt nostra iudicia et pacificata imperia et desideria consummata. — Praecedentia simili modo exhibet S. Bernardinus, Comment. in Apoc. c. 11. sub v. 5. — Pro *desideria adimpleta* ex A C substituimus *desideria terminata*.

[10] Ita rectius C (scil. *quo loco*); A *quomodo*, Bonelli *quod*.

[11] Ita A C; Bonelli *fiet*. — De rationibus causalibus dicit auctor (II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2.): Rationes causales sunt formae ideales sive exemplares, in divina voluntate servatae.

[12] Vers. 21. — Post hunc locum contra codd. Bonelli repetit *intra vos* pro *intra nos*. — De sequ. cfr. Itiner. mentis in Deum, c. 1. n. 6. — Inferius male *in puncto* omisimus cum A C *quasi*, et cum eisdem adiecimus *secundum quosdam*.

Digitized by Google

sionis; quid est intelligentia, quae nata est apprehendere Deum[1], summum bonum? Ergo non parvum regnum est, quod intra nos est, sed *maximum* et *infinitum*.

10. Non est iterum illud regnum in *inferioribus*, sed in superioribus. Unde dicit Salvator Ioannis decimo octavo[2]: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Non vult dicere, quod iste mundus eius non sit imperio subiectus, sicut quidam dicunt haeretici[3]; sed vult innuere, quod regnum suum in superioribus, non in inferioribus, quaeratur; quia necesse est, illud ibi esse, alioquin non esset regnum completum. — Est enim quadruplex agens: *elementare*, *aetheriale*, *aeviternum* seu *sempiternum* et *aeternum*. Primum est transmutabile secundum *formam*[4]; secundum, quantum ad *situm*; tertium, secundum *affectiones*; quartum vero *nec est mobile* nec *transmutabile*. Ergo in isto est ponere regnum *sublime*.

De secunda. Notandum. Quadruplex agens.

11. Non est tertio istud regnum in *creatis rebus*, sed in rationibus causalibus. Propter quod dicit Salvator Lucae vigesimo secundo[5]: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam.* Ista mensa non materialis est, sed sapientialis, in qua tot sunt ferculi, quot relucent creaturarum rationes. De hac mensa, Proverbiorum nono: *Sapientia aedificavit sibi domum*, quando scilicet assumsit carnem humanam; *excidit columnas septem*, quando per septiformem gratiam Spiritus sancti[6] Ecclesiam roboravit; *proposuit mensam*, quando rationes omnium aeternas et viventes animae cum ipso regnanti contemplandas et cognoscendas praeparavit; et haec est praeparatio *mensae*. — Apparebunt autem spiritibus gloriosis rationes illae viventes tanquam in *speculo*, tanquam in *libro*, tanquam in *mensa*: in *speculo*, quia pulcriformiter; in *libro*, quia stabiliter et indelebiliter; in *mensa* vero, quia delectabiliter.

De tertia. De mensa caelesti. Tripliciter apparent rationes viventes.

12. Et quia de interioribus ad exteriora egressi eramus, de superioribus ad inferiora recideramus, creaturam pro Creatore diligebamus; ideo Dominus noster Iesus Christus venit de *interioribus* ad exteriora, iuxta illud Iob vigesimo octavo[7]: *Trahitur sapientia de occultis*; ut nos de exterioribus ad interiora revocaret. De *superioribus* etiam descendit ad inferiora, iuxta illud Evangelii beati Ioannis[8]: *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam* etc.; et Ecclesiastici vigesimo quarto: *Ego in altissimis habito, et thronus meus in columna nubis*; ut nos de inferioribus traheret ad superiora. Ipse nihilominus *Creator* noster assumsit creaturam, iuxta illud Ioannis primo: *Verbum caro factum*; ut ab amore inordinato creaturae ad suum amorem reduceret.

Vias nostras opponitur ei Christus.

13. Tertio videndum est, *quale* est istud regnum. Ad quod intuendum, quod est regnum *gloriosum*, *speciosum*, *deliciosum*, et hoc propter Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Patri appropriatur *celsitudo gloriae*, Filio *pulcritudo sapientiae*, Spiritui sancto *dulcedo benevolentiae*. Ibi est ergo omnis sublimitas, formositas et suavitas.

Tertio, quale sit. Tres proprietates.

Dico igitur, quod est illud regnum *gloriosum*, iuxta illud Psalmi[9]: *Gloriam regni tui dicent.* Hoc autem erit, quando spiritus glorificati quidquid boni habebunt in primum resolvent principium. Et propter hoc Angeli sunt in continua laude et glorificatione, quia illud quod continue accipiunt, in eum qui solus potest gloriari[10], resolvunt. Unde etiam hic, quanto anima ea quae accipit, humilius suo attribuit principio, tanto est illius regni gloriae vicinior. Gloria autem regni aeterni erit in hoc, quod spiritus glorificati Dominum nostrum, formatorem, reformatorem, gubernatorem, glorificatorem laudabunt perpetuo et glorificabunt. Sic ergo regnum Dei est *gloriosum*.

Primo, est gloriosum. Notandum.

14. Est iterum istud regnum *speciosum*, iuxta illud quod dicitur Sapientiae quinto[11]: *Accipient*, scilicet Sancti, *regnum decoris et diadema speciei de manu Domini.* Diadema speciei seu regnum decoris nihil aliud est, quam videre pulcritudinem rerum sensibilium, spiritualium rationalium[12], humanitatis Christi, Divinitatis unius Dei et trini. — Augustinus dicit in sexto Musicae[13], quod « pulcritudo nihil aliud est quam aequalitas numerosa », quae ibi erit per omnia.

Secundo, speciosum. Dilecta quatuor visionis.

---

[1] Bonelli omittit *Deum*, refragantibus A B C.

[2] Vers. 36. — Cum A C post *superioribus* omisimus *quia sublime*, et substituimus *ut imperio subiectus* pro *subiat imperio*.

[3] Scilicet Manichaei: cfr. II. Sent. d. 1. p. 1. a. 2. q. 1. in corp. Inferius de differentia inter *aeviternum* et *aeternum* cfr. II. Sent. d. 2. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.

[4] De variis modibus et transmutationibus cfr. I. Sent. d. 37. p. II. dub. 2.

[5] Vers. 28-30. — Inferius ex solo cod. Assisiens. Bonelli posuit *spiritualis* pro *sapientialis*, quae vox respondet sequenti loco Scripturae, Prov. 9, 1. 2. Idem contra codd. posuit *rerum omnium* pro *creaturarum*. — De septem columnis sive donis Spiritus S. cfr. opusculum de septem Donis, collat. 9. n. 8. seqq.

[6] Pro *septiformem gratiam Spiritus sancti* codd. omnes *septiformem Spiritum sanctum* (aliqui *Spiritum suum*). — Ante *aeternas* Bonelli addit *sempiternas*, refragantibus A C.

[7] Vers. 18.

[8] Cap. 6, 38: Quia descendi etc. Hunc locum supplevimus ex A C. — Seq. locus est Eccli. 24, 7; tertius Ioan. 1, 14.

[9] Psalm. 144, 11.

[10] Ita A C, sed D E *glorificari*, Bonelli *glorificare*.

[11] Vers. 17. — Superius ex A C substituimus *iterum istud* pro *etiam illud*.

[12] Ita bene A C; Bonelli *sensibilium et insensibilium, rationalium et irrationalium, humanitatis*.

[13] Cap. 13. n. 38. Cfr. XXII. de Civ. Dei, c. 19. n. 2, et Hincmarus in Deum, c. 2. n. 5. et tom. I. pag. 511, nota 8. ac tom. IV. pag. 1025, n. 3. — Subinde ex A B D adiecimus *quae ibi erit per omnia*. Bonelli, secutus cod. Assisiens., haec verba omisit; quorum loco addit: Unde ubi non est numerus, non est pulcritudo; ut patet in eo qui habet unum oculum; similiter ubi est numerus sine aequalitate, non dicitur esse pulcritudo, sicut in eo qui habet unum oculum parvum et alium magnum. Est tertio.

Digitized by Google

15. Est tertio istud regnum *deliciosum*; propter quod dicitur Lucae decimo quarto[1]: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Quid sibi vult hoc? Eroutne ibi alia fercula quam panis? Non. Iste enim sufficiet, quia habebit in *se omne delectamentum et omnis saporis suavitatem.* Iste est panis Angelorum. Si igitur homines tantum delectantur in pane materiali, pro eo quod vitam continuat mortalem; quanta erit delectatio in pane illo, qui est vita per essentiam? Isto solo et nullo alio potest satiari anima. — Et ratio huius est[2], quia solus est *intimus*, solus *convenientissimus*, solus *sufficientissimus*, solus *abundantissimus.* Solus, dico, *intimus* est animae iste panis; quia solus per essentiam intrat in animam, et ideo solus potest ipsam reficere. Alia vero non intrant in animam per essentiam, sed solum secundum similitudinem; unde dicit Philosophus[3], quod lapis non est in anima, sed similitudo lapidis; et ideo talia reficere non possunt. — Item, solus est animae *convenientissimus;* nam nihil alicui melius convenit quam ille, ad cuius imaginem[4] factus est. Anima vero ad imaginem Dei facta est; et ideo ipse solus, eidem conveniens, ipsam satiat et delectat: quia delectatio est commutio convenientis cum convenienti. — Item, solus *sufficiens* est, quia solus totam implet animam; et ideo per se totam reficere potest. — Item, *abundantissimus* est, quia cum infinitus sit[5], ipsius animae capacitatem excedit. Beatus ergo, qui manducabit panem istum *in illo regno.*

Tertio. deliciosum — Ratio quadruplex. — Prima. — Secunda. — Tertia. — Quarta.

16. Quarto videndum est, *quantum* est istud regnum. Hic deficit sensus, imaginatio, ratio et intelligentia. Est enim magnum *longitudine* aeternitatis incorruptibilis vel interminabilis; est magnum *latitudine* caritatis[6] incoarctabilis; est magnum *celsitudine* sublimitatis incomprehensibilis. Est, dico, istud regnum magnum *longitudine* aeternitatis incorruptibilis, iuxta quod dicitur in Psalmo[7]: *Regnum tuum regnum omnium saeculorum*, id est sempiternum; Tobiae decimo tertio: *Magnus es, Domine, in aeternum et in omnia saecula regnum tuum;* Danielis tertio in verbo Nabuchodonosor: *Regnum eius regnum sempiternum, et potestas eius in generationem et generationem;* et septimo: *Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur.* Quia enim potestas Regis[8] corrumpi non poterit, ideo regnum est aeternum. — Non enim corruptibile est in se sive *ab intra;* et ideo beatus Petrus in Canonica vocat illud regnum *gloriam immarcescibilem.* Illud enim est immarcescibile, quod non habet in se aliquam rationem vel causam corruptionis; et econtra flos est marcescibilis, quia in se est corruptibilis. — Item, nec *a supra* nec *a iuxta* nec *ab infra* corrumpi poterit, quia potestas Regis aeterna, nec quisquam praevalet ei. — Nec est aliquid, quod tantum valeat ad spernendam momentaneam vanitatem, sicut cogitare iugiter gloriae aeternitatem.

Quarto, quantum sit. — Triplex magnitudo. — De prima. — Ratio 1. — Ratio 2.

17. Est iterum istud[9] regnum magnum *latitudine* caritatis incoarctabilis; quia, licet ibi sint *ex omni lingua, populo, tribu et natione;* in nullo tamen propter hoc coarctatur, immo magis ampliatur, quia inde cuilibet gloria sua accrescit. Unde dicit beatus Augustinus octavo Confessionum[10]: « Quando enim multis gaudetur, et in singulis uberius est gaudium, quia ferveficiunt se, et inflammantur ex alterutro ». Propter istam latitudinem dicitur in Psalmo[11]: *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae;* et Matthaei octavo: *Multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum.* Nec enim multitudo desiderantium nec multitudo existentium nec multitudo possidentium nec multitudo advenientium coarctabit locum, aut faciet cuiquam praeiudicium. — Nota anteon auctoritatem Gregorii quarto libro Moralium in fine[12].

De secunda.

18. Est tertio istud regnum magnum *celsitudine* sublimitatis incomprehensibilis. A magnitudine vero

De tertia.

---

[1] Vers. 15. — Cfr. Bonav., Comment. in Luc. ad locum cit. — Subinde respicitur Sap. 16, 20: Et paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem etc. — Ex A C substituimus *sufficiet* pro *sufficit*, et interseruimus *in se*; inferius ex ipsis posuimus *continuat* (B *contineat*) pro *sustinet.*

[2] Bonelli, refragantibus codd. (excepto B), post *est* interserit *in libro de Anima et spiritu* (inter opera August.), in quo c. 14. de hoc agitur; cfr. I. Sent. d. 37. p. I. a. 3. q. 2; II. Sent. d. 8. p. II. q. 2, d. 10. a. 2. q. 1. 2.

[3] Libr. III. de Anima, text. 38; cfr. Itiner. mentis in Deum, c. 2. n. 4.

[4] Ita A C D E, nisi quod male habeant *illi.* Bonelli perperam *illi qui ad eius imaginatunem*, cod. Assiens. (ab eodem relatus) *anima nulli melius convenit quam illi ad cuius.* Cfr. I. Sent. d. 1. a. 3. q. 2. De definitione delectationis cfr. tom. I. p. 38, nota 4, Itiner. mentis in Deum, c. 2. n. 5, ubi alii loci citantur. Subinde Bonelli, refragantibus codd., ponit *convenit* pro *conveniens*, et omittit *ipse* ante *solus.*

[5] Ita A C; Bonelli *sufficientissimus, quia infinitus, sic quod.*

[6] Bonelli hic et infra n. 17. perperam ponit *capacitatis* pro *caritatis*, refragantibus codd., etiam Assiens., teste eodem.

[7] Psalm. 144, 13. Seq. locus est Tob. 13, 4, tertius et quartus Dan. 3, 100; 7, 14.

[8] Ita A C; Bonelli hic et infra non bene *regni*, qui deinde pro *est aeternum* habet *eius aeternum erit.* — Deinde respicitur I. Petr. 1, 4: *in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in caelis in vobis;* et ibid. 5, 4: *percipietis immarcescibilem gloriae coronam.* Bonelli: *canonica sua vocat illud regnum hereditatem et gloriae coronam immarcescibilem.*

[9] Bonelli *etiam illud.* — Inferius respicitur Apoc. 5, 9: Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione.

[10] Cap. 4. — Cfr. Breviloq. p. VII. c. 7, IV. Sent. d. 49. p. I. q. 6, qua ratione *caritas* ibi augeat gaudium.

[11] Psalm. 2, 8; seq. locus est Matth. 8, 11. — Inferius Bonelli pro *possidentium* male *praeiudentium*, refragantibus A C.

[12] Cap. 36. n. 70: In Evangelio [Ioan. 14, 2.] Veritas dicit: *In domo Dei mansiones multae sunt.* Sed in eisdem multis man-

Digitized by Google

regni corruptibilis[1] dicitur *rex magnus*, sed a magnitudine *regis aeterni* dicitur istud *regnum magnum*. Quis autem magnitudinem vel celsitudinem potentiae, sapientiae, clementiae et institiae eius poterit annuntiare? Ieremiae decimo[2]: *Non est similis tui, Domine; magnus tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o rex gentium? Tuum est enim decus; inter cunctos sapientes gentium et in universis regnis eorum nullus est similis tui.* Et ideo tuum regnum magnum est, et magni qui obtinebunt illud; Matthaei undecimo: *Qui autem minor est in regno caelorum maior est illo.* — Notandum. Haec autem de regno dicta sunt *speculativa*; quod vero sequitur est practicum, scilicet *quorum* est.

19. Quinto loco videndum est, *quorum* est istud Quinto, quorum sit. gloriosissimum regnum. Ad hoc notandum, quod istud regnum gloriae non est nisi habentium gratiam, sine qua impossibile est ad illud pervenire. *Stipendia enim peccati, mors; gratia autem Dei, vita aeterna*, id est causa vitae, ad Romanos sexto[3]; Psalmus: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Sed ista Gratia quadriformis. gratia est quadriformis, scilicet innocentialis vel *baptismalis, poenitentialis, finalis* vel perseverantialis et *sapientialis*.

De *baptismali*[4] seu innocentiali planum est, De prima gratia. quod necessaria est ad regnum; de illa quippe dedit Dominus sententiam Ioannis tertio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Et ratio huius est, quia propter peccatum primorum parentum omnes nascimur *filii irae*; si filii irae, ergo filii indignationis; et si filii indignationis, non filii regni, sed perditionis. Oportet ergo, nos de necessitate purgari et gratificari per restitutionem innocentiae; quod facit gratia baptismalis. Figura. — Quod figuratum fuit Matthaei tertio[5], ubi super Christum baptizatum caeli aperti sunt, Spiritus sanctus descendit in specie columbae, et vox Patris audita est: *Hic est filius meus dilectus.* Ubi notantur tres effectus baptismi: *ianuae apertio*, quam peccatum clauserat, per hoc quod caeli aperti sunt; *innocentiae restitutio*, per columbam, quam innocentiam peccatum abstulerat; *gratificatio*, ibi: *Hic est filius meus dilectus*, quia peccatum filios irae fecerat.

20. Sed notandum, quod ista gratia conservatur Conservatur per tria. per tria, sine quibus impossibile est regnum adipisci, scilicet per *fidem* summae veritatis, per *amorem* summae bonitatis, per *imitationem* summae virtutis; et haec est fides operans per dilectionem[6]. — Primum igitur, quod necessarium est ad regnum habendum, est *fides veritatis*, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, ad Hebraeos undecimo. Unde dicitur Ioannis tertio: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Bene dixit: *non potest videre regnum Dei.* Revera non potest videre regnum Dei qui non potest videre veritatem, quia Notandum. illud regnum est « gaudium de veritate »; sed non potest videre veritatem qui non credit veritati, iuxta illud Isaiae septimo[7] secundum aliam litteram: *Nisi credideritis, non intelligetis*: ergo qui non credit veritati non potest videre regnum Dei; si non[8] videre, nec habere; quia visio est « tota merces »: ergo necessaria est fides veritatis.

21. Secundum, quod est necessarium, est *amor* Secundo, amor *bonitatis*. Propter quod dicitur Sapientiae sexto[9]: *Si delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. Diligite lumen sapientiae* etc. Ista *sapientia diligenda* nihil aliud est quam Christus, Dei virtus et Dei sapientia, quam qui non diligit non potest regnare cum Deo. — Et ratio huius est: quia, cum anima in illo Ratio. regno debeat uniri Deo et copulari, sicut sponsa sponso, indissolubili vinculo — sicut dicitur Matthaei vigesimo quinto[10] de virginibus: *Quae praeparatae erant intraverunt cum eo ad nuptias*, interlinearis: « Ubi munda anima Verbo Dei copulatur » — et amor sit vis unitiva et principium delectationis — sicut dicit Dionysius[11]: « Amorem, inquit, seu divinum, seu intellectualem, seu animalem, sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive

---

similibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas consors, quia tanta vis [amoris] in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. — Bonelli post *fine* addit: *quam etiam require inter gradus proficiendi in amore Dei*; et citat Gregor., V. Moral. c. 56. n. 86.

[1] A C *corporalis*.

[2] Vers. 6. 7; seq. locus est Matth. 11, 11. — Subinde pro *speculativa* Bonelli *speculatice*, et n. 19. *illud gloriosum* pro *istud gloriosissimum*, refragantibus A C.

[3] Vers. 23; seq. locus Ps. 83, 12.

[4] Bonelli addit seu *initiali*, et inferius ponit *primorum* pro *primorum*, refragantibus A C. — Sequens locus est Ioan. 3, 5; et subinde respicitur Eph. 2, 3: Et eramus natura filii irae. — Denique cum A C substituimus *de necessitate* pro *ex necessitate*, et *figuratum* pro *significatum*.

[5] Vers. 17. — Contra A B C Bonelli *Iesum* pro *Christum*.

[6] Respicitur Gal. 5, 6: sed fides, quae per caritatem operatur. — Deinde contra A B C ante *veritatis* cum Bonelli addidimus *summae*. — Seq. locus est Hebr. 11, 6; tertius Ioan. 3, 3. — Post *Revera* Bonelli et B addunt *enim*, et bis ponunt *quia non* pro *qui non*.

[7] Vers. 9. (secundum Septuaginta). Vulgata: Si non credideritis, non permanebitis. — Quod *beatitudo* sit gaudium de veritate, docet Augustin., X Confes. c. 23. n. 33: Beata quippe vita est gaudium de veritate.

[8] Ita A B C; Bonelli perperam *sed non*. — De visione, quae est tota merces, cfr. I. Sent. d. 1. a. 2. q. 1. ad 3.

[9] Vers. 22. 23. — Superius ante *bonitatis* Bonelli iterum addit *summae* contra A B C. Secundus locus: *Diligite* etc., desideratur in A C.

[10] Vers. 10. Vulgata pro *praeparatae* habet *paratae*. — Pro *interlinearis* Bonelli *intelligo*, et inserit *quod* ante *intraverunt*, refragantibus A C.

[11] De Div. Nom. c. 4. § 15; cfr. tom. I. pag. 202, nota 3, et d. 16. dub. 1. 4. — Locum exhibemus ex A D et originali.

Digitized by Google

naturalem dicamus unitivam quandam et concretivam intelligamus virtutem » — et Augustinus [1] etiam dicat, quod caritas est summi amor boni: ergo necesse est, caritatem habere et summam diligere bonitatem ad hoc, quod anima ibi regnet, ubi regnare nihil aliud est, quam summae bonitati equlari et ea frui.

Tertio, imitatio virtutis.

22. Tertium, quod necessarium est ad habendum regnum, est *imitatio summae virtutis*, ut sit obedientia in mandatis; quia, sicut dicitur primae ad Corinthios quarto [2], *non in sermone est regnum Dei, sed in virtute*. Et propter hoc dicitur Matthaei septimo: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum*. — Et ratio huius est: impossibile est, quod tu regnes cum Deo, nisi Deus regnet in te; sed non regnat in te, nisi facias eius voluntatem; non facis autem eius voluntatem, nisi obtemperes mandatis eius: ergo necessaria est obedientia mandatorum ad hoc, quod intres in regnum caelorum. Nullus enim unquam intrabit nisi sub [3] titulo obedientiae; plus enim quaeretur de factis quam de verbis.

Ratio.

De secunda gratia.

23. Sequitur de gratia *poenitentiali*, quae est similiter ad introitum regni necessaria. Unde dicit Ioannes Matthaei tertio [4]: *Poenitentiam agite; appropinquabit enim regnum caelorum*. Idem dicit etiam Christus Matthaei quarto. — Et ratio huius necessitatis est: quia, cum in peccato, per quod a regno expellimur, sit voluntaria delectatio; oportet, quod in poenitentia, per quam recuperatur, sit voluntaria [5] quaedam afflictio, ut videlicet homo sibi ipsi violentiam faciat. Unde dicitur Matthaei undecimo [6]: *A diebus Ioannis Baptistae regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*. Haec autem violentia fit tribus modis, secundum tres radices, a quibus pullulat omne malum.

Ratio necessitatis.

Triplex violentia.

24. Primo in *suppeditatione mentalis arrogantiae* per profundissimam humilitatem; quia, sicut dicitur Matthaei decimo octavo [7], *nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Sinite*, inquit Marci decimo, *sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum caelorum;* superbus autem nunquam intrabit.

Primo, contra superbiam.

— Et ratio huius triplex est: prima, quia in illo regno est omnimoda *subiectio* quoad Dominum. Superbus vero nulli vult subici nec etiam Domino, Deuteronomii primo [8]: *Locutus sum, et non audistis; sed adversantes imperio Domini et tumentes superbia, ascendistis in montem*. — Secunda ratio est: quia in illo regno est omnimoda *pax* et concordatio quoad proximum; econtra, sicut dicitur Proverbiorum decimo tertio [9], *inter superbos semper iurgia sunt*. — Tertia vero ratio est omnimoda *quietatio* quoad se ipsum. Quilibet enim est contentus eo quod habet: proprio loco, propria mansione, propriis finibus, nec amplius desiderat; superbus vero non, sed semper extendit se extra terminos suos per appetitum excellentiae et [10] vanitatis. Unde dicit Anselmus in libro de Similitudinibus, quod *superbia* dicitur, quia super ea quam deberet, graditur: Iob undecimo: *Vir vanus in superbiam erigitur; nam superbia eorum qui te oderunt, ascendet semper*. — Igitur regio *subiectionis* omnimodae, *pacis* perpetuae, plenae *sufficientiae* nullo modo convenit superbiae, sed per contrarium humilitati profundae. *Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno caelorum*, Matthaei decimo octavo.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Conclusio.

Secundo, contra avaritiam.

25. Secundo ad habendum regnum caelorum est necessaria violentia in *refrenatione mundialis avaritiae* per affissimam paupertatem; Matthaei quinto [11]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum*. Bene dicit: *ipsorum est*, quia, cum tales superferantur toti mundo per contemptum omnium, dum ad illud regnum singulariter elevantur per desiderium, quodam modo iam ibi sunt. E contrario de amatoribus mundi dicitur Matthaei decimo nono [12]: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum caelorum. Iterum dico vobis, facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum*. — Et ratio huius triplex est: prima, quia illud regnum est *simplicissimum;* econtra avarus compositissimus; quot enim habet rerum terrenarum affectiones, tot habet compositiones. Unde comparatur camelo propter gibbositatem, quia, quot desiderat terrae partes sive possessiones [13], tot habet gibbositates, propter

Ratio 4.

---

[1] Serm. 21. (alias 5.) ex Sirmondian. in B. 63. n. 2. Cfr. III. Sent. d. 27 a. 1. q. 1. ad 5. — Subinde pro *caritatem habere et summam diligere bonitatem ad hoc* Bonelli corrupte, et refragantibus A B C, *bonitatem habere ad hoc*.

[2] Vers. 20. Seq. locus est Matth. 7, 21. — Subinde ante *quod tu* Bonelli addit *enim;* inferius post *non facis* omittit *autem*, et post *Nullus* ponit *vero* pro *enim*, refragantibus A C.

[3] Ita A C, Bonelli *cum*, et subinde *ergo* pro *enim*.

[4] Vers. 2. Seq. locus est Matth. 4, 17. — Superius ante *ad introitum* Bonelli contra A C omittit *similiter*, et *etiam* ante *Christus*.

[5] Ita bene A; Bonelli *violenta*.

[6] Vers. 12. — Bonelli incipit n. 24. sic: *Primus modus est*, contra A C.

[7] Vers. 3. — Seq. locus est Marc. 10, 14.

[8] Vers. 43.

[9] Vers. 10.

[10] A C omittunt *excellentiae et*. Cfr. II. Sent. d. 22. a. 1. q. 1. in corp.: Superbia non est aliud quam immoderatus appetitus excellentiae. — Locus in libro illo, Anselmo falso tributo, est c. 7. — Loci Scripturae sunt Iob 11, 12; Ps. 73, 23; Matth. 18, 4.

[11] Vers. 3. — Contra A C Bonelli ponit *Beatitudo* pro *Bene dicit*, porro *praeferantur* pro *superferantur*, denique *et ad... elevantur* pro *dum ad... elevantur*.

[12] Vers. 23. 24. Pro *Iterum dico* A C *Iterum dico*. — Quoad 1. rationem *etc.* Bonav., Comment. in Lucam, ad 18, 25, ubi similiter comparatio avari cum camelo exponitur.

[13] Ita A C; Bonelli minus bene pro *partes sive possessiones* ponit *frui possessionibus;* deinde omittit verba *quae in regno... possessionis* (quae revera quandam anticipationem seq. sententiae Gregorii continent), et verba *illud regnum*.

quas non potest intrare; quia in regno est unitas affectionis, sublimitas positionis, communitas possessionis. — Secunda ratio est: quia illud regnum est *sublimissimum*, sicut prius[1] dictum est; econtra avarus est infimus, infaerens terrae, faeci elementorum. Unde potest dicere avarus illud Psalmi: *Persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam*, id est « in terrenis », sicut dicit Glossa. — Tertia ratio est: quia illud regnum est *communissimum;* econtra avarus est invidissimus[2], omnia sibi approprians. — Nota auctoritatem Gregorii octavo Moralium in fine[3]. — Igitur regio *simplicitatis, sublimitatis* et *communitatis* nullo modo avaritiae convenit, sed potius per contrarium paupertati. Meritu ergo *elegit Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se*, Iacobi secundo.

Ratio 2. Ratio 3. Conclusio.

26. Tertio etiam ad habendum regnum est necessaria violentia in *macceratione carnalis concupiscentiae* per integerrimam castitatem, de qua Matthaei decimo nono[4]: *Sunt eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum;* et loquitur de triplici genere eunuchorum, quos scilicet facit *necessitas, violentia* et *gratia*. Tamen moraliter eunuchi, qui fiunt ab hominibus, possunt dici *hypocritae*, qui continent propter vanam gloriam, vel propter verecundiam, ne amittant honorem saeculi, aut reditus. Soli vero tertii sunt ad regnum apti. — Econtra: *Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei*[5]. — Quare hoc? Triplex ad hoc est ratio: prima, quia illud regnum est *purissimum*, utpote luminosum; unde comparatur in Apocalypsi auro et vitro mundo, Apocalypsis vigesimo primo[6]. Econtra in luxuria est summa inquinitas. — Nota de admixtione auri et luti, sic est de anima et de luxuria. — Secunda ratio est, quod illud regnum est *ordinatissimum:* quia, sicut in inferno est nullus ordo[7], ita ibi omnis ordo. Econtra in peccato carnis est summa inordinatio, ubi ratio per carnem absorbetur. — Tertia ratio est: quia illud regnum est *incorruptibile* et perpetuum, sicut dictum est supra[8]. Econtra in peccato carnis est summa corruptio, in quo vulneratur homo etiam in naturalibus etc.

Tertio, contra concupiscentiam. Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3.

27. Regio igitur puritatis sordidis et inquinatis non convenit, quia *non intrabit* in civitatem *aliquid coinquinatum*, Apocalypsis vigesimo primo[9]. Regio totius ordinis absorptis a carne non competit, quia *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, primae ad Corinthios decimo quinto. Regio etiam incorruptionis summae corruptis non convenit, quia *neque corruptio incorruptionem possidebit*, sicut dicitur ibidem; immo *qui seminat in carne*, Glossa: « carnalia vitia », et fovet ea, *de carne et metet corruptionem*, Glossa: « convenientem messem »; nihil enim melius convenit carni quam corruptio, ad Galatas sexto. *Quicumque ergo non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.* Hanc sententiam dedit Salvator Lucae decimo octavo. Et dicit ibi Glossa: Per *puerum* intelligitur innocentiae castitas, quae nobis imitanda proponitur, si regnum Dei volumus; quia, sicut dicitur Sapientiae sexto[10], *incorruptio facit esse proximum Deo.*

Conclusio.

28. Sequitur de gratia *finali*, quae super omnia necessaria est ad regnum habendum, nec aliter haberi potest. Hanc sententiam dedit Salvator illi qui voluit reverti ad sepeliendum patrem suum, Lucae nono[11]: *Nemo, mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Quod non intelligit qui non intelligit parabolam de semine. — Unde notandum, quod *semen in agro* est gratia infusa in corde hominis; et quamvis ager fructificet ex virtute seminis, requiritur tamen diligentia cultoris et cooperatoris. Sic, quamvis ex virtute gratiae faciamus fructum boni operis, requiritur tamen diligentia et cooperatio liberi arbitrii et industria hominis, iuxta illud primae ad Corinthios tertio[12]: *Dei sumus adiutores; Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis;* et hoc est *aratrum*. Nihil aliud est

De tertia gratia. Necessaria libera cooperatio.

---

[1] Scilicet n. 18. — Locus Scripturae est Ps. 142, 3. Glossa cit. est *interlinearis*. — Paulo superius ante *inhaereus* Bonelli addit *totus*.

[2] Auctoritate tamen codd. A B C substituimus *invidissimus* pro *avidissimus;* utraque lectio est bona.

[3] Cap. 34. n. 91. 92, ubi latius exponitur versus (Iob 8, 22): Et tabernaculum impiorum non subsistet. — Locus Scripturae est Iac. 2, 5. — Pro *per contrarium* (ita A C) Bonelli *e contrario*.

[4] Vers. 12. Refragantibus omnibus codd. et Vulgata, Bonelli *eunuchizaverunt* pro *castraverunt;* pro qua lectione citat duos codd. Biblior., scil. Vercellen. et Forcoulen., aliaque. Subinde contra A B C ponit *Est locus hic de* pro *et loquitur de;* denique *Tum* pro *Tamen*, et *sunt* pro *fiunt*.

[5] Eph. 5, 5. — Superius Bonelli mendose et contra A C *Et contra hoc: Scitote* pro *Econtra: Hoc*.

[6] Vers. 18.

[7] Respicitur Iob 10, 22: Terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed etc.

[8] Numero 16. — Supra pro *inordinatio* (ita A C) Bonelli *deordinatio*, qui ante *in naturalibus* omittit *etiam*.

[9] Vers. 27. Vulgata: aliquod. — Seq. locus est I. Cor. 15, 50; tertius ibid.; quartus Gal. 6, 8; quintus Luc. 18, 17. — Duae priores Glossae sunt *interlineares*, tertia est *ordinaria*, sed ibi et in locis parallelis et in ipso auctoris Commentario in Lucam non inveniuntur verba, sed tantum sensus generalis. — Pro *et fovet ea* Bonelli *et fuit ea*, et infra in Glossa pro *innocentiae castitas* habet *innocentia et puritas sive castitas*, refragantibus A C.

[10] Vers. 20.

[11] Vers. 62. — Subinde contra A C Bonelli corrupte *non intelligit qui non intelligit per parabolam* pro *non intelligit qui non intelligit parabolam*, denique post *agro* addit *seminatum*.

[12] Vers. 9. — Supra ex A C substituimus *cooperatoris* pro *cooperantis*. — Quod dicitur de *aratro* auctor sic exprimit in Comment. ad Luc. c. 9, 62: *Aratrum*, id est ad divinae perfectionis et praedicationis exercitium, quod recte per aratrum significatur propter culturam et fructum.

Digitized by Google

igitur dicere: *Nemo, mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei*, quam dicere: nemo, in producendo bono opere cooperans gratiae et retrocedens, cum minime perseveret[1], aptus est regno Dei; quia, sicut dicit Gregorius, « in cassum bonum agitur, si ante terminum vitae deseratur »; quia et frustra velociter currit, qui prius, quam ad metas veniat, deficit.

Tria necessaria.

29. Sed notandum, quod tria sunt, quae istam gratiam integrant; quae sunt ad obtinendum regnum necessaria, scilicet stabilis *patientia*, sublimis *confidentia* et longaminis *perseverantia*. Et oritur unum ex altero, sicut dicitur ad Romanos quinto[2]: *Scientes, quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio vero spem; spes autem non confundit* etc. — Est ergo necessaria ad habendum regnum *stabilis patientia*. Scriptum namque est Actuum decimo quarto[3]: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum caelorum*. Hoc dixit Paulus, nec illud *oportet* sonat in congruitatem, sed in necessitatem. Unde Salvator noster, Matthaei vigesimo, matri filiorum Zebedaei petenti: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram in regno tuo*; respondit: *Nescitis, quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus*; quasi dicat: vos petitis regnum, sed petite cum eo institiam eius. Institia est, ut qui vult esse particeps in regno sit particeps in tribulatione; Apocalypsis primo[4]: *Particeps in tribulatione et regno*. Unde dicit Ioannes in Glossa: « Et hoc scielat, quod eius passionem poterant imitari; sed hoc dicit, ut eo interrogante, et illis respondentibus, audiamus, quod nemo cum Christo potest regnare, nisi passionem eius sit imitatus ». Et ad hoc triplex est ratio.

Primo, de patientia.

30. Prima est: quia Deus[5] nullum debet admittere ad regni sui consortium, nisi sit amicus verus et approbatus. Sed nullus approbari debet, nisi prius probetur; nullus probari potest ita bene, sicut per tribulationem, sicut dicitur de Abraham, Iudith octavo[6]: *Memores esse debemus, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est*. Ergo tribulationis sufferentia vel patientia ad regnum habendum est necessaria. — Secunda ratio est: quia Deus in regno suo omnes coronat, sicut dicitur Sapientiae quarto[7]: *Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Dei*. Sed nullus debet coronari, nisi vicerit; nullus potest vincere, nisi certaverit; nec certare, nisi inimicos et tentationes seu tribulationes habuerit, sicut dicit Glossa super illud Psalmi[8]: *Dum angiaretur cor meum, in petra exaltasti me*. Ergo ad coronam regni veniendum est per viam patientiae stabilis; secundae ad Timotheum secundo: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*. — Tertia ratio est: quia in illo regno est omne gaudium et delectatio: *Delectationes enim in dextera tua usque in finem*[9]. Sed nullus ad huiusmodi gaudium venire dignus est, nisi a gaudiis et delectabilibus mundi est elongatus. Unde dicit Hieronymus ad Heliodorum[10]: « Detiratus es, frater, si et hic vis gaudere cum saeculo et postea regnare cum Christo ». Nam, sicut idem dicit ad Iulianum, « difficile, immo impossibile est, ut et praesentibus quis et futuris fruatur bonis, ut et hic ventrem et ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias; ut in utroque saeculo primus sit, ut et in caelo et in terra appareat gloriosus »; et alibi. Sed nihil est, quod ita ab istis elonget hominem et sequestret, sicut facit tribulatio. Ergo tribulatio est recta via ad regnum: *beati* ergo, *qui persecutionem patiuntur propter institiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum*, Matthaei quinto[11].

Ratio 2.

Ratio 3.

Secundo de confidentia.

31. Est iterum ad habendum regnum necessaria *sublimis confidentia*, quam benedictus ille latro habuit, qui dixit Lucae vigesimo tertio[12]: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*, qui statim propter spem suam, quam in Dei misericordia posuit, audire meruit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. — Sed quare debeo confidere vel sperare, quod regnum Dei debeam possidere? Certe propter eius *liberalitatem*, quae me

Ratio 1.

---

[1] Ita A C, sed particulam *cum* nos supplevimus, ut sermo sit congruus. Nam Bonelli corrupte habet *retrocedens minime perseveret, aptus est.* — Locus Gregorii est l. Moral. c. 37. n. 55.

[2] Vers. 3. — Superius cum A C substituimus *ad obtinendum* pro *ad habendum*.

[3] Vers. 21. — Seq. locus est Matth. 20, 21-22; deinde respicitur ibid. 6, 33: Quaerite ergo primum regnum Dei et institiam eius etc. — Bonelli corrupte: *Possumus. Qui etiam dicit, vos qui quaeritis sive petitis regnum, quaerite sive petite institiam eius cum eo.* Textum praebemus ex C, cui cum paucis variantibus conveniunt A B.

[4] Vers. 9. Post Ioannes supple: *Chrysostomus*, aut quisquis est auctor Operis imperfecti, Homil. super Matth. homil. 35. — Pro *quod nemo* A C *quia nemo*, quorum fide etiam substituimus *sit imitatus* pro *imitetur*.

[5] Bonelli *Prima*, *quod Dominus*. Deinde cum C posuimus *nisi sit amicus verus et approbatus* pro *nisi amicum verum et approbatum*, et cum A B adiecimus *prius* ante *probetur*.

[6] Vers. 22. Pro lectione Vulgatae *effectus est* A B C *appellatus est*.

[7] Vers. 17. — Inferius ex A C substituimus *tentationes* pro *tentatores*.

[8] Psalm. 60, 3, cum Glossa *ordinarii* apud Lyranum. — Seq. locus est II. Tim. 2, 5. ubi Vulgata *coronatur nisi legitime* pro *coronabitur nisi qui legitime*, sed, teste Bonelli, nostra lectio invenitur apud Hug. Card., Lyranum aliosque.

[9] Psalm. 15, 10. — Subinde ex A C substituimus *ad huiusmodi gaudium* pro *ad hoc*.

[10] Epist. 14. (alias 1.) n. 10. — Sequens locus est ad Iulianum, Epist. 118. (alias 31.) n. 6; tertius ad Nepotianum, Epist. 52. (alias 2.) n. 12: Dum deliciis sectamur, a regno caelorum retrahimur. Cfr. Epist. 108. (alias 27.) ad Eustoch. n. 18. — Subinde ex A C interseruimus *fuit* ante *tribulatio*.

[11] Vers. 10.

[12] Vers. 42, deinde v. 43. — Cum A C posuimus *benedictus ille latro habuit* pro *habuit ille beatus latro*.

Digitized by Google

invitat; Matthaei sexto[1] et Lucae duodecimo: *Primum*
Ratio 2. *quaerite regnum Dei.* — Propter *veritatem*, quae me *confortat;* Lucae duodecimo: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis re-*
Ratio 3. *gnum.* — Item propter *pietatem* et *caritatem*, quae me *redemit;* Apocalypsis quinto: *Dignus es, Domine Deus, accipere librum et solvere signacula eius; quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni lingua et tribu et populo et natione; et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdo-*
Conclusio. *tes, et regnabimus super terram.* — Spes ergo sive confidentia est ad habendum regnum necessaria, et hoc, quia hominem sursum erigit, erectum stabilit, stabilito mansionem facit.

32. Est nihilominus super omnia *longanimis per-*
Tertio, de perseverantia. *severantia* ad habendum regnum necessaria. *Nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus*[2]. Quid est commori Christo in cruce, nisi in cruce poenitentiae et evangelicae observantiae usque ad mortem perseverare? Et propter hoc dicitur notabile verbum Iacobi quinto[3]: *Sufferentiam Iob au-*
Obiectio solvitur. *distis, et finem Domini vidistis.* — Possent enim aliqui dicere: bene audivimus sufferentiam Iob, et quod postea fuit in magna prosperitate, et reddita sunt ei omnia duplicata, et[4] mortuus est in pace. Propter hoc ad denotandum, quod perseverandum est usque ad mortem in paupertate, confusione et afflictione, addidit: *et finem Domini vidistis*, cui nihil in praesenti est redditum.

33. Et revera propter tria est necessaria longa-
Ratio 1. *nimis perseverantia* ad regnum habendum. Primum est *aeternitas*[5] *voluntatis.* Unde sicut illi qui habuerunt malam voluntatem in suo aeterno, aeternaliter cruciabuntur in inferno; ita qui bonam habue-
Ratio 2. *runt*, aeternaliter regnabunt in caelo. — Secundum est *punctualitas mortis*, quia in illo puncto mortis, ubi *ceciderit lignum, ibi erit*[6], nec ad agendam poenitentiam erit regressus. Propter hoc dicit Gregorius terribile verbum in libro vigesimo quarto Moralium: « Approximante morte, cuiuslibet anima non immerito terretur, quando post pusillum hoc invenit, quod in aeternum mutare non possit ». — Tertium est *immutabilitas virtutis*, ad cuius perfectionem secundum Philosophum[7] exigitur « scire et velle et immutabiliter operari »; aliter non esset digna remuneratione aeterni praemii. Ratio 3.

34. Sequitur de gratia *sapientiali*, quae etiam ad habendum regnum expedit. Sed notandum, quod istam tria integrant, scilicet sapientialia *speculamina*, sapientialia *desideria*, sapientialia *exercitia*, ut sapientia totum possideat hominem quantum ad intellectum, affectum et effectum[8]. — Dico ergo, quod ad regnum habendum expediunt sapientialia *speculamina*, et de hoc dicitur Sapientiae decimo: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas et ostendit illi regnum Dei et dedit illi scientiam Sanctorum. Sanctorum scientia* sunt sapientiae speculamina, quorum[9] quaedam *realia*, in creaturis videlicet universis; quaedam *mentalia*, in Scripturis videlicet divinis; quaedam vero *moralia*, in operibus videlicet Redemptoris. Prima pertinent ad Verbum increatum, secunda ad Verbum inspiratum, sed tertia ad Verbum incarnatum. De quarta gratia. Tria hanc integrant. Primo de speculaminibus. Sunt tria.

35. Item, ad habendum regnum expediunt sapientialia *desideria*, iuxta quod dicitur Sapientiae sexto[10]: *Concupiscentia sapientiae deducit ad regnum perpetuum;* et hoc, quia talia desideria animam simplificant, elevant et inflammant; Danielis decimo: *Daniel, vir desideriorum, intelligo verba, quae ego loquor ad te, et sta in gradu tuo.* Item, nono dixit Gabriel Danieli: *Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.* — Item, expediunt sapientialia *exercitia*, Matthaei quinto[11]: *Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.* Haec autem exercitia sunt, si cor nostrum informamus, si corpus bene regimus, si proximum instruimus. Secundo de desideriis. Tria efficiunt. Tertio, de exercitiis. Haec triplicia.

36. Isti duodecim rami gratiae possunt signari per duodecim portas civitatis Ierusalem, de quibus scribitur Apocalypsis vigesimo primo[12]: *Ab oriente portae tres*, baptismalis scilicet gratiae, ubi anima renascitur et spiritualis oritur; ab occasu seu *ab occidente portae tres*, poenitentialis scilicet gratiae, qua per illam ab occasu resurgit homo iuxta illud: Figura ramorum 12 gratiae.

---

[1] Vers. 33; deinde Luc. 12, 31; sequitur Luc. 12, 32; denique Apoc. 5, 9, ubi Vulgata post *Dominus* omittit *Deus*.

[2] Epist. II. ad Tim. 2, 11. 12. — Superius ex A C substituimus *nihilominus super omnia* pro *item*, et infra post *Christo* ex A B C supplevimus *in cruce*.

[3] Vers. 11. — Pro *notabile verbum* Bonelli *notale verbum*, refragantibus A C.

[4] Ita A C, Bonelli *duplicia mortuus*, et subinde *ad demonstrandum* pro *denotandum*.

[5] Ita A B C, Bonelli *aeterniatis*; cfr. de hoc IV. Sent. d. 44, p. II. a. 1. q. 1.

[6] Eccle. 11, 3. — Locus Gregorii est XXIV. Moral. c. 14. n. 32. In fine, nonnullis verbis hic omissis. — Pro *immutabilitas* (ita A C) Bonelli *impermutabilitas*, et pro *aeterni praemii* habet *aeternitate*.

[7] Aristot., II. Ethic. c. 4; cfr. de Reduct. art. ad theol. n. 13; II. Sent. d. 10. a. 1. q. 3. fund. 1.

[8] A C *affectum*; sed cfr. Hexaem. collat. 2. n. 2. seqq. — Locus Scripturae est Sap. 10. 10. — Pro *scientia sunt* (ita A C) Bonelli *scientiae sunt*.

[9] Refragantibus A C, Bonelli hic non bene interseri: *quaedam sunt secundum triplicem librum, naturae, Scripturae, gratiae* (habet igitur quatuor membra). — Quae sequuntur diffuse exponuntur Hexaem. collat. 3. per totum. — Pro *videlicet* Bonelli bis *scilicet*, quod ponit etiam ante *universa*.

[10] Vers. 21. Seq. locus est Ioan. 10, 14, tertius ibid. 9. 23.

[11] Vers. 19.

[12] Vers. 13. — Sunt rami 12, quia quadruplicis gratiae membra iterum in tria dividuntur. — Paulo alter explicatur figuratio duodecim portarum Hexaem. collat. 23. n. 15. seqq.

Digitized by Google

Septies in die cadet iustus et resurget [1]; de filio prodigo, Lucae decimo quinto: *Surgam et ibo ad patrem meum* etc.; *ab aquilone*, unde *panditur* omne *malum*, sicut dicitur Ieremiae primo, portae tres finalis gratiae, per quam homo firmus est contra malum tribulationis et tentationis; *ab austro* sive meridie, ubi sol est in plena claritate, portae tres sapientialis gratiae, quae illuminat hominem ad cognoscenda quae supra dicta sunt, scilicet librum naturae, Scripturae, gratiae.

Pars II. Parabolae duodecim.

37. Viso igitur de conditionibus regni: *quid* est, *ubi* est, *quale* est, *quantum* est [2] et *quorum* est; nunc ergo subiiciendum est de *parabolis regni duodecim*, quae inveniuntur in Evangelio generales, et si forte sunt plures, ad istas sunt reducibiles; quarum tres accipiuntur ex parte *Opificis*, tres ex parte *Redemptoris*, tres ex parte *doni gratuiti* et tres ex parte *liberi arbitrii*. — Tres, dico, parabolae sumuntur [3] ratione *Opificis* ut creantis, ut gubernantis, ut retribuentis. — Ratione Opificis ut *creantis* sumitur illa Matthaei decimo tertio: *Simile factum est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo*, ut supra. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius et superseminavit zizania in medio tritici* etc. Quomodo vero inimicus superseminavit zizania, id est malitiam et desordinationem in hoc mundo, patebit forte *inferius*. — Ratione vero Opificis ut *gubernantis* accipitur illa de patrefamilias, Matthaei vigesimo [4]: *Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exivit primo mane conducere operarios in vineam suam*. Hic notatur solicitudo Dei, quam habuit circa populum suum a principio mundi, sicut paterfamilias circa familiam suam. Nunquam enim desiit nos erudire. Nam *mane* per legem naturae; *hora tertia*, per legem Scripturae; *sexta*, per Prophetas; *nona*, per Apostolos in lege gratiae; *undecima*, per Doctores sacros; et tamen adhuc remanemus [5] pigri et infructuosi; et potest non immerito dari nobis: *Quid hic statis tota die otiosi?* — Ratione autem Opificis ut *retribuentis* accipitur illa de rege, qui voluit rationem ponere cum servis suis, Matthaei decimo octavo [6]: *Assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis*; et manifestantur ibi duo de Deo: misericordia scilicet et iustitia, quia *universae viae Domini misericordia et veritas* [7]: misericordia in debiti dimissione, iustitia vero in ingrati punitione; in eis utique, qui abusi sunt misericordia, saeviet acrius iustitia. — Et nota exemplum beati Bernardi de ape, quae habet mel et aculeum. — Prima autem istarum parabolarum accipitur in ratione praeteriti, secunda in ratione praesentis, tertia vero in ratione futuri.

Dividuntur in 4 classes.

Tres, ratione Opificis.

Prima.

Secunda.

Notandum.

Tertia.

Notandum.

Notandum.

38. Tres iterum parabolae accipiuntur ratione *Redemptoris*, Redemptoris, inquam [8], *descendentis* in mundum, *conscendentis* in caelum et *sedentis* ad dexteram Patris et iterum *revertentis* ad iudicium: primum in ratione praeteriti, secundum in ratione praesentis, tertium vero in ratione futuri accipitur. — Ratione ergo Redemptoris *descendentis* in mundum accipitur illa de homine rege, qui fecit nuptias filio suo, Matthaei vigesimo secundo [9], ubi dicitur: *Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo* etc. *Homini regi*, interlinearis: « Deo Patri »; *qui fecit nuptias*, interlinearis: « per incarnationis mysterium Ecclesiam Filio suo copulavit ». Nuptiarum vero thalamus fuit Virginis uterus. — Ratione vero Redemptoris *conscendentis* in caelum accipitur illa de homine nobili, Lucae decimo nono [10]: *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem minas et ait ad illos: Negotiamini, dum venio*. Quis est iste nobilis nisi ille Filius Dei, qui de se ipso dicit: *Ego autem constitutus sum rex ab eo*, et illud Proverbiorum trigesimo primo: *Nobilis in portis vir eius*. Iste abiit in regionem longinquam, quando nostram carnem, ruinis locus proprius terra est, sicut dicit Gregorius [11], transtulit in caelum. Sed tunc talenta dedit ad negotiandum, quando dedit diversa Spiritus dona ad bene agendum. Sed heu nos miseri! quis de ista negotiatione

Tres, ratione Redemptoris.

Prima.

Secunda.

---

[1] Prov. 24, 16. Verba *in die* in Vulgata desunt, inveniuntur tamen in non paucis codicibus et apud Gregorium aliosque. — Seq. locus est Luc. 15, 18; tertus Ier. 1, 14. Vulgata: Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terrae.

[2] Verba: *quid est... quantum est* desunt in A C.

[3] Ita A C, Bonelli *inveniuntur*. — Locus Scripturae est Matth. 13, 24. 25. Inferius cum A B E expunximus post *desordinationem* verba *in creaturis*, et substituimus *patebit forte inferius* pro *forte patet, ut sequitur*. Deinde Bonelli ex cod. Assisiens., refragantibus ceteris, haec interseri: Dominus bonum semen seminavit in agro suo, quando in agro machinae mundialis fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam. Imago namque attenditur quoad naturalia bona, et similitudo, quae attenditur quoad gratuita, dicitur *bonum semen*; sed inimicus homo, id est diabolus, cum dormirent homines, id est, cum Adam et Eva negligenter agerent in custodia mandatorum, superseminavit zizania, id est vitia et peccata, ex quibus nascuntur illi nequam. — De origine mali etc. agitur infra n. 12. seqq.

[4] Vers. 1. — De distinctione temporum secundum quinque vocationes cfr. Hexaem. collat. 15, n. 19, ubi in notis citantur loci Patrum.

[5] Bonelli *nemenus*, et mihi de *Eapropter non immerito dicitur* pro *et potest non immerito dici* (ita A C).

[6] Vers. 23. — A B C pro verbis Scripturae ponunt tantum *etc.* post *servis suis*; tunc prosequuntur: *et manifestantur ibi duo de Deo, misericordia scilicet*. Bonelli post locum Scripturae ponit: *Ostenditur misericordia* etc.

[7] Psalm. 24, 10. Locus Bernard. est serm. 2. de Advent. n. 3. — Inferius post *prima* adiecimus *autem*.

[8] Pro *Redemptoris*, *inquam* Bonelli mendose *in quantum*, refragantibus A B E.

[9] Vers. 2. — Cum A B ponimus *interlinearis* (ibi apud Lyranum), Bonelli *et intellige*, C *intelligatur*; deinde omisimus *gloriosus* ante *uterus* ibi A C.

[10] Vers. 12. Deinde respicitur Ps. 2, 6. et Prov. 31, 23.

[11] In Evang. I. homil. 9. n. 1.

Digitized by Google

Tertia. sufficienter poterit respondere? — Ratione etiam Redemptoris *revertentis* ad iudicium accipitur illa de decem virginibus, Matthaei vigesimo quinto [1], ubi dicitur: *Tunc simile erit regnum caelorum decem virginibus;* et sequitur: *Media nocte clamor factus est: ecce, sponsus venit*, id est Christus, et dicitur ibi: *Moram autem faciente sponso*, interlinearis: « iudicium differente extremum »; vel moram faciente, quia, sicut dicit interlinearis, non est parvum temporis inter primum et secundum adventum Christi. Virgines autem sub numero *denario* significant universitatem omnium hominum. Denarius enim numerus perfectus est, quia omnes numeros comprehendit, et ultra ipsum non est numerus, sed tantum numeri recapitulatio [2]. *Omnes enim*, sicut dicit Apostolus, *stabimus ante tribunal Christi* etc.

39. Tres nihilominus parabolae sumuntur ex parte *doni gratuiti*, et hoc quantum ad gratiam *praevenientem* in voluntate, *concomitantem* in iustificatione et *subsequentem* in consummatione. — Ratione igitur doni gratuiti quantum ad gratiam *praevenientem* in voluntate sumitur illa de sagena missa in mare, Matthaei decimo tertio [3], ubi dicitur: *Simile est regnum caelorum sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti.* Sicut enim exponunt Sancti, *mare* est mundus, *sagena* praedicatio evangelica vel praevenens gratia, quae congregat ex omni genere piscium; quia « ad veniam vocat omnis generis homines », etsi non omnes eliguntur; unde: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* [4]. *Littus*, finis saeculi, in quo boni ad caelum, mali ad tenebras mittuntur. In praesenti enim erant permixti; unde sequitur: *elegerunt bonos in vasa sua*, id est « in aeterna tabernacula »; ita exponit Glossa. — Ratione vero doni gratuiti quantum ad gratiam *concomitantem* in iustificatione accipitur illa de homine iaciente semen in terram, Marci quarto [5], ubi dicitur: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si iaciat homo semen in terram, et dormiat et exsurgat nocte et die, et semen germinet et crescat, dum nescit ille.* Ultro enim terra germinat et fructificat primum herbam, deinde spicam. Sicut enim semen iactatum in terram imperceptibiliter crescit tam de die quam de nocte; sic gratia infusa, in corde hominis cooperans facit eum crescere, licet non animadvertatur [6], tam in die prosperitatis quam in nocte adversitatis, quia electis *omnia cooperantur in bonum.* Et dicit Gregorius [7]: « Cum desideria bona concipimus, semen in terram mittimus; cum vero recta operari incipimus, herba surgit; cum autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicam perveniunt; cumque in eiusdem perfectione solidamur, iam plenum frumentum in spica proferimus ». — Ratione autem doni gratuiti quantum ad gratiam *subsequentem* in consummatione accipitur illa de fermento, Matthaei decimo tertio [8], ubi dicitur: *Simile est regnum caelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit* sive misit *in farinae sata tria, donec fermentaretur totum;* idem Lucae decimo tertio. *Mulier* ista divina sapientia est, *fermentum* vero caritas ratione caloris. Sicut enim mediante calore fermenti pasta disponitur et fit esibilis, sic mediante caritate Christo incorporamur et in bono consummamur; primae ad Timotheum primo [9]: *Finis praecepti est caritas* etc. *Tria sata* possunt dici activi, contemplativi et ex utrisque permixti, scilicet praelati, in quibus illud fermentum absconditur. — Vel secundum Glossam, *farinae satis tribus*, ut spiritus, anima et corpus in unum redacta, ne discrepent inter se; vel tres virtutes animae in unum redigantur, ut in rationabili possideamus prudentiam, in irascibili odium vitiorum, in concupiscibili desiderium virtutum. *Donec fermentaretur totum*, Glossa: « Tandiu caritas in mente crescere debet, donec mentem totam in sui perfectionem commutet, ut nihil praeter Deum diligat ». « *Satum*, sicut dicit Glossa, est mensura ».

Prima. Secunda. Tertia. Mulier.

40. Tres denique parabolae sumuntur ex parte *libri arbitrii* [10], in quo debet esse *simplicitas intentionis, studiositas sollicitudinis, strenuitas operationis* iuxta tria, quae sunt in libero arbitrio. — Ratione

Tres rationes doni gratuiti.

Tres rationes libero arbitrio.

[1] Vers. 1. seq. — Subinde auctoritate A C supplevimus *id est Christus, et*, et superius posuimus *Ratione etiam* pro *ratione autem*, inferius autem iterum *interlinearis* [apud Lyranum] pro *intelligo*, denique *dicit interlinearis* pro *dicitur*. Sed apud Lyranum haec ultima Glossa est *ordinaria*.

[2] A et cod. Assisiens. *replicatio*, C corrupte *repletio*. De perfectione numeri denarii cfr. IV. Sent. d. 1. p. II. a. 1. q. 3. in corp. et passim. — Locus Scripturae est Rom. 14. 10.

[3] Vers. 47. — Post *sicut* adiunximus *enim* auctoritate A C. — Tota haec et seq. expositio sumta est ex Glossis *interlinearibus*, et quaedam ex *ordinaria*, apud Lyranum in hunc locum.

[4] Matth. 20, 16. — Superius fide A B C substituimus *gratia, quae congregat* pro *gratia. Congregavit.* — Inferius allegatur Matth. 13, 48.

[5] Vers. 26. Vulgata: *homo sementem* pro *homo semen*, et *increscat* pro *crescat*.

[6] Ita A C, Bonelli *advertat*, qui deinde contra A B C posuit *die adversitatis* pro *nocte adversitatis*. — Locus Scripturae est Rom. 8, 28: quia diligentibus omnia etc.

[7] In Ezechiel. II. homil. 3. n. 5; ubi etiam praecedentia fusius habentur. Codd. falso citant *Augustinum*, ut iam monuit Bonelli.

[8] Vers. 33. Vulgata hoc loco *satis tribus*, sed eadem in seq. loco, Luc. 13, 21, *sata tria*, et etiam *fermentaretur*, dum in Matthaeo legit *fermentatum est*.

[9] Vers. 5. — Seqq. Glossae sunt *ordinariae* in Matth. 13, 33, apud Lyranum. Similia habet Bonav. in Comment. in Luc. 13, 21. — Fide A C omisimus *boni* ante *praelati*, et cum C, omisso *debet*, posuimus *absconditur* pro *abscondit*.

[10] Refragandibus codd. A B C, Bonelli hic ex cod. Assisiens. addit seq. glossema: (arbitrii) cooperationis, quae etiam est necessaria ad nostram iustificationem; quia, sicut dicit Augustinus, qui creavit te sine te non iustificabit te sine te. Et ideo dicit Apostolus: *Contemplantes*, id est videntes, *ne quis desit gratiae*. Igitur (debet). — Haec minus conveniunt ordini observato in explicatione praecedentium parabolarum, ubi, postquam indicatae sunt tres parabolae, continuo ponitur divisio membrorum.

Digitized by Google

Primo. igitur *simplicitatis intentionis*, quae debet esse in libero arbitrio, sumitur illa parabola de thesauro, Matthaei decimo tertio[1], ubi dicitur: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum.* — Ubi nota expositionem Gregorii, et sufficiat.

Duo attendenda. Tamen in generali ibi duo notantur, scilicet *vitatio*
Primum. *periculi*, scilicet humanae laudis, in absconsione thesauri; unde dicit beatus Gregorius[2]: « Thesaurus absconditur, ut servetur, quia studium caelestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. Depraedari ergo desiderat qui thesaurum publice portat in via ». — Nota exemplum de candela portata in vento.

Secundum. — Secundum notabile est *appretiatio regni* in venditione omnis possessionis, quia, sicut dicit alibi beatus Gregorius, « si consideremus, quae et quanta sunt, quae nobis promittuntur in caelis, vilescunt animo omnia, quae habentur in terris ». Unde talis in comparatione omnia reputat ut *stercora*.

41. Ratione itidem *studiositatis sollicitudinis*,
Secunda. quae debet similiter[3] esse in libero arbitrio, accipitur illa parabola de homine negotiatore, Matthaei decimo tertio[4], ubi dicitur: *Simile est regnum caelorum homini negotiatori, quaerenti bonas margaritas.* Ubi duo in generali sunt attendenda: primum
Duo attendenda. Primum *vigilantia* in inquirendo. — Nota de istis mercatoribus, quantis laboribus et periculis se exponunt. Unde dicit beatus Hieronymus ad Nepotianum[5]: « Quantis sudoribus hereditas cassa expetitur? Minori labore
Secundum. margaritum Christi emi poterat ». — Secundum, attendenda *prudentia* in emendo, ut tales emat res, quae valeant in terra, ad quam est ipsas portaturus, et quarum est ibi inopia.

42. Ratione autem *strenuitatis operis*, quae re-
Tertia. quiritur similiter in libero arbitrio, accipitur illa parabola de grano sinapis, Matthaei decimo tertio[6], ubi dicitur: *Simile est regnum caelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo. Quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, maius est omnibus oleribus.* Idem fere Lucae decimo tertio et Marci quarto. — In *grano sinapis*, quod est minimum quantitate et maximum virtute, notantur duo necessaria bonis operibus, scilicet *humilitas* per modicitatem, *virilitas* per virtutem; et haec contra duo, quae maxime timenda sunt in bonis operibus, scilicet contra *fraudem* et *desidiam*. Unde super illud Iob nono[7]: *Verebar omnia opera mea*, dicit Glossa beati Gregorii: « Duo in bonis operibus timenda sunt, desidia et fraus. Desidiam facit minor amor Dei, fraudem proprius amor sui, dum pro bene actis tacita humani cordis gratia, vel favoris aura, vel quaelibet res exterior desideratur ». Haec breviter de parabolis dicta sufficiant[8]. Duo necessaria.

43. Sequitur de tribus quaestionibus difficilibus, Pars III. Tres quaestiones solvuntur.
quae in hanc parabolam incidunt, videlicet *unde* malum *oriatur*, *quare sustineatur* et *quomodo puniatur*[9].

Ad responsionem primae quaestionis oportet pri- Primo, unde sit malum.
mum intelligere, quid sit *malum*. Malum autem, secundum Augustinum[10], non est natura aliqua, sed Quid sit.
privatio boni *mali* nomen accepit. Manichaeus non potest intelligere, malum esse privationem, sed ponit, naturam esse aliquam; ideo necesse habet ponere *mali principium*, et sic duo principia[11], cum mali non possit esse principium nisi malum in quantum tale; bonum vero est diffusivum sui[12]. — Cum Quid unitas, veritas, bonitas.
enim *unitas* sit indivisio *entis*, *veritas* indivisio *entis* et *esse*; *bonitas* addit adhuc super hoc, quia est indivisio *entis* et *esse* et *agere*[13], et illud agere est sese diffundere et communicare. Deus autem omne, quod agit, agit *a se*, *secundum se* et *propter se*. Quia agit a se, dat *modum*; quia secundum se, dat *speciem*; quia propter se, dat *ordinem*; quia omne bonum habet modum, speciem et ordinem; horum autem privatio est malum. Cum autem causa sit Triplex causa.
tantum *agens*, ut Deus; et tantum *acta*, ut irrationabilia; et *agens et acta*, ut rationalis creatura: horum privatio in causa *tantum agente* non potest esse; in causa *tantum acta* potest esse et est, sed sine culpa; in causa vero *agente et acta* Unde malum culpae.
est cum culpa; quia, si deficit, hoc est ex culpa sua, cum possit suam actionem ordinare et ad ordine pro sui libertate arbitrii deficere. Creatura enim rationalis et *a Deo* est et *de nihilo* est. Quia

---

[1] Vers. 44.

[2] In Evang. l. homil. 11. n. 1. Seqq. locus eiusdem est in Evang. II. homil. 37. n. 1. — A C in his locis quaedam omittunt. — In fine respicitur Phil. 3, 8.

[3] A C *semper*.

[4] Vers. 45. — Inferius ante *mercatoribus* fide A C substituimus *iste* pro *ipsas*, et deinde exponimus *seu negotiatoribus*.

[5] Epist. 52. (alias 2.) n. 6. in fine, ubi Bonelli habet *appetitur* pro *expetitur*, *margaritam* pro *margaritum* et *emi* pro *emere*, refragantibus originali et A C; inferius idem omnia *attendenda*, atque *et* ante *quarum*.

[6] Vers. 31. 32. — Seqq. loci sunt Luc. 13, 19; Marc. 4, 31. — Pro *fere Lucae* (ita A C) Bonelli perperam *fecit Lucae*.

[7] Vers. 28. — Glossa (apud Lyranum) sumta est ex Gregor., IX. Moral. c. 34. n. 53, latius de his disserente.

[8] Hoc loco deficiunt A C; in A tamen duae columnae rectae sunt vacuae in signum defectus supplendi. Uterque cod. continuationem indicavit tum n. 3, ubi haec tertia pars annuntiatur, tum n. 37, ubi de deordinatione mali in textu hic codd. A B C posuimus: *patebit forte inferius*. — Ipsa doctrina et orationis forma est omnino Bonaventuriana.

[9] De duabus prioribus quaestionibus cfr. I. Sent. d. 46. q. 2-6; II. Sent. d. 34. et 35. a. 1; Breviloq. p. III. c. 1.

[10] Enchirid. ad Laurent. c. 11. n. 3. seqq., de Natura boni contra Manich. c. 4.

[11] Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 1.

[12] Cfr. Itiner. mentis in Deum, c. 6; et supra pag. 60, nota 7.

[13] Cfr. supra pag. 215, nota 1, et etiam quoad *unitatem* tom. I. pag. 405, nota 10; quoad *verum* I. Sent. d. 8. p. I. a. 1. q. 1. Quae sequuntur referuntur Breviloq. p. II. c. 1. et explicantur II. Sent. d. 35. a. 2. q. 1.

Digitized by Google

est *a Deo*, est ipsius imitativa; et imitando Deum in actione sua, si agit a Deo et secundum Deum et propter Deum, ut constituat Deum suae actionis principium, exemplar et finem; tunc eius actio bona est, habens modum, speciem et ordinem. Quia vero *de nihilo* est, potest ab his deficere, et hoc facit, cum se nimium diligit, ut, quando debet constituere Deum finem et agere propter Deum, constituat se et agat *propter se;* et sic necesse est, ut agat *secundum se* et *a se:* et[1] sic deficit ab ordine rectae actionis, et talis defectus est malum, causatus a propria reputatione et proprio amore. — Habemus igitur, *quid* sit malum, quia defectus modi, speciei et ordinis; *unde* sit, quia a voluntate deficiente; et *quare* in sola creatura rationali, utente libertate arbitrii, propter quam potest a recto ordine obliquari. Epilogus.

44. Ad secundum autem, quod quaeritur, *quare sustineatur;* respondeo: quia hoc facit ad *complementum universi*, ad *maiorem gloriam generis humani* et *ampliorem laudem Dei.* — Ad *complementum universi* spectat, quod sit omnis differentia entium, quae potest rationabiliter cogitari. Sed cum aliquod sit ens, quod cadens a bono statim obstinatur in malo, ut lucifer; et aliquod, quod adhaerens bono statim roborabitur in eo, ut Angeli boni: debet etiam esse aliqua creatura, quae possit cadere et surgere pro sui arbitrii libertate. Et enim, secundum Augustinum[2], « Deus sic res, quas condidit, administret, ut eas agere proprios motus sinat »; sicut non mutat naturam inditam lapidi et cuilibet alii gravi, quin tendant inferius ad centrum, et ignis ac aeris, quin tendant superius et recedant a centro; sic nec debet vim inferre homini, quem liberum fecit, quin possit semper eligere quod voluerit. Igitur non solum rationabile, sed etiam necesse est ad complementum et regimen universi, quod mala fieri permittantur. Secundo, quare sustinetur. Ratio 1. Tropler eos.

45. Spectat etiam malum ad *maiorem gloriam generis humani.* Fit enim homo gloriosior per *exercitationem virtutum.* Non enim, secundum Augustinum[3], Deus sineret, mala fieri, nisi sciret, quibus bonorum usibus accommodaret. Gloriosiores fecit enim beatum Laurentium malitia Decii quam amor patris sui. — Fit etiam gloriosior per *accumulationem gratiarum.* Magis enim gratus est Deo qui novit se a malis liberatum, quam qui non sciret, se ad mala fuisse dispositum; et ideo, si factus fuisset homo, qui peccare non posset, non tantas Deo gratias ageret. — Fit etiam gloriosior ex *apparentia antithetorum*[4]; contraria enim iuxta se posita magis elucescunt, sicut color albus apparet speciosior iuxta nigrum, et cantilena iucundior ex interpositione silentii, cum silentium sit pura privatio. Ratio 2, triplex. Primo. Secundo. Tertio.

46. Spectat sive facit etiam ad *ampliorem laudem Dei;* apparet enim ex malis laudabilior eius *potentia;* licet enim manifesta sit in rerum productione, tamen melius est eam diversis modis manifestare. Propter quod dicit Dominus de Pharaone[5]: *Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam.* Nunquam enim in tot mirabilibus ostendisset Deus suam potentiam, si Pharao non fuisset malus. — Laudabilior etiam fit *sapientia;* ad maiorem enim sapientiam spectat deordinata ad ordinationem reducere, quam nunquam deordinata in ordine conservare. Unde Boethius[6]: « Ordo divinae providentiae cuncta complectitur »; quo fit, ut, si quis ab ma differentia ceciderit, in alteram relabatur. — Laudabilior etiam fit eius *iustitia* in puniendo, quae non sic appareret, nisi essent mala, quae puniret. — Laudabilior est etiam eius *misericordia* in condonando, *patientia* in supportando, *munificentia* in largiendo: quia *solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos*[7]. Ratio 2, quadruplex. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

47. Ad tertium, quod quaeritur, *quomodo puniatur* malum; respondeo, quod punitur aeternaliter; et quod sic debeat esse, patet prius ratione *divinae offensae*, quae tanta est, quantus est[8] ille qui offenditur. Cum igitur Deus sit infinitus, offensa peccati est infinita. Iustum est igitur, quod puniatur poena infinita; sed non potest puniri poena infinita secundum intensionem: oportet ergo, quod puniatur poena infinita secundum durationem aeternam[9]. — Alia ratio est, quia peccans in *collegium civitatis* iuste potest per exilium ab eius contubernio separari, quamdiu ipse vixerit, et civitas duraverit. Si igitur peccator proditor est civitatis Dei, cuius duratio est perpetua, iustum est, quod et ipse exilio perpetuo puniatur[10]. — Tertia ratio est, quia peccator iudicatur non solum secundum actum exteriorem principaliter, sed secundum interiorem voluntatem. Sed omnis peccans, quandocumque derelinquit Deum pro momentanea delectatione, mallet illam perpetuari, Tertio, quomodo punitur. Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3.

---

[1] Apud Bonelli textus est corruptus propter plurium omissionem: nam legit: *constituit propter se et a se et sic deficit.*

[2] Libr. VII. de Civ. Dei, c. 30; cfr. Breviloq. p. I. c. 9. ante finem. — De ratione sumta ex complemento universi cfr. I. Sent. d. 46. q. 6. et II. Sent. d. 7. p. I. a. 1. q. 1. in corp. — Bonelli omittit *sic* post *Deus*, refragante B et originali.

[3] Enchirid. c. 26. n. 8: Melius iudicavit de malis bene facere, quam malo mala esse permittere. Cfr. II. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. ad 3.

[4] Cfr. IV. Sent. d. 44. p. II. a. 1. q. 1. in corp., ubi dicitur de universo, quod « pulcritudo universi decoretur quibusdam antithetis ». Idem docetur II. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. fundam. 3; et in concl. agitur de seqq.

[5] Exod. 9, 16.

[6] De Consol. philos. V. prosa 6. — Cfr. Breviloq. p. III. c. 4.

[7] Matth. 5, 45.

[8] Ex B his supplevimus *est*, et *poena infinita* inferius ante *secundum durationem.*

[9] Idem docetur IV. Sent. d. 44. p. II. a. 1. q. 1. in corp., Breviloq. p. VII. c. 6.

[10] Tangitur haec ratio cit. loc. IV. Sent.; de tertia ratione cfr. Breviloq. p. VII. c. 6.

ex quo de illa in perpetuo vitae suae poenitentiam non facit: ergo puniendus est, ac si delectatio per-
Ratio 4. petuo durasset. — Quarta ratio est: quia peccator in quolibet actu peccati mortalis abutitur omnibus illis rebus, a quibus debet invari et cum quibus habet ordinari. Sed ipse, cum sit pars universi, invamentum recipit ab elementaribus, caelestibus, supercaelestibus, et ordinem habet ad praeterita, praesentia et futura; abutitur ergo omnibus supradictis: nihil est ergo in universo, quod non sibi adversetur et quantum ad consistentiam et quantum ad durationem. Ergo necessarium est, quod ipse in universali et sempiterna adversitate puniatur, ac per hoc interminata poenae calamitate. — Quinta ratio est: quia, Ratio 5.
cum anima rationalis sit creata in horizonte aeviternitatis et temporis [1], nec sit in tempore nisi ratione unionis ad corpus, solidata illa unione, necessario intrat anima statum aeviternitatis. Si igitur moritur in peccato mortali, sempiternaliter in peccati perversione perdurat; sed « non est delectus peccati sine decore institiae [2] »: igitur si sempiternaliter durat culpa, sempiternali est supplicio puniendа; a quo supplicia nos liberatos perducat Filius Dei ad regnum caelorum; quod nobis praestare dignetur qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen. — Explicit.

SERMO III.

De sanctissimo corpore Christi [3].

Summarium. — *Introductio; sex defectus humanae miseriae, et sex effectus divinae misericordiae, numero* 1. — *His sex respondent sex figurae, quae in Scriptura praefiguraut ss. corpus Christi*, 2. — Pars I. De prima et secunda figura. *Prima est figura* pinguedinis, *quia Sacramentum habet ad repletionem animae. Figura in Genesi; tria necessaria ad conservandam divinam fervorem: unde eucharistia data est in viaticum refectionis ad conservandam internam delectationem, in Sacramentum communionis ad conservandam dilectionem proximi, in sacrificium oblationis ad conservandam devotionem; haec facit ut pinguedo*, 3. — *Primum effectum contra quatuor, quae hominem afflignnt, insinuat figura*, 4. — *Secundus effectus pinguedinis: quadruplex dilatatio dilectionis proximi*, 5. — *Tertius effectus ipsius: quatuor conservant devotionem ad Deum*, 6. 7. — *Secunda est figura* panis, *quoad refectionem esurientium. Panis doctus Eliae. Quatuor furta ab Elia significant quatuor praestanda, ut digne hoc Sacramentum sumatur*, 8. — *Primo oportet fugere mundi consolationem; secundo, componere se ad vitae honestae religionem; tertio, habere subiectionem ad praelatum; quarto, habere Dei excitationem*, 9-12. — *Quatuor fructus dignae sumtionis: ipsa confortat ad actionem, sublevat ad contemplationem, disponit ad divinorum revelationem, animat ad mundi contemptum et aeternorum bonorum desiderium*, 13-16. — Pars II. De tertia et quarta figura. *Tertia est figura* mellis, *quoad illuminationem in tenebris sedentium, secundum figuram Ionathae gustantis paululum mellis; qui fecit quatuor ad significandum quatuor a sumente eucharistiam facienda*, 17. — *Primo habeat conatum meliorationis; secundo, victoriam tentationis; tertio, patrocinium B. Virginis; quarto, praesidium illuminantae operationis*, 18-21. — *Cum Ionatha tunc accipiuntur quatuor fructus: illuminatur rationalis, incitatur concupiscibilis, fortificatur irascibilis, totus homo mundo mortificatur*, 22-25. — *Quarta est figura* agni paschalis *in Exodo, quoad reconciliationem in umbra mortis sedentium. Ex hac figura eliciuntur quae homo debet habere ante accessum, in accessu, post accessum*, 26. — *Ante accessum, quatuor*, 27. — *In ipso accessu, quatuor*, 28. — *Post accessum habeat quatuor fructus*, 29. — Pars III. De quinta et sexta figura. *Quinta figura est* thesauri caelestis, *quoad ditationem mendicantium. Thesauri absconditi promittantur Ecclesiae in Isaia; quatuor in eucharistia the-*

---

[1] Libr. de Causis prop. 2; cfr. supra pag. 332, nota 6.

[2] August., III. de Lib. Arb. c. 15, n. 44; cfr. tom. II. pag. 770, nota 1; et Breviloq. p. II. c. 7, p. VII. c. 6. — Inferius pro *sempiternali* B *sempiternaliter*.

[3] Apud Bonelli haec est inscriptio: *S. Bonaventurae sermo singularis de corpore Christi*; in codd. A C D: *Incipit sermo* (D addit *bonus*) *de corpore Christi*; in B (a secunda manu): *Nota diligenter de sacratissimo corpore Christi sermonem*. — Bonelli, unius codicis apographo usus, passim recedit a lectione quinque saltem inter se convenientium codd., quos adhibuimus. Hinc numerus lectionum variantium et locorum corrigendorum, praesertim circa medium et finem sermonis, ita auctus est, ut a medio ipsius non nisi maioris momenti omissiones et lectiones variantes ad calcem ponendae viderentur.

Digitized by Google

sauri absconditi, scilicet omnis essentiae, sapientiae, gratiae, gloriae, 30. — *Singuli explicantur*, 31. — *Iste thesaurus est absconditus propter quatuor rationes*, 32-35. — *Sexta figura est* manna, *quoad mollificationem cordium ferreorum. Ex ista figura in Exodo relata eliciuntur quatuor eucharistiae proprietates*, 36. — *Est enim cibus genere nobilissimus, sapore suavissimus, continentia dignissimus, efficacia mirabilissimus*, 37-40. — *Ex eadem eliciuntur quatuor a sumente eucharistiam faciendo*, 41. — *Epilogus*, 42.

Introductio.

1. *Confitentur Domino misericordiae eius, et mirabilia eius filiis hominum; quia satiavit animam inanem et animam esurientem satiavit bonis, sedentes in tenebris et umbra mortis, vinctos in mendicitate et ferro.* Istud verbum scribit David Propheta[1], in quo excitat nos ad gratiarum actiones, cum dicit: *Confitentur Domino* etc. Subiungit rationem, cum dicit: *Quia satiavit* etc. Videns ergo Propheta excitare corda nostra ad gratiarum actiones, ostendit in hoc verbo multiplices *defectus nostrae miseriae*, nihilominus multiplices *effectus divinae misericordiae*. — Dicit enim hic, quod homo *inanis* erat, homo *esuriebat*, homo *in tenebris sedebat, in umbra mortis iacebat, vinctus in mendicitate et ferro*. — *Inanis* erat, quia non habebat[2] Deum in se per inhabitationem. *Esuriebat*, quia non habebat spiritualem refectionem. *In tenebris sedebat*, quia non habebat divinam cognitionem. *In umbra mortis iacebat*, quia indicatus erat in damnationem. *Vinctus erat in mendicitate*, quia non habebat virtuosam operationem. *Vinctus erat ferro*, quia habebat cordis obstinationem.

Inhumanitas & defectus nostri.

Confitentur ergo *Domino* etc., quia ipse *replevit* animam inanem, *satiavit* esurientem, *illuminavit* in tenebris sedentem, *reconciliavit* in umbra mortis iacentem, *ditavit* mendicantem, *mollivit*[3] ferreum cor habentem. — Homo erat *inanis*, et ipse se dedit ei per inhabitationem. Homo *esuriebat*, et ipse se dedit ei per refectionem; *in tenebris sedebat*, et ipse se dedit ei in cordis illuminationem; *in umbra mortis iacebat*, et ipse se dedit ei in reconciliationis oblationem. Homo *vinctus erat in mendicitate*, et ipse se dedit ei in virtuosam operationem; *vinctus erat ferro*, id est corde obstinato, et ipse se dedit ei in cordis mollificationem. *Confitentur* ergo *Domino* etc., quia ipse est *repletio* inanium, *refectio* esurientium, *lumen* in tenebris sedentium, *reconciliatio* in umbra mortis iacentium, *ditatio* mendicantium et ferreorum *mollificatio* cordium. — Haec omnia tanguntur in verbis Hematis[4], sicut patet.

Item 6 effectus Dei.

2. Et propter haec sex sub sex figuris praefiguratum est corpus Christi in Scripturis, videlicet sub figura *adipis* sive *pinguedinis*, sub figura *panis*, sub figura *mellis*, sub figura *agni paschalis*, sub figura *thesauri caelestis* et sub figura *mannatis*. — Quia enim *pinguedo* est quid[5] penetrativum, ideo valet ad repletionem inanium, quoad primum. Quia *panis* est quid confortativum, ideo valet ad refectionem esurientium, quoad secundum. Quia *mel* est oculorum purificativum, ideo valet ad illuminationem in tenebris sedentium, quoad tertium. Quia *agnus paschalis* est quid immolativum, ideo valet ad reconciliationem in umbra mortis iacentium, quoad quartum. Quia *thesaurus* est quid desiderativum, ideo valet ad ditationem mendicantium, quoad quintum. Quia *manna* est quid liquefactivum, ideo valet ad mollificationem cordium ferreorum, quoad sextum. *Confitentur* ergo *Domino* etc.

Similiter sex figurae eucharistiae.

3. Primo, quia praefiguratur nobis corpus Christi sanctissimum sub figura *pinguedinis*, et hoc recte. Corpus enim Christi datum est nobis ad conservandum in corde divinum fervorem; qui conservatur tripliciter: per *delectationem* intra semetipsum, per *dilectionem* ad proximum et per *devotionem* ad Deum. *Delectatio* autem intra semetipsum non habetur nisi per viaticum refectionis; *dilectio* autem ad proximum[6] habetur per Sacramentum communionis; *devotio* ad Deum habetur per sacrificium oblationis. Et ideo ad haec tria datum est corpus Christi, videlicet in *viaticum refectionis*, ut conservet delectationem intra semetipsum; in *Sacramentum communionis*, ut conservet dilectionem ad proximum; in *sacrificium oblationis*, ut conservet devotionem ad Deum. Et haec tria facit *pinguedo*: delectabiles

Pars I. De prima et secunda figura.

De figura pinguedinis.

Tria necessaria ad fervorem conservandum.

Ad tria datus eucharistia.

Haec tria facit pinguedo.

---

[1] Psalm. 106, 8-10. — Brevius, sed contra codd., Bonelli: *In hoc verbo David Propheta excitat nos ad gratiarum actiones. Subiungit.* Deinde omittens *Videns ergo... actiones*, continuat: *Ostendit ergo multiplices*, ac pro *nihilominus* (ita B) habet *et*; ceteri codd. male omittunt verba *multiplices effectus divinae misericordiae*.

[2] Bonelli *habuit*, qui deinde semper ponit *perfectum* pro *imperfecto*, refragantibus codd.

[3] B C D E *mollificavit*. Voce *mollificatio* utitur auctor etiam I. Sent. d. 50. a. 1. q. 2. arg. 7. ad oppos. Inferius pro *reconciliationis oblationem* A C *reconciliationem et oblationem*. Cod. E quatuor tantum figuras hic proponit earumque explicationem exhibet. Inde post *patet* sic prosequitur: Tamen quia de sacrosanctissimo corpore Christi loqui proponimus, ideo quatuor ex his omnibus principalia assumimus. Dicitur enim hic, quia homo esuriebat, homo in tenebris sedebat, in umbra mortis iacebat, vinctus erat ferro etc. — Dividit igitur suo loco figuram *pinguedinis* et *thesauri caelestis*.

[4] Ita codd., Bonelli *in verbo proposito*, qui in initio numeri 2. superflue addit *ideo* post *Et*. — De figuris eucharistiae cfr. IV. Sent. d. 8. p. 1. a. 1. q. 1-3.

[5] Pro *quod* A C hic et in seqq. *quiddam*.

[6] Ita A B C H; Bonelli *dilectio proximi*. — Subinde de triplici ratione, quare eucharistia vocetur *viaticum refectionis*, cfr. IV. Sent. d. 8. p. 1. dub. 3. Tota autem huius numeri doctrina eisdem fere verbis habetur Breviloq. p. VI. c. 9.

Digitized by Google

enim facit cibos, quos infundit, quoad primum; dilatat pellem, quam perungit, quoad secundum; flammam subleval [1], quam attingit, quoad tertium.

De effectu primo. 4. Quia ergo *pinguedo* delectabiles reddit cibos, significat corpus Christi, quod [2] magnam *delectationem* homini facit intra semetipsum, qui illud devote comedit. Et hoc figuratum est Genesis penultimo [3]: Praefigurat. *Aser, pinguis panis eius, et praebebit delicias regibus.* Iste panis magnas delicias homini infundit, Quatuor affligunt hominem. quia tollit omne, quod affligit. Quatuor enim affligunt hominem in hac vita: *impotentia, ignorantia, malitia* et *concupiscentia;* et haec quatuor inflicta sunt homini propter originale peccatum; Psalmus [4]: *Afflictus sum et humiliatus sum nimis*, et statim subiungit causam dicens: *Deseliquit me virtus mea*, quoad impotentiam; *et lumen oculorum meorum non est mecum*, quoad ignorantiam; *amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt*, quoad concupiscentiam [5] — *omnes* enim et *proximos* vocat carnem cum concupiscentiis, et tamen *adversarios*, quia *caro concupiscit adversus spiritum*, ad Galatas quinto — *et qui iuxta me erant de longe steterunt*, quoad malitiam. — Contra haec Figura tangunt quatuor remedia quatuor in praemisso verbo [6] datur corpus Christi sub figura *panis Aser, panis pinguis, panis delicias praebens, panis regum.* — *Panis regum* dicitur, Primo. quia confortando *reges* facit, contra *impotentiam*, ut scilicet *rex*, id est recta ratio, sedens *in solio iudicii*, id est [7] in gubernatione recta animae, *dissipet omne malum intuitu suo*, sicut dicitur in Proverbiis. — Dicitur etiam corpus Christi *panis pinguis*, Secundo. quia illuminat, contra *ignorantiam*. Pinguedo enim in testa posita vel lampadi infusa dat usum luminis. — Dicitur etiam *panis delicias praebens* contra Tertio. *carnis concupiscentias* [8]. Iste enim panis *est habens omne delectamentum et omnis saporis suavitatem*, Sapientiae decimo sexto [9]. — Dicitur etiam Quarto. *panis Aser*, qui interpretatur *beatitudo*, quia totum hominem beatificat, contra omnem *malitiam*. Virtus enim huius panis est, ut transmutet hominem in Christum, qui est summe beatus per essentiam et beatificans alios per gratiam. Unde Dominus dixit ad beatum Augustinum [10]: « Non tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me ».

De effectu secundo. 5. Secundo, datum est nobis corpus Christi in Sacramentum communionis ad conservandam *dilectionem ad proximum;* et ideo bene significatur per *pinguedinem*. Sicut enim pinguedo dilatat pellem, quam perungit; sic corpus Christi dilatat animam, quae ipsum devote comedit. Dilatat autem ad omnem partem Dilatat sed modis. positionis, videlicet *supra* et *infra*, *ad dexteram*, *ad sinistram*, *ante* et *retro;* et propter hoc dicitur Ieremiae trigesimo primo [11]: *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine.* — *Pinguedinem*, qua animam sacerdotum inebriat, hic vocat Sacramentum altaris, quo animam dignae sumentium ad caritatem inflammat, quae vehementer animam ad omnem posi- Sacramentum dilatat, sed modis Ecclesiam replens. tionem dilatat; et propter hoc subiungitur: *Et populus meus bonis meis adimplebitur. Populum* hic vocat [12] totam Ecclesiam, tam militantem quam triumphantem. Postquam enim anima sacerdotis inebriata fuerit ex huius virtute Sacramenti pinguedine Secundum. dilectionis, statim replet totam Ecclesiam bonis. Ex abundantia caritatis dilatatur *supra* usque in caelum, offerendo Deo [13] ad honorem Sanctorum in caelo regnantium; dilatatur *infra* usque ad purgatorium, quia offert pro redemptione inibi existentium; dilatatur *ad dexteram*, quia offert pro salute amicorum et benefactorum; dilatatur *ad sinistram*, quia offert pro salute inimicorum et persecutorum; dilatatur *retro* [14], quia offert pro salute antecessorum suorum; *ante*, quia offert pro salute omnium praedestinatorum usque ad diem iudicii futurorum.

De tertio. 6. Tertio datum est nobis corpus Christi in sacrificium oblationis, ut conservet *devotionem ad Deum;* et ideo bene significatum est in pinguedine;

---

[1] Ita A C D; Bonelli corrupte *inflammat ad elevationem*, *quam*, B *inflammat ad devotionem quoad tertium*.

[2] Ita A B C D; Bonelli praefigit *quod* ante *corpus Christi*, quo immutatur sensus; et subinde ponit *praefiguratum* pro *figuratum*, B *significatum*, C *significatum*.

[3] Scil. Gen. 49, 20; eundem locum auctor sic applicat Comment. in Lucam, c. 22, 19. — De quadruplici poena hominis ipso inflicta vide ll. Sent. d. 22. dub. 2, Breviloq. p. III. c. 5. — Post *impotentia* Bonelli addit hic et inferius *sive infirmitas*, nec pro *et haec quatuor* ponit *quae*, refragantibus A B C D.

[4] Psalm. 37, 9, deinde v. 11. (ubi Vulgata post *meorum* interserit *et ipsum*), sequuntur v. 12. et 16. — Bonelli constanter *quantum ad* pro *quoad* (Ita A B C).

[5] Bonelli transponit huc verba: *et qui... malitiam*, quae cum codd. posuimus infra post *Galatas quinto* (v. 17.).

[6] Scilicet Gen. 49, 20, cuius loci quatuor partes ad propositum applicantur.

[7] Pro *id scilicet rex, id est recta ratio, sedens in solio iudicii, id est*, Bonelli corrupte *sive infirmitatem quaque sensuum. Rex enim, id est recta ratio, qui sedet in solio iudicii, id est.* — Locus Scripturae est Prov. 20, 8: Rex, qui sedet in solio iudicii, dissipat etc.

[8] Ita A C D, Bonelli *contra concupiscentiam*, B *contra carnis delicias*.

[9] Vers. 20: Pro quibus Angelorum esca nutrivisti populum tuum et paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem. — Pro *est habens* contra codd. Bonelli *habet*, et subinde omittit *panis* ante *Aser*. — De Aser dicitur etiam Hexaem. collat. 23. n. 20: Aser interpretatur *beatus*, scilicet pinguis panis, praebens delicias regibus.

[10] Libr. VII. Confess. c. 10. n. 16. Cfr. Breviloq. p. VI. c. 9: Per quae non in se transformet Christum, sed ipse potius traficiatur in eius mysticum corpus.

[11] Vers. 14. Bonelli *animas*, refragantibus Vulgata et A. — Superius pro *Secundo, datum est nobis corpus* Bonelli *Datum est corpus*, et inferius idem falso *potentiam* pro *positionem* (*ad omnem positionem* idem est ac *quoquoversus*, ut patet ex seqq.).

[12] Bonelli *dicit hic*, deinde ante *virtute* omittit *ex huius*, ponit *abundantia dilectionis* pro *abundantia caritatis*, et infra *ibi* pro *inibi*, refragantibus codd.

[13] A B D omittunt *Deo*, et subinde *in caelo*.

[14] Bonelli perperam et contra codd. *ante*, et deinde *retro* pro *ante*.

Digitized by Google

quia, sicut pinguedo igni superfusa sublevat flammam in altum, sic divinissima eucharistia, a devoto corde suscepta, rapit ipsum per devotionem ad Deum. Et propter hoc dicitur in Psalmo[1]: *In nomine tuo levabo manus meas. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum.* Sicut enim vas repletum adipe et pinguedine, non valens continere interius, redundat exterius; sic corpus Christi, cum animam repleverit pinguedine devotionis, eructat exterius in labiis exsultationis. — Tanguntur autem quatuor in isto verbo, quae solent conservare devotionem ad Deum, videlicet *rectitudo intentionis*, *consuetudo orationis*, *devotio communionis* et *consecutio gratiarum actionis*. Et istud debet ita ordinare homo, quod primo praeparet *rectam intentionem*, postea se ipsum excitet per *orationem*, et ex tunc devote accedat ad *communionem*, et ultimo resolvat os in *gratiarum actionem*.

Quatuor conservant devotionem.

7. Primo debet habere *rectam intentionem*: quia non debet homo offerre hoc sacrificium propter favorem hominum, vel propter carnale commodum sive propter lucrum temporalium; sed pure propter honorem divinum, propter utilitatem proximorum et propter augmentum suorum meritorum. Et propter hoc dicitur hic: *In nomine tuo*, iuxta illud Apostoli[2]: *Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi* facite. — Debet etiam accedens ad hoc Sacramentum esse excitatus ad *orationem*; non enim tepido corde debet aliquis accedere, quia sic mereri posset obstinationem. Et propter hoc dicitur hic: *Levabo manus meas*, videlicet per orationem, iuxta illud Apostoli ad Timotheum[3]: *Volo, viros in omni loco orare, levantes puras manus*, scilicet ad Dominum. — Et sic tertio devotus debet accedere ad *communionem*; unde subditur: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* — Et ultimo, impinguatus per *devotionem*[4] et inflammatus per *dilectionem*, debet erumpere in *gratiarum actionem*; ideo subiungitur: *Et labiis exsultationis laudabit os meum.* — *Confiteantur* ergo *Domino misericordiae eius*, quia praefiguravit nobis primo corpus suum sub figura *pinguedinis*.

De primo. De secundo. De tertio. De quarto.

Epilogus.

8. Secundo praefiguravit nobis hoc sanctissimum corpus suum in forma *panis*, de quo ipse dicit Ioannis sexto[5]: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi*; et ibidem: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* — Iste est panis, quem attulit Angelus Eliae, sicut dicitur tertii Regum decimo nono: *Respexit* Elias, *et ecce, ad caput eius subcinericius panis et vas aquae. Panis subcinericius* est corpus Christi, qui bene *subcinericius* dicitur, quia velatur accidentibus; per *cineres* significantur accidentia, et sub illis cineribus accidentium latet refectio nostrarum mentium. Quod autem dicitur, quod erat ibi *vas aquae*, hoc additur[6] propter sanguinis Christi mysterium. Quod autem panis iste allatus est per angelicum ministerium, significat, quod cum conficitur hoc Sacramentum, ibi adest maximus exercitus Angelorum. Gregorius in Dialogo[7]: « Cui fidelium dubium est, in ipsa immolationis hora ad vocem sacerdotis caelos aperiri, ima summis sociari, terrena caelestibus iungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri? Sed cum haec agimus, necesse est, ut prius coram Deo nosmetipsos Deo in compunctione cordis in ara mactemus ».

De secunda figura scil. panis. Figura est panis Eliae. Explicatur.

Sed priusquam Elias venerat ad huius panis refectionem, quatuor legitur fecisse[8]: quia reliquit puerum, venit in desertum, sedit subter iuniperum et habuit suscitatorem Angelum; ad significandum, quod quatuor debet habere qui digne ad hoc Sacramentum vult accedere. — Primo debet fugere mundi consolationem; debet intrare religionem; debet ibi habere respectu praelati subiectionem; debet habere ad

Quatuor facta Eliae. Haec quatuor applicantur eucharistiam sumenti.

---

[1] Psalm. 62, 5. 6. — Superius pro *Tertio datum est* Bonelli *Datum est*, et pro *bene significatum est* habet *significatur*. Post verba Psalmi in eiusdem editione desideratur tota propositio: *Sicut enim... exsultationis.* Denique fide A C (et ex parte B D) substituimus *Et istud debet ita ordinare homo, quod primo praeparet rectam intentionem, postea... resolvat os in* pro *Et ita illa ordinate debent fieri, ut homo primo se praeparet per rectam intentionem, praeterea... resolvat se in.* — Quoad doctrinam cfr. IV. Sent. d. 12. p. II. a. 1. q. 1, a. 2. q. 2. et opusculum de Praeparatione ad Missam.

[2] Coloss. 3, 17. — Superius et alibi passim fide codd. substituimus *Et propter hoc* pro *Unde*.

[3] Epist. I. 2, 8: Volo ergo, viros etc. — A C omittunt verba Apostoli, et ipsam allegationem immediate post *obstinationem* ponunt.

[4] Bonelli omittit *per devotionem*.

[5] Vers. 51; seq. locus ibid. v. 52; tertius III. Reg. 19, 6, ubi Vulgata *ad caput suum*. Pro *Respexit* A B D E *Surrexit*. — Superius ex codd. substituimus *in forma* pro *in figura*; inferius autem post *iste est* fide A B C D E suppressimus inepta verba *in figura*.

[6] Hanc partem propositionis fide A B C D E substituimus post *mentium* pro *Vas aquae*; deinde *quod autem* pro *quare autem*, et per consequens *significat* (vel *signat*) pro *significatur*.

[7] Libr. IV. c. 58. 59. Secuti sumus lectionem quinque nostrorum codd. satis convenientium, dum Bonelli exhibet locum integrum ex ed. Maurina his verbis: « Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad vocem sacerdotis caelos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, ima summis sociari, terrena caelestibus iungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri? Sed necesse est, cum haec agimus, ut nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus ». *Quoniam priusquam.* — Idem locus exhibetur IV. Sent. d. XI. text. Magistri, c. 2, et explicatur Comment. p. I. dub. 3.

[8] Refragantibus A B C D E, Bonelli hic addit *legitur quod*, et locum ex ipsa Vulgata (III. Reg. 19, 3. seqq.), nonnullis omissis, exhibet sic: *venit in Bersabee Iuda et dimisit ibi puerum suum et pervenit in desertum; cumque venisset et sederet subter unam iniperum, obdormiit in umbra iniperi; et ecce, Angelus Domini tetigit eum et dixit illi: Surge et comede.* Quatuor ergo. Post *fecisse* idem ponit *quod* pro *quia*, deinde *secessit* pro *venit*, et *suscitatorem Angeli* pro *suscitatorem Angelum*, et immediate post addit *Et hoc* nec non *nobis*.

Digitized by Google

Deum devotionem[1]. Et haec sunt illa quatuor, quae supra diximus.

9. Primo ergo debet fugere mundi consolationem. Cum enim in hoc Sacramento sit plenitudo consolationis spiritualis; et talis non detur admittentibus alienam consolationem, ut dicit Bernardus[2]: ideo necesse est, ut qui vult attingere consolationem spiritualem dimittat delectationem carnalem. Et hoc est quod dicitur hic, quod cum venisset in *Bersabee*, *reliquit ibi puerum suum*. *Bersabee* interpretatur fons satietatis et significat Christum, in quo est omnis plenitudo gratiarum. Hanc plenitudinem[3] qui attingit omnem delectationem mundi relinquit; et hoc est quod ibi subditur: *Reliquit ibi puerum suum*. Quid per *puerum* nisi carnalem delectationem accipimus? Quem puerum nos relinquere docebat Apostolus[4], cum dicebat: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote*. Ille ergo reliquit puerum, qui reliquit puerilem mundi modum. De primo.

10. Secundo qui digne vult accedere ad hoc Sacramentum debet se componere ad vitae honestae religionem. Et hoc est quod dicitur hic, quod Elias *pertransit in desertum*. *Desertum* significat statum religiosum, quia dicitur a *deserendo*; et ibi deseruntur omnia temporalia. Deseruntur enim ibi *divitiae* per votum paupertatis, *deliciae* per votum castitatis, *honores* et *dignitates mundanae* per abnegationem[5] voluntatis propriae. Et nihil tam nocivum est in mundo, sicut ista tria; Ioannes in Canonica[6]: *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae*. Et quia per haec tria animas peccatrices captivat diabolus, etiam per haec tria animas religiosas impugnat; quod significatum est Deuteronomii octavo[7], *quod in deserto erat serpens flatu adurens*, id est diabolus tentans per superbiam; *et dipsas* siti interficiens, id est diabolus tentans per avaritiam; *et scorpio* vultu blandiens et cauda pungens, id est diabolus tentans per carnis concupiscentiam. De secundo. Notandum. Figura.

11. Tertio debet habere respectu praelati subiectionem; et hoc est quod dicitur hic, quod Elias sedit *subter unam iuniperum*. *Iuniperus*, ut dicit Isidorus[8], est arbor, cuius cineres conservant ignem per totum annum. Quid ergo per *iuniperum* significare possumus nisi bonum praelatum? Cinis inniperi est humilitas praelati, quae solet conservare in pectoribus[9] subditorum ignem mutuae dilectionis et calorem fervidae devotionis. De tertio.

12. Quarto debet habere respectu Dei devotionem, et hoc est quod dicitur hic[10], quod Angelus suscitavit eum. Quid significatur per *Angelum* nisi divinae gratiae donum? *Angelus* enim interpretatur nuntius. Tunc enim Deus quasi Angelum ad nos mittit, quando gratiam nobis immittit. Et iste Angelus semel et iterum excitat, quia divinae gratiae donum semper ad proficiendum nos in spiritu instigat. — Sed qui[11] digne ad hoc Sacramentum accedit vacuus non recedit. Et ideo nota, quod quatuor sunt, quae haurire solent in hoc Sacramento qui digne accedunt. De quarto. Fructus quatuor.

13. Hoc enim Sacramentum *confortat* ad actionem, *sublevat* ad contemplationem, *disponit* ad divinorum revelationem, *animat* et *accendit* ad mundi contemptum et ad caelestium aeternorumque bonorum desiderationem. Et ideo dicitur hic, quod Elias *in fortitudine cibi illius ambulavit, usque ad* Fructus quatuor innuuntur in figura.

---

[1] Post *mundi consolationem* Bonelli sic prosequitur: *secundo debet qui a Deo vocatus fuerit, ingredi rectae vitae religionem; tertio debet ibi habere praelati subiectionem; quarto debet habere ad proficiendum Dei excitationem. Et haec sunt illa quatuor, quae de Elia diximus.* B haec omnia omittit usque ad verba *Cum enim* (n. 9.). Secuti sumus A C, quibus, paucis exceptis, conveniunt D E.

[2] Bernard., sive potius Gaufredus abb. in Declamat. ex Bernard. collectis super: Ecce, nos reliquimus omnia etc., § 55. n. 66. — Superius ex B D E post *alterum* supplevimus *consolationem*, et cum D posuimus *dimittit* pro *debeat dimitti*, quod etiam A B C E habent, sed omisso superius *ut*, unde C *debet*. Denique pro *Et hoc est quod* solus Bonelli *Inde*.

[3] Fide A B C D E substituimus *Hanc plenitudinem* pro *quam*, et deinde *Et hoc est quod ibi* pro *Unde*; idem infra saepius occurrit. Omisimus etiam ante *quem puerum* verba *quae revera puerilia est*, substituimus *nos relinquere docebat* pro *reliqui docuit*, nec non *cum dicebat* pro *dicens*.

[4] Epist. I. Cor. 14, 20. — Subinde post *debet* fide codd. omisimus *si a Deo vocatus fuerit*, quia illud *se componere ad vitae honestae* (Bonelli *rectae*) *religionem* non significat nisi saltem corde et spiritu se conformare statui religioso, quem proprie per *desertum* significari in sequentibus docet. Ibi ex A B post *religionem* posuimus *quem* pro *Desertum*, denique ante *ibi* ex A *et* pro *quia*.

[5] Bonelli *honores humanae dignitatis per votum obedientiae sive per abnegationem*, contra codd. parum inter se variantes; secuti sumus B. Subinde Bonelli omittit *tam nocivum*, et pro *sicut* ponit *nisi*.

[6] Epist. I. 2, 16. Vulgata ponit *his et* pro *aut*. — Pro *etiam per haec tria* Bonelli *et*, ac subinde pro *quod significatum est* habet *ideo dicitur*.

[7] Vers. 15: Vulgata: Et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens et scorpio ac dipsas, et nullae omnino aquae. — De *dipsade* annotat Bonelli: Solinus cap. 30: *Dipsas siti interficit*. Item de eius morsu humorem omnem consumente et sitim maximam inducente Lucan. lib. 9; Plinius lib. 32. c. 5. — Fide codd. adiecimus *quod in deserto*, nec non substituimus *et dipsas siti* pro *ac dipsas sive siti*.

[8] Etymolog. XVII. c. 7. n. 35. — Superius pro *respectu praelati* Bonelli *praelato*.

[9] Refragantibus A B C D E, post *ignem* Bonelli sic legit: *diu usque ad annum. Iuniperus ergo est bonus praelatus, cui humilis subiectio conservare solet in cordibus subditorum*. Deinde idem pro *fervidae devotionis* habet *fervidae dilectionis*, repetens eandem vocem.

[10] Libr. III. Reg. 19, 5: Et ecce, Angelus Domini tetigit eum etc., et v. 7: Reversusque est Angelus Domini secundo et tetigit eum dixitque illi: Surge, comede. — Superius Bonelli corrupte *habere Dei excitationem. Unde dicitur quod.*

[11] Ita codd., Bonelli *insperat; quoniam*. — Subinde post *Et ideo* ex C D adiecimus *nota, quod*, et ex omnibus codd. *in hoc Sacramento*.

Digitized by Google

montem Dei pervenit, secreta divina vidit et *in ostio speluncae stetit;* et haec sunt illa quatuor.

Fructus primus. Primum ergo, quod haurit anima devota in hoc Sacramento, est, quod *comfortatur*[1] *ad actionem.* Unde dicitur hic: *Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus* etc. Iste cibus significat corpus Christi, in cuius fortitudine homo laborat, dum in spirituali vita proficere non cessat. Ambulat autem *quadraginta diebus.* In quadragenario est denarius per quaternarium ductus. Per *denarium* significatur decalogus, ad quem reducitur totum vetus testamentum. Per *quaternarium* significantur quatuor Evangelia, ad quae reducitur totum novum testamentum. Ambulare igitur in fortitudine cibi illius quadraginta diebus est proficere in spirituali vita toto tempore nostro, quo regitur[2] vita nostra per novum et vetus testamentum.

Significatur V. et N. T.

Secundus. 14. Secundo, *sublevatur ad contemplationem*[3]; unde dicitur hic, quod *pervenit ad montem Dei.* Quid per *montem* significare possumus nisi mentis sublevationem? Ad hunc montem Moyses pervenerat, de quo legitur Exodi tertio[4]: *Moyses pascebat oves*, ibi notatur exercitium actionis. Postea *minavit gregem ad interiora deserti*, in quo designatur reductio omnium actionum et affectionum ad intima cordis. Et *pervenit ad montem Dei*, in quo notatur sublevatio mentis ad caelestia. Et ibi *apparuit ei Dominus*, quia ex tunc datur animae actus contemplationis. Apparuit autem ei *in flamma ignis.* Ignis habet calefacere et illuminare, ad significandum, quod quando anima pervenit ad gratiam contemplationis, et *intellectus* haurit lumen cognitionis et *affectus* incendium dilectionis.

De Moyse.

Tertius. 15. Tertio, *disponitur ad divinorum secretorum revelationem;* et ideo dicitur hic[5], quod Dominus dixerit Eliae: *Egredere et sta in monte coram Domino; et ecce, Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus; et post spiritum commotio; non in commotione Dominus; et post commotionem ignis, non in igne Dominus; et post ignem sibilus aurae tenuis*, ibi Dominus. Ibi enim revelatum est Eliae, quod Dominus non est in spiritu superbiae, non in commotione impatientiae, non in igne cupiditatis sive carnalis concupiscentiae; sed in sibilo aurae tenuis, id est in tranquillitate pacatae conscientiae; Psalmus[6]: *In pace* enim *factus est locus eius, et habitatio eius in Sion.*

Iterum de Elia.

Quartus. 16. Quarto, *animatur ad contemptum mundi et ad coelestium bonorum desiderationem.* Et hoc est quod dicitur hic[7], quod *Elias operuit vultum suum pallio et egressus stetit in ostio speluncae.* Quando enim anima sublevatur ad videndam illius pulcritudinis immensitatem et virtutis divinae infinitatem, statim resilit in propriam parvitatem et *cooperit*[8] *vultum suum* per profundam humilitatem, et *egreditur* de mundi cupiditate, et *stat in ostio speluncae*, id est, suspirat ad aeternitatem. Per *speluncam* enim significatur corpus humanum, per *ostium* exeundi desiderium. Et propter hoc quasi in ostio stabat, quia exire desiderabat. — *Confiteantur* ergo *Domino*, quia secundo praefiguravit nobis corpus suum sanctissimum in figura *panis.*

Epilogus.

Pars II. De tertia et quarta figura.

17. Tertio praefiguravit nobis corpus suum reverendissimum in figura *mellis.* Et propter hoc dicitur Proverbiorum vigesimo quarto[9]: *Comede, fili, mel, quia bonum est, et favus dulcis gutturi meo.* Per *favum mellis* significatur Sacramentum dominici corporis; et bene per *mel* significatur, quia mel delectat gustum et secundum medicos habet purificare visum. Ita Christus delectat affectum et illuminat intellectum. Bernardus[10]: « Iesus, dulcedo cordium, fons vivus, lumen mentium, excedit omne gaudium et omne desiderium ». Per hoc, quod dicit, quod est *dulcedo cordium*, delectare habet affectum; et per hoc, quod est *lumen mentium*, illuminare habet intellectum. — Quod autem Christus sit *mel*, dicit Bernardus super Canticum[11]: « Iesus mel est in ore, melos in aure, iubilus in corde ». Et alibi: « Iesus, decus angelicum, in aure dulce canticum, in ore mel mirificum, in corde pigmentum caelicum ». Hoc mel produxit nobis apis nostra, Virgo Maria, iuxta illud

De figura mellis.

Mel purificat visum.

Christus mel.

---

[1] Bonelli *confortat.*

[2] Ita D E Bonelli *tenetur*; A C omittunt verba *quo regitur... testamentum.* Superius post *reducitur* Bonelli omittit *totum*, et pro *toto tempore* ponit *omni tempore.*

[3] Bonelli male omittit haec verba, quae initium novi membri indicant, dum post *testamentum* prosequitur: *Ideo dicitur hic quod pervenit.* — De significatione *mentis* Bonav. idem docet Comment. in Lucam, c. 9. ad v. 28.

[4] Vers. 1. seqq. — Bonelli, recedens a codd., hic post *oves* refert totum locum Scripturae: Iethro, soceri sui sacerdotis Madian; cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio eius etc. Porro prima verba repetit incipiens: Ubi in dato verbo: Moyses pascebat oves Iethro, soceri sui sacerdotis Madian etc., notatur exercitium actionis. Prius autem (perperam pro *Postea*). Denique ex codd. substituimus *pervenit* pro *venit.*

[5] Libr. III. Reg. 19, 11. 12. Codd., a Vulgata recedentes, ter habent *et non in* pro *non in.* In fine in Vulgata deest *ibi Dominus.* — Bonelli *Unde dicitur quod.*

[6] Psalm. 75, 3.

[7] Loc. cit. v. 13. — Refragantibus codd., Bonelli superius post *animati* prosequitur: *et accendit ad mundi contemptum et ad caelestium aeternorumque bonorum.*

[8] Ita codd., Bonelli *operit.* Intra ante *Confiteantur* A C omittunt propositionem *Et propter hoc... desiderabat.*

[9] Vers. 13. Vulgata (et D E) *fili mi* pro *fili*, et *favum dulcissimum* pro *favus dulcis.* Superius adiecimus *reverendissimum* fide A C D. — Quod mel *purificet oculos*, teste Bonelli, docet Plinius lib. II. c. 16, ubi mel vocatur *oculis aptissimum.*

[10] Non constat, quis sit auctor noti huius hymni, vulgo Bernardo tributi et inter ipsius opera suppositicii impressi.

[11] Serm. 15. n. 6. Deinde semel et iterum citatur praedictus hymnus. — Pro lectione Bonelli *nectar caelicum* substituimus ex A B C E antiquam lectionem *pigmentum caelicum.*

Digitized by Google

Maria comparatur apis.

Ecclesiastici undecimo[1]: *Brevis in volatilibus apis, et initium dulcoris habet fructus eius.* — Apis est Virgo beata, quae *brevis* dicitur, quia inter omnes Sanctos humillima. Huius *fructus habet initium dulcoris*, quia Dominus Iesus Christus, qui fuit fructus ventris eius, non solum fuit *dulcis*, sicut mel, immo *super mel et favum*; unde Bernardus: « Super mel et omnia Iesu dulcis praesentia ». — Sicut ergo praefiguratur corpus Christi sub figura *panis*, et hoc ad *refectionem* esurientium; ita praefiguratum est sub figura *mellis* ad *illuminationem* in umbra mortis sedentium; et hoc est quod dicitur primi Regum decimo quarto[2], quod Ionathas gustavit de melle, *et illuminati sunt oculi eius.* — Sed quia quatuor sunt necessaria homini digne accedenti ad hoc Sacramentum; ideo quatuor legitur Ionathas fecisse[3], priusquam venisset ad gustandum favum mellis: ascendit laboriosam viam, convertit totum exercitum Philistinorum in fugam, tenuit in manu sua virgam et ad os suum applicuit manum suam; ad significandum, quod digne accedens ad hoc Sacramentum debet habere *conatum meliorationis, victoriam tentationis, patrocinium beatae Virginis et praesidium illuminatae operationis.*

Praefiguratur illuminatio sedentium in umbra mortis.

Quatuor facta Ionathae significant quatuor facienda.

De primo necessario.

18. Primo ergo debet habere *conatum meliorationis*; et propter hoc legitur de Ionatha, quod *ascendit reptans manibus et pedibus*, ad significandum, quod desiderium magnum debet habere semper proficiendi, crescendi et ascendendi de virtute in virtutem, secundum illud Psalmi[4]: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit Legislator; ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion.* Et quia nullus est ad hoc idoneus, nisi qui applicet ad hoc omnes vires animae et corporis; ideo dicitur Ionathas *reptasse manibus et pedibus.* Bernardus[5]: « Haec est quotidiana exercitatio mea: assumo scopo spiritum meum et cum omnibus animalibus tuis quasi manibus et pedibus et totis innitens viribus sursum tendo ad te; sed quanto tendo fortius, tanto detrudor durius in terram, in memetipsum et sub memetipsum, et respiciens memetipsum, factus sum mihi ipsi de memetipso laboriosa et taediosa quaestio ».

De secundo.

19. Secundo debet habere *victoriam tentationis*[6]; et propter hoc legitur de Ionatha, quod convertit totum exercitum in fugam, ad significandum, quod in omnibus tentationibus debet pervenire ad victoriam qui vult digne accedere ad Sacramentum altaris.

De tertio.

20. Tertio debet habere *patrocinium beatae Mariae Virginis*[7] qui vult gustare huius mellis dulcedinem in Sacramento altaris absconditum; et propter hoc legitur Ionathas in manu sua tenuisse virgam, priusquam veniret ad dulcedinem melleam. Per *virgam* significatur Virgo Maria in Scriptura, secundum illud Isaiae undecimo[8]: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Ille ergo in manibus tenet virgam, qui in omni operatione sua habet beatae Virginis memoriam, cuius extensione mel attingitur, quia non nisi patrocinio beatae Mariae Virginis ad virtutem huius Sacramenti perveniitur. Et propter hoc, sicut per eam hoc sacratissimum corpus nobis datum est, ita per manus eius debet offerri et per manus eius accipi sub Sacramento, quod nobis praestitum est et natum ex eius utero. Bernardus[9]: « Quidquid illud sit, quod offerre paras, beatae Mariae manibus recommendare memento, ut eodem alveo gratia ad largitorem gratiae refluat, quo influxit. Forte enim manus tuae aut sanguine plenae, aut infectae muneribus, eo quod eas ab omni munere non excussisti ».

De quarto.

21. Quarto debet habere *praesidium illuminatae operationis* qui digne vult accedere ad mysterium

---

[1] Vers. 3. Vulgata: Brevis in volatilibus est apis... fructus illius. — Bonelli cum solo B per saltum omittit omnia verba ab *Apis est* usque *dulcoris*. Deinde pro *qui fuit* ponit *qui est*; porro ante *ad refectionem* omittit *et hoc*, et post *ita* habet *et* pro *praefiguratum est*, refragantibus codd.

[2] Vers. 27. 29. — Superius solus Bonelli pro *in umbra mortis sedentium; et hoc est quod dicitur primi* habet tantum *in tenebris sacentium. Primi.* Post *oculi eius* idem interseri: *sed autem quatuor fecit: Ascendit manibus et pedibus reptans etc. Ecce, multitudo prostrata et huc illucque diffugiens etc. Extendit summitatem virgae, quam habebat in manu et intinxit in favum mellis; et convertit manum suam ad os suum. Scilicet et quia quatuor sunt necesse* (hi loci Script. sunt ibid. v. 13. 16. 27.)

[3] Contra codd. Bonelli post *Sacramentum* sic: *sicut quatuor fecit Ionathas, priusquam.* Deinde post *convertit* idem omittit *totum*, ac *sua* post *manu*, et *suum* post *os*, nec non *ad hoc Sacramentum* (ita E) post *accedens*.

[4] Psalm. 83, 6. 7. — Superius pro *et propter hoc legitur de Ionatha, quod ascendit* solus Bonelli *ideo legitur, quod Ionathas ascendit;* qui pro *ad significandum, quod* habet *quia*, denique omittit *semper* ante *proficiendi* ac dein *crescendi*.

[5] Vel potius Guilielmus, abb. S. Theodorici, in Tract. de Contemplando Deo, c. 2. n. 5. — Locum corruptum emendavimus ope originalis et codd.

[6] In seqq. Bonelli discrepat a codd. et multa omittit sic continuans: *unde legitur, quod Ionathas totum exercitum Philistinorum vertit in fugam. Tertio.*

[7] Rerum Bonelli, plura omittens, tantum habet *Virginis; unde Ionathas tenuit in manu sua virgam. Per virgam.*

[8] Vers. 1. — Bonelli solus *habet virgam* pro *tenet virgam*, deinde *omnibus operationibus suis* pro *omni operatione sua*; subinde post *perveniitur* habet *Quoniam* pro *Et propter hoc*; denique omittit *nobis praestitum est et.*

[9] In Nativ. B. M. V. sermo de aquaeductu, n. 18. in fine. — Codd. nostri in minimis recedunt ab originali neque exhibent integrum locum, ut fecit Bonelli. Nam post *influxit* omittunt: « Neque enim impotens erat Deus etiam sine hoc aquaeductu infundere gratiam, prout vellet; sed sibi [originale recte tibi] velle tantum voluit prouidere ». Post *excussisti* Bonelli continuat: Itaque [originale *idcoque*] modicum illud quod offerre desideras, gratissimis illis et omni acceptione dignissimis [Mariae] manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quaeque [quaedam] filia sunt, nec consolatur ille filiorum amator inter illa non inventum, quidquid illud sit, quod inter Mariae manus invenerit.

Digitized by Google

corporis Christi. Sicut enim dicit Apostolus ad Thessalonicenses[1]: *Qui non vult operari*, sive qui non laborat, *non manducet*. Hoc perfectissime debet servari circa manducationem corporis Christi; nullus enim ad huius Sacramenti perceptionem est idoneus, nisi qui exercitatus est per bonam operationem. Et propter hoc dicitur de Ionatha, quod *applicuit manum suam ad os*. Quia manibus laboramus, ideo in Scripturis per *manus* operatio significatur; *ore* vero quia manducamus, ideo hoc nomine *oris* significatur actus manducationis. Manum ergo[2] ad os applicat qui ipsi manducationi corporis Christi adhibet exercitium bonae operationis.

Quatuor fructus eucharistiae.

22. Sed quia digne manducanti augmentari solet donum gratiae, ideo quatuor bona legitur Ionathas accepisse in degustatione mellis, ad significandum, quod quatuor effectus gratiae in Sacramento

Primus.

arcipit qui digne accedit[3]. — Ibi enim *illuminatur rationalis* ad cognoscendum summum verum; et ideo legitur hic[4], postquam Ionathas gustavit mel: *Illuminati sunt oculi eius*. Qui enim frequentat istud Sacramentum cum fervore devotionis de die in diem proficit in illuminatione mentis. Et propter hoc dicitur hic: *Vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto*.

Secundus.

23. Secundo, ibi *incitatur concupiscibilis* ad summum bonum quaerendum; qui enim digne accedit ad hoc Sacramentum magis et magis in intimis suis delectatur. Et hoc est quod dicitur de Ionatha[5]: *Gustans gustavi paululum mellis*. Notabile est quod dicit: *Gustans gustavi*. Cum enim illa dulcedo gustatur, concupiscibilis magis ad gustandum incitatur et magis dilatatur; ideo, qua gustando gustat, ex gustu semper desiderium amplat. Unde Bernardus[6]: « Gustus spiritualis incitamentum est amoris et irritamentum desiderii »; idem: « Qui te gustant esuriunt, qui bibunt adhuc sitiunt, desiderare nesciunt nisi Iesum, quem diligunt ». Et bene subiungit *paululum mellis*, quia, quantumcumque homini detur in hac vita degustatio ampla, tamen in comparatione illius plenitudinis supernae non est nisi paululum mellis.

Tertius.

24. Tertio, *fortificatur irascibilis* ad exstirpandum omne malum. Et propter hoc legitur, quod Ionathas, confortatus de gustu mellis, persecutus est *Philisthaeos usque Hailon*[7]. *Philisthaei* interpretantur duplex ruina et significant vitia, quae ruere faciunt animam et corpus morte aeterna. *Hailon* interpretatur inquisitio vitae et significat aeternam vitam, quam ibi perfectissime acquiremus. Haec enim temporalis vita non est dicenda *vita*, sed potius *mors*, sicut dicit Gregorius[8]. Ionathas ergo, confortatus de melle, id est vir factus de corpore Christi, persequitur Philisthaeum usque Hailon, id est vitia exterminare non cessat, donec vitam aeternam possideat.

Quartus.

25. Quarto, homo mundo *mortificatur* ad vivendum secundum Deum. Et hoc est quod dicitur hic de Ionatha. Postquam dixit: *gustans*, videlicet paululum de melle, consequenter subiunxit: *ecce, ego morior*, ad significandum, quod quemcumque dulcedo huius Sacramenti perfundit, hunc mundo funditus exstinguit. Et hoc est desiderium Sanctorum; unde Iob: *Suspendium elegit anima mea, et mortem ossa mea*; haec enim hominis exterioris mortificatio est summa interioris vivificatio. Unde dixit Dominus Moysi: *Non videbit me homo et vivet*, quia non nisi post istam mortificationem pervenitur ad Dei visionem. Quia ergo « visio Dei est tota merces », sicut dicit Augustinus[9]; et non pervenitur ad Dei visionem nisi per mortificationem: ideo beatus Augustinus desiderabat hanc mortificationem dicens: « Fac me, Domine, tuo desiderio et tui amore huic mundo funditus exstingui et omnium transeuntium rerum vanitatem oblivisci prae magnitudine amoris tui, ut de temporalibus nec laeteam nec gaudeam nec blandis corrumpar nec adversis concutiar ». — *Confiteantur* ergo *Domino misericordiae eius*, quia praeliguravit nobis corpus suum sub figura *mellis*.

Epilogus.

---

[1] Epist. II. 3, 10: Si quis non etc. — Superius fide B D E posuimus *mysterium corporis*; A C *ministerium corporis*; Bonelli omittit verba *qui digne... Christi*, idem inferius ponit *ante manducationem* pro *circa manducationem*, et subinde alia plura vel omittit, vel paucis verbis dicit.

[2] Post verba *ad os* Bonelli non habet nisi: *Manibus laboramus, ore manducamus. Manus ergo*.

[3] Bonelli: *Et quia digne manducanti augetur gratia, ideo Ionathas in degustatione mellis tria bona dicitur accepisse. Sed qui digne accedit tria accipit. Illuminatur*.

[4] Vers. 27. — Bonelli omittit *et... legitur hic*. — Seq. vers. est Ibid. 29.

[5] Loc. cit. v. 43. Vulgata: Gustans gustavi, in summitate virgae, quae erat in manu mea, paululum mellis. — Bonelli, multa omittens, post *quaerendum* prosequitur: Unde dicitur hic: Gustans... de melle. Recte dicit: Gustans gustavi, quia quo magis gustatur, eo magis concupiscibilis ad desiderium incitatur. Bernardus. — Idem in aliis minoribus a codd. in seqq. dissentit.

[6] In festo Omn. Sanct. serm. I. n. 10: « Gustus sapientiae... Sed gustus ille nihil aliud est quam irritamentum desiderii et incentivum amoris ». Ibid. n. 11. alis verbis seq. loc. sententiam continetur, sed quoad verba in praedicto hymno. — Post *in hac vita* Bonelli brevius *non est respectu dilus nisi*.

[7] Loc. cit. v. 31: Vulgata: *usque in Aulon*. Tamen apud Lyranum et Card. Hugonem *Hailon*.

[8] In Evang. II. homil. 37. n. 1. — Superius post *dicenda* Bonelli omittit *vita*. — Loci Scripturae sunt ibid. v. 43, deinde Iob 7, 15, tertius Exod. 33, 20. Sententiae summae sunt ex Gregor., VIII. Moral. c. 25. n. 44. Cfr. Itinerar. mentis in Deum, c. 7. n. 6. — Infra pro *homo* B D E *totus homo*.

[9] In Ps. 90, serm. 2. n. 13. Vide supra 544, nota 8. Seq. locus non est in genuinis operibus S. August., sed in 17. oratione earum, quae habentur in operibus Anselmi (apud Migne, Patrol. Latin. tom. 158. col. 895). Textum apud Bonelli corruptum exhibemus secundum codd., qui conveniunt cum originali, nisi quod post *rerum* in hoc omittatur *vanitatem*, post *amoris tui* addatur *usque adeo*, et post *gaudeam* iterum *nec metuam aliquid temporale nec diligam*. Cfr. August., VIII. Confess. c. 11. n. 25. — In praecedentibus Bonelli pleraque omittit et membrum divisionis quartum (Homo mundo mortificatur etc.) coniungit cum tertio membro, cum etiam supra (n. 22.) tantum *tria bona* distinguat. Unde oratio ib confusa, nec iuvat ipsius verba hic referre.

Digitized by Google

26. Quarto praefiguravit nobis corpus suum sub figura *agni paschalis;* Exodi duodecimo[1]: *Tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. Agnus autem erit absque macula.* Iste Agnus praevisus fuerat per Prophetam; unde Isaias: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terrae.* Iste Agnus fuit *sine macula*, quia venerat tollere peccata mundi; Ioannis primo: *Ecce, Agnus Dei;* et *ecce, qui tollit peccata mundi.* — Agnus iste paschalis significat corpus Christi, ideo determinatur nobis hic, qualis debeat esse homo, antequam accedat; qualis in ipso accessu; et quod fructus recipiat post ipsum accessum.

De quarta figura, scil. agni paschalis.

Haec figura tria significat praesentanda.

27. Ante enim quam accedat, debet homo habere quatuor. Debet enim habere respectum *ad universitatem;* debet se disponere ad *idoneitatem;* debet accedere ad *caritatem;* debet venire ad *fidei integritatem.* — Primo ergo accedens debet *habere respectum ad universitatem.* Non enim sacerdos in persona sui solius, sed in persona universitatis debet offerre; et hoc est quod dicitur hic[2]: *Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel.* Per manus enim omnium viventium debet offerre pro redemptione in purgatorio existentium, et per manus vivorum et mortuorum ad laudem et gloriam omnium sanctorum Angelorum et hominum in vita aeterna regnantium, et per omnis universitatis ad honorem sanctae Trinitatis. — Secundo debet *se praeparare ad idoneitatem;* et hoc est quod subiungitur[3]: *Et sumentque de sanguine eius ac ponent super utrumque postem et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* Per *duos postes* et *superliminare*, quae faciunt ostium in domum, significantur tria in anima, per quae Deus ingreditur in habitaculum cordis, videlicet *rationalis*, per quam Deus ingreditur ut lux sive claritas; *concupiscibilis*, per quam ingreditur Deus ut dulcedo et bonitas; *irascibilis*, per quam ingreditur ut gloria et immensitas[4]. Haec tria sanguine tinguntur, quando circa passionem Christi occupantur. *Rationalis* sanguine Agni tingitur, quando Sacramenti veritatem miratur. *Concupiscibilis* tingitur, quando, cognita veritate, Christo passo compatiens, amaricatur. *Irascibilis* tunc tingitur, quando, cognito Christo passo, ad imitationem animatur. — Tertio debet *accedere ad caritatem;* et hoc est quod addit[5]: *Et edent carnes nocte illa assas igni.* Per *ignem* istum caritas significatur, quam iussit Dominus in ara cordis semper ardere. In hoc igne dicuntur carnes corporis Christi assari, quia non nisi in caritate debent manducari. Ille ergo crudas carnes comedit, qui ad Sacramentum sine caritate accedit. Sed qui crudas carnes comedit, vitam in periculo ponit; ita manducans corpus Christi et non habens dilectionem meretur aeternam damnationem. — Quarto debet *habere fidei integritatem;* et hoc est quod adiungitur: *Caput cum pedibus eius et intestinis vorabitis.* Per *caput* significatur Divinitas, *caput enim Christi est Deus*, sicut dicit Apostolus[6]. *Pedes*, humanitas; Deus enim ubique est et non potest moveri de loco in locum; quasi ergo *pedes* assumsit, quando in assumto homine de loco ad locum ambulavit. Hos pedes dum Tobias, id est Christus, lavit in flumine, id est, exposuit in cruce; piscem absorbere eos volentem, id est diabolum, « manifestando eius nequitias » vicit. *Intestina* sunt circa hoc Sacramentum inattingibilia; quae omnia debet homo *vorare*, quia omnia debet fideliter credere, etiam quae non potest intellectu attingere. Debet enim credere, ibi esse verum corpus Christi, quod traxit de beata Virgine; est autem ibi per transsubstantiationem, anima vero est ibi per naturalem colligationem, Divinitas est ibi per inseparabilem unionem. Sunt etiam ibi utrinsque naturae *intestina*, id est sacramenta inexplicabilia. Et ideo qui non potest huius Sacramenti altitudinem intellectu capere debet hoc potestati Spiritus sancti committere; et hoc est quod dicitur hic[7]: *Si quid residuum fuerit, igne comburetis.*

Ante accessum requiruntur quatuor.

Primum.

Secundum.

Significantur tria in anima.

Tertium.

Notandum.

Quartum.

Significantur tria.

Notandum.

28. Debet etiam homo quatuor habere *in accessu*, videlicet primo in carne *continentiam*, in affectu *munditiam*, in animo *passionis memoriam*, in desiderio *vitam aeternam.* — Primo ergo debet habere *in carne continentiam;* unde dicitur hic[8]

Item in accessu quatuor.

Primum.

---

[1] Vers. 3. et 5. Seq. locus est Isai. 16, 1; tertius Ioan. 1, 29, ubi Vulgata *peccatum mundi* pro *peccata mundi*. De figura agni paschalis cfr. IV. Sent. d. 8. p. I. a. 1. q. 1. in corp. et ad 4. — Post *peccata mundi* Bonelli prosequitur: *Et quia agnus paschalis.* Inferius (n. 27.) habet *Ante accessum* pro *Ante enim quam accedat* (ita C, alii *Antequam enim accedat*).

[2] Loc. cit. v. 6. — Superius et deinde, refragantibus codd., Bonelli ponit *universalitatem* pro *universitatem*, omittit verba: *Non enim sacerdos... est quod*, ac pro *offerre* [scil. sacerdos] ponit *offerri.* Denique omittit post *existentium* verba *et per manus... mortuorum*, et pro nostra lectione ponit *Sanctorum et Angelorum in caelo regnantium.*

[3] Loc. cit. v. 7. — Inferius pro in *domum* A *in domo.*

[4] Bonelli *vel maiestas*, et infra ante *Sacramenti veritatem* interserit *homo, fidei lace;* porro pro *cognita veritate* ponit *cognita bonitate*, nec non pro *cognito Christo passo* habet *cognita gloria Christi passi*, refragantibus codd.

[5] Loc. cit. v. 8. — Inferius respicitur Lev. 6, 12: Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiciens ligna mane per singulos dies. — Cfr. interpretatio huius loci in opusc. de sex Alis Seraphim, c. 8. — Deinde Bonelli *debent carnes* pro *dicuntur carnes*, quod habent CE, sed A *dicuntur carnes.*

[6] Epist. I. Cor. 11, 3. Deinde respicitur Tob. 6, 2-4, ubi in Glossa *ordinaria* eadem expositio, sed diffusior habetur cum verbis a Bonelli contra codd. omissis: *manifestando eius nequitias;* qui etiam superius pro in *assumto homine de loco ad locum ambulavit* habet *in carne assumta localiter ambulavit*, et inferius pro *quod omnia debet fideliter credere, etiam* legit *id est, omnia debet cum affectu caritatis firmiter credere.*

[7] Loc. cit. v. 10. — Superius pro *colligationem*, *Divinitas est ibi* Bonelli *colligatutem*, *Deitas.* — De ipsa doctrina cfr. IV. Sent. d. 11. p. II. a. 1. q. 4.

[8] Ibid. v. 11. — Superius post *continentiam* Bonelli omittit verba *in affectu munditiam* usque *in carne continentiam*, et post *accingetis* iterum a *in renibus* usque ad *continentiam*, substituens *lenes accingit qui... restinguit* (perperam pro *restringit*).

Digitized by Google

Renes vestros accingetis. In renibus est sedes luxuriae, et idem *renes accingit* qui per continentiam fluxum libidinis restringit. — Secundo debet habere *in affectu munditiam;* et hoc est quod additur[1]: *Calceamenta habebitis in pedibus.* Per *pedes* enim in Scriptura affectus significantur, quia, sicut corpus movetur pedibus, sic anima movetur suis affectibus; et hi pedes debent *calceari,* id est, ab omni terrenitate abstrahi; sed quia nihil ita tenet affectus nostros mundos, sicut meditatio Scripturarum, ideo hortatur nos Apostolus, ut simus *calceati in praeparatione Evangelii pacis.* — Tertio dicitur hic[2]: *Tenentes baculos in manibus* etc. Per *baculum* significatur crux. In isto enim baculo Iacob, id est Christus, transivit Iordanem, id est fluxum mundi, et reduxit secum duas turmas, id est multas animas ex gentibus et Iudaeis congregatas. Baculum ergo in manibus tenet qui memoriam passionis Christi in animo tenet; et hoc iussit Dominus, cum hoc Sacramentum instituit dicens[3]: *Hoc facite, quotiescumque sumitis, in meam commemorationem.* — Quarto debet habere *in desiderio vitam aeternam;* et hoc est quod subiungitur[4]: *Et comedetis festinanter,* ad significandum, quod qui manducat hoc Sacramentum debet festinare ad plenitudinis eius cumulum. Per huius enim dulcedinis gustum provocatur ad plenum gaudium; et hoc est quod additur: *Est enim phase, id est transitus, Domini.* Unde iste Agnus datus est in figura Filiis Israel in exitu de Aegypto, ad significandum, quod qui devote accipit hoc Sacramentum transit de hoc mundo ad Deum.

Secundo. Tertius. Quartum.

29. Tertio notandum, quod *quatuor fructus* percipit qui digne ad hoc Sacramentum accedit. Et propter hoc post esum Agni huius quatuor Dominus facit: terram Aegypti pertransit, primogenita percutit, in diis Aegypti iudicium facit et insignitos sanguine a plaga custodit, ad significandum, quod digne communicantibus *consolationem immittit, fomitem minuit, amorem mundi tollit* et *in die iudicii securos reddit.* — Primo ergo *consolationem immittit;* et hoc est quod dicitur[5]: *Et transibo per terram Aegypti.* *Aegyptus* tenebrae interpretatur et significat cor humanum nondum perfecte illuminatum. Hoc Dominus *pertransit,* quando consolationem immittit; et bene *pertransit,* quia ibi mansionem non facit, quia ipsum habile ad hoc non invenit. Tamdiu tamen potest pertransire, quod ibidem poterit sibi habitaculum facere, iuxta illud quod dicitur in persona fidelium quarti Regum quarto[6]: *Animadverto, quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cenaculum parvum,* id est, praeparemus ei habitaculum cordis; *et ponamus ei in eo candelabrum* propriae cognitionis, *mensam* internae refectionis, *sellam* quietae mansionis, *et lectulum* contemplationis, *ut, cum venerit ad nos, maneat ibi.* — Secundo *fomitem*[7] *minuit;* idcirco additur: *Percutiam omne primogenitum in terra Aegypti.* Quid sunt primogenita nisi carnis vitia, quae sunt nobis a primis parentibus ingenita? Et haec Dominus percutit, quando fomitem carnis imminuit; imminuit, dico, non minime tollit, quia, sicut dicit Bernardus[8], « quantumcumque in hac vita proficeris, erras, si carnem tuam crucis mortuam, non magis oppressam: velis, nolis, intra terminos tuos habitat Iebusaeus; subiugari potest, exterminari non potest ». — Tertio *amorem mundi tollit;* et hoc est quod dicitur[9]: *Et in cunctis diis Aegypti faciam iudicia. Dii Aegypti* sunt amabilia mundi; « quod enim quisque prae ceteris diligit, hoc illi Deus est », sicut dicit Ambrosius. Unde de carnalibus dicitur ad Philippenses[10]: *Quorum Deus venter est et gloria in confusione eorum.* In his ergo Deus iudicia facit, quando contemptum mundi gignit. — Quarto digne accedentes *securos facit in die iudicii;* et hoc est quod adiungitur[11]: *Erit autem vobis sanguis in signum in aedibus, in quibus*

Item, post secundum quatuor fructus.

Fructus primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

---

[1] Loc. cit. v. 11. Seq. locus est Eph. 6, 15: *Et calceati pedes* etc. — Superius post *Secundo* Bonelli omittit *debet habere;* inferius post *in pedibus* omnia omittit, substituens tantum: *Pedes, id est affectus, debent esse calceati, id est ab omni terrenitate abstracti.*

[2] Ibid. Deinde resumitur Gen. 32, 10, ubi Iacob dicit: In baculo meo transivi Iordanem istum; et nunc cum duobus turmis regredior. — Pro *fluxum mundi* B D E: *defluxum mundi,* C *refluxum mundi* (alia interpretatio Iordanis est *fluvius iudicii*). — Bonelli hic ordinem propositionum transponendo mutat, nec non quaedam verba, et pro *id est multas animas ex gentibus et Iudaeis congregatas* habet *Iudaeorum scilicet et gentium.*

[3] Luc. 22, 19. et I. Cor. 11, 24.

[4] Exod. 12, 11. Seq. locus est Ibid. De isto transitu cfr. Itinerar. mentis in Deum, c. 7. — Bonelli in pluribus a codd. recedit.

[5] Ibid. v. 12.

[6] Vers. 9. 10, in ultimo versu ordo verborum alius est ac in Vulgata. — Superius pro *quod ibidem poterit sibi habitaculum* Bonelli *quod habitaculum poterit sibi.* Infra pro *quietae mansionis* B D E non male *quietae mentis.*

[7] A C addunt *carnis.* Subinde pro *nisi carnis vitia* Bonelli *nisi vitia, praesertim carnis.*

[8] In Cant. serm. 58. n. 10, qui locus a Bonelli, ut fatetur, relatus est secundum ed. Maurinam his verbis: Quantumlibet in hoc corpore manens proficeris, erras, si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos... potest, sed non exterminari. — Pro *oppressam* B E *compressam.*

[9] Ibid. v. 12. — Subinde pro *Ambrosio* (ita quatuor codd.) Bonelli, a suo apographo recedens, ponit *Hieronymus;* B habet *amabilia; Augustinus, quod hoc ab homine venerator et colitur, quod prae ceteris diligitur. Hieronymus, quod quidcumque quis venerator et colit, hoc sibi Deus est.* Locus habetur in Breviario in Psalt., inverti auctoris et olim Hieronymo, vel Ambrosio attributo; ibi et etiam in Glossa Lombardi habetur ad Ps. 80, 10.

[10] Cap. 3, 19. — Pro *In his ergo Deus iudicia* Bonelli *In his dis iudicium.*

[11] Loc. cit. v. 13, ubi pro *pertransibo eos* Vulgata *transibo eos,* nec non *quando percussero* pro *cum percussero.* — Subinde pro *aeternae percussionis* Bonelli *aeternae dominationis.* — Seq. locus Scripturae est Isai. 44, 4. — In cod. E desideratur seq. de quinta figura tractatio a n. 30-35.

Digitized by Google

eritis; et videbo sanguinem et pertransibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, cum percussero terram Aegypti. In quibuscumque enim in die iudicii viderit sanguinem suae redemptionis, illos liberabit a plaga aeternae percussionis, quando scilicet *percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium. — Confiteantur* ergo *Domino misericordiae*, quia praefiguravit nobis corpus suum in figura *agni paschalis.*

Pars III. De quinta et sexta figura. De figura thesauri caelestis.

30. Quinto praefiguravit nobis corpus suum sub figura *thesauri caelestis.* Et bene comparatur corpus Christi *thesauro;* quia, sicut in thesauro reponuntur desiderabilia divitiarum, sic in corpore Christi reposita sunt omnia charismata gratiarum; et hoc est, quod Deus Pater, volens sponsam Filii sui, sanctam matrem Ecclesiam, consolari, ante adventum Christi promittebat ei hos thesauros dicens: *Tibi dabo thesauros absconditos*, Isaiae quadragesimo quinto [1]. Hi thesauri gratiarum bene dicuntur *absconditi*, quia sub Sacramento visibili velati. Et notabile est quod dicit: *Tibi dabo thesauros*, in pluradi. Quatuor enim thesauri sunt in Christo sub velamento Sacramenti absconditi. In ipso enim est thesaurus omnis *essentiae*, omnis *sapientiae*, omnis *gratiae* et omnis *gloriae.*

Promittitur in Isaia. Quatuor thesauri in eucharistia absconditi.

31. Primo enim in Christo est thesaurus *omnis essentiae.* Omnia enim, quae sunt, quae fuerunt, quae erunt, vel quae fieri possunt, *ab ipso et per ipsum et in ipso sunt.* Cogita ergo, qualis est thesaurus iste, de quo *caelum, terra, mare et omnia, quae in eis sunt* [2], prodierunt. Unde de Christo potest dici illud Matthaei decimo tertio: *Qui profert de thesauro suo nova et vetera;* et illud Psalmi: *Qui producit ventos de thesauris suis.* — Secundo, in Christo est thesaurus *omnis sapientiae;* ipse enim cognoscit omnia, quaecumque sunt, quaecumque fuerunt, quaecumque erunt, quaecumque fieri possunt. Et non solum cognoscit res, sed etiam conditiones, quas res habent vel habere possunt [3]. Ipse enim est Deus, « cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum ». Non solum autem res perfectissime ipse cognoscit, sed omnia, quae cognoscuntur, ipse cognoscere facit. Ipse enim est lux, quae illuminat omne lumen et conservat in suo vigore; Ioannis octavo [4]: *Ego sum lux mundi.* De hoc thesauro dicitur ad Colossenses: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei *absconditi.* — Tertio, in Christo est thesaurus *omnis gratiae;* ipse enim est *plenus gratia et veritate* [5], de cuius plenitudine hauriunt Angeli et homines. Ipse enim fontalem plenitudinem habet, qui *aperit manum suam et implet omne animal* rationale *benedictione.* — Et iste thesaurus gratiarum absconditus est sub velamento Sacramenti altaris; Matthaei decimo tertio [6]: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro* etc. Quid significatur hic per *agrum* nisi corporis Christi Sacramentum, quod de agro colligitur? In hoc agro habemus thesaurum absconditum, quia ibi latent omnia genera gratiarum; *quem qui invenit prae gaudio illius vadit et vendit omnia, quae habet, et emit agrum illum;* quia qui cognoscit huius Sacramenti plenitudinem libentissime intermittit aliam operationem, ut se libere exerceat circa huius Sacramenti operationem vel devotionem, quia scit, se ibi haurire aeternae vitae possessionem, dicente Domino Ioannis sexto [7]: *Qui manducat carnem meam et bibit meam sanguinem habet vitam aeternam.* — Quarto, in Christo est thesaurus *omnis gloriae.* Quidquid enim habent Angeli gloriae et homines, quicumque salvandi sunt usque in diem iudicii, de ipso quasi de thesauro hauriunt, sive pertineat ad stolam corporis, sive animae. Ipse est enim, qui *in thesauris suis ponit abyssos* [8], id est inexplicabiles illius gloriae terminos. Et propter hoc iussit nos ad istum thesaurum properare, cum dicit Matthaei sexto: *Thesaurizate vobis thesauros in caelo.* Ad hos thesauros Sancti vehementer desiderant pervenire; et cum ad eos pertingere nisi per mortem nequeant, *quasi effodientes thesauros, gaudent vehementer, cum invenerint sepulcrum*, Iob tertio.

Est absconditus. Tertius. Primus. Secundus. Quartus. Desiderium Sanctorum.

32. Thesaurus autem iste est *absconditus* sub velamento panis et vini propter quatuor rationes; et

Absconditus est ob 4 rationes.

---

[1] Vers. 3: Et dabo tibi etc. — Superius post *desiderabilia* B D addunt *quoque.* Pro lectione codd. *Pater, videns sponsam Filii sui, sanctam matrem Ecclesiam, consolari* Bonelli *Pater totius consolationis, videns Filio suo dare sponsam Ecclesiam;* idem infra *scilicet* pro *in ipso enim est.* Subinde pro *sub Sacramento* B C *sunt Sacramento.*

[2] Psalm. 145, 6. Superius respicitur Rom. 11, 36. — Seq. locus Scripturae est Matth. 13, 52; tertius Ps. 134, 7. — Cfr. Itiner. mentis in Deum, c. 3. n. 8.

[3] Praeter alia Bonelli hic omittit propositionem *Et non solum.. possunt.* — Verba: cui omne cor patet etc., sumta sunt ex oratione, quae cum aliis a sacerdotibus recitatur ante accessum ad altare. — Inferius pro *res perfectissime ipse cognoscit, sed omnia, quae cognoscuntur* Bonelli perperam *perfectissime cognoscit omnia, sed et omnia, quae cognoscit.*

[4] Vers. 12. — Seq. locus est Coloss. 2, 3. — Solus D *illuminat omnem hominem* pro *illuminat omne lumen.* — De lumine omne lumen illuminante cfr. Quaestion. disp. de scientia Christi, q. 6. Sententia est August., cfr. hom. II. pag. 266, nota 2.

[5] Ioan. 1, 14: Plenum gratiae etc., ac respicitur v. 16: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia; et deinde Ps. 144, 16: Aperis tu manum tuam et imples etc. — Post *animal* solus Bonelli addit *praesertim.*

[6] Vers. 44. — Superius Bonelli omittit *gratiarum* nec non *velamento*, et mutat *Sacramenti* in *Sacramento.* — Deinde respicitur idem locus Matth.: Quem qui invenit homo abscondit etc.

[7] Vers. 55. — Superius fide A C ponimus *Sacramenti operationem vel devotionem, quia;* Bonelli *Sacramenti devotionem, quoniam.*

[8] Psalm. 32, 7. Subinde respicitur Matth. 6, 20. atque Iob 3, 21. 22: Effodientes thesaurum gaudentque vehementer etc. — De duplici stola, scilicet *animae* cum tribus dotibus et *corporis* cum quatuor, cfr. Breviloq. p. VII. c. 7; IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 3. et d. 49. p. I. et II.

Digitized by Google

propter hoc dicitur hic [1]: *Tibi dabo thesauros absconditos:* primo, propter *fidei meritum;* secundo, propter *eruditatis attactum;* tertio, propter *sensus nostri imperfectionem;* quarto, propter *exclusionem infidelium* [2].

Primo absconsus est iste thesaurus sub velamento panis et vini propter *fidei meritum.* Magnum enim meritum sibi cumulat qui septem adversarios fortissime, credendo ea quae sunt Sacramenti, superat. Isti adversarii sunt *quinque sensus,* qui omnes sentiunt, non ibi esse corpus Christi; et *imaginatio* [3] similiter contraria est, quae nullo modo potest imaginari, quod tam magnus homo, integer Christus, qui pependit in cruce, possit in tam modica hostia abscondi. Contra omnem etiam *rationem* est, quod idem corpus simul et semel possit esse in diversis locis, sicut apparet in hoc Sacramento; quod est perfectissime in *caelo,* cuius nihilominus sit perfectissime cibus in ara, et non plura, sed unum solum idemque corpus. Propter huiusmodi fidei meritum est corpus Christi velatum. Gregorius: « Fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum [4] ». Ratio prima.

33. Secundo velatum est corpus Christi propter *eruditatis attactum.* Horror enim eruditatis posset multos arcere ab hoc Sacramento, si viderent vivum hominem comedere hominem et crudas carnes vorare. Et propter hoc sub figura *illius* et velamento datum est hoc corpus, quod est consumptum manducari, videlicet sub accidentibus panis. Unde ipse Dominus se *panem* nostrum vocare dignatus est dicens Ioannis sexto [5]: *Ego sum panis vivus,* ut comedendo ipsum Christum sub accidentibus panis homo non haberet horrorem eruditatis. Secunda.

34. Tertio velatum hoc est corpus Christi propter *sensus nostri imperfectionem.* Si enim in gloria claritatis suae, sicut ipse est, se ipsum ostenderet, nullus mortalis posset sustinere tantam claritatem aspectus. Sicut enim Moyses ex consortio sermonis Domini tantum splendorem conceperat et claritatem vultus [6] sui, quod oportebat, eum velare faciem, eum loqueretur filiis Israel, eo quod non potuissent intendere in eum propter claritatem vultus eius; sic et hic Christus, condescendens nostrae infirmitati, velamen superposuit claritati suae. Tertia.

35. Quarto velatum est corpus Christi propter *exclusionem infidelium.* Ipse enim dixit [7]: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Quod verbo dixit facto adimplevit; quia faciem suam in Sacramento abscondit, et sic *canes* et *porcos,* id est omnes indignos, a cognitione huius Sacramenti exclusit. — *Confitentur* ergo *Domino misericordiae eius,* quia praefiguravit nobis corpus suum sub figura *thesauri caelestis.* Quarto.

36. Sexto praefiguravit nobis corpus suum sub figura *mannotis.* Et hoc est quod dicitur Exodi decimo sexto [8]: *Dixit Dominus ad Moysen: Ecce, ego pluam vobis panes de caelo; egrediatur populus et colligat quae sufficiant per singulos dies. Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc? Appellavitque domus Israel nomen eius man.* Scriptum est in libro Sapientiae, decimo sexto: *Angelorum escam nutrivisti populum tuum, et paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem. Substantiam enim tuam et dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat; et deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Ecce, hic sub figura mannatis describitur nobis corporis Christi Sacramentum ut varios genere *nobilissimus,* sapore *suavissimus,* continentia *dignissimus* et efficacia *mirabilissimus.* De sexta figura, sit mannatis in Exodo. Explicatur in Sapientia. Quatuor eius proprietates.

37. Primo ergo corpus dominicum est cibus in *genere suo nobilissimus,* quia a sanctissima Trinitate in clibano uteri virginalis igne Spiritus sancti decoctus et virtute ipsius Trinitatis beatissimae iste idem ex pane materiali est effectus. Et hoc est quod dicitur: *Paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore:* paratum quidem aliquando in utero virginali, nunc autem residentem in caelo et laten- Prima.

---

[1] Isai. 45, 3.

[2] Cfr. de hoc rationibus IV. Sent. d. 11. p. II. dub. 1, d. 12. p. I. a. 1. q. 2; Breviloq. p. VI. c. 9: Nec convenit Christi carnem dentibus attrectare et propter horrorem eruditatis etc.; cfr. etiam IV. Sent. lit. Magistri, d. XI. c. 3. — Codd. nostri falso hic et infra *eruditatis* pro *eruditatis,* ac pro *attactum* D *attractum* (attrectatum?). — Subinde Bonelli omittit *iste thesaurus sub velamento panis et vini,* et inferius tantum habet *adversarios vertendo superat, scilicet quinque.*

[3] Bonelli perperam *imago,* deinde post *Christus* omittit *qui pependit in cruce;* denique ponit *contra omnem imaginationem* pro *Contra omnem etiam rationem.* — Haec locutio *contra rationem* intelligenda est de ratione *ad sensibilia conversa et ad inferiora depressa,* quam S. Doctor bene distinguit a ratione sana *et fide illustrata,* ut bene explicat III. Sent. d. 24. a. 4. q. 4. ad 4. et II. Sent. d. 30. a. 4. q. 4. in corp. Cfr. etiam Breviloq. p. V. c. 7.

[4] D addidit *Glossa: scilicet suffiunus.* — Locus Gregorii est Homil. in Evang. II. homil. 26. n. 4; cfr. supra pag. 53, nota 3. et pag. 60, nota 4. Hic locus explicatur III. Sent. d. 24. a. 2. q. 2. ad 2. — Superius Bonelli plura brevius contrahit. Idem facit in n. seq., sed non bene sententias exprimit.

[5] Vers. 51.

[6] Bonelli sic: *Si enim Christus in claritate se ostenderet, nullus mortalis claritatem eius sustinere posset. Sicut enim Moyses ex colloquio Domini tantum claritatem cultus.* Subinde verba *cum loqueretur.... vultus eius* omittit. — Quae de Moyse narrantur habentur Exod. 31, 30-35.

[7] Matth. 7, 6. — Bonelli, refragantibus codd., sic prosequitur: *Hoc dixit verbo et hoc implevit facto,* et subinde pro *indignos, a cognitione huius Sacramenti* non bene *infideles ab huius Sacramenti participatione.*

[8] Vers. 4. 15. 31. Seq. locus est Sap. 16, 20. 21, ubi Vulgata contra antiquam lectionem habet *substantia enim tua* pro *substantiam enim tuam.* Expositio sextae figurae denuo habetur in E. — Subinde Bonelli pro *describitur* perperam *discernitur.*

Digitized by Google

tem sub Sacramento. Est ergo[1] nobilissimus, quia nobilissimam habet causam. — Est nihilominus nobilissimus, quia nobilissimi, videlicet Angeli, comedunt eum panem sine furfure Sacramenti, qui nobis peccatoribus datur sub cortice velamenti. Et propter hoc excitans nos Spiritus sanctus ad gratiarum actionem proponit dicens: *Angelorum esca nutrivisti populum tuum.*

38. Secundo corpus Christi sub figura manuatis est cibus *sapore suavissimus;* sapor enim huius panis attrahit desideria nullium Angelorum, sed etiam in hoc mundo excitat corda nostra odor eius et quotidie ad bravium et ad plenitudinis eius cumulum attrahit[2]; unde Joannes Evangelista[3]: Odor tuus, Domine, concupiscentias in me excitavit aeternas. Hoc est etiam quod dicitur hic de corpore Christi sub figura manuatis, quod habebat *omne delectamentum et omnis saporis suavitatem.* Secunda.

39. Tertio est iste cibus *in continentia dignissimus.* Continet enim totam sanctissimam Trinitatem; propter hoc etiam *vas Trinitatis* dicitur. Continet, dico, per praesentiam[4] et assistentiam, non per circumscriptionem. Ipsa « est enim intra omnia, non inclusa; extra omnia, non exclusa; supra omnia, non elata; infra omnia, non prostrata[5] ». Hi enim est Filius per incarnationem, Pater et Spiritus sanctus cum eodem per individuam unius substantiae communionem; et propter hoc dicitur hic ad Patrem: *Substantiam et dulcedinem tuam, quam in filios habebas*[6], *ostendebas,* ac si diceret: O tu, Pater, substantiam tuam, id est Filium tuum — totam enim substantiam suam dat Pater Filio — et dulcedinem tuam, id est Spiritum tuum, quam habebas ab aeterno, ostendis praesentem in saeculo illuminatis mentibus sub hoc Sacramento. Tertia.

40. Quarto est iste cibus sub figura manuatis *in efficacia mirabilissimus;* et propter hoc dicitur hic, quod *deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Secundum enim quantitatem bonae voluntatis et secundum magnitudinem vitae et sanctitatis attingitur effectus utilitatis, sicut dicit beatus Bernardus[7]: « Quatenus in bonis Domini pedem fiduciae fixeris, eatenus possidebis ». — Et haec est ratio, quod Sancti ad nobilissimos effectus huius Sacramenti pervenerunt, quia in bonis eius altissimae fiduciae pedem fixerunt. Et propter hoc legitur de beata Clara, quod sic timebat sub Sacramento latentem, sicut in dextera Patris sedentem, et quia altissimam ad Deum habebat fiduciam, ideo merit audire sub Sacramento existentem carnalibus auribus loquentem[8]. — Secundum ergo quod quilibet Christo sub hoc Sacramento occurrit, secundum hoc etiam Christus cum muneribus gratiae suae se ei exhibebit, utpote magnis magne, mediocribus mediocre, parvulis parvule, malis male. *Cum Sancto* enim *sanctus eris, et cum perverso perverteris*[9]; et propter hoc legitur de hoc sacramento: *Quod ab igne exterminari non poterat, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat,* id est, liquefiebat. Haec enim erat materia manuatis, quod ad calorem ignis indurabatur et ad calorem solis liquescebat, ad significandum, quod qui accedit ad hoc Sacramentum, habens in se ignem carnalis voluptatis vel humanae cupiditatis, meretur induraari; ad ignem enim hoc sacramentum indurabatur. Qui vero accedit habens calorem solis, id est fervorem caritatis, meretur liquefieri, id est, vehementioris caritatis igne purgari; ad radium enim solis illud sacramentum liquefiebat, id est, per affectum liquefacit animam, ut dicere possit illud Cantici[10]: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Et sic impletur in hoc Sacramento quod in figura dictum est de manuate, quod *in omnia transfigurata omnium nutrici gratiae tuae deserviebat ad voluntatem eorum qui a Deo desiderati sunt.* Exempla Sanctorum. Diversi effectus.

41. Sed[11] legitur, quod filii Israel non pervenerunt ad cibum manuatis, nisi prius exissent Aegyptum, transissent mare rubrum, intrassent desertum, dul-

---

[1] Ita hanc D, C *Estque*, A *Primo estque*, Bonelli *Est quoque*, qui subinde *continet causam* pro *habet causam;* A C *habet caeneum*, perperam, quia de « continentia » agitur infra.

[2] Sequitur hic A C; Bonelli, cui ex parte favent ceteri codd., post *mundo* habet: *odor licet tenuissimus excitat corda hominum, ut in odore eius trahantur* (B D E *currantur*) *ad bravium... cumulum.*

[3] Non est in Scriptura. Bonelli hic notat: In *oratione* ante obitum eius, quam *devotissimam fuit*, referente Petro de Natal. in Canal. Sanctor. libro II. de Sanctis mense Decembri occurrentibus, c. 7. — Idem post *aeternas* prosequitur: « *scis enim, Domine, quia desideratum videre te. Nunc autem invitatus a te gratias aga tibi* ». *Et hoc dicitur habere omne delectamentum* etc.

[4] Ita A B E, Bonelli *potentiam.*

[5] Ita de Deo Isid., I. Sent. c. 2. n. 3, et quoad sensum Gregor., II. Moral. c. 12. n. 20. — Bonelli in pluribus recedit a lectione codd.

[6] Ita hic omnes codd. et supra n. 36. soli A E.

[7] Potius Guerricus abb., serm. in festo S. Benedicti, quoad sensum. — Bonelli pro *bonis Domini*, quod habebat cum nostris codd. apographum eius, substituit *benedictionibus.*

[8] Cfr. Legenda de S. Clara (impressa in Supplem. Bonelli tom. III. 986-1019) c. 4. n. 29; et in Breviario Romano-Seraph. in lect. VI. festi S. Claraе (12. Aug.) referuntur verba Christi ex ss. Sacramento ita loquentis: Ego vos semper custodiam. — Quae hic in codd. A C E leguntur de S. Clara, Bonelli (cum B D) attribuit quibusdam Sanctis: *ideo quidam Sancti, ut legitur, sic timebat sub... sedentem; et quidam carnalibus oculis videre meruerunt sub Sacramento existentis formam*, relegantibus quoad cetera etiam B E.

[9] Psalm. 17, 26. 27. Seq. locus est Sap. 15, 27. — Bonelli in sequ. plura omittit.

[10] Cap. 5, 6. Seq. locus est Sap. 16, 23, ubi a Deo Vulgata *a te desiderabant.*

[11] Hic explicit cod. B; Bonelli *Nota autem* pro *Sed;* A C D E addunt *quia* post *Sed;* quae lectio bene convenit contractae lectioni, quam infra habent A C, sed secundum lectionem a nobis receptam reddit propositionem incongruam; unde illud *quia* exponimus. Infra pro *prius exissent* A *priusquam exierant* C D E *priusquam exierunt*, qui etiam deinde *intraverunt... dulcoraverunt.*

Digitized by Google

Instituitur quatuor facenda.

corassent aquam per lignum immissum [1], ad significandum, quod qui vult venire ad nobilissimos effectus quos supra diximus huius Sacramenti, debet quatuor facere. Debet enim *exire de tenebris vitiorum;* debet *facere dignum poenitentiae fructum;* debet *contemnere omne terrenum;* debet *convertere amaritudinem crucis in oblectamentum.* — Primo ergo debet *deserere tenebras vitiorum;* et hoc est quod dicitur, quod filii Israel primo exierunt Aegyptum, postea venerunt ad huius cibi gustum. *Aegyptus* tenebrae interpretatur. Exeat ergo tenebras vitiorum qui festinat ad harum gratiarum dulcedinem, ut de eo possit dici illud Apostoli [2]: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.* — Secundo debet *facere dignum poenitentiae fructum;* et hoc est quod dicitur, quod filii Israel post transierunt mare rubrum. Quid enim significatur per *mare* nisi amaritudo poenitentiae, in qua est *contritio magna velut mare* [3], in qua mari submergatur rex Aegypti cum exercitu suo, id est diabolus cum omni ornatu suo. — Tertio debet *deserere omne terrenum;* et hoc est quod dicitur, quod filii Israel, antequam sumerent cibum istum, venerunt in desertum, id est, deseruerunt omne terrenum. Et quia tria sunt, per quae solet homo alligari mundo, videlicet amor possessionis, voluptas carnis et cupiditas honoris, iuxta illud primae Ioannis secundo: *Omne, quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae;* ideo dicebat Moyses [4]: *Ibimus viam trium dierum in desertum,* ad significandum, quod per viam unius diei deseritur amor possessionis; per viam diei alterius deseritur voluptas carnis; per viam diei tertiae deseritur cupiditas honoris. — Quarto debet homo convertere *amaritudinem crucis suae in oblectamentum dulcedinis,* ut videlicet delectet eum portatio crucis suae, quam necesse est portare eum qui vult animam suam salvare. *Qui enim non accipit crucem suam,* dicit Dominus [5], *et sequitur me, non est me dignus.* Si ergo vis amaritudinem tuae crucis convertere in oblectamentum dulcedinis, habeas semper in corde tuo memoriam dominicae passionis. « Etenim non sentiet sua qui Christi vulnera intuebitur », dicit Bernardus. Et hoc est quod legitur de filiis Israel, quod priusquam venissent ad cibum dulcissimum, venerunt in Marath ad potum amarissimum; quem cum prae amaritudine bibere non possent, iussit Dominus, ut in eundem potum lignum, quod crucem figurabat, mitterent, et sic amaritudinem dulcorarent. — *Confiteantur* ergo *Domino misericordiae eius* [6] *et mirabilia eius filiis hominum, quia satiavit animam inanem et animam esurientem satiavit bonis: sedentes in tenebris et umbra mortis, vinctos in mendicitate et ferro.*

Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

42. Si ergo te sentis *inanem,* quaere tuam impletionem in hoc Sacramento sub figura *adipis;* si te sentis esurientem, quaere tuam refectionem sub figura *panis;* si te sentis caecutientem et sedentem in tenebris, quaere tuam illuminationem in hoc Sacramento sub figura *mellis;* si te sentis in umbra mortis iacentem, quaere tuam reconciliationem in hoc Sacramento sub figura *agni paschalis;* si egentem et mendicantem, quaere tuam ditationem in hoc Sacramento sub figura *thesauri caelestis;* si experiris te ferreum cor habentem, quaere tuam mollificationem in hoc Sacramento sub figura *manuatis.* Quod nobis praestare dignetur Iesus Christus, beatissimae Mariae filius. Amen. — EXPLICIT. Epilogus.

---

[1] A C hic sermonem concludunt his verbis: *sic* qui digne vult manducare corpus Christi Aegyptum spiritualiter exeat, opera tenebrarum abiciat, in desertum vadat, cordi acerbam passionem Christi immittat, sic et [A *sicque*] per lignum sanctae crucis dolorem de praeteritis peccatis dulcoret et postea sacrosanctissimum corpus Christi percipiat; quod nos post finem praesentis vitae ad aeterna caelorum gaudia perducat, praestante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per immortalia saecula saeculorum. Amen. — Sed cum hic modus concludendi expositionem sextae figurae non sit consentaneus modo in praecedentibus figuris observato, retinendum esse consulimus id quod in Bonelli et D E sequitur. Attamen multa in textu Bonelli ex his duobus cod. supplevimus, praesertim quatuor explicationes figurarum, quae respondent illis quatuor, quae praestanda sunt a sumentibus eucharistiam.

[2] Eph. 5, 8: Eratis enim etc. — De exitu Israelitarum ex Aegypto vide Exod. 13-15.

[3] Thren. 2, 13. Subinde pro *ornatu* (ita D E) Bonelli *comatu.* Seq. locus Scripturae est I. Ioan. 2, 16, ubi Vulgata omittit primum *aut,* et deinde bis habet *et* pro *aut.*

[4] Exod. 3, 18. Vulgata: Ibimus viam trium dierum in solitudinem.

[5] Matth. 10, 38: Et qui non etc. — Seq. locus Bernardi est in Cant. serm. 61. n. 8. Praemittitur ibi exhortatio ad meditandam passionem, quia Christus vult « devoti militis sui vultum et oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat » etc.

[6] Post haec verba E, qui tantum quatuor figuras exhibet, hunc epilogum habet: *misericordiae eius,* quia praefiguravit nobis sacrosanctissimum corpus suum sub figura panis, et hoc ad repletionem esurientium; secundo, in figura mellis, et hoc ad illuminationem in tenebris sedentium; tertio, in figura agni paschalis, et hoc ad reconciliationem in umbra mortis iacentium; quarto, in figura manuatis, et hoc ad medicinam mollificationis contra cor ferreum, id est obstinatum, quia homo erat vinctus ferro, id est corde obstinato. *Confiteantur ergo* etc.

Digitized by Google

SERMO IV.

Christus unus omnium magister.

SUMMARIUM. — *Introductio. Triplex gradus cognitionis certitudinalis et rectae, quorum Christus est principium et causa ut via, veritas et vita, numero* 1. — Pars I. De ipsius Christi triplici magisterio. *Primo, Christus ut* via *est magister cognitionis per fidem acquisitae, duplici scilicet via: per adventum in mentem, infundendo lumen revelationis; per adventum in carnem, praebendo firmamentum auctoritatis,* 2-4. — *Hinc Christus est fundamentum totius fidei secundum utrumque testamentum,* 5. — *Secundo, Christus ut* veritas *est magister cognitionis rationalis. Ad cognitionem scientialem requiruntur duo: veritas immutabilis ex parte scibilis, certitudo infallibilis ex parte scientis,* 6. — *De primo,* 7. 8. — *De secundo,* 9. 10. — *Tertio, Christus ut* vita *est magister cognitionis contemplativae. Duplex exercitium et pastus,* 11. — *De primo exercitio et pasta, sive de Verbo increato,* 12. — *De secundo, sive de Verbo incarnato,* 13. — *De utroque; duplex vita, duplex sensus, duplex ingressus secundum ascensum et descensum, duplex contemplatio libri scripti intus et foris,* 14. — *Duo corollaria: primo, quo ordine perveniatur ad sapientiam; triplex gradus; incipiendum a fide,* 15. — *Secundo, quo auctore et doctore; ipse est Christus, qui cooperatur nostrae intelligentiae non solum generali concursu, nec tamen proprie supernaturali, sed quodam medio modo. Triplex modus conformitatis ad Deum,* 16. — *Secundum hos modos est triplex divina cooperatio,* 17. — *Sana explicatio verbi Augustini, quod Deus nobis sit ratio intelligendi,* 18. — *De scientia et sapientia Augustini, Moysi et Pauli. De Christo solo principali magistro et doctore,* 19. — Pars II. De officiis erga Christum, principalem magistrum, praestandis. *Primo est honorandus, et hoc dupliciter,* 20. — *Secundo, audiendus ad intelligendum et obediendum,* 21. — *Tertio, interrogandus, non curiose, sed studiose,* 22. — *Interrogandus est circa tria: circa veritatem scientiae, sanctitatem disciplinae, caritatem benevolentiae,* 23. — *Hinc etiam doctores ministeriales suam doctrinam ad eadem tria debent ordinare: primo debent intendere scientiae veritatis fidei,* 24. — *Secundo, disciplinae sanctitatis animi,* 25. — *Tertio, benevolentiae caritatis Dei et proximi. Hinc debent concordare in suis sententiis, non fieri plures magistri per schismata; dissensio sententiarum oritur a praesumptione et parit confusionem,* 26. 27. — *Epilogus,* 28.

Introductio. 1. *Unus est magister vester, Christus,* Matthaei vigesimo tertio[1]. In verbo isto declaratur, quod est fontale principium illuminationis cognoscitivae, Christus videlicet, *qui cum sit splendor gloriae paternae et figura substantiae eius, portans omnia verbo virtutis suae,* sicut dicitur ad Hebraeos primo[2]; ipse est, qui est origo *omnis sapientiae,* secundum illud Ecclesiastici primo[3]: *Fons sapientiae Verbum Dei in excelsis.* Ipse Christus est autem fons *omnis cognitionis rectae.* Ipse enim est *via, veritas et vita,* Ioannis decimo quarto[4]. — Triplex igitur est gradus cognitionis certitudinalis et rectae, secundum quod dicit Hugo de Sacramentis[5]: « Isti sunt tres gradus promotionis fidei, quibus fides crescens ad perfectum tendit vel conscendit: primus, per pietatem eligere; secundus, per rationem approbare; tertius, per veritatem apprehendere ». Secundum hoc apparet, quod triplex est modus cognoscendi, quorum primus est per *credulitatem piae assensionis,* secundus per *approbationem rectae rationis*[6], tertius vero per *claritatem mundae contemplationis.* Primus spectat ad habitum *virtutis,* quae est fides; secundus ad habitum *doni,* quod est intellectus; tertius ad habitum *beatitudinis,* quae est mundicitia cordis[7]. Cum igitur

Tres gradus rectae cognitionis.

Declarantur.

[1] Vers. 10. Vulgata: Magister vester unus est, Christus.

[2] Vers. 3. Vulgata: Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae.

[3] Vers. 5.

[4] Vers. 6. — Cfr. de hoc Hexaem. collat. 1. n. 11. seqq., collat. 3. n. 12. seqq. et passim in toto opusculo.

[5] Libro I. p. X. c. 4.

[6] Hoc secundum membrum divisionis deest in cod.

[7] Similia habet Seraphicus, III. Sent. d. 35. a. 1. q. 3. in concl.: « Cognitio de Deo sub ratione veri potest haberi secundum triplicem modum: uno modo habetur cognitio Dei per simplicem assensum; alio modo per rationis adminiculum; tertio modo per simplicem contuitum. Primum est virtutis fidei, cuius est assentire; secundum est doni intellectus, cuius est credita per rationem intelligere; tertium est beatitudinis munditiae cordis, cuius est Deum videre ». De hoc triplici cognitione diffuse et modo omnino simili non tantum quoad doctrinam, sed etiam quoad verba agitur supra de Donis Spiritus S. collat. 4. n. 2-24. Ibi auctor commemorat etiam quartam scientiam, scilicet *gloriosam*, quae est in patria.

Digitized by Google

triplex sit cognitionis[1] differentia, videlicet creditiva, collativa et contemplativa, omnium harum est Christus principium et causa, et ita quod primae est principium in quantum *via*, secundae in quantum *veritas*, et tertiae in quantum *vita*.

Pars I. De triplici Christi magistrio.

2. Christus namque secundum quod *via* est magister et principium cognitionis, quae est per fidem. Haec enim cognitio duplici via habetur, videlicet per *revelationem* et per *auctoritatem*. Sicut enim dicit Augustinus in libro de Utilitate credendi[2]: « Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, auctoritati ». Auctoritas autem non esset, nisi revelatio praecessisset; propter quod secundae Petri primo[3]: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginosa loco.* In quo insinuat *auctoritatem* sermonis prophetici, et rationem huius subiungit: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* — Cum igitur his duabus viis contingat devenire ad cognitionem fidelem, hoc non potest esse nisi per Christum datorem, qui est principium omnis *revelationis* secundum adventum sui in *mentem*, et firmamentum omnis *auctoritatis* secundum adventum sui in *carnem*.

Primo, et via quod fidem dupliciter.

A Christo lumen et auctoritas.

3. Venit autem in *mentem* ut lux revelativa omnium prophetalium visionum, secundum illud Danielis secundo[4]: *Ipse revelat profunda et abscondita et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est*; lux scilicet divinae sapientiae, quae Christus est, secundum illud Ioannis octavo[5]: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris*, et duodecimo: *Dum lumen habetis, credite in lumen, ut filii lucis sitis*; quia, sicut dicitur Ioannis primo, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Sine hac luce, quae Christus est, nemo potest sacramenta fidei penetrare. Propter quod Sapientiae nono[6]: *Mitte illam* — loquitur de Sapientia — *de caelo sancto tuo et a sede maiestatis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te. Quis enim homo potest scire consilium Dei, aut quis potest cogitare, quid velit Deus* etc., usque ibi: *sensum tuum* etc. Ex quo datur intelligi, quod non potest perveniri ad certam fidei revelationem nisi per adventum Christi in *mentem*.

Primo venit in mentem ut lux

4. Venit etiam in *carnem* ut verbum approbativum omnium prophetalium locutionum; ad Hebraeos primo[7]: *Multifariam multisque modis* etc. Quia enim ipse Christus est sermo Patris plenus *potestate*, secundum illud Ecclesiastae octavo[8]: *Sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei potest quis: quare ita facis?* ipse etiam[9] est sermo *plenus veritate*, immo *ipsa veritas*, secundum illud Ioannis decimo septimo[10]: *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est*, — Glossa[11]: « *In veritate* hoc est in me, qui sum veritas, quod subdendo aperit: *Sermo tuus veritas est*, quod est, *ego sum veritas*; Graece *logos*, Latine *verbum* » — quia ergo *auctoritas* debetur sermoni *potestativo* et *veridico*, et Christus est Verbum Patris, et per hoc *Dei virtus et sapientia*, ideo in ipso fundatur et stabilitur et consummatur omnis *auctoritatis stabilitas*.

Secundo, in carnem et principium auctoritatis.

5. Et ideo tota Scriptura authentica et eius praedicatores aspectum habent ad Christum venientem in *carnem* tanquam ad fundamentum totius fidei christianae, secundum illud primae ad Corinthios tertio[12]: *Secundum gratiam, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est* etc. Ipse enim est fundamentum totius doctrinae authenticae, sive apostolicae sive propheticae, secundum utramque Legem, novam et veterem. Propter quod ad Ephesios secundo[13]: *Superaedificati estis super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* — Patet igitur, Christum esse magistrum cognitionis secundum *fidem*, et hoc, in quantum est *via*, secundum duplicem adventum ipsius, in *mentem* videlicet et in *carnem*.

Christus fundamentum totius aed.

Secundo V. et N. T.

Epilogus.

6. Est etiam magister cognitionis, quae est *per rationem*, et hoc, in quantum est *veritas*[14]. Ad cognitionem enim scientialem necessario requiritur *veritas immutabilis* ex parte *scibilis*, et *certitudo infallibilis* ex parte *scientis*. Omne enim, quod scitur, necessarium est *in se* et certum est *ipsi scienti*. Tunc

Secundo ut tertia, quod cognoscitur rectam rationem

Duo necessaria.

---

[1] Cod. male *cogitationis*.

[2] Cap. 11. Haec de cognitione fidei doctrina tota amplius explicatur Hexaem. collat. 9. n. 2. seqq.

[3] Vers. 19, et locus sequens v. 21. — In cod. deest *lucenti* post *lucernae*.

[4] Vers. 22.

[5] Vers. 12. Loci duo, qui sequuntur, sunt ibid. c. 12, 36. et 1, 12.

[6] Vers. 10. usque v. 17. Vulgata: Mitte illam de caelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut etc.

[7] Vers. 1. Vulgata: Multifariam multisque modis etc.

[8] Vers. 4. Vulgata pro *quis* legit *quasquam*.

[9] Cod. non bene *eum*.

[10] Vers. 17.

[11] Glossa *ordinaria* (secundum August., in Ioan. Evang. tr. 118. n. 3.): « *In veritate*, cuius umbra fuerunt veteres sanctificationes, id est in me, qui sum Veritas, quod subdendo aperit: *Sermo tuus veritas est*, quod est: ego sum veritas; Graece *logos*, Latine *verbum* vel *sermo*, qui est Unigenitus Patris ». Deinde respicitur I. Cor. 1, 24: (praedicamus) Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. — De duobus necessariis, scilicet interna illustratione et externa testificatione auctoritatis, cfr. Breviloq. p. V. c. 7. et Prolog. § 5.

[12] Vers. 10. 11. Cfr. Hexaem. collat. 8. n. 4. seqq.

[13] Vers. 20. Vulgata: Superaedificati super fundamentum...

[14] Hic breviter exponitur doctrina supra Quaestion. disp. de scientia Christi, q. 4. hic demonstrata et in Itiner. mentis ad Deum, in Hexaem., in opusc. de Donis Spiritus S. et alibi saepius commemorata.

Quid scientia. enim scimus, « cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, et scimus, quoniam impossibile est aliter se habere [1] ».

De prima. 7. Requiritur igitur ex parte *scibilis* veritas immutabilis. Huiusmodi autem non est veritas *creata simpliciter* et absolute, quia omne creatum vertibile et mutabile; sed veritas *creans*, quae plenam habet immutabilitatem. Propter quod dicitur in Psalmo [2]: *Et tu in principio, Domine, terram fundasti, usque ibi: non deficient.* Hoc autem, ut dicit Apostolus ad Hebraeos primo [3], dicitur ad Filium Dei, qui est *verbum, ars* et *ratio* omnipotentis Dei, et idem veritas sempiterna, secundum illud Psalmi [4]: *In aeternum, Domine, permanet verbum tuum, et in saeculum*

Triplex rerum esse. *saeculi veritas tua.* Cum igitur res habeant *esse* in *proprio genere*, habeant etiam *esse* in *mente*, habeant *esse* et in *aeterna ratione*; hoc *esse* earum sit omnino immutabile primo et secundo modo, sed tantum tertio, videlicet prout sunt in Verbo aeterno: restat, quod nihil potest facere res *perfecte* scibiles, nisi adsit Christus, Dei Filius et magister.

Confirmatur. 8. Unde Augustinus secundo de Libero Arbitrio [5]: « Nullo modo negaveris, esse incommutabilem veritatem, haec omnia, quae incommutabiliter vera sunt, continentem, quam non possum dicere tuam vel meam vel cuiusquam hominis, sed omnibus incommutabilia vera cernentibus praesto esse ac se praebere communiter ». Hoc ipsum habetur decimo quarto de Trinitate [6]. Cum impii videant regulas, secundum quas quisque vivere debeat; « ubi eas vident? Neque enim in sua *natura*, cum procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has vero regulas immutabiles videat, quisquis in eis et hoc videre potuerit; nec in *habitu* suae mentis, cum illae regulae sint institiae, mentes vero eorum constat esse iniustas. Ubinam sunt istae regulae scriptae, ubi, quid sit iustum, etiam iniustus agnoscit et [7] cernit, habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptae sunt nisi in libro lucis illius, quae veritas dicitur, unde omnis lex iusta describitur, et in *cor* hominis iustitia non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur »? Hoc ipsum dicitur in libro de Vera Religione [8] et in sexto de Musica et in libro Retractationum.

De secundo. 9. Requiritur etiam secundo ad huiusmodi cognitionem certitudo ex parte *scientis*. Haec autem non potest esse ex ea parte, quae potest falli, vel ex ea luce, quae potest obscurari. Talis autem lux [9] non est lux intelligentiae creatae, sed Sapientiae increatae, quae Christus est. Propter quod Sapientiae septimo [10]: *Deus dedit mihi horum scientiam verum, quae sunt, ut sciam dispositionem orbis terrarum et virtutes elementorum, initium et consummationem et medietatem temporum.* Et post: *Omnium enim artifex docuit me, sapientia.* Et ratio subditur [11]: *Vapor est enim virtutis Dei et emanatio quaedam omnipotentis Dei sincera, et ideo nihil inquinatum invenitur in ea. Candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula maiestatis Dei. Speciosior est sole, et super omnem stellarum dispositionem, luci comparata invenitur prior. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.* Propter quod dicebat Ioannes primo [12]: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem* etc., ubi dicit Glossa [13], « quod non est vera lux, quae non ex se, sed alienule lucet ».

Confirmatur necessitas divinae cognitionis. 10. Lux ergo intellectus creati sibi non sufficit ad certam comprehensionem rei cuiuscumque alicuius

---

[1] Aristot., I. Poster. c. 2.

[2] Psalm. 101, 26, 28. Vulgata: Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut operiorium mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

[3] Vers. 10.

[4] Psalm. 118, 89. Vulgata: in generationem et generationem veritas tua. — De sequ. cfr. III. Sent. d. 14. a. 3. q. 1.

[5] Cap. 12. n. 33. In hoc textu editio August. pro *possum* habet *possis*.

[6] Cap. 15. n. 21.

[7] Editio August. *ubi* pro *et*; infra post *cor hominis* continuat: *qui operatur mutatam non migrando.*

[8] Cap. 30. et 31. — De Musica, c. 12; Retract. c. 1. Cfr. Hexaem. collat. 4. n. 9. collat. 2. n. 10, ubi inter alia de istis regulis dicitur: « Hic radicantur in hoc aeterna et ducunt in eam, sed non propter hoc ipsa videtur ». Vide etiam supra pag. 314, col. II. seqq., et Doctr. mentis in Deum, c. 2. n. 9; de Donis Spiritus S. collat. 8. n. 45. Quod autem doctrina haec non ita sit intelligenda, quasi prima lux sit *obiectum*, *quod* immediate cognoscitur, sed tantum *obiectum*, *quo* omnia modo ab auctore infra exposito cognoscuntur, scilicet non *formaliter* in prima luce, sed *causaliter* sive effective per eam, irrefragabilibus testimoniis nostri auctoris demonstratum est in dissertatione praetixa opusculo de Humanae Cognitionis ratione. Sufficiat hic afferre unum locum (III. Sent. d. 14. a. 1. q. 1. ad 1.), ubi de humana ipsius Christi cognitione dicitur: Dicendum, quod ipsum Verbum est sapientia, *qua* cetera cognoscuntur, tam ipsum Verbum, quam ea quae sunt ab ipso. Sed attendendum est, quod ille ablativus potest construi *formaliter*, vel *causaliter*. Si *formaliter*; sic sapientia aeterna est *sibi ipsi* ratio cognoscendi. Si *causaliter*; sic omnia cognoscuntur ipsa, quia facit cetera cognosci; *formaliter* autem non potest intelligi, quia non potest esse forma cognoscentis creati, nisi dicatur *forma exemplaris* etc. Cfr. eiusd. ibid. ad 2, ubi dicetur, quod sola praesentia obiecti non sufficit ad cognoscendum illud, nisi adiutur cognoscenti *per modum cognoscentis*, id est, nisi intellectus aliquo modo per influentiam luminis formetur et informetur ab ipso intelligibili.

[9] Scilicet: quae non potest obscurari. Videtur enim aliquid post *obscurari* excidisse, v. g. *sed ex parte revelatio, quae non potest falli nec obscurari.*

[10] Vers. 17. 18. 21. 25. 26. 29. *et c.* 8. 1. Vulgata: Ipse enim dedit mihi horum quae sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem.

[11] Vulgata in vers. 25. post *quaedam* addit *est claritatis*; pro *invenitur in ea* legit *in eam incurrit*; in vers. 26. et 29. transponendo habet *Dei maiestatis*, et *dispositionem stellarum.*

[12] Vers. 9.

[13] Glossa *interlinearis* apud Lyranum in hunc locum.

luce Verbi aeterni. Unde Augustinus in primo Soliloquiorum [1]: « Quomodo in hoc sole tria quaedam licet advertere: quod *est*, quod *fulget*, quod *illuminat*, ita et in illo secretissimo Deo tria quaedam sunt: quod *est*, quod *intelligit*, quod cetera facit *intelligi* ». Unde et paulo ante praemittit, quod « sicut terra nisi luce illustrata videri non potest, sic quae in disciplinis traduntur, quamvis intelligi [2] verissima esse nulla dubitatione quisque concedat, credendum est, non posse intelligi, nisi ab illo quasi suo sole illustrentur ». Item, duodecimo de Trinitate, capitulo ultimo [3], loquens de puero, qui recte respondebat de geometria absque magistro, et reprobans Platonicam positionem, qui dicebat, animas scientiis prius imbutas infundi corporibus, dicit, hoc non esse verum. « Sed potius credendum est, inquit, mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente Conditore, subiecta, sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculis carnis videt quae in hac corporea luce contraiacent, cuius lucis capax et congruus est creatus [4] ». — Quae autem sit ista lux, dicitur in secundo de Libero Arbitrio [5]: « Illa veritatis et sapientiae pulcritudo, quae nec peragitur tempore nec migrat locis nec nocte interciptur nec umbra interclubitur nec sensibus corporis subiacet; de toto mundo ad se conversis, qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna, nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet; nullus de illa iudicat, nullus sine illa bene iudicat. Ac per hoc, eam manifestum est mentibus nostris, quae ab ipsa ma fiunt singulae sapientes et non *de ipsa*, sed *per ipsam* de ceteris iudicant, sine dubitatione esse potiorem ». Hoc ipsum dicitur in libro de Vera Religione [6] et in octavo de Trinitate et in libro de Magistro, ubi hanc conclusionem probat per totum librum, quod *unus est magister* noster, *Christus*.

Proprietates huius lucis.

Tertio, ut sita quod cognitionem contemplativam.

11. Postremo, Christus in quantum *vita* est magister *cognitionis contemplativae* [7], circa quam dupliciter anima se exercet, secundum duplicem differentiam *pastus*, videlicet *interioris* in Deitate, et *exterioris* in humanitate, secundum quam duplex est modus contemplandi, scilicet *ingressivus* et *egressivus*, ad quem perveniri non potest nisi per Christum. Propter quod ipse dirit Ioannis decimo [8]: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.*

Duplex exercitium et pastus.

12. *Ingressus* namque est ad Christum secundum quod *Verbum increatum* et cibus Angelorum, de quo Ioannis primo: *In principio erat Verbum.* De hoc *ingressu* dicitur in Psalmo [9] secundum aliam translationem: *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.* Hoc dictum est de illa superna Ierusalem, ad quam contemplandam nemo ingreditur, nisi per Verbum increatum, quod est Christus, introducatur. Unde Dionysius in primo de Angelica Hierarchia [10]: « Ergo Iesum invocantes, paternum lumen, quod est quidem verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad principale lumen, Patrem, accessum habemus, in sacratissimorum eloquiorum a Patre traditas illuminationes, quantum possibile est, respicimus, et ab ipsis symbolice nobis et anagogice manifestatas caelestium animorum hierarchias, quantum potentes sumus, considerabimus, principalem et superprincipalem divinam Patris claritatem immaterialibus et non trementibus mentis oculis respicientes ».

De primo.

13. *Egressus* autem est ad *Verbum incarnatum*, quod est hic parvulorum, de quo Ioannis primo [11]: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* De hoc *egressu* Cantici tertio [12]: *Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis et laetitiae cordis sui.* Hoc diadema, quo coronatur verus Salomon pacificus a matre sua, est caro immaculata — quam assumsit de Virgine Maria — quae dicitur *diadema desponsationis*, quia per illam sibi desponsavit sanctam matrem Ecclesiam, quae

De secundo.

Quod diadema.

---

[1] Cap. 8. n. 15. In quo textu editio habet *animadvertere* pro *advertere*, omittit *et* post *ita*, et addit *quem eis intelligere* post *Deus*; et *intelligitur* pro *intelligit*. Cfr. de hoc loco tom. II. pag. 266, nota 2.

[2] Intelligo: concedat, ea intelligi et verissima esse. In editione post *traduntur* melius legitur: *quae quisquis intelligit verissima esse nulla dubitatione concedit, credendum...*

[3] Num. 24.

[4] Quo in textu editio pro *Conditore* legit *Creatore*, pro *subiecta* autem *subiaceat*, et *circumadiacent* pro *contraiacent*, et dein *eque congruens* pro *et congruus*.

[5] Cap. 14. n. 38. In editione deest *quae*, ante *nusquam deest* ponitur *nullo loco est*, et in fine pro *iudicant* legitur *mutces*.

[6] Cap. 30; de Trin. VIII. c. 3. n. 5; de Mag. c. 14.

[7] De hac cognitione cfr. Breviloq. p. V. c. 6; de Donis Spiritus S. collat. 4. n. 19-23, collat. 9. n. 2-7; Hexaem. collat. 2. n. 4. 28. seqq., collat. 20. n. 2. — Quod non nisi per Christum cognitio contemplativa acquiri possit, docet auctor, loquens de philosophis post novem scientias decimam, scil. contemplationem, praemittentibus, Hexaem. collat. 4. n. 4. et 5. n. 23-33; et diffuse exponit collat. 3. n. 2-23.

[8] Vers. 9. — Idem locus simili modo applicatur in Itiner. mentis in Deum, Prolog. n. 3. et 4, c. 1. n. 7, c. 7. n. 4.

[9] Psalm. 41, 5. Iuxta Biblium maximam Aquila et Theodoretus legunt *Ingrediar*, ubi Vulgata *Transibo*.

[10] Cap. 1. § 2. — Ex versione Ioannis Scoti Erigenae (ed. Migne), in qua pro *quod est quidem verum* legitur *quod est quod verum*. Circa finem huius loci a cod. post *Patris claritatem* supprimuntur verba: *quae Angelorum nobis in figuratis symbolis manifestat hoc assumimus hierarchias*; similiter post *respicientes* desunt verba: *iterum ex ipsi in simplicem suum restituimur radium*. Textus in contracta, etiam particula *et* post *considerabimus* in ms. eliminata est.

[11] Vers. 14.

[12] Vers. 11. Vulgata: Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius.

Digitized by Google

de latere eius formata fuit, sicut Eva de latere viri. Et ideo per eam tota hierarchia ecclesiastica purgatur, illuminatur et perficitur; et ideo aspiciendi est tanquam totius Ecclesiae *postus vivificus*, secundum illud Ioannis sexto[1]: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Et propterea subdit[2]: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam.*

14. Et hoc est quod dicitur in libro de Anima et spiritu[3]: « Duplex est vita animae: alia, qua vivit in carne; et alia, qua vivit in Deo. Duo siquidem sunt in homine sensus: unus *interior*, et unus *exterior*; et utrique bonum suum habet, in quo reficitur: sensus *interior* in contemplatione Deitatis, sensus *exterior* in contemplatione humanitatis. Propterea enim Deus factus est homo, ut totum hominem in se beatificaret, ut, sive *ingrederetur* sive *egrederetur*, *pascua* in Factore suo *inveniret*, pascua foris in carne Salvatoris et pascua intus in Divinitate Creatoris ». — Hic autem ingressus ad Divinitatem et egressus ad humanitatem nihil aliud est quam *ascensus ad caelum* et *descensus ad terram*, qui fit per Christum tanquam per scalam, de qua Genesis vigesimo octavo[4]: *Vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram, et cacumen eius tangens caelum, Angelos quoque ascendentes et descendentes per eam.* Per *scalam* intelligitur Christus, per *ascensum* et *descensum Angelorum* illuminatio virorum contemplativorum ascendentium et descendentium. — Hic etiam duplex modus contemplationis intelligitur per *lectionem interiorem* et *exteriorem* libri scripti intus et foris, de quo Apocalypsis quinto[5]: *Vidi in dextera sedentis in throno librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem;* et subditur ibi, quod *nemo poterat neque in caelo neque in terra neque subtus terram aperire librum et neque respicere illum;* et subditur ibi, quod *leo de tribu Iuda vicit, qui dignus est aperire librum et solvere septem signacula eius.* — Si ergo ille proprie dicendus est *doctor*, qui librum aperit et eius signacula solvit; et talis est Christus, qui fuit *leo surgens* et *agnus occisus*; apparet ergo, quod *magister noster unus est, Christus*, in omni cognitionis differentia, secundum quod est *via, veritas et vita.*

De utroque.

Sic est ascensus et descensus.

Et contemplatio libri intus et foris scripti.

Conclusio.

15. Ex praedictis ergo apparet, *quo ordine* et *quo auctore* perveniatur ad sapientiam. — *Ordo* enim est, ut inchoetur a stabilitate *fidei* et procedatur per serenitatem *rationis*, ut perveniatur ad suavitatem *contemplationis*; quem insinuavit Christus, cum dixit: *Ego sum via, veritas et vita.* Et sic impletur illud Proverbiorum quarto[6]: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem.* Hunc ordinem tenuerunt Sancti, attendentes illud Isaiae[7], secundum aliam translationem: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Hunc ordinem ignoraverunt philosophi, qui, negligentes fidem et totaliter se fundantes in ratione, nullo modo pervenire potuerunt ad contemplationem; quia, sicut dicit Augustinus in primo de Trinitate[8], « mentis humanae invalida acies in tam excellenti luce non figitur, nisi per institutum fidei emundetur ».

Corollaria duo. De primo.

16. Patet etiam, quis sit *auctor* et *doctor*: quia Christus, qui est director et adiutor nostrae intelligentiae non solum *generaliter*, sicut in omnibus operibus naturae, nec ita *specialiter*, sicut in operibus gratiae et virtutis meritoriae, sed quodam modo *medio* inter utrumque. — Ad cuius intelligentiam notandum, quod in creaturis reperitur triplex modus conformitatis ad Deum. Quaedam enim conformantur Deo sicut *vestigium*, quaedam sicut *imago*, quaedam sicut *similitudo*. *Vestigium* autem dicit comparationem ad Deum sicut ad principium *causativum*; *imago* autem non solum sicut ad principium, sed etiam sicut ad *obiectum motivum*; « eo enim est anima imago Dei, ut dicit Augustinus decimo quarto de Trinitate[9], quod capax eius est et particeps esse potest », scilicet per cognitionem et amorem. *Similitudo* autem respicit Deum non tantum per modum principii et obiecti, verum etiam per modum *doni infusi*.

De secundo.

Notandum.

Triplex conformitas ad Deum.

17. In illis ergo operationibus creaturae, quae sunt ipsius, in quantum est *vestigium*, sicut sunt universaliter actiones naturales, cooperatur Deus sicut *principium* et *causa*. In his autem, quae sunt ipsius, in quantum est *imago*, sicut sunt actiones intellectuales, quibus anima percipit ipsam veritatem immutabilem, cooperatur sicut *obiectum* et *ratio motiva*. In his vero, quae sunt ipsius, in quantum est *similitudo*, sicut sunt operationes meritoriae,

Et sic triplex Dei cooperatio.

---

[1] Vers. 56. De Christo illuminante et perficiente hierarchiam angelicam et humanam cfr. Breviloq. Prolog. § 3. et Hexaem. collat. 3. n. 32.

[2] Est revera antecedens vers. 55, dum subsequens (57.) sonat: Qui... manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, *in me manet*, et ego in illo.

[3] Cap. 9, sed plura praetermissa sunt. — Invenitur hic liber inter opera Augustini, cui tunc falso attribuebatur.

[4] Vers. 12. Vulgata in hoc textu legit *Vidique*, pro *eius* habet *illius*, et post *quoque* addit *Dei*. — De ista scala Iacob cfr. Breviloq. Prolog. § 3. et Itiner. mentis in Deum, c. 1. n. 9.

[5] Vers. 1. 3. 5. — S. Doctor verba S. Scripturae contracte affert. — De libro scripto intus et foris vide Breviloq. p. II. c. 11.

[6] Vers. 18.

[7] Cap. 7, 9, i. e. secundum Septuaginta; Vulgata: Si non credideritis, non permanebitis.

[8] Cap. 2. n. 4. In ed. August. pro *emundetur* legitur *nutrita regetetur*. Sed Petrus Lomb., l. Sent. d. 2. c. 1, et Bonav., supra p. 38 et passim, legunt *emundetur*. — De ordine et modo in studiis observando S. Bonav. disserit Hexaem. collat. 19. per totam. Quod autem philosophi sine fide non potuerint ascendere ad contemplationem, docetur Hexaem. collat. 9. n. 1, 5. n. 22, 7. n. 5.

[9] Cap. 8. n. 11. ubi editio: « Eo quippe ipso imago eius est, quo eius capax est eiusque particeps esse potest ». De hac doctrina cfr. Breviloq. p. II. c. 12, ubi in notis citatur alii loci.

Digitized by Google

cooperatur sicut *donum infusum* per gratiam. Et propter hoc dicit Augustinus octavo de Civitate Dei [1], quod « Deus est causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi ».

Explicatur dictum Augustini.

18. Quod autem dicatur *ratio intelligendi*, sane intelligendum est, non quia sit intelligendi ratio *sola*, nec *nuda*, nec *tota*. — Si enim esset ratio *sola*, non differret cognitio scientiae a cognitione sapientiae, nec cognitio in Verbo a cognitione in proprio genere. — Rursus, si esset ratio *nuda* et aperta, non differret cognitio viae a cognitione patriae, quod quidem falsum est, cum illa sit *facie ad faciem*, haec autem *per speculum* et *in aenigmate* [2]; quia nostrum intelligere secundum statum viae non est sine phantasmate. — Postremo, si esset ratio *tota*, non indigeremus specie et receptione ad cognoscendas res; quod manifeste videmus esse falsum, quia, amittentes unum sensum, necesse habemus amittere unam scientiam [3]. Unde licet anima secundum Augustinum connexa sit legibus aeternis, quia aliquo modo illud lumen attingit secundum *supremam aciem intellectus agentis* et superiorem portionem rationis; indubitanter tamen verum est, secundum quod dicit Philosophus [4], cognitionem generari in nobis via sensus, memoriae et experientiae, ex quibus colligitur *universale* in nobis, quod est principium artis et scientiae. Unde quia Plato [5] totam cognitionem certitudinalem convertit ad mundum intelligibilem sive idealem, ideo merito reprehensus fuit ab Aristotele; non quia male diceret, ideas esse et aeternas rationes, cum eum in hoc laudet Augustinus [6]; sed quia, despecto mundo sensibili, totam certitudinem cognitionis reducere voluit ad illas ideas; et hoc ponendo, licet videretur stabilire viam *sapientiae*, quae procedit secundum rationes aeternas, destruebat tamen viam *scientiae*, quae procedit secundum rationes creatas; quam viam Aristoteles e contrario stabilielat, illa superiore neglecta. Et ideo videtur, quod inter philosophos datus sit Platoni sermo *sapientiae*, Aristoteli vero sermo *scientiae*. Ille enim principaliter aspiciebat ad superiora, hic vero principaliter ad inferiora.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Notandum de Platone et Aristotele.

Item de Augustino.

19. Uterque autem sermo, scilicet sapientiae et scientiae, per Spiritum sanctum datus est Augustino, tanquam praecipuo expositori totius Scripturae, satis excellenter, sicut ex scriptis eius apparet. — Excellentiori vero modo fuit in Paulo et Moyse, in uno tanquam in ministro *legis figurae*, in altero vero sicut in ministro *legis gratiae*. De Moyse namque dicitur Actuum septimo [7], quod fuit *eruditus in omni sapientia Aegyptiorum*; et rursus, in monte dictum est ei [8]: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* — De Paulo vero, sicut ipsemet dicit, quod cum inter simplices non ostenderet se *scire nisi Christum Iesum, et hunc crucifixum*; tamen *sapientiam* loquebatur *inter perfectos*, sicut dicitur prionae ad Corinthios secundo [9]. Hanc autem sapientiam ipse didicit, quando usque ad tertium caelum raptus fuit, secundae ad Corinthios duodecimo [10]. — Excellentissime autem fuit in Domino nostro Iesu Christo, qui fuit principalis legislator et simul perfectus viator et comprehensor; et ideo ipse solus est principalis magister et doctor.

De Moyse et Paulo.

Conclusio de Christo.

20. Hic igitur tanquam principalis magister est principaliter *honorandus, audiendus, interrogandus*. — Principaliter namque *honorandus* est, ut sibi attribuatur *dignitas magisterii*, Matthaei vigesimo tertio [11]: *Nolite vocari Rabbi; unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis.* Sibi autem vult dignitatem magisterii reservare, secundum illud Ioannis decimo tertio [12]: *Vos vocatis me, magister et Domine; et bene dicitis, sum etenim.* — Honorandus est autem non solum *vocaliter* in locutione, sed etiam *realiter* in imitatione; propter quod subdit: *Si ergo ego lavi pedes vestros* etc.; quia, sicut dicitur Lucae decimo quarto [13], *qui non venit post me non potest meus esse discipulus.*

Pars II. De officiis Christo praestandis.

Primo est honorandus.

Dupliciter.

21. Est etiam principaliter *audiendus* per humilitatem fidei, secundum illud Isaiae quinquagesimo [14]: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut scium sustentare eum qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam eum quasi magistrum.* Bis dicit *erigit*, quia non sufficit, quod auris nostra erigatur ad *intelligendum*, nisi etiam erigatur ad *obediendum*. Propter quod dicitur Matthaei decimo tertio [15]: *Qui habet aures audiendi audiat.* Christus enim docet nos non tantum verbo, sed etiam exemplo; et ideo non est perfectus audi-

Secundo, audiendus.

Dupliciter.

---

[1] Cap. 4. Editio August. *substantiendi* pro *essendi*, post quod adiicit *et*. Haec distinctio Augustino et Bonaventurae familiaris sumta est ex Platone. Quae sequuntur respondent dictis in Quaest. disp. de scientia Christi, q. 4.

[2] Respicitur I. Cor. 13, 12.

[3] Aristot., I. Poster. c. 14. (c. 18.).

[4] Libr. II. Poster. c. 18. (c. 15.), et I. Metaph. c. 1. Cfr. de septem Donis Spiritus S. collat. 8. n. 14.

[5] Cfr. supra pag. 360, nota 6.

[6] De Civ. Dei, lib. VIII. cap. 6. et 83 Qq. q. 46.

[7] Vers. 22. Vulgata: Et erudiuus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum.

[8] Exod. 25, 40.

[9] Vers. 6: Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Superius respicitur v. 2: Non enim iudicavi, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum.

[10] Vers. 2.

[11] Vers. 8.

[12] Vers. 13. Alius locus est v. 14: Dominus et magister; et vos debetis alter alterius lavare pedes; v. 15: Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

[13] Vers. 27.

[14] Vers. 4. Vulgata omittit *eum* post *ut audiam*.

[15] Vers. 43. Cfr. de Decem Praeceptis, collat. 1. n. 8. seqq.

Digitized by Google

tor, nisi accommodet *intelligentiam* verbis et *obedientiam* factis; propter quod Lucae sexto [1]: *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius.*

Tertio, interrogandus. Non curiose.

22. Est etiam principaliter *interrogandus* per desiderium addiscendi, non sicut *curiosi* et *incredoli*, qui interrogant tentando, Matthaei duodecimo [2]: *Responderunt quidam de Scribis dicentes: Magister, volumus a te signum videre.* Signa quippe viderant et videbant, et tamen adhuc signum quaerebant, ut per hoc ostendatur, quod humana *curiositas* non habet terminum nec meretur perduci ad verum [3]. Unde responsum est eis, quod *signum non dabitur eis nisi signum Ionae prophetae.* — Non hoc modo in-

Sed studiose.

terrogandus est Iesus, sed *studiose*, sicut interrogavit eum Nicodemus, de quo Ioannis tertio [4] dicitur, quod *venit ad Iesum nocte et dixit ei: Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister* etc.; et subditur ibi, quod Iesus aperuit ei mysteria fidei, pro eo quod non quaereret signa virtutis, sed documenta veritatis.

Et quod tria.

23. Interrogandus est autem hic magister de his quae spectant ad *scientiam*, ad *disciplinam* et *bonitatem*, secundum illud Psalmi [5]: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Scientia* namque consistit in notitia veri, *disciplina* in rectitudine mali, *bonitas* in eligentia boni. Primum respicit veritatem, secundum respicit sanctitatem, tertium respicit cari-

De primo.

tatem. — Interrogandus est ergo de his quae spectant ad *veritatem scientiae*, non studio tentandi, sicut tentabant discipuli Pharisaeorum, Matthaei vigesimo secundo [6]: *Magister, scimus, quia verax es* etc. Et quia *mala intentione* quaerebant, ideo responsum est eis: *Quid me tentatis, hypocritae?* Quia vero *quaestionem bonam*, ideo debit responsionem veram: *Reddite ergo quae sunt caesaris caesari; et quae*

De secundo.

sunt Dei, Deo. — Interrogandus est secundo de his quae spectant ad *sanctitatem disciplinae*, sicut interrogabat eum ille adolescens, Marci decimo [7]: *Magister bone, quid faciam, ut vitam aeternam possideam?* Et responsum est ei, quod servaret *mandata*, et si vellet perfectus esse, servaret *consilia*, in quibus consistit perfecta disciplina morum, in cau-

De tertio.

tela eorum quae nos incitant ad peccandum. — Interrogandus est etiam de his quae spectant ad *caritatem benevolentiae*, exemplo Legis doctoris, Matthaei vigesimo secundo [8]: *Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Ait illi: Diliges Dominum Deum tuum ex corde tuo, et ex mente tua* etc., ubi ostendit, quod *plenitudo Legis est dilectio* [9].

Corollarium quoad doctores ministeriales.

24. Haec igitur tria sunt, quae interroganda sunt a Christo tanquam a magistro, et ad quae tota lex Christi est ordinata; et ideo omnis doctrina *ministerialis* doctoris ad haec tria debet ordinari, ut sub illo magistro summo officium magisterii digne possit exsecutioni mandare. — Debet namque ministe-

Primo, quoad veritatem fidei.

rialis magister intendere *scientiae veritatis fidei*, secundum illud primae ad Timotheum secundo [10]: *Veritatem dico et non mentior, doctor gentium in fide et veritate.* Propter quod secundae Petri primo [11]: *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.*

Secundo, quoad sanctitatem disciplinae.

25. Debet etiam intendere *disciplinae sanctitatis* animi, secundum illud secundae ad Timotheum primo [12]: *Positus sum ego* Paulus *in Evangelio praedicator et apostolus, ob quam causam et haec patior;* quia, secundum quod dicitur Proverbiorum decimo nono [13], *doctrina viri per patientiam noscitur.* Sicut Notandum. enim non deret insipientem docere sapientiam, sic non deret impatiendem docere patientiam, nec indisciplinatum docere disciplinam. In moribus enim plus movent exempla quam verba.

Tertio quoad caritatem benevolentiae.

26. Debet etiam intendere *benevolentiae caritatis* Dei et proximi, Ecclesiastae ultimo [14]: *Verba sapientium quasi stimuli et quasi clavi in altum defixi, quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.* Haec, inquam, verba sunt verba divini Notandum. amoris, quae penetrant medullas cordis; et haec dicuntur dari *per magistrorum consilium a pastore uno*, quia, licet amor divinus laudetur et suadeatur per verba multorum, utpote per documenta duorum testamentorum, ab uno tamen solo Verbo spiratur, quod quidem est *pastus* et *pastor* omnium. Et ideo omnia illa verba ab eodem sunt et in idem tendunt; et propterea dicuntur *dari* signanter *per magistrorum consilium*, idem videlicet sentientium. — Et Debent magistri idem docere.

quoniam omnes doctores christianae legis finaliter debent tendere ad vinculum caritatis, ideo debent concordare in suis sententiis. Propter quod Iacobi tertio [15]: *Nolite, fratres, plures magistri fieri;* quod quidem dicit, non prohibendo eos a doni scientiae

---

[1] Vers. 40.

[2] Vers. 38. Vulgata: Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisaeis dicentes etc. Et vers. 39: Qui respondens ait illis: Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi etc.

[3] Curiositatem saepe arguit S. Doctor in Hexaëm.; cfr. collat. 1. n. 8. et 17; 6. n. 19; 17. n. 25; 18. n. 1; 19. n. 3. 4.

[4] Vers. 2.

[5] Psalm. 118, 66.

[6] Vers. 16. 18. 21.

[7] Vers. 17. Vulgata: *percipiam* pro *possideam*.

[8] Vers. 36. 37. Vulgata: Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua etc.

[9] Rom. 13, 10.

[10] Vers. 7.

[11] Vers. 16.

[12] Vers. 11. 12. Vulgata: In quo positus sum ego praedicator et apostolus etc. Ob quam causam etiam haec patior. — Cfr. Hexaëm. collat. 19. n. 3. et n. 20. seqq. et passim.

[13] Vers. 11.

[14] Vers. 11. Vulgata pro primo *quasi* habet *sicut*.

[15] Vers. 1. Vulgata: Nolite plures magistri fieri, fratres mei. — Cfr. Hexaëm. collat. 1. n. 5. 8.

Digitized by Google

communicatione, cum dicat Moyses Numerorum undecimo[1]: *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum?* et primae Petri quarto[2]: *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum* etc.; sed hoc dicit, ut non habeant varias sententias et peregrinas, sed omnes idem dicant, sicut primae ad Corinthios prima[3]: *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.*

27. Nam dissensio sententiarum[4] *ortum habet a praesumtione*, secundum illud Proverbiorum decimo tertio[5]: *Inter superbos semper iurgia sunt;* et *parit confusionem*, primae ad Timotheum ultimo[6]: *Si quis aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi et ei quae secundum pietatem est doctrinae, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum; ex quibus oriantur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, conflictationes hominum mente corruptorum et qui veritate privati sunt.* Ortus et effectus dissensionis.

28. Quoniam ergo haec tria sunt, quae impediunt ad perceptionem veritatis, videlicet *praesumtio* sensuum et *dissensio* sententiarum et *desperatio* inveniendi verum; ideo his obvians Christus dicit: *Unus est magister vester, Christus.* Dicit, inquam, quod Christus est *magister*, ut de nostra scientia non *praesumamus*; dicit, quod *unus*, ne in sensu *dissentiamus*; dicit, quod *vester* est, paratus nobis assistere, ne *desperemus*, maxime cum ipse velit et sciat et possit nos docere, mittendo illum Spiritum, de quo ipse dicit Ioannis decimo sexto[7]: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quod nobis praestare etc. — Explicit. Epilogus. Tria impedimenta percipiendae veritatis.

TRACTATUS

de plantatione Paradisi[8].

Summarium. — *Introductio. Invisibilis Dei sapientia non cognoscitur, nisi oculus mentis manuducatur visibilibus similitudinibus, numero* 1. — *Ita plantatio paradisi terrestris symbolum est paradisi caelestis,* 2. — *Uterque paradisus in sensu tropologico est in anima: caelestis per sublimem et excessivam contemplationem, terrestris per humilis devotionis meditationem suaveam,* 3. — *Primo, de mente contemplativa, quatenus est paradisus* caelestis, *id est caelesti conformis per veritatis lumina et caritatis solatia. Ipsa designatur per mulierem amictam sole, cui luna sub pedibus, et in capite corona duodecim stellarum,* 4. — *Duodecim stellae significant duodecim rerum creatarum lumina,* 5. — *Singula enumerantur,* 6. — *Cautela in his adhibenda, ne duplex malum incurratur,* 7. — *Secundo, de paradiso* terrestri, *cui anima fit conformis per devotionis humilitatem. Influentiae a caelesti hierarchia in subcaelestem; Christus incarnatus est lignum vitae in anima plantatum per Spiritum veritatis et gratiae,* 8. — *Prima plantula paradisi interni est Verbum incarnatum et crucifixum, afferens iugiter duodecim fructus; tamen sunt in eo plantatae aliae arbores praebentes meditationum et devotionis materias,* 9. — *Exhortatio, ut meditando gustentur sapores fructuum harum arborum,* 10. — *Dei sapientia in anima plantavit duodecim radices arborum, id est duodecim materias meditationum,* 11. — *Modum et cautelam in his oportet adhibere,* 12. — *Opportuna est consideratio infernalium tormentorum et hostilium pugnarum,* 13. — *Illarum duodecim considerationum sex principales explicantur,* 14. — *Item, sex aliae ex adverso oppositae; post senas illustrationes anima collocari potest in paradisi quiete,* 15. — *Illae duodecim illuminationes non solum sunt arbores obumbrantes, sed etiam armaturae defendentes lectulum pacifici Salomonis, id est cubiculum animae contemplantis; conclusio,* 16.

1. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat*[9]. — Sicut in Christum pie intendentibus aspectus carnis, qui patebat, via erat Introductio.

---

[1] Vers. 29.

[2] Vers. 10, ubi continuatur: in alterutrum illam ministrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.

[3] Vers. 10.

[4] Cod. *scientiarum.*

[5] Vers. 10. — Cfr. quae contra spiritum contentionis dicuntur Hexaem. collat. 18. n. 3.

[6] Vers. 3. 4. 5.

[7] Vers. 13.

[8] Quatuor praecedentibus sermonibus annectimus hunc tractatulum, secundum formam valde similem sermonibus. — Bonelli hunc tractatulum ex unico sumsit cod. Tiderbino, quem cum iterum cum editione contulimus, invenimus in ipso fere 35 locus, alius et melioris lectionis quam re cepta ab illo. Pauca manifesta vitia iam a Bonelli emendata erant.

[9] Gen. 2, 8. — Quod autem *paradisus* secundum spiritualem et tropologicum intellectum de anima, in qua Christus inhabitat, dicatur, locis Patrum comprobari potest. Bonelli cit.

Per visibilia intelligentia manuducitur ad divina.

ad agnitionem Divinitatis, quae latebat; sic ad intelligendam divinae sapientiae veritatem aenigmaticis ac mysticis figuris intelligentiae rationalis manuducitur oculus. Aliter enim nobis innotescere non potuit invisibilis Dei sapientia, nisi se his quae novimus visibilium rerum formis ad similitudinem conformaret et[1] per eas nobis sua invisibilia, quae non novimus, significando exprimeret; sicut etiam contestatur Apostolus ad Romanos[2]: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et beatus Dionysius, in libro de Angelica Hierarchia[3]: « Neque possibile, inquit, aliter supersplendere thearchicum radium[4] nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum et his quae secundum nos, providentia paterna connaturaliter et familiariter praeparatum ». Sacra autem velamina sunt mysticae in sacro Eloquio descriptiones[5], quibus divinus radius circumvelatur et obumbratur, ut nostris contemperetur aspectibus, quatenus ipsa obumbratio nostra sit illuminatio[6], et sua circumvelatio nostra sit elevatio ac supermundialium revelatio arcanorum.

Considerantur duplex paradisus in sensu litterali.

2. Inter haec autem sacra velamina et similitudinaria symbola circa primordia sacrae Scripturae plantatio paradisi nobis considerandi proponitur. Sicut enim in machina mundiali duae sunt partes, caelum videlicet et terra; sic et duplex eius mansio, duplex etiam ornatus[7] hierarchicus, duplex nihilominus paradisus, *caelestis* videlicet et *terrestris*. De

Caelestis.

caelesti quidem dicit Apostolus[8]: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi usque ad tertium caelum. Et scio huiusmodi hominem, sive in corpore sive extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.* De paraliso vero *terrestri* oportet intelligi quod in Ecclesiastico dicitur: *Henoch placuit*

Terrestris.

Deo et translatus est in paradisum, ut det gentibus sapientiam.

Item in anima duplex, secundum tropologicum.

3. Iuxta duplicem hanc litteralem intelligentiam *paradisi* duplex est etiam ipsius secundum moralitatem spiritualis et tropologicus intellectus; ut videlicet *caelestis* paradisus in anima dicatur sublimis *contemplationis excessiva satietas, terrestris* vero humilis *devotionis refocillativa suavitas.* Ratione quorum duorum ad animam devotam dicitur a sponso in Cantico cantirorum[9]: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* — Veritatis siquidem Spiritus, qui nihil in Scriptura ponit superfluum, id ipsum iterando bis replicat, ut manifeste declaret, quod anima, quae *sponsa* vocari meretur, similiter et *terrestris* paradisi designatur nomine ac *caelestis: terrestris* quidem propter sapientialium[10] irrigationum exuberantiam ac fecundarum pullulationum viriditatem, suavium pariter et pulcrarum; *caelestis* vero ratione supersplendentium *illuminationum* ac supernaturalium et arcanorum *excessuum*[11]; ratione quorum Apostolus primo se dicit raptum usque ad *tertium caelum* et deinde raptum in *paradisum;* quia prius erigitur animus ad contuendum caelestium luminum claritatem, quam in suavissimae refectionis rapiatur excessum.

Explicatur.

Ile anima, ut est paradisus caelestis.

4. Et quoniam *veritatis lumina* splendida praeambula sunt ad *caritatis solatia* excessiva, libro mens contemplativa, caelestium luminum adornata fulgoribus, per illam designatur mulierem perfulgidam, de qua in Apocalypsi[12] magnus ille contemplator Ioannes signantissime loquitur. *Signum*, inquit, *magnum apparuit in caelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona duodecim stellarum.* Haec, inquam, *mulier*, mens scilicet charismatibus repleta divinis sacrisque fecundata virtutibus, *amicta* dicitur *sole* propter contemplationem

Figura eius.

Explicatio.

Ambros., de Paradiso, c. 1. n. 6: Si paradisus est, in quo erant exorta virgulta, videtur paradisus anima esse, quae multiplicat semen acceptum, in qua virtus unaquaeque plantatur, in qua etiam erat lignum vitae etc. Ibid. c. 3. n. 12: Est ergo paradisus terra quaedam fertilis, hoc est anima fecunda, in Eden plantata, hoc est in voluptate quadam vel exercitata terra, in qua animae sit delectatio etc. Ipse Bonav. pluries idem docet; cfr. supra Hexaëm. collat. 17. n. 5, et Comment. in Lucam, c. 23, 43, ubi enumerat praeter hunc sensum spiritualem plures alios.

[1] Bonelli *ut.*

[2] Cap. 1, 20: Invisibilia enim ipsius a creatura etc.

[3] Cap. 4. § 2. Versio Scoti: Neque possibile est, aliter lucere nobis divinum radium nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum et his quae secundum nos sunt, providentia paterna connaturaliter et proprie praeparatum.

[4] De Hierarchico radio cfr. Hexaem. collat. 3. n. 32.

[5] Cfr. Hexaëm. collat. 13. et 14.

[6] Cfr. Breviloq. p. V. c. 6. in fine.

[7] In cod., pro quo Bonelli substituit *hortus.* Sed lectio codicis explicari potest. Nam triplicem hierarchiam: divinam, angelicam et ecclesiasticam, S. Doctor comparat *soli, lunae* et *stellis,* quibus Deus mundum *ornavit* (cfr. Breviloq. p. II. c. 2.). Hinc in Breviloq. Prolog. § 3. distinguitur pulcritudo triplex *supernaturalis*, scilicet una « longe maior in Ecclesia pulcritudine sanctorum charismatum *adornata*, maxima autem in Ierusalem superna, supermaxima autem in illa Trinitate summa et beatissima ». Cfr. etiam Hexaëm. collat. 20. n. 2. et 13.

[8] Epist. II. Cor. 12, 2-4: Scio... quatuordecim, sive in corpore nescio, sive etc. — Seq. locus est Eccli. 44, 16: Henoch... ut det gentibus poenitentiam.

[9] Cap. 4, 12. 13. — Distinctio *sublimis contemplationis*, quae per gradus elevatur usque ad aeternales excessus et illam altissimam contemplationem, quae vocatur *oratio in caligine*, ab oratione et meditatione devota et humili, docetur in toto Itinerario mentis in Deum, praesertim Prolog. n. 3. 4, c. 4. n. 4, 8. et c. 7.

[10] Pro *sapientialium* Bonelli *imaginationum.* — Subtile de *pullulationibus* cfr. Hexaëm. collat. 17. n. 9. seqq.

[11] Cfr. Hexaëm. collat. 18. n. 4.

[12] Cap. 12. 1. — Pro *in Apocalypsi* Bonelli *in proposito.*

Digitized by Google

beatissimae Trinitatis *vigentis, splendentis* et *calentis*[1] ipsamque se contemplantem animam, eius vigorando memoriam, illustrando intelligentiam, inflammando voluntatem, in se rapientis et transformantis ac per hoc vestientis et adornantis; ut sic, soli aeterno effecta consimilis, veraciter sub solari specie describatur, Ecclesiastico attestante, qui ait: *Sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus suae.* Haec, inquam, mulier *lunam* describitur *habere sub pedibus*, propterea quia mundanam atque animalem[2] sapientiam velut vanam et stultam despicit et conculcat. Quae recte designatur per *lunam* propter sui mutabilitatem admixtamque caliginem, iuxta illud Ecclesiastici: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, nam stultus ut luna mutatur.*

5. Recte autem huiusmodi mens *corona stellarum duodecim* adornata signatur, quia, licet sit ei summe delectabile atque desideratile, intellectualibus oculis *solem* illum aeternum incessanter conspicere; quamdiu tamen carni corruptibili[3] iungitur, ratione scilicet alternantium affectionum atque phantasmatum[4], temporalibus transmutationibus omnino carere non potest. Ideo, sicut sol iste visibilis non semper est in eodem signo stellarum, sed in circulo anni duodecim signa stellifera circulariter peragrat; sic necesse est huiusmodi animae contemplanti, ne a splendoribus lucis aeternae procul abscedat, universitatis luminum creatorum circumlustrari fulgoribus. Quae instar stellarum duodecim ad duodenarium reducuntur et quasi coronam efficiunt[5], ut sic *revelata facie gloriam Domini* contemplans et speculans, *a claritate in claritatem transformetur tamquam a Domini spiritu.*

Continuatur.

Stellis et respondent contemplationes.

6. Et quasi prima stella sit clara consideratio *corporalium naturarum;* secunda vero, *spiritualium substantiarum;* tertia, *intellectualium scientiarum;* quarta, *affectualium virtutum;* quinta, *institutarum divinitus legum;* sexta, *infusarum caelitus gratiarum;* septima, *irreprehensibilium iudiciorum;* octava, *incomprehensibilium misericordiarum;* nona, *remunerabilium*[6] *meritorum;* decima, *remunerantium praemiorum;* undecima, *militantium ordinum;* duodecima, *triumphantium exercituum*, tam Angelorum quam hominum beatorum. Sicque tam varia luminum multiformitate facta, mirabiliter a filiabus Ierusalem non immerito commendatur; in quarum persona dicit Spiritus sanctus in Cantico canticorum: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*

Singulae commendantur.

7. Cavendum autem[7] summopere animae sic fulgenti, ne in huiusmodi circulationibus luminum mundanae sapientiae obscuratas opacitas, per curiositatem instar lunae in zodiaco vagando se gyrans in *capite* vel *cauda* draconis[8] — hoc est in *praesumtionis elatumem*, quae spiritualis draconis est *caput*, vel in *erroris fraudem*, quae ipsius est *cauda*, degenerans — inter solis aeterni praefulgidos radios ac mentalis aciei perspicaces interponatur obtutus. Sic enim spiritualem eclipsim rationalis intelligentia patitur et ad modum praevaricantis luciferi a caelesti luce in infernales tenebras corruit, dum ab aeternitate in tempus, a veritate in mendacium, a caritate in amorem privatum, ac per hoc a sapientia in insipientiam cadit; quemadmodum illis alta[9] sapientibus accidit, de quibus scribit Apostolus ad Romanos: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt; qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium et coluerunt et servierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula,* Deus. *Amen.*

Caveendum a duplici malo.

8. Quoniam autem praesentis est operis non sapientes et prudentes instruere, sed tantum eis *occasionem* cogitandi *praebere*[10]; praecipue vero ad id fertur intentio, *ut detur parvulis intellectus*, vel potius, ut in eis excitetur affectus: ideo ab illustrationibus caeli descendendum est ad plantulas paradisi. Sicut enim *contemplationis sublimitas* suaviter delectans reddit animam paradiso *caelesti* conformem; sic et paradiso *terrestri devotionis humilitas* salubriter refocillans. Et quemadmodum caelestium luminarium influentiae multiformes causae sunt pullulationum terrestrium; sic et spiritualiter a caelesti hierarchia in subcaelestem et militiarum splendores et deliciarum suavitates miro modo descendunt, non solum per ministerium Angelorum, verum etiam per Verbum incar-

De mina, et est paradisus terrestris.

Influentiae a caelesti hierarchia.

---

[1] Cfr. Hexaëm. collat. 21. n. 2. et seqq., ubi late haec exponuntur. — Mox pro *adorantis; ut sic, soli* Bonelli: *adorantis. Et sic soli*, et subinde *describatur* pro *describitur*. — Locus Eccli. est cap. 26, 21: Sicut... domus eius.

[2] Alludit ad illud Iacobi 3, 15: Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. — Locus Eccli. est cap. 27, 12: Homo... stultus sicut luna mutatur. — Cfr. Hexaem. collat. 20. n. 13. seqq., ubi comparatur Ecclesia militans lunae, et n. 28. signo mulieris in Apocalypsi, 3, 18, sed paulo aliter.

[3] Bonelli *corruptibiliter*.

[4] Vide infra n. 15.

[5] Idem docet auctor Hexaem. collat. 22. n. 39. 40, ubi etiam quae sequuntur iisdem fere verbis referuntur. — Seq. locus est II. Cor. 3, 18.

[6] Ita recte Bonelli, et etiam Hexaem. collat. 22. n. 40; cod. *irremuneratalium*. — Locus Cant. est cap. 6, 9.

[7] Bonelli: *tamen*. — Idem subinde *vagans* pro *vagando*, et mox *et in erroribus* pro *vel in erroribus*.

[8] Hexaem. collat. 22. n. 41. 42, ubi diffusius idem dicitur.

[9] Pro *alta* Bonelli *altus*. — Locus Scripturae est Rom. 1, 21. 22. et 25. Pro *in saecula Deus. Amen* Bonelli: *in saecula saeculorum. Amen*, Vulgata: *in saecula. Amen.* — De praecedentibus cfr. Hexaem. collat. 22. n. 2. Breviloq. Prolog. § 3.

[10] Prov. 9, 9: Da sapienti occasionem etc.; et ibid. 1, 4: Ut detur parvulis astutia, adolescenti... intellectus.

natum et ligno crucis affixum. Quod cum sit ut[1] increatum et Patri consubstantiale *fons sapientiae in excelsis*; est tamen ut carni unitum et natum de Virgine in ipsum veraciter credentibus, sperantibus et amantibus *lignum vitae*[2]. Ipsumque in nobis plantat et nos illi romplantat[3] Spiritus veritatis et gratiae, iuxta illud Ecclesiastici: *Ego quasi* fluvius Dorix *et* quasi *aquaeductus exivi de paradiso; dixi: rigabo hortum plantationum* mearum *et inebriabo prati mei fructum*. Spiritus enim sanctus primo quidem nos rigat per gratiam[4], deinde inebriabit per gloriam. Et sicut nunc per gratiae donum nos illi complantat[5], sic per donum gloriae transplantabit, secundum illud Apostoli: *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus.*

Christus lignum vitae.

Duplex plantatio.

9. Prima igitur atque praecipua planta in paradiso mentis humanae Verbum est *incarnatum* ac *crucifixum*, Iesus Christus videlicet, Filius Dei vivi, qui latroni sibi complantato, utpote in ipsum credenti, ipsum confitenti, ipsi etiam in cruce commorienti liberaliter dixit: *Hodie mecum eris in paradiso*[6]. In cuius mysticam designationem post verbum prius propositum signanter adiungitur: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave: lignum etiam vitae in medio paradisi, lignum* quoque *scientiae boni et mali.* Licet enim huius ligni vitae fructus vivificus principaliter proponeretur homini ad edendum tanquam restauratives radicalis humoris[7]; nihilominus tamen ad ipsius solatium producta sunt et alia ligna in circuitu ligni vitae; quatenus varietate fructuum, multiformium pulcritudinum et saporum vitaret homo fastidium, quod accidere solet per conversionem ad unum, et haberet oblectamentum, quod ex varietate atque innovatione consurgit in spiritualium notitia sensuum per experientiam multiformium obiectorum. Per hunc etiam modum, licet animae devotae sufficere possit Christus Iesus, et hic crucifixus, secundum duodecim fructus, quos illud beatissimum lignum vitae ingiter affert, sicut ex praecedentibus liquet; ad vitandum tamen fastidium et dandum solatium huiusmodi animae, proposuit Deus et alias meditationum materias[8] tanquam arbores fructuosas, quibus reficiatur humanae mentis devotio et his multis multiformiter exerceatur; ut tandem in illo uno illius ligni fructu finaliter conquiescat et eo feliciter perfruatur.

Aliae etiam sunt plantae fructiferae.

Notandum.

10. Propterea quicumque devotus es animus, si non vales velut vir angelicus atque hierarchicus[9] more contemplantis supra dictarum irradiationum caelestium irreverberatis oculis contineri fulgores; saltem sicut adhuc animalis et parvulus pisciculus recogitando meditteris, meditando mastires, masticando degustes saporis varios fructuum ex his ligni procedentium, quae Dei sapientia multiformis in corde tuo plantavit tanquam in hortulo paradisi, ut merito tibi illud sponsae possit aptari: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.*

Exhortatio ad gustandum hos fructus.

11. Attende, inquam, quoniam ipsa Dei sapientia multiformis, circumquaque irradians quasi duodecim distinctionibus spiritualium illustrationum duodecim in te plantat radices arborum, hoc est duodecim materias salutarium considerationum, illustrans te *ab intra* per interna spectacula, illustrans te *ab extra* externa per vestigia, illustrans te *a supra* superna per promissa, illustrans te *ab infra* aeterna per tormenta, illustrans te *antrorsum* directa per praecepta, illustrans te *retrorsum* districta per iudicia, illustrans te *dextrorsum* benigna per solatia, illustrans *sinistrorsum* severa per flagella, illustrans *e vicino* per civium praesidia, illustrans[10] *e longinquo* per hostium certamina, illustrans *in propatulo* per gratiarum dona, illustrans *in occulto* per figurarum signa[11].

Decemetur 12 radices arborum.

12. Quae omnia si cum fide recogites et cum devotione perfractes et ruminies, vere efficieris *hortus voluptatis*, multiformium pullulationum germinationibus ingiter vernans, ab ipsa videliret Dei sapientia plantatus pariter et rigatus; si[12] cum his omnibus anteponatur fructus *ligni vitae*, et caveatur esus *scientiae boni et mali*; hoc est curiositas cognoscendi cum ambitione excellendi[13] et appetentia oblectandi, quae suggestione serpentis antiqui inter praedictas speculationes per inferiorem rationis por-

Effectus, modus et cautela in hac.

---

[1] Pro *ut* Bonelli *Verbum*. — Respicitur Eccli. 1, 5.

[2] Cfr. Hexaëm. collat. 1. n. 17; 3. n. 2. seq. et Breviloq. p. IV. c. 4.

[3] Bonelli hic inserit *Verbum inspiratum sive*. — Locus Eccli. est cap. 24, 41. 42: Ego quasi fluvi Dorex et sicut aquae... hortum meum plantationum et etc. Cfr. tom. I. pag. 2, nota 8.

[4] Cfr. Hexaëm. collat. 17. n. 5.

[5] Bonelli omittit *non illi complantat*. — Locus Script. est Rom. 6, 5.

[6] Luc. 23, 43. — Seq. locus est Gen. 2, 9: Produxit... lignumque scientiae etc.; cfr. Hexaëm. collat. 17. n. 4.

[7] Cfr. II. Sent. d. 19. a. 2. q. 2. — Mox post *ligni vitae* Bonelli prosequitur: *Et hoc quatenus*. De seqq. vide Hexaëm. collat. 17. n. 27.

[8] Bonelli sic: materias. *Proposuit, inquam, tanquam* etc. — Quasi verba superius posita: *sicut ex praecedentibus liquet*, notandum, hoc tantum in genere dictum esse, quia praecise *duodecim fructus* non commemoravit, sed *duodecim stellas*. Diffuse explicantur hi duodecim fructus Hexaëm. collat. 18. n. 2. 7. seqq., et in opusculo *Lignum vitae*, in praefatione.

[9] Cfr. Itiner. mentis in Deum, cap. 4. n. 4. — Subinde Bonelli omittit *caelestium*. — Locus Script. est Cant. 4, 12. 13.

[10] Bonelli: illustrans te e longinquo... illustrans te in propatulo... illustrans te in occulto.

[11] Similiter auctor de his et seqq. loquitur Hexaëm. collat. 17. n. 8. seqq.

[12] Bonelli: *Si etiam cum*, et mox: *caveatur esus ligni scientiae*.

[13] Cfr. Hexaëm. collat. 18. n. 3. — Post pauca pro *ingeritur* Bonelli *iungitur*, et subinde *incaute* pro *incautus*.

tionem superiori, quasi per mulierem viro, ingeritur, studiosius evitetur. Nam si serpenti promittenti divinam scientiam assentiat quis incautus, ut in his magis appetat scire quam sapere, magis reputari quam refici, magisque fastu gloriari quam fructu gaudere; statim innascitur libido verenda, deordinans et denudans, per quam sententia mortis incurritur et divinae similitudinis amisso decore, praevaricatrix anima, bestialis effecta, tanquam indigna ligni vitae fructu salvifico refici, a paradisi deliciis propulsatur [1].

De consideratione poenarum et poenarum.

13. Nec cuiquam videatur absurdum, quod consideationem infernalium tormentorum et pugnarum hostilium inter ligna paradisi praeduximus collocanda; quasi quis infernum aut infernales cives introducat intra [2] limites paradisi. Licet enim malum culpae vel poenae nullatenus, nec in caelo nec in terra, paradisi status admittat; considerationes tamen eorum ad degustandam ineffabilium miserationum dulcedinem et inscrutabilium iudiciorum suavitatem non modicum conferunt tam viatoribus quam Beatis. *Iudicia* enim *Domini vera* et *iustificata in semetipsa, desiderabilia* sunt *super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum*. Quid est autem, quod animabus devotis magis faciat sapere Christum Iesum, et hunc crucifixum, quam quod per eum liberatas se credunt et se cernunt ab immanium tyrannide hostium et infernalium aeternitate poenarum? Iuxta quod Propheta decantat [3]: *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo et glorificabo nomen tuum in aeternum; quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

Harum duodecim seu principales explicantur.

14. Harum igitur considerationum duodecim per quaedam antitheta seu contrapositiones dispositarum sex sunt principales, quibus scilicet anima convertitur ad *interiora, superiora, anteriora, dextra, propinqua* pariter et *aperta*, ut videlicet primo cognoscat *semetipsam*; deinde *gloriam*, ad quam facta est; tertio vero [4] *viam*, per quam ad illam perveniat; quarto *solatia*, per quae fovetur; quinto *praesidia*, per quae defenditur; sexto *charismata*, per quae adornatur. — Inter quas primam inter omnes ponimus *considerationem sui ipsius*; nam intellectualis oculus [5] primo natus est inspicere *semetipsum*. Quod insinuat Sponsus in Cantico, cum animam volentem contemplari sublimia increpat et reflectit considerationem ipsius in semetipsam. Nam cum desiderio requirenti: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, cum increpatione respondet: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum et pasce hoedos tuos iuxta tabernacula pastorum;* quasi diceret: si vis cognoscere me, prius incipias a te ipsa, quae facta es ad imaginem et similitudinem Trinitatis [6]. Sicque a consideratione sui erigitur ad *divina*, et per promissa *praemia* inducitur ad *praecepta*, a quibus ne declinet, ostenduntur ei *solatia, praesidia* et *dona* sibi caelitus inspiranda.

Item, sex aliae ex adverso.

15. Verum quia mens frequenter a phantasmatibus [7] praepedita non valet in his mentales oculos pro voto ingiter figere; ideo proponuntur sex considerationes aliae ex adverso, ut qui non potest *interius* commorari, ad *exteriora* se conferat; et qui non valet ad *superiora* conscendere, descendat ad *ima;* et qui non praevalet in *anteriora* protendi, *posteriora* formidet; et cui *solatia* divina non sapiunt, saltem *flagella* pavescat; et qui civium non attendit *praesidia*, hostium perpendat *insultus;* et qui *charismata* spiritualia contueri tanquam animalis non potest, saltem horum speculetur *sensibilia signa* tanquam exterius sibi proposita sacramenta [8]. Sicque fiant vicissitudines luminarium matutinorum et vespertinorum in hemisphaerio mentis nostrae [9], quatenus, sicut Deus sex diebus mundum hunc sensibilem condidit et ornavit, sic spiritum rationalem senis vicissitudinibus illustrationum illuminet et adornet; ut post sextam diem collocetur in paradiso, in quo per contemplationem quiescens et dormiens, ad spiritualis connubii perducatur arcanum, ubi vere absconduntur, tanquam thesauri sapientiae et scientiae, copiae multiformes atque spirituales et inaestimabiles deliciae paradisi [10].

Hae illuminationes sunt etiam armaturae.

16. Porro, ut in intimis Christi Iesu crucifixi conquiescat securius, supra dictae illuminationes duodecim [11] non solum proponuntur sicut *arbores obumbrantes*, verum etiam sicut *armaturae defensantes* ac munientes *lectulum pacifici Salomonis*. Nam si

---

[1] Cfr. Hexaem. collat. 19. n. 1.

[2] Bonelli *inter*, et deinde: Licet enim nec malum culpae neque poenae ullatenus nec in caelo neque in terra. — Locus Scripturae est Ps. 18, 10. 11: Iudicia Domini vera, Iustificata... desiderabilia super etc.

[3] In cod. excidit *quod*, necessario supplendum, vel pro *quam* cum Bonelli ponendum *nisi quia*. — Locus Scripturae est Ps. 85, 12. 13.

[4] Bonelli omittit *vero*. — Doctrina n. 14-16. exposita diffusius et alio ordine exponitur Hexaem. collat. 17. n. 8. 26. et collat. 18. n. 13-25, ita tamen, ut magis videatur esse utriusque opusculi idem auctor libere suis utens, quam alius auctor aliena serviliter exscribens.

[5] Quem *oculum rationis* vocat in Itiner. mentis in Deum, c. 3. n. 1. De triplici oculo vide Breviloq. p. II. c. 12. — Locus Scripturae est Cant. 1, 6. 7. — Mox pro *a te ipsa* Bonelli *a temetipsa*.

[6] Cfr. Itiner. mentis in Deum, c. 3; I. Sent. d. 3. p. II. n. 1; II. Sent. d. 16. per totam.

[7] Bonelli adiungit *aliisque*, et post pauca pro *praevalet* exhibet *se valet*, et subinde *protendere* pro *protendi*.

[8] Cfr. Itiner. mentis in Deum, c. 2. n. 12. in fine, et praecipue Hexaëm. collat. 11. n. 13-14.

[9] Hac eadem metaphora auctor utitur in Hexaëm. collat. 20. n. 9. — De istis sex gradibus, quibus venitur ad diem requiei, idem docetur Itiner. mentis in Deum, c. 6. n. 7. et c. 7. n. 1.

[10] De huiusmodi deliciis paradisi cfr. II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3.

[11] Supra n. 10. infra alluditur ad Cant. 3, 7.

Digitized by Google

praedictae illuminationes duodecim per quinque sensus spirituales ducantur, ad sexagenariam perveniunt numerum[1]. Quo quidem numero fortium circumcingi oportet cubiculum animae contemplantis[2], quae iam post inventionem sponsi cum ipso in intimis conquiescit, iuxta illud Cantici: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae et in cubiculum genitricis meae. Adiuro vos, filiae Ierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Et quoniam tranquillitatem concomitatur suavitas[3], ideo subditur: *Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii?* Insuper, quia hanc animi tranquillitatem et gaudii suavitatem concomitari debet custodiae firma securitas, propterea sequitur: *En, lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi.*

Cubiculum animae.

Abiectis itaque operibus *tenebrarum, induamur arma lucis*, ut *sicut in die honeste ambulemus*[4] et in noctibus internarum quietudinum suaviter ac secure pausare[5] possimus. Amen.

Epilogus.

EXPLICIUNT SERMONES SELECTI.

---

[1] Quo numero perfectio designatur; cfr. S. Gregor., II. Homil. in Ezech. hom. 5. n. 12. et August., 83 Qq. q. 55, ubi 60 ad spiritualia, 80 ad terrena refert.

[2] Cfr. S. Gregor., VII. Moral. c. 21. n. 24. — Locus seq. est Cant. 3, 4. 5, et subinde 6. et 7.

[3] Bonelli: Et quoniam animi tranquillitatem concomitatur gaudii suavitas.

[4] Rom. 13, 12. 13: Abiiciamus ergo opera tenebrarum... lucis. Sicut in die etc.

[5] Cfr. Breviloq. p. V. c. 6. in fine.

Digitized by Google

INDEX OPUSCULORUM THEOLOGICORUM

QUAE SUNT IN QUINTO TOMO

Praefatio . . . . . *pag.* I.

Prolegomena in V. tomum

Cap. I. In Quaestiones disputatas de scientia Christi et de mysterio Ss. Trinitatis . . . » III.

II. In Quaestiones disputatas de perfectione evangelica . . . . . » VI.

III. In Breviloquium . . . . . » XV.

IV. In Itinerarium mentis in Deum . . . » XXVI.

V. In opusculum de Reductione artium ad theologiam . . . . . » XXXIII.

VI. In Collationes in Hexaëmeron . . . . » XXXVI.

Cap. VII. In Collationes de septem donis Spiritus S. *pag.* XL.

VIII. In Collationes de decem praeceptis . . » XLII.

IX. In Sermones selectos de rebus theologicis. » XLV.

X. De quibusdam opusculis non genuinis . » XLVII.

XI. De variis editionibus parvorum opusculorum S. Bonaventurae . . . . . » LII.

XII. Antiquiores indiculi et catalogi operum S. Bonaventurae . . . . . » LV.

Elenchus codicum in his opusculis edendis a nobis collatorum. In fine imago expressa (facsimile) duarum paginarum eiusdem codicis . . . » LXII.

QUAESTIONES DISPUTATAE.

DE SCIENTIA CHRISTI.

Quaest. I. Utrum scientia Christi, secundum quod est Verbum, actu se extendat ad infinita *pag.* 3

II. Utrum Deus res cognoscat per similitudines rerum, an per earum essentiam . » 6

III. Utrum Deus res cognoscat per similitudines realiter differentes . . . . . » 10

IV. Utrum quidquid a nobis certitudinaliter cognoscitur cognoscatur in ipsis rationibus aeternis . . . . . » 17

V. Utrum anima Christi fuerit sapiens tantum sapientia increata, an etiam sapientia creata cum increata . . . . . » 27

VI. Utrum anima Christi comprehendat ipsam sapientiam increatam . . . . . » 32

VII. Utrum anima Christi comprehendat omnia, quae comprehendit sapientia increata . » 37

DE MYSTERIO TRINITATIS.

Quaestio I.

De certitudine, qua existentia Dei cognoscitur, et de fide, qua eiusdem Trinitas creditur.

Art. I. Utrum Deum esse sit verum indubitabile . . » 45

II. Utrum Deum esse trinum sit verum credibile » 51

Quaestio II.

Utrum possit simul stare trinitas personarum cum naturae unitate.

Art. I. Utrum divinum *esse* sit summe unum . . . » 59

II. Utrum unitas naturae possit simul stare cum trinitate personarum . . . . . » 63

Quaestio III.

Utrum simul stent trinitas et summa simplicitas.

Art. I. Utrum divinum *esse* sit simplicissimum . *pag.* 68

II. Utrum possint simul stare trinitas et summa simplicitas . . . . . » 73

Quaestio IV.

Utrum trinitas stet cum summa infinitate.

Art. I. Utrum divinum *esse* sit infinitissimum . . . » 79

II. Utrum possint stare simul trinitas et infinitas » 84

Quaestio V.

Utrum personarum trinitas simul stet cum summa aeternitate.

Art. I. Utrum divinum *esse* sit aeternum . . . . » 86

II. Utrum simul stent trinitas et aeternitas. . . » 93

Quaestio VI.

Utrum trinitas possit stare cum summa immutabilitate.

Art. I. Utrum *esse* divinum sit immutabile. . . . » 97

II. Utrum simul stent trinitas et summa immutabilitas . . . . . » 102

Quaestio VII.

Utrum possit stare trinitas cum summa necessitate.

Art. I. Utrum *esse* divinum sit summe necessarium. » 106

II. Utrum stent simul trinitas et summa necessitas » 109

Quaestio VIII.

Utrum possit simul stare trinitas cum summa primitate. . . . . . » 112

DE PERFECTIONE EVANGELICA.

Quaestio I.

De humilitate quoad actum ipsius, utrum scilicet christianae perfectionis sit se ipsum vilificare pro Christo. » 117

Digitized by Google

QUAESTIO II.

De paupertate.

ART. I. De paupertate quoad abrenuntiationem . pag. 125
II. De paupertate quoad mendicitatem . . . . » 134
III. Utrum pauperes validi, et maxime regulares, ad opera manualia universaliter sint astricti » 156

QUAESTIO III.

De continentia.

ART. I. De pudicitia coniugali . . . . . » 166
II. De continentia viduali servanda et vovenda . » 171
ART. III. De sanctimonia virginali . . . . . pag. 175

QUAESTIO IV.

De obedientia.

ART. I. Utrum sit consonum iuri naturali, quod homo obediendo subiaceat alteri . . . . . » 179
II. Utrum sit consonum evangelicae perfectioni, quod unus se astringat voto ad obediendum alteri. . . . . » 183
III. De obedientia summo Pontifici debita . . . » 189

BREVILOQUIUM.

PROLOGUS . . . . . pag. 201
§ 1. De latitudine sacrae Scripturae . . . . . » 202
» 2. De longitudine sacrae Scripturae . . . . . » 203
» 3. De sublimitate sacrae Scripturae . . . . . » 204
» 4. De profunditate sacrae Scripturae . . . . . » 205
» 5. De modo procedendi ipsius sacrae Scripturae . » 206
» 6. De modo exponendi sacram Scripturam . . . » 207

Pars I.

De Trinitate Dei.

CAP. I. De illis septem, de quibus est theologia, in summa . . . . . » 210
II. Quid tenendum est de trinitate personarum et unitate essentiae . . . . . » ib.
III. De istius fidei intelligentia sana . . . . » 211
IV. De istius fidei expressione catholica . . . » 212
V. De unitate divinae naturae in multiformitate apparitionum . . . . . » 213
VI. De unitate divinae naturae in multiplicitate appropriatorum . . . . . » 214
VII. De omnipotentia Dei . . . . . » 215
VIII. De Dei sapientia, praedestinatione et praescientia . . . . . » 216
IX. De voluntate Dei et providentia . . . . » 217

Pars II.

De creatura mundi.

CAP. I. De productione mundi totalis . . . . . » 219
II. De natura corporali quantum ad *fieri* . . » ib.
III. De natura corporali quantum ad *esse* . . » 220
IV. De natura corporali quantum ad *operari* et *influere* . . . . . » 221
V. De modo describendi praeclara in sacra Scriptura . . . . . » 222
VI. De productione superiorum spirituum . . » 224
VII. De apostasia daemonum . . . . . » ib.
VIII. De confirmatione bonorum Angelorum . . » 225
IX. De productione hominis quantum ad spiritum » 226
X. De productione hominis quantum ad corpus » 227
XI. De productione hominis quantum ad totum coniunctum . . . . . » 229
XII. De completione et ordinatione totius mundi consummati . . . . . » 230

Pars III.

De corruptela peccati.

CAP. I. De origine mali in communi . . . . pag. 231
II. De primorum parentum tentatione . . . » ib.
III. De primorum parentum transgressione . . » 232
IV. De primorum parentum punitione . . . » 233
V. De originalis peccati corruptione . . . . » 234
VI. De originalis peccati transfusione . . . . » 235
VII. De originalis peccati curatione . . . . . » 236
VIII. De origine peccatorum actualium . . . . » ib.
IX. De origine et distinctione capitalium peccatorum . . . . . » 237
X. De origine et qualitate peccatorum poenalium . . . . . » 238
XI. De origine peccatorum finalium, quae sunt peccata in Spiritum sanctum . . . . . » 246

Pars IV.

De incarnatione Verbi.

CAP. I. De ratione, qua Verbum Dei debuit incarnari vel decuit . . . . . » 244
II. De incarnatione quantum ad unionem naturarum . . . . . » 242
III. De incarnatione quantum ad modum . . » 243
IV. De incarnatione quantum ad plenitudinem temporum . . . . . » 244
V. De plenitudine gratiae Christi quantum ad charismata in affectu. . . . . » 245
VI. De plenitudine sapientiae in intellectu . . » 246
VII. De perfectione meriti in effectu . . . . » 247
VIII. De passione Christi quantum ad statum patientis . . . . . » 248
IX. De passione Christi quantum ad modum patiendi . . . . . » 249
X. De passione Christi quantum ad exitum passionis . . . . . » 251

Pars V.

De gratia Spiritus sancti.

CAP. I. De gratia, in quantum est donum divinitus datum. . . . . » 252
II. De gratia, in quantum iuvat ad bonum meritorium . . . . . » 253

Digitized by Google

Cap. III. De gratia, in quantum est remedium peccati pag. 254
IV. De ramificatione gratiae in habitus virtutum » 256
V. De ramificatione gratiae in habitus donorum » 257
VI. De ramificatione gratiae in habitus beatitudinum, et per consequens fructuum et sensuum . . . . . » 258
VII. De exercitio gratiae respectu credendorum. » 260
VIII. De exercitio gratiae respectu diligendorum » 261
IX. De exercitio gratiae respectu agendorum, praeceptorum et consiliorum . . . . » 262
X. De exercitio gratiae respectu petendorum et orandorum . . . . . » 263

Pars VI.

De medicina sacramentali.

Cap. I. De Sacramentorum origine . . . . . » 265
II. De Sacramentorum variatione . . . . . » 266
III. De Sacramentorum numero et distinctione. » 267
IV. De Sacramentorum institutione. . . . . » 268
V. De Sacramentorum dispensatione . . . . » 269
VI. De Sacramentorum iteratione . . . . . » 270
VII. De constitutione et integritate baptismi . . » 271
Cap. VIII. De integritate confirmationis. . . . . pag. 272
IX. De integritate eucharistiae . . . . . » 273
X. De integritate poenitentiae . . . . . » 275
XI. De integritate unctionis extremae . . . . » 276
XII. De integritate ordinis . . . . . » 277
XIII. De integritate matrimonii. . . . . » 279

Pars VII.

De statu finalis iudicii.

Cap. I. De iudicio in communi . . . . . » 281
II. De antecedentibus ad iudicium, cuiusmodi est poena purgatoria. . . . . » 282
III. De antecedentibus ad iudicium, cuiusmodi sunt suffragia ecclesiastica . . . . . » 283
IV. De concomitantibus iudicium, sicut est conflagratio ignium . . . . . » 284
V. De concomitantibus iudicium, sicut est resurrectio corporum . . . . . » 286
VI. De consequentibus ad iudicium, sicut est poena infernalis . . . . . » 287
VII. De gloria paradisi . . . . . » 288

ITINERARIUM MENTIS IN DEUM.

Prologus . . . . . pag. 295
Capitula . . . . . » 296
Cap. I. De gradibus ascensionis in Deum et de speculatione ipsius per vestigia eius in universo . . . . . » ib.
II. De speculatione Dei in vestigiis suis in hoc sensibili mundo . . . . . » 299
III. De speculatione Dei per suam imaginem naturalibus potentiis insignitam . . . . » 303
Cap. IV. De speculatione Dei in sua imagine donis gratuitis reformata . . . . . pag. 306
V. De speculatione divinae unitatis per eius nomen primarium, quod est *esse* . . . » 308
VI. De speculatione beatissimae Trinitatis in eius nomine, quod est *bonum* . . . . . » 310
VII. De excessu mentali et mystico, in quo requies datur intellectui, affectu totaliter in Deum per excessum transeunte . . . . » 312
Schodion . . . . . » 313

OPUSCULUM DE REDUCTIONE ARTIUM AD THEOLOGIAM. pag. 319

COLLATIONES IN HEXAËMERON.

Coll. I. De qualitatibus in auditoribus divini verbi requisitis et de Christo omnium scientiarum medio . . . . . pag. 329
II. De plenitudine sapientiae, in qua sermo terminandus est, scilicet de sapientiae porta et forma . . . . . » 336
III. De plenitudine intellectus, quatenus est clavis contemplationis per intellectum Verbi increati, incarnati et inspirati . . » 342
IV. De visione prima, quae est intelligentiae per naturam luciferae, tractatio prima . » 348
V. De prima visione tractatio secunda, quae est de tertio radio sive de veritate morum, et de sapientia contemplationis . » 353
VI. De prima visione tractatio tertia, quae est de prima virtutum causa exemplari, de virtutibus exemplaribus et de cardinalibus inde influentibus. . . . . pag. 360
Coll. VII. De prima visione tractatio quarta, quae est de triplici defectu virtutum in philosophis, secundo de fide sanante, rectificante, ordinante . . . . . » 365
VIII. De secunda visione, scilicet intelligentiae per fidem sublevatae, tractatio prima, quae agit de altitudine fidei . . . . » 368
IX. De secunda visione tractatio secunda, quae est de triplici firmitate fidei . . . . » 372
X. De secunda visione tractatio tertia, quae incipit agere de fidei speciositate. . . » 377
XI. De secunda visione tractatio quarta, quae est secunda de speciositate fidei et agit de speculatione Dei trini. . . . . » 379

Digitized by Google

Coll. XII. De visione secunda tractatio quinta, quae est tertia de speciositate fidei et agit de Deo, ut est exemplar omnium rerum *pag.* 384
XIII. De tertia visione, quae est intelligentiae per Scripturam eruditae, tractatio prima, in qua agitur de Scripturae intelligentiis spiritualibus . . . . . » 387
XIV. De tertia visione tractatio secunda, quae incipit agere de Scripturae figuris sacramentalibus, primo in genere, et deinde de duodecim mysteriis principalibus Christum significantibus . . . . . » 392
XV. De tertia visione tractatio tertia, quae, continuans praecedentem, primo manifestat, quomodo in duodecim mysteriis principalibus ostendatur etiam antichristus; deinde incipit agere de infinitis caelestibus theoris germinantibus ex seminibus et fructibus Scripturae . . . » 398
XVI. De tertia visione tractatio quarta, quae prosequitur agere de theoris ex Scriptura germinantibus, et quidem ratione fructuum in cosptatione temporum, quatenus haec sibi mutuo correspondent; et in specie explicatur comparatio septenarii secundum correspondentiam trium temporum. . . . . » 403
XVII. De tertia visione tractatio quinta, quae agit de theoris Scripturae significatis per fructus, scilicet de considerationibus reficientibus intellectum et affectum, et primo quidem de reficientibus intellectum . . . . . *pag.* 409
Coll. XVIII. De tertia visione tractatio sexta, quae agit de theoris Scripturae significatis per fructus, et quidem quatenus reficiunt affectum . . . . . » 414
XIX. De tertia visione tractatio septima et ultima, quae agit de recta via et ratione, qua fructus Scripturae percipiantur, sive qua per scientiam et sanctitatem ad sapientiam perveniatur . . . . . » 419
XX. De quarta visione, scilicet intelligentiae per contemplationem suspensae, tractatio prima, quae agit in genere de triplici obiecto huius contemplationis sive de contemplatione caelestis hierarchiae, militantis Ecclesiae et mentis humanae hierarchizatae . . . . . » 424
XXI. De quarta visione tractatio secunda, quae specialiter agit de primo obiecto intelligentiae per contemplationem suspensae, nempe de consideratione hierarchiae caelestis » 431
XXII. De quarta visione tractatio tertia, quae specialiter agit tum de secundo obiecto huius visionis, nempe de consideratione militantis Ecclesiae, tum de tertio, quod est ipsa anima hierarchizata . . . . » 437
XXIII. De quarta visione tractatio quarta, quae continuat agere de tertio obiecto huius visionis, quod est ipsa anima hierarchizata » 444
Schollon . . . . . » 450

COLLATIONES DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI.

Coll. I. Praemittitur tractatio de gratia secundum eius ortum, usum et fructum. . . . *pag.* 457
II. De dono timoris Domini. . . . . » 462
III. De dono pietatis . . . . . » 468
IV. De dono scientiae . . . . . » 473
Coll. V. De dono fortitudinis collatio prima . . *pag.* 479
VI. De dono fortitudinis collatio secunda . . » 483
VII. De dono consilii . . . . . » 489
VIII. De dono intellectus . . . . . » 493
IX. De dono sapientiae . . . . . » 498

COLLATIONES DE DECEM PRAECEPTIS.

Coll. I. De quatuor motivis ad observantiam divinorum praeceptorum inducentibus et de decalogo in genere . . . . . *pag.* 507
II. De primo praecepto decalogi in specie. . » 510
III. De secundo praecepto decalogi . . . . » 515
Coll. IV. De tertio praecepto decalogi . . . . *pag.* 519
V. De quarto praecepto . . . . . » 522
VI. De quinto, sexto et septimo praecepto. . » 525
VII. De octavo, nono et decimo praecepto . . » 529

SERMONES SELECTI DE REBUS THEOLOGICIS.

Sermo I. De triplici testimonio sanctissimae Trinitatis *pag.* 535
II. De regno Dei descripto in parabolis evangelicis. . . . . » 539
Sermo III. De sanctissimo corpore Christi. . . . *pag.* 553
IV. Christus unus omnium magister . . . . » 567
Tractatus. De plantatione Paradisi . . . . . » 574

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS

PRAECIPUARUM RERUM ET SENTENTIARUM

QUAE

IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Signa. — Litteris *QD* indicantur Quaestiones disputatae. — *B* Breviloquium. — *I* Itinerarium mentis in Deum. — *DR* Opusculum de reductione artium ad theologiam. — *H* Collationes in Hexaëmeron. — *DD* Collationes de donis Spiritus S. — *DP* Collationes de decem praeceptis. — *SS* Sermones selecti. — *DPL* Tractatus de plantatione paradisi. — Numerus arabicus indicat paginam, littera *a* primam, *b* secundam columnam. — Numerus arabicus, cui appositus est asteriscus, indicat solutionem obiectorum.

A

Abel — virgo fuit *QD* 175 a — habuit triplicem iustitiam, nempe virginitatem sacerdotium et martyrium *ib.*

Abimelech — interfecit septuaginta fratres suos *H* 399 a — quomodo praesignet antichristum *ib.*

Abnegantiatio — omnium tam in privato quam in communi, est christianae perfectionis *QD* 129 a — est consilium principale *ib.* — principium fundamentale *ib.* — fundamentum sublime vitae activae et contemplativae *ib.* — habet approbationem Papae 130 a — non includit culpam, immo laudabilis est *ib.* b — abrenuntiare omnibus propter perfectionem non est Deum tentare 132 a 3° — non implicat prodigalitatem 133 b 7°

Absolutio — perfecta in Deo non excludit relationem intrinsecam *QD* 11 b 4°

Absolutum — quando dici possit simplicius respectivo *QD* 77 a 4°

Abstinentia — dicit cessationem etiam a licito usu ciborum *QD* 171 b 15°

Achan — fuit fur et in hoc praesignat antichristum *H* 399 a

Actualitas — in genere et extra genus quid sit *QD* 71 b 4°

Actus — intrinsecus in Deo est idem quod ipse *QD* 100 b 5° — non plurificatur *ib.* — extrinsecus plurificatur secundum creaturarum varietatem *ib.* — ad intra et ad extra quid sit 102 a 15° — culpabiles, poenales, corporales, inconvenientes non tribuuntur Deo *B* 245 b — gratiae sunt quatuor *H* 416 b — iustitiae item quatuor 417 a — sapientiae sunt etiam quatuor *ib.* b

Adaequatio — rei et intellectus constituit veritatem *H* 344 b — quando et quomodo sit vera *ib.*

Adam — eius culpa transfunditur ad animas posterorum mediante carne, salva divina iustitia *B* 235 a — eius persona corrupit naturam, et natura corrupta corrupit personas *ib.*

Adventio — errorum prohibita *DP* 514 b — unde haec trahat originem *ib.*

Adiutorium — ad Deum contemplandum habemus in mundo sensibili, in creatura spirituali, in scriptura sacramentali *H* 386 b sq.

Adminiculum — alienum est necessarium ad cognoscendum *QD* 85 a 13°

Admiratio — locum habet non tantum in via, sed et in patria, non tantum in Angelis, sed et in homine assumto a Deo *QD* 35 b

Adoratio — est duplex *DP* 517 a — duliae tribui potest omnibus, in quibus est potestas, sapientia, sanctitas *ib.* — latriae soli Deo est exhibenda *ib.* — Ss. corporis Christi *ib.* b — exemplum hanc respiciens *ib.*

Adulatio — non invenitur in opere evangelicae mendicitatis *QD* 145 a 10°

Adversum — magis exprimit quam nomen *QD* 36 a 10°

Aegyptus — tenebrae interpretatur *SS* 562 b — di Aegypti sunt amabilis mundi *ib.*

Aequale — si omnia essent aequalia, non esset omnia *QD* 124 b 15°

Aequalitas — consistit in quantitate *QD* 196 b 6°

Aestas — quomodo animam contemplativam repraesentet, vide *Anima* et *Status*

Aetas — sexta ratione senerii sonat in plenitudinem *B* 245 a

— **Aetates** *septem* distinguit Scriptura *B* 203 b *H* 400 a — respondent diebus creationis et humanis aetatibus 204 a — sunt rationes seminales ad cognoscendam Scripturam *H* 400 a — describuntur *ib.*

1.° fuit ab Adam usque ad Noe.

2.° a Noe usque ad Abraham.

3.° ab Abraham usque ad David.

4.° a David usque ad transmigrationem Babylonis.

5.° a transmigratione Babyl. usque ad Christum *ib.* a b

6.° a Christo usque ad finem mundi *ib.* — Septima currit cum sexta *ib.*

— Secundum alios sunt *quinque* secundum quinque vocationes *ib.* b et 401 a — hae septem et quinque iungi possunt cum tribus temporibus 401 a — Ecclesiae, vide *Ecclesia*

Aeternitas — est vitae possessio interminabilis et tota simul *QD* 90 a — summa simplicitas et summa immensitas simul iunctae constituunt aeternitatem 89 b — non potest intelligi nisi imaginatione post posita 90 a — sicut divina incircumscriptibilitas habet omnia loca sibi praesentia, et ipsa non distenditur per illa, licet vere sint

Digitized by Google

distenta; sic divina aeternitas habet sibi omnia tempora praesentia, nec tamen ipsa succedit cum illis, licet illa vere succedant 90 a — licet secundum rationem intelligendi dicat sub ratione mensurae, secundum rem et veritatem non dicit nisi *esse* divinae substantiae 90 b 4* — eius simultas non excludit ordinem originis in Trinitate 95 a 4* — in personis divinis, vide *Persona*

Agens — per exemplar in fine operationis est forma rei actae *QD* 11 a — a proposito non producit res, nisi eas habeat penes se *ib.* — primum mutari non potest, quia sua actio est id quod ipsum 100 b 5 et 6* — non plurificatur secundum actum intrinsecum, sed ratione effectus extrinseci plurificatur secundum creaturarum veritatem *ib.* — secundum voluntatem est duplex 102 b 17* — in genere est quadruplex *SS* 542 a — quomodo sit transmutabile *ib.*

Agnus — paschalis praefigurat corpus Christi *SS* 561 a — ritus praescriptus in esu agni quid significet *ib.* a b, cfr. *Eucharistia*

Alae Seraphim — quid significent *H* 371 a b

Alexius (S.) — qui, contempto patrimonio, ivit mendicando per mundum, mendicationem evangelicam non esse contemnendam suo exemplo confirmat *QD* 138 b

Alienatio — a Deo duplex est *QD* 170 b 10*

Allegoria — quid sit *B* 205 b — circa fidem duplex est *H* 338 b

Amor — naturalis in homine est triplex, id est sui *esse* continui, honesti et commodi *QD* 162 a — Ss. Trinitatis est complementum omnis veri et boni *B* 202 b — est pondus mentis 262 a — est triplex *I* 311 a

Anachoretae — optimi monachi erant *QD* 164 a 12* — per obedientiam eligebantur ad contemplationem 189 16*

Anagogia — quid sit *B* 205 b — circa spem duplex est *H* 339 a

Angeli — distinguuntur qualitate, non origine *QD* 75 b — inferiorum ordinum sine repugnantia obediunt Angelis ordinum superiorum 185 a — habent quatuor attributa principalia a primordio sunae conditionis *B* 224 a — cum his alia quatuor concomitantia *ib.* — boni fuerunt mutati in melius quoad quatuor attributa 225 b — confirmati fuerunt in quadruplici facultate, per gratiam et gloriam, ordinati secundum triplicem hierarchiam 226 a — sunt lumina et specula *H* 358 a — habent virtutes infimas ad influendum in mundum *ib.* — opiniones philosophorum circa illas *ib.* b — sunt in eis virtutes ad influendum in animas rationales *ib.* — est in eis virtus suprema *ib.*

Anima — est media inter Deum et creaturas *QD* 26 b — veritas in ea habet respectum ad duplicem veritatem, quae est vel in rebus concretis, vel in arte divina *ib.* — inde haurit duplicem certitudinem eius portio superior et inferior relata ad cognitionem certitudinalem *QD* 20 a — non sufficit portio inferior sine superiore ad plenum iudicium rationis deliberativum in agendis nec in speculandis 24 a — in hac portione est imago Dei, quae aeternis regulis inhaerescit et per eas quidquid definit certitudinaliter iudicat et definit *ib.* et *I* 301 a b 302 a, vide *Certitudo* — est vita corporis dupliciter 31 a — sex modis fertur in infinitum 35 a — per fidem elevata et purgata potest aliquatenus capere ea quae de concordia inter Trinitatem et unitatem Dei affirmantur 65 a — est speculum nobilissimum *B* 202 a — est forma, ens, vivens, sentiens et intelligens 226 b — ad eam ordinatur tota natura sensibilis *ib.*, vide *Natura* — caelestium influentiae non est subiecta *ib.* — est forma cum quatuor conditionibus *ib.* b — est semper libera a coactione *ib.* — a culpa et a miseria libera fuit in statu innocentiae, non in statu naturae lapsae *ib.* — est forma beatificabilis 227 a — est libera *ib.* — potentia intelligit omnia *ib.* — est immortalis *ib.* — est creata *ib.* — — est perfectio et motor *ib.* — habet tres potentias cum tribus actibus *ib.* — tota dividitur in cognitivam et affectivam *ib.* b — est non tantum forma sed substantia prima, sive hoc aliquid *ib.* a — unitur corpori ut perfectio per essentiam *ib.* — ut motor per potentiam vegetativam, sensitivam, intellectivam *ib.* — habet libertatem arbitrii, quia est ordinata ad beatitudinem *ib.* a — est capax Dei per memoriam, intelligentiam et voluntatem *ib.* — est incorruptibilis et immortalis *ib.* — est educta de nihilo immediate a Deo per creationem 226 b — est forma corporis *ib.* — habet tres potentias et sex operationes *H* 358 a — videt se sicut speculum, Angelos sicut lumina et lucem aeternam tanquam in obiecto fontano 359 b — est paradisus, in quo plantata est Scriptura, est hortus conclusus, fons signatus 410 a — quid sit sine intelligentia veritatis *ib.* — ad gratiam stabilientem per fidem disponitur, per Scripturae spectacula, per amorem sanctificantem, per exempla Sanctorum 416 b — ad gratiam per spem sublevantem, disponitur promissionibus, per timorem inclinantem, tormentis infernalibus 417 a — quando recte dici possit, hominem *ea* frui 418 b

— contemplativa comparatur mulieri bonae *H* 426 a — soli *ib.* — in ea mundus, spiritus caelestis et radius supersubstantialis miro modo describuntur *ib.* — eius quatuor status 427 a — videt caelestem Ierusalem consistentem, descendentem, ascendentem 445 b — fit civitas cum quatuor lateribus per considerationem quatuor attributorum Dei 446 a — debet habere modum vivendi consonum signo caritatis 447 a — ut respondeat supernae civitati, debet habere divinum Dei cultum nexum, zelum, sensum *ib.* — S. Benedicti fuit contemplativa atque vidit totum mundum in uno radio solis *ib.* — quomodo disponatur ad donum fortitudinis, vide *Fortitudo*

— hierarchizata, comparatur stellis quoad tria 429 a — habet gradus respondentes hierarchiae supernae 441 a — habet tres operationes 442 b — habet duodecim materias, quae consideratae sunt ei sicut corona duodecim stellarum 443 b — est civitas, in qua Deus habitat 445 a — eius perfectio consistit in descriptione civitatis Ierusalem 447 a — duodecim actus eius perfectionis respondent duodecim portis *ib.* — item respondent signatis ex duodecim tribubus *ib.* — tropologice, est paradisus caelestis et terrestris *DPL* 878 b — ut est paradisus caelestis, figuratur per signum mulieris amictae sole, habentis lunam sub pedibus et coronam duodecim stellarum in capite *ib.* b

— Christi, vide *Christus*

Antichristus — ostenditur in duodecim mysteriis principalibus Scripturae *H* 398 a — ostenditur per Lamech, Nemrod, Dan, Balaam, Achan, Abimelech, Goliam, regem impudentem, Antiochum, Simonem magum et per bestiam abyssalem *ib.* et 399 a b — in eo conflabuntur omnes malitiae *ib.*

Apex — fidei est in excessu amoris *H* 376 b

Apostasiae — luciferi essentia fuit praesumtio propriae excellentiae, effectus fuerunt perditio loci summi, descensio ad imum, obstinatio in malo, excaecatio a vero *B* 224 b sq.

Apostoli — in illis fuit promptitudo obediendi per habitum perfectum et etiam per actum *QD* 187 b 9* — habebant potestatem potestati Petri consimilem, non aequalem 196 b 6* — dicuntur duodecim fundamenta civitatis *H* 373 b

Apparere — quid sit et quomodo distinguatur a missione divina *B* 214 a — dicit effectum sensibilem *ib.*

Appartitio — competit tribus personis sive insimul sive cuilibet per se *B* 214 a

Appetitus — sapientiae insertus est mentibus hominum *QD* 46 a — item beatitudinis et pacis *ib.*

Appretiatio — perversa creaturarum prohibetur *H* 515 b — fit tripliciter *ib.*

Appropriata — quid sint *B* 214 b sq. — quaenam essentialia et cur approprientur Patri et Filio vel Spiritui S. *ib.*

Appropriationes — plures sunt in unitate divinae naturae *B* 214 b — respicientes opera Dei ad extra sunt novem *H* 432 a — earum respectus tres ad Trinitatem *ib.* — sunt origo trium legum *ib.* — illae novem explicantur *ib.* a b et 433 a b

Aqua — in aquis Siloe est summa perfectio *H* 422 a — in aquis philosophorum est aeterna deceptio *ib.* — probatio militum Gedeonis per eam *ib.* — non tantum de aqua philosophiae est miscendum in vinum Scripturae, quod de vino fiat aqua *ib.* b

Arca Noe — in cubito consummata unitatem summi pontificatus in Ecclesia innuit *QD* 195 b

Arduum — est duplex, honoris et virtutis *QD* 183 a 10* — primum competit animae secundum statum patriae, secundum vero secundum statum viae *ib.*

Argumentum — Christi est constructi-

Digitized by Google

vum et reparativum, diaboli est sophisticum et destructivum *H* 333 b — Christi destruxit argg. diaboli 334 a

Aristoteles — reducit omnem motum ad motum perfectum *H* 352 a — eius libri tractantes de naturarum proprietatibus *ib.* — deficit in doctrina circa causam exemplarem, vide *Causa* — ana inventitur, quod ponat felicitatem post hanc vitam 365 a — quomodo possit excusari *ib.* b — ponit contra Platonem viam scientiae, quae procedit secundum rationes creatas *SS* 572 a — videtur, quod inter philosophos datus sit ei sermo scientiae *ib.*

Ars — est notitia transiens in effectum extrinsecum *H* 356 a — est habitus cum ratione factivus *ib.*

Articuli — fidei quatordecim *B* 261 a — septem sunt de Divinitate *ib.* — septem de humanitate *ib.* — reducuntur ad duodecim in memoriam numeri duodecim Apostolorum *ib.* — quomodo figurentur per sex alas Seraphim *H* 371 a b 372 a b, vide *Fides*

Astrologia — partim est secura et partim periculosa *H* 351 b — ab ea fluunt diversae species divinationis *ib.* — vera disponit ad intelligentiam Scripturae *ib.*

Attributiones — divinae tribus modis fiunt *QD* 76 a

Auctoritas — ex prima institutione quae? *QD* 147 b 19° — ex commissione quae? *ib.* — prima spectat ad Apostolos et eorum successores *ib.* — secunda competit his qui mittuntur tanquam discipuli *ib.* — auctoritati debemus, quod credimus *SS* 568 a — ei praecedit revelatio, cuius principium est Christus per adventum in carnem *ib.*

Auditor — doctrinae Scripturae debet esse humilis, mundus, fidelis et studiosus

B 206 a — non est unius sed cuiuslibet generis *ib.*

— auditores verbi Dei debent intendere ad observantiam divinae legis, ad cohaerentiam divinae pacis, ad consonantiam divinae laudis *H* 329 b — inepti sunt triplicis generis, et quare 330 a et b

Augustinus — est Doctor auxiliae authenticus *QD* 23 a — eius loquendi modus, cum de sapientia agit *QD* 30 a — acriter reprehendit mendicationem ex vitiositate culpae *QD* 140 b — quid senserit de poena parvulorum sine baptismo decedentium *B* 235 a — accepit sermonem sapientiae et scientiae simul tanquam praecipuus S. Scripturae expositor *SS* 572 a

Aureola — instorum triplex est *B* 290 a

Autumnus — repraesentat statum animae contemplativae *H* 427 a — in eo ipsa colligit fructus *ib.*, cfr. *Anima*

B

Babylon — incipit ab amore sui usque ad contemptum Dei *QD* 119 a

Balaam — quomodo designet antichristum *H* 399 a

Baptismus — est lauda aliorum Sacramentorum *B* 271 b — ob quam rationem in eius administratione nominentur tres personae Ss. Trinitatis 272 a — cur administretur in aqua *ib.* — ad integritatem requiritur expressio Trinitatis in forma vocali, trina ablutio, simultanea applicatio materiae et formae prolatio ab uno et eodem et elementum aquae 271 b — in eo datur gratia regenerans, rectificans, purificans *ib.*

Beatitudo — quid sit *I* 296 b — aeterna dicit affectionem inhaerentem summo bono *QD* 30 b — in qua differat a sapientia *ib.* — est fruitio boni supra nos *I* 296 b

— **Beatitudines** sunt septem et quare *B* 259 a — eas consequuntur duodecim fructus Spiritus S. *ib.* — item quinque sensus *ib.* — cur debeant esse septem 259 a

Benedictus (S.) — in specu tribus annis latuit, recipiens alimentum a quodam Romano monacho *QD* 138 b — habuit animam valde contemplativam *H* 426 b — vidit totum mundum in uno radio solis *ib.*, vide *Anima*

Benignitas — reprehendenda est quae docetur a philosopho *H* 355 b — vera docetur a Christo *ib.* — mundus eam ignorat *ib.*

Bestia abyssalis — designat antichristum *H* 399 b

Bonum — triplex est: inferius, exterius, interius *QD* 161 a — commune praefertur privato in his quae faciunt ad conservationem naturae 179 b 11° — privatum fieri potest quod sit melius commune secundum suum genus *ib.* a in nota — moveri ad bonum aliquis potest quadrupliciter: per praecepta, per documenta, per exempla, per beneficia *B* 203 a

C

Caelitas — triplex philosophorum circa mundi aeternitatem, intellectus aeitatem et defectum retributionis post mortem *H* 361 a

Caelestia — influunt dupliciter: in terrestria quantum ad effectivam productionem influunt per lucem, motum, virtutem, calorem *B* 221 a b — in terrestria et elementaria quantum ad distinctivam significationem temporum *ib.* — non significant certe futura contingentia *ib.* b — non influunt super liberum arbitrium *ib.*

Caeli — principales sunt tres *B* 224 b — **caelum** tertium continet septem orbes et planetas *ib.* — est sublime, stabile, spectabile *H* 362 a — dicitur a caelando 377 a — spiritualia est triplex *SS* 535 b — in eo Trinitas dat triplex testimonium *ib.*

Canticum canticorum — factum fuit ad contemplationem *H* 306 b

Caput — in eo fit collectio sensuum universorum *QD* 195 b

Caritas — alius nutrimentum est cupiditatis diminutio, eius perfectio, nulla cupiditas *QD* 129 b — eius unitas non excludit multiformitatem charismatum neque discretionem dignitatum et officiorum 182 b 6° — soli sanat affectum *H* 367 b — habet quatuor qualitates et quatuor virtutes *ib.* — est finis et forma omnium virtutum *ib.* — quatuor diligenda ex caritate 418 b

Causa — proxima dicitur tripliciter *QD* 102 a 15° — prima plus influit in causatum quam secunda 113 a et in nota — universalis, quae est alterius generis quam particularis, non potest in effectum proprium nisi per *propriam* causam; quae vero habet in se omnem virtutem potest per aliam 198 b 15° — de causa exemplari quid cogitaverit Aristoteles *H* 360 b — est triplex *SS* 551 b — tres causarum species secundum Augustinum 108 b 5° — factae, facientes et factae, facientes tantum, quae sint *ib.* — earum ordo attenditur secundum comparationem posterioris ad primum 114 b 2°

Certitudo — certitudinis intellectualis suprema ratio *QD* 147-127 per tot. — sensus venit ex alligatione potentiae operantis per modum naturae, intellectus debet venire per aliquid non habens alligationem, sed libertatem sine defectibilitate *QD* 25 a 11° — est duplex: simpliciter et secundum quid, quomodo hae recipiantur in anima 26 b — qua comprehenduntur res fidei est adhaerentiae, non intelligentiae 51 a 8° — ex parte rei et ex parte nostra 112 a 7° — rationis et auctoritatis *B* 207 a — est triplex *DD* 496 b

Chaa — primus nomen servi accepit et quare *QD* 181 a et in nota.

Christus — eius scientia, ut est Verbum se extendit ad infinita *QD* 3 a sq., vide *Deus* — in cruce fuit exemplar virtutis perfectae 118 a — sustinuit vilificationem non compulsus, sed voluntarie *ib.* b — loculos habuit tribus de causis 131 a 2° — modus eos habendi non minuit in nullo eius paupertatem *ib.* — recipitur in paupere 136 b — quoad bona temporalia erat mendicus et pauper 137 b — eius mendicatio est imitanda *ib.*, vide *Mendicatio*

Digitized by Google

— in omnibus, quae gessit ut homo, hominibus praebebat exemplum 151 a — imitandus est in his quae humiliter gessit *ib* — tota eius vita in terris disciplina morum fuit *ib.* — mera liberalitate subiecit se homini 185 a — non tantum dedit *nos* nobis, sed etiam *se* dedit nobis 186 a — hominibus assubiecit voluntate optima et perfecta 187 a 7° — eius voluntas, utpote confirmata in bono, non erat opus, quod astringeretur per votum *ib.* — in eo fuit aliquid loco voti et voto excellentius, id est confirmata voluntas *ib.* b 8° — congruentissime constituit Petrum Apostolorum principem 194 a

— est Ecclesiae sponsus et ipsam interius regit 194 b — est hierarcha in triplici hierarchia *B* 205 a — est subiectum theologiae quoad virtutem *ib.* b — eius sapientia est multiformis et una *ib.* — est liber scriptus intus et foris 229 a — non debuit venire in principio temporis neque differe usque in finem ultimum 245 a

— ut extremum satisfaciens a sui conceptione habuit gratiam personalem *ib* b — ut medium reconcilians habuit gratiam unionis *ib.* — ut principium superinfluens habuit gratiam capitis *ib.* — ut Deus et *homo comprehensor* cognovit res in arte aeterna 246 b — ut *homo viator*, spectantia ad redemptionem et universi constitutionem in mente sua *ib.* — quae veniunt per organa sensuum, in proprio genere *ib.* — fuit in eo omnis meriti perfectio et plenitudo quantum ad eum qui merebatur 247 b — quantum ad tempus, in quo merebatur *ib.* — quantum ad id quod merebatur *ib.* — quantum ad eum cui, et modum, quo merebatur *ib.* — qua mediator habuit convenientiam cum Deo et cum homine *ib.*

— quantum ad naturam et ea quae sunt circa naturam, assumsit humanam naturam cum suis defectibus, sed non assumsit omnes defectus nec qualitercumque 248 b — fuit simul viator et comprehensor 249 a — assumsit aliquid de tribus statibus *ib.* et *SS* 372 b — voluntas carnis et rationis in eo quid *B ib.* — de eius oratione in horto *ib.* — nihil potuit pati invite 249 a — passio eius fuit contra voluntatem carnis *ib.*

— passus est, salva libertate arbitrii, salvo honore Dei et regimine universi *ib.* — opposuit generali corruptioni passionem generalissimam; libidini, acerbissimam; superbiae, ignominiosissimam; morti debitae et invitae, interemptoriam, sed vivificativam 250 a b — redemit sufficientissime quoad infernalia, terrestria, caelestia et Ecclesiam 251 a — efficacissime quantum ad eos qui praecesserunt et subsecuti sunt *ib.*

— post mortem descendit ad limbum ad liberandos detentos 251 a — resurrexit a mortuis ad mortuos vivificandos *ib.* — ad fidem aedificandam *ib.* — ascendit ad caelum ad reintegrandam caelestem Ierusalem et ad spem erigendam *ib.* — misit Spiritum S. ad Ierusalem terrestrem aedificandam et ad confirmandam caritatem *ib.* — continet in se universitatem salvandorum 262 a — per missionem Spiritus S. fuit hierarcha purgans, illuminans et consummans *H* 346 b — est principium recreativum *B* 255 a — est ortus Sacramentorum 265 b — in iudicio in forma Deitatis non videbitur nisi a bonis 382 a — est ostium *I* 295 b — in eo est gratia et veritas 298 a

— est mediator Dei et hominum *H* 330 b — debet ab eo incipere qui vult ad sapientiam pervenire *ib.* — est scientiarum medium septiforme 331 a — in Scriptura quandoque dicitur medium, quandoque caput 332 b — cum Patre habuit conformitatem naturae, aequalitatem potentiae, immortalitatem vitae 334 a — assumsit passibilitatem naturae, necessitatem indigentiae, mortalitatem vitae *ib.* — huius assumptionis necessitas ad redemptionem *ib.*

— est reparator 345 a — quid reparaverit *ib.* — ut hierarcha debuit habere sex proprietates *ib.* — ab ipso procedunt miracula *ib.* b — ostendit in se ipso miraculorum maximum *ib.* — est in eo triplex sapientia *ib.* — habere debuit aliam sapientiam praeter divinam *ib.* — quare dicatur consiliarius 346 a — dicitur Deus et quare *ib.* — dicitur fortis *ib.* b — est pater futuri saeculi *ib.* — ab eo est petitionum nostrarum efficacia *ib.* — ab eo manant praemia iusta 347 a — se probavit quadrupliciter 367 a — est fidei fundamentum 373 a *SS* 568 b

— allegorice intelligitur per solem 391 b — in tribus misteriis Scripturarum figuratur per quatuor 396 b — in tribus lationis legis Item per quatuor 397 a — in tribus inunctionis regum per quatuor *ib.* — in mysterio redemptionis significatur per quatuor *ib.* — in eo omnia benedicuntur *DD* 457 a — qui benedicit de eo benedicit de Patre *ib.* — clarus fuit, quia per humilitatem reduxit se ad originale principium 459 b

— est vita, fons, fundamentum et complementum sapientiae 503 b — dat triplex testimonium de mundo *SS* 537 b — in eo sunt thesauri absconditi, quibus consolatur Ecclesia 563 a — est thesaurus omnis essentiae, sapientiae, gratiae et gloriae *ib.* a b — est causa cognitionis certitudinalis et rectae 567 a

— ut *via* est magister cognitionis per fidem acquisitae 568 a — venit in mentem ut lux *ib.* — in carnem ut principium auctoritatis *ib.* b — est fundamentum totius fidei *ib.*

— in quantum *veritas* est magister cognitionis, quae est per rationem *ib.*

— ut *vita* est magister cognitionis contemplativae 570 a — in eo fuit excellentissimo modo sermo sapientiae et scientiae 572 b — fuit legislator, simul viator perfectus et comprehensor *ib.* b — est solus principalis magister et doctor *ib.* — est magister honorandus, audiendus, interrogandus *ib.* et 572 a

— **anima** eius non est sapiens per essentiam *QD* 29 a — est de natura aliarum animarum *ib.* — fuit sapiens sapientia creata et increata *ib.* — non potest proprie comprehendere sapientiam increatam 34 b — sex modis fertur in infinitum 35 a — non potest comprehendere Verbum proprie accepta comprehensione *ib.* — per gratiam unionis non perdit *esse* creatum, ideo non competit ei actus comprehensivus sapientiae aeternae *ib.* b — est deiformis 37 b 20°

— in Verbo non comprehendit infinita 39 b — fertur *comprehendendo* in divinam sapientiam, secundum quod est exemplar factivum, sed *excedendo*, secundum quod est exemplar expressivum 40 a — cognoscit finita comprehendendo ea actualiter 247 a — infinita non cognoscit nisi habitualiter, vel excedendo *ib.* — tripliciter apparet ut imago Dei *I* 303 b

— **corpus** eius est mel 558 b — quomodo figuretur, vide *Eucharistia*

Clara (S.) — meruit audire Christum sub Sacramento existentem, carnalibus auribus loquentem *SS* 565 b

Cognitio — in Deo est triplex *QD* 5 a — approbationis, visionis et intelligentiae in Deo quid *ib.* — divina habet comparationem ad cognoscentem et ad cognitum 6 a

— in Verbo est perfectior quam in proprio genere 10 a — eiusdem sensibilis a diversis simul haberi non potest nisi per aliquod commune 20 a — sapientialis requirit lucis aeternae praesentiam et influentiam 29 b — simplicis et increati ut simplex et increatum includit tantum assimilationem cognoscentis ad cognitum, sed infiniti ut infinitum dicit non tantum assimilationem, sed quamdam aequalitatem 37 b 19 20° — veri duplex est *B* 227 b — sempiternalis, sensibilis, scientialis, per naturam, per gratiam et per gloriam 246 b — istae omnes fuerunt in Christo *ib.* — est per credulitatem plus ascensionis, per approbationem rectae rationis, per claritatem mundae contemplationis *SS* 567 b

Cognoscens — omne cognoscit secundum facultatem cognoscentis *QD* 33 b

Cognve — quando et quomodo dicatur simplicius proprie *QD* 77 a 3°

Communitas — duplex per abstractionem et per indenominationem *QD* 109 a 6°

Communicatio — idiomatum quid sit *B* 243 a — quando fiat *ib.* — non fit, quando in vocabulo includitur aliqua repugnantia *ib.*

Comprehensio — Sapientia increata comprehendi non potest a creatura *QD* 34 b — aliud est videre, et aliud totum comprehendere *ib.* — gratia comprehensionis et unionis non sunt eiusdem generis 36 a 8° — comprehendere aliquid est plane illud capere 34 a — secundum quantitatem *molis* importat coextensionem ad coaequalitatem extensionis cum comprehenso *ib.* — claudit aliquo modo in se rationem proportionalitatis 41 b

Conceptio — in conceptione Filii Dei concurrit triplex virtus *B* 244 a

Condescensiones — Christi sunt decem *H* 531 b, cfr. *Christus*

Confessio — fidei debet esse integra, placida et intrepida *B* 273 a — ad hoc

Digitized by Google

datum est Sacr. confirmationis *ib.* a b — est pars integralis Sacramenti poenitentiae 275 b

Confirmationis Sacr. — cur institutum *B* 272 b — in forma praeter actum confirmandi exprimendum est signum crucis et nomen Trinitatis ad eius integritatem *ib.* — eius materia est oleum olivarum balsamo permixtum *ib.*

Conflagratio — ignium quando eveniet *B* 284 b — eius effectus *ib.*

Conformatio — qua totus homo veritati assimilatur, complectitur tria *B* 273 a

Conformitas — rerum ad Deum fit vel per modum vestigii, vel imaginis, vel similitudinis *SS* 571 b

Coniugium — in statu naturae institutae fuit in Sacramentum et officium *QD* 168 b — in statu naturae lapsae ratione naturae fuit in officium, ratione morbi fuit in remedium *ib.* — nunc tenet rationem officii, remedii et Sacramenti *ib.* — eius usus potest esse actus virtutis, vitium veniale, vel omnino perversivus legis matrimonii iuxta intentionem agentis 169 a — carnale opus ad spiritualem honestatem reducit *ib.* — est bonum honestum, conferens et delectabile 172 b

Connotatio — in Deo respectu creaturae potest esse vel actu vel habitu *QD* 99 b — in primo potest esse inceptio et desitio, in secundo non inceptio, sed tantum desitio *ib.* et 100 a — ratio huius *ib.*

Considerabilia — ad eam concurrunt intelligens, res intellecta et medium sive ratio intelligendi *QD* 70 b — poenarum infernalium et pugnarum hostilium recensetur non absurdie inter ligna paradisi *DPL* 578 a

Consilia evangelica — secundum bonum exterius, interius et interius opponuntur triplici origini vitiorum *QD* 186 b

Consiliarius — bonus quis sit *DD* 491 b — bonus est Christus *ib.* — cavendum a malis consiliariis 492 a

Consilium — est triplex *QD* 127 b *DD* 490 a — artus eius praeambulus qui sit *DD* 490 a — quomodo reguletur 491 a — malum est triplex 492 a

Contrectatio — dispensat a labore manuali *QD* 158 b — triplex est *H* 347 b — in caligine quid sit 342 a — eius triplex obiectum respondens luci solis, lunae et stellarum 425 b — per excessum et per gloriam quid sit 427 a — excaecat et illuminat *ib.* — ecstatica quomodo et quando fiat 428 b — fit per ingressum et per egressum *SS* 570 b — libri scripti intus et foris quid 571 a

Continentia — vidualis est divini consilii in utroque sexu, ipsam amare est laudabile, servare laudabilius, perpetuo vovere et custodire laudabilissimum *QD* 172 b sq. — plus habet in se de ratione honesti, commodi, iucundi 173 a

— virginalis est omnibus praeferenda 175 a — disponit ad contemplationem *ib.* b

Contingens — cum de Deo praedicatur in illo praedicato clauditur et principale significatum et connotatum *QD* 108 a b 3°

Contingentia — sunt prorsus infallibilia divinae sapientiae *B* 217 a, vide *Scientia divina*

Contractio — communis per proprium non fit in divinis nisi ex parte nostri intellectus *QD* 77 a 3°

Contritio — est pars integralis Sacramenti poenitentiae *B* 275 b

Conversio — animae triplex est *H* 357 b — ad acquirendam sapientiam contemplationis, vide *Anima*

Cooperatio divina — in opera, quod a creatura est per modum vestigii, fit per modum principii creativi; in eo quod est per modum similitudinis, per modum doni infusi; in eo quod est per modum imaginis, per modum rationis moventis *QD* 24 a — est triplex *SS* 571 b

Corpora — caelestia influunt in terrestria *B* 221 a — etiam quantum ad effectuum productionem *ib.* b — non influunt super liberum arbitrium *ib.* — in caelestibus inveniuntur lux, motus, calor et virtus *ib.* — distinguunt tempora *ib.* — influunt ad productionem quadrupliciter *ib.*

— humana omnia resurgent numero eadem *B* 286 a — tempore simul, conditione dissimili *ib.* — in omnibus tamen immortalia et ex omnibus partibus constantia *ib.* — malorum, cum deformitatibus, miseriis et defectibus *ib.* — bonorum, servata natura et vitiis detractis *ib.*

Corpus — vivum; ad eius perfectionem requiritur aequalitas complexionis et multiformitas organizationis *QD* 182 b 6° — primi hominis conditum fuit de limo terrae *B* 228 a — creatum fuit ad coniunctionem cum anima in unitate naturae *ib.* — illi proportionabile quoad aequalem complexionem, quoad organizationem pulcherrimam et multiformem, quoad naturae rectitudinem *ib.* — subiectum et animae obtemperans sine rebellione *ib.* b — propagans sine libidine *ib.* — vegetabile sine defectione *ib.* — immutabile ad omnimodam incorruptionem *ib.* — unitur animae ut perficienti et moventi *ib.* a — ut tendenti ad raptum *ib.* — eius incorruptio veniebat principaliter ab anima, sed etiam a ligno vitae *ib.* — eius coniunctio cum anima manifestat Dei potentiam, sapientiam et bonitatem *ib.*

— Christi, vide *Eucharistia*

Corrumpere — facilius est quam facere, sicut destruere est facilius quam construere *QD* 108 a in nota et b 3°

Corruptio — semper dicit defectum et processum a completo ad incompletum *QD* 95 b 4° — dicit amissionem rei *esse* 105 a 2° — includit necessario mutationem *ib.* — in quo differat a generatione *ib.*

Creatio — quae est passio, non est accidens *H* 350 a

Creator — cognoscitur per effectus *H* 343 b — quomodo reperiatur in qualibet creatura, vide *Creatura*

Creatura — in Creatore est creatrix essentia *QD* 6 b — comparatur ad Deum in ratione vestigii, imaginis et similitudinis 24 a

— omnis est vel ad Dei vestigium, vel ad Dei imaginem 54 b — habet modum, speciem et ordinem *ib.* — quomodo testificet Trinitatem *ib.* — est producta in *esse* ex tempore, de nihilo, ab uno primo principio solo et summo *B* 219 a — in certo numero, pondere et mensura *ib.* — inferior, non est producta per ministerium intelligentiarum *ib.* — comparatur necessaria ad causam primam *ib.* b — est una, vera et bona *ib.* — habet sex alias proprietates *ib.* — in qualibet reperitur vestigium Creatoris *ib.* — in ea sunt duo diversa rei principia *H* 350 b

— angelica fuit producta a primo principio propinqua 224 a — punita in angelis malis, confirmata in bonis *ib.* et 225 a b, vide *Angeli*

— sensibilis est via ducens in exemplar 386 b, vide *Mundus* — est vestigium sapientiae Dei *ib.* — quomodo se habere debeat ad Deum *H* 432 b

— spiritualis est ut lumen, speculum et imago 386 b — est liber scriptus intus 387 a

— humana quomodo ad Deum ordinetur et compleatur, vide *Homo*

Creaturae — omnes clamant Deum esse, magnis, maioribus vel maximis vocibus, secundum maiorem vel minorem completionem, quam habent *QD* 49 a — indigent Deo propter suum defectum *ib.* b — sunt umbrae, resonantiae, picturae, vestigia, simulacra et spectacula ad contuendum primum principium *I* 302 b — sunt signa quadrupliciter *ib.* et 303 a b

Credibile — est subiectum theologiae *B* 205 b — ut credibile diversimode relucet *ib.* — non omne est intelligibile *H* 377 b

Culpa — omnis dicit recessum ab incommutabili bono et accessum ad bonum commutabile *B* 234 b — est semper voluntaria 239 a — nulla est, quin eam comitetur aliqua poena *ib.* — facit tria 282 b — habet tres effectus *H* 334 a — nulla est a Deo, sed a libero arbitrio *B* 239 b

— originalis, vide *Peccatum*

Cultus Dei — consistit in laude et sacrificio *H* 356 b

Cupiditas — eius abdicatio est consummatio praeceptorum *H* 433 a

Curiositas — dissipat intelligentiam *H* 523 a

Digitized by Google

D

Daemon — pactiones cum eo prohibentur in primo decalogi praecepto *H* 514 a — exemplum cuiusdam doctoris circa hoc *ib.* — in daemonibus est summa omnium vitiorum malitia 516 b

Dan — utrum ex eius tribu nasci debeat antichristus *H* 399 a — cur et quomodo eum figuret *ib.*

Daniel — prandium divinitus accipiens docet, non esse metuendum, ne abrenuntiantibus omnia pro Christo alimentum sit defuturum *QD* 130 a

David — admirabilior saltans quam pugnans *QD* 118 a — saltando se ipsum vicit *ib.*

Debitum — eius ratio duplex *QD* 186 b 2°

Decretum — Urbani Papae approbat proprietatis possessionem in communi *QD* 145 b 11° — non praeiudicat nec damnat modum vivendi in altissima paupertate ab aliis Pontificibus approbatum *ib.*

Definiens — quando dici possit simplicius definito *QD* 77 a 5°

Descendere — quid significet *B* 214 b

Desiderium — terminatum non erit nisi per visionem primi principii *QD* 144 b — est illius quod maxime ipsum movet *I* 305 a — nullus in hac vita sua desideria plene adimplere potest *SS* 541 a

Determinatio — per arctationem, quae fit per additionem unus super alterum, repugnat infinitati, sed quae fit per completionem, non repugnat *QD* 108 a 1°

Deus — posse omnia creaturae comprehendit *QD* 3 b — scientia simplicis intelligentiae scit et comprehendit infinita *QD* 4 b — cognitionis divinae modus triplex 5 a — eius scientia duplex *ib.* b — est agens a proposito 7 a — est speculum aeternum *ib.* b — in eo est Verbum vere et proprie *ib.*

— cognoscit res per rationes aeternas 8 b et seq. — cognoscit res *se ipsas* ut similitudine expressiva omnium 13 b — rationes ideales in eo non pluificantur secundum rem, sed secundum rationem *ib.* b — est incomprehensibilis, non ratione sui, sed respectu naturae creatae 33 b — eius existentia certitudinaliter cognosci potest 45 a

— Deum existere **esse verum indubitabile** demonstratur tripliciter: quia hoc est omnibus mentibus rationalibus impressum, quia omnis creatura proclamat, Deum existere, quia eius existentia est verum adeo certum, ut non possit cogitari non esse 45 a b et seq.

— Deum esse, est intra animam secundum notitiam et extra secundum repraesentationem 51 a 10° — quid est, potest sciri vel plene, vel clare et perspicue, vel ex parte seu in aenigmate *ib.* b 13° — primus modus competit Deo soli, secundus beatis, tertius omnibus hominibus *ib.* — credere Deum esse non habet meritum fidei, nisi quia est substramentum aliorum credibilium *ib.* 14° — quare nolitl esse conscientiae humanae nec totus manifestus nec totus absconditus *ib.* — esse trinum, est verum credibile propter testimonium triplicis libri, Scripturae, creaturae et vitae 54 b — credendum est, eum esse creatorem omnium, punitorem malorum, bonorum retributorem et relevatorem miserorum 56 a

— Deum esse summe unum, deducitur ex parte sublimitatis naturae, omnipotentiae, sapientiae, bonitatis, influentiae, summae causalitatis 59 b sq. — in eo *posse* et *esse* sunt idem 76 a — est finis finiens, non finis finitus 82 a 3° — in eo est quantitas sum molis, sed virtutis *ib.* 4° — est modus sine modo *ib.* b 5° — est potentialiter, praesentialiter et essentialiter in omni creatura 83 b 12° — se ipso uno omnia comprehendit 87 a 8°

— est principium et finis respectu rerum extra et secundum rationem causandi 90 3° — quo sensu dici possit, Deum moveri 100 a 1° — non movetur in mota creatura 101 a 9° — in eo non est neque pars neque totum 106 b 12° — posse, velle et agere in Deo dicitur indifferens ad opposita, non ratione sui in se ipso, sed ratione differentiae in effectu producendo 108 a 2° — quod substantiam est subiectum theologiae *B* 205 b — absolute est principium primum *B* 210 a

— in relatione ad extra est principium effectivum, refectivum et perfectivum *ib.* — in eo est unitas naturae cum trinitate personarum et perfectionibus divinis *ib.* b et seq.

— se manifestat generaliter per universitatem effectuum 214 a — specialiter per effectum spiritualem, hoc est per inhabitationem et apparitionem *ib.* — per effectum sensibilem, id est per descensum in terram et per missionem *ib.* b — est vere, proprie et perfecte omnipotens 215 a — culpabilia, poenalia et materialia ab eius omnipotentia excluduntur sine huius laesione *ib.*

— habet cognitionem rerum simplicissimam et perfectissimam 216 b sq. — vult rectissime et efficacissime 217 b sq. — requievit non ab opere, sed a novarum specierum conditione 220 a — non est primum et summum malum 231 a — non potest facere malum *ib.* — creavit bonum, quod haberet *esse, vivere, intelligere* et *velle*, atque tria in substantia et voluntate *ib.* — fecit hominem sine culpa et miseria 234 b — cur velit exorari a nobis 263 b — est omnium ratio, regula et lux *I* 302 a — habet memoriam, intelligentiam et voluntatem 305 a

— Verbum et Amor in eo non producuntur nec essentialiter nec accidentaliter, sed personaliter *ib.* — in eo sunt virtutes exemplares *H* 361 b — de eo sentiendum est altissime et pissime, altissime et verissime, altissime et optime 376 a — est veritas praeexistens, efficiens, reficiens et consummans 378 a — eius primum nomen est *esse ib.* — *esse* primum sequitur ex omni propositione *ib.* — videtur in omni creatura ut in speculo *ib.* b — est exemplar omnium rerum 385 a — est ars originans, dux gubernans, doctor intellectuum, iudex remunerans per iustissimas leges *ib.* a b — est lux illustrans *ib.* — est ars una et multiplex *ib.*

— est causa prima, immediata, potentissima, actualissima, simplicissima, infinita 386 a — est lux inaccessibilis et prosima, inaffigabilis et intima *ib.* — quomodo res repraesentet *ib.* — est causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi *DD* 497 a — quomodo secundum haec tria intret in animam *ib.* b — dat de se testimonium triplex *SS* 535 b sq. — in omnibus creaturis se testatur trinum *ib.* 536 b — actionibus creaturae naturalibus cooperatur sicut principium et causa; intellectualibus, sicut obiectum et ratio motiva; meritoriis, sicut donum infusum *SS* 571 b — quo sensu dicatur ratio intelligendi 572 a — est lignum vitae *DPL* 577 a

— **in divinis** sunt duae emanationes, tres hypostases, quatuor relationes, quinque notiones, tres proprietates personales *B* 211 b sq. — sunt duo modi praedicandi, quatuor significandi substantiam, quinque dicendi et tres differendi 212 b sq.

— **Esse divinum** est infinitissimum *QD* 79 a sq. — quatenus tale abnegat terminum circa quantitatem virtutis 80 b — eius infinitas non repugnat simplicitati 81 b — debet esse omnino immensum *ib.* — nihil potest eo esse maius vel melius *ib.* — respectu eius mundus totus est sicut quid minimum *ib.* — competit ei infinitas virtutis et dignitatis, non molis et numerositatis 86 a 1°

— est aeternum 87 a b — est immutabile 97 a sq. — est necessarium perfectissima necessitate immutabilitatis 107 b — eius necessitas est omnis *esse*, *vivere* et *intelligere* origo et complementum 108 a — *esse* in eo est primum, quod venit in mentem *H* 378 a — habet duodecim nobilitates, quae reducuntur ad tria *B* 211 b —

Devotio — quatuor praecipue eam conservant *SS* 556 a

Diabolus — volebat et sciebat hominem tentare et potuit, Deo permittente *B* 232 a — assumptio speciei serpentinae in tentando fuit dispensationis divinae *ib.* — tentatio de praecepto disciplinae fuit item divinae dispensationis *ib.* — processus tentationis fuit versutiae diabolicae *ib.*

Dictamen — naturae duplex *QD* 174 a 5° — quod ei repugnat dictanti per modum honesti est semper vituperabile, quod ei repugnat dictanti per modum commodi non est semper vituperabile *ib.*

Digitized by Google

Dies — septimus est dies quietis *B* 220 b — quare non scribatur habere vesperam *ib.* — praefigurat quietem animarum *ib.*

Differentia — nulla est in divinis quantum ad *esse* et modum essendi absolutum *QD* 76 a — quantum ad modos se habendi est in personis ad essentiam relatis *ib.* b — quantum ad rationes intelligendi est in proprietatibus essentialibus, quae re omnino idem sunt *ib.* — in divinis est triplex: maior, minor, minima *B* 213 b

Difficultas — alia est ex genere operis, alia ex infirmitate vitiositatis *QD* 178 b 6°. — prima attenuatur perfectioni virtutis, secunda non facit ad manifestationem virtutis *ib.* — ista non fuit nec in Christo nec in Virgine *ib.*

Diudicatio — quomodo fiat *I* 301 a — quid sit *ib.*

Dionysius — eius doctrina de mystica theologia *H* 341 a — media invantia ad contemplationem iusta illum 342 a

Diotrephes — tempore Apostolorum contra evangelicam paupertatem dogmatizavit *QD* 150 a et in nota.

Disciplina — est duplex *H* 337 a — scholastica sine monastica non sufficit ad habendam sapientiam *ib.* — eius comes est dilectio *ib.*

Dissensio — eius ortus et effectus *SS* 574 a

Diversitas — est duplex, id est ex additione et ex origine *QD* 76 b 2°

Divitiae — sunt incentivum cupiditatis *QD* 127 b

Dolor — est triplex *D* 478 a

Dominicus (S.) — imprecatus est maledictionem omnibus, qui in Ordine suo possessiones inducere conarentur *QD* 138 b

Dona Dei — omnes habitus gratiae dici possunt *generaliter* dona Dei quaedam tamen *specialiter* et *proprie* dicuntur dona Spiritus sancti *B* 257 a — haec enumerantur ab Isaia et sunt septem *ib.* et *DD* 461 b — sunt necessaria ad expediendam animam ad bonum contra impedimenta symptomatum *B* 257 a — ex septiformi causa sunt septifirmia *ib.* — expediunt contra vitiorum obliquitates quadrupliciter *ib.* — eorum effectus duo *DD* 462 b — expellunt septem peccata et introducunt septem virtutes 463 a — petuntur in oratione dominica *ib.* — haberi non possunt nisi a Patre luminum *ib.*

— De singulis donis, vide *Timor*, *Pietas*, *Scientia*, *Fortitudo*, *Consilium*, *Intellectus*, *Sapientia*.

Dubitabile — est duplex per rationis decursum, per rationis defectum *QD* 49 a

Duratio — dicit esse non intercisum *QD* 91 10° — reperitur tam in compositis quam in simplicibus *ib.*

E

Ecclesia — imponit mendicitoaem temporalem in poenam satisfactionis *QD* 139 a — in approbatione Ordinum mendicantium non erravit nec stultizavit 153 a — qui docet, quod *nulli* pauperes, licet validi, ad opera manualia sint astricti, eam corrumpit 160 a — opus manuale, civile, spirituale est ei necessarium ad sui conservationem 161 b — est unum corpus 192 a — habet ordinem secundum ministeria *ib.* — est una hierarchia *ib.* — conformatur hierarchiae supernae *ib.* — est sponsa *ib.* — debet habere sponsum *ib.* — regitur interius a Christo Sponso 194 b, vide *Christus*

— eius unitas requirit unitatem capitis *ib.* b — est convocatio rationalium *H* 322 a — est columna et firmamentum *ib.* b — primitiva posita fuit in paradiso 406 b

— eius septem aetates respondentes septem diebus creationis *H* 400 a — hae sunt rationes seminales ad cognoscendum Scripturas *ib.* — comparatur lunae ob tres rationes 427 b — eius refulgentiae tres *ib.* et seq. — necessaria est ad illuminandum 438 a — habet ordines respondentes hierarchiae supernae *ib.*

Ecstasis — non est idem ac raptus *H* 348 a

Elias — a corvis pastus paupertatem non esse metuendam praedicat *QD* 130 a

Emanatio — emanandi modi duo *B* 211 b — omnis luminis est a Patre *DR* 319 a

Ens — in potentia reducitur ad actum per aliquid actu existens in illo genere *QD* 20 b — omnes eius differentiae clamant, Deum esse 47 a — omne, quod est, aliud est *quo* constat, aliud *quo* discernitur, aliud *quo* congruit 54 b — abstractum quo sensu dicatur perfectius quam concretum 76 b — habet duodecim conditiones *I* 304 a — primi entis attributa sex 309 a — est triplex *SS* 552 a

Episcopus — potentia divitiarum vel paupertatis humilitas eum sublimiorem vel inferiorem non faciunt *QD* 196 b 7° et in nota.

Error — modicus in principio, magnus est in fine *QD* 23 a — errores philosophorum circa Deum et causam exemplarem *H* 360 a — Aristotelis et eius excusatio 365 a

Esse — rerum triplex *QD* 23 b — ab alio dicitur dupliciter 96 a 8° — naturae et gratiae 122 a — esse in carne, secundum quod dicit habitudinem materiae, non est reprehensibile 169 b 3° — secundum quod dicit habitudinem finis, est culpabile *ib.* — est primum Dei nomen *I* 308 b et *H* 378 b — cadit primum in intellectum *I* 308 b — habet sex attributa 309 a — ab alio non facit compositionem *H* 350 b

Eucharistia — in ea datur corpus Christi sub speciebus panis et vini *B* 273 b — fit transsubstantiatio ad prolationem duplicis verbi, remanentibus solis accidentibus *ib.* — instituta fuit, ut genitos in esse gratiae conservaret conservando in eis devotionem ad Deum, roboraret conservando in eis dilectionem ad proximum per sacramentum unitivum, enutriret conservando delectationem intra se ipsos per viaticum refectivum 274 a et *SS* 554 b — qua ratione instituta fuerit sub speciebus panis et vini *ib.* — ad eam digne suscipiendam requiruntur fides et caritas 275 a

— praefiguratur in *pinguedine* ad repletionem inanium *SS* 554 b — in *pane* ad refectionem esurientium 556 b — in *melle* ad illuminationem sedentium in tenebris 558 b — in *agno paschali* ad reconciliationem in umbra mortis sedentium 661 a — in *thesauro caelesti* ad ditationem mendicantium 562 a — in *mannate* ad mollificationem cordium ferreorum 564 b

— accedens ad eam debet habere, rectam intentionem, se excitare ad orationem, inflammari per dilectionem, et erumpere in gratiarum actionem 556 a — debet habere continentiam in carne, munditiam in affectu, in animo passionis memoriam et in desiderio vitam aeternam 561 b — debet etiam habere conatum melioretionis, victoriam tentationis, patrocinium B. Virginis et praesidium illuminatae operationis 559 a sq.

— digne sumentes confortat ad actionem, sublevat ad contemplationem, disponit ad divinam revelationem et animat ad mundi contemptum et caelestium desiderium 557 b — illuminantur in rationali ad cognoscendum summum verum, incitantur in concupiscibili ad quaerendum summum bonum, fortificantur in irascibili ad exstirpandum omne malum, mortificantur ad vivendum secundum Deum 560 a b — ex ea consolationem recipiunt; ipsa fomitem in eis extinguit, tollit amorem mundi et securos reddit in die iudicii 262 b

— instituta fuit sub velamento panis et vini propter fidei meritum, propter cruditatis attactum, propter sensus nostri imperfectionem, propter infidelium exclusionem 564 a b — est cibus genere nobilissimus, sapore suavissimus, continentia dignissimus et efficacia mirabilissimus 564 b sq.

Exercitium — iuxta Apostolum duplex est, spirituale et corporale *DD* 468 a — spirituale est corporali nobilius *ib.* — corporale habet modicam utilitatem *ib.* — pietatis consistit in triplici actu *ib.* b

Expositio — sacrae Scripturae debet litteram memoriae mandare *B* 207 b — attendere ad quatuor eius partes *ib.* — sequi triplicem Augustini regulam *ib.* — praenosse eius veritatem 208 a

Extensio — dicit semper partem extra

Digitized by Google

partem *QD* 94 10* — non est idem ac duratio *ib.* — prima respicitur tantum in compositis, secunda etiam in simplicibus *ib.*

Extremae unctionis sacramentum — qua re institutum *B* 277 a — eius materia est oleum simplex et consecratum *ib.* — valet ad devotionem excitandam, venialia delenda, peccatorum scoriam facilius abolendam *ib.* — fit per inunctionem infirmi in septem partibus determinatis *ib.* et b — non datur nisi adultis et in periculo constitutis *ib.* b — administrator a solis sacerdotibus *ib.* — differt a Sacramento confirmationis in multis *ib.*

F

Factura — Dei vitiata est *QD* 123 b 5* — ratione eius *a quo est*, est aliquo modo deiformis, ratione eius *de quo est*, est aliquo modo defectibilis, ratione vitii *sub quo est*, est aliquo modo deformis *ib.*

Fames — nullibi legitur, pauperem voluntarium ob defectum cibi fame perisse *QD* 133 b 9*

Fatum — vide *Corpora caelestia*

Fecunditas Mariae V. — singularis fuit, nec illi comparanda fecunditas aliarum mulierum *QD* 178 a 2*

Fides — est necessaria ad intelligentiam Scripturae *B* 201 b — est fundamentum stabilieus, lucerna dirigens, ianua introducens *ib.* — est principium cultus Dei et eius fundamentum 214 a — dictat, quomodo sit de Deo sentiendum *ib.* — sola dividit lucem a tenebris, sanat, rectificat et

Filius Dei — est ars plena omnium rationum viventium incommutabilium *QD* 6 a 7 b — est imago et verbum B 212 a — cfr. *Christus*

Finis — quid in ratione aeternitatis *QD* 90 3* — quomodo Deus sit finis respectu rerum extra, vide *Deus*

— dicit limitationem cum defectu 91 a 4* — ultimus omnis veri et boni quid sit *B* 202 b

ordinat *H* 367 b — vocatur caelum et quare 369 a — habet cum lumine nubem *ib.* — est altissima, firmissima, speciosissima *ib.* — habet altitudinem sublimitatis et profunditatis 370 a — quae sint eius duae radices *ib.*

— fidei articuli de Deo sex et de incarnatione sex 371 a b — significantur in sex alis duorum Seraphim *ib.* — in his duodecim est cultus Dei perfectus *ib.* — firmatur ex triplici testimonio Verbi increati, incarnati, inspirati 372 a sq. — eius duodecim fundamenta ex eadem causa et totidem rationes 373 b — quomodo varie vexetur *ib.* — firmatur per testium notitiam certam, ex triplici visione originem habentem 374 a — eius firmitas ex testificantium fama praeclara, concordia plena, sententia firma *ib.* et 375 a — est speciosa secundum duodecim speculationes 377 a

Forma — eius productio dicit differentiam substantialem inter producentem et productum *QD* 106 a 11* — apostolicae praedicationis non fuit instituta tantum ad tempus 150 a — quae formae rerum concretae, abstractae, separatae *DD* 475 a — quas ex his consideret physicus, metaphysicus, mathematicus *ib.*

Fortitudo — est circa timores et audacias *H* 355 a — est contra duo *ib.* — est in anima non in carne *ib.* — est agressio periculorum et eorundem constans et laboriosa perpessio 363 a

— (*Donum Spiritus S.*) est a Deo protegente, redimente, inhabitante *DD* 480 a — figuratur in Samsone *ib.*

— ad eam disponitur anima, per inexpugnabile fidei scutum, per imperturbabile spei solatium, per inextinguibile caritatis incendium 481 a sq. — datur ad perficiendas operationes viriles, ad aëreas potestates prosternendas, ad tribulationes perferendas 482 a b — fuit initium supernaturalis conceptus in Virgine Maria 483 a

Franciscus (S.) — mendicavit et mendicationem suam miraculis confirmavit *QD* 138 b — in regula praecipit fratribus suis, ut vadant pro eleemosyna confidenter *ib.* — est praedicator pacis *I* 295 a — eius visio Seraph alati et eiusdem explicatio *ib.* b — est exemplum perfectae contemplationis 312 b

Futur — quid sit *H* 528 a — eius sex species *ib.* b

Futurum — attribuitur alicui dupliciter *QD* 91 a 5*

G

Gabriel (Angelus) — cuius ordinis vel hierarchiae fuerit *H* 434 b — admittitur valde congrue, quod ad mediam pertineat *ib.*

Gaudium — fruitionis quantum sit *B* 291 a — oritur ex amore et cognitione *ib.* b

Generans — non generat aliud nisi propter materiam *QD* 64 b

Generare — est de sui substantia similem producere *ib.* b

Generatio — in divinis potest stare cum summa simplicitate *QD* 75 a — aeterna non potest per nullum tempus sufficienter explicari 96 b 14* — competit et praeteritum ratione completionis, praesens ratione actualitatis, futurum ratione continuationis *ib.* — melius intelligitur quam dicatur, et melius creditur quam intelligatur *ib.*

— est datio vel acceptio *esse* per consubstantialitatem 105 a 3* — in quo differet a corruptione *ib.* — in aeternitate est alterius modi quam in tempore *ib.* 4* — et spiratio non possunt competere eidem personae productae *ib.* 5* — immutabilitas divini *esse* eam non excludit *ib.* b 7* — existit quodam modo in creatura spirituali ad similitudinem generationis aeternae *ib.*

— in creaturis non fit cum datione totius substantiae *ib.* — in divinis fit cum datione totius essentiae *ib.* — est potius a perfectione summa, quam sit ad supplementum defectus corruptionis principii generativi *ib.* 8* — in statu innocentiae habuisset locum sine corruptione *ib.* — in creaturis fit tribus modis *H* 382 a — generationes in creaturis sunt duodecim, quae unitae formant speculum ad contuendum exemplar divinum 383 a sq. — figuratur in Scriptura *ib.*

Genus — in quolibet genere est unum primum, per quod mensurantur omnia, quae sunt in illo *QD* 192 b — demonstrativum, deliberativum, iudiciale quid sit *H* 352 a b

Germinatio — terrae est vivida, uberrima, venusta *H* 302 a — ei comparatur germinatio Scripturae *ib.*

Goliath — designat antichristum *H* 399 a

Gradus — ascensionis ad Deum principales sunt tres *I* 297 a — comparantur ad quatuor in Scriptura tradita *ib.* — geminantur *ib.* b — potentiarum sunt sex *ib.*

Graeci schismatici — contendebant de *pari* cum Ecclesia Romana *QD* 197 b 12* — excaecati sunt, ut minus bene sentiant de unitate Spiritus S. *ib.*

Grammatica — a rebus naturam trahit *H* 352 b

Grammaticus — bonus alicuius esse non potest, nisi sciat res *H* 352 b — determinat de partibus orationis; de littera, syllaba, dictione et oratione *ib.*

Gratia — perficit naturam tripliciter *QD* 57 b 6* — est donum immediate a Deo donatum et infusum, per quod anima efficitur templum Spiritus S., sponsa Christi et filia aeterni Patris *B* 252 a sq. — quod animam pungit, stabilit et elevat per vigorem virtutis, illuminat, reformat et Deo assimilat per splendorem veritatis, perficit, vivificat

Digitized by Google

et Deo coniungit per fervorem caritatis 253 a — est adiutorium hominis defectivo, recurvo, totaliter Deo subiecto datum ad merendum *ib.* b

— est radix merendi 254 a — non potest mereri de condigno *ib.* — augetur in via et perficitur in patria *ib.* b — revocat liberum arbitrium a malo et excitat ad bonum *ib.* — in sua causa est a principio recreativo 255 a — in suo effectu includit ex parte Dei expulsionem culpae et infusionem gratiae, ex parte hominis contritionem et motum liberi arbitrii *ib.* a sq.

— licet una, tamen ramificatur in habitus rectificantes seu virtutum, expedientes seu donorum, perficientes seu beatitudinum 256 a — est virtutum origo, finis et forma *ib.* — dirigit mentem in credendis, diligendis, assequendis et postulandis 260 a — rectificat animam in potentiis secundum faciem superiorem et inferiorem 256 a sq. — eam expedit contra vitia in suis potentiis, in officiis virtutum, in patiendo conformiter ad Christum, in agendo, in contemplando, in vita mixta 257 a sq. — animam perficit relate ad perfectionis essentiam, modos et dispositiones 258 b sq.

— spiritualiter delectat per spiritualem refectionem et ipsius refectionis perceptionem 259 b — exercet in credendis et in diligendis seu in fide et caritate, in exsequendis, hoc est in praeceptis, et in petendis, id est in oratione 260 a sq. ad 263

— de gratiae ortu, usu et fructu *DD* 457 sq. — quoad ortum descendit deorsum per Verbum incarnatum, crucifixum et inspiratum *DD* 458 a — requirit dispositionem et horrorem peccati *ib.* b

— quoad usum debet esse fidelis ad Deum, virilis in se et liberalis ad proximum 459 a sq.

— eius fructus sunt: remissio peccatorum, plenitudo iustitiae, assecutio beatitudinis aeternae 160 a b — est quadruplex, baptismalis, poenitentialis, finalis et sapientialis *SS* 544 a

— baptismalis conservatur per fidem veritatis, amorem bonitatis, imitationem virtutis *ib.* b sq.

— poenitentialis exercetur per humilitatem, paupertatem, castitatem 545 a sq.

— finalis requirit cooperationem liberi arbitrii 546 b — ut integretur, requiritur stabilis patientia, sublimis confidentia, longanimis perseverantia 547 b sq.

— sapientialis integratur tribus 548 b

Gregorius (S.) — quae verba praemitteret studio legis divinae et ob quam rationem *H* 511 a

Guillelmus a sancto Amore — adversarius Mendicantium et auctor est animadversionum contra doctrinam S. Bonaventurae circa professionem evangelicae paupertatis *QD* 148 b in nota.

Gyrovagi — monachi pessimi erant *QD* 164 a 12°

H

Habere — Deum in nobis quid sit *B* 214 a — dicit effectum spiritualem *ib.*

Habitudines — potentiarum insinuant Trinitatem *I* 305 a

Habitus — cognoscitur per actus *QD* 417 a — virtutum sunt septem *B* 256 a — habent singuli propriam excellentiam *ib.* — connectuntur ad invicem in gratia *ib.* — quoad actus meritorios sunt aequales in caritate *ib.* b — possunt esse informes per culpam, excepta caritate 257 a — reformantur per poenitentiam adveniente gratia *ib.* — virtutis, doni, beatitudinis, quid sint *SS* 562 b

Haeres — quomodo repraesentet statum animae, vide *Status*

Hierarchia — est triplex: ecclesiastica, angelica, divina *B* 204 b — eius descriptio sublimitatem Scripturae demonstrat *ib.*, vide *Scriptura* — eius pulcritudo *B* 205 a — eius definitio secundum Dionysium *H* 434 a — eius divisio et appropriatio *ib.*

— ad eius integritatem requiritur sacra potestas, scientia et operatio 135 b — doctrina Dionysii circa eam 436 b

Hierarchizatio — per eam animus habet gradus correspondentes supernae Ierusalem *H* 441 a — fit in anima secundum potentias interiores 442 b — item secundum potentias superiores 113 a, cfr. *Anima*

Hieronymus (S.) — causam pauperum in paupertate altissima Domino fundatium defendit *QD* 148 b — post studium Ciceronis perdidit saporem in propheticis libris *H* 422 a — fuit flagellatus ante tribunal *ib.*

Hoc autem — quid sit et quo sensu de Deo dicatur *QD* 84 a 11°

Homo — in creatione accepit sensum interiorem et exteriorem *B* 229 a — motum imperativum et exsecutivum *ib.* — bonum visibile et invisibile *ib.* — praeceptum naturae et disciplinae *ib.* b — adiutorium naturae, id est conscientiam et synderesim *ib.* — adiutorium gratiae gratis datae et gratum facientis *ib.*

— ut creatura ascendit ad Deum per vestigium, ut intelligens, per imaginem, ut iustus, per similitudinem 230 a sq. — alius productio fit quatuor modis 214 a

— in statu innocentiae informabilis erat ad gratiam per Verbum increatum *DD* 458 a — post lapsum adaptatus est ad gratiam per Verbum incarnatum *ib.* — erat ineptus ad gratiam suscipiendam *ib.*

— peccans Filium Dei conculcat 159 a

— **Homines** distinguuntur ab invicem qualitate et origine *QD* 75 b — tres hominum ordines 159 b

Honor — debetur Deo in propria natura et in sua imagine *QD* 182 b 9° — latriae alio tribui non debet nisi Deo *ib.*

Humilitas — exterior quoad originem procedere debet ab interiore, secundum legem divini praecepti, vel complacili, vel consilii *QD* 122 a — quoad modum debet praeferre virilitatem, veritatem, honestatem *ib.*

Humus — fundatur in veritate *QD* 123 b 4°

Humilitas — vera non est sine appetitu vilitatis *QD* 118 b — est fundamentum totius perfectionis christianae 120 b — continet tria *ib.* — est ostium sapientiae *ib.* — est fundamentum institiae 121 a — est virtus, qua iuxta vera cognitione sui ipse sibi vilescit *ib.* — est habitaculum gratiae *ib.* b — in ipsa consistit summa totius evangelicae perfectionis *ib.*

— quae dicatur veritatis, quae severitatis 122 a — habet tres gradus *ib.* — quantum ad hoc quod est completionis in ipsa habet exemplar in Deo, quantum autem ad hoc quod dicit defectum et subiectionem non habet 124 b 11° — perfecta habet tres gradus 184 b — in ea est medium salvationis *H* 333 a — sola potest pertransire laqueos inimici *ib.* b

Hypostases — quot sint in Trinitate, vide *Trinitas* et *Deus*

I

Ideae — sunt formae incommutabiles, quae in divina intelligentia continentur *QD* 41 a — quomodo dicantur rationes substantiferae 14 b 2°

Idolatria — habet obiectum triplex *H* 513 b — quomodo prohibentur in Scriptura *ib.*

Iesus — est triplex: elementaris, purgatorius et infernalis *B* 285 a — praecedet faciem iudicis ex omni parte concurrens

ad terrae faciem extrendam, vegetabilia et animalia consumenda, elementa purganda 284 b sq. — ad hoc eius virtus naturalis unietur virtuti supernaturali 285 a

— purgatorius est temporalis, quo spi-

Digitized by Google

ritus iustorum plus minusve puniuntur, gravius quam in hoc mundo et mitius quam in inferno 282 a sq. — infernalis est in loco corporali deorsum, in quo omnes reprobi affligentur aeternaliter 287 b — affliget spiritus *ib.* — affliget etiam corpora, quin ea consumat *ib.* — affliget plus vel minus secundum exigentiam meritorum *ib.* — igni adiicietur poena vermis et poena carentiae visionis Dei *ib.*

Illuminationes — novem explicantur *H* 432 a

Imago — consistit in mente, notitia et amore *QD* 45 b — eius ratio in anima attenditur per comparationem ad Deum *ib.* — dicit comparationem ad Deum non solum sicut principium, sed etiam sicut ad obiectum motivum *SS* 571 b

— imagini formatae non competit subiectio *QD* 182 a 1° — deformatae vel reformandae competit *ib.*

Imitatio Christi — fit praecipue per contemptum sui, affectum proximi et cultum Dei *QD* 110 b

Immensitas — in Deo non tollit summam perfectionem virtutis producentis nec beatitudinis *QD* 84 b sq. — divini esse non excludit simplicitatem naturae nec habitationem Dei in mente per donationem Spiritus S. *ib.* — ubiq adhit secundum *rem* super indivisibilitatem divinae simplicitatis et simultatis, sed solum secundum *rationem intelligendi* 92 a 13°

Imperium — respectu boni rationem voluntarii non minuit *QD* 188 b 16° — respectu mali minuit *ib.* vide *Peccatum* — imperia nostrae facultatis per quatuor impugnantur et impediuntur *SS* 511 a

Impenitentia — finalis duplex est *B* 240 b — est propositum non poenitendi *ib.* — est sequela peccatorum mortalium *ib.*

Impossibile — per accidens quid *QD* 101 b 12° — utrum quaedam sint Deo impossibilia *ib.*

Impugnatio — tum mendicationis evangelicae tum abrenuntiationis universalis redundat in Summum Pontificem eas approbantem, in coetum Sanctorum eas exercentem, in ipsum Christum, qui pro nobis factus est mendicus et pauper, in Apostolos, in ipsum Deum Patrem universorum, et fuit contra statum universalis Ecclesiae *QD* 141 b sq. 155 a

Inaequale — non potest intelligi eius productio, quin prius intelligatur productio aequalis *QD* 113 b 3°

Incarnatio Verbi — fuit conveniens Reparatori, quia in ea commendantur divina potentia, sapientia, benevolentia *B* 211 a — fuit conveniens reparabili, quia in ea Deus homini ineptio ad imitandam divinam virtutem, cognoscendam divinam lucem et divinam bonitatem diligendam se praebet imitabilem, noscibilem, amabilem *ib.* b — fuit conveniens ipsi reparationi, quia in ea homo recuperat suam excellentiam, Dei amicitiam, mentis innocentiam *ib.*

— in quantum est a principio effectivo, est opus Trinitatis 242 a

— in quantum est a principio reparativo, est assumptio carnis et animae secundum triplicem potentiam a persona Verbi *ib.* — spectata in Verbo incarnato complectitur unionem naturarum, plenitudinem charismatum, perpessionem passionum 242 a ad 252 incl., cfr. *Christus* — modus, quo facta est, opponitur modo, quo lapsus est homo 243 b

— facta fuit modo congruentissimo, commmissimo, completissimo, secundum sapientiam, bonitatem, virtutem *ib.* — appropriatur Spiritui S. *ib.* — fieri debuit per concursum trium de triplici hierarchia *ib.* — in instanti per virtutem summi operantis *ib.*

— quoad tempus erat differenda propter libertatem arbitrii, sublimitatem doni, integritatem universi 244 a — perficienda in plenitudine temporum *ib.* — praemittenda ante finem mundi *ib.*

Indigentia — in homine est triplex *H* 391 b

Industriae — secundum speculationes intellectuales quot sint *H* 356 a

Infernus — est in loco corporali deorsum *B* 287 b — ibi peccator punietur triplici poena respondente triplici deordinationi, id est poena aeterna, respondente deordinationi perpetuae; poena acerba, respondente deordinationi libidinosae; poena multiformi, respondente deordinationi multimodae 288 a sq.

— item punietur poena *carentiae visionis Dei* respondente deordinatae aversioni a summa luce et bonitate; poena *ignis* propter conversionem ad bonum commutabile; poena *vermis* propter deordinationem voluntatis contra dictamen rectae rationis *ib.* b — quomodo in inferno ignis agat, vide *Ignis*

Infinitas — potentialis in cognitis sufficit ad infinitatem actualem divinae comprehensionis *QD* 0 b — virtualis et numeralis quid sit 84 a

— in Deo non tollit perfectionem ordinis nec connexionis *ib.* b — divini *esse* non excludit unitatem essentiae nec proprietatem personae nec causalitatem secundum triplex genus causae 85 a — non excludit conformitatem Creatoris et creaturae secundum repraesentationem vestigii et imaginis *ib.*

— ponitur in Deo non per defectum, sed per excessum *ib.* b — ponit immensitatem ex parte producentis, producti et modi producendi *ib.*

— lucis aeternae non tollit adaequationem cum splendore aeterno ab ipsa manante 86 b 5°

Infinitum — dicit excessum improportionalem respectu cuiuslibet finiti *QD* 36 b — infinitum et simplex in quantitate *molis* super diversa fundantur, in quantitate *virtutis* vero sunt idem *ib.* — dicitur dupliciter: per abnegationem finis *complementi* et per abnegationem finis *termini* 81 a — est perfectum et imperfectum *ib.* — quoad *se* et quoad *posse* quid *ib.* — prout ponitur in Deo, dicit verissimam positionem secundum *rem* 82 a

Influentia — rationis aeternae, quae sit necessaria ad cognitionem certitudinalem assequendam *QD* 23 a — in sensu activo accipitur pro quacumque Dei actione transeunte *ib.* in nota.

— divina non est simpliciter quid increatum *H* 431 a

Innascibilitas — est notio Patris *QD* 115 a 4° — est eiusdem proprietas *B* 212 a — notificat illum per modum negationis *ib.*

Innocentia — in statu innocentiae fuisset generatio absque libidine, servata mundicia in mente et in carne *QD* 179 a 8° — in mente est secunda columna domus Sapientiae *DD* 501 b

Inopia — est duplex *QD* 130 b 1° — involuntaria promptitudinem inducit ad peccandum *ib.* — voluntaria habet sufficientiam et disponit ad iustitiam perfectam *ib.* — est corporalis et spiritualis 142 b 1°

Intellectus — divinus habet in actu quidquid in humano est in potentia *QD* 3 b — uno actu intelligit 87 a 9° — principians principiat per verbum et donum amoris intrinsecum 113 b — humanus est possibilis ad infinita 3 b — est quodam modo omnia 7 a — habet tres defectus, iuxta quos potest esse in eo dubitatio circa existentiam Dei 49 b

— creati actus et operatio differt ab intelligente et intellecto 87 a 9° — omnem intellectum rei resolvit in intellectum eius *quo* est et *quod* est 71 a — est speculativus et practicus *B* 227 b

— contemplans in rebus creatis videt pondus, numerum et mensuram *I* 298 b — credens attendit rerum originem, decursum et terminum *ib.* — ratiocinabiliter investigans videt, quaedam tantum esse, quaedam esse et vivere, quaedam esse, vivere et discernere *ib.* — ex his assurgit ad contemplandum quatuor Dei attributa 299 a

— sacrae Scripturae litteralis unus est, mysticus est triplex *DR* 321 b

— intellectus (*Donum Spiritus S.*) est regula circumspectionum moralium, ianua considerationum scientialium, clavis contemplationum caelestium *H* 343 a — praecedere debet donum sapientiae *ib.* — quid sit iuxta S. Franciscum Assis. *ib.* — clavis est triplex intellectus: verbi increati, incarnati, inspirati *ib.*

Intelligere — est actus nullo modo simplicitati repugnans *QD* 78 a — nostrum non est sine continuo et tempore 90 b — per visibilia manuducimur ad divina intelligenda *DPL* 575 a

Intentio — in coniugii usu est quadruplex *QD* 169 a

Intercessio — Sanctorum imploratur ob triplicem rationem *B* 264 a

Involuntarium — est duplex *B* 240 b

Ioannes Baptista — Virgo fuit et virginitatem commendat *QD* 175 a

Ioannes Evangelista — a Domino magis diligitur ob eius virginitatem *QD* 175 a

Iovinianus — male, immo haereticae de virginitate sentiebat *QD* 177 b

Ira — offensiva quotuplex sit *H* 526 b

Irradiatio — dicit orthogonalem ipsius luminis directionem *QD* 11 a

Digitized by Google

ISAAC — monachus, fuit amator praecipuus paupertatis *QD* 148 a — dicebat, monachum, qui possessionem quaerit, monachum non esse *ib.* — vita eius claruit magnis miraculis *ib.*

IUDARI — certo convertentur in finc *H* 401 b

IUDICIUM — certum de consiliabilibus est per aliquam legem superiorem *I* 305 a

— **Iudicium finale** cur locum certa habere debeat *B* 281 a — in eo fiunt tria: iustae retributiones praemiorum, apertae declarationes meritorum et irrevocabiles lationes sententiarum *ib.* b

— fiet aperta declaratio meritorum per apertionem librorum conscientiarum et vitae, ad manifestationem rectitudinis veritatis, quae creaturam invitavit ad beatitudinem, erudivit ad veritatem, obligavit ad institiam *ib.* et 282 a

— fiet iusta retributio stipendiorum culpae per impiorum condemnationem, et iustitiae, per bonorum glorificationem ad manifestationem plenitudinis bonitatis Dei *ib.* a — ut irrevocabilis latio sententiarum fiat, requiritur, ut iudex sit Deus simul et homo *ib.*

— **Iudicia Dei** habent sex proprietates *B* 201 b — sunt septem *DD* 465 a — singula exponuntur et explicantur cum practica applicatione *ib.* a et b

— mediocrium saepe sunt obliqua et quare *SS* 540 b

— haristarum sunt distorta et cur *ib.*

— astrologorum sunt fallibilia et ob quam causam *ib.*

— theologorum sunt saepe minus recta et qua de causa *ib.*

IUGUM — evangelicae legis suave est *QD* 187 a 4°

— obedientiae simile est oneri non gravanti, sed confortanti *ib.* vide *Onus*

IURAMENTUM — de se propinquum est malo et modicae utilitatis *QD* 188 b 15° — in hoc differt a voto *ib.*, *cfr.* *Votum*

— debet habere tres comites *H* 517 b — est assertorium et promissorium *ib.* — quid de eo docuerint Manichaei 518 a — iuramenti promissorii finis est triplex et triplex utilitas *ib.*

IURISDICTIO — est semiplena, plenissima et media *QD* 197 a 9° — semiplena potest committi, plenissima non potest *ib.* — media est multiplicabilis *ib.*

IUS — naturae dictat ordinem *QD* 179 b — dictat parem inter domesticos *ib.* — docet, gradum esse servandum 180 a — dictat ordinem hierarchicum *ib.* — dictat reddere unicuique quod suum est *ib.* — dictat obedientiam rectae rationi *ib.*

— civile distinguitur a iure gentium 181 b in nota.

— gentium quid significet *ib.*

IUSTIFICATIO — impii requirit quatuor *B* 254 b

IUSTITIA — habet triplicem actum, id est, rectificat voluntatem, eam conformando ad veritatem; ordinat, faciendo eam transire per tres gradus humilitatis; recompensat, eam inducendo ad se totam dandam ei qui se totum dedit *QD* 185 b sq. — nihil aliud est quam voluntas ordinata et recompensativa *ib.*

— est naturalis, civilis et caelestis 194 a — iustitiae naturalis duplex est ordo *ib.* — per eam ordinantur elementa mundi *maioris* et *minoris* *ib.*

— ordo iustitiae civilis requirit, quod unus sit principalis iudex et dux *ib.* — ordo iustitiae caelestis requirit, quod omnes spiritus disponantur sub obedientia unius spiritus supremi *ib.*

— originalis quae sit *B* 275 b — erat transmittenda ad posteros *ib.* — transmittitur eius defectus *ib.*

— secundum leges politicas est circa quatuor *H* 356 b — est habitus suam unicuique tribuens dignitatem 363 a — habet quatuor fructus et quatuor actus 417 a

— divina quomodo poniat culpam, vide *Infernus*

L

LABOR — corporalis ab Apostolo impositus quo sensu intelligendus *QD* 144 a 9° — potest studeri et qui potens est spiritu et corpore, utpote opus perfectius 145 a — laudandus et suadendus, sic tamen, ut opera spiritualia non impediat *ib.* — ad eum non omnes pauperes valdi sunt adstricti 158 b sq.

— contemplatio, praedicatio, spiritualis occupatio a labore manuali dispensant *ib.* — aliquibus iubetur sub praecepto, aliquibus sub consilio, aliquibus neutro modo 160 a sq. — valet ad corpus domandum, otium tollendum, victum honeste quaerendum 162 b 5°

LAMECH — introduxit bigamiam *H* 398 a — fuit luxuriosissimus et per hoc designat antichristum *ib.*

LASCIVI — non eradicantur nisi per rigorem austeritatis *QD* 118 b

LATRI — quid sit *H* 513 a

LAUS — est duplex *QD* 112 b 8°

LEX — duplicem legem dedit Deus hominibus: imperfectis legem timoris, perfectis legem amoris *B* 262 b — per eam habetur notitia veritatis *DD* 457 a — se habet ad gratiam sicut virtus apprehensiva ad motivam *ib.* — nemo salvatur per eam, nisi adsit gratia *ib.* b

— aeterna est illa qua, incommutabili permanente, cetera ordinantur *QD* 181 a — qua iustum est, ut omnia sint ordinatissima *ib.*

— naturalis, est impressio facta in anima a lege aeterna *ib.* — dictat subiectionem inferioris versus superiorem, sed in quaedam generalitate *ib.* — dictat obedientiam filialem secundum duplicem statum naturae lapsae et naturae institutae *ib.* b — obedientiam servilem dictat non simpliciter, sed in statu naturae lapsae et ad peccati punitionem *ib.* — obedientiam iurisdictionalem dictat secundum statum naturae reparatae *ib.* *cfr.* *Superioritas* et *Obedientia*

— Moysaica habet praecepta iudicialia, figuralia, moralia *B* 262 b — erat lex rigoris *QD* 181 b — punichat triplicis obedientiae transgressores *ib.*

— gratiae seu evangelica consiliorat naturae ortum, lapsum et remedium *ib.* — est libertatis, non per exclusionem obligationis ex voto, sed per excusionem moralis servitutis a timore servili procedentis 186 b 1° — in ea praecepta iudicialia legis scriptae temperantur, figuralia evacuantur, moralia consummantur per praecepta decalogi, quae hominem ordinant ad Deum et ad proximum, et per tria consilia evangelica, quae hominem elongant a malo *B* 262 b

— decalogi est scripta in corde hominis *QD* 179 a — dictat per dictamen naturae *ib.* — praecipit, parentes honorari *ib.*

LIBER — est triplex: creaturae, Scripturae et vitae, et secundum hanc triplicem divisionem dat quoad fidem in mysterio Trinitatis triplex testimonium: efficax, efficacius, efficacissimum *QD* 51 b

— creaturae dat duplex testimonium de Trinitate: de longinquo et de propinquo *ib.* sq. — est nobis in multis ignotus *H* 340 a — quasi emortuus per originale peccatum, illuminatur et reparatur per librum Scripturae 390 a

— Scripturae testificatur etiam dupliciter: implicite et explicite *QD* 55 a b

— vitae dupliciter testificatur: in *patria* expresse et explicite, in *via* secundum influentiam luris, cuius capax est anima *ib.* b

— scriptus foris, scriptus intus, scriptus intus et foris qui sit *B* 229 a *H* 386 b

— libri legales movent ad bonum et revocant a malo per praecepta, historiales per exempla, sapientiales per documenta, prophetales per aggregationem omnium praedictorum *B* 203 a b

— Sanctorum quomodo adhibendi ad intelligentiam Scripturarum, vide *Scriptura*

LIBERALITAS — in effectu est quinta columna domus Sapientiae *DD* 502 b — eam debent habere praelati *ib.*

LIBERTAS — est triplex: a miseria, a culpa et a coactione *QD* 182 a 5° — a coactione sufficiente et inducente quid sit *ib.* — voluntatis creatae stat cum infallibilitate praedestinationis aeternae *B* 217 a

LIBERUM ARBITRIUM — est facultas rationis et voluntatis *B* 227 b — non dicitur de parte animae, sed de tota *ib.* — est prin-

Digitized by Google

cipium meriti vel demeriti *ib.* — eius est gratiae consentire, vel ab ea dissentire *ib.* — gratiam suscipit consentiendo et ei cooperando *ib.* — quomodo per gratiam revocetur a malo et excitetur ad bonum, vide *Gratia*

Libido — invenitur in omni peccato *QD* 119 a — est appetitus animi, quo aeternis bonis quaelibet temporalia praeponuntur *ib.* in nota — destruitur per dolorem compunctionis *ib.* — conatur actum pudicitiae coniugalis ut poena, non ut culpa 170 a 8° — est tripliciter vitiosa *ib.* b 9° — principiandi, delectandi, possidendi quae sit *H* 443 a — induit diabolum in animam *ib.*

Lignum vitae — datum est ad vegetationem continuam et tandem ad immortalitatem completam *B* 228 a

— paradisi est duplex *H* 332 a

Loculi — Christus loculos habuit ob tres causas *QD* 131 a 2° — non minuerunt in illo eius paupertatem *ib.*, cfr. *Christus*

Locutiones — sunt quaedam impropriae, quae sunt advertendae, cum de personis SS. Trinitatis agitur *B* 214 b

Logica — christiana quae sit *H* 334 b

Lucifer — erat primus inter Angelos *B* 224 b — cecidit cum consentientibus sibi, perdidit locum summum, factus est impoenitens, obstinatus et obcaecatus *ib.* — peccavit praesumptione et ambitione 225 a — immutatus est quadrupliciter *ib.*

— quaerit coli et adorari ab hominibus *ib.* b — omnia male agit *ib.* — factus est obscurus, quia recessit a suo originali principio *DD* 459 b

Lupus — bonus quid sit *QD* 122 b — praebet Angelis spectaculum *ib.*

Lumen — certitudinale est incorruptibile *QD* 19 a — infusum et infusum quo sensu sit ratio movens ad credendum 56 b — est quadruplex *DR* 319 a — septuplicatur secundum septem artes mechanicas *ib.* — quintuplicatur secundum quinque sensus 320 a — eius sex differentiae 321 b

Luminosum — ipsi debetur circumferentia et quare *B* 223 a

Luna — mirabiliter crescit et minuitur *H* 428 a — significat hominem in vita contemplativa et activa *ib.* b

Lux — habet influentias quatuor *H* 363 b — intellectus creati non sufficit ad certam comprehensionem rei cuiuscumque absque influentia lucis aeternae *SS* 569 b — Verbi quomodo concurrat ad perfectam cognitionem rerum *ib.*

— **aeterna**, quomodo eius influentia et praesentia requiratur ad cognitionem certitudinalem *QD* 34 b

M

Macula — peccati originalis quomodo curetur, vide *Peccatum originale*

Magister — dicitur communicatur scientiae *QD* 196 a — quatenus insinuat auctoritatem principalem, debet hoc nomen tribui soli Deo; quatenus dicit ministerium, etiam homini, non sicut principali actori, sed sicut dispensatori *ib.*

— principalis unus est Christus *SS* 572 b, cfr. *Christus*

— ministerialis debet intendere scientiae veritatis fidei, disciplinae sanctitatis, benevolentiae caritatis 573 b

Malum — est duplex: culpae et poenae *B* 238 b — culpae differt a malo poenae *ib.* — a malo aliquis revocari potest per praecepta, per documenta, per exempla et per beneficia 203 a — quid sit, unde sit et quare sustineatur *SS* 552 a — quomodo puniatur *ib.* b

Mandatum — laborandi est sicut mandatum generandi *QD* 162 b 3° — quod respicit conservationem speciei non obligat nisi in communi *ib.*

— divinum cur sit duplex *B* 262 a

Manichaei — angelas malas appellabant et fornicationi comparabant *QD* 168 b — cibos esse malos credebant *ib.* — pluralitatem principiorum ponebant *B* 219 a — quare timebant comedere de fructibus arborum nec agrum spinis purgare *H* 526 b — transmigrationem animarum admittebant *ib.* in nota.

Manna — est figura corporis Christi *SS* 564 b, vide *Eucharistia*

Mansuetudo — facit animum nobilem *H* 355 a — falsa, quae et quando *ib.* b

Margaritae — his comparantur duodecim speculationes fidei; hae sunt fulgidae, vivificae, lucundae *H* 377 b — eis comparatur fides *ib.*

Maria Virgo — etiam post partum exstitit virginitatem *QD* 175 a — mater fuit completissimo modo *B* 214 a

— allegorice, significatur a sole *H* 392 a — comparatur apis *SS* 559 a — protulit pretium nostrae redemptionis ut fortis et sancta *DD* 484 a — illud persolvit ut fortis et pia 486 b — illud possidet ut fortis et strenua 488 a

— fuit sancta sanctitate pudicitiae incorruptae, obedientiae promptae, benevolentiae plenae 484 b sq. — figuratur sex modis, significantibus sex proprietates amoris divini 485 a b

— fuit pia pietate venerationis divinae, compassionis ad Christum, miserationis ad mundum 486 b sq. — est pia mater Christianorum *ib.*

— fuit strenua, viriliter pugnans contra serpentem, cuius caput contrivit, nobiliter de diabolo triumphans ut Iudith, sublimiter regnans ut Esther 488 a b

Martyres — testimonium Christi *informaticum*, quod in passione dedit, imitati sunt *SS* 538 a — dicuntur *testes*, quia Christum imitati sunt non tantum in vita et doctrina, sed etiam in patientia *ib.*

Matris — aeterna admitti non potest *H* 351 b

Matrimonium — est bonum honestum, conferens et delectabile *QD* 172 b, cfr. *Coniugium* — eius honestas habet annexam libidinem, eius utilitas habet annexum damnum distractionis ab oratione, eius delectabilitas habet adiunctam tribulationem carnis *ib.* — nullus ab eo prohibetur, nullus ad ipsum arcetur invitus *ib.*

— ante peccatum fuit in *officium* naturae, post peccatum in *remedium* *B* 279 a — est legitima coniunctio maris et feminae *ib.* — habet bona tria et impedimenta duodecim *ib.* — ante peccatum significabat coniunctionem Dei et animae, post peccatum coniunctionem Christi et Ecclesiae *ib.* b

— est Sacramentum novae legis *ib.* — eius impedimentorum congruentia 280 a

— requirit libertatem in consensu *ib.* — eius causae de iure spectant ad Ecclesiam *ib.*

Maturitas — in iudicio est columna sexta domus Sapientiae *DD* 503 a

Mediator — fides Mediatoris necessaria est ad salutem *QD* 52 a — supponit necessario distinctionem personarum *ib.*

Medietates — a Philosopho ponuntur duodecim *H* 354 a — circa quae ponantur *ib.*

Medicina — scientiarum est septiforme *H* 331 a — physici est duplex 332 b — amissum in circulo invenire non potest nisi per lineas duas se orthogonaliter intersecantes 343 b — significat virtutem crucis *ib.* — quid sit in consideratione logici *ib.* b

Mel — figurat corpus Christi *SS* 558 b — purificat visum *ib.*

Memoria — habet triplicem operationem *I* 303 b

Mendacium — est triplex *H* 529 b — utrum Deus facere possit, quod non sit peccatum *ib.*

Mendicare — nulla lege prohibetur *QD* 139 a — per obedientiam impositum efficitur laudabile et meritorium *ib.* — in pauperibus debilibus et infirmis est necessitas naturae, in validis otiosis est vitiositas culpae, in pauperibus voluntariis est actus consonus evangelicae perfectioni 154 b

Mendicatio — non est culpanda, immo est perfectionis evangelicae *QD* 140 a — ex necessitate naturae potest esse meritoria et laudabilis *ib.* — ex vitiositate culpae semper est vituperabilis *ib.* — est potissimum reprehendenda in eis qui habent speciem sanctitatis *ib.* — ex supererogatione iustitiae valde laudabilis est, quia praesefert imitationem Christi *ib.* b 141 a — est duplex: voluntaria et coacta 142 b 3° — non est perfectionis, nisi praesupposita universali abrenuntiatione omnium 146 a 14° — Christi est imitanda 151 a

Digitized by Google

Mendicus — dicitur qui ab alio petit *QD* 137 b

Mens — eius aspectus tres *H* 297 a

Mensa caelestis — est sapientialis *SS* 542 a — rationes creaturarum sunt eius fercula *ib.*

Metaphysicus — quomodo assurgat ad consideration τοῦ *esse* *H* 334 b — in quo convenit cum physico et ethico *ib.*

Minister — Sacramentorum debet habere intentionem *B* 269 a — pro aliquibus debet esse sacerdos et pro aliquibus etiam pontifex *ib.*

Miseratio divina — habet plures gradus *DD* 471 a

Missio — in divinis non accipitur proprie, sed translative *QD* 101 a 9° — fit tribus modis 149 b — mendicantium non praeiudicat Ecclesiae, sed potius valde utilis est *ib.*

— mittere est solius Patris *B* 214 a — mitti solius Spiritus S. *ib.* — mittere et mitti est Filii *ib.* — mitti quid sit *ib.* b

Mixtio — fieri nequit nisi per contraria agentia et patientia *B* 221 a

Mobile — aliquid dicitur per causalitatem efficientem, per exemplaritatem repraesentantem, per varietatem inhaerentem *QD* 100 a 1°

— primum movet omnia mobilia et omnes motores 192 a, cfr. *Mundus*

Modalitas — dicit actualitatem cum adiuncta possibilitate *QD* 100 b 2°

Moderantia — in sermone est tertia columna domus Sapientiae *DD* 501 b

Modus — quotuplici modo anima feratur in infinitum *QD* 35 a — excessivus cognoscendi quid sit 40 a — differt quadrupliciter a modo comprehensivo *ib.* — emanandi duplex 85 b — volendi triplex 110 b

— humiliationis quotuplex sit, vide *Humiliatio*

— mendicationis quotuplex sit, vide *Mendicatio*

— vivendi de alieno triplex est 163 b 9°

— studendi debet habere quatuor conditiones *H* 421 a

— **Modi** divinarum attributionum sunt tres *QD* 76 a — essendi in divinis sunt id quod essentia *ib.* — se habendi ponunt differentiam in personis divinis ad essentiam relatis *ib.* b, vide *Differentia* — praedicandi, supponendi, significandi, dicendi, differendi in divinis qui et quot sint, vide *Deus*

Monachi — aliqui regulares habent in professione et voto laborem manualem, aliqui non *QD* 161 a 12° — quatuor genera, scilicet coenobitae, anachoretae, sarabaitae et gyrovagi *ib.* a — quare sic nominentur *ib.* b

Monarchia — caelestis respondet luci solari ob tres rationes *H* 425 b

Monasteria — primitiva instituta erant ad vitam solitariam agendam *QD* 161 b 12° — competebat illis astringi ex professione ad opus manuale *ib.*

Motus — est ab ente quieto et propter eius quietem *QD* 47 a — est duplex in homine *B* 229 a

Moyses — accepit excellenti modo sermonem sapientiae ut minister legis figurae *SS* 572 b

Mulier — formata est de latere viri in consortium, adiutorium et propagationem immaculatam *B* 228 a — quomodo peccaverit 232 b — sola fuit seducta 233 a — poena ei fuit duplicata *ib.*

Multiformitas — est secundum rationem informandi et secundum rationem exprimendi *QD* 73 b 14°

Mundus — in mundo *minori* omnes vires obtemperare debent uni *QD* 192 a — in *maiori* omnia mobilia et omnes motores regulantur secundum primum motorem et primum mobile *ib.* — decurrit per tria tempora *B* 203 b — mundi *maioris* decursus respondet decursui vitae *minoris* 204 a — similis est carmini *ib.*

— productus est in *esse* ex tempore et de nihilo 219 a — non est aeternus *ib.* — non est a duobus principiis *ib.* — quantum ad *esse* consistit in natura caelesti et elementari 220 b

— ordinatur ad Deum ut ad principium creativum, ut ad obiectum motivum, ut ad donum inhabitativum 230 a — est quasi quidam liber *ib.* — exprimit Trinitatem tripliciter *ib.*

— eius sex status 285 a — eius perturbatio sequitur perturbationem hominis *ib.* — in iudicio commovebitur, expurgabitur, innovabitur, consummabitur *ib.* b

— intrat in animam secundum tres operationes *I* 300 a — sunt tria genera in eo *ib.*

— sensibilis est via ad contemplandum Deum *H* 386 b — est umbra, via, vestigium, liber scriptus foris *ib.*

— decurrit secundum septenarium 404 b — item secundum tempora originalia, figuralia et gratiosa *ib.*, vide *Numerus*

Munificentia — donat cupiditatem *H* 355 a — comprehendit duo *ib.* — est fons *ib.*

Mutatio — est vel ab *esse*, vel in *esse*, vel secundum substantiam, vel secundum accidens *QD* 97 b — nulla potest esse in Deo *ib.*

— est secundum formam, secundum situm, secundum tempus 99 a — fit tripliciter 104 a — ad *esse* non est sine inceptione, in *esse* non est sine successione, ab *esse* non est sine defectione *ib.* — semper incompletionem dicit *ib.* b 2°

Mysterium — significantur in quadruplici ordine lapidum in ornatu Pontificis *H* 395 b — in quolibet ordine sunt tria *ib.* sq. — in his est tota Scriptura 396 a — in his figurantur Christus et antichristus *ib.*

— **mysterium** numeri quindecim *H* 401 a — numeri septenarii et eius applicatio 404 a sq. — oritur a mundo archetypo *ib.* — mundus decurrit secundum ipsum 405 a, cfr. *Mundus* — correspondentia mysteria septem temporum figuralium 406 b sq.

N

Natura — est specifica differentia unamquamque rem informans *QD* 65 b — in emanatione personarum se habet in ratione communicabilis *ib.* — eius plurificatio in Christo non repugnat unitati personae *ib.*

— eius perfectio dupliciter intelligitur, quatenus est natura communiter et quatenus est natura rationalis 179 b 10° — est vis insita rebus ex similibus similia procreans 181 a — in definitione personae cadit in obliquo 66 b 8°

— corporea quantum ad *fieri* est producta in *esse* ex nihilo ante omnem diem, distincta per triduum, ornata et consummata per alterum triduum *B* 212 b — est luminosa, perspicua et opaca *ib.* — quantum ad *esse* est duplex 220 b

— elementaris distinguitur in quatuor sphaeras *ib.* — caelestis quid sit *ib.* — est vel uniformis et immobilis, vel mobilis et multiformis 221 a

— sensibilis sola ordinatur ad animem *ib.* b — est triplex: summa, media et infima 223 a — collocata est in mundo secundum *sub* et *supra* *ib.*

Necessarium — duplex est: id est in genere et extra genus *QD* 109 a 7° — in eventu seu effectu non est formidandum *ib.* b 9° — secundum statum intrinsecum est maxime formidandum *ib.*

Necessitas — est vel omnino extrinseca, vel omnino intrinseca, vel partim extrinseca et partim intrinseca *QD* 107 b — omnino intrinseca in creatura reperitur *secundum quid*, in creatrice essentia *simpliciter* *ib.* — est etiam coactionis et tensionis 186 b 1° — primo repugnat legi libertatis, secunda non *ib.*

Nemesis, vide *Benignitas*

Nemrod — primus se fecit imperatorem, et eius auctoritate aedificata est turris *H* 398 b sq. — quomodo designet antichristum *ib.*

Nihilum — non potest aliquid ab eo educi, quin habeat *esse* post non *esse* et sit a principio essentialiter differente *QD* 106 a 10° — eductio ex eo ale necessitate ponit inceptionem et mutationem *ib.* — est duplex 122 a

Nobilitas — quod in natura dicit nobilitatem *simpliciter* vere et proprie tribuendum est creatrici essentiae, sed quod dicit eam *secundum quid* non debet tribui *QD* 71 b 3°

Digitized by Google

NOM

Nomen — est quasi notamen, quia notat substantiae qualitatem *H* 352 a in nota.
— Dei quando dicatur non sumi in vanum et quando dicatur sumi *DP* 518 b

Notiones — quot sint in Trinitate, vide *Trinitas* et *Deus*

Notitia — omnis secundum speciem est similis ei rei, quam novit *QD* 7 a — est causans res et causata a rebus 9 a — ad primam requiritur similitudo *exemplativa*, ad secundam similitudo *imitativa* *ib.* — transiens in affectum est sapientia *H* 356 a

Numerus — eius infinitas non est incomprehensibilis Deo *QD* 3 a — in animo Creatoris fuit maximum exemplar, non quod in Deo proprie sit numerus, sed quia Ipse cognoscit numerum, secundum quem proportiones rerum creandarum attenduntur 15 a 8° — eius septem species *I* 302 a — invenitur in omnibus *ib.* — durit in Deum *ib.*
— senarius perfectus est, ideo in illo Deus fecit mundum *H* 351 b
— septenarius est numerus universalitatis 404 a — invenitur in mundo *maiori* et *minori* et in Deo *ib.* — habet magnum mysterium *ib.* b — oritur a mundo archetypo *ib.* — mundus decurrit secundum eum *ib.*
— duodenarius est abundans *B* 252 b
— sexagenarius est perfectus *DD* 480 a

Nunc — aeternitatis dicit simplicem simultatem et differt ab aeternitate quae dicit interminabilem immensitatem *QD* 92 a 13° — est tota essentia durationis *ib.* b 14° — differt a puncto *ib.*

NUN

O

OBE

Obedientia — quod homo obediendo subiaceat alteri, est consonum iuri naturali et legi scriptae *QD* 179 a sq. — est filialis, servilis, iurisdictionalis 181 b — filialis dictatur a lege naturali tam in statu naturae lapsae quam in statu naturae institutae; servilis dictatur tantum in statu naturae lapsae; iurisdictionalis dictatur in statu naturae reparabilis vel reparatae *ib.*, cfr. *Lex naturalis* — nos elongat a peccato diaboli 185 a — quando dicatur mera *B* 229 b — parentibus tribuenda est in triplex *DP* 524 a

Obiectum — philosophiae sunt res, ut sunt in natura, theologiae sunt res, prout spectant ad gratiam et gloriam *B* 205 a

Oblectatio — quomodo fiat *I* 300 b — est triplex *ib.* — eius ratio 301 a

Obligatio — veniens ex reatu culpae est vitanda *QD* 146 b 15° — veniens ex affectu caritatis perfectae est acceptanda *ib.*

Occasio — tripliciter fieri potest *DP* 526 b — quae et quando sit prohibita *ib.* — conditiones, ut sit licita 527 a — quid, si casu vel necessitate sequatur *ib.* — quid, si voluntate *ib.* — interpretativa quae sit et quando fiat *ib.*

Occupatio — spiritualis, utrum dispenset a labore manuali, vide *Labor*

Oculus — triplex: carnis, rationis contemplationis *B* 230 b

Odium — falsi causatur in anima ex amore veri *QD* 46 a — est ipsi a natura insertum *ib.*

Offensa — proximi quotuplex sit *DP* 526 a

Officium — medium et officium perfectum quid sit *QD* 133 a 6° — quid de his quoad largitatem et paupertatem spiritus *ib.*

Omega — revolvens ad alpha, significat finalem statum concordare cum primo *QD* 118 a

Omnipotentia Dei — excludit quatuor actus *B* 215 b — extenditur ad omnia, quae veniunt a potentia completa et ordinata 216 a, cfr. *Deus*

Oves — est aggravans et vigorans seu adminiculans *QD* 187 a 4°

Opacum — ei debetur centrum *B* 223 a

Operatio — egrediens a potentia attenditur secundum maiorem vel minorem virtutem ipsius potentiae *QD* 36 a — dicitur ipsum opus operans et opus operatum 73 a 12°
— manualis non est de essentia consilii 143 a 6° — consonat evangelicae perfectioni, dummodo non impediat maiora bona *ib.* — competit non occupatis circa maiora *ib.* b
— divina in productione mundi fuit triformis *B* 220 a

Opus — spirituale est quadruplicis generis *QD* 161 a — manuale aliquibus imponitur, aliquibus consulitur, aliquibus minime imponitur *ib.*, cfr. *Labor*
— reparationis multiplex est *B* 205 b — habet aspectum ad Christi oblationem principalem *ib.*
— Dei tripliciter dicitur *H* 340 a — in quolibet est eius vestigium *ib.*
— **Opera** mechanica sunt septem *DP* 521 a — relata ad observationem tertii mandati decalogi *ib.*
— facienda pro sanctificatione Sabbati *ib.*
— misericordiae quotuplex sint *ib.*

Oratio — cur Deus velit exorari a nobis *B* 263 b — vult exorari per nosmetipsos et per Sanctos *ib.* — eius conditiones sunt fervor, recollectio, fiducia 264 a
— mentalis est ascensio intellectus in Deum 263 b — vocalis est petitio decentium a Deo *ib.* — Deus vult utraque exorari et quare *ib.*
— est mater et origo sursumactionis *I* 297 a
— **dominica** continet septem petitiones *B* 264 a — ad quid spectent primae tres et quatuor aliae *ib.* — his septem petuntur septem dona Spiritus S., sanctificatio nostra, consummatio humanae salutis, adimpletio divinae legis, refocillatio virtutis aeternae, remissio peccatorum, propulsatio fraudis hostilis et subiugatio concupiscentiae carnalis *DD* 463 a b

OPE

Orator — quid praestare debeat, ut bene adimpleat partes suas *H* 353 b

Ordines — eorum influentia *H* 404 b

Ordo — est dispositio parium disparium que sua loca cuique tribuens *QD* 179 b — est perfectissimus, ubi est reductio perfecta ad summum 194 b — est duplex: naturae et iustitiae *B* 239 a — primus est in omni natura, secundus consistit in voluntate electiva *ib.* — huic duplici respondet duplex malum, id est culpae et poenae *ib.* — est servandus in dilectione *H* 524 b — vivendi, vide *Deus*

Ordo, sacram. — est signaculum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato *B* 277 b — est signaculum distinctivum, ordinativum et potestativum 278 a
— ut est signaculum distinctivum, praecedit a tonsura et psalmistatu *ib.*
— ut est ordinativum, facit ascendere ad sacerdotium per gradus seu ordines remotiores, propinquiores, proximos *ib.* b
— ut est potestativum, competit ei potestas simplex et potestas excellens tum ordinis tum iurisdictionis *ib.* — utraque eius potestas terminatur in uno Pontifice summo *ib.*
— **ordines** fundamentales sunt tres *H* 438 a — promotivi tres et consummativi tres *ib.* — eorum respectivae correspondentiae *ib.* sq.
— Ecclesiae militantis quotuplex sint et cui correspondeant 439 a sq.
— Angelorum sunt novem et unde denominentur *B* 226 a
— **in Ecclesia**, monasticus, laicalis, clericalis qui sint et cui correspondeant 440 a — contemplativorum subdividitur in tres *ib.* b
— **Minorum** fundatus est in maxima simplicitate et paupertate 430 b — haec ratio eius fundationis maxime facit ad contemplationem *ib.*

Orgo — corporum et animarum quae sit *B* 235 a

Operatio — memoriae, intellectus, virtutis electivae triplex est *I* 303 b sq.

Digitized by Google

P

Panis — est duplex: corporalis et spiritualis *QD* 142 b 2° — praefigurat corpus Christi *SS* 556 b, vide *Eucharistia*

Papa — cur appelletur hoc nomine *B* 278 b — eius excellentia *ib.*

Parabolae — regnum Dei respicientes sunt duodecim *SS* 549 a — tres ex parte Opificis *ib.* — tres ex parte Redemptoris *ib.* b — tres ratione doni gratuiti 550 a — tres ratione liberi arbitrii *ib.* b

Paradisus — in eo datur triplex praemium *B* 288 b — est regio Beatorum 290 a — eius bonum quale et quantum sit tum in se tum in comparatione *ib.*

— caelestis consistit in excessiva satietate contemplationis *DPL* 575 b — in iste non est nisi plantatio rationum aeternarum *H* 409 b

— terrestris est symbolum caelestis *DPL* 575 a — consistit in refocillativa suavitate devotionis *ib.* b — in sensu tropologico interque est in anima *ib.*, cfr. *Anima*

Pars — est simplicior toto *QD* 77 a 6° — omnis orationis significat mentis conceptum *H* 352 b

Participatio — secundum formam non competit divino *esse*, secundum influentiam vero competit *QD* 73 a 11°

Passio — potest esse bona, licet actio eam producens sit mala *QD* 124 a 8°

Pastor — ovium Christi secundum fundationem Ecclesiae unus fuit *QD* 190 a

Pater — dicitur communicator naturae *QD* 196 a 2° — nomen patris principaliter convenit Deo ut principali actori, homini sicut dispensatori *ib.*, vide *Magister*

— in eo triplex ratio *DP* 523 a — cur honorari debeat, et quale ac quotuplex sit huius honoris praemium *ib.*

— dicitur qui praeest reipublicae, rei politicae, vel rei monasticae, ratione auctoritatis 524 a — de honore parentibus debito exempla duo 525 a sq.

Paulus (S.) — quo sensu parificetur Petro et quo non parificetur *QD* 197 a 3 et 4° — additio huius nominis nihil addidit suamo Pontifici quantum ad plenitudinem potestatis, sed addidit quantum ad evidentiam 196 b 12° — habuit excellenti modo sermonem sapientiae et scientiae ut minister legis gratiae *SS* 572 b

Pauper — est illa qui sibi non sufficit *QD* 137 b — securius dormit in terra quam dives in purpura 153 b

— validus utrum ad laborem manuum tenetur, vide *Labor*

Paupertas — perfectissima est illa quae omnino cupiditatem exterminat *QD* 129 b — ad eam sectandam Dominus induxit consilia sapientiae, exemplis naturae et oraculis gratiae 134 b 10° — valde luvat in praedicatione Evangelii 141 a — est regio non subiecta furibus, palaestra et gymnasium philosophiae 145 a 10°

— voluntaria tenet vere medium *H* 354 b

Pax — in domo est ordinata imperandi obediendique concordia *QD* 179 b

Peccatum — est voluntatis creatae liberae defectus, corrumpens in creatura modum, speciem et ordinem *B* 231 a — non habet causam efficientem sed deficientem *ib.* b — est a voluntate et in voluntate *ib.*

— originale corrupit hominem immediate per privationem rectitudinis originalis *B* 234 a — mediate, quoad animam per recessum a summa virtute, veritate et bonitate *ib.* — quoad corpus per rebellionem, corruptionem et mortem *ib.* — in altera vita per poenas damni et sensus quoad adultos, per poenam solus damni quoad parvulos sine baptismo decedentes *ib.* b

— eius transfusio non est contra divinam iustitiam, quia servatur ordo sapientiae in conditione, ordo naturae in propagatione, ordo iustitiae in punitione 235 b — non est a Deo, sed a deordinatione humanae voluntatis *ib.*

— eius macula curatur in mente, sed infectio in carne remanet, in parente, sed ad prolem transmittitur 236 a — curatur quantum ad reatum poenae aeternae, sed remanet quantum ad actum et motum concupiscentiae *ib.* — curatur quoad culpam, sed remanet poena temporalis *ib.*

— eius sequela per gratiam singularem ablata fuit a B. Virgine *ib.* b

— actuale oritur a libera voluntate per suggestionem, delectationem, consensum, operationem 236 b — actualium initium est unum, id est superbia 238 a — duplex radix, fomentum triplex, septiforme caput *ib.* — distinguuntur ex diversa, sed semper deordinata appetitione boni et fuga mali *ib.* b

— poenale quoad malum merae poenae oritur a Deo, quoad malum poenae cum culpa oritur a nobis 239 a

— finale est peccatum in Spiritum S. 240 a — peccata finalia sunt irremissibilia ex parte principii, utpote ex mera voluntate procedentia ex parte termini, quia gratiam poenitentialem impugnant 240 a — sunt septem iuxta septuplicem modum, quo gratia potest impugnari, relate ad Ecclesiam, ad Deum et in se ipsa *ib.* b

— impulsio ad peccatum minuit rationem peccati, quia minuit rationem voluntarii *QD* 188 b 16°

Pedes — in Scriptura significant affectum *SS* 562 a

Perfectio — perfectionis christianae summa versatur circa gratiam, iustitiam, sapientiam *QD* 120 b

— evangelica maxime consistit in perfectione obedientiae 128 a — consistit etiam in hoc, quod quis pro Christo donet voluntatem libertatis, quae est impretiabile bonum 186 a — integrari debet per triplex votum *ib.* b — consideratur quantum ad meritum et quantum ad statum 187 b 11° sq. — est praesumtio se profiteri perfectum quantum ad meritum, sed quantum ad statum se profiteri perfectum praesumtio non est *ib.*

— eorum quae sunt supererogationis magis niteoditur secundum perfectam configurationem ad Christum quam secundum superfluum et diminutum circa exterius obiectum 132 b 6°

— naturae quid sit, vide *Natura*

Pericula — quid sit *H* 517 b — prohibetur in secundo mandato *ib.*

Persona — est rationalis naturae individua substantia *QD* 65 b — est hypostasis proprietate distincta 67 a 9° — in emanationibus divinis se habet in ratione producentis 65 b — tribus modis distinguitur 75 b — secundum intellectum addit aliquid supra essentiam, quia in intellectu personae clauditur intellectus naturae, proprietatis et hypostasis 77 b 9° — cum altera convenit secundum essentiam, differt secundum proprietatem 76 a 11°

Pertransibile — dicitur vel per modum discursivum de uno ad aliud, vel per universalem et plenarium contuitum eius quod cognoscitur ab intelligentia *QD* 5 b 3°

Pervium — et perspicuum commune est naturae caelesti et elementari *B* 223 a

Petrus (S.) — congruentissime constitutus est a Christo princeps Apostolorum *QD* 194 a

Philosophi — aliqui cognoverunt ideas et virtutes exemplares *H* 363 b — defecerunt ob carentiam fidei 366 a — horum sententia de virtutibus *ib.* — quidam posuerunt circulationem animarum *ib.* — non cognoscebant quadruplicem morbum nec morbi causam neque medicum neque medicinam *ib.* b 367 a

Philosophia — agit de rebus, ut sunt in natura *B* 205 a — dividitur in rationalem, naturalem et moralem *DR* 324 a — adhibita in interpretatione Scripturae est magni periculi *H* 422 a

Pietas — consistit in reverentia venerationis divinae, in custodia sanctificationis intrinsecae, in affluentia miserationis internae *DD* 469 a — Noe, Abraham, Moysis, Samuelis 470 a

— oritur a Trinitate increata, a sapientia incarnata, a S. matre Ecclesia *ib.* — requiritur in praelatis 472 a — utilis est ad vera cognoscenda, ad mala declinanda, ad bona consequenda *ib.* — iuxta Tullium consistit in cultu deorum *H* 356 b

— naturalis docet, parentes esse honorandos *QD* 179 a

Pinguedo — figurat corpus Christi *SS* 554 b, vide *Eucharistia*

Plagae — decem Aegypti respondent

decem transgressionibus legis divinae *H* 530 b — solus Christus ab eis liberat 531 b

Planta — praecipua paradisi sensu tropologico intellecta est Filius Dei *DPL* 577 a — sunt etiam aliae plantae fructiferae *ib.* — duodecim earum fructus *ib.* b

Plantatio — paradisi terrestris symbolum est paradisi caelestis *DPL* 575 a — est duplex 577 a

Plato — convertit totam cognitionem certitudinalem ad mundum ideolem *SS* 572 a — ob hoc increpatur ab Aristotele *ib.* — videtur accepisse inter philosophos sermonem *sapientiae ib.*

Plenitudo — potestatis in uno solo Pontifice debuit collocari *QD* 195 a, vide *Pontifex*

Plenalitas — quae dicit defectum reducitur ad unitatem reductione propria; quae non dicit defectum non indiget reduci *QD* 67 b 17°

Poena — protoparentum nostrorum multiplex fuit, id est in utrisque carnis rebellio et erubescentia, labor et angustia, fames et indigentia, mora et resolutio in cinerem *B* 233 b — mulieris specialiter fuit multiplex aerumna in conceptu, dolor in partu, subiectio ad virum in convictu *ib.*

— peccati originalis fuit in hac vita quoad animam infirmitas in irascibili, ignorantia in rationali, malitia in voluntate, concupiscentia in concupiscibili; quoad corpus rebellio, multiplex corruptio, mors et incineratio; in altera vita fuit damni et sensus quoad adultos, damni solummodo quoad parvulos 234 a b — quae est mera poena, est a Deo; quae vere est culpa, non est a Deo, sed est contracta vel acta 239 a — nulla est sine aliqua culpa *ib.* — purgatorii, inferni, parvulorum, vide *Ignis*, *Inferus*, *Peccatum*

Poenitentiae Sacramentum — patet omnibus quantumcumque peccatoribus, quamdiu sunt in statu praesentis vitae *B* 275 a — ad eius integritatem requiritur contritio in animo, confessio in verbo, satisfactio in facto 276 a — potestas clavium residet in solo ordine sacerdotali *ib.*

Pondus — est inclinatio ordinativa *B* 219 b

Pontifex Summus — erat etiam in veteri lege, et ei obediendum erat ab universis *QD* 189 a — tenet locum Christi 155 b — eius est statuere decreta ab omnibus observanda 191 a — sine eius obedientia non potest unitas Ecclesiae conservari *ib.* b — in eo debet esse universorum collectio dignitatum 195 b — eius institutio consonat legi naturae, legi scriptae, iuri pontificio, iuri canonico, visibilibus, invisibilibus, pietati fidelium, rectae intelligentiae omnium animorum *ib.* b — illi competit potestas regis et pontificis 196 b 8° — item competit uterque gladius, spiritualis et materialis *ib.* — communicat aliis iurisdictionem sine detrimento 197 a 9°

Pontificatus — in lege evangelica est dignior et altior quam in lege veteri *QD* 189 a

Posse — divinum, vide *Deus*

Possibile — in Deo consideratur tripliciter *B* 216 a

Postremum — non potest esse productivum *QD* 114 b 3°

Potentia — *activa* ad infinita non est nisi in creatrice essentia, *passiva* potest poni in creatura *QD* 42 a — non est reducibilis ad actum nisi per ens in actu 47 b

— rationis seminalis duae afficit *H* 359 a — in anima est triplex: animalis, intellectualis, divina 358 a

— Dei est completa et ordinata *B* 216 a, vide *Deus* et *Omnipotentia*

Potestas — pontificis et regis concurrit in unam personam successoris Petri *QD* 196 b 8°, cfr. *Pontifex*

— conferendi est essentialis characteri sacerdotali, absolvendi est tantum characteri annexa 197 a 10° — prima est absoluta, secunda est relata ad alterum *ib.*

— est in aliquo vel sicut in subiecto sustinente, vel sicut deferente *ib.* 11°

Praecepta decalogi — ad ea observanda nos movet auctoritas mandantis, utilitas observationis, periculum transgressionis, irreprehensibilitas mandatorum *DP* 507 a — eorum observantia habet triplicem utilitatem, et eorum transgressio triplex periculum 508 a b — sunt irreprehensibilia ob tres rationes 509 a b — sunt fundamenta omnium legum et praeceptorum *ib.*

— sunt decem, duobus tabulis contenta 510 a *B* 263 a — ad ea cognoscenda et observanda requiritur timor et amor *DP* 512 a — quid singula praecipiant vel prohibeant 511 ad 532 incl.

— iudicialia, caeremonialia, figuralia, moralia, legis Moysaicae et evangelicae, quae et quae sint et quomodo inter se convenient vel discrepent *QD* 187 a 5°, vide *Lex*

— **praeceptum** naturale crescendi et multiplicandi, prout respicit statum communem, non ligat aliquem per se et determinate, si est alius, qui illud possit implere *QD* 174 a 4° — non descendit ad singularem personam determinate nisi in casu, quo natura non posset subsistere, ut fuit in Adam et filiis Noe *ib.* — in omni praecepto est vita et mors *H* 530 b

Praedicatio — dispensat a labore manuum *QD* 158 b sq.

Praedicator — Evangelii licite potest petere temporalia ad sustentationem pro spiritualibus, quae ministrat *QD* 147 a 17° — ei debentur duae mercedes: sua in via, quae in labore sustentat, altera in patria, quae in resurrectione remunerat *ib.*

— verus est ille qui habet auctoritatem, veritatem, utilitatem *ib.* 18° — antequam aliis praelicet, debet esse prius imbutus et dulcoratus in se *H* 409 a

Praelatus — potest velle aliquis simpliciter, sublimiter, utiliter *QD* 188 a 12° — velle praeesse simpliciter vel sublimiter est superbiae, velle utiliter, est caritatis *ib.*

Praelatus — qualitates, quas habere debet, ut sit bonus, recensentur *H* 354 a

Praeteritum — et futurum attribuitur alicui vel per modum dispositionis rei intellectae, vel ipsius intelligentis *QD* 91 a 5° — item, per modum quandoitatis et inhaerentiae, vel per modum simultatis et coexistentiae *ib.* — quo sensu dici possit de Deo *ib.*

Primitas — non excludit Trinitatem immo eam includit *QD* 114 a — ponit summam actualitatem, fontalitatem, fecunditatem in primo principio *ib.* — ratio primitatis residet principaliter circa personam Patris *QD* 115 a 4°

Primum — et principium sunt idem *QD* 113 a — per privationem anterioris et per privationem originis quid sit 115 a 4°

Princeps — quomodo praesidere debeat *H* 357 a — iuxta Philosophum differt a tyranno *ib.* — debet quaerere utilitatem populi, non suam *ib.* — quid sentiendum de principe, qui per successionem praeest *ib.*

Principium primum — est immensum et incircumscriptibile, incorporeum et invisibile, aeternum et incommutabile, nobilissimum et perfectissimum *B* 214 a b sq. — est summe unum, verum, bonum, summe primum, id est omni inceptione carens, summe aequale et pulcrum, utile et proficuum 215 a

— est omnipotentissimum, omnisapientissimum, benevolentissimum *ib.* b — se manifestat generaliter et specialiter 214 a — se reddit nobis cognoscibile per Scripturam et per creaturam 222 b

— de ceteris primi principii attributis, vide *Deus*

— **principium et finis**, secundum quod accipiuntur in ratione aeternitatis, idem sunt quod terminus initialis et finalis in duratione rei *QD* 90 b 3° — secundum quod dicunt terminum, dicunt limitationem cum defectu, licet videantur dicere complementum 91 a 4° — durandi dicitur uno modo per durationis productionem et communicationem, alio modo per durationis inchoationem 95 b 6° — activum et passivum in creaturis quid sit *H* 340 b — illud tollere est tollere a creatura repraesentationem Trinitatis *ib.*

— principium redemptionis, vide *Christus*

— principium visum, vide *Rachel*

Prodoctio — quomodo respiciat personam et quomodo naturam *QD* 67 a 11° — Spiritus S. non repugnat simplicitati divini esse 75 a — in divinis non potest realiter differre a producente 111 b 2° — omnis creaturae de necessitate praesupponit Trinitatem aeternam 112 b — principii principiantis est prior rei principiatae *ib.*

Promissio — quare necessaria fuerit in veteri testamento *H* 395 a

Proprietates — iudiciorum Dei sunt sex *B* 204 b — quot sint in Trinitate, vide *Trinitas* et *Deus*

Prudentia — est bonorum et malorum scientia utrorumque discretio *H* 363 a

Psalmi poenitentiales — in his agitur de septem exercitiis iustitiae, per quae gra-

Digitized by Google

tia in justis custoditur *DD* 461 a — qua ratione hoc appellentur nomine, quare sint septem et cur mutari non possint nec multiplicari *ib.*

Psalmistatus — non est ordo, sed ordinum praeambulus *B* 273 a — ab Isidoro adnumeratur inter ordines, sed largo modo *ib.*

Pudicitia — est prima columna domus Sapientiae *DD* 501 a — est triplex, id est communis, coniugalis et privilegiata *DP* 527 b

— coniugalis est secundum legem evangelicam *QD* 166 a sq. — consonat legi Dei secundum omnes temporis decurrentis status 167 b — consonat legi naturae tripliciter, legi scriptae tripliciter, legi gratiae tripliciter 167 b sq. — approbatur verbo apostolico et evangelico, ore angelico et ore divino 168 b — abstinet non ab omni, sed tantum ab omni illicito concubitu 171 b 15°, vide *Matrimonium*

— privilegiata, vide *Virginitas*

Punctus — est simplicior continuo *QD* 77 b 7° — est principium extensionis 92 b 14° — non est tota essentia durationis *ib.* — est substantia posita *ib.*

— intersectionis ecliptiae vocatur *caput* vel *cauda* draconis *H* 443 b — in eo eclipses lunae contingunt *ib.* et in nota.

Q

Quando — est in omni eo quod coepit esse *QD* 91 a 5° — est quod ex adiacentia temporis relinquitur *ib.* in nota. — est aliud ex eo quod abit, aliud ex eo quod instat, aliud ex eo quod necesse est contingere *ib.*

Quandoitas — haec locutio adhiberi non debet, cum quis loquitur de aeternitate Dei *QD* 91 a 5° — modus quandoitatis in *essendo* opponitur modo *essendi* per simultatem et coexistentiam *ib.*

Quantitas — alia est *molis*, alia *virtutis* *QD* 36 b 13° — in quantitate molis simplex et infinitum super diversa fundantur, in quantitate virtutis fundantur super idem *ib.*

— virtutis est in Deo, non molis nec numerositatis 92 a 2° et 5° — divinae virtutis non attenditur secundum quantitatem *posse*, quod est potius infirmitatis quam potentiae, sed secundum dignitatem propri actus, qui est immensus, sicut est immensa ipsa potentia 62 a 5° — item attenditur non tantum in potentia operante *extra*, sed etiam, in quantum est *excellentia valoris* sive in absolutis sive in relativis 82 a 4°

Quinoitates — habent sex differentias occultas, quae sunt veluti sex lumina, quae disponunt animam ad sciendum et bene sentiendum *H* 359 a

R

Rachel — designat vitam contemplativam *QD* 114 b 1° — interpretatur *casum principium* *ib.*

Radiatio — est triplex, id est manifiva, decora, iucunda *H* 429 a — haec triplex debet esse in anima, ut dici possit hierarchizata *ib.* — explicatur *ib.* a b

Radius — directus fortior est obliquo *H* 352 a — reflexus est a corpore terso virtute tersionis *ib.* — fractus est in introitu aliterius perspicui *ib.* — huic triplici radio respondet triplex amor *ib.* in nota. — si cadit perpendiculariter super corpus tersum et politum, per eandem viam necessario reperculitur 459 a

Ratio — aeterna requiritur ad cognitionem rectitudinalem ut regulans et ratio motiva, non tamen *sola*, sed cum *ratione creata* *QD* 23 b

— ratio humana est triplex, id est defectiva, stans et elevata 57 a — est etiam mera et adiuta *ib.* — quod consonat stanti vel elevatae potest repugnare defectivae *ib.* — ex adiuta aliquid potest esse credibile, quod non est ex mera *ib.* — in aliquo actu potest absorberi dupliciter 170 b 11°

— exemplaritatis ubi inveniatur *H* 442 a

— principalis, innitens ad credendum, Deum esse trinum et unum, est ipsa illuminatio inchoata in homine indito et consummata in homine infuso *QD* 56 b

— **rationes** substantificae existentium in Deo non sunt rerum essentiae verae nec quidditates 8 b — ideales in Deo non pluriflcantur secundum rem, sed secundum rationem 13 b, cfr. *Deus* — attinguntur a cognoscente, licet non eodem modo a quolibet 24 b

— viventes apparent spiritibus gloriosis quadrupliciter *SS* 542 a

Rationale — differt ab irrationali non solum per accidens, sed essentialiter *B* 351 a

Receptum — omne est in recipiente per modum recipientis, non per modum recepti *QD* 41 a

Rectificatio — voluntatis fit per obedientiam alteri exhibitam *QD* 185 b

Rectitudo — quaedam est necessitatis, quaedam perfectionis *B* 218 a — divinae voluntatis innotescit per triplex signum *ib.*, vide *Voluntas*

Regnum Dei — evangelizare est nobilissimum officium *SS* 539 a — est influentia deiformis, rectificans iudicia rationis, partificans imperia facultatis, lactificans desideria voluntatis 540 b — quia spirituale, non est in exterioribus, sed in interioribus; quia sublime, non invenitur in inferioribus, sed in superioribus; quia incorruptibile et perpetuum, non est in rebus creatis, sed in rationibus causalibus 541 b — est gloriosum propter celsitudinem gloriae Patris, speciosum propter pulcritudinem sapientiae Filii, delicioso propter benevolentiae Spiritus S. dulcedinem 542 b — est magnum longitudine interminabilis aeternitatis, latitudine incoarctabilis caritatis, celsitudine incomprehensibilis sublimitatis 543 a — ad illud consequendum requiritur gratia baptismalis, poenitentialis, finalis et sapientialis 544 a, vide *Gratia*

Regula — in regula approbata nullum est periculum *QD* 188 a 13° — in iis quae sunt *secundum* regulam, obediendum est etiam sine mandato Superioris; in iis quae sunt *extra* regulam, obediendum est ex mandato Superioris; in iis quae sunt *contra* regulam, nulli est obediendum; ad ea quae sunt *supra* regulam, nullo modo quis adstringitur *ib.*

— regula circumspectionum moralium quae sit, vide *Intellectus*

Relatio — duplicem habet respectum, id est ad subiectum *in quo* et ad extremum *ad quod*; primo modo transit, secundo manet *QD* 78 b 14° — ut pluries dicit complementum 104 b 2°

— relationes puncti non sunt similes reliquis personalibus, quia primae sunt *ad extra*, secundae sunt *ad intra* 78 b 15°

— relativa sunt simul natura 94 a

— relationes in divinis quot sint, vide *Deus*

Renes — accincti significant munditiam in carne, quam habere debet qui ad eucharistiam accedit *SS* 562 a, vide *Eucharistia*

Reparatio — humani generis facta fuit tribus modis a primo principio, id est remediando, satisfaciendo et reconciliando *B* 242 b

Repraesentare — dicit actum ad alterum, ideo videtur non posse recte dici de Verbo *QD* 41 a 7°

Res — creata non potest adaequari intellectui creanti per propriam naturam, sed per aliquam similitudinem *QD* 7 a

— res habent *esse* in mente, in proprio genere, in arte aeterna 29 b, *B* 230 b — in anima habent *esse* per notitiam, per gratiam et per gloriam *B* 205 a

— in rebus creatis considerandae sunt ortus, magnitudo, multitudo, pulcritudo,

Digitized by Google

operatio et ordo *I* 299 a — quomodo introeat in animam per apprehensionem 300 b

Respectivum — est duplex, id est quod dicit respectum ad aliud *diversum* secundum essentiam, et quod dicit respectum ad aliquid sibi *consubstantiale QD* 77 a 4° — primum, utpote includens dependentiam, dicit defectum a simplicitate summa; secundum, cum nullam includat dependentiam, nullum includit a summa simplicitate defectum *ib.*

Resecatio — ad sui conservationem indiget opere manuali, civili, spirituali *QD* 161 a — quando princeps praeest per successionem, male regitur, econtra bene regitur, cum praeest per electionem *H* 357 a

— Romanorum *bene* gubernata est quamdiu ipsi principes elegerunt; cum vero ad successionem devenerunt, *male ib.*

Resurrectio — corporum futura est propter retributionem iustitiae, propter reformationem gratiae, propter constitutionem naturae *B* 286 b — secundum exigentiam ordinis divinae iustitiae erit universalis, simultanea, inaequalis *ib.* — secundum exigentiam consummationis gratiae quoad bonos fiet in optimis conditionibus per conformitatem cum Christo *ib.* 287 a — secundum exigentiam perfectionis humanae naturae erit *necessario* cum partibus, quae faciunt ad corporis substantiam, *de congruo* cum partibus, quae faciunt ad eius

decentiam et cum ordinatione ad incorruptionem perpetuam *ib.*, vide *Corpora*

Revelatio — est perfecta *B* 240 a — per triplicem visionem, nempe corporalem, imaginativam et intellectualem, in prophetis fuit medium contemplationis veritatis 260 a

Reverentia — exhibetur parentibus eis obtemperando *QD* 179 a

Rhetorica — est irradiatio, qua mens illustratur ad persuadendum *H* 353 a — habet triplex genus causae *ib.*

Romanus — monachus an laudari, vel vituperari debeat de eo, quod B. Benedicto in specu tribus annis latenti vitae necessaria ministrarit *QD* 152 a, vide *Benedictus (S.)*.

S

Sabbatum — sanctificatio diei sabbati praecipitur in tertio decalogi praecepto *DP* 520 a — consistit in sincera dilectione Dei, quatenus est summe bonus *ib.* — ad hanc dilectionem obtinendam requiritur divina vacatio, Christi imitatio et cessatio ab omni opere servili 521 b

Sacerdos — debet offerre sacrificium in persona universitatis et non in persona sui solius *SS* 561 a

Salubrium — ab initio fuerunt instituta ad luminis curationem, ut morbus curreret sive remedia *B* 266 a — legis naturae praeferebant tantum umbram gratiae in oblationibus, decimationibus, sacrificiis *ib.* — legis scriptae gratiam *figurabant* circumcisione, expiatione, sacrificiorum distinctione *ib.* — legis gratiae *corpus* gratiae producunt et praedicta evacuant, utpote potiora, efficaciora, digniora *ib.*

— ista fuerunt instituta a Christo sub signis sensibilibus, quae ex similitudine naturali gratiam repraesentarent, ex institutione significarent et benedictione producerent 265 a — item, instituta fuerunt ut competerent morbo superbiae, ignorantiae, acidiae per humilitationem in susceptione, eruditionem in significatione, exercitationem in diversificatione; ut sic competerent homini aegrotanti, qui ex eis haurit gratiam curationis, aegritudini et occasioni aegrotandi *ib.* a b

— instituta fuerunt a Christo in verbis et elementis ad evidentiam significationis et ad efficaciam sanctificationis 268 a — quaedam Christus instituit per confirmationem et consummationem, quaedam per insinuationem, quaedam vero utroque modo et etiam in se ipsa ea suscipiendo *ib.* — instituta sunt septem numero, ut responderent gratiae septiformi 267 a — ordinata sunt ad perfectam hominis curationem per expulsionem morborum culpae et poenae, per restitutionem sanitatis animae in usu virtutum theologicarum et cardinalium, et per eiusdem conservationem, munendo intrantes ad vitam, in ea stantes et ex ea migrantes; eos relevando a casu mortali vel veniali et eos renovando in *esse* spirituali et in *esse* naturali *ib.* b

— eorum dispensatio regulariter spectat ad solum genus humanum 269 a — in omnibus requiritur intentio in dispensante, in aliquibus etiam ordo sacerdotalis vel pontificalis *ib.* — secundum veritatem dispensari possunt etiam ab haereticis, secundum veritatem et utilitatem tantum intra Ecclesiam *ib.* b — quae respiciunt morbos iterari possunt, quae respiciunt status hierarchicos non sunt iterabilia ob characterem, quem imprimunt 270 b

— de singulis in specie vide *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Poenitentia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, *Matrimonium*

Sacerdotium — laudis dictatur a naturali indicatorio *H* 356 b — in hoc consenserunt etiam veri philosophi 357 a

Salomon — possedit omnem scientiam philosophicam *DD* 475 a b

Salus — dilata est, ut desideraretur, custodiretur et amaretur *H* 395 b — duo ad salutem sunt necessaria, scilicet notitia veritatis et exercitatio virtutis *DD* 457 a

Samson — capillatus fortissimus fuit *DD* 459 b — fortitudo eius erat in septem capillis *ib.* — hi septem capilli significant septiformem Spiritus S. gratiam *ib.* — figurat hominem fortitudinis 480 b

Sanctitas — secundum Dionysium est ab omni immunditia libera, perfecta et omnino immaculata munditia *H* 337 a — haec munditia est provinta dispositio ad sapientiam *ib.* — habet quatuor proprietates 423 b — simulata seu falsa non est sanctitas, sed potius iniquitas 469 b

Sacientes — pueri sunt vere sapientes et quare *QD* 26 a

Sapientia — duplex est: increata et creata *QD* 29 b

— increata nullus creaturae potest esse informativa, sed tantum exemplativa *ib.* a 3° — nulli potest accidere *ib.* 4° — per sui essentiam est omnibus intellectibus praesentissima *ib.* b 0° — est lux aeterna, quae ad sapientialem cognitionem se habet tanquam principium movens, ratio dirigens, finis quietans *ib.*

— est cognoscitiva rerum cognitione simplicissima *B* 216 a b — est ratio cognoscendi *ib.* b — ut cognoscitiva rerum possibilium appellatur lux; ut existentium appellatur visio; ut bonorum operum, approbatio; ut futurorum, praescientia; ut ab ipso Deo faciendorum, dispositio; ut praeniandorum, praedestinatio; ut damnandorum, reprobatio *ib.* — ut ratio cognoscendi omnia appellatur lux; ut cognoscendi visa et approbata, speculum; praevisa et disposita, exemplar; praedestinata et reprobata, liber vitae *ib.* — Sapientia, unde oriatur, et quae sit eius domus *H* 336 a — aedificatur septem columnis *ib.* — porta sapientiae est concupiscentia et desiderium eius *ib.* — eius forma est mirabilis 337 b — est uniformis, multiformis, omniformis, nuliformis *ib.* et 338 a b sq. — in regulis divinarum legum est immutabilis 337 b — resultat ex multis mysteriis S. Scripturae 339 b — est cognitio causarum altissimarum et per causas altissimas 356 a — habet duplicem radicem 395 a — habet quatuor fructus et quatuor actus 417 b — comparatur soli et mulieri bonae 425 b 426 a — est duplex: vera et falsa: ista evacuanda, illa appetenda est et diligenda *DD* 499 b

— **Sapientia** *(Donum Spiritus S.)* venit desursum a Patre luminum tanquam lux ad nostram potentiam cognitivam illuminandam, ad nostram potentiam affectivam laetificandam et ad nostram operativam corroborandam *DD* 500 a b — aedificat domum Dei, in qua excidit septem columnas, quae diluvide exponuntur et explicantur 501 a b sq.

— creata est quoddam lumen seu influentia lucis aeternae, quod datur intelligentiae creatae, tanquam aliquid ei proportionabile et intaereens, ad eam habilitandam ad sapientiam increatam *QD* 29 b

— utrum et ista fuerit in anima Christi, vide *Christus*

Sapientialia — speculamina, desiderii,

Digitized by Google

exercitia ad regnum Dei consequendum quae sint *SS* 548 b

Sabbatum — monachi mali erant *QD* 164 a 12°

Satisfactio — est pars integralis Sacramenti poenitentiae *B* 275 b — habet tres partes 283 b

Scientia — ad certitudinem scientiam non sufficit animae veritas rerum, secundum quod habent *esse* in se, sed secundum quod habent in proprio genere *QD* 23 b — scimus, cum arbitramur cognoscere causam, propter quam res est et impossibilitatem aliter se habendi *SS* 569 a — quid ad eam requiratur *ib.* — quidquid scitur scientia comprehensione finitur *QD* 33 b

— **divina** est excellens propter perfectionem et propter simplicitatem *B* 217 a — cognoscit intelligibiliter contingentia *ib.* — est una in multiplicitate rationum *ib.*

— scire divinum secundum rationem intelligentiae est actus Dei intrinsecus *QD* 5 a — scitum a Deo aliquando nominat rationem cognoscendi, aliquando ipsam cognitum *ad extra* 6 b 9°

— Scientia (*Donum Spiritus S.*) est quadruplex, id est philosophica, theologica, gratuita et gloriosa *DD* 474 a sq.

— philosophica est veritatis scrutabilis notitia certa et tripliciter dividitur *ib.* — eam habuit Salomon 475 a — continet vestigium Trinitatis *ib.* — potest pati ecclipsim stultitiae *ib.* — est insufficiens ad plenam cognitionem Creatoris *ib.*

— theologica est veritatis credibilis notitia pia 476 a — fundatur in fide *ib.* — quomodo homo eam repellat *ib.*

— gratuita est veritatis credibilis et diligibilis notitia pia 477 b — dicitur scientia Sanctorum, quia nihil habet vitiositatis, quia habet aemulationem sanctitatis, quia docet scire et verum sciendi modum *ib.* et 478 a — debet esse innata cum caritate *ib.*

— gloriosa initiatur in contemplativis, perpetuatur in dormientibus et consummatur in resurgentibus 479 b

— scientiae philosophicae sunt novem *H* 349 a — decima, quam ipsi politici sunt, quae sit *ib.* — in scientiis possunt esse abusus et qui sint 357 a — scibilia non sunt tantummodo entia actu, sed etiam in potentia *QD* 5 b

Scriptura sacra — eius actus attenditur secundum influentiam Trinitatis, progressus secundum exigentiam humanae capacitatis, status secundum superabundantiam felicitatis *B* 201 a sq. — eius ortus non est per humanam investigationem, sed per divinam revelationem *ib.* — eius dentias et intelligentia manant ex fide *ib.* b — eius progressus non est coarctatus ad leges ratiocinationum iuxta morem aliarum scientiarum, sed procedit secundum lumen supernaturale *ib.* — describit universum secundum quatuor *ib.* — eius status seu fructus est plenitudo felicitatis aeternae 202 a — quo fine et qua intentione investiganda *ib.*

— materialiter dividitur in vetus et novum testamentum, formaliter revocat a malo et movet ad bonum, specialiter in veteri testamento per timorem, in novo per amorem, communiter in utroque, in libris legalibus per praecepta, in historialibus per exempla, in sapientialibus per documenta veritatis, in prophetalibus per omnia praedicta aggregata 202 b 203 a sq. — quare non dividatur in theoreticam et practicam, sicut philosophia *ib.* a — est similis flavio latissimo *ib.* b — describit mundi decursum per tempus legis naturae, legis scriptae, legis gratiae *ib.* — distinguit septem aetates *ib.*, vide *Aetas*

— est sublimis ratione obiecti, quia describit spectantia ad gratiam, ad gloriam, ad sapientiam aeternam; ratione motivi, quia omnia describit per unum Iesum Christum, qui est hierarcha in triplici hierarchia 204 b sq. — ex hac triplici hierarchia, quam describit, habet tres gradus altitudinis *ib.* — levat in altum intelligentiam mentis, delectat intellectum, assuescit ad contuitus divinorum 205 a b — in unitate litterae habet triplicem sensum, nempe allegoricum, tropologicum et anagogicum, competentem subiecto, auditori, principio *a quo* et fini *ad quem ib.* b sq. — cur habeat intelligentiam multiformem 206 a — ad intellectum certissimum reddendum procedit per auctoritatem divinam, ad voluntatem movendam procedit per exempla, praecepta, prohibitiones, commminationes, promissiones, orationes, laudationes Dei 206 a sq. — in uno modo procedendi authentico continet novem modos *ib.* b — est excellens 207 a — nihil continet inutile *ib.* — verba eius non praeteribunt *ib.* — quo modo et secundum quas regulas debeat exponi, vide *Expositor*

— exhibet formam erroris intelligibilis 208 a — eius veritas est a Deo, de Deo, secundum Deum et propter Deum *ib.* b

— quia cognatio solidaris, agit de primo principio *effective*, idem in eo insinuat ordinem naturae in existendo, ordinem sapientiae in disponendo, ordinem bonitatis in infundendo; quia cognitio salutaris, agit de primo principio *reparativo*, idem *quod talis* non agit litteraliter de Angelis 222 b sq. — est doctrina sufficiens de creatione, licet non descendat ad naturas speciales entium 223 b — narrat rerum conditiones ordinate quantum ad tempus, distinctionem et ornatum *ib.* — spiritualiter intellecta innuit in caelo hierarchiam angelicam, in terra hierarchiam ecclesiasticam, in aqua gratiam, per quam utraque irrigatur, et in septemario dierum septiformem Ecclesiae statum et septiformem item Angelorum conversionem a creatura ad Deum *ib.*

— docet, quid credendum, quid exspectandum, quid quaerendum *H* 338 b — est cor, os, lingua, calamus Dei, est liber scriptus intus et foris 387 a — eius intelligentia spiritualis comparatur congregationi maris 388 a — tempore futuro magis manifestabitur et melius intelligetur 389 a — habet multos intellectus, quatuor sensus et quatuor facies *ib.* b — est ordinatissima 393 b — est consimilis ordini naturae in germinatione terrae *ib.* — eius finis est quadruplex 391 b — dat duodecim aspectus 410 b — est exemplis plena *ib.*

— illustrat per spectacula interna et per exempla externa, per divina promissa, per interni tormenta, per praecepta directiva, per districta iudicia, per severa solatia, per benigna flagella 110 b 111 a b — illustrat etiam per ostensionem aeterna et praesidiorum et per signa figurarum ac per dona gratiarum 112 a b 113 a b — eius excellentia 121 a

— ad eius intelligentiam adhibendi sunt libri Sanctorum et summae magistrorum 121 a — comparatur aquis maris propter profunditatem mysteriorum, multiplicitatem sensuum, stabilitatem Ecclesiarum *DD* 176 b

Septenarius — numerus est perfectus *B* 278 b

Sexus — est duplex in homine: interior et exterior *B* 229 a — secundum hunc duplicem sensum de contemplatione Divinitatis et humanitatis Christi *SS* 571 a

— S. Scripturae sunt quatuor *H* 389 b — litteralis habet quatuor partes, spiritualis est triplex 390 b — anagogicus, allegoricus, tropologicus, quorum singuli habent quatuor facies *ib.* et 391 a, vide *Scriptura*

Sexagenario est duplex *QD* 81 b 12°

Septenarius — septiforma quid et quotuplicia sint *B* 261 b

Sigillum — annulus significat aeternitatem conceptum *DB* 423 b — ratione sui significat ordinem vivendi, ratione finis dirigitur ad exprimendum, erudiendum et movendum 324 a — debet esse sententiosus, id est discursivus, inquisitivus et persuasivus *DD* 475 a — ad hoc indiget grammatica, logica, rhetorica *ib.* — est instrumentum expressivum sapientiae 502 a

— sapientiae videtur datum fuisse Platoni; scientiae, Aristoteli; utique, excellenti modo Augustino, excellentiori modo, Moysi et Paulo, excellentissimo, Christo *SS* 572 a b

Servitus — est poena peccati *QD* 181 a — servitutem coactam non dictat natura status, sed natura a suo statu cadens 182 a 3°

Servus — dicitur dupliciter: vel subiectione obligatoria, vel humilitate perfecta *QD* 197 b 1° — qui praeest non potest esse primo servus, sed potest se modo *ib.*

Simile — in Deo quod sit *QD* 90 a — in creatura est duplex *ib.*

Similitudo — per convertentiam duorum in tertium definitur rerum differentium eadem qualitas *QD* 8 b 9 a — haec non potest poni in Deo respectu creaturae, sed imitativa ponitur 9 a 2° — aequiparantiae quae sit et an possit in Deo poni *ib.* 4° — quae similitudo possit esse inter Creatorem et creaturam *ib.* b — per participationem est minima, per imitationem est maior vel minor, per exemplationem est summa *ib.* — in quo differat ab aequalitate *ib.* 3 4°

— cum Deo non quaerimus fieri ad complementum virtutis, sed illa tantum,

Digitized by Google

quae manat ex vi amoris assimilativi 178 b 2° — consistit non in quantitate, sed in qualitate 196 b 6° — respicit Deum per modum principii, obiecti et doni infusi SS 371 b

Simon magus — quomodo designet antichristum H 399 b — primus vendidit dona Spiritus S. DD 460 a

Simplex — quanto aliquid est simplicius, tanto eius virtus est magis unita QD 35 a — finitum, cum attingitur, totum attingitur, infinitum non ita 46 a 10° — aliud excludit immensitatem, aliud includit 71 b 13°

Simplicitas — summa excludit compositionem ex aliis et cum alio QD 67 a 12° — non potest stare cum compositione naturae aut personae ib.

Simplex — dicit praesentialitatem summam, simplicem et indivisam QD 92 a 11° — cum de aeternitate dicitur, non indicat condurationem et coexistentiam diversorum durabilium, sed privationem successionis in continuitate rei durantis ib.

Sobrietas — consistit in moderato usu cibi vel potus QD 171 b 15°

Socrates — rodebat animum Deum H 356 b

Sol — quid repraesentet anagogice H 401 a b — quid significet allegorice ib.

Solipsismus — est duplex QD 169 b 1°

Species — malà quando sit talis et quomodo ab ea abstinendum QD 117 a 18° — species virtutum sunt tres H 334 b

Speculatio — per sex gradus quid sit B 260 a — Dei fit per vestigia eius in universo I 296 a sq. — per suam imaginem naturalibus potentiis insignitam 303 a sq. — dilatatur et adiuvatur per philosophiae lumina 305 b — fit in creata imagine donis gratuitis reformata 306 a sq. — ad hoc supervestienda est imago mentis nostrae tribus virtutibus theologicis ib. — dilatatur et adiuvatur per Scripturam 307 a — divinae unitatis fit per esse, quod est nomen eius primarium 308 a sq. — Beatissimae Trinitatis fit per eius nomen, quod est bonum 310 b sq. — Speculationes fidei comparantur sideribus et margaritis H 377 a — dicunt ad esse primum 379 b

Speculum — ad cognitionem certitudinalem requiritur, ut aliquo modo attingatur ratio aeterna, non sola et in tota sua claritate, sed cum ratione creata et cognita ut in speculo QD 22 b sq. — quomodo comprehensores cognoscant res in speculo aeterno 25 b — Trinitatis duplex est: unum intellectuale, aliud materiale H 301 a — quomodo hoc duplex speculum adiuvet ad speculandam Trinitatem ib.

Spiritus S. — est donum B 212 a — est nexus seu caritas Patris et Filii ib. — est hierarcha purgans, illuminans et perficiens H 316 b — per divinum radium dat intellectum visionum 318 b, cfr. Christus

Spiritus — rationalis spectatus in suis potentiis absolute; ut rationali rectificatur secundum faciem superiorem per fidem, secundum faciem inferiorem per prudentiam, in irascibili per spem et fortitudinem, in concupiscibili per caritatem et temperantiam B 246 ad 268 incl.

— expeditur in rationali per donum intellectus, consilii, scientiae, in irascibili per donum timoris et fortitudinis, in concupiscibili per donum pietatis et sapientiae ib.

— perficitur in rationali per paupertatem spiritus et mundiciam cordis, in irascibili per mansuetudinem et misericordiam, in concupiscibili per hunum et pacem ib.

— glorificatur in rationali per visionem Dei et claritatem, in irascibili per possessionem Dei et impassibilitatem, in concupiscibili per fruitionem Dei et subtilitatem ib.

— spectatus in omnibus potentiis relative; rectificatur per institutum, expeditur per pietatem, perficitur per zelum institutae et glorificatur per agilitatem ib.

Status — animarum sunt quatuor H 327 a

Studium — in sacra Scriptura quisque studere debet quantum ad literam et spiritum H 422 b — cum assiduitate ib. — cum complacentia 423 a — cum mensura ib. — sapientiae exigit quatuor 424 a b

Suadibilitas — in affectu est columna quarta domus Sapientiae DD 502 a

Subiectum — theologiae quadruplex B 205 b, vide Theologia

Substantia — quanto est simplicior, tanto plurium est cognoscitiva QD 3 a — creata omnis habet tria H 340 a — in quolibet sunt duo vestigia ib. — secundum quod cadit in definitione personae, idem est ac hypostasis 66 b

Successio — principis in gubernio reipublicae male facit ad regimen H 357 a — multa mala affert ib., vide Respublica

Suffragia — ecclesiastica sunt praeambula iudicii B 283 a — prosunt animabus in purgatorio detentis ib. b — non prosunt damnatis 284 a — nec Beatis ib. — quomodo prosint communia ib. — quomodo prosint specialia ib.

Summae — Sanctorum et magistrorum quomodo adhibendae ad intelligentiam Scripturae, vide Scriptura

Superbia — coniungitur essentialiter cum appetitu sublimitatis QD 118 b — non eradicatur nisi per vilitatem abiectionis ib. — deordinat cognitionem, affectionem, locutionem, gestum 119 b

Superior — potest esse aliquis tripliciter: aut quantum ad originem naturae, aut quantum ad dominium potentiae, aut quantum ad regimen providentiae QD 181 a

Superioritas — eius modus triplex QD 181 a, vide Superior

Suspiratio — habet difficultatem in contemplatione H 441 a — in tali contemplatione corpus enervatur et indiget sustentaculo gratiae Spiritus S. ib.

Sustentatio — pauperi iusto, Christum imitanti debetur multum, evangelico Christum evangelizanti debetur magis, grato debetur maxime QD 141 a b

Syllogismus — Christi: eius maior fuit ab aeterno, minor in cruce, conclusio in resurrectione H 334 a — necessarius seu resolutorius qualis sit 352 b

Synagoga — est congregatio gregum H 329 a b

Synderesis — distinguitur a conscientia B 239 b — remurmurat contra malum et stimulat ad bonum ib.

T

Temperantia — est necessaria in primis H 354 b — est rationis moderata dominatio in non rectos animi sensus 363 a — habet tres partes ib.

Tempus — omnia tempora Deo sunt praesentia QD 90 a — tria tempora in mundo B 203 b — recte discurrit per septem aetates et consummatur in fine sexiae 204 a — tempora figuralia sunt septem H 405 a — eorum duratio ib. b — sublimis cathedrae quando fuerit 406 a

Tentatio — ex parte Dei permittentis fuit quoad tentatum in homine libertate arbitrii praedito, quoad tentatorem in forma serpentis, quoad obiectum tentationis de praecepto disciplinae B 232 b — ex parte diaboli tentantis quoad initium incepit a muliere, quoad modum huic experiendo per interrogationem, impellendo per assicurationem, allicendo per promissionem ib. — utrum Deus deberet permittere, hominem tentari ib. a, cfr. Peccatum

Terminus — productionis est duplex QD 95 b 5°

Testamentum — vetus et novum quoad speculationem latitudinis Scripturae B 202 b — vetus habet libros legales, historiales, sapientiales et prophetales ib. — novum habet etiam tales libros ib. — inter vetus et novum est magna conformitas 203 a — horum figura sunt rotae quatuor facierum et rota in medio rotae ib. — eorum differentia est timor et amor B 203 a — duo testamenta comparantur secundum rationem unitatis, dualitatis, ternarii, quaternarii, quinarii H 401 b

Testis — fidei debent habere notitiam certam provenientem ex triplici visione H 374 a b — famam perfectam fundatam in praeclaritate meritorum, miraculorum, martyriorum ib. b 375 a — concordiam plenam, quae est in eloquiis Scripturae, in decretis Conciliorum, in documentis Sanctorum ib. — sententiam firmam per consensum rationis ib. b 376 a, cfr. Fides

Digitized by Google

Testimonium — Christi maius fuit testimonio Ioannis Baptistae *H* 373 a — Ss. Trinitatis est indivisum et certum *SS* 535 n — est aliorum fundamentum *ib.* — est triplex ratione effectuum *ib.* b — de Christo 536 b — item Christi de mundo triplex 537 b — informativum quid sit *ib.* — quid approbativum 538 a — quid increpativum *ib.* b — est malis odiosum *ib.* — ostendit triplicem adventum iudicis *ib.*

Theologia — agit de eis quae spectant ad gratiam et ad gloriam *B* 205 n — utitur philosophia, quantum sibi opus est ad fabricandum speculum *ib.* — fecit sibi scalam ad instar scalae Iacob *ib.* — eius subiectum quadruplex *ib.*

— in universo agit de septem *B* 210 n — cur septempliciter dividatur *ib.* — est scientia perfecta *ib.* — est sapientia *ib.* — est scientiarum *ib.* b — eius multiplex subiectum *ib.*

Thesaurus — caelestis praefigurat eucharistiam *SS* 563 n, vide *Eucharistia* — promittitur in Isaia *ib.* — omnis essentiae, sapientiae, gratiae et gloriae est in Christo *ib.*, cfr. *Christus* — absconditus est ob quatuor rationes *ib.* b

Tibor Domini (*Donum Spiritus S.*) — oritur ex consideratione sublimitatis potentiae Dei, perspicacitatis divinae sapientiae, severitatis divinae vindictae *DD* 464 n b — eius utilitas 466 a — valet ad tria *ib.* — eius perfectio consistit in perfecta conscientiae emundatione, in perfecta obedientiae promptitudine, in perfecta fiduciae firmitate 467 n b

Totalitas — in aeternitate non attenditur secundum quantitatem molis, sed secundum quantitatem virtutis *QD* 91 9

Transgressio — protoparentum quoad personas prius fuit in muliere, deinde in viro *B* 233 b — quoad processum fuit in utrisque initium, commissio, progressus et consummatio culpae 234 a

Transitus — super se ipsum quid sit *I* 312 n — per Christum quid sit *ib.* b — est pascha cum Christo *ib.* — quomodo faciendus *ib.*

Transmissio — originalis iustitiae et eiusdem defectus, vide *Iustitia*

Triangulus — quomodo ducat in cognitionem Trinitatis *H* 352 n

Trinitas — Deum esse trinum est verum credibile, seu congruum et debitum credi *QD* 51 a — credi debet de necessitate medii 52 n per totum — congrue proponitur ad credendum, licet excedat intellectum hominum *ib.* b — huius affirmationis diversae rationes *ib.* b 53 a

— est fundamentum totius fidei christianae 54 b — habet triplex testimonium secundum triplicem librum: creaturae, Scripturae et vitae *ib.* — ex libro vitae habet testimonium duplex *ib.* — eam creaturae testificant per rationem vestigii et imaginis *ib.* — personarum stat cum summa aeternitate 87 b — cum summa immutabilitate 404 a — cum summa necessitate 406 a — cum multiformitate apparitionum et appropriatorum *B* 204 n b sq. — in omni creatura relucet per vestigium, in omni intellectu repraesentatur per imaginem, in omni iusto legitur per similitudinem 230 n

— est vigens, splendens, calens *H* 434 n — in eo est ratio exemplaritatis respectu omnium illuminationum 432 n — eam tripliciter respiciunt appropriationes novem proprietatum essentialium *ib.*

— in Trinitate tres sunt personae in unitate naturae *B* 210 b — personarum non excludit septem proprietates 214 a — includit septem alias *ib.* — sunt duo emanationes *ib.* b — tres hypostases 212 a — quatuor relationes *ib.* — quinque notiones *ib.* — tres proprietates personales *ib.*, vide *Deus*

Theologia — circa operationem duplex est *H* 389 a

U

Unio — cognoscentis et cognoscibilis est duplex *QD* 10 b 11° — est maior in *esse* gratiae quam in *esse* naturae 192 a

Unitas — nativa et superdignativa habent extrema proportionalia, quia utraque est connaturalis, non vero dignativa *QD* 35 b — summa naturae non excludit nisi diversitatem essentialem; ideo non est incompossibilis cum personali pluralitate 67 n 12° — duplex est 83 a 10° — in lege novi est maior quam in lege veteri 189 a — divini *esse*, vide *Deus*

Universale — errores circa illud *H* 350 a b — est triplex *ib.* b

Usura — quomodo differat a commodatione *H* 528 b — utrum sit prohibita, quia mala, vel tantum mala, quia prohibita *ib.*

Usus — temporalium necessarius est vitae humanae *QD* 131 b 3° — potest stare sine dominio et proprietate *ib.*

Utilitas — spiritualis et caelestis est praeferenda carnali et terrenae *QD* 171 a 6°

V

Vir — quomodo repraesentet statum animae contemplativae, vide *Status* et *Anima*

Verbum — est infinitum non quantitate molis, sed virtutis *QD* 35 a — per Verbum Pater dicit quaecumque dicit 87 n 8° — est Patris similitudo per omnia aequalis cum ipso *ib.* — differt a ratione et idea *ib.* — est clavis ad intelligendum quod ab uno sint multa *H* 343 b — est veritas 344 b — in eo invenitur veritas creaturae *ib.*

— Dei qua ratione debuit vel decuit incarnari *B* 241 n, cfr. *Incarnatio*

Veritas — duplex est *QD* 10 a — quomodo sit ratio cognoscendi *ib.* — incommunicabilis dicitur dupliciter, id est simpliciter et ex suppositione 26 b — est tanto notior, quanto prior et universalior 58 n — complexi et incomplexi quid sit 67 b 15° — quantum est de se, dicit modum entis 72 a 5°

— et bonitas ex parte principalis significati idem dicunt circa *esse* divinum *ib.* 6° — ex parte rationis intelligendi differunt *ib.* — est adaequatio intellectus et rei intellectae *H* 344 b — creaturae repraesentatur per Verbum *ib.*, vide *Verbum*

— est animae lux 349 a — emittit tres radios *ib.* — ei respondent tres partes philosophiae *ib.* — respicit originans principium in ratione triplicis causae *ib.* — eius irradiatio super animam fit tripliciter *ib.* b

— considerari potest ut praeexistens, ut efficiens, ut reficiens et consummans 378 n — eius perceptionem impediunt praesumtio sensuum, dissensio sententiarum, desperatio inveniendi verum *SS* 574 b

— vocum triplex est *H* 352 n

Vestigium — dicit comparationem ad Deum sicut ad principium creativum *SS* 571 b

Vita — tanto rectior, quanto eius medium conformius est extremis *QD* 128 a

Vivificatio — sui est opus Dei maxime acceptum *QD* 148 a — naturae consonat 122 b — est actus exstinctivus superbiae et per hoc virtutis perfectae 118 b — sui est opus virtutis mediae inter pusillanimitatem et arrogantiam 123 n 3° — tenet plus rationem medicativi quam completivi *ib.* — fundatur in veritate secundum experimentalem cognitionem defectus proprii *ib.* b — competit peccatori ob deformitatem vitiositatis *ib.* 6° — tenet rationem virtutis et medicamenti 124 n

Violentia — fit tribus modis secundum tres radices omnis mali *SS* 515 n

Vir — quomodo peccaverit *B* 233 a — non fuit seductus *ib.*

Virginitas — facit nos sequi Christum *QD* 175 b — nos facit conformes Angelis

Digitized by Google

ib. — disponit ad actum nobilissimum contemplationis *ib.* — de ratione sui nominis dicit abstinentiam ab omni coitu sive illicito sive licito 176 b — nos facit conformes Christo sponso quantum ad excellentiam virtutis, pulcritudinis et dignitatis *ib.* — praeferenda est aliis differentiis castitatis 177 b — quantum ad formale et completivum residet penes mentem 178 a 3° — quantum ad meritum virtutis non potest eam aliquis invitus perdere *ib.* b 4° — per eam anima efficitur quodam modo amica, soror, sponsa, mater Christi 179 a 9°

Virtus — est habitus in modum naturae rationi consentaneus *QD* 167 a — magis unita magis est infinita 35 a — est ordo amoris 123 a 2° — habet substramentum veritatis *ib.* b 4° — consistit circa verum bonum 124 a 10°

— vincere semetipsum est opus virtutis perfectae 118 a — ut sit perfecta, eum potest, debet exire in opus externus 119 b — ad eam trin requiruntur: scire, velle et immutabiliter operari *ib.* in nota — est circa difficile 178 b 6° — quantum ad influentiam et permanentiam magis unita est magis potens 195 a — quantum ad praeeminentiam magis unita minus est alii obnoxia *ib.* b — tenet rationem primi et summi *ib.*

— eius essentia est in rationali *H* 356 a — eius exercitium habetur per gratiam *DD* 157 a

— **Virtutes** exemplares in Deo sunt: celsitudo puritatis, pulcritudo charitatis, fortitudo virtutis, rectitudo diffusionis *H* 361 b — dicuntur tripliciter *ib.* — sunt duodecim, per quas vita nostra ordinatur 363 a — earum definitio, nobilitas, praestantia *ib.* — reducunt animam in suam originem *ib.*

— politicae, purgatoriae, animi iam purgati, exemplares quae sint 364 a — quid de illis senserint Plotinus et quidam alii philosophi *ib.*

— theologicae sunt tres *B* 256 a — sunt necessariae *L* 306 a — restituunt quinque sensus spirituales *ib.*

— cardinales sunt quatuor *B* 256 a — sunt connexae, gratuitae, vel informes *ib.* — veritas prudentiae rectificat rationalem, fortitudinis irascibilem, temperantiae concupiscibilem, iustitiae omnes vires in comparatione ad alterum *ib.* b

— virtutum naturalium insufficientia *H* 366 a — philosophorum sunt informes, nostrae sunt vestitae 367 b — figurantur, augentur et geminantur tripliciter 368 b

Visio — inter visionem et comprehensionem est distinctio *QD* 34 b — videre Deum plene nemo potest, nec oculis corporis nec oculis mentis *ib.* — ad visionem plenam requiritur, ut comprehendens aequetur ipsi comprehenso secundum actum, habitum et virtutem *ib.*

— rerum fit tripliciter, prout sunt in *se* vel in *proprio genere* vel in *arte aeterna* *B* 280 b — veritatis supernaturalis est triplex: corporalis, imaginaria, intellectualis *H* 317 a

— fit sex modis respondentibus sex diebus creationis *ib.* — primus modus est intelligentiae per naturam infitae, secundus intelligentiae per fidem sublevatae, tertius per Scripturam eruditae, quartus per contemplationem suspensae, quintus per prophetiam illustratae, sextus per raptum in Deum absorptae *ib.* — septima visio est animae glorificatae *ib.* sq.

— intellectualis pura fuit in Angelis et in Moyse 371 a — haec iuncta cum imaginaria fuit in Prophetis *ib.* b — iuncta cum corporali manifesta fuit in mentibus apostolicis *ib.* — hae tres iunctae dant certitudinem fidei et Scripturae *ib.*

Vita — pauperrima est perfectissima *QD* 128 a — est duplex: activa et contemplativa 129 b

Voces — sunt notae eorum passionum, quae sunt in anima *QD* 26 b

Voluntas — est naturalis, vel electiva *B* 227 b — *accedens* non est in Deo nec respectu sui nec respectu creati *QD* 110 b — *antecedens* est in Deo non respectu sui, sed respectu creati *ib.* — *concomitans* et *accepiens* est in Deo tam respectu sui quam respectu creati *ib.*

— confirmata in bono est excellentior voto 187 b 8° — haec fuit in Christo loco voti *ib.*, vide *Christus*

— **divina** est in se ita recta, ut nullo modo possit obliquari, ita efficax, ut non possit impediri, ita una, ut tamen per quinque differentias significari possit *B* 217 b — est prima et summa causa omnium specierum et motionum *ib.*

— ratione regulata, scilicet relative ad extra, quoad omnes creaturas vocatur *providentia*, quoad solos electos vocatur *praedestinatio* 218 a — est recta et efficax, regula rectitudinis et origo efficaciae *ib.* — in omnibus, quae facimus, est cooperans et coefficiens *ib.* — nemo potest deficere vel peccare, nisi ipsa iuste deserente *ib.* — est iusta in distributione gratiae et in reprobatione *ib.* b, *cfr.* *Deus*

Votum — obedientiae est perfectionis constitutivum, expeditivum et consummativum *QD* 185 a — est via praeambula ad evangelica consilia expeditius servanda et completio intimata, quia in obedientia completur iustitia abundans *ib.* b — in emissione voti additur gratia iuvans, diminuitur opportunitas peccandi, et vis impellens ad peccandum enervatur 188 b 14°

— perfectionis propinquissimum est bono et optimo et ideo maximae utilitatis *ib.* 15°

Digitized by Google

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. VI. in Proleg. col. 2. l. 20. ab infra post *Soldati* expunge *O. P.*

» XII. » » » 1. l. 5. quaedam ob malam lectionem codicis omissa sic supplemus: sicut apparet de *Calphurnia*, quae dedit cursum edicto, *cum esset improbatissima mulier* [ut insinuatur loco inferius cit., qui habetur D. lib. III. tit. 1. lex 1. § *Secundo modo*; cfr. etiam lex *de Macedone improbo*], non tamen etc.

» 38 col. 1. arg. 7. l. 1. in pluribus exemplaribus non est correcta erronea lectio codicum, qui habent *aeternaliter* pro *aequaliter*.

» 68 » 2 l. 8. ab infra pro *et* corrige *est*.

» 72 nota 2. pro *obuecto* corrige *obuectio*

» 81 col. 1. in nota l. 8. ab infra pro *genuitate* corrige *genuinitate*.

» 139 » 1. arg. 30. lectio codicum et editionum *sed prima potest esse laudabilis et meritoria: ergo multo magis secunda* corrigenda est substituendo *sed secunda potest.... ergo multo magis prima* Cfr. supra Proleg. pag. IX. col. 2. ad arg. 30.

» 212 » 1. l. 7. a supra pro *Qui* corrige *Quin*.

» 281 col. 2. l. 19. ab infra *consummentur* corrige *consumentur*.

» 323 nota 2. pro *similitudinem* corrige *opipeem*.

» 332 col. 1. l. 21. a supra post *terrestri* expunge virgulam (,).

» 336 » 2. l. 15. ab infra pro *perimentur* lege *permutatur*.

» 352 nota 4. in fine adde: vel probabilius respicitur opusculum *de Spiritu*).

» 361 col. 2. n. 5. l. 3. pro lectione codicum *putei abyssalis* melius substituitur *putei abyssales*.

» 417 » 2. l. 20. ab infra pro *secere* corrige *secern*.

» » nota 6. Cum posterius invenerimus illum locum Richardi, citandus est lib. I. de Contemplatione sive Benjamin maior c. 5.

» 450 » col. 2. l. 1. melius transponitur virgula a suo loco et ponitur post *magistri*.

» 544 col. 2. l. 2. ab infra expungenda sunt verba subinde repetita *seu intellectualem seu animalem sive divinum*.

Digitized by Google

Biblioteca Angelica

IMPRIMATUR

Datum Florentiae die 3 Februarii 1891.

† Fr. AUGUSTINUS Cardinalis BAUSA Archiepiscopus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google